Bibliotheca S. J.
Les Fontaines
CHANTILLY
E
/113

rous in

Digitized by Google

E 1/103

ENCYCLOPÆDIA
SACRÆ SCRIPTURÆ

SIVE

Selectæ in omni ſcientiæ, & doctrinæ genere
Quæſtiones ex ſacris potiſſimum
Literis enodatæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII CASINI

E SOCIETATE JESU

ENCYCLOPÆDIA SACRÆ SCRIPTURÆ

SIVE

Selectæ in omni ſcientiæ, & doctrinæ genere
Quæſtiones ex ſacris potiſſimum
Literis enodatæ.

VOLUMEN PRIMUM.

VENETIIS, MDCCXLVII.
APUD MODESTUM FENTIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ECOLE SAINTE GENEVIEVE
B.D.J

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO, *ac* REVERENDISSIMO

PRINCIPI

MARTINO CARACCIOLO

Apud Venetam Rempublicam Legato Apoſtolico &c.

ANTONIUS CASINI S. J.
Felicitatem.

E*NCYCLOPÆDIA divinæ Scripturæ, cujus ſpecimen Tibi*, EXCELLENTISSIME, *ac* REVERENDISSIME PRINCEPS, *in hoc*

Vo-

Digitized by Google

Volumine exbibeo, Opus eſt, in quo omnis ſcientiæ, & doctrinæ non ſolum originem, & primordia è ſacris Literis repeto; ſed ibidem earum etiam abſolutionem, ac perfectionem eſſe quærendam, oſtendo. Oſtendo autem re, factoque ipſo: cum in omnibus diſciplinis, de his, quæ ſelectiora ſunt, & magis difficilia, & controverſa, quæſtionem inſtituam; eaque divinis maximè oraculis, ac teſtimoniis illuſtrare, enodare, expedire ſtudeam. Niſi mea ſententia, ac proprii inventi amor me admodum fallunt; Opus eſt reipublicæ apprime utile, & omnibus literis incremento futurum. Id verò non tam propter illa, quæ hic a me afferuntur, quam quod in ſacris Libris eos, ut ſpero, fontes ac venas detexi, eumque campum aperui; unde in hoc ipſo genere multo plura, ac reconditiora, & omnino meliora proferri olim poſſint, & in quo ſe exerceant deinceps alii felicius. Quod ſi nulla, aut per ſe non magnopere expetenda fiet hinc ad rem publicam acceſſio doctrinæ; multum eſt tamen doctrinæ ipſi chriſtianam pietatem, ac religionem adjungi; multum virtutibus illis, quæ mentem perficiunt, eas dari comites, quæ utrumque hominis appetitum moderantur. Id quod hinc facile fiet, & ipſe mihi in his diſputationibus, & tractationibus meis ante omnia propoſui. Eſſet vel id unum oppido ſatis, atque operæ pretium, ad divinam Scripturam magis adjungi hominum animos: atque è puriſſimis, & ſanctiſſimis fontibus literas peti; non è ciſternis, & unde hauriri ſimul, & vitia ſolent.

Jam vero quæ ad hanc Encyclopædiam hactenus ſcripſi, & Auditoribus meis hic Romæ dictavi, quamvis nondum

ſatis

Digitized by Google

ſatis polita , & ordinata , ac Prolegomena potius , experimenta , proludia , quam Opus ipſum dici poſſint ; cum tamen Venetias venerint in manus Virorum eruditorum , qui ea , quæ ad ſacras Literas pertinent , maximè curant , & ab oblivione , & interitu vindicant ; hæc quoque probarunt , & qualiacumque ſunt , typis vulganda , & publici juris facienda eſſe judicarunt . Quod quidem ut fieret minimè permiſiſſem , niſi a Te , EXCELLENTISSIME , *ac* REVERENDISSIME PRINCEPS, *impetraſſem prius , ut ea ſineres Tibi dicari , & cum inſcriptione Nominis Tui apparere . Præter id verò , quod his ſcriptis , & commentationibus meis defenſore , & patrono opus eſſe video , cur eas Nomen Tuum præferre voluerint , hæ pariter mihi cauſæ fuerunt . Primum , prodeunt è Romano Collegio , in quo egregiam olim literis operam dediſti , & cum humanioribus , tum etiam ſeverioribus diſciplinis es inſtitutus . Deinde eduntur Venetiis , qua Ampliſſima , & Nobiliſſima in Urbe munus , perſonamque geris Apoſtolici Nuncii ; cui omnes literæ , ſed potiſſimum ſacræ , & divinæ curæ eſſe debent . Tandem permoveor iis omnibus , quæ in Te plurima ſunt partim naturæ bona , partim ornamenta virtutum , ſummus generis ſplendor , integerrimi mores , prudentia , juſtitia , religio prorſus ſingulares , & eximiæ . In primis vero me ducit animi Tui excelſitas , & magnitudo : quam cum præclara , & grandia delectent , verendum mihi non eſt , quomodo ſis acce-pturus Opus hoc meum ; quod quamvis auctoris nomine , & facultate ſit perexiguum ; videtur tamen cogitatione , conſi-*

lio ,

Digitized by Google

lio, propoſito magnum. Imo in ſcribendo tantum diligentiæ, ac ſtudii a me eſt adhibitum, ut mihi interdum veniat in mentem, poſſe lucubrationem quoque ipſam Tibi placere. Neque prorſus deſpero, hac etiam ex parte feciſſe me ſatis ingenio, atque indoli Tuæ. Cæterum humanitatis Tuæ hæc perbenigne excipere, & eiſdem quantum ſplendoris jam attuliſti, tantum quoque, ubi opus fuerit, afferre præſidii.

Ty-

Digitized by Google

Typographus Lectori.

DUo ſunt, benigne Lector, de quibus te monitum volo. Primum eſt, hæc non eſſe edita eo prorſus rerum ordine, quem Auctor ſibi in Proœmio præfinit; ſed eo, quem tenuit, cum hæc in Schola dictavit Auditoribus ſuis. A quibus etiam aliqua accipere neceſſe fuit: partim quod apud Auctorem non extabant, partim quod ab ipſo aliis occupato, & his non ſatis contento, impetrari non poterant. Alterum eſt, *Platonem Chriſtianum*, qui in hoc Volumine interdum citatur, Opus eſſe Auctoris ejuſdem, cujus Operis pars futura erat hæc ipſa ENCYCLOPÆDIA SACRÆ SCRIPTURÆ quam typis mandamus, & Platonis exemplo ibi inſcripta erat *Sapientiæ Convivium*. Sed cum res plura poſtulare videretur, quam quæ uno, vel altero Dialogo poſſent comprehendi, Auctor ejus formam mutavit, & quampluribus auctam, ſeorſim, & proprio titulo vulgandam cenſuit. Brevi tamen ſequetur *Plato Chriſtianus*, in eoque reperies ea omnia, quæ hic allegantur. Hæc igitur interea excipe & humanitate, ac benignitate qua ſoles; & ſi quis locus occurret, cui aliquid addendum, aut detrahendum, vel aliter emendandus, & caſtigandus tibi videbitur, ne dubites, quin Auctor id facturus fuiſſet, ſi huic editioni præſens adeſſe, & ea quæ multo ante ſcripſerat per ſe recognoſcere, ac perpolire potuiſſet. Vale.

APPROBATIO OPERIS.

LOngè præſtantiſſimi, & omnigena eruditione impigrè exculti ingenii ſui ſpecimen paravit, ac tandem optimo ductus conſilio in ſanioris Theologiæ Candidatorum emolumentum evulgare decrevit Rever. Admod. P. Antonius Caſini è Societ. Jeſu. Horum primum tomum inſcriptum: *Prolegomena ad Encyclopædiam Biblicam*, cum meo judicio Reverendiſs. P. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Sac. Palat. Apoſtolic. Magiſter committere dignatus ſit, ſedulò æquè, ac volupè perlegens tantum abeſt, ut in eo expendendo aliquid Fidei divinæ, aut optimis moribus adverſum obviam habuerim, quin potius ita cuncta deprehendi conſentanea, ut cenſeam è re omnibus ſacræ doctrinæ ſtudioſis, quod publica donetur luce.

Romæ ex Collegio S. Mariæ de Victoria 8. Sept. 1741.

Fr. Aloyſius Maria a Jeſu Carm. Excalc. in eodem Collegio Sac. Theol. Lector, Sacræ Congr. Indulgentiarum, & ſacrarum Reliq. Conſultor, ſanctæque Romanæ, & univerſ. Inquiſitionis Qualificator.

ALIA

Digitized by Google

ALIA APPROBATIO.

OPeris, cui titulus: *Encyclopædia Divinæ Scripturæ*, luculenter elaborati a Rev. P. Antonio Caſini Societ. Jeſu, viro Linguarum principum peritia, humanis, diviniſque literis, & omnis generis eruditione, ac doctrina percelebri, Tomum primum Prolegomena continentem, ut mihi a Reverendiſſ. P. F. Nicolao Ridolfi Sac. Palat. Apoſt. Magiſtro demandatum fuit, attentè perlegi. In eoque non ſolum nihil inveni, quod a Fide, & bonis moribus ullo modo abhorreat; ſed admiratus ſum maximè primò ideam Operis, quæ profectò nobiliſſima, & ſacris Libris honorificentiſſima eſt; deinde Opus ipſum, ſive executionem, quæ par eſt ideæ, ipſique omni ex parte reſpondet: in utraque autem excellens Auctoris ingenium, qui dum ſcientias omnes, & diſciplinas è Divina Scriptura repetit, iis omnibus apprimè excultum ſe probat. Itaque Opus hoc cenſeo publica luce digniſſimum. Neque ullatenus dubito, quin omnibus ſtudiis, ac literis utilitati maximè; Societati verò univerſæ, & Romano præſertim ejuſdem Societatis Collegio, in quo Auctor honore primæ Cathedræ fungitur, ſplendori ſummo futurum ſit. Dat. Romæ in Monaſterio S. Bernardi die 29. Junii anno 1742.

D. Benedictus Teſſari Abbas Tit. S. Catharinæ Monachor. Ref. S. Bernardi Ord. Ciſtercienſis, Sac. Congreg. Indicis Conſultor, ac in Collegio Urbano de Propaganda Fide Sacræ Theologiæ Scholaſticæ Lector.

Digitized by Google

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm librum, cui titulus: *Prolegomena ad ſummam ſelectarum divinæ Scripturæ Quæſtionum* a P. Antonio Caſini noſtræ Societatis compoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur, cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 23. Auguſti 1740.

Franciſcus Retz.

Noi RIFORMATORI dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore del S. Officio di Venezia, nel Libro intitolato: *Antonii Caſini è Societ. Jeſu Encyclopædia Sacræ Scripturæ &c.* non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Modeſto Fenzo Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.
Dat. li 30. Aprile 1746.

(Z. Alviſe Mocenigo Kav. Ref.
(Zuane Querini Proc. Ref.
(Daniel Bragadin Kav. Proc. Ref.

Regiſtrato in Libro a c. 26. al num. 198.

Michelangiolo Marini Segret.

Regiſtrato al Magiſtrato Eccell. ſopra la Beſtemmia
Franceſco Gad. Segret.

PRO.

Digitized by Google

PROLOGUS.

Quemadmodum divinæ Literæ, Hieronymi, Auguſtini, & Patrum aliorum ſententia cibi feruntur illius ſimiles, de quo ſcriptum Sap. xvi. 20. *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de Cælo præſtitiſti illis..... omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem &c.* ſic earum non admodum diſpar ſors, & conditio apud homines fuit; exceptæque, & habitæ mihi videntur magna ex parte ſimiliter. Etenim ſi ea excipias, quæ ad religionem, pietatemque pertinent; in reliquis, ut in philoſophicis, mathematicis, rhetoricis, aliiſque ejuſdemodi, ipſis illis, in quibus harum rerum guſtus exquiſitior, atque perfectior eſſe creditur, Chriſtianis, ac piis cæteroquin hominibus Scriptura divina ſatis nec placet, nec ſapit. *Cibus leviſſimus* is quoque videtur aliquibus; ut quæ olim Hebræis Manna (Numer. xi. 6. xxi. 5.) faſtidio, & prope contemptui hoc toto in genere eſt. Quare quod Deus apud Jeremiam ii. 13. vehementer reprehendit, ac populo exprobrat ſuo, *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*; ad nos etiam pertinere arbitror; nec tantum ad mores, aut Fidem, ſed ad ſcientiam quoque, & doctrinam omnis generis eſſe referendum. Etſi enim nobis in utriuſque Fœderis Libris credendi, ac vivendi normam, ac legem potiſſimum dederit Deus; *dedit* tamen etiam ibidem, *dicere ex ſententia; dedit eorum, quæ ſunt, ſcientiam veram: ut ſciamus diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & conſummationem, & medietatem temporum*, & quæ plura recenſet Sapiens vii. 20. 21. &c. & viii. 7. 8. &c. Prorſus ut verbo Dei ad homines ſcripto illud conveniat, quod de Verbo Dei ad nos eoſdem mortali in corpore miſſo ſcripſit Apoſtolus ad Coloſſ. ii. 3. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: ac de utroque intelligendum Interpretes ſacri putent, quod eſt Eccli. i. 5. *Fons ſapientiæ verbum Dei*. Eſt tamen hoc fonte indignè poſthabito, atque relicto, de quo potiſſimum bibendum fuerat Chriſtianis hominibus, ciſternas anxie, atque avidè quærunt; & in humanis præſertim diſciplinis, ex iis tantummodo hauriendum putant. Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Virgilii, aliorumque profanorum doctorum, tot jam ſæcula, auditor eſt (nec pudet) Genus humanum, cum Deum poſſet ipſum in hoc etiam eruditionis, & doctrinæ genere magiſtrum habere. Quo ſanè cum illi injuriam fecit graviſſimam, tum ſibi ipſi maximè nocuit. Quippe quod, præceptoribus iſtis pro eo ſtudio, & ingenio, quantum conſtat ab ipſo eſſe adhibitum, mirum oppido eſt, tanto tempore profeciſſe tam parum. Illud mihi videtur pronuntiari poſſe veriſſimè: Hominum genus ſub ethnicorum magiſterio, & diſciplina, multis in rebus deterius eſſe factum; nulla ſatis adhuc excultum, atque perfectum. Quæ quidem non eo dico; quod ab ethnicorum

Digitized by Google

eorum lectione Christianos homines penitus avocandos, ac deterrendos putem. Scio, ab ethnicis etiam Scriptoribus tractata, & illuſtrata fuiſſe quamplura; quamobrem eos legere non ſolum liceat, verum etiam interdum expediat; imo, ſi ita vis, quandoque ſit neceſſarium. Illud omnino velim in omni ſcientiæ, ac diſciplinæ genere divinis Literis primas deferri: contra quam perſuaſum eſſe videam multis. Itaque, cum & mei ſit instituti Dei gloriæ, & mortalium ſaluti, felicitatique ſervire: & ſit muneris mei ſacras Literas explanare, & interpretari; propoſitum mihi quantum facere, enitique potero, hominum animos, ſtudiaque omnia ad illas adjungere. Hoc animo, atque conſilio aggreſſus ſum Summam Biblicam ſcribere; & tum quæſtiones illas, quæ de rebus divinæ Scripturæ excitatæ, ac diſceptatæ jam ſunt, in ordinem, atque in compendium adducere; tum novas alias, Deo bene juvante, inſtituere, eademque brevitate, & ordine de integro diſputare. Hæ namque cum ſint omnium generum, Theologicæ, Philoſophicæ, Mathematicæ, Chronologicæ, Hiſtoricæ, Politicæ, Morales, aliæque multiplices; ex iiſdem facilè apparebit, quid quæque ſcientia, & facultas ex divinis Libris accipere, & quantum indidem locupletari, illuſtrari, proficere queat. Nec verò quæſtiones me Biblicas omnes hac ſumma comprehenſurum recipio. Tractabo præcipuas, quæque ad id, quod mihi propoſui, magis conferre videbuntur. Illud certè non omittam, in omni doctrinæ genere fontem oſtendere; & ad quæque etiam ſapientiæ ſata aquam deducere. Uniuſcujuſque autem diligentiæ, & induſtriæ poſtea erit, inde irrigare hortum ſuum. Placet autem Opus hoc totum in quatuor partes tribuere: nimirum ad *fluvii* illius imaginem, *qui egreſſus de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, inde dividebatur in quatuor capita*. (Gen. II. 10.) In quibus itidem Patres, Chriſtianique Interpretes Ambroſius, Eucherius, Hugo a S. Caro, & alii Scripturæ Interpretes divinæ figuram agnoſcunt. Porro pars

Prima erit de re Theologica divinæ Scripturæ.

Secunda de re Philoſophica, Mathematica, Politica, deque omni naturali ſcientia divinæ Scripturæ.

Tertia de re Oratoria, Hiſtorica, Poetica, Grammatica; itemque de re Mechanica, & artificiali omnis generis divinæ Scripturæ.

Quarta de re Sacra, Aſcetica, Myſtica divinæ Scripturæ.

In his omnis ſcientia, & diſciplina cum ſit, eorum tractatione ſpero me planum facturum, Chriſtiani hominis ſapientiam in divinarum Literarum intelligentia eſſe poſitam. Quam quiſque doctrinæ partem aſſequi voluerit, ibi vel primario, vel unicè eſſe quærendam. Non ſolis olim Hebræis, ſed nobis quoque eſſe dictum; ac toti divinæ Scripturæ Dei ipſius manu quodammodo ſuperſcriptum illud Deuter. IV. 6. *Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus.* Vel illud Eccli. XXIV. 32. *Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis.*

Digitized by Google

PROLEGOMENON
PRIMUM,
SEU
Prævia Diſputationes decem.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENCYCLOPÆDIA SACRÆ SCRIPTURÆ.

DISPUTATIONES PRÆVIÆ.

QUandoquidem Angelici Doctoris exemplo hanc veluti Summam ſelectarum P. I. quæſtionum ſcribendam ſuſcepi; ipſius etiam imitatione, quantum per temporis anguſtias, ac rerum multitudinem, & varietatem licebit, ſcribendum mihi eſſe arbitror. Ita, ſicut ille antequam primam Summæ partem aggrediatur, habet tanquam procemii loco, quæſtionem de ſacra Doctrina, articulis decem comprehenſam; ſic ego in ipſo Operis huius exordio quæſtionem inſtituo de ſacra Scriptura, in qua totidem diſputantur. Tractantur autem hæc & deinceps alia aliquanto uberius, ac longius, quam fecerit D. Thomas, tribus his præſertim de cauſis. Primo, propter res ipſas de quibus agimus. Hæ namque cum ſint vel dogmaticæ, atque ex iis; quæ *poſitiva* dicuntur, ut in his Prolegomenis; vel habituræ ſint aliquid novitatis, aut ſpecialis utilitatis, has enim in toto deinceps opere ſeligere curabo; tam breviter, & præciſe, quam res ſcholaſticæ, tractari non poſſunt. Deinde, quia brevitas S. Thomæ ut laudanda, admirandaque eſt, ne ſcio an æque ſit imitanda; hoc præſertim tempore, cum Scholaſticorum ingeniis nihil eſt ſatis: ut apparet ex tot commentariis, quibus Angelici Doctoris Summam, non tam illuſtrandam, cum luce non egeat, ac ſit per ſeſe clariſſima; quam augendam, ſupplendamque cenſuerunt. Tertio, quia nec facile eſt, nec puto expedire, me ab ea diſputandi ratione diſcedere, cui multos annos iam aſſuevi. In hac vero cum ſimul conjunxerim ſcholaſticam μέθοδον, qua quidem ad docendum nihil eſt aptius, & orationis genus, quo uſi ſunt Patres, Scriptoreſve alii, qui ſtylum non penitus neglexerunt; ita ſervanda mihi brevitas eſt, ut neutri parti deſim; ac tertium quoddam exiſtat ex utroque genere mixtum, & temperatum. Quod utrum ſim aſſequutus, meum non eſt judicare. Quæruntur igitur decem.

Primo, Utrum Scriptura ſit aliqua, quæ Deum tam ſpeciali modo auctorem habeat, ut verbum Dei ſcriptum, ſeu, Scriptura divina vere, & proprie dicatur.

Secundo, Utrum non ſolæ ſententiæ Sacræ Scripturæ, ſed etiam ſingula verba Deum ſpeciali modo auctorem habeant, ac ſint vere divina.

Tertio, Utrum ii omnes, & ſoli Sacræ Scripturæ Libri, quos recenſet Concilium Tridentinum in eo Decreto, quod eſt Seſſ. 4. ſint Canonici.

Quarto, Utrum Textus Originales di-

Digitized by Google

vinæ Scripturæ, uti nunc extant; ſint authentici, ac Fidei regula.

Quinto, Utrum Latina Editio Vulgata in iis etiam, quæ ad Fidem, & mores non pertinent, ſit authentica, tamque perfecta, ut nullum in ea ſit vitium Interpretis.

Sexto, Utrum divina Scriptura clara, & intellectu facilis ſit, atque omnibus legenda, & tractanda.

Septimo, Utrum divinæ Scripturæ ſenſus plures ſint, quam hi quatuor, Litteralis, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus.

Octavo, Utrum ſola divina Scriptura cum ſolo privato, quem vocant, ſpiritu par ſit, & ſufficiens ad terminandas omnes controverſias, quæ tum de ipſa, tum de rebus in ipſa contentis fieri poſſunt; ita ut opus non ſit viva, & externa regula Fidei.

Nono, utrum ea omnia, quæ docet, aut præcipit ſancta Mater Eccleſia ſint divinis expreſſa Litteris: ut Traditione opus non ſit.

Decimo, Utrum in divina Scriptura ſit omnis ſcientia, & doctrina.

DISPUTATIO PRIMA

Utrum Scriptura ſit aliqua, quæ Deum tam ſpeciali modo auctorem habeat, ut, verbum Dei ſcriptum, ſeu, Scriptura divina vere, & proprie dicenda ſit.

Videtur non eſſe. Primo, quia cum Deus ſemper, & ubique ſit omnibus præſentiſſimus; & interiori voce, ac ſpiritu loqui poſſit ad cor hominis; ad eum ſcribere, & quodammodo litteras dare, opus non habet. Quinimo noxium id potius videtur; ſiquidem ut eſt II. ad Corinth. III. 16. *littera occidit*, *ſpiritus autem vivificat*.

Secundo, quod ea Scriptura, quam nos tanquam divinam habemus, ac defendimus multa contineat falſa, & plane incredibilia, aut certe Fabularum quam ſimillima: ut Evæ colloquium cum Serpente, & Balaami cum aſina. Item, quæ de terreſtri Paradiſo, quæ de univerſali Diluvio; de ædificatione Babylonicæ turris, & linguarum confuſione; de prodigiis patratis a Moyſe, & aliis quam plurimis, quæ omnem prorſus fidem ſuperant: & tandem de omnium hominum propagatione ex Adamo, contra chronologiam, & alia hiſtorica monumenta Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarum, quibus nos oppugnat Auctor Syſtematis Præadamitici ſuperiore ſæculo editi.

Tertio, quod aliqua contineat bonis moribus adverſantia: ut proinde de Vet. Teſt. ſcriptum ſit Ezech. xx. 25. *Ergo & ego dedi, eis præcepta non bona*. Cuiuſmodi erant quæ de injuriis ulciſcendis, & inimicis odio habendis, Antiquis tradita fuiſſe legimus Matth. v. 38. 43. ex Deuter. XIX. 12. Item de furto Exod. III. 22. de uſura Deut. XXIII. 20. de adulterio, aut fornicatione Oſe. I. 2. Et tandem permiſſio, approbatioque mendacii, polygamiæ, pravarum cogitationum, ac deſideriorum.

Quarto, quod inter ſe diſcordent Teſtamenta Vetus, & Novum: ut quod eſt Gen. XXXII. 30. & Exod. XXXIII. II. Jacob, & Moyſi viſum fuiſſe *Deum facie ad faciem*; & quod Joan. I. 18. *Deum nemo vidit unquam*. Item, quod Teſtamentum utrumque ſibimetipſi non ſatis cohæreat: ut quod Joſue x. 13. 14. *ſteteruntque Sol, & Luna &c. ſpatio unius diei. Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies*, cum eo, quod eſt Iſa. XXXVIII. 8. *& reverſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat*. Quæque de Chriſti Genealogia ſcripſit Matthæus I. cum iis, quæ de eadem leguntur apud Lucam III. Denique, quod huius Scripturæ editiones, quæ authenticæ habentur, vel inter ſe invicem, vel una eademque a ſe ipſa ſimiliter diſcrepant. Sic Verſio LXX. Interpretum primam Mundi ætatem, quæ a conditu Adami ad finem Diluvii, annis definit 2242. Textus vero Hebraicus, & Latina Editio Vulgata an. 1656. Sic Latina ipſa Vulgata Luc. III. 36. inter Arphaxad, & Sa-

Digitized by Google

Sale interſerit Cainan; quem prætermittit Gen. x. 24.

Quinto, quia Scripturæ divinitas probatur auctoritate Eccleſiæ: viciſſim vero Eccleſiæ, ſeu Religionis noſtræ veritas auctoritate Scripturæ. Hæc autem argumentatio gyrum, ſeu circulum habet vitioſum; quo tam nihil poteſt concludi; quam non poſſunt duo quæppiam ſe mutuo efficere, aut gignere. Nec reſponderi poteſt: Tum Scripturam, tum Eccleſiam aliunde etiam probari. Eſto enim de Eccleſia id ita ſit; de Scriptura hæc habet Auguſtinus cont. Epiſt. Fund. cap. v. n. 6. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas.*

Sed Contra eſt ſapientiorum, ſanctiorumque omnium gentium, ac temporum Scriptorum auctoritas, qui Scripturæ Divinitatem partim agnoverunt, partim etiam propugnarunt. De quibus infra.

Respondeo, Non minus certo, & (ſi ita loqui fas eſt) evidenter conſtare de divinitate Scripturæ, quam de veritate noſtræ Religionis. Primo, quod ſimilibus argumentis probatur, & parem obtinentibus vim, ac robur: deinde, quod probatur iiſdem prorſus. Quod ad primum attinet, hæc ſunt pro divinitate Scripturæ propria ipſius, & peculiaria argumenta.

I. Prophetiæ, quæ ſacris omnibus Libris plurimæ continentur, prorſus, ut ibi prædicitur, rerum eventu completæ. In quo nota eſt, & character divinitatis certiſſimus, ac luculentiſſimus; ſecundum illud Iſa. xli. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dii eſtis vos.*

II. Doctrinæ gravitas, & ſublimitas, itemque conſenſio, & concordia ſacrorum Librorum plane admirabilis, in tanta præſertim Scriptorum, locorum, temporum, rerum varietate, & multitudine. Ut appareat, multos quidem veluti amanuenſes, unum autem eſſe eorum auctorem primarium, mentis ſummæ, ipſamque adeo Veritatem.

III. Ejuſdem doctrinæ puritas, integritas, ſanctitas, utilitas, ſalubritaſque: ex qua velut ex fonte manavit, quicquid piorum, & ſacrorum librorum editum, aut ſcriptum eſt unquam; eoque tanquam lacte nutritum quicquid virtutis, quicquid pietatis, & ſanctimoniæ in utriuſque Teſtamenti hominibus extitit.

IV. Modus ille vere admirandus, quo Scriptura hæc, & doctrina toto terrarum orbe promulgata, propagataque eſt; nimirum per homines idiotas, ſimplices, inopes.

V. Sanguis tot Martyrum in eius defenſionem fuſus; maxime ſub Diocletiano, qui ſacros Libros perdere, atque abolere omni ope, atque opera conatus eſt: & ſub Antiocho ſimiliter. I. Machab. 1. 60.

VI. Tot vera, & propria miracula ad eam confirmandam, tuendamve a Deo patrata: v. c. quæ apud Euſebium Lib. VIII. Præp. Evang. cap. 1.

VII. Sapientia, & ſanctitas tot Patrum, aliorumque ſummorum virorum, qui pro illa ſcripſerunt, eamve doctiſſimis, & ſaluberrimis commentariis explanarunt, & interpretati ſunt.

VIII. Sanctitas, & auctoritas Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, qui eam tanquam divinam, a Deoque ipſo dictatam, tradiderunt, atque evulgarunt: & ſimul cura, & religio, qua primum ab Hebræis, deinde a Chriſtianis recepta, & habita eſt.

IX. Conſenſus unanimis tot populorum, provinciarum, nationum, atque omnis conditionis, ac generis hominum philoſophorum, ſophiſtarum, magnatum, principum, bellatorum, politicorum, qui eam pro divina acceperunt; ac per illam ad Chriſti Fidem converſi ſunt.

X. Quod illi ipſi, qui apud ethnicos habiti ſunt ſapientiſſimi, ut legumlatores, philoſophi, poetæ, aliquid divinum in noſtris Codicibus latitare crediderunt; nec pauca indidem, vel a noſtris accepta, vel per ſe ipſos in ſua ſcita, placita, & ſcripta omnis generis tranſtulere.

Iam vero ſi hæc conferantur cum iis, quæ pro veritate noſtræ religionis ſolent afferri, leguntur autem apud S. Thomam Lib. I. cont. Gent. cap. vi. Bellarminum Lib. IV. de Eccl. Milit. Tannerum diſp. 1. de Fide q. 11. dub. 4. & alios quamplures; ut magnam utrorumque ſimilitudinem, ita in eis & auctoritatis, & rationis paria prorſus momenta reperies.

Expedio alterum brevius. Cum enim pleraque eorum, quæ tanquam a Deo revelata, nobis Catholica Eccleſia ad credendum proponit, & quorum Fide Religio noſtra potiſſimum continetur, in ſa-

Digitized by Google

cris expreſſa Litteris', atque hujus ſint Scripturæ partes; ſi non eſſet hæc divina, nec Fides noſtra divina eſſet, nec oppido vera: quæ, cum Deo loquenti credit, hoc ipſum etiam mentis aſſenſu tenet firmiſſime, Deum eſſe qui loquitur. Præterea, cum inter omnia Religionis noſtræ dogmata, quæ nobis Catholica Eccleſia, ut dixi, ad credendum proponit, unum ſit ex præcipuis, ac fundamentum cæterorum, Scripturæ divinitas; quo etiam Fidei regula eſt, & habetur; niſi ſit Scriptura divina, & falſum ſit dogma illud, & falſo expoſita cætera, & omnino fallax regula Fidei. Quibus profecto, nec vera eſſet Eccleſia, quæ in ejuſmodi rebus erraret; nec vera eſſet Religio, quæ errores ejuſmodi contineret. Ac proinde quibus argumentis Eccleſiæ Catholicæ, ac Religionis noſtræ veritas; iiſdem prorſus Scripturæ divinitas demonſtratur. Conſequens eſt igitur, ut non minus certo, atque evidenter de uno, quam de altero conſtet. Quod erat propoſitum.

Ad primum dicendum, poſſe quidem Deum, cum ſolum ipſum per ſe, tum etiam adhibito Angelorum miniſterio, homines docere, ac regere; convenientiſſimum vero fuiſſe, & naturæ hominis maxime accomodatum, eum id facere etiam per homines ipſos. Cumque apti, & compoſiti ſint & ſpiritu, & corpore, non interiorem dumtaxat locutionem ad eos adhibere; ſed externam quoque, ſubjectam ſenſibus, eamque manentem, & ſtabilem, communemque omnium; quæ nimirum ſit ipſis credendi, ac vivendi regula; ſecundum quam facile poſſint ab aliis hominibus erudiri, corrigi, judicari. Ad hoc autem dediſſe Deum hominibus ſacram Scripturam, & quodammodo litteras ſuas, teſtatur Apoſtolus II. ad Timoth. III. 16. 17. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*.

Quod autem idem ſcribit II. ad Cor. III. 16. *Littera occidit &c.* nihil minus ſignificat, quam quod Libertini, & Fananatici, aliique adverſarii vellent. Comparat ibi S. Paulus Legem cum Gratia: vel, Legem ſine Gratia, cum Lege ſimul & Gratia. Id ſcilicet, quod dedit Moyſes, cum eo quod datum a Chriſto Ieſu. Quod facit etiam S. Ioannes I. 17. ubi ait: *lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Legem deſtitutam ſpiritu Gratiæ occidere, dicit; quia, ut animadvertit Auguſtinus Lib. de Spirit. & lit. cap. V. num. 8. *Sciri facit peccatum potius, quam caveri; & ideo magis augeri, quam minui*. Contra vero ſpiritum Gratiæ afferre vitam; quia vires præbet, ad ea ſervanda, & perficienda, quæ præſcribuntur a Lege. Porro nec nobis, nec quondam Hebræis ita Lex tradita, ut negaretur Gratia: ſed Lex ipſis data per Moyſen, Gratia autem utriſque per Jeſum Chriſtum. Nobis vero multo abundantius. Ut hæc ipſa etiam prælatio, ſive præſtantia ex proprietate linguæ Hebraicæ, & Scripturæ more ſignificari, atque exprimi potuerit per epitaſim duobus contrariis adhibitis; morte nimirum, & vita ut Malach. I. 3. & ad Rom. IX. 13. amore, & odio *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Sed de hoc infra.

Ad ſecundum, omnino negandum, ſacris utriuſque fœderis Libris quidquam falſi, aut incredibilis contineri. Dicendumque, res illas omnes, quæ ibi ſcriptæ ſunt, non minus veras, atque credibiles eſſe, quam verum ſit, & credibile, ſcripturam eſſe verbum Dei. Quod quidem ex argumentis, in corpore articuli huius allatis, & verum certiſſime, & credibile etiam evidentiſſime eſt. Quare, ſi adverſariis ea nobis objicerent, quæ ex ſua propria ſignificatione manifeſte repugnarent vel veritati, vel honeſtati, non eſſet hoc conſequens: Ergo Scriptura non eſt verbum Dei. Sed ſequeretur hoc aliud: Ergo Deus in Scriptura aliquando loquitur figurate; aut certe alio ſenſu ab eo, quem præferunt verba. Nam hæc eſt regula, quam tradit Auguſtinus Lib. III. de doctr. Chriſt. cap. X. num. 14. Tunc a proprio ſacrorum verborum ſenſu ad translatitium eſſe diſcedendum, *cum ſermo divinus neque ad morum honeſtatem, neque ad Fidei veritatem proprie referri poteſt*. Cæterum eorum, quæ adverſarii nobis objiciunt, nihil eſt hujuſmodi; habentque omnia apud Patres, & ſacros Interpretes explicationes quam commodiſſimas. Nam quæ difficultas in eo, quod Angelus tum bonus, tum malus jumenti, aut ſerpentis

ora

Digitized by Google

ora moveat. & organorum defectum ſuppleat, ut voces, humanis ſimiles, edat; cum præſtent id etiam per corpora aerea, quæ quandoque aſſumunt? De quo vide S. Thomam p. 1. q. LI. a. 2. & 3.

Item, quod Deus condiderit Paradiſum voluptatis, qui deſcribitur Gen. II. 8. 9. &c. *Quod fluvius egrederetur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde divideretur in quatuor capita*, quorum nomina, primi Phiſon, ſecundi Gehon, tertii Tygris, quarti Euphrates: hæc ex rebus ipſis nullam habent difficultatem. Imo quæ difficultas oritur ex præſenti illorum fluminum curſu, & origine, Auguſtinus Lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. VII. num. 14. eam ſolvit ex ipſorum natura, & mutabilitate. Et quæ contra nos argumenta petuntur ex loco, apte cum præſertim diluvium interceſſerit refellit ex tempore; quo rerum mutationes factas eſſe maximas neceſſe eſt. Quod ſi verum eſſet quod ſentiunt alii, in ea Paradiſi deſcriptione aliqua intelligenda dumtaxat myſtice; dici poſſet mortalium non ſolum greſſibus, ſed etiam ingeniis Paradiſi locum clauſum velle Deus; & tam ne adiretur, quam ne cognoſceretur, cuſtodes appoſuiſſe Cherubim, *& flammeum gladium, atque verſatilem*. (Geneſ. III. 24.) Cherub alterum eſſet Moyſes, rerum iſtarum ſcriptor; flammeus gladius, atque verſatilis, eſſet ipſius calamus, ſeu ſermo, divinus ille quidem, *& penetrabilior omni gladio*; (Hebr. IV. 12.) ſed hac in re, ut volunt iſti, varius; & partim de re corporali, partim de re ſpiritali intelligendus. Quod Auguſtinus etiam expreſſe docet loco ſup. cit.

Illud etiam interdum mihi venit in mentem, Moyſem rerum earum imaginibus uſum, ut eximiam quandam loci pulchritudinem, amœnitatemque beato illi innocentium hominum ſtatui conſentaneam, accomodate ad captum noſtrum deſcriberet. Cum enim hominem, qui de terra eſt, non in Paradiſo conditum lego; ſed illuc tranſlatum a Deo. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis*. (Geneſ. II. 15.) ſimiliter, ut de Henoch legitur Gen. V. 24. *tulit eum Deus*. Et Eccli. XLIV. 16. *tranſlatus eſt in Paradiſum*: cumque illud præterea reputo, hominem ipſum, poſt peccatum, ejectum e Paradiſo, ac remiſſum in terram, ut qui *pulvis erat, in pulverem reverteretur*; (Geneſ. III. 19.) ſubit animo, Paradiſum illum locum fuiſſe, & eſſe non plane terrenum: quanquam in ipſum non ſolum adſpectus, ſed etiam acceſſus alicunde patere poſſit ex terra, niſi Angelorum opera prohiberetur. Idcirco nec noſtri generis ſive arboribus conſitum, ſive irrigatum fuiſſe fluminibus: licet ejuſmodi fuerint, quæ per hæc noſtra adumbrari, iiſdemque appellari nominibus recte potuerint.

Addi etiam valde probabiliter poteſt, fluvium illum, qui ut eſt Gen. II. 10. *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum*; fuiſſe Jordanem: quippe qui cum quatuor Paradiſi Fluminibus conjungitur Eccli. XXIV. 36. fortaſſe, quod olim vel occulte, vel etiam patenter, ut ſcilicet jucundior, & auguſtior Paradiſi eſſet aſpectus, ac ſpecies, ex illo originem ducerent. Nec temere, & prorſus divinando dici putarem, *locum voluptatis*, totam Palæſtinam fuiſſe; *Paradiſum* vero eam Palæſtinæ partem, quæ obtigit Tribui Judæ. Ut ibi fuerit vel Lignum vitæ, vel Arbor ſcientiæ boni, & mali, ubi Chriſto Redemptori Crux deinde poſita eſt. Certe fieri hæc omnia potuere, quod ſatis ad rem præſentem. Erit mihi peculiaris diſputatio de Paradiſo terreſtri, ubi de re hiſtorica divinæ Scripturæ: cuius ſpecimen hic etiam exhibeo in ſecundo Prolegomeno.

Similiter in eis, quæ de Diluvio memorantur Gen. VII. 11. 12. 19. 20. nihil eſt, quod abhorrere videri poſſit a vero. Niſi forte cum Seneca Lib. III. natur. quæſt. cap. XXVII. vi ſola naturalium cauſarum velis extitiſſe Diluvium. Quod prorſus negamus: tantum enim aquarum nec ex terra prorumpere, nec effundi de Cælo, niſi divinitus potuit. Auguſtinus Lib. III. de Gen. ad lit. cap. 1. num. 2. quæſt. x. in Gen. & Lib. XV. de Civit. cap. XXVII. aerem ipſum in aquas converſum cenſuit, ex illo II. Petri III. 5. 6. 7. *cæli erant prius, & terra &c.*

De extructione Babylonicæ Turris, quæ narrantur Gen. XI. 3. 4. &c. quamvis ex iis forſitan poetæ acceperint, quæ de prælio Gigantum commenti ſunt; tamen nec fabuloſum aliquid habent; aut habere poſſunt, nec præſeferunt. Quid enim non ve-

Digitized by Google

veriſimile, etiamſi ſcriptum diſerte eſſet, homines illos in animo habuiſſe, turrim ædificare, cuius culmen ad Cælum ipſum proprie, ac vere pertingeret? Nihil enim eſt, quod ſibi non arroget, nec fieri poſſe confidat, magna ſuperbia. Sic ille apud Iſa. XIV. 13. 14. diſerte dicebat: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum &c. ſimilis ero Altiſſimo*. Quæ cogitaſſe non minus ſane ſtultum, quam impium fuit. Cæterum, quod eſt Geneſ. XI. 6. *nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant*, illorum hominum animum ſatis declarat; uti etiam pœna culpam. Auguſtinus Lib. XVI. de Civit. cap. IV. & Caſſianus Collat. IV. cap. XII. utrumque perpendunt.

Denique in omnibus miraculis, quæ patrata feruntur a Moyſe, ut nihil ſupra Dei potentiam, ita nec ſupra fidem noſtram. Legatur tum de his, tum de aliis hactenus expoſitis Salianus in Annal. Vet. Teſt. præter ipſorum horum locorum interpretes Liranum, Toſtatum, Pererium, a Lapide, Bonfrerium, Malvendam, ac Recentiores alios. Propagationem totius humani generis ex Adamo, & ſubinde ex Noe adverſus Syſtemą Præadamiticum in Hollandia editum an. 1652. defendunt Jo. Baptiſta Morinus, & Natalis Alexander. hiſt. Vet. Teſt. diſſer. III. a. I. Computationes illæ, & periodi Chaldaicæ, AEgyptiacæ, Sinicæ &c. tum collidunt ſe mutuo; tum ex fidelioribus profanæ hiſtoriæ monimentis falſitatis convincuntur: parumque auctoritatis obtinent vel inter ſuos; nedum Sacris Literis, quarum divinitatem tot, tantiſque argumentis demonſtravimus, poſſint opponi.

Ad tertium, negandum pariter quicquam eſſe, aut eſſe poſſe in ſacris Libris, quod bonis moribus ullo modo repugnet. Ad illud porro Ezechielis, ſi ſermo eſt ibi de præceptis veteris Legis, ut placere videtur Gregorio Lib. XXVIII. Moral. cap. XVIII. num. 41. dicendum, *præcepta non bona*, idem eſſe, quod præcepta minus bona, ſeu minus perfecta, quam præcepta Evangelica. Hunc ſcilicet eſſe Hebraicæ Linguæ idiotiſmum, ac Scripturæ morem, cum duo comparat inter ſe, de illo quod poſtponit id negare, quod de altero prædicat; aut etiam, út ſupra monui, dicere quod plane contrarium ſit. Negantia, ſeu contradicentia ſunt illa: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium* Oſe. VI. 6. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. I. Cor. XV. 10. Contraria vero ſunt, ut dixit iam *Dilexi Iacob, Eſau autem odio habui* Malach. I. 2. 3. & Rom. XIII. 9. *Soluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ* ad Rom. VII. 6. Comparatur hic pariter Lex vetus cum nova. Quocirca poteſt hac regula plenius explicari, & intelligi id, de quo ſupra, *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Et quæ ibi ſequuntur v. 7. 8. & 9. *Si miniſtratio mortis fuit in gloria &c. quomodo non magis miniſtratio ſpiritus* Item, *ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria*. Verum probabilius videtur, quod ſentit Hieronymus in loco Ezechielis nobis objecto, quæ dicuntur *præcepta non bona*, non eſſe antiquam legem; ſed legem, quam accipiebant vel ab hoſtibus, vel a propriis cupiditatibus, quibus utriſque, abjecta Dei obedientia, ſerviebant. Nec novum eſt in Scriptura, id dare, facere, præcipere dici Deum, quod tantum permittit. Conſulantur de hoc Maldonatus, a Lapide, Sanchez, Calmetus in hunc Ezechielis locum; ac præterea Gabriel Vaſquez in I. 2. S. Thomæ q. XCVIII. a. I. ad I. Et rurſus a Lapide, aliique Interpretes in illud. II. Reg. XVI. 10. *Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David*.

Quod pertinet ad odium inimicorum, dicendum id veteri Lege, nuſquam præceptum, aut approbatum, aut permiſſum fuiſſe, ſed expreſſe prohibitum. Sic Exod. XXIII. 4. 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo*. Item Levit. XIX. 17. 18. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo &c. Non quæras ultionem nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Præterea IV. Regum VI. 22. Job. XXXI. 29. Proverb. XXV. 21. &c. In Deuteronomio autem loc. cit. vindictæ publicæ, ideoque divinæ Juſtitiæ miniſter conſtituitur propinquus occiſi: neque eſt ea res ad fovenda, aut exſaturanda odia; ſed ad avertenda, & punienda homicidia; Adde locum illud a quibuſdam ſic accipi, ut non præceptum id foret ſed tantum permiſſio;

Et,

Et ejuſmodi quidem permiſſio, quæ homicidii ultorem eximeret pœnæ, non culpæ. Lege Cornelium a Lapide in hunc locu m. Quod autem ait Chriſtus Dominus apu d; Matth. v. 43. *Audiſtis quia dictum eſt*, referendum non eſt ad veterem Legem, ſed ad perverſas Scribarum, & Phariſæorum additiones, & interpretationes. Ita S. Thomas in III. ſent. diſt. xxx. q. 1. a. 1. ad 2. Nec uſquam Chriſtus Dominus proprie correxit Veterem Legem, ſed *ad perfectum adduxit* (Heb. VII. 19.) Vide quæ in hanc ſententiam tum ex Patribus, tum ex ſacris interpretibus collegit F. Cherubinus a S. Joſeph in ſuis Prolegomenis Tom. I. diſp. VI. art. 4.

Præterea, ſpoliatio AEgyptiorum, quæ nobis objicitur furtum non fuit, cum ſupremi rerum omnium Domini juſſu facta fuerit. Vide Auguſtinum contra Fauſtum Lib. XXII. cap. LXXI. & LXXII. Idem dicendum de fœneratione. Niſi forte malis, hanc etiam permiſſionem ejuſmodi eſſe, ut qui fœneraret alienis, extra pœnam eſſet, non vero extra culpam. Oſeæ non eſt imperatum adulterium, aut fornicatio, ſed verum, caſtumque conjugium. Nec modo a culpa, & turpitudine abſuit factum illud; ſed ſanctum, & laudabile fuit; quoniam ut ait Auguſtinus in eodem Lib. cap. LXXX. *mulieri ad vitam corrigendam conſultum eſt; & figuræ ſacramentum expreſſum*. De Filiis autem inde a Propheta legitime ſuſcipiendis dicitur; fac tibi filios fornicationum; non ex præſenti, ſed ex præterito ejus mulieris ſtatu. De quo loquendi Scripturæ more conſule Ulloam de intellig. S. Script. decad. IV. Regul. 4. & Calmetium in hunc Oſeæ locum: Contra mendacium multa ſunt in Veteri Lege; ut Exod. XXIII. 7. *Mendacium fugies*. Levit. XIX. 11. *Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum*: & alia ſexcenta. Pro mendacio autem nihil prorſus. Ne illud quidem, quod Abraham, & Jacob mentiti ſint; ille Gen. XII. 13. hic Gen. XXVI. 19. 24. Nam primus a mendacio excuſat ſe ipſe Gen. XX. 12. Alter excuſatur ab Auguſtino, quod ea fecerit, & loquutus ſit in myſterio; aliter vero excuſatur ab aliis, ut videre eſt apud Pererium in hunc Geneſis locum. Sed & ſi excuſari non poſſent, nihil inde contra nos; neque enim Deo grati, & accepti dicuntur de illo. Quod pertinet ad Polygamiam; quamvis divina inſtitutio, & naturæ etiam jus ſit, unius viri eſſe uxorem unam, *erunt duo in carne una* Gen. II. 24. dicendum tamen aliquandiu in hoc diſpenſaſſe Deum vel cum omnibus, vel cum aliquibus. Vide Innocentii III. cap. *Gaudemus*. Extra. de Divortiis. Nec dubium, quin Deus hoc facere potuerit; ſive cum Bellarmino Lib. de Matrim. cap. 11. diſtinguas in jure Naturæ duo præceptorum genera primarium, & ſecundarium; & illa dicas eſſe tanquam prima principia, & continere honeſti regulam prorſus immutabilem; hæc vero tanquam concluſiones, & continere pariter honeſti regulam, ſed ex circumſtantia mutabilem. Sive dicas cum Averſa de Matrim. q. XIV. ſect. 1. Jus naturæ quidem eſſe omnino immutabile; poſſe tamen mutari materiam; ita ut aliquo poſito, vel omiſſo, non repugnet juri naturæ, quod cæteroqui repugnaret. Nam Polygamia vel adverſatur præcepto ſecundario, & mutabili; vel eſt in re ſeu materia mutabili.

Ultimo de pravis cupiditatibus, & cogitationibus dicendum, a vera tum novæ, tum veteris Legis intelligentia aberrantium duo eſſe inter ſe oppoſita extrema, unum Lutheri, & Calvini, & aliorum hæreticorum poſt ipſos, qui omnem prorſus animi motum in malum, etiam non deliberatum, imo & ſolius inferioris appetitus, lege vetari aiunt, atque eſſe peccatum. Contra quos eſt illud S. Pauli ad Rom. VII. 17. 20. *Jam non ego operor illud*. Et illud S. Jacobi I. 15. *Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum &c.* definitio expreſſa Tridentini Seſ. v. &c. Alterum extremum eſt Hebræorum; quorum plerique putarunt IX. & X. Decalogi præcepto *non concupiſces &c.* prohiberi ſolum actum, conatumque externum ad opus explendum cogitationem, voluntatemque pecandi etiam deliberatas eximebant a culpa. Falſam hanc, & abſurdam legis interpretarionem corrigit Chriſtus Dominus Matth. v. 28. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam &c.* Item Matth. XV. 19. 20. *De corde enim exeunt cogitationes malæ &c. Hæc ſunt quæ coiquinant hominem*. Redarguuntur etiam Proverb. XV. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ*. Sap. XIII. *Perverſæ cogitationes ſeparant a Deo*. Et aliis plu-

Digitized by Google

pluribus Teſtamenti Veteris locis.

Ad quartum; negandus omnis Scripturæ a ſe ipſa diſenſſus: & quod ſcribit Joannes, *Deum nemo vidit unquam*, intelligendum de viſione Dei clara, & aperta; quæ nec Jacobo, nec Moyſi, nec ulli hominum adhuc mortali conceſſa dicitur in Scriptura, ex communi fere Patrum ſententia. Quod ſi tamen alicui conceſſam putat; dices, Ioannem, negare ulli hominum viſum eſſe Deum, vel oculo corporeo; vel via, & lege ordinaria; vel ſuapte vi, & conditione propriæ naturæ; vel per comprehenſionem. In quos ſenſus ſcripſit Apoſtolus I. ad Tim. VI. 16. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Legantur S. Thomas p. 1. q. XII. a. 11. & 2. 2. q. CLXXV. a. 3. & q. CLXXX. a. 5. & ex Interpretibus Salmeron, & Maldonatus in hunc Joannis locum. Ad id quod additur de ſolis ſtatione, & retroceſſione, alterutrum ex his duobus reſpondeas: primum eſt lineas illius horologii notaſſe, non horas, ſed ſemihoras, aut quadrantes. Alterum eſt, retroceſſionem illam factam fuiſſe vel momento, vel ſolito majori celeritate. Utraque reſponſio fundamentum habet in optione, quam Iſaias fecit Ezechiæ, Utrum mallet, regredine ſolem, an progredi lineis decem. Et prima quidem reſponſio probabilis; quia uterlibet eligeretur, regreſſus, an progreſſus, fieri poſſe debuit, rege inſpectante. Secunda reſponſio probabilior; quia uterlibet eligeretur, hæc duo debuit habere, ut fieret ſub oculis regis, & eſſet miraculum. Progreſſus autem, ordinario motu factus, neutrum habuiſſet. Porro, utrumvis reſpondeas, dies Ezechiæ non æquat diem Joſue. Videantur aliæ explicationes apud Serrarium in Joſ. Sanchez in Iſa. Fraſſenium in Conciliatorio Biblico. Quod ſpectat ad Chriſti Genealogiam, ex Cornelio a Lapide, aliiſque probatis Interpretibus, teneri poſſunt hæc duo. Primum Jacob, qui ut eſt apud Matthæum fuit S. Joſephi pater, fratrem fuiſſe S. Annæ; & quod conſequens eſt, Mathan Jacobi patrem, fuiſſe communem avum S. Joſephi, & Deiparæ; huius maternum, paternum illius. Secundum, S. Joackim patrem Deiparæ, eundem eſſe, atque Eli, ſive Elciam, ſive Eliacim, nam hæc nomina promiſcue uſurpantur, qui habetur a Luca tanquam pater S. Joſephi non quidem naturalis ſed legalis titulo ſcilicet & affinitatis, & conſanguinitatis niſi etiam adoptionis ex more, & lege Hebræorum. His duobus poſitis: in deſcribenda Chriſti Genealogia, quæ inter Matthæum, & Lucam videtur eſſe maxima diſcrepantia, in ea eſt admirabile. & plane divinum artificium. Quandoquidem uterque Evangeliſta ita deſcribit genealogiam viri, id eſt Joſephi de more Hebræorum, & gentium aliarum, ut ſimul deſcribat genealogiam fœminæ, id eſt, Mariæ. Oſtenduntque ambo Chriſtum Dominum, ſecundum utrumque parentem Joſeph ſcilicet patrem exiſtimatum & Mariam matrem veram eſſe ex domo, & familia David. Et quidem ſecundum utrumque parentem duplici titulo, ſeu via. Siquidem Matthæus deducit Joſephum ex Davide naturaliter per Salomonem, Lucas eum indidem deducit legaliter per alterum Davidis filium Nathanem. Et rurſus Matthęus per Salomonem repetit ex Davide verum; & naturale genus maternum Deiparæ. Lucas autem indidem repetit verum, & naturale genus paternum Deiparæ per Nathanem. In quibus omnibus partim veterum, partem recentiorum explicationem ſequor. De aliis iſtiuſmodi pluribus Antilogiis, quæ Sacræ Scripturæ objiciunturlege Claudium Fraſſen in Conciliatorio Biblico, & Tirinum, qui de iis accuratum indicem texit, in fine Commentariorum ſuorum, Annatum appar. Theol. Lib II. ar. 13. & alios. Tandem ad id, quod additur de diſcrepantia Editionum dicendum ex art. 4. & 5. ſolam Latinam Vulgatam eſſe vere & proprie authenticam; nec in iis ſolum, quæ ad Fidem, & mores pertinent, ſed & in omnibus aliis. Ei igitur ſtandum, ubi pugnat cum aliis, ut in Chronologia 1. & 2. ætatis Mundi. Negandum vero ſecum pugnare, quod alibi reticet Cainam, quem alibi nominat: ſunt alia plura, & graviora in N. T. a Deo revelata, de quibus ſilentium in Veteri eſt. Lege Tirinum Chron. ſacr. cap. XIII.

Ad quintum, diſtinguendum aſſumtum: Scriptura probatur auctoritate Eccleſiæ apud eos, qui Eccleſiam agnoſcunt; & viciſſim Eccleſia probatur auctoritate Scripturæ apud eos, qui Scripturam recipiunt, concedo. Apud eos qui Eccleſiam non agno-

gnoſcunt, & Scripturam non recipiunt; iterum diſtinguo: Scriptura probatur auctoritate Eccleſiæ prius, & aliunde probatæ; & viciſſim Eccleſia probatur auctoritate Scripturæ prius, & aliunde probatæ, concedo: Secus: nego aſſumtum. Vitioſum eſſe circulum philoſophi docent, quando hoc probatur per illud, & viciſſim illud per hoc, apud eum, qui neutrum concedit: non vero ſi alterutrum ex iis duobus admittat, aut ultro, aut alia ratione coactus. Vitioſo circulo peccant adverſarii, qui ſpiritum privatum probant aliquot Scripturæ locis in eam ſententiam explicatis: quod autem ea Scripturæ loca ita ſint explicanda, non aliter probant, quam ſpiritu privato. Contra eos pugnat ſimilitudo duorum ſe mutuo efficientium; nobis vero favet. Quemadmodum enim docent philoſophi, non poſſe quidem duo ſe mutuo efficere, quantum ad primum eſſe, poſſe autem quantum ad eſſe ſecundum: Sic Eccleſia prius aliunde probata, recte probatur Scriptura; & viciſſim probata prius aliunde Scriptura, recte probatur Eccleſia. Eædemque auctoritate illa, quam utraque intrinſecus quidem, & ſecundum ſe habet a Deo, extrinſecus vero, & quoad nos habet ex propriis, & peculiaribus argumentis, teſtimonium ſibi invicem dant; & quidem in diverſo genere; Eccleſia; tanquam Fidei regula viva, & animata; Scriptura, tanquam Fidei regula muta, & inanimata: quo teſtimonio confirmant ſe mutuo, & quaſi reciproca actione ſeſe tuentur, atque conſervant.

At, inquies; argumenta illa, quibus primo probantur ſeu veritas Eccleſiæ, ſeu Scripturæ divinitas, fere eadem ſunt; immo & eadem prorſus. Eſto: quid tum? Non ſunt igitur, tanquam duæ cauſæ efficientes ſe mutuo; ſed tanquam duo effectus eadem ſimul ex cauſa manantes. Id hoc ſolum evincit, ex eodem antecedente utrumque conſequi, vel proxime, vel alterum ex altero, In quo ſane nihil vitioſi circuitus, aut abſurdi eſt. Ajo tamen cum ſint Eccleſiæ, & Scripturæ argumenta quædam communia, multa eſſe etiam propria, ut dixi, & peculiaria. Quod quidem facile apparebit conferentibus argumenta illa, quæ ſupra expoſui pro divinitate Scripturæ, cum iis, quæ pro veritate Eccleſiæ afferunt S. Thomas, Bellarminus, & alii ſupra memorati. Quanquam ut ſunt Eccleſia, & Scriptura inter ſe maxime junctæ, & connexæ, quæ propria, & peculiaria unius ſunt argumenta, ipſo illo, quo eandem approbant, & oſtendunt, approbent, oſtendantque ex conſequenti alteram quoque.

Inſtas vero: Scriptura non poteſt aliunde probari, quam per Eccleſiam. Profers illud Auguſtini, *Evangelio non crederem* &c. Reſpondeo primum, eam eſſe viam communem, atque ordinariam demonſtrandi prius veritatem Eccleſiæ, ac deinde divinitatem Scripturæ: Auguſtinum via illa uſum ſe profiteri. Reſpondeo deinde, Auguſtinum loqui de certis Scripturæ divinæ partibus; hæ vero quot ſint, & quæ ſint, ſolius Eccleſiæ eſſe definire, & ſtatuere; earumque canonem ſcribere. De quo dicemus art. III. ubi plura de Auguſtini mente in hoc loco.

DISPUTATIO SECUNDA.

Utrum non ſolæ ſententiæ Sacræ Scripturæ, ſed etiam ſingula verba Deum ſpeciali modo auctorem habeant, ac ſint vere divina.

Videntur res, & ſententiæ ſpeciali modo ad Deum; verba, verborumque ordo, & ſtructura ad ipſos Sacrorum Librorum Scriptores pertinere. Primo, ut contendit S. Agobardus in Libro contra Fredegiſum propter ſtyli diſſimilitudinem, quæ eſt in Sacris Libris; & locorum, quæ in alteris ex alteris citantur diſcrepantiam. Propter indecentem alicubi verborum neglectum, *ac ſermonis imperitiam*, quam de ſe fatetur Apoſtolus II. ad Cor. XI. 6. ac de qua veniam petit Scriptor Eccleſiaſtici in Prologo, & ſecundi Machabæorum XV. 39. 40. Quodque a divi-

na majeſtate, & dignitate non minus alienum videtur, propter frequentem poeſim, ac poeticum omnis generis cultum, & modum; nomina etiam profana, & fabuloſa, ut *Hyadum*, *Plejadum*, *Arcturi*, *Orionis* &c. Job. IX. 9. XXXVIII. 31. & Amos V. 8.

Secundo, quia Sacrorum Librorum Scriptores non mera inſtrumenta, & organa Spiritus Sancti; ſed veri eorum Librorum auctores fuerunt, & habiti ſunt, omnium conſenſu, Moyſes, Samuel, David, Salomon, & qui deinceps. Scripſeruntque iidem libere; quod & ſcribendo meruiſſe dicendi ſunt; & alicubi labores, vigilias, diligentiam, induſtriam, denique operam teſtantur, & commendant ſuam, ut Scriptor Secundi Machab. II. 27. 29. &c. & Paulus II. ad Cor. XI. 5. & 6. Liberum autem ipſis non fuit, quid ſcriberent; fuit igitur liberum, quomodo ſcriberent.

Tertio, quia, ut loquitur S. Gregorius Magn. Lib. IV. indict. 12. epiſt. XXXI. §. 3. *Scriptura Sacra eſt quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam*. Quod ait etiam S. Auguſt. Serm. II. in Pſalm. XC. n. I. & in Pſalm. CXLIX. num. 5. Ut autem Regis epiſtola proprie dicatur, neceſſe non eſt ab ipſo dictari; immo ſatis eſt, ejus & nomine ſcribi, & ſigillo obſignari. Sic Vulgata Editio Latina, tanquam Dei verbum, ac Fidei regula habetur; etiamſi, dictante Deo, ſcripta non ſit; Deique dumtaxat ſubſcriptionem, & ſigillum quodammodo præferat ex approbatione Eccleſiæ, & Tridentini decreto Seſ. V. Quod Concilium, quantum Editioni illi tribui voluerit, cognoſces ex Andræa Vega Lib. XV. de Juſtificat. cap. IX. §. 14. 15. 16. & aliis, qui Concilio interfuerunt, relatis a Mariana in Diſput. quam habet pro Editione Vulgata cap. XXI.

Quarto, quia non ſolum verba, verborumque ordo; ſed etiam res aliquæ, & ſententiæ ſunt ab ipſis Sacris Scriptoribus. Eæ primum, quas dictari a Deo ſupervacaneum fuiſſet, cum eas ſcirent, & ſcripturi fuiſſent ipſi per ſe; ut Lucæ I. 2. *ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt* &c. & I. Johan. I. I. *quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt* &c. Deinde, quas dictari a Deo non ſatis dignum; ſive quod nimis leves; ut illud Tob. XI. 9. *præcucurrit canis* &c. *& blandimento caudæ ſuæ gaudebat* & illud II. ad Timoth. IV. 13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas*. Sive quod parum decentes, aut etiam inverecundæ, & ſubturpes, ut convicium illud Pauli in Summum Sacerdotem Act. XXIII. 3. & in Cantico Cant. nonnulla. Sive quod dubiæ, & incertæ, ut Act. XXV. 6. *demoratus inter eos dies non amplius, quam octo, aut decem*; & alia plura ejuſdem modi ac præſertim ubi ſunt adverbia *forte*, & *forſitan*. Sive quod profanæ, atque ex ethnicorum libris citatæ; ut ex Arato, *ipſius enim & genus ſumus* Act. XVII. 28. ex Menandro. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava* I. ad Cor. XV. 33. ex Epimenide. *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri* ad Tit. I. 12. Tandem quod ſibi a Deo dictatum negat Apoſtolus I. ad Cor. VII. 12. *cæteris ego dico, non Dominus* &c.

Quinto, quia liber, Deo, nec inſpirante, nec dirigente, ſed ſola humana induſtria conſcriptus, per ſubſequentem Spiritus Sancti approbationem, ex profano fit Sacer, & Scriptura divina. Vel ſi approbatio non ſufficit, res ita poteſt conſtitui, ut non ſolum approbetur a Deo, ſed etiam elevetur, & aſſumatur ad ſignificationem ſupernaturalem, & ad myſticos Scripturæ ſenſus. Quo certe non ſolum auctoritatem, ſed proprietatem quoque obtineret Scripturæ divinæ; ac Dei verbum eſſet, non quidem origine, ſed quodammodo per adoptionem. Hoc autem quod fieri poteſt, quidni factum dicatur vel in Cantico Canticorum, vel in ſecundo Machabæorum; vel ſi minus in rebus, ſaltem in verbis divinæ Scripturæ? Nam certe liber in quo res & ſententiæ ſint a Deo per revelationem, aut inſpirationem; verba vero tantum ab ipſo approbentur; aut tantum non dictantur, eſſet Scriptura non ſolum canonica cujuſmodi ſunt definitiones Pontificum, & Conciliorum, ſed etiam divina, ac verbum Dei.

Sed contra eſt, quod eſt, II. Petr. I. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Et quod II. ad Tim. III. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt* &c.

Digitized by Google

&c. Item qui frequentiſſimus eſt in Sacris Litteris loquendi modus, *Hæc dicit Dominus*; vel, *Factus eſt ſermo Domini ad me dicens*; vel, *Factum eſt verbum Domini ad me dicens* &c. Et tandem quæ ſunt Exod. IV. 12. *Ego ero in ore tuo*. II. Reg. XXIII. 2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam*. Pſalm. XLIV. 2. *Lingua mea calamus ſcribæ*. Iſa. I. 20. *Os Domini locutum eſt*. II. 16. *Poſui verba mea in ore tuo*. & LII. 6. *ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum*. Jerem. I. 9. *dedi verba mea in ore tuo*. XV. 19. *quaſi os meum eris*. XXXVI. 2. *ſcribes omnia verba, quæ locutus ſum tibi*. Et ſimiliter Ezechiel. III. 4. 17. Matth. V. 18. X. 20. Luc. I. 70. Act. IV. 25. I. ad Theſſal. II. 13. Apocal. XIX. 9.

Respondeo hæc tria. Primum, Generatim inter Verbum Dei Incarnatum, & verbum Dei ſcriptum; ſive inter Incarnationem Verbi, & Divinam Scripturam magnam eſſe analogiam, ſeu convenientiam. Secundo, Quemadmodum ad unionem cum Verbo æterno aſſumpta eſt humana natura perfecta, atque integra; hoc eſt, anima, ejuſque omnes facultates; corpus, & corporis partes, etiam minimæ: ſic totam, atque integram Scripturam, tum ſecundum res ſive ſententias tum ſecundum verba, verborumque ordinem, minimaſque particulas, & apices, elevatam eſſe, & quodammodo aſſumptam ad divinam ſignificationem, ac ſpecialem relationem cum Verbo æterno. Tertio, Quemadmodum Chriſti caro de Spiritu ſancto; (ſeu melius ex, aut a Spiritu Sancto, cum loquimur de Chriſti carne, ut notat S. Thomas part. III. q. XXXII. art. 2.) ita etiam ſuo modo, de Spiritu Sancto, ſive ex ſpeciali Dei inſpiratione Scripturæ verba. Probantur tria hæc; auctoritate prius; & quoad ejus fieri poteſt, deinde etiam ratione. Et ſane loca Scripturarum, quæ proxime attuli, quod præ ſe etiam ferunt, ita exponuntur a Patribus, ut aſſertionem noſtram, ſecundum tres omnes partes non ſolum probent, ſed magis etiam declarent. Quod breviſſime oſtendo.

Quod attinet ad primam partem, inter Scripturam, & Incarnationem multa eſſe, quibus conveniat, diſerte docet Hippolytus Martyr; & alteram ex altera explicat in Lib. de Theolog. & Incarnat. contra Beronem, & Helicem cap. III. Idemque in homilia de Deo Trino, & Uno, & de Myſterio Incarnat. contra hæreſim Noeti ait, Deum *deprompſiſſe creaturæ Dominum ſenſum ſuum*, hoc eſt, Verbum, Prophetarum lingua, & ſcripto prius; deinde in carne mortali. Origenes pariter S. Hippolyti æqualis, & condiſcipulus homil. I. in Levit. *Sicut*, inquit, *in noviſſimis diebus Verbum Dei ex Mariæ carne veſtitum proceſſit in hunc mundum, & aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur: ita & cum per Prophetas, vel Legiſlatorem verbum Dei profertur ad homines, non abſque competentibus profertur indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita hic litteræ velamine tegitur. Ut littera quidem aſpiciatur tanquam caro, latens vero intrinſecus ſpiritualis ſenſus tanquam Divinitas ſentiatur*. In eandemque ſententiam ibi pluribus pergit: atque eadem ſcribit homil. V. in Levit. tract. XXVI. in Matth. & Lib. IV. cont. Celſum. Origeni hac quidem in re conſentit Ambroſius, qui Lib. VI. in Luc. num. 33. *Corpus*, inquit, *Filij Dei traditiones ſunt Scripturarum*. Et Lib. VII. n. 13. *veſtimenta Verbi ſermones ſunt Scripturarum; & quædam intellectus indumenta divini. &c.* Quod idem ſignificat; nam corpus indumentum quoddam ſpiritus eſt ſubſcribit etiam Hieronymus in Pſalm. CXLVII. 14. his verbis: *Legimus ſanctas Scripturas. Ego corpus Jeſu Evangelium puto .... Et quando dicit: qui non comederit carnem meam, & biberit ſanguinem meum; licet & in myſterio poſſit intelligi, tamen verius corpus Chriſti, & Sanguis ejus, ſermo Scripturarum eſt, doctrina divina eſt. Si quando imus ad myſterium: qui fidelis eſt, intelligit: ſi in maculam ceciderit, periclitatur. Si quando audimus ſermonem Dei, & ſermo Dei, & caro Chriſti, & ſanguis ejus in auribus noſtris funditur, & nos aliud cogitamus, in quantum periculum incurrimus?* Idem non modo confirmat Auguſtinus, ſed & rationem indicat, remque hanc totam ſubtilius examinat. Sic enim Lib. XV. de Trin. cap. X. num. 19. *Formata quippe cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt quod corde dicimus .... ſed cum id opus eſt in eorum, quibus loquimur, perferre notitiam, aliquod ſignum, quo ſignifi-*

cetur. Et plerumque ſonus. Aſſumitur autem non raro etiam ſcriptio: ſed utrumvis ſignum aſſumatur, eo ſigno verbum interius, tanquam corpore induitur, atque ita innoteſcit. Sic vero pergit Auguſtinus cap. II. num. 20. *Proinde verbum, quod foris ſonat, ſignum eſt verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen, Nam illud, quod profertur carnis ore, vox verbi eſt: verbumque & ipſum dicitur, propter illud, a quo ut foris appareret aſſumptum eſt. Ita enim verbum noſtrum vox quodammodo corporis fit*, (& idem dicendum de ſcriptione) *aſſumendo eam, in qua manifeſtetur ſenſibus hominum; ſicut Verbum Dei caro factum eſt, aſſumendo eam, in qua & ipſum manifeſtaretur ſenſibus hominum. &c.* Similiter in primo de doctr. Chriſt. cap. XII. num. 12. *Sicut cum loquimur, ut id, quod animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit ſonus verbum, quod corde geſtamus, & locutio vocatur; nec tamen in eundem ſonum cogitatio noſtra convertitur; ſed apud ſe manens integra, formam vocis* (aut ſcripturæ.) qua ſe manifeſtet, *ſine aliqua labe ſuæ mutationis aſſumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum eſt, ut habitaret in nobis*. Elegantiſſime pariter, congruentiſſimeque Ser. XXVIII. num. 5. *Intellectum*, inquit, *& profero ad te, & teneo apud me ... Intellectus manens in corde meo migrat ad tuum, nec deſerit meum. Verumtamen cum intellectus ineſt cordi meo, & volo ut inſit cordi tuo, quæro qua ad te tranſeat quaſi vehiculum ſonum*; (ſeu ſcripturam) *aſſumpto quaſi ſono*, (ſeu ſcriptura) *ei impono intellectum, & profero, & produco, & doceo, & non amitto. Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit Verbum Dei de carne ſua? Ecce enim Verbum Dei Deus apud Deum, Sapientia Dei manens incommutabiliter apud Patrem, ut procederet ad nos, carnem quaſi ſonum* (ſeu ſcripturam) *quæſivit; ei ſe inſeruit, & ad nos proceſſit, & a Patre non receſſit*. Sic pariter Serm. cxx. num. 2. & 3. & Serm. ccxxv. num. 3. Legendi præterea Theodoretus in Jerem. cap. XXXVI. Theodotus epiſc. Ancyran. in Concil. Epheſ. par. III. cap. x. Baſilius Seleuc. in Serm. de Deipar. Leo Auguſtus in Auctar. Biblioth. P. P. Tom. II. pag. 568. & 1673. Alchuinus in Eccle. cap. II. ſ. 7. Etherius, & Beatus Lib. I. adver. Elipandum tom. XIII. Biblioth. vet. P. P. Potho Prumienſis Lib. I. de ſtatu Dom. Dei tom. XXI. ejuſdem Biblioth. Bernardus in exhort. ad Milit. Templi cap. VII. num. 13. qui ſcilicet voce, & ſcripto quodammodo incarnari ſapientiam, & veritatem, & corpus aſſumere aiunt, quo ſe manifeſtet hominibus. Immo & quod eſt Joan. VI. 54. & 57. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis &c. Qui manducat meam carnem &c.* interpretantur, uti ſupra Hieronymus, de lectione, & intelligentia Scripturarum: eaſque expreſſe vocant, *Chriſti corpus, & ſanguinem*. Id vero non proprie; igitur analogice. Ut autem hi Hieronymum, ſic Auguſtinum expreſſit Thomas q. IV. de Verit. a. I. ad 6. ubi hæc: *Sicut vox manifeſtat verbum interius, ita per carnem manifeſtatum eſt Verbum æternum*. Et in primum ſent. diſt. XI. ar. I. ad. 4. *Filius ſecundum quod carnem aſſumpſit, habet ſimilitudinem verbi vocalis &c. Scripti* etiam, dicere potuit; nimirum eadem de cauſa. Auctoritati acceſſit ratio, quæ illa eſt, quam nobis ſuppeditant auctores citati, maxime Auguſtinus. Nam Scriptura eſt verbum Dei extra editum, ſive prolatum: ſeu, eſt locutio externa Dei. Verbum autem extra prolatum, ſeu proferatur voce, ſeu ſcripto, refertur ad verbum interius, ſive ad intimum mentis conceptum; & eſt ipſius quædam quaſi incarnatio, & corporatio; quo tegitur, ut appareat; veſtitur, ut reveletur; abſconditur, ut manifeſtum fiat. Quæ ipſa cum dicantur de vera, & propria Divini verbi Incarnatione, & humanæ naturæ aſſumptione, conſequens eſt inter Verbum Dei Incarnatum, & verbum Dei ſcriptum; ſeu melius, inter Incarnationem, & Scripturam magnam eſſe, quantum ad rem præſentem, analogiam, ſeu convenientiam. Quod erat primo loco propoſitum.

Quod ad ſecundam partem; hæc Patrum ſententia: Nihil non divinum, ſeu, nihil non divine ſignificans in tota Scriptura. Quæ dicuntur, quibus verbis dicuntur, quo ordine, atque artificio verborum; imo etiam quot ſyllabæ, quot litteræ, quot puncta, atque apices, nihil horum myſterio, nihil ſacramento vacuum. *Neque ſyllaba, neque apiculus eſt in Sacris Litteris,*

in

Digitized by Google

in cujus profundo non ſit grandis theſaurus, ait Chryſoſtomus homil. III. 18. 21. &c. in Geneſ. XLIX. in Johan. & alibi. Hieronymus pariter: *ſinguli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus, & ſpirant cæleſtia ſacramenta*, ſcribit in cap. VI. Matth. & III. ad Epheſ. & epiſt. XIII. & CIII. ad Paulin. Et ſic pariter ſcribunt, & docent Clemens Alex. in Admonit. ad Gentes, Origenes homil. II. in Jerem. cap. II. Baſilius in Iſa. cap. II. n. 70. & orat. I. de ſtruct. homin. num. 19. Gregorius Nyſ. orat. I. in ea verba, *Faciamus hominem* &c. Auguſtinus epiſt. CXXXVII. ad Voluſian. cap. II. n. 4. & cap. 5. n. 18. Etherius, & Beatus adverſus Elipandum loco ſup. cit. Bernardus ſerm. LXXII. in Cant. n. 6. ajunt enim, in *Sacris Litteris ne unum quidem apicem eſſe vacuum ſapientia Dei, nec modicam vacare particulam. Gravem eſſe blaſphemiam, ſi quis dicat, in iis eſſe verbum aliquod otioſum, aut redundans*. Denique ut ad ſubſiſtendum divine, ſive ad dignitatem hypoſtaticæ Unionis aſſumpta eſt *humana natura integra*; *ſic & Scripturam integram* erectam eſſe ad ſignificandum divine, ſive ad dignitatem divinæ locutionis. Atque hic etiam auctoritati adjicitur theologica ratio. Quia Scriptura eſt vera locutio Dei externa; ſeu vere eſt Scriptura divina. Hoc autem ſi eſt, habet hæc duo: primo ut docet Auguſtinus Lib. XV. de Trinit. cap. XI. n. 20. & locis aliis ſup. cit. ſpecialem habet reſpectum ad verbum æternum, quod eſt locutio Patris interior, & cui, ut docet S. Thomas p. I. q. XXXIX. a. 7. *appropriantur, ſive attribuuntur, quæ pertinent ad intellectum, etiamſi ſint toti Trinitati communia*. Deinde habet hunc ſpecialem reſpectum ad Verbum non ſolum in ſententiis, ſed etiam in verbis, verborum ordine, & compoſitione, minimiſque particulis: quia hæc locutionis, & Scripturæ ſunt quaſi corpus, & ad ejus partim eſſentiam, partim perfectionem; integritatemque pertinent, illæ autem, id eſt ſententiæ, ſunt quaſi anima; ideoque ut docet Clemens Alex. ſtrom. 6. *ex utriſque, tanquam ex anima, & corpore conſtat vera, & propria locutio, ſeu Scriptura*. Quod & Cyrillus, ſeu verius, Origenes homil. VI. in Levit. Conſequens igitur eſt, ut quemadmodum ad Unionem cum Verbo æterno aſſumpta eſt humana natura perfecta, atque integra; hoc eſt anima, ejuſque omnes facultates; corpus, & corporis partes etiam minimæ: ſic tota, atque integra Scriptura, tum ſecundum res, ſive ſententias; tum ſecundum verba, verborumque ordinem, & conformationem, ac minimas quaſque particulas, & apices, elevata ſit, & quodammodo aſſumta ad divinam ſignificationem, ac ſpecialem relationem cum Verbo æterno. Quod erat ſecundo loco propoſitum.

Tertia pars aſſertionis noſtræ eſt de cauſa efficiente, ſeu de principali auctore Scripturæ, ac potiſſimum verborum; nam de his ambigitur inter Catholicos; cum quibus præcipue hæc nobis eſt diſputatio. Quod igitur ſpectat ad verba Scripturæ, quæ *Chiſti caro* analogice dicuntur; de iis Scriptura ipſa, & ex illa Patres idem docent, quod de vera Chriſti carne. Ut enim ſcriptum eſt Matth. I. 20. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*: ita ſcriptum II. Petr. I. 21. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Et quæ alia plura ex Scriptura ſupra retulimus. Itaque Irenæus Lib. II. adv. Hæreſ. cap. XXVIII. n. 2. *Scripturæ*, inquit, *perfectæ ſunt, quippe a Verbo Dei, & Spiritu ejus dictæ*. Tertullianus Lib. de habit. mul. cap. III. *Legimus omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inſpirari*. Clemens Alex. in Admon. ad Gent. *ex quibus litteris, & ſacris ſyllabis compoſitas Scripturas Apoſtolus appellat* divinitus inſpiratus. *Os enim Domini Spiritus Sanctus ea eſt elocutus*. Athanaſius Expoſ. in Pſalm. CXVIII. 88. *Os Domini ſunt Prophetæ*. Hilarius Lib. II. de Trinit. n. 3. Verba Scripturæ *verba* vocat *Cæleſtia*; & in Pſalm. CXVIII. litter. 6. n. I. ea in Deum refert auctorem. Baſilius in libro de Spirit. Sanct. cap. I. n. 2. & in Pſalm. XXXVII. n. I. *verba, ac ſyllabas Scripturæ ponderari* vult, ea ratione *quod ſunt divinitus inſpirata*. Ambroſius lib. I. in Luc. n. 3. Sacrorum Librorum Scriptoribus *Divinum Spiritum & dicta, & res miniſtraſſe*, dicit. Auguſtinus eos vocat, *venerabilem ſtylum Spiritus Dei*, lib VII. Conf. cap. XXI. n. 27. & in Pſalm. LVI. n. 13. *Dominum loqui per Prophetas, eiſque dictaſſe, quæ loquantur*. Et Lib. II. contra Fauſtum, quæ ab iis ſcriptoribus dicta ſunt, *uno ore dicta eſſe*; & Lib. II. cont. Adverſ.

Digitized by Google

Legis, & Prophe. cap. IV. n. 13. *in Scriptura Deum ipſum loqui*, *confirmat*, imo *&* *ipſam Scripturam pro Deo uſurpari*, *quia Dei eſt*. Gregorius Magn. Præfat. in Job. cap. I. n. 2. *Ipſe*, inquit, *hæc ſcripſit*, *qui ſcribenda dictavit*. Quibus locis Deum, & ſpeciali quodam modo, Spiritum Sanctum non ſolum ſententiarum, ſed etiam verborum, Scripturæque adeo totius principalem auctorem vel faciunt expreſſe; vel ita loquuntur, ut id clare, & facile colligas. Adeſt hic pariter ratio; primum generalis, quæque ad ſuperiores etiam duas aſſertionis noſtræ partes aptari poſſit. Nam quod Scripturæ plurimum cum Incarnatione conveniat; quod in ea nihil ſit non plenum myſterio, divinoque ſenſu, & ſignificatione; & tandem quod ejus non ſolum ſententiæ, ſed verba etiam ſingula, ac textus verborum a Deo peculiariter ſint; hæc omnia ad majorem pertinent Scripturæ ipſius dignitatem, cui, quanto magis derogant, atque adverſantur hæretici, tanto impenſius oportet conſulere doctores Catholicos. Mihi ſic perſuaſum. Scripturæ tantum tribui debere, quantum tribuere licet. Hæc deinde eſt tertiæ hujus partis peculiaris, & propria ratio. Quia Scriptura, ut diximus, vere & proprie eſt verbum Dei, ſeu locutio ipſius externa. Ut autem locutio ac verbum interius, ſic etiam locutio ac verbum exterius, cujus verè, & proprie locutio ac verbum dicitur, ab eo proficiſci, & procedere debet. Cumque ut notat Clemens Alex. ſup. cit. locutio conſtet ex ſententiis tanquam ex anima, & verbis tanquam ex corpore; cujus vere, & proprie locutio ac verbum dicitur, ab eo proficiſci, & procedere debet, ſecundum utrumque. Brevius: verbi, cujuſcumque ſit generis, habitudo, ſeu relatio originis eſt ad dicentem, ſeu loquentem. Ac proprie loqui externe, eſt edere ſigna, quæ interiorem manifeſtent mentis conceptum. Hoc poſito, quamvis quicquid eſt a Deo extra Deum ſit a tota Trinitate, tribuenda tamen Scriptura ſpecialiter Spiritui Sancto, tribus iiſdem ferme rationibus, quibus, ut docet S. Thomas III. p. q. XXXII. a. I. *Spiritui Sancto tribuitur Conceptio Chriſti*, *quamvis eam operata ſit tota Trinitas*. Nam primo quod Creator loquatur, aut ſcribat ad creaturam ſuam res eſt maximi amoris. Secundo eſt ex gratia, & factum eſt per revelationes, inſpirationeſque gratuitas, & ſupernaturales. Tertio Scripturæ finis, & quo tota ſpectat eſt Chriſtus, *Sanctus Sanctorum*, (Daniel. IX. 24.) ut ait Auguſtinus in Pſalm. CXXXVII. n. 9. ex illo ad Rom. X. 4. *Finis enim Legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti*. Conſequens igitur eſt, ut quemadmodum Chriſti conceptio, ideoque & caro eſt efficienter de Spiritu Sancto, ita etiam ſuo modo, quem infra magis explicabimus, de Spiritu ſancto ſint efficienter Scripturæ non ſolum ſententiæ, ſed etiam verba, & quicquid ad illa pertinet. Quod erat tertio, & ultimo loco propoſitum.

Ad primum dicendum, ſtyli diſſimilitudinem, quæ eſt in Scriptura, non arguere diverſitatem cauſæ principalis; ſed inſtrumenti tantum, & organi: quibus, pro ſua bonitate, & ſapientia, ſic uſus eſt Deus; ut eorum, per quos locutum ſe dicit, captui, atque indoli loquendi modum attemperarit; & hac etiam in re gratiam accomodaret naturæ. Quod ipſemet non obſcure ſignificat Oſe. XII. 10. *Et locutus ſum ſuper prophetas*, *&* *ego viſionem multiplicavi*, *&* *in manu prophetarum aſſimilatus ſum*, & ad Hebr. I. I. *Multifariam*, *multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis*. Immo cum Sacrorum Librorum doctrina, & ſententiæ inter ſe prorſus conſentiant, ea ſtyli diverſitas admirabilem quemdam efficit concentum; ex quo potius contra adverſarios ipſos argumentum ducat: eorum librorum Scriptores, tanquam tibiam, aut citharam ex ſono ipſo, licet vario, & multiplici, arguas uno eodemque, ut ita dicam, ſpiritu imbutos, manuque pulſos fuiſſe; eaque cujus ſint, etiam agnoſcas; manum ſcilicet, & ſpiritum Dei.

Nec minus contra adverſarios facit, quod addunt, in Novo Teſtamento proferri interdum aliqua ex Veteri non parum mutata. Neque enim id unquam ex ſe auſi fuiſſent Apoſtoli, & Evangeliſtæ in Libros Veteris legis; neque ullo modo feciſſent, niſi Deo auctore: cui ſoli hoc licuit in Scripta ſua. Præſertim cum mutatio alicubi facta videatur non ſolum in verbo, ſed aliquatenus etiam in ſententia. Ut Matth. XXVII. 9. ex Zachar. XI. 12. & ad Rom. IX. 25. ex Oſe. II. 24. Quibus in locis, aliiſque non paucis eadem veritas non ſo-

lum

lum aliter veſtitur ad varietatem, ut ait Auguſtinus in Pſalm. XLVI. & CL. n. I. ſed pro opportunitate etiam magis, aut minus apparet, ut notat Hieronymus epiſt. CI. ad Pammachium. Atque hos Patres, & reliquos ſup. cit. oppono Agobardo, ex quo Adverſarii hæc nobis objiciunt.

Negandum præterea, quod ajunt de indecenti verborum neglectu. Primo quidem, quia in Græcis Pauli Epiſtolis, de quibus id maxime jactant Eraſmus, Calvinus, Beza, Caſtalio &c. etſi aliqua ſint, quæ cum Græcæ Linguæ legibus non ſatis cohæreant, quod quidem multi negant, ut videre eſt apud Johan. Henricum Majum in Diſſertationibus ſacris; nihil tamen eſt ibi ſive in verbis, ſive in ordine, quod non ſit maxime aptum ad ſignificandum. Immo earum Epiſtolarum eloquentiam prædicat Auguſtinus in quarto de Doctr. Chriſt cap. VI. ac VII. a num. 9. & quod, *imperitum ſermone*, ſe ſcripſit Apoſtolus, hoc dixiſſe probat, non ex ſua, ſed ex obtrectatorum ſuorum ſententia. Deinde; quid ſi rudis, incultus prorſus ut hominis parum Græce periti, fuerit Pauli ſermo, & aliorum quorumdam ex divinis ſcriptoribus? Nimirum huc etiam Dei Sapientia ſe benigne demiſit. Imperitiæ, ut legentium, ita & ſcribentium aptavit ſe ſe, & inflexit; matris inſtar, quæ balbutit cum filiolo ſuo. Quod ſic faciebat, & iis hominibus ita dictabat, ut eorum aliqui fortaſſe neſcierint, adhiberi ſe, moverique a Deo, tanquam illarum ſcriptionum inſtrumenta. Vel, ſi hoc ignorare non poterant, cum illud etiam ſcirent, attemperate ad proprium ipſorum, captum, uſum, peritiam, diligentiam quoque, & induſtriam verba ſibi, verborumque ordinem ſuggeri; tum confiteri, atque excuſare imperitiam ipſimet ſuam; tum ejus veniam petere poterant. Quod fecerunt Scriptores ſecundi Machab. & Eccli. Neque hoc dedecuit Deum. Immo ſic habendum; quemadmodum amoris ſummi fuit, eoque nomine Deum maxime decuit, humani corporis partes, etiam quæ minus ſeu nobiles, ſeu perfectæ, ſeu neceſſariæ, prorſus omnes aſſumi a Verbo; earumque opificem eſſe Spiritum Sanctum: ſic, quamvis in eo, quod Patres appellant Scripturæ corpus, ut *verbis*, *phraſi*, *ſtylo*, ſit aliquid humile, incultum, &, ſi vis etiam mendoſum, nam de hoc diſputabimus alibi; Deo tamen amoris cauſa decorum, & magnificum fuiſſe iis ipſis ingentis hujus corporis partibus includi ſub limes, divino ſque ſenſus; earumque auctorem & dici, & eſſe Spiritum Sanctum; ideſt, Amorem. Hoc amore quid mirum ſi Deus minus diſerte locutus eſt per aliquem ex Prophetis, qui in ipſa Verbi Perſona aliquando ſe infantem exhibuit? Legatur Auguſtinus Lib. II. de peccat. merit. & remiſ. cap. XXIX. n. 48. Serm. CLXXXIV. & CXC. num. 3. &c. Fulgentius Lib III. ad Traſymundum cap. XVIII.

Idem reſponderi poteſt de Poeſi: quanquam eſt animadvertendum, in humano ſermone ea nihil eſſe nobilius, aut Deo dignius. Illuſtratur maxime ab Auguſtino in Libris de Muſica, ac de Ordine. Etenim in Divinis primum Perſonis numerus eſt, & harmonia, ſive concentus; quem maxime efficere dicitur Spiritus Sanctus; qui cum amor ſit mutuus Patris, & Filij, ſeu potius amoris mutui fructus, ac terminus; amborum quoque *concordia*, *conſenſio*, *unitas* etiam vocatur a Patribus. Sic Auguſtinus Lib. VI. de Trinit. cap. V. num. 6. Tract. XIV. in Joan. num. 9. 18. num. 4. 39. num. 5. Quibus probatur, in Sacræ Scripturæ verbis nihil eſſe, quo minus videri poſſint dedecere Spiritum Sanctum, quam quod vincta numeris ſunt; cum ea re potius auctoris ſui characterem, atque indolem referant. Quod vero additur, de poetico omnis generis ornatu, id ſententiæ noſtræ magis adhuc favet. Nam ſi eſſe a Spiritu Sancto poeſis aliqua poteſt; non niſi a Spiritu ſancto eſſe poteſt poeſis tam culta, tamque perfecta, quam quæ eſt in Sacris Libris; in cujus ornatu majeſtas ubique & dignitas eſt, cujus artificium vere divinum: ut late oſtendam in tertia Summæ Biblicæ parte.

Nomina ſtellarum originalia non ſpectant ad fabulas, quæ nondum erant inventæ; ſed ad ipſarum ſtellarum naturam, aut proprietates; ut videre eſt in Textu Hebraico. Recte quidem, ut docent Baſilius, & Cyrillus in Iſa. XIII. 10. uſi ſunt Interpretes fabuloſis nominibus *Pleiadum*, *Hyadum &c. tunc uſitatis*, *& tritis*. Sed qui defendimus Hagiographis a Spiritu ſancto etiam verba eſſe dictata; ea quibus verbis in ſuam quique Linguam converteret, dictaſſe Spiritum Sanctum Interpretibus modo non defendimus. Verum

tum

tum de hoc, tum de ijs, quæ in Sacra Scriptura citantur ex ethnicis, dicam infra opportunius.

Ad ſecundum, diſtinguo quod primum nobis objicitur, Sacrorum Librorum Scriptores non fuiſſe mera inſtrumenta, & organa Spiritus ſancti: & ſi nomine meri inſtrumenti id intelligi volunt, quod in re efficienda nihil agit, niſi motum ab alio; nego, eos non fuiſſe mera inſtrumenta. Sin vero nomine meri inſtrumenti id ſolum ſignificant, quod tantum patiendo, non autem etiam agendo; aut tantum ex coactione, vel neceſſitate, non ſponte, & libere cauſæ principali ſubſervit; iterum diſtinguo: non fuere mera inſtrumenta divinæ Scripturæ, ſeu locutionis, ut hæc Spiritus Sancti opera prius exſtitit intra ipſos; nego. Non fuere mera inſtrumenta ejuſdem Scripturæ, ſeu locutionis, ut hæc extra ipſos manavit, atque eorum calamo, aut lingua edita eſt; concedo. Quoniam Trinitas tota, ac per appropriationem Spiritus Sanctus Scripturæ non ſolum ſententias, ſed etiam verba dictavit ut iam oſtendi; dicendum eſt Sacrorum voluminum Scriptores vel interiore, vel etiam exteriore aliqua locutione, vel quoque alio revelationis genere accepiſſe a Deo tum quod ſcribi, tum etiam quomodo ſcribi vellet. Et de modo quidem ſcribendi, eum Deo placuiſſe dixi, qui ad eorum ingenium, conſuetudinem, & interdum quoque, præſertim in re hiſtorica, qui ad proprium cujuſque ſtudium, diligentiam, induſtriam eſſet magis accomodatus. Ita ſermo divinus a Sacris ijs Scriptoribus conceptus mente, atque animo prius, quam voce, aut ſcripto prolatus. Et prolatus quidem libere; ex congruente ſcilicet Spiritus ſancti motione; quæ ſimul efficax eſſet, & ſolutum ijs relinqueret & ſcribere, & loqui. Conceptus autem ab ijsdem, fortaſſe non niſi *divina patiendo*, ut loquitur Dionyſius Lib. de div. Nom. cap. II. §. 9. & cap. 3. §. 2. de quo ſcripſi in Dionyſio Platonis Chriſtiani Dialogo præſertim Grad. 4. & 5. primi ſeptenarij.

Porro ex his planum eſt, quid ſit reſpondendum de reliquis. Moyſem nimirum, Samuelem, Davidem, Salomonem, & alios deinceps auctores quidem fuiſſe ſacrorum librorum. Hoc enim illis concedit Auguſtinus Lib. XVIII. de Civit. cap. XLI. num. 1. & 3. auctores vero fuiſſe, haud quaquam primarios, ſed tantum ſecundarios. Quippe cum Libros illos ex eo, quod habebant in mente licet id eſſet injectum divinitus, libere tamen exſcripſerint; in eoſque aliquid operæ, & nonnulli etiam non parum laboris, & ſtudij, ut eſt explicatum, contulerint. Præterea liberum ijsdem fuiſſe non ſolum quomodo ſcriberent, ſed etiam quid ſcriberent: liberum, inquam, non a præcepto, ac præſcripto Dei; ſed a coactione, & neceſſitate. Tum quia tam præclari operis merito ſpoliandi non ſunt; tum quia alijs etiam in rebus aliter moventur, atque tractantur a Deo inſtrumenta animata, eademque ratione, & conſilio prædita; aliter inanimata, quæque non ex electione, ſed ex neceſſitate agunt. Fuitque is error Priſcillæ, & Montani, Prophetas *in ecſtaſi locutos, nec ea, quæ dicerent, intelligentes, nec compotes ſui*. Referunt id, & impugnant Epiphanius Lib. II. Hæreſ. XXVIII. vel 48. a num. 2. Hieronymus in cap. I. Iſa. §. 2. & Prolog. in Nahum, S. Thomas II. II. qu. CLXXIII. a. 3. ad 4.

Dices; *Calamum ſcribæ* vocat David linguam ſuam Pſalm. XLIV. 2. Ita quidem, non quia non libere; ſed quia, Deo & ſententias, & verba dictante, loquebatur. Inſtabis; Convenit etiam Prophetis, alijſque divinorum Librorum Scriptoribus, quod de Apoſtolis, & Martyribus ſcriptum Matth. x. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Utique, convenit; ſed de utriſque intelligendum id eſt eo ſenſu, quo de ſe ipſo, deque ijs omnibus, qui aliquid ſalutariter agunt, ſcripſit Apoſtolus I. ad Corinth. XV. 10. *Non ego autem, ſed Gratia Dei mecum*. Scilicet, non quia hominis nullæ; ſed quia Dei principales, potioreſque ſunt partes. Recole quid ſanxerit Tridentinum ſeſ. 6. can. 4. In comparationibus, ut articulo ſuperiore monuimus, Scriptura quod poſthabet, aliquando etiam negat. Immo argumentum in adverſarios ipſos retorques; Libere locuti ſunt Apoſtoli, & Martyres coram tyrannis, eaque re optime meriti ſunt: idem igitur dicendum de Hagiographis quoque, Nec vero ita concludas: Ergo Scriptu-

ptu-

Digitized by Google

ptura non magis proprie eſt verbum Dei, quam ea, quæ apud reges, ac præſides locuti ſunt Chriſti martyres. Verbum enim, & locutio cujus vere, & proprie dicuntur, non ſolum ab eo eſſe debent; qua ratione tertiam aſſertionis noſtræ partem probavimus; ſed neceſſe præterea eſt, ab ipſo adhiberi ad patefaciendos mentis ſuæ ſenſus; de quo aſſertionis noſtræ pars ſecunda. Et poſterius hoc quidem deſuit Martyrum verbis, quo minus verba Dei poſſent vere, & proprie dici. Prius illud deeſſet Scripturæ, vel ex parte, ſi Deus ſententias ſolum, non etiam verba dictaſſet; ut volunt aliqui Doctores Catholici: vel ex toto, ſi Deus nec verba, nec ſententias dictaſſet; ſed humana dumtaxat ope, & voluntate prolata, per ſubſequentem approbationem, vel aſſumptionem, ex profanis ſacra, atque ex alienis ſua feciſſet: Quod partim contendunt, partim admittunt aliqui heterodoxi, ut Eraſmus, Grotius, Spinoſa, aliique Anomæos ſequuti. Sed de hoc in fine articuli plenius.

Ad Tertium; diſtinguendum primo quod affertur ex Gregorio, & Auguſtino; & quo citari etiam poterant Macarius hom. 36. Chryſoſtomus homil. 11. in Geneſ. & homil. 3. in 2. ad Theſſal. & alij. Scriptura eſt Epiſtola Dei, quibuſcunque, aut quoquo modo ad nos ſcripta; nego: eſt epiſtola ejuſmodi, quæ verbum Dei contineat, ut Schola loquitur, proprie, & formaliter, non auctoritative dumtaxat, aut moraliter; concedo Majorem. Et ſimiliter ad Minorem: ut regis verbi cauſa epiſtola proprie dicatur, & nihil aliud addatur; concedo, ſatis eſſe, ſi tantum ipſius & nomine ſcribitur, & ſigillo munitur. Nego vero id eſſe ſatis, ut regis epiſtola proprie dicatur, & ſimul addi poſſit, eam eſſe a rege dictatam; quod de Scriptura dicunt Patres nobis objecti, & alij, quorum teſtimonia ſupra produximus. Huc diſtinctio tota vertitur. Scriptura, Patrum teſtificatione, atque adeo ipſius Dei, non ſolum habet auctoritatem, & inſtar aliquod verbi Dei, ſeu locutionis divinæ; ſed habet etiam proprietatem, & rem ipſam. Verbum Dei non tantum extrinſecus, ſed etiam intrinſecus eſt. Ex hoc autem ut nobis eſt ducta ratio ejus tripartitæ aſſertionis, quam ſupra ſtatuimus; ita indidem petenda defenſio. Quod cuique per ſe promptum, & facile erit.

Ad exemplum Vulgatæ Editionis Latinæ, concedo equidem, quod affirmant, eam eſſe verbum Dei, ac Fidei regulam. Nego autem, quod & habent pro conceſſo, eam non eſſe a Deo dictatam. Vel perſpicuitatis cauſa diſtinguo: Non eſt dictata Interpreti, nec ijs verbis quibus ab illo eſt reddita; omitto, nam hoc etiam aliqui negant. Non eſt dictata Hagiographis, aut ijs verbis quibus eſt primitus ſcripta, nego. Sive Scholaſtice ſic. Non eſt dictata, formaliter; ac reduplicative ſumpta, omitto. Non eſt dictata, ſumpta materialiter, ac ſpecificative, nego. Neque enim Scriptura multiplex; ſed unius, ejuſdemque Scripturæ multiplex, ut ſic loquar, ſtatus, & modus. Primus, quod pertinet ad rem præſentem, eſt in mente Hagiographi, qui, ſi verum eſt, ut planum jam feci, eum accipere a Deo & ſententias, & verba, moverique ab illo, tanquam inſtrumentum ratione, ac libertate utens; profecto antequam ſcribat, aliquo modo cognoſcit, atque animo præcipit, ſibi quid ſcribendum, & quomodo ſcribendum ſit. Atque hæc verbi Dei ſcripti eſt prima informatio, & quaſi conceptus; cujus *principium activum eſt Spiritus Sanctus*; ferme uti de conceptu Chriſti ſcripſit S. Thomas p. III. qu. XXXII. art. 1. & 4. ex illo Luc. 1. 13. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c.* Secundus Scripturæ ſtatus, in quo verum habet Scripturæ modum, & ſuas omnes proprietates, ac perfectiones, eſt Textus Originalis, & potiſſimum quidem Autographum; id eſt, quo primum Hagiographus id, quod a Deo accepit, ſicut accepit, foras ſcripto protulit. Hæc Originalis, & Archetypa Scripturæ editio, quamvis principium ſui activum, & quidem liberum, habeat etiam in homine, ejus tamen primarius, ac principalis auctor eſt Deus: ab eoque eſt & dictante, ad eamque ſcribendam & congruenter movente Scriptorem, & cum illo ſpecialiter concurrente; ea nimirum intentione, ſive conſilio, ut mentem ſuam, quatenus ipſi viſum eſt, ijs ſignis a ſe per alium productis, manifeſtet hominibus. Tertius denique ſtatus, & modus ſunt Interpretationes, ſive, quas vocant Verſiones. Inter quas primum hodie locum obtinet Latina Vulgata, quam

pro authentica habendam decrevit Concilium Tridentinum Seſ. 4. decr. de edit. & uſu Sacr. Libr. Quo decreto non ei dedit, ut verbum Dei, ut Fidei regula, & authentica eſſet intrinſecus, & ſecundum ſe; ſed quod erat declaravit; eaque declaratione, ſive ſanctione, illa omnia extrinſecus, & quoad nos ipſi dedit, vel confirmavit. Erant autem illa omnia extrinſecus, & ſecundum ſe; quia licet alio idiomate, eſt eadem tamen, atque illa, quæ, Deo dictante, eſt primitus ſcripta. Quo fit, ut etiam dictata a Deo vere dicatur; nec ſolum dictata, ſed ſcripta etiam *digito Dei* qui, ut ex Gregorio Nyſſeno, Hieronymo, Auguſtino, exponit Cornelius a Lapide in Exod. VIII. 19. *eſt ipſe Spiritus Sanctus*. Scripta, inquam, digito Dei, non in Latinis Codicibus, neque in Hebraico Græcoque exemplari; ſed in mente primorum Scriptorum, quibus, nova ſpecierum vel immiſſione, vel diſpoſitione, aut alio quovis modo impreſſit, atque indidit Deus, & ſcribi quæ vellet, & quibus verbis, quoque verborum ordine ſcribi.

Andræas Vega, & qui alii in oppugnatione citantur, quod ajunt in iis, quæ Fidei, ac morum non ſunt, erraſſe interdum Vulgatum Interpretem; neque hanc fuiſſe Concilii mentem, interpretationem Latinam, in Eccleſia receptam, cum Textu originali, & primigenio ubique conſentire cum id non ſolum ad verba, ſed ad ſententias quoque pertineat; excutiendum eſt Art. 5. Nobis hic ſatis eſt illud defendere, Vulgatam Interpretationem, quatenus vere, & proprie eſt verbum Dei, eatenus eſſe etiam a Spiritu Sancto dictatam. Nam ſi iis, quæ ad Fidem, & mores non pertinent, habet aliquem errorem, aut lapſum Interpretis, quod ſuo loco videbimus; verbum Dei erit quidem ſimpliciter, ſecundum quid vero non erit. Quod iis etiam, qui nobis hæc objiciunt, eſt concedendum; cum eam negent a Concilio uſquequaque ſive omni prorſus ex parte etiam minima, fuiſſe approbatam.

Ad Quartum, retorquendum argumentum in adverſarios; ex quibus, qui Catholici ſunt, etſi negent, dictante Deo, ſcripta eſſe Sacra Volumina; eodem tamen ſpecialiter aſſiſtente, ac dirigente ſcripta eſſe concedunt. In rebus autem aliunde notis, atque teſtatis hæc etiam ſpecialis directio ſupervacanea videri poſſit. Reſpondendum directe, Deum illa etiam dictaſſe, quia voluit ea teſtari ipſemet ore ſuo; voluit præterea ea non utcumque deſcribi, ſed talibus verbis; iiſque verbis, & non aliis ſubjicere voluit myſticos, divinoſque ſenſus. Convenientiſſimum autem fuit quæ verba Deus aſſumebat ad ſignificandum divine ab eo ſpecialiter inſpirari.

Quod additur, in Scriptura eſſe aliqua levia, ita eſt diſtinguendum: Sunt aliqua levia, ſi & ſeorſim ſpectentur, & unice ſecundum eum ſenſum, quem litteræ præferunt; omitto: ſin vero conſiderentur ut ſunt cum aliis conjuncta, & maxime ſecundum repoſtos, arcanoſque ſenſus; prorſus nego. Nam ut ait ſæpe Chryſoſt. & alij Patres ſup. cit. *Neque ſyllaba, neque apiculus eſt in Sacris Litteris, in cujus profundo non ſit grandis theſaurus*. Sicdentium, unguium, capillorum alia eſt habenda ratio, cum ſunt in corpore, ad cujus integritatem, decoremque pertinent; alia vero cum ab eo ſunt ſeparata, & abſciſſa. Et quæ cæteroquin eſſent parvipendenda per ſe, iiſdem aſſumptis a Verbo ſummus eſt honor habendus.

Convicium illud, cujus meminit adverſarius, non dicimus, Deo inſpirante, prolatum a Paulo; ſed, Deo inſpirante, relatum a Luca. In quo nihil non decens. In Cantico Canticorum nihil turpe, aut inverecundum, ſive in eo, quod per allegoriam ſignificatur, ſive in allegoria ipſa; hæc pudica, illud ſanctiſſimum eſt. Legendum tamen monemus eſſe non omnibus, ſed iis tantum, quos ætas, doctrina, in primis vero mores incorrupti commendant, animuſque ab omnibus pravis affectionibus, impuriſque imaginibus liber. Nam, ut ait Apoſtolus ad Tit I. 15 *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens, & conſcientia* &c. & I. ad Cor. II. 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur*. Ejuſmodi homines ſunt, quotquot hoc diviniſſimum Canticum impie traducunt, & calumniantur, ut ex antiquis Theodorus Mopſueſtenus, ex recentioribus, præter Anabaptiſtas, Beza; Caſtalio, maxime autem

Gro-

Digitized by Google

Grotius non ſolum Catholici, ſed etiam Chriſtiani nominis hoſtis, eo pernicioſior, quo diſſimulatior, qui ut in Prophetarum libris, eorum dumtaxat temporum hiſtorias, & nihil niſi humanum; ita hic Salomonis tantummodo nuptias, & nihil niſi partim profanum, & partim etiam obſcœnum videt. Lege Huetium demonſt. Evangel. propoſit. IV. & VII. *Animalis, Spiritum non habens*! (Jud. XIX.) Cæterum quemadmodum eo, quod eſt Gen. II. 24. *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una*, ſignificari decuit magnam illam, atque admirabilem conjunctionem, quæ eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam, ut ex Apoſtolo ad Epheſ. V. 31. 32. docent Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophilactus, Oecumenius &c. ita hic *Sponſi*, & *Sponſæ*, *Dilecti*, & *Dilectæ* nominibus, & amatoriis quidem, ſed honeſtis eorum collocutionibus, atque congreſſibus Chriſti pariter in Eccleſiam ſuam amorem, & ſanctiores, ac ſublimiores quaſque Dei communicationes cum hominibus ſignificari, indecorum, a Deoque ipſo alienum non eſt. Scilicet ex ijs, quæ nota homini ſunt, divino Amori repræſentando nihil eſt aptius, nullus, ut ita dicam, vividior, ac luculentior eſt color, quam amor humanus. Ita duo iſti Amores, quamvis ſæpe diſſideant, & contrarii ſint inter ſe multis, ſunt tamen indole ſimiles; ortus, progreſſus, exitus, in ſuo uterque genere, non admodum diſpares habent.

Verum de his alibi etiam. Nunc quæ reliqua ſunt in oppugnatione. Minus definite, & expreſſe referuntur aliqua, quia eatenus illa patefieri, tenerique voluit Spiritus Sanctus; fortaſſe, ut ad receptam inter homines narrandi ac loquendi rationem ſeſe accomodaret. Vide Ulloam de Intellig. Sacræ Script. Decad. I. Reg. 6. §. 11. n. 52. Accomodate pariter tum ad Sacros Scriptores, tum ad eorum lectores, vel auditores aliqua citantur ex ethnicis Arato, Menandro, Epimenide: & ita quidem citantur, ut non ſolum proferantur, vel utcunque memorentur a Deo per ſacros ipſos Scriptores; ſed etiam ab eodem aſſumantur, atque eleventur ad ea nobis manifeſtanda, aut edicenda, quæ nobis per illa Deus manifeſtare, aut edicere voluit. Ita eadem dicta, ut ſunt apud profanos ſcriptores, quia ab ipſis ſunt, & ex ipſorum mente ſignificant; verbum hominum ſunt, ac ſcriptura dumtaxat humana: ut autem ſunt apud Scriptores Canonicos, quia ibi a Deo ſunt, atque ex ipſius mente ſignificant; verbum Dei ſunt, ac Scriptura Divina. Tandem quod ſcribit Apoſtolus, *cæteris ego dico, non Dominus*; eo non negat, ſe loqui, Deo inſpirante; cum verſ. 40. caput illud ita concludat: *puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*, negat ſolum, quod ibi tradit, vim præcepti obtinere. Ac ſimile eſt illi, quod ſcribit ibidem verſ. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do*. Ita in hunc locum vulgo Interpretes.

Ad Quintum; verbum, ſeu locutio exterior, aliquo vero, atque apto modo, a loquente edi, aut proferri debet, ut verbum, & locutio ipſius proprie dicatur. Ad generalem enim verbi notionem id pertinet, ut *inter ipſum, & dicentem relatio originis* intercedat. Ita S. Thomas I. ſent. diſt. XXVII. q. II. a. 2. Cont. Gent. Lib IV. cap. XIII. De Verit. q. IV. a. 4. ad 7. eaque communis eſt perſuaſio. Deinde ut verbum, & locutio exterior alicujus proprie dicantur, ab ipſo illo eo dirigi debent, ut iis cum quibus loquitur, manifeſtet per illa interiorem animi ſenſum, ſeu mentem ſuper re aliqua ſuam. Quod pariter notat S. Thomas p. I. q. XXXIV. a. I. De Verit. q. IV. a. I. Lib. IV. cont. Gen. cap. XIII. Atque hæc pariter ſententia communis omnium. Præterea verbum, ſeu locutio externa Dei, ab ipſo per Prophetas, alioſque ſanctos viros, aut voce, aut ſcripto edita, ad divinam cognitionem, ac Verbum interius, cui reſpondet, & ad quod ſpeciali modo refertur, etiam ſimilitudine aliqua accedit. Nam, quemadmodum Deus cognitione ſua ſimul omnia comprehendit; atque in Divinis unum eſt Verbum, qua Pater omnia loquitur; ſic etiam habet id peculiare, ſupra aliam omnem, Divina Scriptura, ut uno, eodemque loco, ex mente Dei, auctoris ſui, multa ſignificet. Non ſolum enim præter Litteralem, quem vocant, alii ſaltem tres ſunt ejus myſtici ſenſus, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus; ſed Litteralis ipſe quandoque ad plura, & diverſa pertinet. Notat hæc S. Thomas p. I. q. I. a. 10. de Potent. q. IV. a. I. Quodlib.

Digitized by Google

lib. 7. 16. &c. Et nos declarabimus in hac Quæſt. art. 7. Egregie Gregorius Magnus Lib. XX. Moral. cap. 1. n. 1. *Sacra Scriptura omnes ſcientias ipſo locutionis ſuæ more tranſcendit: quia uno, eodemque ſermone dum narrat geſtum, prodit myſterium*. His poſitis, atque ex ſecunda, & tertia aſſertionis noſtræ partibus in mentem revocatis, planum eſt, quid reſpondendum ſit ad ea, quæ hic objiciuntur. Nam primo, liber ex profano ſacer non fit, & Scriptura Divina; per ſubſequentem Spiritus Sancti approbationem; propterea quod illi deeſt tum Divina origo, tum Divina ſignificatio, quæ ambo propria ſunt Divinæ Scripturæ; ex quibuſque verbi Dei ſcriptum Verbo Incarnato eſt illa analogia, & convenientia, quam generatim primo, deinde per partes oſtendimus. Nam qui librum ab alio ſcriptum approbat, non continuo illius auctor fit, aut dici poteſt. neque illum adhibet ad ſignificandos animi ſui ſenſus, mentiſque conceptus. Quod ſi liber humana dumtaxat voluntate, & induſtria, aut Deo ſolum jubente, aſſiſtente, dirigente, non etiam dictante, aut iloquente conſcriptus, elevetur a Deo ipſo ad ſignificationem divinam, etiam arcanam, ac myſticam, & quodammodo adoptetur; diſtinguendum eſt: nam ſi ita adoptetur, ut Deus ea ipſa, quæ jam ſcripta ſunt, alicui dictet, eaque vel per ſe ſolum, vel per alium ſcribat aut eloquatur; eſſet is liber, quoad ſecundum hoc *Eſſe*, ut ita dicam, ſeu ſtatum, vere, & proprie Scriptura Divina, ac verbum Dei ſcriptum: atque ejuſmodi ſunt aliqua Scripturæ loca ſumpta ex libris profanis, aliiſque non authenticis. Immo ejuſdem fere modi eſt Secundus Machabæorum, qui cum compendium ſit quinque librorum Jaſonis Cyrenæi, ut conſtat ex cap. 11. 24. aſſumptus dici poteſt ex jam extantibus; ſed ſic aſſumptus, ut non ſolum divina ſignificatione donatus a Deo ſit, ſed ab ipſo etiam Breviatori dictatus. Sin vero liber aliquis ſic adoptetur a Deo, ut ab illo accipiat quoquo modo dumtaxat ſignificationem, non vero etiam originem; erit is quidem liber verbum Dei, ac Scriptura Divina, extrinſecus, & æquivalenter, ut ajunt; non autem intrinſecus, & omni ex parte formaliter.

Quid jam de libro, in quo res, & ſententiæ eſſent a Deo per revelationem, aut inſpirationem; verba vero, verborumque ordo a Deo tantum approbentur, aut tantum non dictentur? Ad naturam, proprietateſque ſcripturæ, ſeu locutionis divinæ is quidem liber quam maxime accederet, ſed ea non plene, perfecteque aſſequeretur; quandoquidem eſſet ejus ſcripturæ, ſeu locutionis origo, ſecundum animam divina, ſecundum id vero, quod in ea eſt veluti corpus, humana. Illud tenendum breviſſime: Sacram Scripturam eſſe vere, & proprie verbum Dei, ac Scripturam Divinam, tum ſignificatione, ſeu ſenſibus; tum proceſſione, ſive origine; quod in ſecunda, ac tertia aſſertionis noſtræ parte probatum, ac declaratum eſt: Atque ex his ambobus inter ipſam, ac Divini Verbi Incarnationem magnam eſſe analogiam, ſeu convenientiam, quod in prima parte aſſertionis. Non ſolum Definitiones ſummorum Pontificum, & Conciliorum, ſed aliam quamcumque Scripturam excogitare libeat, ſi uſque eo non pervenit; quatenus illuc non pervenit, eatenus a natura, & proprietate verbi Dei, ac Scripturæ Divinæ diſtare, & differre.

DISPUTATIO TERTIA.

Utrum ii omnes, & ſoli Sacræ Scripturæ Libri, quos recenſet Concilium Tridentinum in eo Decreto, quod eſt Seſ. IV. *ſint Canonici.*

NOn videtur. Primo, quia verbum Dei eſt tanquam lumen, quod per ſe ipſum ſe manifeſtat: ſequitur ergo, ut Divinæ Scripturæ judicium ex ſola ipſa Scriptura faciendum ſit, non ex Conciliorum, aut Romanorum Pontificum decretis.

Secundo, quia Scripturarum divinitas

habet

habet quædam etiam ſua propria argumenta, Doctores ſuos, ſuos Martyres, & ſua miracula, & alia, quæ notavimus art. 1. in primis vero Prophetarum vaticinia, quæ qui impleta videat, ei expectandum non eſt Eccleſiæ judicium, ut ſcripturas illas credat eſſe divinas.

Tertio, quia qui Libri ſunt vere Canonici, eos verbum Dei continere, atque eſſe Fidei regulam, credere debemus Fide divina: ergo etiam ex divina revelatione. Atqui de aliquot ex iis Libris, quos memorat Tridentinum loco cit. nulla eſt ejuſmodi revelatio, ſive in ipſis, ſive alibi uſquam; illi igitur non ſunt vere Canonici.

Quarto, quia Eccleſia non efficit, ut liber Canonicus ſit; ſed id tantum declarat: libri igitur illi qui aliquando Canonici non fuerunt, nec modo Canonici ſunt. Multi autem ex Libris, quos numerat ibi Tridentinum aliquando Canonici non fuere: ergo neque in præſenti Canonici ſunt.

Quinto, quia, ne de aliquibus ex iis Libris id declarari potuerit, obſtat auctoritas non ſolum Synagogæ, verum etiam Eccleſiæ ipſius, quæ quidem quod olim reprobavit, nunc approbare non poteſt. Tum autem Canon Hebræorum, tum etiam Concilium Laodicenum, & aliqui ex antiquioribus Patribus, in primis vero Hieronymus, per quem in hujuſmodi re Eccleſia ipſa loqui cenſenda eſt, ut habemus ex Can. *Sancta Romana* &c. diſt. xv. Libros aliquos eorum, quos approbat Tridentinum, inter apocryphos rejecere.

Sexto, quia multa, & gravia iis obſtant etiam intrinſecus. Libro Tobiæ, quod ſibi non ſatis cohæreat, ubi de loco in quo habitabat Gabelus: Libro Judith, quod ſatis conſtare non poſſit ratio temporum, quæ ibi ſignificantur: & tandem aliis alia.

Septimo, quia Eccleſia non poteſt nunc reprobare, quod approbavit olim, immo quod approbavit Deus ipſe per ſe. Præter illos, igitur, quos enumerat Tridentinum Canonici ſunt habendi Liber Henoch, Liber Bellorum Domini, Liber Juſtorum, & alii ad duodeviginti, quos Deus ipſe in Canonem quodammodo retulit, cum eos in Sacra Scriptura expreſſe citarit. Item Appendix quædam ad Librum Job, Præfatio Threnis Jeremiæ præfixa, & hujuſmodi alia, quæ aliquando videntur ab Eccleſia uſu ſaltem ipſo recepta. Maxime vero Tertius Machabæorum, Tertius pariter Eſdræ; cum de illo ſit apud Clementem Canon Apoſtolorum 84. hunc vero antiqua Concilia, & Patres, tanquam partem habuerint duorum priorum Eſdræ Librorum, qui Canonici, & quidem primi ordinis ſunt.

Sed Contra eſt auctoritas ipſa Tridentini, quod Seſ. 4. peculiari decreto, quot, & quos Libros, *pro Sacris*, *&* *Canonicis ſuſcipi*, velit, expreſſe definit.

Reſpondeo, eos omnes, & ſolos Libros, quos loco citato recenſet Tridentinum, hoc eſt 45. ex Vet. Teſt. 27. ex Nov. omnino 72. eſſe Canonicos. Probatur id iis omnibus argumentis, quibus contra recentes Hæreticos & probatur veritas Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & Concilii Tridentini auctoritas aſſeritur. Nam liber Canonicus eſt ille, in quem conveniunt hæc duo: Primum quidem, ut ſit divinus, hoc eſt, ut Deum ſpecialem auctorem habeat; alterum vero, ut pro divino receptus ſit, relatuſque in Canonem a vera Chriſti Eccleſia. Liber, qui primum habet, ex his duobus non continuo habet ſecundum. At contra qui habet ſecundum, & primum habet. Cum enim vera Chriſti Eccleſia in iis, quæ ad Fidem pertinent, errare non poſſit; atque id ad Fidem maxime pertineat; immo & Fidei dogma ſit, unum ex præcipuis, & ut dixi, fundamentum cæterorum; quem librum pro divino recipit, ac refert in Canonem ſuum vera Chriſti Eccleſia, Liber ille eſt vere divinus. Sed Eccleſia Catholica Romana, quæ ut alibi probatur, eſt vera Chriſti Eccleſia, recipit pro divinis, ac refert in Canonem ſuum eos omnes & ſolos Libros, qui recenſentur in memorato Tridentini decreto: ut decretum illud legentibus eſt manifeſtum: Conſequens igitur eſt, ut omnes, & ſoli illi Libri, quos ibi recenſet Tridentinum, ſint Canonici. Quod erat propoſitum.

Ad primum, inſiſtendum in eadem ſimilitudine, qua Lutherani, Libertini, aliique adverſarii nos oppugnant. Nam quemadmodum lumen neque alia a ſe, neque ſe ipſum oſtendit, niſi ſit convenienter admotum; ſic Dei verbum, ſeu divina Revelatio, ſive illa ſit ſcripta, ſeu tradita; quantum neceſſe eſt ad Fidem, non apparet, niſi ſit rite propoſita. Eam vero

ſic

ſic proponere; Eccleſiæ eſt: ut late docent Irenæus Lib. III. adver. Hæreſ. cap. II. III. & IV. & Auguſtinus Lib. II. de doctr. Chriſt. cap. VIII. n. 12. Lib. XIII. contra Fauſtum cap. IV. & Lib. XXVIII. cap. II. & IV. Item Lib. I. contra Creſconium Donatiſt. cap. XXXIII. num. 39. Idemque ſignificare voluit, cum ſcripſit cont. Epiſt. Fundam. cap. V. n. 6. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas*. Denique definitum id eſt in Concilio Toletano I. Can. XII. his verbis: *Si quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas, præter eas, quas Eccleſia Catholica recipit, in authoritate habendas, vel eſſe venerandas, anathema ſit*. Eodemque pertinere docent Interpretes, quod eſt I. ad Timoth. III. 15. *Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*. Non quod divinos Codices dumtaxat aſſervat, ut interpretatur Calvinus; ſed quod divinis Codicibus per illam debitus honor, ac ſua apud nos auctoritas conſtat. Vide Cornelium a Lapide, & Benedictum Juſtinianum in hunc Pauli locum. Ratio theologica illa eſt: nam, ut hoc Pauli teſtimonio, & aliis Scripturæ locis oſtenditur, Eccleſia eſt Fidei regula viva; quo ad Scripturas ita ſe habet, ut in omni bene conſtituto regimine ad leges, vel publicas alterius generis tabulas habet ſe vivus Judex, Magiſtratus, aut Princeps; ad quem, ubi de illarum ſenſu, aut vi controverſia incidat, de iis pertinet judicare. Quo in judicio ſignificatio, atque auctoritas ipſis non datur; ſed, quam aliunde habent, exponitur, atque expeditur. Neque in eo major ſubjicitur minori, quod nobis ſuccenſent Hæretici; quod enim in eas exercetur, judicium non eſt auctoritatis, quo nimirum Scripturæ ipſæ, vel leges corrigantur, aut refingantur: judicium eſt diſcretionis, quo explicentur, ac veræ, & genuinæ, a falſis, & ſuppoſititijs ſecernantur. Uno verbo; neque ſcriptura, neque lex judex eſt ſui. Verum de hoc plenius, & enucleatius Art. 8.

Unum illud addo, miram eſſe in hoc etiam analogiam, ſeu convenientiam inter Verbum Dei Incarnatum, ac Verbum Dei ſcriptum, vel etiam traditum. Etſi enim Verbum Incarnatum eſſet *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, ut eſt Iohan. I. 9 tamen ut eſt ibi pariter VI. VII. VIII. *Fuit homo miſſus a Deo &c. ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Et poſtea quam hæc vera lux ſe ſatis ipſa manifeſtam ſe iſſe videri poterat tot tantiſque miraculis, aliiſque admirandis operibus, Apoſtolos tamen ſui pariter teſtes adhibuit; ſic enim ſcriptum eſt Johan. XV. 24. 27. *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt &c. vos teſtimonium perhibebitis de me &c.* & quidem apud illos ipſos etiam, qui ea opera viderant. Quod eſt expreſsè Act. I. 8. *eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria* &c. Ex quo ſatis firma, & clara reſponſio.

Ad ſecundum; Deum eodem fere providentiæ genere uſum erga Divinam Scripturam: ut, quamvis *lucerna ſit, & lumen* (Pſalm. CXVIII. 105. II. Pet. I. 19) tamen etiam de lumine hoc teſtimonium perhiberi voluerit; nec ſolum iis argumentis, quæ propria ipſius Scripturæ decem enumeravimus in primo Articulo; Verum etiam Eccleſiæ definitione. Quamobrem ſcriptum Pſalm XCII. 5. *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*.

Dicendum deinde, iis ſolis argumentis, quorum mentio eſt in oppugnatione, neque quoad numerum, neque quoad integritatem divinorum librorum quidquam certi, ac definiti a nobis poſſe conſtitui. Expectandam proinde de hoc ſaltem fuiſſe Eccleſiæ ſententiam.

Dicendum præterea duas eſse claſses, ſive ordines divinorum Librorum. Unos quidem dici Protocanonicos, de quorum divinitate nulla unquam inter Catholicos controverſia fuit; alteros vero Deuterocanonicos, de quibus intra Eccleſiam ipſam aliquando eſt dubitatum cujuſmodi ſunt ex Veteri Teſt. Tobias, Iudith, Eſther, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, Danielis pars, primus, & ſecundus Machabæorum. Ex No. Teſt. Pauli Apoſt. Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Iacobi, ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Iohannis, Epiſtola Iudæ, Apocalypſis. Atque inter hæc computari etiam poſsunt caput ultimum Marci, Hiſtoria de ſudore Chriſti Sanguineo, & de Angelo qui ei apparuit Luc. XXII. 43. 44. item Hiſtoria mulieris adulteræ Johan. VIII. 3. &c. & teſtimonium de Trinitate I. Johan. V. 7. Argumenta porro illa decem, quæ diximus, priorum dumtaxat Librorum divinitatem directe, & per ſe proxime oſtendunt:

Digitized by Google

dunt: poſteriorum autem oſtendunt ea ſolum ratione, quod per Libros primi ordinis probatur veritas Eccleſiæ Catholicæ Romanæ: ex hac veritate autem probatur divinitas librorum ſecundi ordinis. Quare de Libris Deuterocanonicis, qui præcipue in hac quæſtione oppugnantur, expectandum omnino fuit, quid pronuntiaret Eccleſia. Protocanonicos vero, & omnino quorum divinitas, per ea dumtaxat argumenta, poteſt ita cognoſci, ut amentis ſit de illa dubitare; ſi quis ſit, qui hac via, & ratione eam tam certo cognoſcat; poteſt is ſtatim libros illos pro divinis ſuſcipere; immo etiam debet; certe non poteſt rejicere. Similiter ut, Deo privatim aliquid revelante, faciendum theologi docent in Tractatu de Fide, ſic vero in re noſtra faciendum, adeo non nego, ut in primo articulo ſatis indicarim, cum iis, quos ad Fidem adducimus, & informamus, utrovis modo agi poſſe; ut vel demonſtretur ipſis Religionis, ſive Eccleſiæ veritas prius; eique veritati aſſentientibus, ex ea poſtmodum demonſtretur Scripturarum divinitas. Vel viceverſa prius oſtendatur Scripturarum divinitas, eaſque ut divinas recipientibus exinde oſtendatur Religionis, ſive Eccleſiæ veritas. Nimirum prout ipſis magis congruere viſum fuerit. Ajo tamen, quamvis Scripturæ pars maxima habeat ſua illa argumenta, ſigna, notas, quibus ipſius divinitas ſatis eluceat; eaque publica ſint, immo ſint etiam, ut aliqui volunt, exterior quædam Dei locutio, ac revelatio; cum tamen ea non omnes æqualiter vel conſiderent, vel percipiant; ut Libri illi recipiantur ab omnibus, ac de ipſorum divinitate non ſcientia ſolum ſit qualiſcunque, aut certa notitia, iis argumentis parta; ſed vera etiam Fides, eaque non tantum theologica, ſed communis omnium, & catholica ſit; de qua Fide intelligi poteſt Auguſtini locus ſæpe citatus; quę præſens eſt providentiæ ratio, iis quoque Libris Eccleſiæ judicium, ac teſtimonium fuiſſe neceſſarium.

Dicendum denique; his non evinci, Tridentini decreto adverſari licere. Aliud eſt enim, Eccleſiæ definitionem non ſemper eſſe expectandam; aliud vero eſt, Eccleſiam hæc definiendo falli, aut fallere potuiſſe. Quod tamen niſi probatur, contra nos in re præſenti nihil probatur.

Quocirca quod hic nobis objicitur, quamvis, ut vidimus, in eo multa ſint excipienda, totum tamen adverſariis poteſt in hac quæſtione permitti: vel, antecedente præterito, ita diſtingui conſequens: expectandum non eſt Eccleſiæ judicium, ut Scripturas illas credat eſſe divinas, aſſenſu veræ Fidei, nec ſolum theologicæ, ſed etiam catholicæ; quæ talis denominatur ſaltem extrinſecus ex Eccleſiæ propoſitione nego conſequentiam. Alio quovis mentis aſſenſu, eam concedo.

Duo hic animadverto, antequam ad tertium progredior. Primum, Eccleſiam ad hanc veritatis lucem, in qua modo verſatur, a Spiritu Sancto non ſubito, ſed paulatim, & gradatim eſſe perductam. Acceſſu temporum ab ea definita eſſe multa, & credi nunc Fide divina, quæ primis Eccleſiæ ſæculis dubia & controverſa fuere. Sic Juſtorum animas corporibus exutas, & ab omni peccati labe purgatas, ante univerſalis judicii diem in Cælum recipi, ibique *una cum Chriſto regnare*, negarunt aliqui etiam ex Sanctis Patribus, atque ii maxime, qui non quidem Cerinthi, ſed Papiæ Millenarium amplexi ſunt, ut Juſtinus, Irenæus, Lactantius, Victorinus, & alii. Immo negatum eſt a quibuſdam orthodoxis Scriptoribus multo etiam recentiore memoria: donec in Conciliis Florentino ſeſ. ult. & Tridentino ſeſ. 25. contrarium decretum eſt. Atque hujuſmodi ſunt alia plurima: ut liceat hic etiam eodem modo diſtinguere, ac Fidei noſtræ dogmata, alia quidem Protocatholica, alia, ut ſic loquar, Deuterocatholica nuncupare. Tenendam porro hanc, & doctrinam, & ſimilitudinem. Quippe quæ ad objectas difficultates vel repellendas, vel explanandas, ſi ſcite tractetur, plurimum valeat. Si enim Scripturarum divinitas lumen eſt, quod per ſe ipſum ſe manifeſtat; ita & Catholicorum dogmatum veritas. Argumenta decem ſua propria habet illa? Habet hæc & ipſa illa decem, & alia plura item ſua propria. Pari modo, & ratione de utraque expectandum, vel non expectandum Eccleſiæ judicium: utrobique veriſſimum, atque certiſſimum, & Fidei regulam habendum. Reliquis, quæ infra objiciuntur eandem doctrinam, & ſimilitudinem aptare per ſe quiſque facile poterit.

Illud

Digitized by Google

Illud præterea notandum videtur; quamvis Eccleſia intrinſecus, & ſecundum ſe auctoritatem habeat a Deo, qui ipſi ſpecialiter adeſt, eaque, tanquam animato inſtrumento, atque organo, & viva Fide regula utitur; extrinſecus tamen, & quoad nos, auctoritatem habere ab iis argumentis, qu bus veram nobis ſe probat; quibus argumentis ea magna ex parte includuntur, quæ, complurium ſaltem Sacræ Scripturæ Librorum divinitatem, etiam directe, ut dixi, & per ſe proxime oſtendunt. Quorum igitur Librorum divinitas iis argumentis oſtenditur, qui eos Libros recipiat tanquam divinos, iis argumenti adductus, eo ſe dicere poteſt adductum Eccleſiæ auctoritate. Immo & dicere poteſt, eſſe ſibi ab Eccleſia aliquo modo propoſitos Libros illos, de quorum eſt divinitate iis argumentis convictus. Quod etiam fortaſſe intelligi voluit Auguſtinus cum ſcripſit loco ſup. cit. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas*.

Ad tertium, conceſſis aliis negandum eſt deeſſe divinum teſtimonium, quo Libros eos omnes, Deum ſpecialem auctorem habere, atque eſſe Fidei regulam, credamus Fide divina; & in quod ea Fides, ut loquuntur, proxime reſolvatur. Porro neceſſe non eſt, a nobis oſtendi, quo loco, & tempore, quave ratione Deus teſtatus id ſit. Satis eſt, de hoc teſtimonio nobis eſſe ita certum, ut de illo ſaltem prudenter dubitare nequeamus. Eſt vero ita certum, ex hoc ipſo Tridentini decreto: quod ſcilicet, ut aliæ omnes veræ Eccleſiæ definitiones, ſimul eſt & aſſertio ejus rei, quæ nobis credenda; & propoſitio, ſive applicatio revelationis, propter quam res illa nobis credenda; & in quam proxime, ut dixi, Fides noſtra reſolvitur. Cæterum, ut plenius etiam adverſariis de hac re ſatisfiat, iis reſponderi poteſt, hoc Dei teſtimonium, ſeu revelationem eſſe vel ipſam Eccleſiæ definitionem, quod theologi aliqui defendunt. Vel ſi id non placet, eſſe ipſam illam inſpirationem, ſuaſionem, locutionem, ac demum id omne, quo Deus, qui Eccleſiam ſuam ſingulari modo gubernat, ac regit, illam adduxit, ut hæc definiret. Quæ quidem ad Eccleſiam fortaſſe ſe habent, tanquam locutio interior, & formalis quam vocant: ad nos vero habere ſe poſſunt tanquam locutio externa, & inſtrumentalis, quæ ſolum ut cognita fidem facit, ac mentis aſſenſionem obtinet. Quod ſi ne id quidem dicendum videtur; neque in hac re nova ulla revelatio interceſſit; præſto eſt antiqua, ſi minus ſcripta; at certe tradita; quam ſcilicet Tridentini Patres acceperunt ab Iſidoro Lib. VI. Origin. cap. I. & a Gelaſio I. in Concilio Rom. His vero ab Auguſtino Lib. II. de doctr. Chriſt. cap. VIII. n. 13. Auguſtinus a Concilio Cartag. III. Can. 47. Hujus vero Concilii Patres ab Innocentio I. in epiſt. ad Exuperium cap. VII. Innocentius autem, ut ex ipſius verbis apparet, ab aliis ſuperiorum temporum, qui tandem eam ab Apoſtolis accepere.

Addo, revelationem hanc, ſeu teſtimonium Dei de divinitate horum omnium Librorum nobis, non ſolum per traditionem, ſed etiam ſcripto datum. Etenim, ut Theologi ſcholaſtici communi ſententia in tractatu de Fide luculenter probant ex ipſomet actu Fidei; verbum Dei iis, quibus eſt moraliter certum, eſſe verbum Dei, virtualiter, & ſimpliciter, ſive, ut iidem etiam loquuntur, exercite dicit ſe ipſum. Quocirca revelatio, ſeu teſtimonium divinum, de quacunque re ſit, ac ſive ſcriptum, ſive traditum ſit; quibus eſt moraliter certum eſſe revelationem, ſeu teſtimonium Dei; iis per ipſam illam ſcripturam, ſeu traditionem eſt etiam revelatum, atque teſtatum a Deo. Quo fit, ut iiſdem ex hac parte promptiſſimum ſit, divinitatem illius ſcripturæ, ſeu traditionis credere Fide divina; cum ſcripturarum, traditionumque divinitas res ſit ejuſmodi, ut qui de illa ſunt moraliter certi, eo ipſo ſint moraliter certi de illius divinitatis revelatione, teſtimonioque: revelatione, inquam, & teſtimonio ſcripto, ſi eſt iis moraliter certa ſcripturæ divinitas, tradito autem, ſi moraliter eſt iis certa divinitas traditionis. Itaque, *Hæc dicit Dominus* &c. *Factum eſt ad me verbum*, *ſermo Domini dicens* &c. & ſimilia, quæ in multis Divinæ Scripturæ libris ſunt expreſſe, in omnibus ſunt abſcondite: ſic tamen abſcondite, ut queant optime legi; non quidem ab omnibus, quemadmodum Lutherani, aliique Hæretici volunt: ſed ab iis, quibus eorum librorum divinitas eſt moraliter

ter

Digitized by Google

ter certa: ideſt, vel per Eccleſiam, vel per argumenta illa, unde etiam Eccleſia auctoritatem ſuam extrinſecus, & quoad nos habet; rite propoſita.

Ad quartum, diſtinguendum inter librum Canonicum in actu primo, ut loquuntur, & ſecundum ſe; & librum Canonicum in actu ſecundo, quoad nos. Liber Canonicus dumtaxat in actu primo, & ſecundum ſe, eſt omnis liber divinus, hoc eſt, qui Deum habet auctorem ſpecialem; quemamodum in ſuperioribus articulis eſt explicatum. Liber Canonicus etiam in actu ſecundo, & quoad nos, eſt ille, qui pro divino receptus eſt, relatuſque in numerum divinorum librorum a vera Chriſti Eccleſia. Ac de his agitur modo. Propterea dicendum, Eccleſiæ quidem non eſſe id efficere, ut liber Canonicus ſit in actu primo, & ſecundum ſe: eſſe eius id declarare, ſeu definire: declarando autem, definiendoque id efficere, ut liber Canonicus ſit in actu ſecundo, & quoad nos. Omnes quidem libros, quos recenſet Tridentinum, ab initio Eccleſiæ, immo a prima ipſa origine ſua, Canonicos fuiſſe in actu primo, & ſecundum ſe: non omnes tales fuiſſe etiam in actu ſecundo, & quoad nos. Nam ſi tales fuiſſent omnes, de nullius divinitate licuiſſet unquam homini catholico dubitare. Nec diſtinguerent Theologi inter libros Protocanonicos, & Deuterocanonicos. Quæ tamen diſtinctio uſurpata ab omnibus, & a nobis ſupra expoſita eſt.

Quæri poteſt, in re præſenti quid differat, liber Canonicus a libro Authentico. Reſpondeo, librum Authenticum hic eſſe illum, qui divinam habet auctoritatem. Diſtinguendum porro hic quoque inter librum authenticum dumtaxat intrinſecus, & ſecundum ſe; & librum authenticum etiam extrinſecus, & quoad nos. Primo modo authenticus eſt hoc ipſo, quod Deum habet auctorem ſpecialem. Ac proinde liber ſecundum ſe authenticus, & liber ſecundum ſe canonicus hic ſunt prorſus idem. Liber ſecundo modo authenticus eſt, ſi eſt ab Eccleſia receptus, ſeu, pro divino habitus. Quod ſi non utcunque receptus, ſed inſuper ab illa relatus in Canonem ſuum; hoc eſt lata lege in catalogum divinorum librorum aſcriptus, is non ſolum authenticus, ſed etiam canonicus eſt. Quare proprie, & per ſe aliquanto latius patet nomen authentici: quam canonici. Nunc vero, cum Eccleſia libros eos omnes, quos recipit, expreſſe nominarit; eorumque indicem accuratiſſimum in memorato Tridentini decreto extare voluerit; libri quoad nos authentici, & quoad nos canonici ſunt iidem.

Ad quintum, dicendum, quod Græce ἀπόκρυφον *apocryphon* dicitur, Latine verti, *abſconditum*. Quæ ſunt nomina negantia. Quare liber apocryphus proprie eſt ille, de cuius auctoritate non conſtat. Sive, ex dictis; eſt ille, qui qualiſcumque ſit ſecundum ſe, quoad nos neque canonicus, neque authenticus eſt. Aliquando tamen vox eadem minus proprie uſurpatur, atque ex negante fit affirmans; cum librum apocryphum eum appellamus, quem Eccleſia non ſolum non habet pro divino; ſed, tacito, vel expreſſo judicio, habet pro non divino. Quo magis vere, ac proprie ab ea reprobari, quam ſolum inter apocryphos cenſeri, dicitur. His explicatis, negandum, librum ullum ex iis, quos approbat Tridentinum, fuiſſe unquam a veteri Synagoga, aut, quod eſſet abſurdius, a Chriſti Eccleſia vere, & proprie reprobatum. Concilium Laodicenum, ut auferret ex hominum manibus libros fabuloſos, ac noxios, qui plurimi tum ferebantur, & obtrudebantur tanquam divini, ſapienter fecit, quod una cum iis alios etiam legi vetuit, quorum ſatis nondum erat explorata, aut declarata divinitas; cujuſmodi erant eo tempore aliqui ex iis quos ſuſcipit Tridentinum. Hieronymus vero, & qui alii aliquos pariter ex his libris dixerunt, apocryphos, vel loquuti ſunt proprie, atque, ut aiunt, in ſenſu negativo; vel, ſi minus proprie, & in ſenſu etiam poſitivo: tantæ auctoritatis non ſunt, ut æquiparari iis poſſint & Patribus, & Conciliis, & Romanis Pontificibus, per quos divina hujus rei revelatio & conſervata ſemper eſt, & traditione perpetua, atque iteratis declarationibus ad nos uſque perlata. Ut vidimus in reſponſione ad tertium. Porro quod eſt in Canone *Sancta Romana* &c. quos libros Hieronymus rejicit, ab Eccleſia ipſa rejici, intelligendum eſt, non de libris Sacris; ſed de libris aliquorum Doctorum, ut Origenis, Ruffini & alio-

rum. Ita Bellarminus Lib. I. de Verbo Dei cap. x.

Ad ſextum, dicendum primo, quorum librorum divinitas vel proxime iis argumentis oſtenditur, quibus etiam Eccleſiæ veritas; vel oſtenditur, Eccleſiæ ipſius auctoritate interpoſita; propterea quod in iis aliqua ſint, quæ ſatis a nobis intelligi, aut explicari nequeant; & impii, & ſtulti eſſe illos rejicere. Nam cæteroqui rejici poſſent libri etiam protocanonici; quibus, ut in primo articulo vidimus, nihilo leviora, & faciliora, objiciuntur, quam quæ hic aut de loco Gabeli, aut de Iudithæ tempore. Dicendum deinde, hæc ipſa commode enodari, ſi dicas ad primum quidem vel duas fuiſſe Rages in Media, in quarum altera habitaret Sara, in altera Gabelus; vel, nomine Rages, in uno Tobiæ loco ſignificari urbem ipſam. in altero agrum, ſeu territorium. Ad alterum vero, quæ narrantur in Libro Iudith, contigiſſe ſub Manaſſe Judæorum, & Merodacho Babyloniorum regibus. Hunc vero etiam Nabuchodonoſor, communi fortaſſe ejus gentis regibus nomine, appellatum. Nec tamen eum fuiſſe, qui Hieroſolymam expugnavit. & Iudæos in ſervitutem abduxit; ſed ipſius proavum. qui Babylonicum, ſeu Chaldaicum imperium fundavit rex etiam Aſſyriorum ideo dictus Iudith 1. 10. quod majorem ejus regni partem occuparit. Verum de his & hujus generis aliis, quæ libris Deuterocanonicis objici ſolent, conſule Interpretes: ad quos tum hic, tum in primo articulo adverſarios allegare potes optimo jure; & quæ ibi contra omnes veræ Religionis hoſtes, hic potiſſimum contra recentes hæreticos ſtabilivimus, quibus argumentis in utriuſque articuli Reſponſione probata ſunt. iiſdem tueri, & defendere.

Ad ſeptimum, in his quidem, quæ ad Fidem, ſeu Dogma pertinent, concedo antecedens, quod aliis in rebus eſt falſum. Nam aliis & temporibus, & circumſtantiis alia ſæpe conveniunt, vel non conveniunt.

Conſequentis vero cum tres ſint partes, ad primam reſpondeo. Librum Henoch, Librum bellorum Domini, & alios quorum meminit adverſarius, interiiſſe: de iiſque ſolum, qui extant, eſſe Tridentini decretum, & aſſertionem noſtram. Erant libri illi in actu primo, ut ſupra locuti ſumus, ſive intrinſecus, & ſecundum ſe fortaſſe canonici. Et, niſi tales antea fuerant, tunc facti ſunt, cum eos Deus ipſe citavit. Facti, inquam, ſunt tales, non quidem ex toto, ſed ea tantum, qua citati ſunt, parte; ſimiliter ut de Arato, Menandro, Epimenide in ſecundo articulo diximus; ac docet Auguſtinus Lib. IV. in Numer. quæſt. XLII. Canonici vero in actu ſecundo, extrinſecus, & quoad nos, ſive, quoad totam Eccleſiam, vel Synagogam non tunc facti ſunt, cum a Deo citati ſunt; ſed cum tales facti ſunt Libri illi, in quibus citantur.

De appendicula Iobi, & aliis, quæ in altera parte conſequentis, negandum ullo vero, & proprio modo ab Eccleſia Catholica recepta unquam fuiſſe tanquam divina. Probatur id maxime ex Tridentino, quod, ſi iſtorum aliquid olim fuiſſet ab Eccleſia receptum, utique retinuiſſet, & aliis annumeraſſet. At, inquies, retinuit, annumeravit; veniuntque iſta in Indice ſub nomine Iobi, & Hieremiæ. Sed ſi in Indice ſunt, quid iſtis probas, eſſe alias Scripturæ partes canonicas, præter eas, quas recenſuit Tridentinum? Cæterum dico hæc ab eo Indice excludi. Nam Tridentinum ſuſcipi quidem vult Iobum, Hieremiam, & alios libros, quos numerat, *integros cum omnibus ſuis partibus*; veruntamen, *prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur*. Eccleſia autem catholica nunquam iſta legit, aut uſurpavit iis in locis, in quibus adhibere non ſolet, niſi Scripturas canonicas. Et in Latinæ Vulgatæ exemplaribus, tum quæ poſt Tridentinum, auctoritate Summorum Pontificum recognita, atque edita ſunt; tum etiam quæ ante Concilium excuſa fuerant; vel non reperiuntur iſta, vel alio charactere impreſſa, aut alia cautione adhibita, leguntur.

Ad id, quod tertium erat, dicendum, Canonem illum, in quo tertius Machabæorum, non eſſe legitimum; quod Bellarminus probat Lib. I. de Verbo Dei cap. xx. & in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſt. & omnes Eruditi fatentur. Tertius Eſdræ, teſtimonio Hieronymi, neque in Textu Hebraico, neque apud Septuaginta unquam fuit. Imo permixtus cum duobus prio-

Digitized by Google

prioribus nuſquam legebatur, niſi in Græcis quibuſdam codicibus, minus correctis, ad quos dicendum non eſt ſpectaſſe antiqua Concilia, & Patres, cum duos Eſdræ libros approbarunt, aut divinos eſſe pronuntiarunt. De hoc etiam Bellarminus loco prius citato.

Hic vero ſi quæras, utrum hi libri nobis objecti, aliive, qui extant, tales ſint, ex quibus augeri aliquando poſſe Eccleſiæ Canonem putem: reſpondeo, me ſecus opinari. Quod enim Tridentinum fecit, ut. poſt diligentiſſium examen Sacrorum Librorum, eos ſolos ſeptuaginta duos ſuſciperet, atque in ſuo Canone ſcriberet; quamvis in eos, qui ibi ſcripti non ſunt, is Eccleſiæ actus fuerit ex ſe negativus, pro re tamen peculiarem quandam vim obtinet, & inſtar eſt actus poſitivi; ut mihi quidem hoc ipſo quod tum libros illos non approbavit aliquatenus etiam reprobaſſe videatur. Itaque cum certum ſit, ut oſtendi, omnes, & ſolos eos libros, qui ſunt in Indice Tridentini eſſe canonicos in actu ſecundo, & quoad nos de quo erat diſputatio præſens; alios eſſe præterea nullos in actu primo, & ſecundum ſe canonicos exiſtimo probabilius: de quo tamen modo non diſputo.

DISPUTATIO QUARTA.

Utrum Textus Originales divinæ Scripturæ, uti nunc extant, ſint authentici, ac Fidei Regula.

ITa videtur: primo, quod attinet ad Textum Hebraicum, propter eas rationes, quibus Bellarminus Lib. II. de verbo Dei cap. II. aliique viri doctiſſimi, ex Hieronymo in cap. vi. Iſaiæ, & Auguſtino in Pſam. XL. nu. 14. in Pſalm. LVI. nu. 9. Lib. XV. de Civit. cap. XII. nu. I. & Lib. XVIII. cap. XLVI., & XLVII. probant, eum Textum eſſe adhuc integrum, & incorruptum, nec a ſuo Autographo, niſi perquam leviter, diſſentire. Quarum rationum ea ſumma eſt: Judæos nec voluiſſe Scripturas falſare, propter ipſorum erga illas religionem; nec potuiſſe, propter exemplorum copiam; nec omnino aut fraude, aut caſu id eſſe factum; tum quod ad Dei providentiam pertinuerit Textum Originalem undique ſartum tectum ſervare; tum quod in iis ſaltem, quæ Fidei ſunt, & morum, & quæ maxime de Chriſto prædicta ſunt, cum Latina Interpretatione Vulgata: probe conſentiat.

Secundo, quod ſpectat ad Verſionem Septuaginta Interpretum, tum propter eaſdem, aut ſimiles rationes, quas videre poteris apud Bonfrerium in Præloq. ad Sacram Script. cap. XVI. ſect. 4. & 5. De La Haye ſect. 18. cap. VIII. & alios plures. Tum propter vetuſtiſſimum Codicem Vaticanum, de cujus integritate, & præſtantia Baronius in Annalium apparatu n. 119. & Morinus Lib. I. exercit. 9. Tum maxime propter Pontificia diplomata, quibus Sixtus V. & approbat, & commendat Editiones Græcam, & Latinam Teſtamenti Veteris juxta LXX. ex illius potiſſimum Codicis fide a viris doctiſſimis elaboratas.

Tertio, quod facit pro hoc utroque conjunctim, & ſimul pro Textu Græco Originali Teſtamenti Novi; quia hæc omnia proprie, & quoad nos aliquando authentica fuere, vel tacito, vel expreſſo ipſius etiam Eccleſiæ judicio: nec porro poteſt oſtendi, cujus rei cauſa, aut quando, aut quomodo Eccleſia eadem iis abrogaverit fidem. Nam quod Tridentinum approbavit Latinam Interpretationem Vulgatam, & *pro authentica habendam eſſe*, decrevit; id non eo conſilio eſſe factum, quo Fontes Hebraicos, ac Græcos vel relinqui, vel poſthaberi, vel ullam prorſus auctoritatis partem amittere, voluerit; auctores, ac teſtes idonei ſunt Salmeron Prolegom. 3. ac Vega Lib. XV. cap. IX. qui Concilio ipſi interfuere; aliique viri graviſſimi, quos pro hac ſententia citant Pallavicinus hiſtor. Lib. VI. cap. XVII. nu. 10. & Natalis Alexand. hiſtor. ſæcul. 4. diſſert. 39. art. 5.

Quarto, quia ſi fontes ſinceri hodie non eſſent, catholicis hominibus ad eos

Digitized by Google

ſubinde recurrere, vel neceſſe non eſſet, vel non expediret, vel etiam non liceret: contra quam perſuaſum nobis eſſe debeat Eccleſiæ ipſius non ſolum admonitu, ſed etiam præſcripto: quæ in omnibus catholicis Academiis celebrari ſtudia Linguarum Hebraicæ præſertim, ac Græcæ ad hoc maxime vult. Ut in Clementina I. *de Magiſtris* cap. unic. & in conſtit. 65. Pauli V. *Apoſtolicæ ſervitutis &c.*

Quinto, quia tam conſtat de authentia, ſive auctoritate Textuum Originalium, quam conſtat de ipſorum integritate. Sed Textus Originales ſunt etiam nunc ſaltem valde probabiliter integri: ergo ſunt etiam nunc ſaltem valde probabiliter authentici. Quo fit, ut eodem fere modo de illis ſit differendum, eodemque ferme loco habendi, quo aliqua, quæ Theologi dicunt, eſſe ſolum directe, non etiam reflexe de Fide: ut præſentem Pontificem eſſe verum Pontificem; Concilium Tridentinum legitimum eſſe Concilium. Vel hæc alia;

Sed contra eſt quod legitur Ezechiel. XXXIV. 18. 13. &c. *reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: & cum puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur: & quæ pedes veſtri turbaverant hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus &c. judicabo inter pecus, & pecus &c.* Quo in loco Gloſſa Ordinaria exprobrari ait Hebræis, *Scripturam Sanctam, quæ cibus, & potus eſt, per ſe bonam, ipſorum vitio corruptam.* Quæ eſt etiam interpretatio Hieronymi.

Reſpondeo, Teſtus Originales divinæ Scripturæ, quales nunc extant, non eſſe proprie, ſeu, quoad nos practice authenticos, ideoque nec Fidei Regulam. Scriptum enim hoc modo authenticum ab Juliano Juriſconſulto tract. de fide Inſtrument. ſic definitur: *Scriptum aliquod, quod ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæſtionem vocari queat.* Cum dicit, *quod ex ſe fidem facit;* intelligito, quod per ſe ſatis, ac per ſe proxime fidem facit; nihil ut ſit expectandum aliud ſcripturarum, ac teſtium, quo certam, atque indubitatam faciat rem illam, quam expreſſe ſignificat. Itaque perinde eſt, ac ſi diceret; cujus auctoritas eſt abſoluta, non propemodum conditionalis, ſive aliunde ſuſpenſa. Quod vero additur, ſcripti authentici *ſupremam eſſe auctoritatem*; dictum intellige non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam quoad nos: ut neque ex oppoſitione aliarum Scripturarum, aut teſtium, neque alia ratione, *rejici ab ullo, aut in quæſtionem vocari queat*; quemadmodum ipſe explicat. Ex hac definitione, quæ bona eſt, & a Theologis etiam recepta, rei propoſitæ efficiendæ, ac tuendæ duplex mihi ſe offert ratio, & via. Altera, quod Textus Originales Sacræ Scripturæ, uti ſe habent hodie, rejici poſſit, vel in quæſtionem vocari. Altera, quod Textus iidem non ſatis ex ſe fidem faciant. Utrumque oſtendo breviter. Et primum quidem; quia quod hi Textus ſint ſatis adhuc ſinceri, atque integri, ideoque ſupremam illam auctoritatem, quam olim obtinebant, nunc quoque retineant; probabilibus dumtaxat argumentis defenditur: quæ prudenti dubitationi, atque adeo contrariæ ſententiæ locum relinquunt. Scriptum autem, de cujus auctoritate prudenter dubitatur, & ambigitur, poteſt in judicio rejici, aut in quæſtionem vocari. Oſtendo alterum. Cum Vulgatæ interpretationis Latinæ auctoritas nullo modo pendeat ex Textu Originali, qualis in Hebraicis, Græciſque codicibus in præſenti legitur; ſed, ut eſt ſuprema, ſit etiam plane abſoluta; & cum non ſit certum, Hebraicos, Græcoſque codices, quos nunc habemus, ubique cohærere cum antiquis, imo conſtet potius contrarium, ut adverſus Calvinum, Kemnitium, & alios erudite probat Bellarminus loco ſup. cit. Textus Originales nullius rei apud nos fidem facere poſſunt certam, & indubitatam, niſi accedat Vulgatæ conſenſio. Fac enim diſſentire Vulgatam: ſi res illa non pertinet ad Fidem, & mores, teſtimonium illud Textus Originalis rejici ſaltem poteſt. Si vero ea res ad Fidem, & mores pertineat, teſtimonium Textus Originalis ſi vere diſcordat, rejici non ſolum poteſt ſed omnino etiam debet. Quare fidem non facit ex ſe ſatis. Cum igitur Textuum Originalium auctoritas nec ſit ſuprema, & ſuprema quidem quoad nos ut non poſſint practice rejici; nec ſit abſoluta, ut fidem faciant, quod ſit ſatis, ex ſeſe; Conſequens eſt, hac utraque via & ratione, ut Textus Originales divinæ Scriptu-

Digitized by Google

turæ, quales nunc extant, non ſint propriæ, ſeu quoad nos practice authentici, ac proinde nec regula Fidei. Quod erat propoſitum.

Ad primum dices, Hieronymum, & Auguſtinum loquutos de Textu Originali, ut eo tempore habebat; & quidem non in omnibus codicibus, cum Ezechielis locum ſup. cit. Hieronymus, ut annotavi, in ſententiam noſtram exponat. Rationes vero, quæ partim ex ipſis, partim aliunde afferuntur, etiamnum quidem valere; eatenus tamen, ut probabilitatis fines non ſuperent, ac rem & dubiam, & controverſam relinquant. Nam Judæorum non major religio erga codices ſuos, quam odium erga religionem noſtram: ut propterea ſatis conſtare de illorum voluntate non poſſit. De poteſtate autem dicendum, ad corrumpenda Sacra Volumina una cum Judæis conſpiraſſe etiam hæreticos; quorum etiam certior mala voluntas adulterandi Scripturas. Præterea majorem fuiſſe Græcorum, quam Hebræorum codicum copiam; & tamen a Bellarmino, & aliis depravatos dici codices Græcos. Tandem ſatis fuiſſe vitiari pleraque exempla, ut ſuſpecta eſſent omnia.

Quod vero additur, ad Dei providentiam pertinuiſſe, id impedire, omnino ne fieret; pluribus, iiſque valde probabilibus argumentis poteſt refelli. Quid enim, ſi Deus hoc etiam & præſidium, & ornamentum Hebræis tandem eripere voluit, & in Eccleſiam ſuam penitus transferre; ut ſcilicet ibi ſolum ſinceri, atque integri eſſent divini Libri, ubi eſt veræ Fidei magiſterium? Huc facere videtur, quod ſcriptum eſt Iſa. v. 5. 6. *auferam ſepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur: & aſcendent vepres, & ſpinæ &c.* Matth. xxi. 43. *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Ad hæc, perierunt Autographa, ſeu Codices Archetypi divinæ Scripturæ; perierunt viginti ferme Sacra Volumina quorum vix aliud ſupereſt præter nomen in ipſa Scriptura. Ergo alienum a Dei providentia non fuit, nolle ab Hebraicis apographis omnem prorſus ſeu hominum, ſeu temporum injuriam arcere. Cum præſertim in ea ipſa re & nobis, & Hebræis ipſis ita proſpexerit Deus, ut abunde ibi ſit eorum locorum, quibus facile poſſint redargui, & aut nobis adjungi, aut a nobis repelli.

Denique quod probant Textum Hebraicum ſatis adhuc integrum eſſe, quia cum Vulgata Interpretatione Latina ſatis conſentit, hoc etiam valde probabiliter, niſi etiam certo, atque evidenter refellitur. Nam vere alicubi diſcrepant in iis etiam quæ prænuntiata ſunt de Chriſto ut Gen. xlix. 10. Pſalm. xviii. 5. xxi. 18. Iſa. liii. 8. Zachar. ix. 9. &c. In aliis autem plurimæ ſunt ejuſmodi diſcrepantiæ. Quapropter ita concludo: cum in Hebraicis codicibus tam multa legantur hodie, quæ aliter verti debuerint; conſtet autem ex decreto Concilii Tridentini nullum eſſe in editione Vulgata vitium Interpretis; ſed verſa eſſe omnia, iis maxime in locis, uti verti debuerant; ſequitur, ut codices hebraici veteres, quibus eſt uſus Vulgatus interpres, iis in locis diverſi ſint a præſentibus; ac proinde hi præſentes multis partibus ſint depravati. Addo ex alia via, quam initio oſtendi, etiamſi Textus Hebraicus ſatis adhuc integer foret; cum tamen de hac ipſius integritate hoc tempore nec ex Eccleſiæ judicio, nec aliunde de conſtare poſſit, quam ex ſola conſenſione Vulgatæ; ne ſic quidem authenticum fore, quia fidem non faceret ſatis ex ſe; quod, Juliani definitione, ad veram, & propriam authentiam neceſſe eſt.

Ad ſecundum dicendum, pro Septuaginta Interpretum Verſione non poſſe citari Hieronymum, cum eam in Præfat. ad Lib. Paralip. Eſdræ, & alibi teſtetur, jam tunc, immo & multo antea fuiſſe corruptam. Quod affirmat etiam Juſtinus in Dial. cum Tryphone. Cætera vero argumenta, adeo communia non ſunt, ut potius adverſentur Verſioni ſeptuaginta, ob id ipſum, quod Textui Hebraico favent. Cum enim inter ſe fere perpetuo, & identidem quidem non leviter diſſideant, quam eſt hic integer, tam neceſſe eſt illam eſſe vitiatam. Quod maxime valet, ſi Ariſtææ, & Philoni credimus, quorum primus in hiſtoria ad Polycratem alter Lib. II. de vita Moſis teſtantur, Hebraici exemplaris, ac Græcæ hujus Interpretationis *admirabilem, ac vere divinum fuiſſe rerum, verborumque conſenſum*.

Quam-

Quamobrem hoc etiam mire confirmat, quod ſupra ſtatuimus, nec Hebraicos, nec Græcos 70. Interpretum codices eſſe proprie, & quoad nos authenticos; cum ſeſe collidant, & auctoritatem ſibi mutuo detrahant. Itaque non illi quidem evidenter, aut certo, quod neceſſe foret ad veram, & propriam authentiam; ſed tamen multo probabilius argumentari mihi videntur, qui ex his duobus Scripturæ Textibus alterutrius dumtaxat integritatem defendunt, ut Bellarminus, qui eſt pro Textu Hebraico, & Salmeron, qui pro Græco Septuaginta; quam qui utriuſque, ut De La Haye. Nam Bonfrerius a nobis eſt potius, ac Textum utrumque Vulgatæ noſtræ & poſtponit, & ſubjicit.

Codicis Vaticani, qui nobis objicitur, ætas incerta, fides inconſtans, integritas multis partibus imminuta. Nam de illius antiquitate apud Baronium, & Morinum nihil pluſquam probabile. Multa habet, quæ multo aliter ex ſeptuaginta citantur a Patribus. Geneſis maxima parte, & Pſalmis compluribus caret. Editiones vero Græca, & Latina; ex eo potiſſimum Codice expreſſæ, multa etiam habent admixta ex Aquila, Symmacho, Theodotione. Pontificia diplomata ibi præfixa, ejuſmodi ſunt, ut has Editiones ſupra cæteras ejuſdem generis efferant; non ut Latinæ Vulgatæ pares faciant. Quod earum Præfationes aperte declarant. Eo totus hic Pontificis labor, & cura pertinuit, ut ſeptuaginta Interpretum Verſio, quæ de Chriſti Eccleſia eſt adeo benemerita, ab ipſa nec repudiata, nec prorſus relicta, non vero etiam ut in integrum reſtituta videretur. Legatur Serrarius Proleg. Cap. XVII. q. 21.

Ad tertium hæc olim proprie, fuiſſe authentica concedo de Textu Græco; de Textu Hebraico tantum permitto: nam de ſcripto, in quo ſolæ litteræ conſonantes expreſſæ ſint, non eſt id facile. & ſine ulla exceptione, concedendum. Imo hæc mihi videretur planiſſima, atque expeditiſſima via negandi authentiam Textui Hebraico; quod ſcilicet eam nunquam habuerit. Cum enim ab omni ſuſpicione aberat, carebat vocalibus: iis auctus, propter eam ipſam mutationem in ſuſpicionem venit. Quare nunquam ſatis ex ſe fidem facere potuit; nimirum vel quia mancus, vel quia ſuſpectus. Cæterum hoc dato. Tria illa, quæ adverſarius requirit, primum nego a nobis oſtendi debere; nego deinde, oſtendi non poſſe. Oſtendi non debent; quia, cum certum non ſit, hos Textus eoſdem eſſe, qui antea fuerant; licet eos rejicere, & in quæſtionem adducere: ac reipſa in quæſtione ſunt apud Doctores catholicos; & alii quidem rejiciunt Textum Hebraicum, ut Salmeron; alii Verſionem Septuaginta, ut Bellarminus; alii utrumque, ut Melchior Canus. Quos tres ſequuti deinde plurimi ſunt. Atque ipſi illi, qui hos Textus defendunt, ubi res venerit ad praxim, ſive in actum, atque uſum iis ſatis non fidunt; nec eorum teſtimonio aſſentiunt, aut acquieſcunt, inconſulta, aut non conſentiente Vulgata. Quæ dicenda ſunt pariter de Textu Græco Teſtamenti Novi, de quo ſimiliter Catholici dubitant, & controverſantur.

Jam vero tria illa poſſunt facile oſtendi. Nam, ſi quæritur quibus de caufis Eccleſia ipſa Hebraico, Græcoque Textui fidem derogarit; derogavit, quia, multis in eo mutationibus factis, non ſatis amplius de illius integritate conſtabat. Vel etiam, quia ex ſpeciali Spiritus Sancti lumine conſtabat ipſi contrarium. Si quæritur, quando; derogavit, quando eum utrumque apud doctores catholicos in quæſtionem venire, & paſſim repudiari, permiſit: quod in Vulgatam fieri certe non ſineret. Item, quando Vulgatæ ipſi, uſu primum, dein peculiari decreto, omnino abſolutam, & ſupremam auctoritatem attribuit. Si tandem quæritur, quomodo; derogavit tum negative, ea ſcilicet non prohibendo, quæ abſolutæ, & ſupremæ illorum Textuum auctoritati contraria forent, ſi eam retinerent. Tum etiam poſitive; cum facto ipſo, & decreto eos Vulgatæ non ſolum poſtpoſuit, ſed, ut antea animadverti, etiam ſubdidit.

Quod autem Salmeron, Vega, aliique Scriptores teſtantur, aliam fuiſſe Concilii mentem, eſt omnino negandum. Concilii mentem, ac ſenſum declarant verba Concilii. Parum refert, quid extra Concilium aliqui etiam ex Tridentinis Patribus dixerint: cum in Concilio, nimirum Spiritu Sancto ſpecialiter aſſiſtente, ita pronunciarint, ac decreverint: *Inſuper eadem Sacroſan-*

ſancta Synodus . . . ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat. Sed plura de hoc in ſequenti articulo. Interea his poſitis ita concludo: Ex hoc Concilii decreto nulla prætendi cauſa poteſt, rejiciendi teſtimonium Vulgatæ: ergo nec propter Textus Originales rejici poteſt: ergo Textuum Originalium tantum valet auctoritas, quantum permittit Vulgata: ergo a Concilio non ſolum Vulgatæ poſthabiti, ſed etiam ſubditi ſunt. Noluiſſe autem Concilium hos Textus relinqui, concedendum eſt; &

Ad quartum, dicendum, etſi fontes hodie inſinceri, ac turbidi ſint, eos tamen adire & licere, doctis præſertim, ac religioſis hominibus, qui id facere ſine periculo poſſunt; & expedire, ubi verbum ambiguum, locus obſcurus, aut alia ſimilis difficultas occurit; & eſſe prorſus neceſſarium, ubi diſputatio ſit cum heterodoxis, qui Vulgatam Noſtram rejiciunt, ac Textu Hebraico, ac Græco vel ſe defendunt, vel nos oppugnant. Atque in hanc præcipue rem catholicis Academiis earum Linguarum ſtudia præſcripta fuiſſe. Legatur Melchior Canus Lib. II. Cap. xv.

Ad quintum diſtinguenda Major: tam conſtat de authentia, quam Textus Originales habeant etiam nunc intrinſecus, & ſecundum ſe; concedo major. quam habeant etiam nunc extrinſecus, & quoad nos; iterum diſtinguo: tam conſtat directe, ac ſpeculative, concedo major. tam conſtat reflexe, & practice; nego majorem. Dein omittenda minor, quæ ut ſatis ex dictis apparet, & mox clarius oſtendam, eſt prorſus falſa, etiamſi non de plena, & perfecta, ſed de ſufficienti dumtaxat integritate loquamur. Et diſtinguendum ſimiliter conſequens: ſunt etiam nunc valde probabiliter authentici, intrinſecus, & ſecundum ſe, omitto: extrinſecus, & quoad nos; iterum diſtinguo: directe, ac ſpeculative; omitto; reflexe, & practice nego conſequentiam. Concedimus, tam conſtare, Textus Originales habere authentiam intrinſecus, & ſecundum ſe, quam conſtat de ipſorum integritate; quia ejuſmodi authentia, ſive auctoritas in eo poſita eſt, ut hi Textus ſint integri, & cum antiquis, ac proinde etiam cum autographo hodie conſentiant. Præterea, cum Textus Originales habuerint olim authentiam etiam extrinſecus; & quoad nos, ex approbatione Eccleſiæ vel expreſſa, vel tacita; & cum Eccleſia quod olim approbavit, reprobare non poſſit; concedimus, æque conſtare directe, ac ſpeculative hos Textus retinere hanc etiam authentiam, ut conſtat, eos retinere ſuam integritatem: quia vere argumenta illa quæ probant integritatem, ſimul probant authentiam; & quam unam probant tam revera alteram probant. Negamus autem æque conſtare de hac authentia reflexe, & practice: quia ſi conſideremus argumenta, quæ illam probant, ut eſt neceſſe, ne temere aſſentiamus, aut diſſentiamus; & ut facimus in iis etiam quæſtionibus, ubi quæritur, utrum ſit aliquid de Fide, nec ne; argumenta illa intra fines probabilitatis ſunt omnia, ut ex eorum confutatione ſatis apparuit. Jam vero, quod ſpectat ad praxim, hac in re argumenta dumtaxat probabilia, ſunt, argumenta nulla. Et ſi tantum probabile eſt Textus Originales eſſe integros, nec probabile eſt eſſe practice authenticos: quia certum eſt, eos poſſe rejici, aut in dubium vocari; eoſdemque fidem non facere, aut non facere ſatis ex ſe. Quare falſum eſt reflexe, & practice tam conſtare de illorum authentia, quam conſtat de integritate.

Cæterum ad Syllogiſmum nobis objectum poſſumus etiam, majore omiſſa, negare minorem. Cum enim maxime poſt Tridentinum Textuum Originalium auctoritas omnino pendeat ex Vulgata; Vulgata vero, ut jam oſtendi, iis non ſolum præcellat, ſed ſuo etiam modo dominetur: hoc Eccleſiæ judicium, ita debilitat & infirmat omnia adverſariorum argumenta; ut non videantur illi Textus, quales nunc ſunt, poſſe amplius dici, valde probabiliter integri; &, quod eſt conſequens, valde probabiliter authentici. Illud tenendum. Quod Textus Originalis, ideſt Textus Hebraicus, Verſio Græca LXX. Interpretum, ac Textus Græcus T. N. quales nunc extant, non ſint authentici quoad nos, reflexe, & practice, eſſe certum. Quod Textus iidem nec ſint authentici

quoad

quoad nos, directe, & ſpeculative; nec ſint authentici ſecundum ſe, hoc eſt, ſatis integri; utrumque hoc certum quidem non eſſe, ſed eſſe magis probabile, quam oppoſitum. Primum defendimus: reliqua duo, ex Tridentini decreto, aliiſque, quæ diximus in Confutatione, poſſunt facile ſuſtineri. Cæterum ſi quis Textui Originali quoddam tribuat authentiæ genus ſecundarium conditionale, & ut ita dicam ſervile, obligatum, ſubjectumque Vulgatæ, hoc eſt, ut fidem faciat, ſi cum illa conſentit, haud repugno. Sed hæc vera & proprie authentia non eſt ut jam oſtendi. Hoc pacto authenticæ eſſent omnes Scripturæ Verſiones, Quanquam revera aliquid inter illas, & Textus Originales hoc etiam in genere interſit. Cum enim Textus Originales aliquando authentici fuerint; ut fidem faciant iis in locis, ſatis, & ipſorum auctoritatem, & quodammodo identitatem oſtendi. Verum antequam fidem faciant, expectandus ſemper Vulgatæ conſenſus. Ideoque ipſorum authentia, ſi ita vocari poteſt, ſervilis eſt, ut dicebam, & aliunde ſuſpenſa.

Ad exempla, quæ afferuntur; dicendum Theologos eſſe, qui doceant, priora illa duo eſſe etiam reflexe de Fide: ut ſit de Fide, eſſe de Fide, & hunc Pontificem eſſe verum Pontificem; & hoc Concilium legitimum eſſe Concilium. Qui vero ajunt, hæc eſſe ſolum directe de Fide, non ita ſunt intelligendi, quaſi poſſit negari vel ſine hæreſi, vel ſine alia cenſura graviſſima, hunc Pontificem eſſe verum Pontificem; hoc Concilium eſſe Concilium legitimum: ſed, ut poſſit negari ſine hæreſi, ut ipſi dicunt, & ſine cenſura, hæc eſſe de Fide; ideſt, hæc eſſe a Deo revelata, eamque revelationem nobis eſſe ſufficienter propoſitam. Quanquam hoc etiam negandum non ſit, & a quibus negatur, falſo negetur. Contra vero in re noſtra; non ſolum ſine ulla prorſus cenſura negari poteſt, eſſe revelatum a Deo, & ab Eccleſia definitum, Textus Originales Sacræ Scripturæ, quales nunc extant, eſſe authenticos; ſed ſine ulla prorſus cenſura negari etiam poteſt, eos eſſe ſimpliciter authenticos: nec ſolum negari poteſt, eos eſſe ſimpliciter authenticos quoad nos; ſed poteſt etiam negari, eos eſſe authenticos ſecundum ſe. Imo ex dictis, negari tria hæc non modo poſſunt, ſed etiam debent. Primum quidem certo, ut oſtendi: reliqua duo, ut exiſtimo probabilius.

DISPUTATIO QUINTA

Utrum Latina Editio Vulgata in iis etiam, quæ ad Fidem, & mores non pertinent, ſit authentica, tamque perfecta, ut nullus in ea ſit Interpretis error.

NOn videtur. Primo, quia ſi eam auctoritatem, & perfectionem haberet, par ipſis eſſet divinæ Scripturæ Autographis. Abſurdum eſt autem, divino operi æquare opus humanum; vel eandem inſpirationem, & facultatem tribuere vulgato Interpreti, qui aliquorum quidem locorum Theodotion, aut Aquila fuit, *judaizantes hæretici*, (Epiphan. de menſ. num. 15. Hieronym. præf. in Job.) quæ tribuenda eſt Hagiographis, Prophetis ſcilicet, & Apoſtolis. Immo etiamſi Vulgatæ auctor Hieronymus unus fuiſſet; ne ipſi quidem id concedendum foret; cum ſe nonnunquam erraſſe fateatur ingenue, & interpretationem ipſemet ſuam alicubi corrigat. (Comment. in Iſa. Cap. XIX. §. 8.)

Secundo, quia in Latina Vulgata, ubi res ad Fidem. & mores non pertinent, manifeſti errores Interpretis, & quidem non pauci ſunt. Alii quod parum fideliter, alii quod minus apte, alii quod non ſatis polite, & pro dignitate verbi Dei, parum decore, & decenter Textum Originalem convertit. Primi, & ſecundi generis errores recenſet Natalis Alexander hiſt. ſæcul. 4. diſſert. 39. eoſdemque luculentius demonſtrat diſſert. XL. anticritica adverſus Claudium Fraſſen. Errores tertii generis, ut barbariſmos, ſolœciſmos &c. Fraſſen idem, Vulgatæ cæteroqui defenſor acerrimus, facile permittit; immo & notat

Digitized by Google

tat ipſemet aliquos Diſquiſ. Bibl. Lib. II. Cap. VI. §. 3.

Tertio, quia, noluiſſe Tridentinum Vulgatæ tantum tribui, quantum eſt in Titulo Articuli poſitum', res eſt compertiſſima cum ex Andræa Vega, qui præſens Concilio affuit, aliiſque alibi commemoratis; tum vero ex Concilio ipſo; utpote quod uno eodemque decreto Vulgatam, & pronunciat authenticam, & emendari jubet. Quo quidem de ipſius auctoritate, ac perfectione quid ſit ſentiendum, aperte ſignificat. Dici enim non poteſt authentica prorſus in omnibus, ac perfecta undique, ſi in aliquibus eſt emendanda. Nec vero talis dicenda, & habenda ſaltem poſt emendationem. Siquidem ut eſt in Præfatione Emendationis Sixtinæ, & Clementinæ; & ut Bellarminus, cujus in primis opera uſi ſunt in re illa Pontifices, teſtatur in epiſt. ad Lucam Brugen. cum multi errores ſublati inde fuerint, aliquos tamen relinquere neceſſe fuit fortaſſe ne Chriſtianæ aures novitate offenderentur. *Multa*, inquit, *ex induſtria juſtis de cauſis pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur*.

Quarto, quia, quod authentia Vulgatę ad omnia pertineat, etiam leviſſima; nec uſquam in ea, vel malitia, vel negligentia, vel inſcientia, vel denique humano more ſit lapſus Interpres; nec evidens nec certa res, ſed tantum probabilis eſt. Ac proinde, ut in ſuperiore articulo notatum eſt, nihil valet, aut facit ad praxim: Ergo homini Catholico, in re, quæ religionem, aut diſciplinam minime tangat, Textu Originali contradicente, teſtificationem Vulgatæ, rejicere; aut ex altero alteram corrigere fas erit.

Sed contra eſt, quod de hac ipſa Interpretatione Vulgata, de qua hic diſputamus, ſcripſit Gregorius Magn. Lib. XX. Moral. cap. XXXII. nu. 62. *Credendum eſt*, inquit, *quidquid in ea dicitur: & oportet, ut verba illius noſtra expoſitio ſubtiliter rimetur*. Quæ in ea ſunt omnia religioſiſſime haberi, & ſacroſancta nobis eſſe, vult: nec tantum ſententiarum, ſed etiam verborum obſervantiſſimos, ac retinentiſſimos nos eſſe jubet. Id quod ipſe fecit, & alii omnes Patres, & Doctores, qui ab ejus tempore floruerunt, ut Sophronius, Iſidorus, Beda, Rabanus Maurus, Haymo, Remigius, Petrus Damiani, Anſelmus, Rupertus, Bernardus, Hugo, Richardus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus Thomas Aquinas, Bonaventura; totaque adeo Eccleſia, in Conciliis, in divinis Officiis, in ſacris concionibus, lectionibus, diſputationibuſque, in omnibus divinæ Scripturæ expoſitionibus.

Reſpondeo, Latinam Editionem Vulgatam, qualis eſt a Tridentino approbata, interpretationem, ſeu, verſionem eſſe divinæ Scripturæ vel factam ab ipſo Deo dictante, aut ſpecialiſſime aſſiſtente Vulgato Interpreti; vel a Deo receptam, & quodammodo aſſumptam, atque adoptatam pro interpretatione, ſeu, verſione ſua. Ut propterea in omnibus ſit perinde habenda, ac Textus Originales ipſius Scripturæ, cum adhuc integri, atque authentici erant.

Probatur disjunctum hoc exemplo Verſionis Septuaginta Interpretum. Quæ quidem, ut mox apparebit, divinæ Scripturæ Verſio divina fuit; divina, inquam, vel origine, vel adoptione. Ne quid minus igitur, in re præſertim hujus generis, datum videretur Eccleſiæ Latinæ, in qua ſedes eſt Petri, ac vera religio, & Fides manſura erat, quam Eccleſiæ Græcæ; etiam Latino idiomate divinæ pariter Scripturæ divinam ejuſdemmodi Verſionem exiſtere, convenientiſſimum fuit.

Nec ſola rei convenientia eſt in hoc exemplo, ſed etiam rationum, & argumentorum. Nam quod Verſio LXX. divina fuerit natura, & origine, quæ eſt prima disjuncti pars; hoc eſt, quod facta fuerit a Deo ipſo dictante, vel ita aſſiſtente, uti neceſſarium exiſtimatur, ut ejus Verſionis ſpecialis auctor, ac verbi ſui primarius interpres, dicatur ipſemet Deus; probatur, tum auctoritate Sanctorum Patrum, qui hoc affirmant, ut Juſtini in cohort. ad Gent. & in orat. ad Antonin. Pium, Irenæi Lib. III. capit. XXI. num. 2. Tertulliani Apologet. cap. XVIII. Clementis Alex. Lib. I. Stromat. Epiphanii Lib. de menſur. & ponder. num. 3. 6. &c. Hieronymi Præfat. 2. in Lib. Paralip. Auguſtini Lib. II. de doctr. Chriſt. cap. XV. num. 22. Lib. I. quæſt. in Gen. qu. CLXIX. Lib. VI. qu. in Joſue qu. XIX. in Pſalm. CXXXV. num 3. Lib. XVIII. de Civit. cap. XLIII. tum etiam intrinſecus, quia nimirum Verſio illa facta fuit au-

ctoritate legitima Summi ſacerdotis Eleazari, Deoque adeo ipſo excitante, ac ſpecialiſſime aſſiſtente. Hæc autem omnia adſunt in re noſtra. Nam D. Hieronymus, qui Vulgatæ auctor eſt ex maxima parte, in reliquis eam vel emendavit, vel recognovit, & Dammaſi ſummi Pontificis ſuaſu, vel juſſu opus illud ſuſcepit; & præter ſumma laudum præconia, quibus ea de re celebratur a Patribus Auguſtino Lib. XVIII. de Civit. cap. XLIII. Sophronio apud Hieronymum de viris illuſtr. & Lib. II. cont. Rufinum Gregorio Magn. Lib. XX. Moral. cap. XXXII. num. 62. Iſidoro Lib. VI. Etymol. cap. V. & Lib. I. de divin. Offic. cap. XII. teſtimonium hoc habet a Clemente VIII. in Præfatione Romanæ Editioni ipſius juſſu præfixa: *Non immerito Catholica Eccleſia ſanctum Hieronymum Doctorem maximum, atque ad ſcripturas ſacras interpretandas divinitus excitatum ita celebrat. ut jam difficile non ſit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquieſcunt, vel etiam meliora, aut certe paria præſtare ſe poſſe confidunt.* Accedit his illud ipſius Hieronymi votum in Præfatione Pentateuchi ad Deſiderium: *Precor te, ut me orationibus juves: quo poſſim eodem ſpiritu quo ſcripti ſunt Libri, in Latinum eos transferre ſermonem.* Accedit graviſſimorum virorum auctoritas, qui id Hieronymo conceſſum exiſtimant, & defendunt, ut Salmeron Proleg. 3. §. 12. Titelmanus in Apologia, Serrarius Proleg. cap. XIX. q. 8. Morinus Lib. I. exercit. 6. cap. 12. Jam vero, quæ erat disjuncti pars altera, quod Verſio Septuaginta, & ut Vulgata pariter noſtra divinæ ſint, ſaltem extrinſecus, ſive adoptione: hoc eſt, quod illas Deus ipſe receperit non tantum pro interpretationibus verbi ſui, ſed etiam pro verbi ſui interpretationibus ſuis; hujus partis illa eſt ratio utrique interpretationi communis: voluiſſe Deum, eas in omnibus Textui Originali, qualis erat, cum adhuc integer, atque authenticus eſſet, pares haberi. Nam ſi quem filio parem in omnibus haberi quis vult, niſi ſit vere filius, ea voluntatis ſuæ ſignificatione illum adoptat. Hoc autem de Verſione LXX. facile evincitur. Quia, quod eſt obſervatum a multis, eorum, quæ in Novo Teſtamento citantur ex Veteri, non pauciora forſitan ſunt ex illa Verſione, quam ex Hebraico Textu: prorſus ut Apoſtoli, atque ipſe adeo Chriſtus Dominus videatur utrique tantumdem tribui voluiſſe. De Latina Vulgata idem non minus facile oſtenditur, cum ex uſu Eccleſiæ, tum vero maxime ex approbatione Tridentini. Quæ quidem vere eximia, ſingularis, prorſus ejuſmodi eſt, ut Hebraici exemplaris, ex quo eſt expreſſa Vulgata, nec dignitas, nec perfectio, nec auctoritas major habita ſit, aut etiam haberi potuerit. Probantur hæc. Quia Concilium in eo decreto Sacros Libros. *prout in veteri vulgata Latina Editione habentur, fontem appellat omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ*. Quia eorum *teſtimoniis, ac præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus uti* ſe profitetur; iisdemque uti alios omnes *in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus*, præcipit. Quia nullum prorſus Interpretis errorem prætendi poſſe, clare ſignificat, cum eos *ullo prætextu rejici*, vetat. His vero neque ad dignitatem, neque ad perfectionem de Scriptura ipſa Originali dici majus aliquid poteſt. Idem oſtendo de auctoritate. Nam quod Tridentinum in ſuo decreto nullam Textus Hebraici, aut Græci mentionem facit; quod Latinam Vulgatam non quadantenus, neque reſtricte, ſed *authenticam* abſolute pronunciat; quod *Sacros Libros, prout in illa habentur, integros cum omnibus ſuis partibus canonicos* declarat, & *ut tales ſuſcipi*, jubet: & tandem, ut dixi, quod *ſtatuit, & declarat, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat*; hæc omnia auctoritatem probant & abſolutam, & ſupremam, & univerſalem, ſive infinitam; hoc eſt, nullo rerum genere circumſcriptam. Qua pariter major Scripturæ Originalis auctoritas eſſe non potuit.

His ſtabilitis, ita concludo: Propter convenientiam tum rerum, tum rationum, ita ſentiendum de Latina Editione Vulgata, qualis eſt a Tridentino approbata; uti de Græca Verſione Septuaginta qualis initio fuit. Sed Verſio Septuaginta, interpretatio fuit divinæ ſcripturæ, vel facta ab ipſo Deo; vel a Deo in ſuam recepta & quodammodo aſſumpta atque

ado-

Digitized by Google

adoptata, ſicut expoſui; ut propterea in omnibus perinde eſſet habenda, ac Textus Originalis, ex quo eſt converſa. Ergo Latina Vulgata ſimiliter. Quod erat propoſitum.

Ad primum, diſtinguenda major propoſitio: Vulgata par eſſet Autographis, materialiter, ac ſpecificative ſumpta; id eſt, ut eſt verbum Dei, ac Scriptura divina; nego ſuppoſitum. Id enim hic falſi ſubeſt; quod Vulgata ſic accepta, & & Textus Originalis, ſive autographum, ſive apographum ſit, ſint duæ Scripturæ; cum ſit una, & eadem, alio tantum idiomate. Vulgata formaliter, ac reduplicative ſumpta, ut ſcilicet interpretatio, ſive converſio eſt, par eſſet Autographis; iterum diſtinguendum: vel intrinſecus, vel extrinſecus; vel natura, vel adoptione; concedo: omnino intrinſecus, ſive, natura; nego majorem, Nam quod Spiritus Sanctus dictando, vel inſpirando ſic aſtiterit Vulgato Interpreti, ut ipſemet Spiritus dicendus ſit hujus interpretationinis, etiam ut interpretatio eſt, primarius, ac ſpecialis auctor; non defendimus definite, ſeu determinate; ſed disjunctive tantum, ut eſt explicatum. Ad minorem, concedenda eſt prima pars: immo ex illa retorquendum argumentum in adverſarios. Nam, ſi eſt abſurdum operi divino æquare opus humanum, quoniam Deus ipſe, ut oſtendimus ex uſu Eccleſiæ, & Tridentini decreto, Scripturæ Originali parem haberi vult Interpretationem Vulgatam; cum nihil poſſit abſurdi velle; Vulgatam ipſam hac voluntate ſua divinam, ſi non invenit, facit. Quare vel natura, ſive origine; vel quadam quaſi adoptatione, aut aſſumptione, divina eſt; quæ eſt ipſa aſſertio noſtra. Secunda pars minoris omnino neganda; quam, quæ hactenus diximus, undique falſitatis convincunt. Cum non modo non ſit abſurdum, ſed maxime conveniat, Divinum Sponſum in Eccleſiam Latinam, ſponſam fidelem, illam, de qua Cant. VI. 8. & Apoc. XXI. 2. 9. &c. omnia decora; & ornamenta conferre, quæ olim Eccleſiæ Græcæ, vel etiam ſynagogæ impertitus erat. Cumque illa omnia, quæ pro Septuaginta Interpretibus in hanc rem afferuntur, eadem & Vulgato Interpreti faveant: qui, niſi ubique Hieronymus fuit, at is certe fuit, cujus interpretationem Spiritus Sanctus vel dictaſſe, vel aſſumpſiſſe potuerit: ut materialiter quidem, ac ſpecificative ſumpta, divina ſit intrinſecus, ex prima nimirum conditione, atque origine ſua; formaliter vero, ac reduplicative, ut interpretatio eſt, divina ſit pariter, ſed quia, ſuo modo vel talis nata, vel pro tali adoptata, ut explicatum, & probatum eſt ſupra; & magis deinceps eneteſcet.

Neque his officit, quod in ea ſint aliqua ex Aquila, aut verius ex Theodotione: iſta enim ipſemet Vulgatus Interpres facile inſeruit operi ſuo; aut certe inſerta ſunt, Spiritu Sancto ſpecialiter id vel ſuggerente, vel approbante. Siquidem in Epiſtolas Pauli etiam intextum eſt aliquid ex Menandro, & Epimenide: num propterea Epiſtolæ illæ aut non ſunt Pauli ex toto; aut non ſunt ex toto divinæ? Recole, quæ de hoc ſcripſimus art. 2. ad 4.

Item nec illud officit; Hieronymum ipſum in ſua interpretatione emendaſſe nonnihil: reſpondeo enim, id mirum non eſſe; primo, quia Hagiographis ipſis non uno modo dictavit, aut locutus eſt Deus, ſed aliis, ut ſubito, & clare perſpicerent, quæ ſcriptis eſſent mandanda, ut Prophetis; aliis vero, ut id nec ſtatim, nec niſi adhibito ſtudio, & labore cognoſcerent, ut hiſtoricis, præſertim aliquibus. Deinde, quia, ut aliquid Deum auctorem ſpecialem habere dicatur, ſi præſertim ex iis ſit, in quibus libera hominis & facultas, & opera intervenit; eſſe idem ſimpliciter optimum, ac perfectiſſimum, non eſt neceſſe: ſatis eſt eſſe bonum, atque perfectum; tale nimirum, ut magis magiſque perfici, Dei ipſius ope, ac lumine, queat. Tertio, quia, quem Deus ſcribentem movet, ac regit, ab eo poteſt interdum abſiſtere, eidemque, cum ſecundam adhibet operi manum, rurſus adeſſe, & dictare, unde corrigat, quicquid ſibi relictus ſcribendo peccavit. Ut ſit propterea ſcriptio illa, tota quidem prorſus ex Deo, veruntamen non ut tantum inchoata; ſed ut perfecta. Exemplum trium horum facile habes in ſecundo Machabæorum; qui eorum, quæ ſunt *ab Jaſone Cyreneo quinque libris comprehenſa*, compendium eſt (II. Mach. 11. 24.) Etſi enim hujus etiam ſacri Libri, ut approbatum eſt art.

2. non ſolæ ſententiæ, ſed etiam verba divina ſint; quod tamen Scriptor affirmat, (II. 27.) ſe in opere hoc *non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſiſſe*; idemque aliquid *minus digne* ſcriptum in eo videtur agnoſcere; *ſibique concedendum*, & quaſi ignoſcendum, dicit; (xv. 39.) credibile non eſt; Spiritum Sanctum eodem hic uſum dictandi modo, quo in aliis pluribus Scripturæ divinæ libris; quod primum erat: aut Scriptori iſti præſentia, & numine ſuo ſic affuiſſe; ut illi in omni ea ſcriptione nullam prorſus lituram facere opus fuerit, qua locum aliquem vel magis perpoliret, ac perficeret, quod erat ſecundum; vel etiam retexeret; atque emendaret, quod tertium erat. Transferenda hæc ad Hieronymum, ſi quidem ipſius interpretationem divinam eſſe volumus, nec tantum adoptione, aut prima tantum origine, aliis quoque Scripturæ interpretationibus communi; ſed etiam peculiari, & ſua; qualem non habuit, niſi Septuaginta Interpretum Verſio; de quibus eadem tria dicenda ſunt, Hieronymo ipſo auctore; quippe cum illos *Spiritu Sancto plenos*, dicat præf. 2. in Lib. Paral. eoſdemque præf. in Pent. *in una baſilica congregatos non prophetaſſe, ſed contuliſſe*, confirmet ex Ariſtæa. Quæ quidem cum facerent, probabile eſt, ex iis, quæ primo ſcripſerant, multa mutaſſe: nec potuit interpretatio illa, niſi poſtquam penitus abſoluta, ac recognita eſt, uſquequaque divina dici; & omni parte in Deum auctorem ſpecialem referri.

Ad ſecundum; quod pertinet ad errores primi, & ſecundi generis; argumentum rejicio in adverſarios, propter Verſionem Septuaginta; quæ tametſi maxime exacta, & perfecta, ac Spiritu Sancto primario auctore, atque interprete digna, quemadmodum ex Ariſtæa, Philone, & aliis in ſuperiore articulo, & hic paulo antea vidimus; in eadem tamen, ut docent Epiphanius, Hieronymus, & Auguſtinus locis ſup. not. omiſſa quædam de induſtria fuerunt, quædam addita, quædam etiam aliter reddita: ut ipſi quoque errores interpretum ejus utriuſque generis objici potuiſſe viderentur. Deinde directe, nego ſuppoſitum. Aliis ſcilicet interpretationibus objicienda ſunt iſta: non Latinæ Vulgatæ, qualis eſt a Tridentino approbata; quemadmodum nec Verſioni Septuaginta, qualis initio fuit. Cum inſtar Scripturæ originalis, ut jam oſtendimus, illa in præſens, hæc olim habenda fuerit. Ac proinde quam fideliter, & quam apte exemplar ſuum reddat Latina noſtra Vulgata, Græca illa Verſio reddiderit, vel non eſt quærendum; vel non eſt æſtimandum ex ipſomet exemplari, præſertim quale nunc extat; ſed iis argumentis, quibus probatur, Dei conſilio, & voluntate exemplar illud eo modo eſſe redditum; eaſque Interpretationes a Deo fuiſſe vel dictatas, ut ita redderent; vel, quod ita redderent, adoptatas.

Tertio, ut nihil relinquatur ambiguum, ac plenius & adverſariis ſatisfiat, & nobis; quod ajunt de utroque illo genere errorum, ita diſtinguo: Si ſermo ſit de Interprete primario, cujus eſt proprium opus Vulgata, etiam formaliter, ac per ſe proxime; proprium, inquam, vel origine, vel aſſumptione; nego, Interpretem hunc aut erraſſe uſquam, aut errare potuiſſe, cum ſit ipſe Deus. Sin autem ſermo ſit de interprete ſecundario, ut puta, de Hieronymo; iterum diſtinguo: Si de ipſius interpretatione æſtimetur ex divina voluntate, & ordinatione; ſive, ſi habeatur reſpectus ad illa, quibus ſignificandis ea eſt formaliter, ac per ſe proxime a Deo dictata, vel aſſumpta; nego pariter eſſe ullum in Vulgata errorem interpretis vel ſecundarii. Sin vero cum ſuo dumtaxat exemplari conferatur; tertio diſtinguo: Si ſermo ſit de iis erroribus, propter quos non utcunque diſcrepet ab exemplari; ſed ſit illi eo in loco prorſus contraria, & cum ipſius veritate pugnet; nego eſſe in Vulgata ullos ejuſmodi errores. Immo & nego ſuppoſitum. Cum enim Deus nec ipſe loqui, nec adoptare pugnantia inter ſeſe; nec verum vero contrarium eſſe queat; ſi qua in Vulgata ejus generis contrarietas eſt, ac diſſenſio, & pugna cum Textu Hebraico, aut Græco; hi Textus eo in loco exemplar, ſive originales non ſunt; ſed adulterati, aut aliquo modo vitiati. Quod ſi ſermo ſit de iis erroribus, quibus affertur aliquid dumtaxat diverſum ab eo, quod eſt in Textu originali, & cum eo poſſit conjungi, & conſiſtere, quarto diſtinguo: Si verum

eſt,

eſt, Hieronymo ſcribenti, emendanti, recognoſcenti Vulgatam ſic affuiſſe Spiritum Sanctum, ut quoquo modo quemque locum redderet, corrigeret, probaret, id tribueretur Spiritui Sancto; quod nos non determinate, ſed disjunctive dumtaxat defendimus; nego pariter, ullos iſtiuſmodi errores eſſe in Vulgata: non quod in ea non ſit diverſitas aliqua ejus generis, ſed quia vel ibi pariter vitium eſt in Textu Hebraico, aut Græco; vel ſi in illis vitium non eſt; cum hæc Vulgatæ diverſitas ſit a Spiritu Sancto, error nec eſt, nec vocari poteſt, ſed tantum alia quædam, eademque divina notitia. Quod ſi Hieronymo Spiritus Sanctus eo modo non affuit; quinto diſtinguo: Si videtur indignum, vel levem hujuſmodi lapſum interpretis a Deo adoptari, & aſſumi ad novum quidpiam, vel id ipſum aliter ſignificandum, iſtos quoque interpretis lapſus nego eſſe in Vulgata. Si vero non videtur indignum; permitto, eſſe aliquem ejuſmodi lapſum; modo mihi detur, ipſum illum locum, in quo leviter lapſus Interpres, ſignificare divine, nec poſſe *ullo prætextu rejici*; quod ſancivit Tridentinum. Habes in hac quincuplici diſtinctione totius doctrinæ noſtræ ſummam ſcholaſtice expoſitam; quo poſſit & melius teneri, & facilius defendi.

Itaque de iis omnibus, quæ in Vulgata notat Natalis Alexander, & ante illum Lucas Brugenſis, ita generatim eſt reſpondendum: Ubi Vulgata a Textu originali ita diſcordet, ut alterutrius teſtimonium rejicere neceſſe ſit; quandoquidem & Tridentini decreto, & cæteris argumentis noſtris, teſtimonium Vulgatæ non poteſt *ullo prætextu rejici*; rejiciendum alterius. Ubi vero ita diſcrepant, ut poſſint, quæ reſtantur, ſimul componi, ac teneri; teſtimonium Vulgatæ, ex eodem decreto, iiſdemque argumentis, omnino recipiendum eſſe: teſtimonium vero Scripturæ originalis recipi non quidem debere, cum ea in re non fulciatur auctoritate Vulgatæ; ſed tamen poſſe, cum ea non oppugnetur. Nempe huc facit quod de Verſione LXX. ſcriptum reliquit Auguſtinus Lib. XVIII. de Civit. cap. XLIII. his verbis: *Si congruere non videtur* (cum Septuaginta Interpretibus Scriptura Hebræorum, cum adhuc integra eſſet) *altitudo ibi prophetica eſſe credenda eſt: Spiritus enim, qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat in Septuaginta viris, quando illa interpretati ſunt: qui profecto auctoritate divina & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixiſſet, quia utrumque idem Spiritus diceret; & hoc ipſum aliter; ut ſi non eadem verba, idem tamen ſenſus bene intelligentibus dilueſceret; & aliquid prætermittere, & aliquid addere; ut etiam hinc oſtenderetur, non humanam fuiſſe in illo Opere ſervitutem, quam verbis debebat interpres, ſed divinam potius poteſtatem; quæ mentem replebat, & regebat interpretis.*

Tandem, quod ad tertium errorum genus, quo genere tenentur ſolœciſmi, barbariſmi, & ſimilia orationis vitia, aut menda; primum, argumentum retorqueo ad ipſa Divinæ Scripturæ Autographa, quibus eadem poſſent opponi; cum, *imperitum ſermone*, Hieronymus dicat Amos in Proem. Paulus vero dicat ſeipſum II. Cor. XI. 6. Deinde hic etiam nego ſuppoſitum. Humano ſermoni objicienda ſunt iſta pariter; non divino, aut qui tamquam divinus habendus ſit. Quam polite ſcripſerint ſive Hagiographi, ſive noſter Interpres, aut non eſt quærendum, aut humanæ artis regulis æſtimandum non eſt. *Verba cæleſtis oraculi*, ideſt, divinæ Scripturæ, inquit Gregorius in Epiſt. ad Leandrum de Libris Moral. cap. V. *reſtringenda non ſunt ſub regulis Donati .... Ex qua nimirum quia noſtra Expoſitio oritur, dignum profecto eſt, ut quaſi edita ſoboles ſpeciem ſuæ matris imitetur*: Nævos nimirum ipſos, ſi tales dicendi ſunt, referat. Ex quibus hic pariter ita demum diſtinguo: Si conſulantur regulæ æternæ, divinæ ſcilicet bonitatis, & charitatis erga homines; & ut monet Bernardus, ſeu verius Guigo Lib. I. ad Fratr. de Monte Dei cap. X. num. 31. ſi legatur Vulgata eo ſpiritu, eave affectione, atque habitudine animi; qua ſcripta eſt; nego, fore ut in ea quicquam appareat non ſatis politum, & quod verbi Dei dignitatem, majeſtatemque dedeceat. De quo vide, quæ ſcripſimus art. 2. ad 1. Si vero ad Grammaticæ, aut Rhetoricæ regulas exigantur hæc; iterum diſtinguo: Si ſermo ſit de Grammatica, aut Rhetorica divinæ Scripturæ; quæ facultates ſunt humanis ma-

jo-

Digitized by Google

jores; nec noſtris adſtringi regulis poſſunt, ſed aliis tenentur, de quibus dicemus hic aliquid art. 10. & fuſius in Summa Biblica ſuo loco diſputabimus; nego pariter in hoc genere a Vulgato Interprete quicquam peccatum. Si vero ſermo ſit de Grammatica, aut Rhetorica noſtris, ſive profanis, ne tertio diſtinguam; do quidem in Vulgata eſſe aliqua ab iſtarum præceptis aliena; tamen, ut Hieronymo humanis etiam diſciplinis apprime exculto, ac trium Linguarum peritiſſimo, non dicantur hæc imprudenti, aut neſcienti excidiſſe; nec errata, aut menda vocentur: ſed ut conſulto ita ſcripſiſſe putetur; ſive, ut divino Magiſtro, a quo intus docebatur, morem gereret; ſive, ut divinum exemplar, quod ante oculos habebat fidelius, religioſius, & ut melius intelligeretur, exprimeret.

Ad tertium; Vegæ, & aliis, qui contra nos producuntur, oppono Salmeronem, qui pariter Concilio interfuit, Titelmanum, ac reliquos ſupra nominatos, qui *divinas Litteras Spiritus Sancti afflatu, atque ductu Latine redditas*, docent. Oppono declarationem Cardinalium Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi interpretum, quæ extat apud Farinaccium par. IV. deciſ. Rotæ Rom. & apud Vincentium de Marzilla in annot. ad Trid. ex quo illam refert Suarez diſp. IV. de Fide Sect. 3. n. 10. his verbis: *Nec ſolam periodum, ſolam clauſulam, vel ſolam dictionem, aut ſyllabam, Iotave unum admitti poſſe, quod repugnet huic Vulgatæ Editioni Latinæ*. Oppono tandem verba ipſa Concilii, quæ hic in Reſponſione, & art. 4. ad 3. ſatis expendimus.

Neque ad illa in contrarium ſenſum detorquenda, quicquam momenti affert, quod annotant, Concilium uno, eodemque decreto & pronunciare Vulgatam authenticam, & ipſam emendari jubere. Nam primo ſecundum nihil obeſt, aut detrahit, cum ad diverſa referantur. Siquidem authenticam pronunciat ut eſt ab Interprete, &, ut ita dicam, in ſpecie, ac per ſe; emendari autem jubet ut erat, ex accidente a librariis, ſive typographis, in particularibus aliquot exemplis, aut in hac, vel illa editione. Quod cum conſtat ex hactenus dictis, tum facile apparet ex verbis ipſis Concilii: *Decernit, & ſtatuit, ut poſthac ſacra Scriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus, & Vulgata editio quam emendatiſſime imprimatur*. Hoc eſt ut extet in ſuis exemplis prorſus qualis ab Interprete Eccleſiæ tradita, ab Eccleſia vero recepta eſt. Id ipſum expreſſe teſtatur Præfatio Editionis Romanæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate ad mentem Concilii recognitæ, & caſtigatæ. Sic enim habet. *Sacræ Congregationi ampliſſimorum Cardinalium, aliiſque eruditiſſimis viris ad hoc opus a Sede Apoſtolica delectis, propoſitum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; ſed ipſam veterem, ac vulgatam Editionem Latinam, a mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, ſuæ priſtinæ integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit, reſtituere; eaque reſtituta, ut quam emendatiſſime imprimeretur, juxta Concilii Oecumenici Decretum, pro viribus operam dare*. Jam vero quod liber aliquis mendoſus ſit, ut eſt a typographo, cum eo non pugnat, quod liber idem, ut eſt a ſuo auctore, & ſummæ fidei, & perfectiſſimus ſit. Cum hoc intrinſecus habeat, atque ex ſua propria conditione, & natura; illud externum ſit, & adventitium.

At; inquies; re quidem, & veritate, ſeu ſpeculative non pugnat: pugnat autem practice; hoc eſt, officit uſui. Reſpondeo, idcirco Tridentinum juſſiſſe Vulgatam *quam emendatiſſime imprimi*, ne menda illa praxi, ſive uſui officerent. Quamquam & illud cavere voluerit, ut ne manarent latius, ac rebus gravioribus paulatim ſe ſuperfunderent; totamque adeo Editionem infuſcarent, atque corrumperent. At relicta ſunt aliqua; immo vero multa, ut viſum Bellarmino: *Multa pertranſivimus &c.* Reſpondeo, *Vulgatam ſuæ priſtinæ integritati, ac puritati, quoad ejus fieri potuit, reſtitutam*, ut viſum Pontificibus, quorum Editio hæc ipſa verba, eorundem juſſu, præſefert. Viſum Cardinalibus ſup. cit. qui *nec ſyllabam, jotave unum admitti* ſinunt, *quod his repugnet*. Ajo præterea, ſi vere Bellarminus hæc ſcripſit, quæ adhuc equidem reperire non potui; cum unus ex Sacrorum Librorum correctoribus fuerit; in quam ſententiam intelligendus ſit, aperte colligi ex me-

mo-

morata Præfatione, quæ ipſorum omnium nomine, immo, ut dixi, & Pontificis juſſu Romanæ Editioni præpoſita eſt; immo Bellarminum potiſſimum auctorem habere fertur. Ibi enim non ſolum hoc profitentur, non fuiſſe ſibi propoſitum, antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; ſed addunt præterea: cum ad emendationem Vulgatæ multum contulerint Hebraica, ac Græca exemplaria; quæ loca ab illis diſcrepabant; nec eſſe videbantur ab antiquo Interprete, nec erant ab Eccleſia ipſa aliunde adlecta, & probata;; ea omnia ab ipſis eſſe mutata. At vero alia, quæ ab Hebraicis, Græciſque exemplaribus pariter diſſidebant, quamvis propter eum' diſſenſum correctione indigere viderentur; quod tamen illa vel eſſe ab antiquo Interprete judicarunt, qui exemplaribus uſus eſt melioribus, & emendatioribus; vel certe ab Eccleſia longo uſu recepta, & probata fuerant; propterea eſſe relicta.

Ad quartum, dicendum, aſſertionem noſtram non eſſe eam prorſus, quam hic adverſarius oppugnat. Immo, quod affirmare nos arbitratur, Vulgatum Interpretem nuſquam eſſe lapſum, ex aſſertione noſtra vel definite, vel abſolute non ſequitur. Recole, quæ dicta ſunt ad ſecundum. Aſſertio noſtra hæc eſt: Interpretatio, ſive Editio Latina Vulgata, qualis eſt a Tridentino approbata, hoc eſt, qualem eam habemus ex emendatione Sixti V. & Clementis VIII. proprie, & per ſe proxime, ut interpretatio, & talis interpretatio eſt, a Deo vel dictata eſt interpreti; vel adoptata, aſſumpta, elevata, aut quoquo alio modo ſignificari placeat, quod Deus illam velit haberi perinde, ac ſi eſſet Scriptura prorſus originalis; & propterea ſic eſt habenda. Res ita propoſita, non tantum probabilis eſt, ſed, vel ex ſolo Tridentini decreto mihi eſt adeo certa; ut, qui decretum illud rite expendat, de illa prudenter dubitare non poſſe videatur. Repete, quæ de hoc dicta ſunt in Reſponſione: atque illud præſertim, quod Vulgatæ auctoritatem tribuit abſolutam, ſupremam, prorſus univerſalem; hoc eſt, ſecundum *omnes* ipſius *partes*. Quo videlicet nihil majus in Eccleſia obtinuit unquam Scriptura originalis.

Hæc igitur adeo certa cum ſint, ſuper ipſis ea mihi videtur fundari poſſe, & conſtitui prudens, gravis, & maxime catholica praxis: ut, quæcumque de toto hoc genere quæſtio incidat, idem reſpondendum ſit de Vulgata, quod de Textu Hebraico, de Verſione Septuaginta Interpretum, de Textu Græco Teſt. N. reſpondendum fuit, cum hæc omnium judicio, adhuc integra, atque authentica erant. Itaque ſi quæras, utrum Vulgatæ teſtimonium rejicere liceat in re leviſſima; reſpondeo, non licere; quemadmodum, Scripturæ originalis teſtimonium rejicere ſimili in re aliquando non licuit. *Si quis libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout ...... in Vulgata* &c. *pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit .... nemo illam quovis prætextu rejicere audeat, vel præſumat*. Item ſi petas, quid faciendum putem, ubi aliquis typographi error occurrat; qualia ſunt illa, quæ in hoc genere profert Tirinus Tom. III. in indice Controverſiarum Fidei num. 9. Idipſum faciendum, reſpondeo, quod primo Eccleſiæ ſæculo, ſi in Hebraicis, Græciſve exemplaribus ſimilis librarii error apparuiſset. Nimirum ut, niſi error evidens ſit, præſumptio, ut ajunt, ſit a contrario; nec pro errore habeatur. Nunquam vero privata auctoritate locum ullum corrigere, aut ullo modo mutare liceat. *Nec ſolam periodum, ſolam clauſulam, vel ſolam dictionem, aut ſyllabam, Jotave unum* &c. Hæc duo ſunt eis plane contraria, quibus continetur illa praxis, quam propugnat hic ultimo adverſarius: Fas eſſe homini catholico, ubi locus non ſit de iis, quæ ad religionem, aut diſciplinam pertinent; ſi eo in loco contradicat Textus originalis, teſtimonium Vulgatæ rejicere; vel hanc ex illo corrigere. Quæ duo ſane qui poſſint cum Tridentini decreto cohærere, non video. Præſertim cum *Apoſtolica Sedes Vulgatam Editionem, quanta fieri potuit diligentia caſtigaſſe* ſe, dicat, ex Concilii mente, & præſcripto. Quare etiam ſi noſtra aſſertio non certa, ut mihi videtur, ſed tantum probabilis ſit; negandum tamen hæc ſequi; quæ falſa ſunt, ac vel ſolo Tridentini decreto, quo Aſſertio noſtra maxime nititur, facile refutantur. Vel enim adverſarius rejici, aut corrigi poſ-

poſſe vult in Vulgata ea, quæ ſunt ab Interprete; id ne ipſa quidem Apoſtolica Sedes, poſt Tridentini decretum a Summo Pontifice confirmatum, licere ſibi putavit. Vel rejici, aut corrigi poſſe vult in Vulgata, quæ ſunt a typographis, aut malis emendatoribus; hoc vero eadem Apoſtolica Sedes, quantum fieri poteſt, ac debet, ex Tridentini decreto jam fecit.

DISPUTATIO SEXTA.

Utrum divina Scriptura clara, & intellectu facilis ſit, omnibus legenda, & tractanda.

I Ita videtur. Primo, quia quod docet Auguſtinus Lib. IV. de Gen. ad lit. cap. xxviii. num. 45. nomen lucis non magis proprie uſurpari *de luce corporea*, *quam de luce ſpiritali*, hoc eſt, de ſapientia, & veritate; etiamſi verum non ſit, niſi quatenus conceditur a S. Thoma p. 1. q. 67. a. 1. tamen utrique luci æque oppoſita obſcuritas eſt. Quare omnis ſapientis, & potiſſimum quidem doctoris & magiſtri, quorum eſt illuminare, laus una eſt ex præcipuis, quod clari, atque intellectu faciles ſint. A quo ſi maxime laudantur homines, quanto magis autem de hoc ipſo laudari convenit Deum, qui in ſacra Scriptura humano generi doctorem proprie, & magiſtrum ſe præbet, *quæcumque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. (Rom. xv. 4.) & cum ſit Sapientia ipſa, & Veritas, proprium ſibi quodammodo lucis nomen facit! *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*. (1. Johan. 1. 5.)

Secundo, quia quemadmodum in Sacra Scriptura continentur omnes bonæ artes, ac diſciplinæ, ut oſtenditur art. 10. præſertim vero Chriſtiana doctrina, ac ſcientia Sanctorum, ſic ad omne hominum genus, captum, ætatem facit. Quocirca ipſius figuram, aut ſymbolum Patres agnoſcunt in Manna, *omne delectamentum in ſe habente, & omnis ſaporis ſuavitatem* (Sap. xvi. 20.) Vide Ambroſium epiſt. vii. claſ. 1. ad Juſtum num. 4. Lib. II. de Cain, & Abel cap. 6. num 22. Hieronymum in Pſalm. cxlvii. 14. Auguſtinum in Append. Serm. xxv. num 3. Gregorium Lib. VI. Moral. cap. xvi. num. 22. & Lib. XXXVI. cap. xv. nu. 29. Item in menſa quam Sapientia proponit Prov. ix. 4. 5. &c. quoque nominatim invitat parvulos, ac rudes: *Si quis eſt parvulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum & bibite vinum, quod miſcui vobis*. &c. Legantur Origenes Lib. VIII. in Epiſt. ad Rom. cap. xi. ſ. 4. Hilarius in Pſalm. cxviii. 50. Ambroſius Lib. I. de Offici. cap. xxxii. num. 165. Hieronymus in Pſalm. xxii. 5. Auctor Imperfect. apud Chryſoſtomum homil. 41. Gregorius Lib. XVII. Moral. cap. xxix. num. 43. Anſelmus de Fid. Trinit. cap. 11. Illam præterea comparant *fonti*, qui mundi initio *aſcendebat e terra*, *irrigans univerſam ſuperficiem terræ* (Gen. II. 6.) immo & quatuor Paradiſi Fluminibus. Ita Eucherius Lugdun. in hunc Geneſis locum, Radulphus Flaviacenſis in Levit. Lib. X. cap. 1. & Hugo a S. Caro in Eccleſiaſtic. xxiv. 35. 40. comparant Cœlo, ac ſtellis, quæ omnibus *enarrant gloriam Dei*; *& non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum* &c. (Pſ. xviii. 1. 4. &c.) Ita Auguſtinus, ac Proſper in Pſalm. ciii. 2. & Gregorius Lib. 1. in Ezech. homil. xi. num. 30. Tandem paſcuis, quæ omnibus patent; ut Iſidorus de ſum. Bon. cap. 1. atque agro omnibus omnia ferenti; de quo Rupertus Lib. I. de Glorific. Trinit. cap. 11. ſcribit hæc: *Ager iſte, de quo propoſuimus, ſancta veteris inſtrumenti Scriptura eſt. Et recte dicitur ager: quia profecto res publica eſt: res in aperto poſita, & cunctis hominibus, immo populis omnibus legere, vel audire cupientibus, propoſita eſt. Hinc eſt illud in Pſalmo veraciter dictum* (lxxxvi. 6.) Dominus narrabit in Scripturis populorum. *Quid namque eſt, quod dicit*, in Scripturis populorum, *niſi ac ſi diceret*, *in Scripturis, quæ populis expoſitæ ſunt*,

vel

Digitized by Google

vel quæ a populis omnibus legi poſſunt? Quod ut diceret non fuiſſet neceſſarium, niſi eſſent quædam ſcripturæ, ſive quædam ſcripta, quæ non ſunt populorum, verbi gratia ſcripta Platonicorum, ſcripta Ariſtotelicorum. Simile quidpiam Hieronymus in Pſalm. LXXXVI. 6. 7. Olympiodorus in Eccle. I. 4.

Tertio, quia diſerte in Sacra ipſa Scriptura omnibus prorſus, ſine ulla exceptione, vel præcipitur, vel ſaltem ſuadetur ejuſdem Scripturæ lectio & cognitio. Sic Joſ. I. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*. Et Pſalm. I. 2. *Beatus vir &c. qui .... in lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Nec non Pſalm. CXVIII. 2. *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus*. Item Johan. V. 39. *Scrutamini Scripturas* &c. Ejuſdem generis ſunt, quæ Deut. XI. 18. 19. 20. Act. XVII. 11. Cor. II. I. 13. Eph. III. 4. Coloſ. III. 16. Apocal. I. 3. &c. Ut injuſtitia, atque adeo impietate notari videantur ab Apoſtolo Rom. I. 18. qui quemquam ab hac lectione prohibent. *Revelatur enim ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*. In Sacris pariter Canonibus excipitur nemo. Sic enim generatim, atque univerſe diſt. 38. cap. *Si juxta* &c. cap. *Qui quæ Dei ſunt* &c. *Scripturarum ignorantia, Chriſti eſt ignorantia*. Nimirum ex Hieronymo in primum Comment. Iſa. ad Euſtochium. Concilium Carthaginienſe III. cap. IV. ſacris Ordinibus initiari vetat, qui *primum divinis Scripturis inſtructi, vel ab infantia eruditi non ſint*. Aquiſgranenſe vero ſub Ludovico Pio Lib. II. de inſt. ſanctim. cap. V. ſacras Virgines *de Scripturarum fontibus jugiter aquam ſalutis haurire*, jubet. Nec minus univerſaliter Patres. Baſilius Magn. in Regul. brevius tract. inter. 95. *Quæ*, inquit, *ad uſum ſpectant, ea par eſt, & neceſſarium ab unoquoque ex divina Scriptura edisci, & ut perficiatur pietas, & ut humanis traditionibus non aſſueſcat*. Chryſoſtomus Homil. IX. in Epiſt. ad Coloſ. *Audite ob ſecro, ſæculares omnes, comparate vobis Biblia animæ pharmaca: ſi nihil aliud vultis, vel novum Teſtamentum acquirite, Apoſtolorum Acta, Evangelia* &c. Et homil. 3. de Lazaro: *Non poteſt fieri, ut quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuo verſetur in lectione ſpirituali*. Ambroſius Ser. VIII. in Pſalm. CXVIII. num. 59. confitetur quidem, *multam obſcuritatem eſſe in Scripturis Propheticis*; veruntamen addit: *ſed ſi manu quadam mentis tuæ Scripturarum januam pulſes, & ea, quæ ſunt occulta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur tibi non ab alio, ſed a Dei Verbo, de quo legiſti in Apocalypſi, quod Agnus librum ſignatum aperuit, quem nullus antea aperire poterat*. (Apocal. V. 8.) Tandem Auguſtinus in Pſalm. VIII. num. 8. *Inclinavit*, inquit, *Scripturas Deus uſque ad infantium, & lactentium capacitatem; ſicut in alio Pſalmo* (XVII. 10.) *canitur*, Et inclinavit Cælum, & deſcendit. Similiter in Pſalm. CIII. Serm. 3. num. 4. & CXLVI. num. 12. Reliquorum, quæ tum ab his, tum ab aliis Eccleſiæ Patribus in hanc eandem ſententiam ſcripta ſunt, indicem locupletiſſimum pertexuit Cherubinus a S. Joſepho Tom. I. Biblioth. Crit. Sacr. diſſer. proœmial.

Quarto, quia hæc fuit, jam inde a primis uſque ſæculis, Eccleſiæ praxis, & conſuetudo, ut divinæ Scripturæ eſſent in manibus omnium: etiam Fœminarum; ut liquet de Cæcilia ex Metaphraſte, de Gorgonia ex Gregorio Nazianz. de Macrina ex Gregorio Nyſſen. de Bleſilla, Principia, Paula, Læta, Demetriade, Salvina, Celantia, Marcella, Euſtochio, Aglaſia, Fabiola &c. ex Hieronymo, deque aliis pluribus ex aliis. Puerorum quoque; ut de Origene adhuc puero ex Euſebio, Antonio Magno adhuc itidem puero ex Athanaſio, de Abramio ex Ephræm Syro, de Johanne Calibita ex Metaphraſte, de Gregorio Naz. Euſebio Emeſen. Marco Heremita ex Sozomeno, deque aliis pariter ex aliis. Denique omnium gentium; quo pertinet Scripturæ in omnes fere linguas converſio, a Deo ipſo approbata, ut refert Æneas Sylvius Lib. I. hiſtor. Bohem. cum in rem iſtam audita vox illa de Cælo: *Omnis Spiritus laudet Dominum; & omnis lingua confiteatur ei*. (Pſalm. CL. 6. Rom. XIV. 11. Epheſ. II. 10.) Nec mirum; ſic enim fieri debuit in re adeo ad ſalutem neceſſaria.

Sed contra eſt auctoritas Summorum Pon-

Pontificum Pii IV. qui ad mentem etiam Tridentini, ſeſſ. 22. cap. VIII. & can. 9. qui, inquam, in quarta Indicis Regula Sacra Biblia in linguam vernaculam verſa *legi*, *aut haberi*, vetuit, Clementis VIII. qui, nova animadverſione in eam Regulam, id ipſum etiam reſtrictius prohibuit. Ac demum. Clementis XI. qui in Conſtitutione, *Unigenitus* &c. inter cæteras Queſnelli propoſitiones, has etiam damnavit 79. *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria ſacræ Scripturæ*. 80. *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus*. 81. *Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione*. 82. *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere*. 83. *Eſt illuſio, ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione ſacrorum Librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia, ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes*. 84. *Abripere e Chriſtianorum manibus Novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare*. 85. *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis; & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis*. 86. *Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei*. De his univerſis, & ſingulis propoſitionibus vide Jacobum de la Fontaine in Conſt. Unigenitus Theologice propugnata Tom. III.

Reſpondeo, ſacram Scripturam plurimis in locis obſcuram eſſe, & intellectu difficilem, nec omnibus, qui etiam Latine ſciant, univerſe legendam, aut tractandam; ſed iis tantum, quos doctrina, pietas, ætas quoque, aut, quod ætatem ſuppleat, morum gravitas, ingeniique maturitas commendet. Quod obſcura, & difficilis, probatur primum ex iis, quæ ibi traduntur, quaſi ex materia: quæ quidem non ſemper plana, noſtrarum rerum ſimilia, aut nobis præſentia, vel prope poſita; ſed identidem ardua, a nobis aut tempore, aut genere diſſita, & quam altiſſima ſunt. Ut Trinitatis, & Incarnationis myſteria, ut Prædeſtinatio, ac Reprobatio, divinæ Gratiæ efficacitas, & liberum hominis arbitrium, aliaque plurima, quæ præſertim Theologi Scholaſtici, Dogmatici, Morales, Myſtici tractant. Deinde ex modo, quo hæc, & alia omnium generum in Scriptura traduntur, tanquam ex forma. Siquidem, ut eſt manifeſtum, in ea frequentiſſima ſunt metaphoræ, tropi, ac figuræ omnis rationis; item parabolæ, ænigmata, ſymbola; præterea antilogiæ, hyperbata, anticipationes, iſterologiæ, nominum mutationes; & qui plurimi ſunt idiotiſmi Linguarum Hebraicæ, hac Græcæ quos ſervat etiam Latinus Interpres, de quibus vide Tirinum Tom. I. Quæ, ſane multis in locis obſcuritatem, ac difficultatem facere, cum eſt neceſſe, tum experientia ipſa compertum, atque evidens eſt.

Jam vero cum ſine eorum, ad quos pertinet, facultate non liceat Scripturam legere Vernacula lingua; quod tamen, ut illam aliquis, omni præſertim ex parte, digne, rite, cum utilitate, & ſine periculo, legat, aut tractet; eum ſatis non ſit Latine ſcire, ſed iis præterea opus ſit doctrinæ, pietatis, atque etiam ætatis præſidiis, quæ diximus; probatur cum ex ipſa dignitate, & ſanctitate divinæ Scripturæ, cui ſcilicet id honoris, ac reverentiæ debetur, ut nemo, qui ab iis omnibus paratus, & inſtructus non ſit, ad eam accedere audeat; tum vero maxime ex ejuſdem obſcuritate, & difficultate, quæ cum tanta ſit, quantam proxime oſtendi, hos in eis, qui ipſi dant operam, paratus, & adjumenta poſtulat. Atque ea quidem partim directe, & ex ipſa rei natura, ut nemo non videt; partim vero non directe, ſed ex Dei voluntate. Cum enim vera Scripturarum intelligentia peculiari modo *deſurſum ſit, deſcendens a Patre luminum* (Jacob. I. 17.) tametſi ei *facile eſt, ſubito honeſtare pauperem*, (Eccli. XI. 23.) ac *Spiritus ubi vult ſpirat*; (Johan. III. 8.) eam tamen, lege ordinaria, & communi, iis ſolum tribuere ſolet, in quibus hæc præcipue inſint: primum animi, corporiſque munditiës. Quare ſcriptum Sap. VII. 24. 25. *Sapientia attingit ubique*

pro-

Digitized by Google

propter ſuam munditiam .... nihil inquinatum in eam incurrit &c. *nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. (Sap. I. 4.) & Matth. v. 8. *Beati mundo corde* : *quoniam ipſi Deum videbunt*. Deinde veritas : ſeu, dictorum, factorumque fides, & integritas ſumma; ingenuo ſcilicet, honeſto, in primis vero Chriſtiano homine digna. De qua re Prov. VIII. 12. *Viam pravam*, *& os bilingue deteſtor*. & Sap. I. 5. Spiritus Sanctus *diſciplinæ effugiet fictum*. & VII. 25. 26. *Sapientia .... Emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera ... Candor eſt enim lucis æternæ*, *& ſpeculum ſine macula* &c. Itemque Eccli. xv. 10. *Sapientiæ Dei aſtabit laus*, *& in ore fideli abundabit*; *& Dominator dabit eam illi*. Tertio orandi, ac meditandi ſtudium. De quo ſcilicet Prov. VIII. 17. 34. *Qui mane vigilant ad me*, *invenient me .... Beatus homo*, *qui audit me*, *& qui vigilat ad fores meas quotidie*, *& obſervat ad poſtes oſtii mei*. Et Sap. VII. 7. *Optavi*, *& datus eſt mihi ſenſus*: *invocavi*, *& venit in me ſpiritus ſapientiæ*. &c. Quod & VI. 25. 16. &c. Item IX. 4. 10. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam ... Mitte illam de Cælis ſanctis tuis*, *& a ſede magnitudinis tuæ* &c. Necnon Eccli. XXXVII. 19. XXXIX. 6. 7. & LI. 18. 19. & tandem Jacob. I. 5. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia*, *poſtulet a Deo* Quarto Chriſtiana Humilitas, & animus de ſe perquam demiſſe ſentiens. De quo Prov. VIII. 13. *Ego ſapientia* ... arrogantiam, & ſuperbiam deteſtor. & XI. 2. *ubi eſt humilitas*, *ibi & ſapientia*. Et Matth. XI. 25. *abſcondiſti hæc a ſapientibus*, *& prudentibus*, *& revelaſti ea parvulis*. Quod ait, *revelata* eſſe *parvulis*; intellige, humilibus: quemadmodum, quod *abſcondita ſapientibus*, & *prudentibus*; intellige ſuperbis. Nam quod Deus ad lectionem, tractationemque Scripturarum ſuarum, præter hæc quatuor, quæ ad pietatem pertinent, afferri etiam velit doctrinam, & convenientem ſtudiis hiſce graviſſimis ætatem, ſive prudentiam; cum generatim profeſſus eſt Deut. VI. 16. & Luc. IV. 12. ubi ſcriptum, *Non tentabis Dominum Deum tuum*: tum peculiariter Prov. VIII. 12. *Ego ſapientia habito in conſilio*, *& eruditis interſum cogitationibus*. Eccli. XXV. 6. 7. XXXII. 22. XXXIX. 16. I. ad Tim. IV. 16. *Attende tibi*, *& doctrinæ*: *inſta in illis* &c. Ex quibus collige quod erat propoſitum.

Ad primum, dandum eſt adverſariis, ſi volunt, nomen lucis etiam magis vere, ac proprie uſurpari de ſapientia, quam de luce iſta corporea, quam oculis cernimus. Quippe cum ipſis hac in re non modo Auguſtinus, ſed illud etiam favere videatur, quod eſt Sap. VII. 29. *Sapientia .... luci comparata invenitur prior*. Nihil enim contra nos iſthinc; qui non de ſapientia ipſa, ſed de illius communicatione agimus: quæ quidem admodum diverſa eſt a communicatione lucis. Hæc enim proxime eſt a cauſa neceſſaria, ut ab aliquo luminari. Illa vero a cauſa libera, ut a magiſtro vel Deo, vel Angelo, vel homine. Luminare, quoniam ex neceſſitate agit, de luce ſua tantum impertit, ac fundit, quantum poteſt. Magiſter dumtaxat, quantum debet, aut vult; quoniam agit ex electione, & cum ratione, & conſilio. Eſto autem humanus magiſter docere, ſive illuminare tantum velle debeat, quantum poteſt; quod ipſum non ſemper eſt verum: non ſic profecto Magiſter divinus, qui res altius, & prorſus univerſaliter providet: nec diſcipulorum ſuorum ſolam, nudamque doctrinam ſibi propoſuit. Quare laudatur magiſter humanus ſi clarus eſt; vituperatur autem de contrario; quia obſcuritas defectum plerunque in ipſo arguit vel facultatis, vel voluntatis. Secus vero divinus Magiſter, ſive clare, ſive obſcure doceat, de utroque ſummopere laudandus; quia utrunque ſanctiſſime, & ſapientiſſime facit. *Benedicite lux*, *& tenebræ Domino*. (Daniel. III. 72.) *Ego Dominus .... formans lucem*, *& creans tenebras*. (Iſa. XLV. 6. 7.)

Quod ſi quæras quo providentiæ conſilio Scriptura ſua tot in locis obſcura, & ad intelligendum difficilia eſſe voluerit. Reſpondeo ex Apoſtolo ad Rom. XI. 33. 34. *O altitudo divitiarum ſapientiæ*, *& ſcientiæ Dei*: *quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus*, *& inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?* Cæterum, ut apparet, & Patres notatum reliquere; hoc ideo fecit Deus, ut inter homines idem ſervaretur ordo, qui eſt inter Ange-

los; ut inferiores illuminentur, ac perfi ciantur a ſuperioribus. Ita Chryſoſtomus homil. 44. in Matth. ex illo, quod eſt Deuteron. xxii. 7. *Interroga Patrem* &c. *majores* &c. Eccli. viii. 9. *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium* &c. item xxv. 6. 7. Ezech. xliv. 23. 24. *Sacerdotes .... populum meum docebunt* &c. Malach. ii. 7. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Deinde, ut magis excitetur, & acuatur legentium induſtria, & ſtudium difficultatum oppoſitum; & quæ cum labore percepta inventaque fuerint memoriæ tenacius inhæreant, & magis etiam delectent. Ita viſum Chryſoſtomo homil. in Pſalm. xlviii. Auguſtino in Libro de vera Religione cap. xvii. num. 33. *Si ea*, inquit, *tantum eſſent, quæ facillime intelliguntur, nec ſtudioſe quæreretur, nec ſuaviter inveniretur veritas.* Enar. 2. in Pſ. xviii. n. 4. *Verba Scripturarum obſcuritate ſua multas intelligentias pepererunt.* Gregorius ſimiliter in Ezechiel. Lib. I hom. 6. num. 1. *Magnæ utilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non poteſt otioſus... In quibuſdam locis obſcurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animum quæſita.* Bernardus etiam Serm. lxvii. in Cant. nu. 7. *Verba ineffabilia* &c. *quo plus latent, plus placent; & avidius inhiamus negatis* &c. Præterea, quemadmodum Gregorius idem in hoc eodem loco diſerte pariter notat, *quia Scripturæ Sacræ intelligentia, ſi in cunctis eſſet aperta, vileſceret.* Quod & Auguſtinus Lib. II. de doct. Chriſt. cap. vi. num. 7. *obſcure quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. Quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito ... quia intellectui facile inveſtigata plerunque vileſcunt.* Item Baſilius de Spir. Sancto capit. xxvii. num. 66. Præterea, ut Sacræ Scripturæ non ſolum lectio, ſed etiam meditatio eſſet aſſidua, & plurimarum virtutum exercitationem adjunctam haberet: maxime Religionis, qua quis ſuperni luminis opem a Deo imploret; & Humilitatis, qua id promereatur, vel eo non indignum ſe præbeat. Quare, *Clavem ſcientiæ, Humilitatem*, vocat Auguſtinus Lib. II. quæſt. Evangel. qu. xxiii. Preces vero, ſive Orationem, Rupertus Lib. VII. in Matth. ſub init. & Auguſtinus idem Confeſ. Lib. XI. capit. 11. num. 4. Laurentius Juſtinianus de caſto connub. Verbi, & animæ cap. xxii. Tandem nobis contrarium non eſt, quod ſcriptum eſt I. Joan. i. 5. *Deus lux eſt* &c. Nam ſcriptum quoque I. Tim. vi. 16. *lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* & Pſal. xvii. 12. *poſuit tenebras latibulum ſuum.* Prius illud de Deo ſecundum ſe; poſteriora hæc de eodem quoad nos. Seu prius illud ad Cælites, hæc ad mortales pertinent. Habet hoc ſcilicet Scriptura divina, quod habent etiam hominum ſcripta; ut auctorem referat ſuum, & in opere agnoſcas artificem. Immo ut Verbum ex æterno dictum refert Patrem, ejuſque eſt imago perfectiſſima; ita & Scriptura Deum; cum eoque hanc ſimilitudinem habet, ut, *quemadmodum Dei viſio clara, & aperta, ſic etiam clara, & aperta Scripturæ intelligentia, viſio & intelligentia ſint non viæ, ſed Patriæ.* Ita Irenæus Lib. II. cap. xxviii. num. 6. & 7. & Gregorius Lib. II. in Ezech. hom. 5. n. 4.

Ad ſecundum; concedo, in ſacris eſſe Litteris quæ ad omne hominum genus, captum, ætatem faciant. Cum tamen ea ſint omnia æque ſancta, & divina; & non ſint æque clara; facilioraque difficilioribus permixta ſint; nego, ſatis & decenter, & tuto, quæ ſibi apta ſunt, & conveniunt, poſſe quemlibet ibi quærere per ſe ſolum. Quod attinet ad figuras, aut ſymbola; hoc primum ajo, eſſe etiam plurima ex iis, quæ Scripturæ obſcuritatem, & difficultatem oſtendant. Scripturæ figura eſt, *Liber ſignatus*, de quo Daniel. xii. 4. 9. 10. & Apoc. v. 1. 2. 3. &c. Legantur de hoc Origenes hom. 12. in Exod. & 14. in Ezechiel. Hilarius prolog. in Pſalm. num. 5. & 6. Euſebius Cæſar. Lib. VIII. Demonſtr. Evang. cap. 11. Hieronymus Lib. IX. in Eſa. cap. xxix. & Lib. I. in Dan. cap. xii. aliique plurimi. Scripturæ figura eſt, *Porta clauſa*, de qua Ezechiel. xliv. 1. 2. &c. Vide Origenem hom. 14. in Ezech. Hieronymum in hunc Ezech. locum, Gregorium Lib. II. in Ezech. hom. 3. num. 2. & 3. hom. 5. num. 3. & 4. hom. 9. num.

Digitized by Google

num. 9. & 3. Scripturæ figura, *Aqua profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari*; de quo Ezech. XLVII. 3. 4. 5. Vide Gregorium Lib. XX. Moral. cap. XX. num. 50. & Expoſitionem Apocal. XXII. 1. quæ inter Opera Ambroſii. De Scriptura pariter interpretantur quod eſt Pſ. XVII. 12. *tenebroſa aqua in nubibus aeris*, Gregorius Lib. XVII. Moral. capit. XXVI. num. 36. Lib. XXVII. cap. 9. n. 15. Lib. I. in Ezech. hom. 6. num. 1. Lib II. hom. 3. num. 17. Quod eſt Cant. IV. 15. *puteus aquarum viventium*; & Johan. IV. 11. *puteus altus*; Ambroſius Lib. de Iſaac. c. IV. num. 22. epiſt. 63. 1. Claſ. num. 78. Philo Carpath. in Cant. Gregorius Lib. XVI. Moral. cap. XVIII. n. 23. in Cant. IV. num. 20. Et quod Pſal. XXVIII. 9. *revelabit condenſa*, Auguſtinus in hunc Pſalmi locum num. 8. & 9. Præterea Scriptura eſt *cythara David*, non omnibus tractanda; ita Petrus Bleſen. epiſt. 125. item nec tractandus omnibus gladius ita Ansbertus in Apoc. Lib. IX. Scriptura *velamen impoſitum ſuper faciem Moyſis*; ita Origenes in Levit. Lib. VI. & Baſilius Lib. de Spir. S. cap. XXI. nu. 52. ex II. ad Cor. III. 14. 15. Scriptura *Templi adytum*, ſeu pars ſecretior, *Sancta Sanctorum*. Idem Baſilius ibidem cap. XXVII. num. 66 Eadem eſt *theſaurus abſconditus, & in profunditate latens*; Chryſoſtomus in Geneſ. hom. 3. 18. 21. 24. 45. Eadem eſt *Mons Dei, excelſus, & præruptus*; *Mons umbroſus, & condenſus* (Hab. III. 3. ex LXX) Mons, quo accedere prohibentur *populus, & jumenta* (Exod. XIX. 12.) Ambroſius in Pſalm. CXVIII. ſerm. 6. num. 7. 8. 9. Hieronymus Lib. XXI. in Eſa. cap. LVII Auguſtinus in Pſalm. XXXV. num. 9. in Pſalm. LXXI. num. 18. Gregorius Libro XXX. Moral. cap. XIX. nu. 64. Proœm. in Cant. num. 5. Angelomus Lexovien. in Cant. VIII. 14. Eſt *Cælum opertum nubibus*. Auguſtinus in Pſalm. VIII. num. 7. & 8. in Pſal. II. nu. 10. in Pſal CXLVI. nu. 15. Eſt *mare, immenſum, & profundum* Ambr. ep. 1. 1. Claſ. n. 2. *mare, in quo magna volumina ſententiarum, & cumuli ſenſuum*. Gregorius Lib. I. in Ezech. hom. VI. num. 13. Eſt, Abyſſus Quæſtionum, *Abyſſus multa, ac tenebris ſuperfuſa*. Chryſoſtomus in Gen. III. in Pſalm. CIII. Eſt tandem *terreſtris Paradiſus, ac Lignum vitæ, ad quorum cuſtodiam appoſita Cherubim, & flammeus gladius*; (Gen. III. 24.) Doctrina ſcilicet, & Charitas, ſive Sanctitas. Ambroſius epiſt. 49. 1. Claſ. n. 3. Hieronymus in Ezech. XLVII. 12.

Hæc primum; tum dico deinde, a nobis eſſe figuras ipſas illas, quas nobis objiciunt. Siquidem & de colligendo Manna certæ fuerunt a Deo præſcriptæ leges Exod. XVI. 16. &c. & Sapientia divina, ut eſt Prov. IX. 3. *miſit ancillas ſuas*; id eſt bonas artes, & diſciplinas; immo & virtutes omnes, *ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis*; hoc eſt, Eccleſiæ, in qua Scripturarum menſa propoſita. Præterea fons Paradiſi, & quatuor flumina exinde nata, ut Scripturæ immenſam prope amplitudinem, atque altitudinem ſignent; habes ex iis ipſis Scriptoribus, qui in oppugnatione citantur, ac præſertim ex Hugone; immo vel ex ſolis Eccleſiaſtici verbis, quæ ab illo explanantur: *A mari enim abundavit cogitatio ejus, & conſilium illius ab abyſſo magna. Ego Sapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ* &c. Cæli etiam ſimilitudo, ſive analogia, contra oppugnatores facit. Nam Cælum, ſi liber eſt, eo nullus abſtruſior, & obſcurior. Quippe cum ibi nihil aliud legere datum ſit mortalibus, præter id, quod etſi minus expreſſe, ac luculenter, ubique tamen legere eſt; ac noſtro eſt etiam cujuſque animo, ac pectori inſcriptum; videlicet Dei nomen. Si qui præterea characteres, aut notæ ſyderum ſunt; noſtrates profecto non ſunt, nec ulli adhuc intellectæ ſapientum *omnes ſapientes non poterunt ſcripturam legere* (Dan. V. 8.) Lingua nimirum illa, nec lingua hominum eſt; nedum vulgaris, ſeu vernacula ſit, quo poſſit liber ille ab omnibus legi.

Tandem, quod ait Rupertus, *Scripturam agri nomine ſignificari, quia res publica eſt, & omnibus propoſita*; ita eſt accipiendum, quemadmodum monet ipſemet cap. III. 4. & 5. *ut non omnium ſit, invenire theſaurum, qui in agro illo abſconditus eſt*; *ſed dignorum*. De quo legendus etiam Caſſianus Collat. VIII. capit. III. qui eandem figuram accurate, atque eleganter declarat. In eo vero, quod affertur ex Pſalm. LXXXVI. 6. *Dominus narrabit in ſcripturis populorum*, omittendum non fuit, quod ſtatim additur, *& prin-*

Digitized by Google

principum; ideſt, ſapientum: cum ſic pateant, ut tamen abſconditæ ſint; nec rudibus tractandæ ſint temere per ſe ſolos, ſine magiſtro; nec doctis tractandæ ſint arroganter, ſine humilitatis, aliarumque virtutum præſidio. Quoniam *Omnis ſapientia a Domino Deo eſt*, (Eccli. 1. 1.) maxime vero Scripturarum intelligentia. Deus autem, ut oſtendimus, a nobis iſta requirit; quæ quidem etiam, ipſius dona ſunt.

Ultimo addo; figuris hiſce, nobis objectis, præſertim Manna ac Menſa ſapientiæ, ut videre eſt apud omnes interpretes, Euchariſtiam quoque ſignificari. Nec vero propterea ſequi, eam nullo paratu, nullo delectu, aut diſcrimine ſumendam, aut tractandam ab omnibus eſſe. Immo, quod ait S. Thomas in hymno, " Sic ſacrificium iſtud inſtituit, ... Cujus officium „ committi voluit ... Solis Presbyteris; „ Quibus ſic congruit ... Ut ſumant, & „ dent cæteris; " ex illo nimirum quod eſt in prima ad Cor. IV. 1. „ Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, „ & diſpenſatores myſteriorum Dei: " & quod iterum Doctor Angelicus in alio Cantico, „ Mors eſt malis, vita bonis: Vide „ paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus; " ex eo pariter, quod in eadem epiſt. ad Cor. XI. 28. & 29. „ Probet autem ſe ipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim „ manducat, & bibit indigne, judicium „ ſibi manducat, & bibit: non djudicans „ corpus Domini: " omnia hæc divinæ etiam Scripturæ ſuo modo conveniunt; ut videtur Patribus mox nominandis. Quippe quæ myſteria Dei ſcripta continet; nec ſolum *panis*, & *panis Angelorum*, ſive, *de cælo*, ab ipſis vocatur ut ab Hieronymo in Pſalm. CXLVII. 14. Auguſtino Sermon. XCV. num. 1. Remigio Autiſſiodor. de celebr. Miſ. Radulpho Flaviacen. in Levit. Lib. XVII. cap. V. ſed etiam *Corpus Domini*. Ita Ambroſius Lib. VI. in Luc. num. 33. Hieronymus loco proxime cit. Alchuinus in Eccle. cap. 11. ſ. 7. aliique plures art. 2. in corp. memorati. Quare ut notat Cornelius a Lapide in Prooemio num. 4. S. Scriptura aſſervabatur olim in templis juxta Euchariſtiam & confirmat teſtimonio Paulini epiſt. 12. ad Severum.

Ad tertium; hoc primo ſtabiliendum; eſſe itidem plurima & apud Patres, & inter Canones ſacros, & in divina ipſa Scriptura, quæ ad ejus lectione, & tractatione pueros, fœminas, homines rudes, & alium quemvis ad eam rem parum idoneum, aut non ſatis paratum deterreant, & plane prohibeant. Hujuſmodi ſunt ex Scriptura, Iſa. XXIX. 11. „ Et „ erit vobis viſio omnium, ſicut verba „ libri ſignati &c. " Daniel. XII. 4. 10. „ Tu autem Daniel claude ſermones, & „ ſigna librum &c. neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent. " Act. VIII. 30. 31. " Accurens autem „ Philippus, audivit eum legentem Iſaiam Prophetam, & dixit: Putaſne intelligis, quæ legis? Qui ait: Et quomodo „ poſſum ſi non aliquis oſtenderit mihi. " I. ad Cor. XI. 6. „ Sapientiam autem loquimur inter perfectos. 7. loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. „ 14. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia „ enim eſt illi, & non poteſt intelligere: „ quia ſpiritualiter examinatur. " II. ad Cor. III. 14. 15. „ Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum uſque in hodiernum diem, „ idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet &c. cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor „ eorum. „ I. ad Tim. XI. 11. 12. 14. „ Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non „ permitto .... Adam non eſt ſeductus, „ mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. " Quæ etiam I. ad Cor. XIV. 34. 35. II. Petr. 15. 16. „ Chariſſimus „ frater noſter Paulus ſecundum datam „ ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & „ in omnibus epiſtolis loquens in eis de „ his, in quibus ſunt quædam difficilia „ intellectu, quæ indocti, & inſtabiles „ depravant, ſicut & cæteras Scripturas, „ ad ſuam ipſorum perniciem. " His adde quod eſt Pſal. CXVIII. 18. Luc. XXIV. 32. 45. & ſimilia plurima. Huc pertinent figuræ, de quibus paulo ante.

Ex Sacris vero Canonibus, præter ea quæ ſupra notavi ex Conſtitutione *Unigenitus* &c. atque ex Regula Indicis. Decret. par. 1. diſt. 37. capit. „ Relatum nobis „ eſt &c. Ad intelligentiam Sacrarum Scriturarum ſæcularium peritia neceſſaria „ oſten-

Digitized by Google

„ oſtenditur, ſeu Sacram Scripturam requirere magnam peritiam in legente. Ex Clemente I. Gregorius VII. Lib. VII. epiſt. 11. „ Sacram Scripturam placuit omnipotenti Deo quibusdam locis eſſe occultam: ne ſi ad liquidum cunctis pateret, forte vileſceret &c. aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret. “ Concilium Toloſanum an. Chr. 1129. Can. 12. „ Prohibemus etiam, ne libros veteris Teſtamenti, aut novi, laici permittantur habere: niſi forte Pſalterium, vel Breviarium pro divinis Officiis, aut Horis B. Mariæ, aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmiſſos libros habeat in vulgari tranſlatos, arctiſſime inhibemus. “ Concilium Oxonienſe an. 1408. cap. „ Scripturæ Sacræ textus aliquis ne de cætero tranſferatur in linguam Anglicanam. Concilium Cameracenſe an. 1586. cap. IV. „ Non permittantur cujuſvis de populo libri ſacræ Scripturæ lingua vernacula contra quartam regulam Indicis. Similiter Mechlinenſe an. 1570. Yprenſe anno 1609. Gandenſe an. 1613. Item Carnotenſe 1526. Senonenſe an. 1528. Burdigalenſe an. 1582. Turonenſe an. 1583. Bituricenſe an. 1584. Narbonenſe an. 1609. Mediolanenſe an. 1555. 1573. Aquilejenſe an. 1599. Concilium Hieroſolymitanum adverſus Calviniſtas an. Chr. 1672. celebratum, prorſus ad mentem Tridentini, & Eccleſiæ Romanæ, quæſt. 1. ita reſpondet: „ Enimvero ita utilem, immo & ex ſe neceſſariam divinitus traditam omnem Scripturam agnoſcimus, ut pie ſine illa homines vivere nullatenus poſſe cenſeamus. Hanc tamen haud quaquam convenit omnes legere: at eos dumtaxat, qui profunda, quæ in illa latent Spiritus arcana recta interpretatione valent aperire; quive eam, qua exponenda, docenda, legenda eſt Scriptura Sacra, rationem probe norunt. Illiteratis autem, & Scripturam Sacram abſque diſcrimine, vel ſolum penes litteram, aut alio quodam a pietate ſenſu intelligentibus, Eccleſia catholica, utique diſpendium experta, lectione ejus interdixit. “ Et aliis in hanc eandem ſententiam adjectis, tandem concludit: „ Et vero perinde eſt Sacræ Scripturæ lectione illiteratos prohibere, ac ſolidiori abſtineant cibo infantibus imperare. “ Similiter qu. 2. „ Si legentibus omnibus plana eſſet Sacra Scriptura Chriſtianis, nequaquam perſcrutari Scripturas his, qui ſalutis deſiderio tenentur, Dominus mandaſſet: fruſtraque Paulus poſitam a Deo in Eccleſia doctoratus gratiam ſcripſiſſet; neque intellectu difficilia quædam habere Pauli epiſtolas Petrus diceret. Maximam itaque conſtat eſſe Scripturæ altitudinem, juxta ac ſenſuum ejus celſitatem: ac doctiſſimis proinde, diviniſque hominibus ad eius expoſitionem, germanamque intelligentiam, nec non & ad verum, atque toti Scripturæ, & ejuſdem auctori Spiritui Sancto conſonum ſenſum opus eſſe. Itaque &c. “ Tandem quæ fuerint in hanc rem Pariſienſis, atque adde totius Gallicanæ Eccleſiæ decreta, & quam his conſentanea, videre poteris apud Propugnatorem Conſt. *Unigenitus &c.* par. 3. prop. 80. cap. 11.

Ex Patribus pro hac eadem ſententia plura indicavi ad 2. atque ex iis etiam quorum teſtimonia nobis objiciuntur. Ex quibus accipe hæc alia breviſſime. Baſilius in iisdem Regulis ad interrogat. *96.* reſpondet, *Lectionem* (etiam Scripturarum) *propriæ cujuſque voluntati permittere, perniciosum fore. Standum Moderatoris judicio.* Ex quo melius intelliges quod ad interogat, præcedentem. Idem Procem. in Eſa. num. *6.* cauſas obſcuritatis Scripturæ plures affert; ac, *præter vitæ puritatem, aſſiduam in Scripturis exercitationem, ad earum intelligentiam*, requirit. Et epiſt. 42. ad Chilonem diſcipulum ſuum num. 3. lectionem Novi Teſtamenti dumtaxat ei permittit; *propterea quod ſæpe ex Veteri oritur detrimentum: non quod ſcriptæ ſint res noxiæ; ſed quod eorum, qui læduntur, mens infirma. Omnis enim panis ad alendum idoneus, ſed nocet infirmis. Sic omnis ſcriptura &c.* Eadem Chryſoſtomi mens; quippe qui Scripturam ſæpenumero & *theſaurum abſconditum*, & *abyſſum*, ut vidimus, vocat. Idem vero homil. 18. in cap. VII. Matth. *Quærite*, inquit, *interrogantes Sacerdotes, cæteroſque habentes ſcientiam ſpiritualium Scripturarum, ſicut præcepit Lex* (Deut. XXXII. 7.) Interoga patrem tuum, & dicet tibi: *ſeniores* tuos; & annunciabunt tibi. „ Quærite ſtudio, & labore legentes Scripturas legis, &

„ Pro-

Digitized by Google

„ Prophetarum. Nam Deus ita nos diſpoſuit eſſe, ut nec ſtudentes, & laborantes circa Scripturas acquiramus ſalutem ſcientiæ ſine gratia Dei, ut ne nobis imputemus, quod ſcimus: nec tamen gratiam acquiramus, niſi ſtuduerimus, & laboraverimus circa Scripturas, ne donum Dei detur negligentibus. " Et homil. 42. in cap. xxii. ad ſtudium, & laborem, hoc adjicere jubet legentem Scripturas, ut *Deo digne vivat, ſitque id ipſi, quaſi lampadis lumen ante oculos ejus viam aperiens veritatis*. Eadem confirmat homil. 44. in cap. xxiii. atque illud addit: *Scripturas ideo obſcuras, quia Deus alios voluit eſſe doctores, alios diſcipulos. Si autem omnes omnia ſcirent, doctor neceſſarius non erat, & ideo eſſet rerum ordo confuſus* &c. Mitto alia plura horum ſimilia. Ambroſius vero Lib. III. in Luc. num. 50. periculoſum eſſe docet Scripturam legi non modo ab indoctis, ſed ab iis etiam, qui ſolidiori doctrina inſtructi non ſint. „ Vereor, *inquit*, ne quis iſta cum legerit, quod proverbialiter dicitur, quaſi puer machæram, tractare per infantiam fortiora arma neſciret, magiſque vulnus ex imprudentia, quam ſalutem ex lectione ſentiret. Infirmos enim tela ſua vulnerant; nec poteſt bene uti armis, qui ea ferre non noverit. Et ideo circa Fidem vir perfectus exigitur, in quo non per humum ſcientiæ reptet infantia, non debilis quædam, nec carnes ſenſibus myſticæ cognitionis titubet ætas &c. " & Prolog. in Luc. num. 6. cum doctrina vitæ ſanctimoniam conjungendam eſſe ait Scripturas evolventi. Ipſo autem in loco, qui nobis objicitur, eiſdem ſtudium, diligentiamque adhibendam, ſuper omnia vero preces, ad Deum; ab eoque expectandum auxilium, lumenque illud, quod ab aliis præſtari non poteſt. Sed hæc poſtrema ad Art. 8. Illud in rem præſentem moneo; ex dictis, Ambroſium iis hic non favere, qui ſola humilitate, ac precibus aliquot, cætera omnia abunde ſupplere ſe dictitant. Deumque ſibi ea una re conciliare, ac demereri exiſtimant. Ea quippe humilitate interdum nihil eſt magis ſuperbum; & arrogans, nihil iis precibus religioſum minus. Quare Auguſtinus de doctr. Chriſt. Prolog. num. 4. 5. 6. &c. eos qui nullis adhibitis hominum præceptis, Scripturas legunt aut tractant per ſeſe graviter reprehendit, & admonet, ut, „ quod per hominem diſcendum eſt, ſine ſuperbia diſcant; & per quem docetur alius, ſine ſuperbia, & ſine invidia tradat, quod accepit: neque tentent eum, cui crediderunt. &c. " Et Lib. II. cap. vi. num. 7. „ multis, *inquit*, & multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio ſentientes; quibuſdam autem locis, quid vel falſo ſuſpicentur non inveniunt; ita obſcure quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. Itaque ab omni divinarum Scripturarum ſtudioſo, præter Dei timorem, ac pietatem, ſcientiam quoque adhiberi vult. " De qua differit a num. 10 Legantur etiam, quæ ſcribit Lib. XII. Conf. cap. xiv. n. 17. in Pſalm. x. num. 8. 9. 10. in Pſal. ciii. ſerm. 1. num. 18. ſerm. 3. a num. 3. in Pſalm. 140. num. 1. in Pſam. 146. num. 12. & 15. item ſer. 4. cap. xxviii. num. 31. ſerm. 23. cap. 1. 2. 3. &c. Serm. 46. cap. ix. num. 20. & aliis plurimis in locis. Legendi pariter Juſtinus dial. cum Tryph. Irenæus Lib. II. cap. xxviii. nu. 2. 3. &c. & Lib. IV. cap. xxxii. num. 1. &c. Tertullianus de Pallio capit. iii. num. 51. adverſus hæretic. cap. xxxix. n. 237. de Reſur. carnis cap. xi. num. 280. &c. Clemens Alex. Strom. Lib. I. V. & VI. & Lib. III. Pædag. cap. xi. Origenes Prolog. in Cant. & homil. 27. in Numer. Cyprianus de Spectaculis num. 6. 7. 8. &c. Athanaſius de Incarnat. Verbi num. 57. de decr. Nicæn. Synod. num. 10. item de Synodis num. 40. Hilarius Pictav. in Pſal. cxviii. prolog. num. 2. & lit. 1. num. 1. & lit. 16. num. 11. in Pſalm. cxxxiv. num. 1. Lib. I. de Trinit. num. 37. & 38. Lib. IV. num. 14. Gregorius Naz. orat. 1. apologet. & orat. 26. num. 56. Gregorius Nyſ. in Hexamer. num. 1. in Eccle. homil. 1. & Proœm. in Cant. Epiphanius Lib. II. adv. Hæreſ. hær. 44. vel 64. num. 6. Ancorat. num. 22. Hieronymus Lib. I. adverſ. Pelagium. Prolog. in Ezech. cap. xii. in Daniel. capit. iii. in Nahum, epiſt. ad Paulinum & alibi. Cyrillus Alex. Lib. IX. cont. Julian. Fulgentius Lib. III. ad Monim. cap. v. epiſt. 6. capit. viii. num. 12. Lib. II. de ve-

Digitized by Google

verit. Prædeſt. cap. x. num. 16. Gregorius Magn. epiſt. ad Leandr. cap. III. & Lib. XVI. Moral. cap. XVIII. nu. 23. 24. Lib. XVIII. Moral. cap. XXXIX, num. 60. Lib. I. in Ezech. hom. 5. num. 1. hom. 9. num. 29. Lib. II. in Ezech. hom. 5. n. 3. 4. &c. Dialog. Lib. IV. cap. XLII. Lib. V. in I. Reg. cap. III. nu. 31. Procem. in Cant. num. 5. Hi omnes, & alii deinceps Catholicæ Eccleſiæ Scriptores ad noſtra hæc uſque tempora, ut videre per ſe quiſque poterit, Scripturam, & quidem etiam Teſtamenti Novi, plurimis in locis obſcuram, & magnis obſeptam difficultatibus eſſe confirmant, ſummo conſenſu; & ad ejus non ſolum tractationem, ſed etiam lectionem, ea omnia requirunt, quæ in noſtra aſſertione poſita ſunt.

Quapropter his ſtabilitis; reſpondeo, in ſacris ipſis Scripturis, atque Canonibus, & apud Patres commendari quidem ac præcipi lectionem, cognitionemque Scripturæ omnibus prorſus, & ſine ulla exceptione iis in locis expreſſa, ſed tamen expreſſa in aliis; vel ſine ulla exceptione; at non ſine ullo diſcrimine; neque modo, & ordine nullo ſervato: quippe cum dicant alios docere, alios dumtaxat audire, debere; nec quidem omnes omnia; ſed alios alia. Quemadmodum eorum teſtimoniis modo allatis eſt exploratum; ex quibus ſcilicet explicanda, quæ pro ſe afferunt adverſarii. In eoſque retorquendum hic pariter argumentum ex Euchariſtia. De qua tametſi nulla pariter exceptione expreſſe adhibita ſcriptum ſit Johan. VI. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis; & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* &c. & ſimilia plurima ſint apud Concilia, & Patres; nec minus univerſaliter, aut emphatice dicta, quam quæ pro Scripturarum lectione; quæ tamen in Euchariſtiæ Sacramento conficiendo, tractando, miniſtrando, ſumendo ex Eccleſiæ uſu, & præſcripto, maxime Tridentini ſeſ. 13. & 21. ſervandæ exceptiones, cautiones, modi, limites ſunt; nihil horum & rectæ rationi, & ſacræ auctoritati univerſæ non apprime conſentaneum, atque conſentiens eſt judicandum.

Ad quartum; negandum primo, hunc aliquando fuiſſe Eccleſiæ morem, ut Scripturæ eſſent in manibus omnium. Neque id probatur allatis exemplis; cum Fœminæ, quæ memorantur, ſanctiſſimæ, atque cultiſſimæ eſſent: Pueri etiam illi lectiſſimi, eoque jam tum ingenio, atque indole, quibus nullum ſtudiorum genus eſſet intempeſtivum. Præſertim cum nec ſine aliquo ſacrorum Librorum delectu, nec omnino ſine magiſtro in eo ſtudio verſati dicantur: ut ab eo facto omnis prorſus abſfuerit & temeritas, & irreverentia. Vulgaribus vero & fœminis, & pueris nihil tale conceſſum fuiſſe, aperte colligitur ex Hieronymo, qui Lib. I. adverſ. Pelag. hæc ſcribit: „ Dicis ſine peccato eſſe non poſſe, niſi qui ſcientiam „ Legis habuerit: per quod magnam „ partem Chriſtianorum excludis a juſtitia; & qui prædicator es impeccantiæ, „ omnes prope peccatores eſſe pronuncias. „ Quotus enim quiſque Chriſtianorum „ habet Legis ſcientiam, quam in multis doctoribus Eccleſiæ aut raro, aut „ difficulter invenias. “ Si Eccleſiæ more, inſtitutoque Scripturæ in omnium manibus fuiſſent Hieronymi tempore, nequaquam adeo rarum, aut difficile fuiſſet, aliquem earum peritum invenire. Nec vero illas in omnium manus, etiam fœminarum quarumlibet dedit Hieronymus: non enim in alio reprehenderet, quod ab ipſo eſſet commiſſum. Sic autem pergit: „ Verum „ tu tantæ es liberalitatis, ut favorem „ tibi apud Amazonas tuas concilies, ut „ in alio loco ſcripſeris; ſcientiam Legis „ etiam fœminas habere debere: cum Apoſtolus doceat, eſſe tacendum mulieribus in Eccleſia; &, ſi quid ignorant, „ domi viros ſuos debere conſulere. Nec „ ſufficit tibi dediſſe agmini tuo ſcientiam „ Scripturarum, niſi earum voce, & canticis delecteris. Jungis enim, & ponis „ in titulo, quod & fœminæ Deo pſallere debeant. Quis enim ignorat, pſallendum eſſe fœminis in cubiculis ſuis, „ & abſque virorum frequentia, & congregatione turbarum? “ Ex quibus eſt manifeſtum, non eam fuiſſe Eccleſiæ aut mentem, aut conſuetudinem ut fœminis traderentur Scripturæ; vel ſi qua pars iis tradebatur, id non fuiſſe ad ſtudium, aut ſcientiam; ſed ad divinas laudes, eaſque non publice, ſed privatim tantummodo

Digitized by Google

decantandas. Huc præterea pertinet quod idem Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem Hæreſes omnes, quæ eatenus extiterant a mulieribus vel initium, vel incrementum habuiſſe, oſtendit. De pueris vero Hieronymus in Prolog. ad Ezechiel. probat „ Hebræorum traditionem. „ Nam apud eos, *inquit*, niſi quis ætatem ſacerdotalis miniſterii, id eſt, triceſimum annum impleverit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec hujus Voluminis exordium & finem legere permittitur: ut ad perfectam ſcientiam, & myſticos intellectus, plenum humanæ naturæ tempus „ accedat." De aliis vero ad hæc ſtudia tam ſancta, & tam ſublimia non minus ineptis, qui fuerit Hieronymi, atque adeo Eccleſiæ ſenſus, habes ex iis, quæ ſcribit in Epiſt. ad Paulinum. Ibi enim luculenter probat, hominibus etiam minime rudibus, & indoctis ad Scripturæ intelligentiam opus eſſe magiſtro. Nec Paulino ipſi aliter faciendum cenſet. " Hæc „ *inquit*, a me breviter perſtricta ſunt, „ ut intelligeres, te in Scripturis ſanctis „ ſine prævio & monſtrante ſemitam non „ poſſe ingredi. " Tum in eos, qui aliter factitabant, ita invehit: „ Sola, *inquit* „ Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes „ paſſim vindicant. Hanc garrula anus „ hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alii, adducto ſupercilio, grandia verba „ trutinantes, inter mulieres de ſacris Literis philoſophantur. Alii diſcunt, pro „ pudor a fœminis, quod viros doceant. „ &, ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, immo audacia ediſſerunt „ aliis, quod ipſi non intelligunt &c." Quæ cum ſint adeo indigna per ſeſe, & ab Hieronymo tam graviter reprehendantur; non Eccleſiæ inſtituto, ſed hominum licentia, & perverſitate facta fuiſſe, neceſſe elt dicere, nec hæretici noſtrorum temporum, qui hæc ipſa in Germania & in Gallia paſſim faciunt, Eccleſiæ veteris diſciplinam, ſed hominum dumtaxat ſui ſimilium exempla arrogantiæ, contumaciæque prætendere ſuæ poſſunt.

Nec magis id evincit, quod addunt de Scripturæ Verſionibus in linguas vernaculas. Siquidem ut oſtendit Bellarminus Lib. II. de verbo Dei capit. xv. & xvi. *Eccleſia univerſa ſemper his tantum linguis Hebræa, Græca, & Latina uſa eſt in communi, & publico uſu Scripturarum; cum tamen jamdudum deſierint eſſe Vulgares*. Id autem Eccleſiam feciſſe ait, ut major eſſet Sacrorum, Scripturæque ipſius reverentia; major Fidelium, concordia, & unitas; minor in eandem Scripturam hominum licentia; minuſque ab ejuſdem prava intelligentia periculum. Quod refert Æneas Sylvius, ſi verum eſſet, (quoniam nec ab ipſo affirmatur) nobis faveret: cum opus miraculo fuerit, ut Pontifex Scripturæ Verſionem in linguam vernaculam Moravis permitteret. Permiſſum eſt autem, propterea quod ad Fidem inter eos ſtabiliendam ita neceſſe fuit. Quo pertinet vox illa de Cælo. Nec ultra permiſſum, quam ea neceſſitas poſtularet. Ac Gregorius VII. ut extat Lib. VII. epiſt. ad Ducem Bohemorum, ei idem petenti concedere noluit.

Ex quo altera eſt, eaque expeditior reſponſio: Eſto ea fuerit veteris Eccleſiæ praxis, quam adverſarii falſo nobis opponunt. Quod aliquando ab Eccleſia juſtis de cauſis conceſſum eſt; aliis rebus, & circumſtantiis, non minus juſte, & ſapienter negatur. His adde; quod obſervatum eſt art. 3. ubi de Libris deuterocanonicis; ſeu doctrinam, ſeu diſciplinam ſpectes, Eccleſiam ad hanc lucem, in qua nunc eſt, non ſtatim, ſed certis gradibus, atque progreſſibus a Spiritu Sancto eſſe perductam. Facit huc etiam exemplum Euchariſtiæ; de qua ut perhibetur in appendice ad Trident. num. 60. *mos antiquus fuit, ut viri lotis manibus, fœminæ linteolo mundo eam exciperent*: (ex Toletano I. can. 14. Cæſarauguſtano can. 3. Trullenſi can. 101. Antiſiodorenſi can. 36. &c. Cyrillo Hieroſ. catech. 23. num. 21. Chryſoſtomo Lib. III. de Sacerd. Auguſtino Lib. II. cont. ep. Parmen. cap. VII. num. 13. Lib. II. cont. lit. Petilian. cap. XXIII. num. 53. Serm. 229. num. 5. in append. &c.) Immo etiam, ut, quibus liberet, eam ſecum deferrent, ac domi aſſervarent: (Ex Cypriano tract. de lapſ. c. 13. & 14. Baſilio epiſt. 93. ad Cæſar. Patric. Gregorius Naz. orat. 11. in fun. Gorgoniæ. Ambroſio Lib. I. de objt. Satyr. num. 43. Gregorio Magn. Lib. III. Dial.

Digitized by Google

Dial. cap. xxxvi.) Præterea parvulis, & infantibus etiam lactentibus tradebatur; eorumque ori de ſacro Calice Chriſti Sanguis infundebatur: (Ex Concilio Nicæno I. can. 10. Arab. Innocentio I. epiſt. 25. Gelaſio epiſt. 3. Cypriano loco cit. Auguſtino epiſt. 98. ad Bonif. num. 4. epiſt. 217. ad Vital. cap. v. num. 16. Serm. 174. cap. vi. nu. 7. Lib. III. de peccat. mer. & rem. cap. iv. num. 8. Lib. II. cont. 2. ep. Pelagian. cap. iv. num. 7. 8. & Lib. II. cont. Julian. imperf. num. 30. Evagrio Lib. IV. hiſt. Eccl. cap. 36. Hugone Victor. Lib. I. de cæremon. Eccleſ. cap. xx. Vid. Trident. Seſ. 21. cap. iv. & can. 4.) Tandem ut Tridentinum pariter teſtatur eadem ſeſ. 21. cap. ii. *Non infrequens erat ab initio Chriſtianæ Religionis utriuſque ſpeciei uſus* (Legantur Cyrillus Hieroſ. Catech. 23. num. 22. Auguſtinus epiſt. 54. ad Januar. cap. vii. num. 9. Lib. III. de doctr. Chriſt. cap. ix. num. 13. in Pſalm. xxxiii. num. 10. Serm. ix. cap. x. num. 14. Serm. cxxxi. capit. I. num. I. Lib. XII. cont. Fauſt. cap. x. &c. Demum omiſſis aliis, legatur Baſileenſe Concil. de Bohem. vocat. ſ. 10.) Atque hos ritus, ut his teſtimoniis apparet, tam late diffuſos, tamdiu retentos, & approbatos, Eccleſia uſu edocta, ac novo Spiritus Sancti lumine illuſtrata tandem ſuſtulit, meliores induxit, cautiores, reſtrictioreſque. Reſponderi igitur poſſet etiam de Scriptura ſimiliter. Quæ reſponſio ad tertium argumentum aliter etiam refellendum aptari facile poteſt. Nam certe Patres, ſi his & rebus, & temporibus ſcripſiſſent, Scripturarum lectionem, & ſtudium nihilo quidem minus quam antea commendaſſent; verum quo hæc ordine, modo, delectu fieri vellent, nuſquam diſerte non annotaſſent.

Poſtremo ad id quod additur, ita faciendum fuiſſe in re adeo ad ſalutem neceſſaria, ita quidem faciendum, reſpondeo: removendum ſcilicet *erroris*, *& irreverentiæ periculum*; & nihil utilitatis Fidelibus ſubducendum; *nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudandos*. (Baſileenſe, & Tridentinum locis proxime cit.) Quæ quidem duo, ſicuti de Euchariſtia, ita etiam de Scriptura ſanctiſſime, & ſapientiſſime fecit Eccleſia. Ita enim aliquibus ſacrorum Voluminum fontem occluſit; ut eis ſimul provideri͏t, unde ex illo & tutius, & convenientius, & largius quoque haurirent, vel potius acciperent. Aquas ex puteanis pluviatiles fecit; *lac ex ſolido cibo* (I. Cor. iii. 2. Hebr. v. 12.) Illud mihi videtur pronuntiari poſſe veriſſime: Si prima excipias Eccleſiæ tempora, nunquam alias ſeu tam frequentem Euchariſtiæ uſum, ſeu tam communem omnium, & tam cuique congruentem divinarum rerum, ac ſcripturarum notitiam, quam poſt Tridentinum, extitiſſe.

DISPUTATIO SEPTIMA.

Utrum divinæ Scripturæ ſenſus plures ſint quam hi quatuor, Litteralis, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus.

Videntur eſſe pauciores; vel certe nullo modo plures. Primo; quia ſi generatim loquamur de tota divina Scriptura; cum ea ſit *Liber ille ſcriptus intus, & foris*, de quo Apoc. v. I. Senſus eorum, quæ ſcripta foris, ideſt, *Litteralis*, ſive alio nomine, *Hiſtoricus*, vel etiam *externus*, non eſt niſi unus: ideo quod hoc ſenſu Scriptura eſt regula Fidei: Regula vero in ſuo genere una eſſe debet. Multiplex enim confuſionem, atque errorem induceret. Senſus eorum, quæ ſcripta intus; ideſt, ſenſus *myſticus*, ſive, ut alii etiam loquuntur, *ſpiritualis*, aut etiam *interior*, non eſt niſi triplex ſupra nominatus. Vel enim ea pertinent ad id, quod eſt nobis credendum; vel ad id quod agendum; vel tandem ad præmium Fidei, ac recte factorum, quod nobis ſperandum; ſi primum, ſenſus Allegoricus; ſi alterum, Tropologicus, ſive Moralis; ſi tertium, Anagogicus dicitur. De quibus Eu-

Digitized by Google

cherius in Præfat. ad librum de Spirit. form. & Caſſianus Collat. 14. cap. VIII.

Secundo; quia, ſi de particularibus Scripturæ locis ſit ſermo, adeo nullus eſt, cujus plures ſint ſenſus, quam memorati quatuor, ut quorumdam locorum non ſit, niſi ſenſus exterior, ſeu litteralis. Quod clare apparet ibi maxime, ubi hic ipſe ſenſus, quem verba præſeferunt vel pertinet ad fidem, ut Johan. XVI. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*. Vel ad mores, ut Matth. XXII. 37. 39. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. & *proximum tuum, ſicut te ipſum*. Vel ad vitam futuram, ut ad Coloſ. III. 2. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite* &c. *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*. Aliorum vero locorum non eſt, niſi interior, ſeu myſticus; tunc ſcilicet, cum locutio eſt figurata; qualis eſt ex metaphora, ut *digitus Dei eſt hic* Exod. VIII. 19. *Ego ſum vitis vera* &c Johan. XV. 1. Vel, qualis in idylliis, ſive eclogis; ut Canticum Canticorum Vel, qualis in parabolis; ut, *vinea facta eſt dilecto meo* &c. Iſa. V. 1. Et *Homo erat pater familias, qui plantavit vineam* &c. Matth. XXI. 33. &c. Vel, qualis in Hieroglyphicis, ſymbolis, ænigmatibus; cujuſmodi multa apud Ezechielem, Danielem, & in tota Apocalypſi. Vel, qualis in apologis, ut Jud. IX. 8. &c. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe regem* &c. De quibus omnibus, & aliis horum ſimilibus Auguſtinus Lib. III. de doctr. Chriſtian. cap. V. num. 9. ſic præcipit: *Cavendum eſt, ne figuratam locutionem ad litteram accipias*. Et cap. X. nu. 14. *Quicquid*, inquit, *ſermone divino neque ad morum honeſtatem, neque ad Fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas*.

Tertio, quia ſi plures eſſent Scripturæ ſenſus, quam quatuor ſupra relati, maxime eſſent, primo ſenſus Accomodatitius quo paſſim utuntur Sacri oratores in ſuis concionibus; & identidem etiam Eccleſia in divinis officiis: ut cum ad omnem Pontificem Confeſſorem accomodat illud Eccli. XLIV. 17. *inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio* &c. dictum de Noe. Secundo ſenſus Elementaris, ſeu Kabbaliſticus, elicitus ex litteris Hebraicis, & Græcis; vel, ut partes ſyllabarum, & vocabulorum; vel, ut numeri ſunt. Tertio ſenſus Phyſicus, quo revelari putantur arcana omnia naturæ. Quarto ſenſus Propheticus, quo revelata pariter putantur in ſacris Litteris omnia futura, etiam quæ ad privatos pertinent, etiam quæ minima ſunt. De quibus tribus poſterioribus ſenſibus agit Sixtus Senenſis biblioth. ſanct. Lib. III. At ſenſus Accomodatitius non eſt vere; & proprie Scripturæ ſenſus; quippe qui a oDe qui Scripturas dictavit nec primario, nec ſecundario eſt intentus; nec ullo modo aſſumptus. Tres vero alii a Deo videntur etiam rejecti, ac reprobati: ſenſus Elementaris, ſeu Kabbaliſticus ex illo II. Corinth. III. 6. *Littera enim occidit* &c. Senſus Phyſicus ex illo Eccle. III. 11. *mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem* & VIII. 17. Senſus Propheticus pariter ex Eccle. VII. 1. *Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere* &c. *Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſub ſole ſit*? Quod & III. 22. & X. 14. Atque ut nihil dicatur de ſcriptoribus Hebræis, qui hos tres poſteriores ſequuti ſunt ſenſus; nihil de Valentinianis, & Gnoſticis, aliiſque hæreticis, qui hac uſi interpretandi ratione dogmatum ſuorum portenta confinxere: non omnino abſuit a reprehenſione doctorum, atque prudentium Johannes Picus Mirandulanus, quod Hebraicæ Kabbalæ nimium tribuere viſus ſit. Et male apud aliquos audierunt Raymundus Lullus, quod ſecreta artis, & naturæ; Abbas Joachimus, & Hieronymus Savonarola, quod futuras eo tempore regnorum mutationes, & ſimilium rerum eventus ex ſacris Literis exquiſierint.

Sed Contra eſt, quod Patres paſſim de divina Scriptura prædicant, *neque ſyllabam, neque apiculum in ea eſſe ullum, qui non divine ſignificet*; hoc eſt, qui non adhibitus ſit a Deo ad ſignificandum, & magnum, & ſublime aliquid ſignificandum: *in cujus profundo*, ut iidem loquuntur, *non ſit grandis theſaurus. Singula verba, ſyllabas, apices, puncta plena ſenſibus, plena myſteriis, plena ſacramentis: nec modicam vacare particulam* &c. Ita Baſilius homil. 6. in Hexam. num. 2. & 11. in

Iſa.

Digitized by Google

Iſa. cap. II. n. 70. Serm. de Fid. n. I. & 2. Lib. de Spir. S. cap. XXI. n. 52. Ioh. Chryſoſtomus homil. 18. 19. 21. 36. 42. 45. &c. in Geneſ. homil. II. in Iſa. VI. I. Ambroſius Lib. I. de Spirit. ſanct. cap. XIV. Prolog. in Luc. n. 2. Epiſt. XXVI. I. claſ. n. 15. Hieronymus in cap. VI. Matth. & III. ad Epheſ. Epiſt. XIII. & CIII. ad Paulinum Epiſt. XXV. ad Paulam, Auguſtinus Conf. Lib. VI. cap. V. n. 8. Lib. XI. cap. II. n. 3. Lib. XII. cap. XIV. n. 17. Lib. I. de Morib. Eccl. cap. VII. n. II. Lib. V. de Gen. ad lit. cap. III. n. 6. &c. aliique Art. II. in ſecunda Aſſertionis parte citati. Quæ ſolis iis quatuor ſenſibus, qui in titulo huius Articuli poſiti ſunt uti vulgo accipiuntur non videntur poſſe circumſcribi; ut propterea vel alii ſenſus ſuperſtruendi ſint, vel hi quatuor extrudendi, & ampliandi.

Reſpondeo primum, ſacræ Scripturæ ſenſus hos eſſe, Litteralem, & Myſticum, qui trifariam dividitur; id eſt, in Allegoricum, Tropologicum, Anagogicum.

Probatur. Nam cum diviſio hæc probatiſſima, ac receptiſſima ſit, ab ea non eſt diſcedendum. Deinde, quia hi quatuor ſenſus vere illi ſunt, quos Patres & ſacri Interpretes illuſtrarunt, ac perſecuti ſunt ſcriptis ſuis: ac proinde quibus inhæret tota ſacra doctrina. Illuſtrarunt autem, & perſecuti ſunt maxime ſenſum Litteralem Hieronymus, & Theodoretus; ſenſum Allegoricum Origenes, & Ambroſius; ſenſum Tropologicum Gregorius Magn. & Ioannes Chryſoſtomus; ſenſum Anagogicum Auguſtinus, & Hilarius Pictav. Tertio, quia ſacra ipſa Scriptura nobis aperte exhibet hanc diviſionem, & numerum ſenſuum. Quod enim in ea ſit ſenſus Litteralis, & myſticus; habemus Ezech. II. 9. Apoc. verſ. I. *liber ſcriptus intus, & foris*. Item Pſalm. CXVIII. 13. Hierem. XV. 16. Ezech. III. I. 2. I. Cor. II. 7. 10. X. 2. 3. II. XII. 10. II. Tim. III. 16. 17. Hebr. X. I. Quod vero ſenſus myſticus trifariam ſit dividendus, habemus Prov. XXII. 17. 20. *Appone cor ad doctrinam meam..... Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & ſcientia*. Exemplum vero expoſitionis Allegoricæ nobis præbet ipſemet Spiritus ſanctus. Galat. IV. 24. *Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo Teſtamenta*, & Eph. V. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*. Expoſitionis Tropologicæ I. Cor. X. 6. 7. 8. &c. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum &c.* & Galat. IV. 29. *quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc &c.* Expoſitionis Anagogicæ Galat. IV. 26. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra*. Et Apoc. XXI. 2. 10. &c. *Vidi Civitatem ſanctam Jeruſalem &c. & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem &c.* Tandem, quod omnes omnino Scripturæ ſenſus ſint quatuor, ſignificatum. I. Cor. XIV. 6. *Vobis loquar aut in revelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina*. Quem Apoſtoli locum de quatuor Scripturæ divinæ ſenſibus interpretatur Caſſianus Collat. XIV. cap. VIII. Quod erat primo loco probandum.

Reſpondeo deinde, alios quoſdam divinæ Scripturæ ſenſus, quos aliqui Doctores catholici adſtruunt, non eſſe per ſe generatim, & univerſe repudiandos: eſſe vero ad hos quatuor omnino revocandos.

Probatur prima pars huius ſecundæ Reſponſionis. Etenim in ſacra Scriptura omnia ſignificant. Hoc eſt, non ſolum ſignificant verba in orationem contexta, in quo ſenſus eſt Literalis, ſive Hiſtoricus; ſed etiam in aliquibus ſaltem Scripturæ locis ſignificant verba ipſa ſeorſim ſumpta, ut principia ſunt orationis; ſignificant alicubi ſaltem ipſæ quoque litteræ, tum ut principia verborum, tum etiam ut numeri ſunt: in quibus proprie eſt ſenſus Elementaris. Præterea non ſolum ſignificant res ipſæ, quæ ſunt hiſtorice, ſive ex vero ſignificatæ per verba, in quo eſt ſenſus Myſticus triplex ſupra expoſitus, videlicet Allegoricus, Tropologicus, Anagocicus; ſed etiam ſignificant res imaginariæ, ſeu rerum ſimulacra, adumbrationes, repræſentationeſve in parabolas, aut ſymbola, ſimileſve theologicas, propheticaſve figuras adhibitæ. In quo ſenſus Myſticus imaginarius, ſive parabolicus, atque ſymbolicus; quem ſcilicet aliqui a ſenſu Myſtico *reali*, ſeu qui ſit proprie talis, diſtinguunt. Tandem

in

Digitized by Google

in Scriptura non ſolum ſignificant omnia, ſed etiam ſignificantur ea omnia, quæ per illam poſſunt apte, ac Deo digne ſignificari. Quo aliqui referunt ſenſum Phyſicum, ac ſenſum Propheticum, de quibus in oppugnatione eſt facta mentio. Quos ego ſenſus ambos, & qui alii excogitari poſſunt, comprehenderem nomine ſenſus Omnigeni, ſeu ſenſus Infiniti, vel potius non definiti, quem ſenſum ex Auguſtino, & Thoma infra clarius exponam.

Porro quod in ſacra Scriptura & ſignificent omnia, & ſignificentur omnia, quæ dixi, oſtenditur tum ex ipſa Scriptura, cujus teſtimonia clariſſima, & locupletiſſima referam paulo poſt in Confutatione. Tum ex ſanctis Patribus, quos in ſecunda diſputatione pro me teſtes adhibui; & quorum doctrinam hic etiam breviter indicavi, & contra Oppugnationem oppoſui. Tum etiam ratione theologica. Nam, ut in ſecunda diſputatione planum feci, Scriptura ſic eſt a Deo dictata, ut ſimul ab eo elevata ſit, ſive adlecta, & aſſumpta, ad ſpecialem quandam relationem, ſive analogiam, & ſimilitudinem aliquam cum Verbo æterno. Sicut igitur Verbum æternum eſt, ut ſic loquar, eſt maxime exprimens, & maxime repræſentans; ita & Scriptura divina ſignificantiſſima eſt.

Confirmatur id ex Auguſtino de ſenſu potiſſimum, quem dixi infinitum, ſive indefinitum: nam ſenſus hic confirmatione opus habet; quo etiam explicabitur magis. Sic igitur Auguſtinus Confeſ. Lib. XII. cap. XXXI. „ Si quis quærit ex me, „ quid horum Moyſes ille tuus famulus „ ſenſerit (*cum ſcripſit*, In principio crea„ vit Deus Cælum, & terram. Terra „ autem erat inanis, & vacua. *Et quæ* „ *conſequuntur* Gen. I. I. 2. *&c.*) non „ ſunt hi ſermones confeſſionum mea„ rum; ſi tibi non confiteor, neſcio: & „ ſcio tamen illas veras eſſe ſententias, „ exceptis carnalibus, de quibus quan„ tum exiſtimavi locutus ſum.... ſi non „ vana, ſed ipſam (*veritatem*) ſitimus; „ eundemque famulum tuum Scripturæ „ hujus diſpenſatorem, Spiritu tuo plenum „ ita honoremus, ut hoc eum te reve„ lante cum hæc ſcriberet attendiſſe cre„ damus, quod in eis maxime & luce „ veritatis, & fruge utilitatis excellit." In eamdemque ſententiam cap. XXXI. n. 42. ſic pergit: „ Ita cum alius dixerit, „ Hoc ſenſit quod ego; & alius, Imo „ illud quod ego; religioſius me arbitror „ dicere, Cur non utrumque potius, ſi „ utrumque verum eſt? Et ſi quid ter„ tium, & ſi quid quartum, & ſi quid „ omnino aliud verum quiſpiam in his „ verbis videt, cur non illa omnia vidiſ„ ſe credatur, per quem unus Deus ſa„ cras Litteras vera, & diverſa viſuris „ multorum ſenſibus temperavit? Ego „ certe quod intrepidus de corde meo „ pronuntio, ſi ad culmen auctoritatis „ aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere „ ut quod veri quiſque de his rebus ca„ pere poſſet, mea verba reſonarent, „ quam ut unam veram ſententiam ad „ hoc apertius ponerem, ut excluderem „ cæteras, quarum falſitas me non poſ„ ſet offendere. Nolo itaque, Deus meus, „ tam præceps eſſe, ut hoc illum virum „ de te meruiſſe non credam. Senſit ille „ omnino in his verbis, atque cogitavit „ cum ea ſcriberet, quicquid hic veri „ potuimus invenire, & quicquid nos „ non potuimus, aut nondum poſſu„ mus, & tamen in eis inveniri poteſt." Quibus verbis dicta Patrum ſupra indicata, ac reſponſionem noſtram ea etiam ratione confirmat, quod ad dignitatem Scripturæ, ejuſque Auctoris pertinere dicit, quod ſenſuum pleniſſima, & ſignificantiſſima ſit. Tum cap. XXXII. n. 43. illud contendit, etiamſi Moyſes, cum ea verba ſcriberet, aliqua non cogitaſſet, nec plane vidiſſet; non ideo tamen a Deo verbis iis non eſſe ſignificata. „ Poſtremo, „ *inquit*, Domine, qui Deus es, & non „ caro, & ſanguis, ſi quid homo minus „ videt, numquid & Spiritum tuum bo„ num, qui deducet me in terram rectam, „ latere potuit, quicquid eras in eis ver„ bis tu ipſe revelaturus legentibus poſte„ ris, etiamſi ille, per quem dicta ſunt, „ unam fortaſſe ex multis veris ſenten„ tiam cogitavit? Quod ſi ita eſt, ſit igi„ tur illa, quam cogitavit, ceteris excel„ ſior. Nobis autem, Domine, aut ipſam „ demonſtra, aut quam placet alteram „ veram; ut ſive nobis hoc quod etiam „ illi homini tuo, ſive aliud ex eorum„ dem verborum occaſione patefacias, tu

n. ta-

„ tamen paſcas, non error illudat." Legenda etiam quæ ſcripſit Epiſt. cxxxvii. ad Voluſian. n. 3. & Lib. III. de doctr. Chriſt. n. 38. Eandem doctrinam tradit S. Thomas qu. iv. de Potent. a. 1. Inter illa enim, quæ in expoſitione Scripturæ vitanda eſſe monet, „ illud eſt, *inquit*, „ ne aliquis ita Scripturam ad unum ſenſum cogere velit, quod alii ſenſus, „ qui in ſe veritatem continent, & poſſunt ſalva circumſtantia litteræ Scripturæ aptari penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinæ Scripturæ „ pertinet, ut ſub una littera multos ſenſus contineat; ut ſic & diverſis intellectibus hominum conveniat, & unuſquiſque miretur, ſe in divina Scriptura „ poſſe invenire veritatem, quam mente „ concepit. Unde non eſt incredibile; „ Moyſi, & aliis ſacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus eſſe conceſſum, ut „ diverſa vera, quæ homines poſſent intelligere, ipſi cognoſcerent, & ea ſub „ una ſerie litteræ deſignarent; ut ſic „ quilibet eorum ſit ſenſus auctoris." Quod tenendum pariter eſſe docet, etiamſi diverſa illa vera non cognoverit ejus Scripturæ auctor ſecundarius, & quaſi inſtrumentum. „ Unde, *ait*, ſi etiam aliqua „ vera ab expoſitoribus ſacræ Scripturæ „ litteræ aptentur, quæ auctor non intelligit (*auctor ſecundarius*, *& inſtrumentalis*) non eſt dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui eſt principalis auctor divinæ Scripturæ. Unde „ omnis veritas, quæ ſalva litteræ circumſtantia, poteſt divinæ Scripturæ aptari, eſt ejus ſenſus." Atque is eſt ſenſus de quo in præſenti loquor.

Probatur jam ſecunda pars Reſponſionis, hos nempe ſenſus ad priores quatuor eſſe revocandos. Nam vel iſti ſenſus poſiti ſunt in ſolis verbis, aut litteris ſacræ Scripturæ; & iam pertinent ad ſenſum litteralem, qui ſenſus dicitur proximus, & immediatus, Vel poſiti ſunt in rebus ſeu veris, ſeu imaginariis ſignificatis per verba, aut litteras ſacræ Scripturæ; & hac ratione ad ſenſum myſticum commodiſſime referuntur; ac plerumque ad ſenſum Anagogicum. Tum quia is ſenſus non ſolum eſt de æterna beatitudine; ſed aliis etiam de rebus altiſſimis, arcanis, abſtruſis, & a communi intelligentia remotis. Tum quia eſt maxime de divina pulchritudine, ad quam cognoſcendam gradus eſt pulchritudo univerſitatis hujus. Ut hac etiam in re Scriptura divina eo modo, quo poteſt referat ſimilitudinem aliquam Verbi æterni: quod primo quidem refert Patrem; deinde vero, ac ſecundario exprimit res creatas (S. Thomas p. 1. q. xxxiv. art. 3. & q. xxxvii. art. 2. ad 3.) Quod ultimo probandum erat.

Ad primum dicendum, ſenſuum ſacræ Scripturæ ex figura *Libri ſcripti intus & foris*, eſſe duo hæc ſumma genera, ſenſum exteriorem, ac ſenſum interiorem, ſive abſconditum, & arcanum. Senſus Litteralis ex modo illo ſignificandi proximo, ſive immediato, quem dixi, eſt ſenſus exterior. Myſticus vero eſt interior. In ea celebri diviſione quadrimembri, quam tuemur, ſenſus myſticus trifariam dividitur, non ex modo ſignificandi, ſed ex tribus rerum generibus, quæ per illum ſignificantur. Contra vero in ſenſu Litterali ſpectatur modus ſignificandi, ex quo non eſt niſi unus. Nam, ſi attendantur res ſignificatæ; etiam Litteralis ſenſus, multiplex eſt, multa enim in tota Scriptura, modo ordinario, & communi ceteris Libris, ſignificantur, dicunturque expreſſe, & directe de Chriſto, de Eccleſia, de moribus, de vita beata: & in uno, eodemque etiam Scripturæ loco plures ſunt litterales ſenſus; nec ſolum arcani, & reconditi, ſed prorſus aperti & ſignificatione ipſa verborum, & conſenſu interpretum, Ut Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*. Quod utrumque ſignificat, & habuiſſe initium hæc, quæ facta ſunt, & facta per Verbum. Et Iſa. liii. 4. *Vere languores noſtros ille tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Quod dictum de utroque malorm genere, & pœnæ, quæ Chriſtus pro nobis pertulit; & culpæ, quæ pianda, ac delenda ſuſcepit. Et pariter verſ. 8. *Generationem ejus quis enarrabit*. Quod de utraque Chriſti generatione. Legantur Salmeron Proleg. viii. & Vaſquez in 1. p. q. 1. diſp. xvii. cap. i. ii. & iii.

Quod ſi hanc multiplicitatem ſenſuum litteralium in uno eodemque Scripturæ loco revocare placeat ad ſenſum divinum, quem dixi, haud repugno. Is enim divinus ſenſus tranſcendens eſt, ut ſchola lo-

Digitized by Google

loquitur & quadripartitæ illi diviſioni non opponitur; ſed eos quatuor ſenſus maxime & prope in infinitum intendit, & auget. Id enim proprie, & formaliter præſtat, ut Scriptura ſignificantiſſima ſit; eaque re inter Verbum Dei exterius voce aut ſcripto prolatum; & Verbum Dei intra genitum, quantum inter hujuſmodi extrema infinite diſtantia fieri poteſt, conveniat. Cum ſit ab hoc ad ſpecialem ſimilitudinem ſui Scriptura omnis evecta; ut eſt ad Hypoſtaticam unionem cum ſe ipſo Humana natura cum omnibus ſuis partibus aſſumpta.

Tandem, quod hic ultimum eſt; Scriptura omni eo ſenſu Fidei regula eſt, quo ſenſu in quoque Scripturæ loco certum ſit & indubitabile Deum eſſe locutum. Certum id autem, atque indubitabile facit in Libris, quo ſunt ab Eccleſia propoſiti: de ſenſu quidem Litterali, ſive externo, ipſamet clara, & expreſſa ſignificatio verborum; ubi nec ratio efficax, nec divina ipſa auctoritas repugnet. De aliis vero ſenſibus interioribus, atque reconditis vel alius Scripturæ locus, vel Eccleſiæ judicium, vel unanimis Patrum in eandem interpretationem conſenſus. Nec vero quod unius, ejuſdemque loci ſit multiplex intellectus propterea locus ille Fidei regula eſſe non poteſt. Ita ſunt enim intellectus illi multiplices, ut inter ſe optime cohæreant. Quo cum omnis confuſio, & error cavetur; tum propria etiam regulæ unitas conſtat. Ut enim animadvertit Auguſtinus in Pſalm. xi. num. 2. & ex illo S. Thomas p. 1. q. 16. a. 6. Multæ veritates tandem una veritas ſunt.

Ad ſecundum; tametſi non in omni prorſus Scripturæ loco, cum ſenſu Litterali jungatur & myſticus proprie talis, qui, ut docet S. Thomas p. 1. q. 1. a. 10. in eo poſitus eſt, *quod res ſignificatæ per voces rurſus res alias ſignificent*; omnino tamen ibi nullus eſt locus, cujus ſimul non ſint & ſenſus exterior, & ſenſus aliquis ſeu melius ſignificatio aliqua interior, ſive recondita, licet tantummodo litteralis. Nam quæ notio eſt divinæ Scripturæ ſymbolica illa quidem, ſed ad verum maxime exacta, *Liber ſcriptus intus, & foris*, ea videtur non toti ſolum Scripturæ, ſed etiam ſingulis partibus, & quidem etiam minimis convenire. Quare quæ tria nobis objiciuntur ex Johan. xiv. 1. Matth. xxii. 37. 39. ad Coloſ. iii. 1. 2. & alia ejuſdem modi præter ea, quæ ſe ſtatim menti offerunt, alia etiam plura, fortaſſe ſignificant; quæ ut ait Gregorius Lib. II. in Ezech. hom. 5. num. 4. ſi minus homines, at certe Angeli intelligunt: atque ut ait Chryſoſtomus homil. 45. in Gen. & 42. in Matth. intelligunt etiam homines, non qui in ſuperficie inſiſtunt, ſed qui *alte ſcrutantur, & effodiunt, a Deoque intelligentiam poſtulant, ac Deo digne vivunt*. Vel ſi non intelligunt homines in hac vita mortali, intelligent immortalitate donati. Quoniam ut docet Irenæus Lib. II. cap. xxviii. n. 6. &c. in Verbo genito omnia intueri, ac verbum ſcriptum plene, ac ſecundum omnes ſenſus, ſignificationeſque percipere, beatorum tantummodo eſt.

Quod vero alterum erat, aliquorum Scripturæ locorum non alium eſſe intellectum, quam interiorem, ſive myſticum ſi hæc proprie uſurpentur eſt manifeſte falſum. Nam ſi ſenſus interioris, ac myſtici nomine, non alium intelligant, quam triplicem illum, de quo in titulo articuli; ideſt allegoricum, tropologicum, & anagogicum; quoniam ut docet Sanctus Thomas loco proxime cit. tres ii ſenſus fundamentum habent in ſenſu litterali; hoc ſublato, & illos tolli neceſſe eſt. Quare ſi quis eſſet Scripturæ locus, cujus nullus eſſet exterior, ſeu litteralis ſenſus, ejus loci plane nullus eſſet ſenſus.

Quod additur de locutione figurata diſtinguendum eſt. Aliud eſt locutio figurata rhetorice per metaphoram, aut alio ordinario modo, & communi cæteris omnibus & linguis, & libris: aliud locutio figurata etiam theologice aut prophetice per parabolas, ſymbola, aut alio quopiam excellentiori modo, maxime proprio Linguæ ſanctæ, vel potius divinæ Scripturæ. Primum locutionis genus pertinet ad ſenſum litteralem; quoniam ibi verba ipſa proxime ſignificant, non quidem ſignificatione propria, ſed translatitia. Alterum locutionis genus intellectum habet ſive ſententiam, quæ litteralis non eſt, quia non ex verbis proxime oſtenditur, ſed ex eo, quod ſignificatur per verba: quod vocandum eſſe ad myſticum loquendi genus non ſolum concedo, ſed etiam con-

Digitized by Google

contendo: etſi id, quod per verba proxime ſignificatur, non eſt aliquid, quod vere ſit, aut contigerit; ſed imaginaria quædam res, aut perſona, ad veram & rem, & perſonam ſignificandam adducta, ſive ad modum idyllii, aut eclogæ, ut ſponſus, & ſponſa, ac pleraque eorum, quæ in Cantico Canticorum; ſeu per parabolam, ut Vinea, & Pater familias apud Iſa. v. 1. & Matth. ix. 8. ſeu tanquam ſymbola, uti beſtiæ multiplices apud Danielem, & in Apocalypſi; ſive in morem apologi, ut oliva, & ficus, ac cæteræ arbores, quę Judic. ix. 8. &c. Porro Auguſtinus loc. cit. id tantum monet, proprie accipiendum non eſſe, quod dictum eſt figurate. Non vero ibi pręterea diſtinguit, inter locutionem figuratam metaphorice, vel alio quopiam vulgari figuræ genere, quo verba novam aliquam vim, & ſignificationem acquirunt; & locutionem figuratam altiori modo, quo ſignificandi vim accipiunt res ipſæ, aut rerum imagines verbis depictæ, & expreſſæ. Primum figuræ genus, ut diximus, intra litteralis, ſeu verbalis intelligentiæ fines continetur. Alterum fines illos omnino tranſcendit.

Quod cum per ſe ſatis appareat; eo etiam probatur, quod Deus Iſa. vi. 9. & Chriſtus Dominus Matth. viii. 13. Marc. iv. 12. Luc. viii. 10. &c. *in parabolis* loqui ſe profitetur, ut Hebræi *audientes non intelligant*. Quod quidem de ſimplici metaphora, aut de ſermone qualitercunque figurato non dixit. Præterea parabolis, ſymbolis, figuriſque aliis ejuſdem generis, atque ordinis, quid ſubeſſet, aliquando ipſemet per ſe ipſum, aut per Scriptores ſuos expoſuit. Quod in oratione aliter figurata non fecit. Ut propterea dicendum videatur, metaphoras, & ſimiles rhetorum figuras, aut tropos ad ſenſum exteriorem, ſeu litteralem; parabolas verò, & ſymbola, quæque aliæ poſſunt figuræ theologicæ, aut propheticæ vocari, ad interiorem, abſconditum, ac myſticum pertinere. Libri ſcripti foris ſunt illa; hæc ſcripti intus.

Ad tertium, tenendos dico eos duos, vel quatuor ſenſus, qui ſunt in titulo Articuli: ideſt, Litteralem, ac Myſticum: ſeu, Litteralem, Allegoricum, Tropologicum, Anagogicum, ſupra explicatos.

Hos vero ita eſſe exponendos, & ampliandos, ut ad ipſos revocare liceat ſenſum myſticum imaginarium, ſive parabolicum, atque ſymbolicum; de quo pariter dictum ſatis. Necnon ſenſum elementarem, ac ſenſum Omnigenum, ſive infinitum; quos clariùs adhuc expono. Senſus elementaris in eo eſt; quòd litteris, ac verbis ſacræ Scripturæ, etiam ſeorſim ſumptis, dederit Deus vim perfectæ orationis; ſeu dederit partibus vim totius; elementaque haberi voluerit inſtar rei ex ipſis compoſitæ. Conveniunt autem in hoc & concurrunt verbum ſcriptum, & traditum; ex quo is ſenſus aliquo modo etiam interior, & maximè abſconditus dici poteſt; ac definiri poſſe videtur: peculiaris ſignificatio litterarum, verborumque ſacræ Scripturæ, ex placito Dei, plerumque, & per ſe loquendo dumtaxat ore tenus manifeſtato: ſive ex placito Dei ſupplentis per verbum traditum id, quod ad plenam alicujus rei manifeſtationem eis & litteris, & verbis deeſt in genere verbi ſcripti. Exemplum verborum ita ſignificantium eſt apud Danielem v. 25. 26. &c. ubi tria verba, *Mane*, *Thecel*, *Phares*, quorum primum *numerationem*, alterum *appenſionem*, tertium *diviſionem* ſignant: tres graviſſimas ſententias continent. Quod pariter habent tria illa nomina quæ ſunt Oſe. 1. 4. 6. 9. immo alia etiam nomina Hebraica, de quibus Philo, & Hieronymus; præſertim verò primi hominis nomen, Gen. 1. 26. nomen *Seſach* Hierem. xxv. 26. maximè autem decem nomina Dei, quæ utique ſenſibus, ac myſteriis pleniſſima ſunt. Exemplum litterarum ſic pariter ſignificantium eſt Ezechiel. ix. 4. *ſigna Thau ſuper frontem virorum gementium*. Quod idem ſignum Exod. xii. 13. & Apoc. vii. 3. de eodemque Eſdr. Lib. 4. ii. 38. Item ם Mem clauſum, ſive, quadratum Iſa. ix. 7. in voce לםרבה *Lemarbe*, *multiplicabitur*. Item A, & Ω Apoc. 1. 8. xxii. 13. Tandem ut litteræ vim etiam numeri habent. Apocal. xiii. 17. 18. *ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ: Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex*. Quod

Digitized by Google

& xv. 2. De his omnibus conſule interpretes. Porro quòd de his & verbis, & litteris certum eſt, quòd in aliis quoque non paucis Scripturæ verbis, & litteris ſimiles ſint abditi ſenſus; & auctoritate, & ratione theologica, quam ſupra expoſui, mihi videtur perquam probabile.

Iam verò Senſus infinitus in eo eſt, ut dixi, quòd in quovis Scripturæ loco, præter id omne, quod primò occurrit, ac certum eſt ibi eſſe à Deo ſignificatum, ideoque & Fidei regula eſt; præter id, inquam, ibidem ſignificari putentur à Deo ea omnia, quæ per illum locum, Deo dignè, hoc eſt, ut explicat Auguſtinus, cum *veritate*, & *pietate*, & ut addit S. Thomas loco ſup. cit. *ſalva litteræ circumſtantia* ſignificari poſſunt, Nam quoniam, ut oſtendi art. 2. analogia eſt inter Verbum Incarnatum, & Verbum ſcriptum; ut ibi Unio Hypoſtatica, ita hic ſpecialis relatio cum Verbo æterno. Ac ſicut Hypoſtaticæ Unionis, quò aſſumpta eſt Humanitas, terminus eſt Verbum, ſubjectum eſt Humanitas ipſa: ita ſpecialis relationis, ſive ſimilitudinis cum Verbo æterno, quo elevata eſt divina Scriptura, terminus eſt Verbum ipſum, fundamentum Scriptura, ratio verò fundandi, quam vocant, in eo eſt, quòd Scriptura eadem maximè ſignificet, ſeu ſignificantiſſima ſit. Hoc verò duobus his continetur: primum, quòd in ſacra Scriptura omnia ſignificent; Nimirum verba, litteræ, res. Ex quo ſenſus quatuor quos defendimus. Secundum, quòd in Scriptura ſignificentur re vera ea omnia, quæ poſſunt per quemque locum quatuor iis ſenſibus aptè, Deoque dignè ſignificari; in quo ſenſus divinus; quique, ut ſupra notavi, per quatuor alios proximè memoratos ſenſus excurrit, & immeat, eoſque profert quodammodo in infinitum. Ut quamvis per unum aliquem Scripturæ locum non videamus quid poſſit vel litteraliter, ſive hiſtoricè, vel myſticè, ex re, aut rei ſimulacro ſignificari, præter id quod nobis occurrit; haudquaquam tamen negemus ſignificari aliud; idque aut viſum, cogitatumque Scriptori Canonico; aut certè viſum, ſpectatumque Spiritui Sancto, qui locum illum dictavit: quemadmodum expreſsè notant, ac tenent Auguſtinus & Thomas locis ſupra deſcriptis. Quare quamvis Scriptura ex parte eorum, quæ ſignificant, ſive ex modo ſignificandi ſit omnino finita; nec aliter ſignificet, quàm vel litteraliter, ſive hiſtoricè per verba & litteras, ſive conjuncta, ſive aliquando etiam ſoluta aut rerum imaginibus; vel myſticè ex rebus ſignificatis per verba: ex parte tamen eorum, quæ ſignificantur, habet neſcio quid infiniti, & in quo nihil ultimum, ſaltem a nobis deſignari queat. Dicique poteſt is ſenſus, ac propemodum definiri: Quatuor Scripturæ ſenſuum, ideſt, Litteralis, Allegorici, Tropologici, Anagogici intra cujuſque modum, extenſio Deo digna, & quoad nos infinita. Idemque dividi poteſt in ſenſum infinitum ſive divinum principalem, ſeu reflexum in Deum Scripturæ auctorem; & ſenſum infinitum, ſive divinum qui accedit, ſive conſequitur, ac foras ſpectat ad res creatas. Similiter ut de Verbo locutus eſt S. Thomas q. 4. de Verit. Art. 5. *Pater principaliter dicit ſe, generando Verbum ſuum, & ex conſequenti dicit creaturas; ideo principaliter, & quaſi per ſe Verbum refertur ad Patrem: ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens, refertur ad creaturam.* Vel, quoniam ad æternam hominum ſalutem ſcripti ſunt ſacri Libri; ita dividi poteſt, ut quæ ad illam pertinent, qualia ſunt certè divina, ſignificentur principaliter, & per ſe; cætera verò ex conſequenti, & quaſi per accidens. His explicatis, quod attinet ad ſenſum accomodatitium diſtinguendum eſt inter accomodationem duntaxat humanam, & accomodationem divinam; qua ſcilicet Deo ipſo auctore quatuor Scripturæ ſenſus extenduntur alia cum veritate, & pietate. De hac Auguſtinus, & Thomas. Accomodationi huic verum ſubeſſe dico Scripturæ ſenſum, Deumque, qui æquè omnia & ſcit, & habet præſentiſſima; quique eſt & Veritas, & Sanctitas ipſa, hæc etiam ſignificare voluiſſe ſaltem ſecundario, ex conſequenti, & quaſi per accidens. Quamvis autem verus hic habeatur Scripturæ ſenſus, cum tamen talis habeatur dumtaxat probabiliter, atque hæc extenſio quatuor Scripturæ ſenſuum, certa non ſit; ad diſputationes, præſertim polemicas, non facit is ſenſus; nec Fidei regula practicè eſt: niſi forte, ut monet Auguſtinus

idem

Digitized by Google

idem Lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 27. n. 38. *ex aliis locis Sanctarum Scripturarum doceri poteſt*, huc etiam ſpectaſſe ejus loci auctorem ſaltem primarium. *Ille quippe auctor*, inquit, *per quem Scripturam illam ſanctus operatus eſt Spiritus, in eiſdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipſam ſententiam forſitan vidit; & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram lectori, vel auditori ſine dubitatione prævidit; immo ut occurreret, quia & ipſa eſt veritate ſubnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largiùs, & uberiùs potuit divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina conteſtantia faciant approbari?* Vide etiam quæ ſcribit S. Thomas 2. 2. q. 173. a. 4. atque e. recole quæ de Pot. q. 4. a. 1. Sic quod eſt Iſa. XXIX. 13. *appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem eius longè eſt à me*; utique dictum de Hebræis qui eo tempore erant; de iis tantùm non eſſe dictum, & ad alios etiam pertinere, certò compertum eſt teſtimonio Chriſti Matth. XV. 8. & Marc. VII 6. Sic pariter; *& duæ olivæ ſuper illud: una à dextris lampadis, ut una à ſiniſtris ejus*, quod ſcripſit Zacharias IV. 3. 11. 14. ut multi, graveſque interpretes putant de Jeſu Sacerdote filio Joſedech, & de Zorobabel duce Juda; intelligendum eſſe etiam de Enoch, & Elia ex Apocal. XI. 4. ſimili loco, eodem conſenſu interpretes ſacri ſtatuunt.

De ſenſu Elementari, ſeu Kabaliſtico de quo Sixtus Senenſis, & alii eruditi reſpondeo, quàm verum, & aliqua ſaltem ex parte certiſſimum, in ſacra Scriptura etiam elementa ſignificare; & ſignificare quidem divinè, tum ex auctore, tum ex ſententia; tam mihi videri non eſſe nobis id in præſenti magnopere quærendum: vel certè nullo modo quærendum ex Hebræis. Quòd in hujus ſenſus inquiſitione laborandum nobis non ſit, eo dico, quòd mihi eſt perſuaſum, eorum omnium, quæ de re iſta Moyſes, David, Daniel, & Prophetæ reliqui tradiderunt, ſi quid de hoc tradiderunt, notitiam, aut veſtigium vix ullum ſupereſſe: *Sanctum, & Verum, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit* (Apoc. III. 7. Iſa. XXII. 22.) ut nobis quàm plurima aperuit ex ſenſu myſtico, ſic totum ferme ſenſum elementarem ſive illum ad ſenſum litteralem ſive ad myſticum revoces *clauſum, & ſignatum* eſſe velle, *uſque ad tempus ſtatutum*. (Dan. XII. 4.) Porro quod alterum dixi. Quicquid de ſenſu elementari cognoſcendum remanet, ac reſcire hominibus licet, ad eam rem Hebræorum commentarios, aut ſcripta ullo uſui eſſe non poſſe, cùm eo generali argumento facile evincitur, quòd iis adempta ſit *clavis ſcientiæ*, qua male uſi dicuntur Luc. XI. 52. & ad Chriſtianos translata de quo vide Hieronymum Lib. 2. in Matth. cap. 13. ubi citat illud Evangeliſtæ ejuſdem XXI. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei &c.* tum per ſe etiam apparet. Nam quæ ad recludendos elementares Scripturæ ſenſus, immo etiam myſticos, duo ex ipſis accepta feruntur non illicitæ Kabalæ genera, eorum alterum, quod eſt ex celebri libro Zoar, fortuitum, nugatorium, frivolum eſt; alterum, quod ex iis codicibus, quos ab Hebræis magno pretio ſe redemiſſe teſtatur Iohannes Picus, vanum eſt, & ambiguum; plenum fumo, & fuligine. Utrumque divinæ Traditionis nomine indignum eſt; ac nihil minus præſefert, quàm quo videri poſſit aut à veritate profectum, aut ad veritatem ducens. Ut, quamvis multum ambo differant à Valentinianorum, & Gnoſticorum deliriis; & ſuperſtitioſo Kabalæ genere; à recta tamen divinam Scripturam interpretandi ratione longe abeſſe, atque aberrare judicem: concedamque libenter, illud II. ad Cor. III. 6. *Littera occidit*, quod alia ſignificatione, eaque fortaſſe primaria ſcripſit Apoſtolus, huc etiam optimè congruere.

Tandem quod ſpectat ad ſenſus Phyſicum, & Propheticum, de quibus pariter Sixtus Senenſis, & alii; quoniam Deus cum Scripturam dictavit, ad ſummam ſimul extulit ſignificandi vim & amplitudinem; in eaque & ſignificant omnia, ex quo ſenſus Litteralis, & Myſticus; & ſignificantur omnia, quæ *cum veritate, & pietate & ſalva litteræ circumſtantia* per quemque Scripturæ locum poſſunt ſignificari; in quo ſenſus Infinitus, ſive extenſio ſenſus Litteralis, & Myſtici in his ſenſibus etiam Phyſicum, & Propheti-

Digitized by Google

cum involvi, & includi, neceſſe eſt. Non penitus tamen, & omni parte; quod aliqui falsò putarunt: ſed quatenus ad Dei gloriam amplificandam, æternæque hominum ſaluti, ſaltem ex conſequenti, atque accidenti ſubſerviunt. Quod ad hæc duo non facit, in Scriptura non eſt. Quod facit; aliquo modo, hoc eſt, vel apertè, vel abſconditè, vel foris, vel intus, ibi forſitan eſt. At non continuò eſt omnibus, aut quomodocumque quærendum. Sed ut ad Dei gloriam, & hominum ſalutem ibi poſitum eſt; ita ſolùm ex Dei gloria, & hominum ſalute quærendum eſt: atque iis quærendum, de quibus in reſponſione ſuperioris diſputationis. Utrum autem iſta omnia ſervarint, qui in oppugnatione nominantur, meum non eſt judicare. Senſus certè phyſicos ſcrutati ſunt, præter Philonem, & Ioſephum, etiam Clemens Alex. & Hieronymus, ubi de Arca, & Tabernaculo. Senſus propheticos ſcrutati feruntur etiam Melito Sardenſis, ac Methodius Martyr. Quod tamen ex genuinis ipſorum operibus non apparet. Loca Eccleſiaſtæ, quæ a duorum hujuſmodi ſenſuum inveſtigatione mortales meritò videntur abducere, nobis non adverſantur; qui ſi qua utriuſque hujus generis in ſacris Litteris eſſe, concedimus, ſaltem *ex conſequenti*, *& quaſi per accidens*, ut ex S. Thoma ſæpe iam dictum eſt; ea tamen inquirere eo, quo debent & animo, & modo, & ſanctorum Patrum, ſacrorumque Interpretum ductu, difficillimum eſſe cenſemus; & niſi quem Deus ipſe ad hæc etiam cognoſcenda evocarit, & inſtruxerit, tentandum nemini. Legantur, quæ ſuper his monet, ac præcipit Leo x. in Concilio v. Lateran. Conſtit. *Supernæ Majeſtatis* &c.

DISPUTATIO OCTAVA.

Utrum ſola divina Scriptura cum ſolo privato, quem vocant, ſpiritu ſufficiens ſit ad terminandas omnes controverſias, quæ tum de ipſa, tum de re omni dogmatica fieri poſſunt; ita ut opus non ſit viva, & externa Regula Fidei.

ITa videtur. Primo auctoritate divinæ ipſius Scripturæ, in qua multa ſunt, quibus hæc duo ſufficere, partim arguitur, partim aperte ſignificatur. Arguitur illo Deuter. xxx. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum.* Scilicet; *ut opus non ſit*, inquit Brentius, *ire Romam pro interpretatione Scripturarum*. Arguitur iis, quæ ſunt Pſalm. xviii. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Pſalm. cxviii. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Prov. vi. 23. *mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Itemque II. Petr. 1. 19. *habemus firmiorem Propheticum ſermonem: cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco* ut ad hæc intelligenda ſint ſatis, quæ vel a natura, vel ſupra naturam a Spiritu ſancto cuique homini præſto ſunt intra hominem ipſum. Idem vero aperte ſignificatur Iſa. liv. 13. *ponam univerſos filios tuos doctos a Domino*. Joel. ii. 28. 29. & Act. ii. 17. 18. *in noviſſimis diebus effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem &c. ſuper ſervos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt*, hoc eſt, Scripturas interpretabuntur. Item Johan. vi. 45. *erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.*, & vii. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit*. Ideſt, non erit ei expectandum Eccleſiæ judicium, nec ad cognoſcendam divinitatem ſacrorum Librorum. Necnon x. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt .... & ſequuntur me*. II. Corinth. iv. 3. 4. 6. *Quod ſi etiam apertum eſt Evangelium noſtrum: in iis, qui pereunt, eſt opertum. In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio &c. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illu-*

Digitized by Google

illuxit in cordibus noſtris ad illuminationes ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu. I. Theſ. v. 19. 21. *Spiritum nolite extinguere..... Omnia autem probate: quod bonum eſt, tenete*. Et I. Johan. IV. I. *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*. Tandem magis etiam aperte, ubi externus interpres, judex, doctor diſertis verbis excluditur; ac Deus ipſe per ſe ſolum horum omnium partes, intra unumquemque hominem, ſe abunde impleturum promittit. Ut Hierem. XXXI 33. 34. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.. Et non docebit ultra vir proximum ſuum & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum*. Ut Matth XXIII. 10. *Nec vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt, Chriſtus*. Et Joh v. 34. *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*. Nechon I. Cor. II. 15 *Spiritualis autem judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur*. Tandem I. Ioh. II. 27. *Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, &c.* Quæ clara ſunt, & expreſſa.

Secundo auctoritate Patrum, apud quos id ipſum partim facile colligas, partim diſerte traditum invenias. Colliges ex Chryſoſtomo, qui cum ſæpe Scripturam *theſaurum abſconditum* vocet, imo & *abyſſum tenebricoſam*; tamen hom. 3. de Lazaro ait, *per ſe quemque diſcere poſſe. quæ ibi dicuntur, e ſola lectione*, & hom. 3. in 2. ad Theſal. ad ea explicanda ait *opus non eſſe concionatore*. Quæ ſi minus ad perſpicuitatem Scripturæ, ut in ſuperiore articulo oſtendimus, at certe ad interius magiſterium, illuſtrationemque ſpiritus ſancti ſunt referenda. Colliges ex Hieronymo, qui cap. XLIV. in Ezechiel. Scripturam, quæ antea fuerat, tanquam Liber ſignatus, Porta clauſa, & Adytum Templi velo obtectum; a Chriſti Domini morte apertam omnibus eſſe ait: ſic tamen, ut eidem ad cordis noſtri oſtium ſtanti, & pulſanti aperire quis velit ex Apocal. III. 20. Idem diſerte traditum invenies ab Origene, qui homil. 9. in Levit. omnes hortatur, ut *non ſolum in Eccleſia, ſed etiam domi ſuæ Legem Domini meditentur, in eaque exerceantur; quoniam & ibi etiam Chriſtus eſt, & ubique adeſt quærentibus ſe ſicut oportet; & in quærentium eſt poteſtate*. Invenies multo etiam diſertius apud Ambroſium loco cit. in articulo 6. iis verbis: *ſed ſi manu quadam mentis tuæ ſcripturarum januam pulſes.... aperietur tibi non ab alio; ſed a Dei verbo &c.* quibus aperte excluditur externus magiſter, & interpres.

Tertio rationibus his. Nam primo injuria fit Scripturam legentibus. Quid enim ſi quis eorum ingenio, prudentia, doctrina, pietate quam qui maxime excellat? *Numquid abbreviata, & parvula facta eſt manus Domini?* (Iſa. L. 2. LIX. 1.) Qui Auguſtini, aut Hieronymi ſimilis ſit, ad hæc cognoſcenda, & dijudicanda nonne facultatis plus afferet, quam ſimul ſexcenti? Auguſtinus, atque Hieronymus ipſe, cum interpretarentur Scripturas, nonne aliorum ſententias tuto deſerere, ac ſuo ſe ſpiritu regi, ducique permittere poterant? Quid qui Scripturas interpretati ſunt primi; quos alios ſequuti ſunt magiſtros, ac duces? Deinde injuria fit reipublicæ, quæ hac ingeniorum tyrannide, quam apud nos eſſe hæretici dicunt, magnis, & præſtantibus bonis fraudatur, quæ Scripturarum interpretatio proprio cujuſque judicio, & ſententiæ relicta, & omnino major opinandi libertas in eam facile inveheret. Tertio injuria fit ipſi Scripturæ, tum quod alia Fidei regula opus eſſe creditur; tum quod inferiori ſubjicitur; tum denique, quia ſi veterum interpretum nobis ubique ſunt premenda veſtigia; ſi in ea explananda, & ſcrutanda nihil audere, nihil novum ex illa proferre licet; reconditiores illi, abſtruſioreſque ſenſus, quibus articulo ſuperiore eam abundare oſtendimus, prorſus otioſi, & inutiles remaneant, neceſſe eſt. Quarto demum injurioſum id eſt Spiritui ſancto; qui cum privatis etiam, ac rudibus Scripturas dictarit, ex iiſque prophetas, & apoſtolos fecerit; non eſt cur ejuſdem conditionis hominibus Scripturas eaſdem aperire, aut ſimile quidpiam muneris dare vel nolle, vel non poſſe dicatur. Negandum ſimiliter foret omne privatæ revelationis genus. Negandum ad noſtra hæc tempora pertinere quod ſcriptum Johan. III. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat &c.*

&I.

Digitized by Google

& I. Cor. xii. 11. *dividens ſingulis prout vult*. Iniurioſum pariter Chriſto, ſupra quem videtur Eccleſia ſe efferre, dum ſibi judicia hujuſmodi arrogat. Quod, ut notat Calvinus in præfat. Inſtit. viſum quoque Auguſtino, qui cap. 11. contra Creſconium, *Eccleſiam contendit non debere ſe Chriſto præponere; quod ille ſemper veraciter judicet: Eccleſiaſtici autem judices, ſicut homines, plerumque fallantur*.

Sed contra eſt decretum Tridentini de editione, & uſu ſacrorum Librorum ſeſ. 5. hiſce verbis: „ Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat." Quod & in Profeſſione Fidei a Pio IV. præſcripta. Et ante Tridentinum idem decretum a Quiniſexta Synodo can. 19. Et a Senonenſi decr. 4. Et poſt Tridentinum ex ipſius mente in Concilio Mexicano §. 3. & in Concilio Hieroſolymitano capit. 11.

Reſpondeo primum; eſſe nihil, quod rei propoſitæ non ſolum ſit minus aptum ſed magis etiam contrarium, quam privatus ille ſpiritus, quo ducuntur, quemque propugnant hæretici. Spiritus enim, qui ad veram Scripturarum intelligentiam utique eſt neceſſarius, ii ſunt characteres, quos deſcribit Sapiens vii. 22. 23. *Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, certus, ſecurus, omnem habens virtutem; omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus &c.* Contra vero privati ſpiritus hæreticorum, ut ex ipſorum vita, & ſcriptis apparet, atque extat, hæ ſunt propriæ notæ; ſuperbia, arrogantia, inconſiderantia, temeritas, pervicacia, irreverentia, fraus, malitia, perverſitas, licentia, vecordia, furor; & alia ejuſdem modi, quibus, & Libertini, & Phanatici merito nuncupantur.

Satis vero ad rem præſentem; notari hæc duo; quod ſpiritus intelligentiæ *unicus* idem, & *multiplex* dicitur. Quod ſimilitudine humani corporis declarat Apoſtolus ad Rom. xii. 4. 5. &c. I. ad Cor. xii. 4. 5. &c. & ad Epheſ. iv. 4. 5. &c. ut *diviſiones gratiarum ſint, idem autem Spiritus*. Qui quidem diverſis diverſa donet, aut dictet; nunquam autem contraria, neque inter ſe non optime cohærentia. *Ut non ſit ſchiſma in corpore: ſed multi unum ſimus*, non ſolum charitate, ſed etiam doctrina. Contrario autem ſpiritus privatus heterodoxorum non ſolum non eſt unus in multis, ſed in uno etiam multiplex eſt: & ita quidem multiplex, ut qui illi auſcultant, & obtemperant non a capite modo, ſed inter ſe quoque diſſideant; nec uni tantum cum aliis, ſed idem ſæpenumero ſecum ipſe pugnet. Loca quibus id hæretici faciunt apud doctores Polemicos notata reperies. Interea vero ſpiritus, qui ſit iſtiuſmodi, ad Biblicas controveſias non terminandas, ſed fovendas potius, & magis, magiſque implicandas maxime facit. Conſequens igitur eſt, quod primo propoſitum fuit.

Reſpondeo ſecundo, Spiritum intelligentiæ, qui ad veros Scripturæ ſenſus aſſequendos eſt neceſſarius, ita privatim dari, ut ad finiendas controverſias, quas diximus, externa Fidei regula, & publica Eccleſiæ voce opus ſit. Probatur id primum ex ipſa Scriptura. Deuter. xvii. 8. 9. &c. illud generatim præſcribitur: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexerit* &c. *aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Venienſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius*; (intellectam, non ut tibi privatim videbitur, ſed ut videbitur ipſis; qui Dei miniſtri publici ſunt; & quibus his eiſdem verbis affuturum ſe Deus ac veram Legis intelligentiam daturum promittit,) *ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo*, & *decreto judicis*, ma-

morietur homo ille &c. Locum hunc in ſententiam noſtram magis etiam declarat, quod eſt II. Paralip. XIX. 10. 11. *ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus; oſtendite eis* &c. *Amarias autem ſacerdos, & pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit*. Et quod Eccle. XII. 11. 12. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore uno. His amplius, fili mi, ne requiras*. Item illud Jerem. III. 15. *Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina*. Et illud Ezech. XIII. 3. *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum* &c. Et XLIV. 24. Item Aggæ II. 12. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga ſacerdotes legem*. & Malach. II. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Neque hæc Teſtamenti dumtaxat veteris ſunt; præcipiuntur etiam in Novo. Nam quamvis Spiritus Sanctus hominibus ſeſe & magis univerſe, & omnino largius impertiat, quam antea; facultatem tamen interpretandi Scripturas, non omnibus tribuit. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alii autem ſermo ſcientiæ* &c. *alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum* &c. *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* &c. Nec Deus ad hæc dijudicanda, ac definienda pollicitus eſt, adjutorem ſe fore ſingulis æque, ut univerſis; & tam membris, quam capiti hinc illa I. Tim. II. 15. *Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*, & Matth. XVIII. 17. *Si Eccleſiam non adierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*. Ac de Capite Eccleſiæ Matth. XVI. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum*. Et Johan. XXI. 17. *Paſce oves meas*. Quæ intelligenda ſunt etiam de doctrina, ac divini verbi interpretatione. Et tandem illud Luc. XXII. 32. *Simon, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*.

Id ipſum plane confirmat Eccleſiæ conſuetudo perpetua. Nam quod factum legimus Actor. XV. in celebri illa controverſia de cæremoniis veteris legis; de qua non cujuſvis e populo, ſed Petri; ac cæterorum Apoſtolorum certa illa ſententia & publica fuit, 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis* &c. idem poſtea uſurpatum in reliquis controverſiis, quæ omnibus ſæculis multæ ſubinde in Eccleſia extitere, ut non pro ſe quiſque, ſed pro omnibus Romani Pontifices, aut Epiſcopi, qui tunc aderant, de iis judicarent. Oſtendit id accurate Bellarminus, & luculentis Romanorum Pontificum, & Imperatorum teſtimoniis illuſtrat. Quæ apud ipſum legere poteris Lib. III. de verbo Dei cap. VI. & VII.

Accedit Patrum conſenſus. Dionyſius c. IV. de Eccl. Hierarch. §. 6. *Eſt igitur*, inquit, *Pontificatus, ſeu Epiſcopatus ordo, qui conſummante virtute fultus, perficientia quæque ſacri ordinis munia præeminenter conſumat, atque ſacrorum diſciplinas interpretando tradit; & edocet, quænam ipſis ſacræ competant habitudines, atque virtutes*. Interpretationes vero has, & controverſiarum indicationem petendas *ab Eccleſia Romana*, ſcripſit Irenæus Lib. III. cap. III. n. 2. *Ad hanc enim Eccleſiam; propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; hoc eſt omnes, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. Et cap. IV. n. 1. *in eam quaſi in depoſitarium dives, Apoſtolos pleniſſime contuliſſe dicit omnia, quæ ſunt veritatis*. Expreſse vero ab ea petendam monet *Scripturarum expoſitionem* Lib. IV. cap. XXVI. n. 4. & 5. & cap. XXXII. n. 1. Idem docet Tertullianus integro libro de Præſcr. adver. Hæret. maxime vero cap. XXXVI. ubi de Eccleſia Romana; *Eccleſia*, inquit, *ſtatu felix, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt .... Ea Legem, & Prophetas cum Evangelicis, & Apoſtolicis literis miſcet, & inde potat Fidem* &c. Idem de Romano Pontifice docet Cyprianus ad Cornel. §. 5. epiſt. 59. *Nec enim*, inquit, *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus judex vice Chriſti cogitatur*. Quod pariter ſcribit epiſt. 3. ad Rogatianum §. 3. Athanaſius in Hiſtoria Arrian. ad Monach. hujuſmodi rerum judicia uſurpare ibi ſeculares principes, nefas eſſe dicit, ac multis probat; præſertim a num. 44. Baſilius epiſt. 69. ad Athanaſ. num. 1. *viſum*, inquit, *eſt ſcribere ad Romanum Epiſ-*

Digitized by Google

piſcopum, ut de rebus noſtris cognoſcat, & judicii ſui auctoritatem interponat. Idem Chryſoſtomo viſum apparet ex duabus ipſius epiſtolis ad Innocentium. Gregorius Naz. orat. 1. apol. eorum, qui in Eccleſia paſtoris officium non habent, hoc dicit dumtaxat eſſe, *paſci, & parere paſtoribus*, non propria judicia ſequi, & ſuopte nutu, & arbitrio regi. Tum contra eos diſputat, qui Eccleſiaſtica ſibi uſurpant; a quibus abſtinendum etiam imperatoribus contendit orat. 17. ad Cives Nazianz. Quod ipſum luculenter oſtendit Ambroſius epiſt. 21. ad Valentinianum, præſertim num. 4. & 15. Hieronymus in epiſt. 57. ad Damaſum de nomine Hypoſtaſis: „ Diſcernite, *inquit*, „ ſi placet, obſecro; non timebo tres Hy„ poſtaſes dicere, ſi jubetis &c. Obteſtor „ beatitudinem tuam ..... ut mihi epiſ„ tolis tuis ſive tacendarum, ſive dicen„ darum Hypoſtaſeon detur auctoritas... „ a paſtore præſidium ovis flagito &c. " Illuſtre eſt de hac ipſa re, quam diſputamus, teſtimonium illud Hieronymi in epiſt. 11. ad Ageruchiam: „ Ante annos „ plurimos cum in chartis Eccleſiaſticis „ juvarem Damaſum Romanæ urbis epi„ ſcopum & orientis, atque occidentis „ ſynodicis conſultationibus reſponderem." Auguſtini celeberrimum illud ex lib. cont. epiſt. Fundam. cap. v. n. 6. „ Ego vero „ Evangelio non crederem, niſi me ca„ tholicæ Eccleſiæ commoveret auctori„ tas. " In quam eandem ſententiam paulo poſt de Libro Act. Apoſt.„ cui libro „ *inquit*, neceſſe eſt me credere, ſi cre„ do Evangelio, quoniam utramque Scri„ pturam ſimiliter mihi catholica com„ mendat auctoritas:" Hoc eſt, tanquam divinam proponit. Quod ad Eccleſiam pertinere, oſtenſum ſupra etiam art. 3. Horum ſimile, quod ſcribit cont. Creſconium Lib. I. cap. 33. n. 39. eſſe in Scriptura hoc ipſum, quod quæ in Scriptura obſcura ſunt, & habent controverſiam, ad Eccleſiam pertineat de iis judicare. Legatur præterea, quod ſcribit epiſt. 186. ad Paulin. cap. 1. n. 2. Lib. II. Quæſt. Evang. q. XL. n. 3. in Pſalm. XXV. n. 13. in Proœmio de doctr. Chriſt. n. 4.5.6. ubi *tentationem eſſe ſuperbiſſimam, & periculoſiſſimam*; dicit; in Sacrarum Litterarum ſtudiis ſolo interiore Spiritus Sancti magiſterio uti velle. Cyrillus in ſuo Theſauro ſcriptam reliquit præclaram illam ſententiam, quam refert S. Thomas in Opuſculo 1. cont. Græcos: „ Petro om„ nes iure divino caput inclinant, & pri„ mates mundi tanquam ipſi Domino Je„ ſu obediunt. *Et ſub hæc:* Ut membra „ maneamus in capite noſtro Apoſtolico „ throno Romanorum Pontificum; a quo „ noſtrum eſt quærere, quid credere, & „ quid tenere debeamus. " Hæc ex Cyrillo; alia plura horum ſimilia refert ex aliis Patribus Græcis. Vincentius Lirinenſis in Commonitorio 1. *Romanum Pontificem, orbis caput*, appellat: & ad rem præſentem hæc habet: „ Hic forſitan re„ quirat aliquis, cum ſit perfectus Scri„ pturarum Canon, quid opus eſt, ut ei „ Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur au„ ctoritas? Quia videlicet Scripturam ſa„ cram pro ipſa ſui altitudine non uno „ eodemque ſenſu omnes accipiunt, ſed „ eadem eloquia aliter, atque aliter alius „ interpretatur; ut pene quot homines „ ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe vi„ deantur. Atque idcirco multum neceſſe „ eſt, propter tantos tam variis erroris „ anfractus, ut Propheticæ, & Apoſto„ licæ interpretationis linea, ſecundum Ec„ cleſiaſtici, & Catholici ſenſus normam „ dirigatur. " Eccleſia. & ſummus Pontifex non ſolum definiunt, quæ ſint Scripturæ Canonicæ; ſed etiam qui earum ſequendi, ac tenendi ſint ſenſus. Quæ & ibi, & in altero Commonit. rurſus inculcat. Legantur præterea Theodoretus ep. ad Leon. Pontif. & epiſt. ad Renatum Presbyt. Rom. Sozomenus Lib. III. cap. VII. de Julio I. Petrus Chryſologus ep. ad Eutych. Proſper Lib. de Ingr. cont. Collat. cap. XXI. n. 6. & Lib. II. de Vocat. Gent. cap. VI. Caſſiodorus Lib. XI. epiſt. 2. ad Joan. Papam. Gregorius M. Lib. XX. Moral. cap. 11. n. 2. 3. & 4. Lib. XXIII. cap. IV. n. 11. Lib. XXVI. cap. XLII. n. 77. Lib. II. in Evang. hom. 24. n. 4. Lib. III. epiſt. 57. Lib. V. ep. 20. Lib. VII. epiſt. 39. Par. 1. Reg. Paſt. cap. 1. & aliis plurimis in locis Damaſcenus Lib. IV. de Fid. cap. XVII. §. 2. orat. 1. de Imagin. n. 1. & 2. & orat. 2. n. 16. Anſelmus in Præfat. ad librum de Fide Trinit. Bernardus in Præfat. epiſt. 190. ad Innocent. epiſt. 191. ad eundem

n. 1.

Digitized by Google

n. 1. & 2. Lib. II. de Conſider. cap. 8. n. 15. & 16. & Lib, III. cap. 1. & 2. &c.

Tandem rei hujus eſt etiam clariſſima ratio. Ut enim in prima Reſponſionis meæ parte ex ſimilitudiue humani corporis; ita hic argumentari licet ex ſimilitudine bene conſtitutæ civitatis. Quæ altera eſt Eccleſiæ figura nobis in ſacris oblata Litteris Pſalm. XLVII. 2. 3. 9. Ezech. XLVIII. 15. 16. &c. Apoc. XXI. 2. 10. &c. Siquidem ut animadverſum eſt etiam art. 3. neque lex, neque ullæ alterius generis tabulæ, aut inſtrumenta ſui ipſorum interpretes, aut judices ſunt. Nec naturale lumen, aut ſcientia, & doctrina privatorum hominum, quantacumque illa ſit, cum res ſint ejuſmodi, quibus non facile alter alteri concedit, ſi qua ſit inter eos lis, & contentio, ei expediendæ, ac finiendæ par eſt; aut habetur apud ullam omnino gentem in qua quidem ſit aliqua reipublicæ forma. Nam quæ talia ex ſe ſunt, ut controverſiam vel admittant, vel etiam inducant, eadem per ſe ſola ad eam controverſiam tollendam ſatis apta non ſunt. Talia ſunt vero ſola lex, aut aliæ quævis publicæ litteræ cum ſolo privato lumine, aut ſpiritu. Et quidem valet id in re noſtra multo magis: cum controverſiæ, de quibus agitur, ſint ejuſmodi, quæ niſi judicium certiſſimum ſit, & nulla parte expoſitum falſo, per illud penitus terminari non queant. Sola vero Eccleſia, & Pontifex ſummus, ex Dei ſcilicet promiſſione, nec falli poſſunt, nec fallere judiciis ſuis. Cæteris cum nihil tale promiſſum ſit, etiamſi id alicui privatim aliquando daretur; cum ſpiritus interior ſit, nec certis argumentis appareat; niſi ſi Eccleſia, aut ſummus Pontifex de illo idipſum declararet; liceret eis, qui cum illo diſceptant, ipſius dicto, aut ſententiæ non aſſentiri, nec acquieſcere. Conſequens igitur eſt &c. Quod erat ſecundo loco propoſitum.

Ad primum, dicendum, quod objicitur ex Deuteronomio ad rem præſentem non facere. Nam vel locus ille ſignificat Deum nihil præcipere, quod homo implere non poſſit: quod eſt contra Lutheranos, & alios recentes hæreticos, ſed ad aliam pertinet controverſiam. Vel ſignificat, præcepta Decalogi eſſe intellectu facilia, & clara per ſeſe: quod quidem ultro concedimus; negamus vero, ex his argumentum duci poſſe pro aliis Scripturæ locis, quæ difficillima ſunt, & maxime controverſa. De quibus eſt quæſtio præſens. In cæteris, quæ afferuntur ex Pſalmis, ex Proverbiis, ex ſecunda Petri, vel ſermo eſt de iiſdem Decalogi præceptis; idipſum reſpondeo, ea loca nihil ad rem hanc attinere. Vel ſermo eſt de reliquis Scripturæ partibus, quæ obſcuritatem habent, & controverſiam; id ita diſtinguo: Hæ quoque Scripturæ partes lucerna ſunt, & lux remote, & ſecundum ſe; concedo: proxime, & quoad nos, iterum diſtinguo, ſi rite, ac debito modo, & nobis ſint ab Eccleſia propoſitæ, & ſint a nobis ex Eccleſiæ ſenſu intellectæ; concedo; ſcriptum enim Pſalm. CXVIII. 130. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*, ſecus autem nego aſſumptum. Recole, quæ ſcripta ſunt art. 3. ad 1. & 2. Negavi aſſumptum non quia privatim alicui Deus, per ſe ſolus ipſe non poſſit clariſſime alicujus ſcripturæ partis aut divinitatem detegere, aut verum ſenſum oſtendere, ſed quia vel id facere non ſolet; vel, ſi faciat, erit homini quidem iſti pars illa Scripturæ lucerna, atque lux etiam proxime: verumtamen lucerna, & lux dumtaxat privata. Ut igitur ad alios quoque pertineat, eoſque ita illuminet, ut ne ſit amplius obſcuritati, & controverſiæ locus; revelationem illam neceſſe eſt ex privata, & ſingulari publicam, communemve omnibus fieri. Id quod, uti nunc habent divinæ providentiæ leges, & gubernandi ratio tum ſolum fiet, cum librum illum, aut libri partem Eccleſia tanquam divinam proponat; & quæ ſit verborum illorum ſententia, declaret.

Ad reliqua, quibus aperte tradi dicitur adverſariorum doctrina, reſpondeo Iſa. LIV. 13. ſignificari, Deum ipſum, quod per Prophetas antea fecerat facturum deinde per ſeſe, ut ea, quæ religionis, ac pietatis ſunt homines doceret. Scilicet illud ipſum, quod ſignificatur Iſa. LII. 6. *ego ipſe qui loquebar, ecce adſum*, & ad Hebr. I. 1. 2. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio* &c. Præterea Joel. II. 28. &c. ſignificari non ſpiritum privatum, ſed primo publicum, & maxime conſpicuum Spiritus San-

cti deſcenſum, & illapſum in Apoſtolos, alioſque omnes, qui cum ipſis erant, viri, & mulieres (*turba hominum ſimul, fere centum viginti* Act. I. 15.) Deinde Joelem prænuntiaſſe, dico, fore, poſt Chriſti adventum, ut Divinus Spiritus cæleſtium bonorum, ſive chariſmatum, & longe plus quam unquam antea effunderet, & in plures. Non eatenus tamen, ut omnibus daretur *interpretatio ſermonum*; ſed tanquam in corpore, aut etiam in civitate apte diſpoſitis, & ordinatis, ſic in Eccleſia *diviſiones eſſent gratiarum, miniſtrationum, operationum*; quo & aliis alii, & omnes capite, ſupremove aliquo judice, ac moderatore indigerent. Quod citatur Johan. VI. 45. ſpectat tum ad externam Chriſti Domini vocem, doctrinamque Evangelicam ab ipſo partim per ſeſe, partim per Apoſtolos traditam; tum ad interiorem Spiritus Sancti gratiam, aliaque omnia Fidei, & ſalutis noſtræ adjumenta & præſidia, quæ pariter omnia magis abundant in Nova, quam in Veteri Lege. Quod eſt Johan. VII. 17. ſignificat judicandi recte impedimentum eſſe malam voluntatem. Ea ſublata, ſi adſint cætera, ut certe aderant iis, quos ipſe Chriſtus docebat, ſtatim ſecutura recta judicia. Quod X. 27. vel huc non facit ullo modo, cum ibi ſit ſermo dumtaxat de Vocatione electorum, ut interpretatur Auguſtinus tract. XLV. in Johan. a num. 10. vel principium argumento petitur. Id enim eſt hic in quæſtione; utrum ſpiritus privatus, quem ſequuntur hæretici ſit Chriſti vox, an vero ſit *vox alieni*. Quæ notata ſunt in prima reſponſione convincunt eſſe *vocem alieni*. Profecto vox Eccleſiæ, ac legitimorum Paſtorum vox eſt Chriſti certiſſima. *Qui vos audit me audit*. Luc. X. 16. In ſecunda ad Cor. IV. 3. 4. &c non de perfecta, reconditioreque Scripturarum intelligentia ſermo eſt, ſed de Chriſti adventu, & aliis, quæ de Chriſto credenda, ante etiam quam Evangelica hiſtoria ſcriberetur, prædicabant Apoſtoli. In I. ad Theſſ. V. 19. &c. & I. Johan. IV. 1. nec omnis doctrinæ, nec omnium ſpirituum nobis examen præcipitur; ſed eorum, de quibus prudenter dubitari poſſit. Nec proprio cujuſque ingenio, privatoque ſpiritu probanda dicuntur hæc; ſed certa regula atque momento; cujuſmodi eſt vox Eccleſiæ, quæ *columna eſt, & firmamentum veritatis* (I. Tim. III. 15.)

Tandem de illis, quibus externus interpres, doctor, judex videtur excludi; reſpondeo, non de myſteriis magis abſconditis, aut Scripturarum arcanis; ſed de unius Dei cognitione loqui Hieremiam XXXI. 33. &c. Quæ cognitio, Spiritus Sancti dono, multo eſt certe major hoc tempore, quam ante Chriſti adventum, cum omnes idola paſſim colerent in eumque cultum Hebræi etiam eſſent propenſi. Matth. vero XXIII. 20. magiſtri nec fungi officio, nec nomine uti prohibentur Chriſtiani; cum II. ad Tim. I. 11. de ſe Paulus ſcribat: *in quo poſitus ſum ego prædicator, & magiſter Gentium*. & Matth. V. 13. 14. 19. dixerit Chriſtus Dominus: *Vos eſtis ſal terræ* &c. *Vos eſtis lux mundi* &c. *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Prohibentur ambire titulos, & affectare honorem magiſterii: quod illi jactitabant; de quibus Matth. XXIII. 5. 6. 7. *dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant autem ... primas cathedras ...... & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*. Illud Johan. V. 34. dictum de Chriſto, non de Scriptura, ejuſque minus notis & partibus, & locis. Se Chriſtus *non ab homine teſtimonium accipere*; hoc eſt, ſibi opus non eſſe, merito ait: cum auctoritatem ſummam obtineret intrinſecus quidem, & ſecundum ſe, ex ſe ipſo: hoc eſt ex Perſona Verbi: extrinſecus autem, & quoad nos ex voce Patris, ac divinis operibus. Et tamen ad noſtram ſalutem uſus eſt etiam hominum teſtimonio: ac lux divina cum eſſet, & mortalibus per ſe ipſum omnino illuceſcere poſſet; nobis quodammodo admoveri, proponi, & quaſi proximior fieri voluit per illum, qui *erat lucerna ardens, & lucens* (Joh. V. 35.) Quanto magis igitur hoc fieri debuit cum luce creata, qualis eſt divina Scriptura: quæ quamvis intrinſecus & ſecundum ſe auctoritatem, & vim ſuam omnem obtineat ex Deo auctore ſpeciali; extrinſecus tamen, & quoad nos ex miraculis, aliiſque argumentis, quæ in primo articulo retulimus, eam non habet, quantum ad terminandas omnes controverſias; quæ de aliquarum ipſius partium,

& lo-

Digitized by Google

& locorum vel divinitate, vel ſignificatione excitari poſſunt ſit per ſe proxime ſatis? Illud I. ad Cor. II. 15. facit contra adverſarios: nam *Spiritualis* nomine intelligendi non ſunt quilibet ex Chriſtianis, ſed tantum perfecti; & quidem vita & doctrina. Hi vero dicuntur, *judicare omnia*: quia non judicant humana & terrena ſolum. Dicuntur, *a nemine judicari*, hoc eſt redargui, atque culpari. Niſi tamen ab ea perfectione deſciſcant. Cujus rei certum judicium cum non ſit, niſi penes Eccleſiam; ne perfecti quidem ad id, quod eſt propoſitum, ſatis idonei ſunt: nedum quivis e populo. Tandem ad illud I. Johan. II. 27. recte Bellarminus libro ſup. cit. cap. x. ſermonem ibi non eſſe de pleniore rerum divinarum cognitione; quaſi non egerent magiſtro ulla in re, qui Apoſtolos audierant, & interiore Spiritus ſancti gratia donati erant. Nam ſi ita eſſet, cur Johannes hanc epiſtolam ſcriberet; cur eos moneret, & inſtrueret, quos divina unctio docebat de omnibus? Quorſum Deus in Eccleſia poſuiſſet paſtores, & doctores? Loquitur igitur ibi Johannes de iis tantum dogmatibus, quæ ab Apoſtolis acceperant; nec ſine interiore Spiritus ſancti illuſtratione, ac ſuaſione didicerant, atque crediderant. Eoſque hortatur, ut illa teneant, in iiſque permaneant; nec aures præbeant novatoribus contraria ulla docentibus. Multum præterea intereſt inter unctionem, quam hic commendat Johannes, & ſpiritum privatum, quem impugnamus. Illa idem omnes docebat, atque ipſa illa, quæ Apoſtoli. Hic non ſolum diverſa, ſed & pugnantia inter ſe, rectæque Fidei, & rationi contraria. Illam probavit Johannes. Hunc ſoli illi probant, qui ei obſequuntur. Uberiorem loci hujus explicationem dabo paulo poſt ex Auguſtino.

Ad ſecundum dico, Chryſoſtomum loqui non de omnibus Scripturæ partibus, ſed de quibuſdam clarioribus, & facilioribus, cujuſmodi ſunt hiſtoriæ; quod ipſe ibidem aliquanto poſt diſerte profitetur. Loqui præterea ad homines, maxima quidem parte, ſatis & cultos, & intelligentes, ſed profanis litteris, iiſque amœnioribus, & mollioribus deditos. Loqui deinde ad hos ipſos, tanquam oratorem, & quidem more ſuo, ut erat fortis, ac vehemens orator, quique auditorum ſuorum torpori, ac deſidiæ excutiendæ, aliis etiam in rebus, ejuſdem generis amplificationes, ac ſignificantiores loquendi modos adhibere conſueverit. Ac certe nihil minus ſpectaſſe, quam ſpiritum illum privatum, cujus ope ſe Scripturas intelligere jactant hæretici: cum, præter ea, quæ notata ſunt articulo ſuperiore, in hac ipſa 3. homil. de Lazaro ita ſcripſerit; *Sume librum in manus, lege hiſtoriam omnem; & quæ nota ſunt memoria tenens, ea, quæ obſcura ſunt, parumque manifeſta, frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad doctorem, communica cum his ea, quæ ſcripta ſunt* &c. Ad id, quod objicitur ex Hieronymo, diſtinguendum inter Chriſtianæ Fidei myſteria, quæque prædicta de Chriſto; & inter arcanos alios Scripturæ ſenſus, & ſententias. Prima quidem obſcura erant in Veteri Teſtamento; cum nimirum adhuc eſſent figuræ tantummodo; & umbræ, ſeu prædictiones adhuc eventu vacuæ. Eadem vero clara ſunt in Novo, quia cum ſint impleta per Chriſtum, jam lux, & veritas ſunt. Ita ut illa nunc etiam ruſtici, mulieres, pueri norint: atque ii ſolum non intelligant, qui oculos avertunt a luce; ac Chriſto ad cordis oſtium ſtanti, & pulſanti omnes aditus obſtruunt, & obturant. Quæ vero alterius generis ſunt; ut olim erant, ita nunc etiam obſcura remanent. Nam & Origenes hom. 12. in Exod. *etiam nunc opus eſſe* ait, *ut Agnus de Tribu Juda aperiat nobis libros ſignatos*; & ipſe Hieronymus epiſt. XIII. ad Paulin. de inſt. Monach. hodieque velamen poſitum dicit non ſolum in facie Moyſi, ſed & in Evangeliſtis, & Apoſtolis. Ut propterea nobis etiam dicendum ſit, quod eſt in Pſalm. CXVIII. 18. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*. Quibus & illud addit. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur; qua nos putas parvulos, & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari?*

Quod diſerte traditum dicitur ab Origene, & ab Ambroſio diſertius, non eſt de ſpiritu privato, ſed de interiore auxilio, ac lumine, quod ad Scripturas rite

intelligendas, eoque profectu, qui ad æternam ſalutem conferat, omnino eſt neceſſarium. Nuſquam autem nobis id defuturum, monet Origenes, *ſi tamen quæratur, ſicut oportet*. Hoc eſt, ſi adhibeantur illa, quæ ad lectionem Sacrorum Voluminum adhibenda præcepimus art. 6. Ambroſius vero *aperietur tibi*, inquit, *non ab alio, ſed a Dei Verbo &c.* Non quod alii interrogandi, & audiendi non ſint, cum hoc ipſum velit maxime Deus, ut oſtendimus in ſuperioribus: ſed primum quia ſunt aliqua in utriuſque Fœderis Libris, de quorum ſententia nihil definitum eſt ab Eccleſia; ſuntque adeo obſcura, & explicatus tam diverſos a Patribus, & ſacris Interpretibus habent, tamque difficiles; ut a ſolo Verbo eorum intelligentia ſit demum ſperanda. Deinde quia quicquid veræ, ſinceræque notitiæ his de rebus per alios accipimus, in Verbum ipſum tandem eſt referendum; cujus eſt, *aperire Librum & ſolvere ſignacula ejus* (Apoc. v. 2.) Poſtremo quia, niſi Verbum ipſum præſenti ope, ac lumine nobis adeſſet intrinſecus; cæcis prorſus, ac ſurdis externi magiſtri, aut concionatores divinas Literas explicarent. In eam ipſam ſententiam intelligendi Origenes, & Ambroſius, quæ clarius expreſſa poſtea fuit ab Auguſtino, & Gregorio Magno. Sic enim ille Tract. 3. in Johan. num. 13. „ Quid ergo nos „ facimus, Fratres, quia docemus vos? „ Si unctio ejus docet vos de omnibus, „ quaſi nos ſine cauſa laboramus. Et ut „ quid tantum clamamus? Dimittamus „ vos unctioni illius, & doceat vos un„ ctio ipſius. Sed modo mihi facio quæ„ ſtionem, & illi ipſi (*Johanni*) Apo„ ſtolo facio: dignetur audire parvulum „ quærentem a ſe; ipſi Johanni dico, „ Unctionem habebant, quibus loqueba„ ris? Tu dixiſti (1. *epiſt.* II. 27.) quia „ *unctio ipſius docet vos de omnibus*. Ut „ quid talem epiſtolam feciſti? Quid il„ los tu docebas? quid inſtruebas? quid „ ædificabas? Jam hic videte magnum „ ſacramentum, Fratres: Sonus verborum „ noſtrorum aures percutit, magiſter in„ tus eſt. Nolite putare, quemquam ali„ quid diſcere ab homine. Admonere „ poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: „ ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit „ ſtrepitus noſter. Adeo Fratres vultis „ noſſe? Numquid non ſermonem iſtum „ omnes audiſtis? Quam multi hinc in„ docti exituri ſunt? Quantum ad me „ pertinet, omnibus locutus ſum: ſed „ quibus unctio illa intus non loquitur, „ quos Spiritus ſanctus intus non docet, „ indocti redeunt. Magiſteria forinſecus „ adjutoria quædam ſunt, & admonitio„ nes. Cathedram in Cælo habet, qui „ corda docet. Propterea ait & ipſe in „ Evangelio " (Matth. XXXIII. 10.) Nolite vobis dicere magiſtrum in terra, unus eſt magiſter veſter Chriſtus, (non quia alii etiam non doceant, non quia alii etiam non ſint audiendi; ſed quia fruſtra docent, & audiuntur; niſi intra nos loquatur Chriſtus. Quodque illi præſtant cum eo, quod nobiſcum intra nos Chriſtus agit, nullo modo eſt comparandum.) *Ipſe vobis ergo intus loquatur* &c. *Ubi illius inſpiratio, & unctio illius non eſt, forinſecus inaniter perſtrepunt verba. Sic ſunt iſta verba, Fratres, quæ forinſecus dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem: forinſecus operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ: quælibet forinſecus adhibeat, numquid poma format? numquid nuditatem lignorum veſtit umbra foliorum?* &c. Et tamen, quamvis iſta non faciat, non propterea externus agricola non adhibetur plantis; neque ipſius cultura, diligentia, & induſtria non reputatur neceſſaria. Traducantur hæc ad rem noſtram. Gregorius ſimiliter Lib. II. in Evang. hom. 30. nu. 3. ad illud Johan. XIV. 26. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*: „ quia, *inquit*, niſi idem Spiritus „ cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo „ doctoris. Nemo ergo docenti homini „ tribuat, quod ex ore docentis intelli„ git: quia niſi intus ſit, qui doceat, do„ ctoris lingua exterius in vacuum labo„ rat. Ecce unam loquentis vocem omnes „ pariter auditis, nec tamen pariter ſen„ ſum auditæ vocis percipitis. Cum er„ go vox diſpar non ſit, cur in cordi„ bus veſtris diſpar eſt vocis intelligen„ tia, niſi quia per hoc, quod vox lo„ quentis communiter admonet, eſt ma„ giſter interior, qui de vocis intelligen„ tia quoſdam ſpecialiter docet? De hac „ unctione Spiritus rurſus per Johannem

„ di-

„ dicitur &c. “ Arcanum eſt id magiſterium Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti quod Catholici omnes ultro admittimus, & defendimus; quodque externi doctoris, & interpretis vocem non reſpuit; ſed requirit; atque illud nobiſcum in animo agit, ne ad irritum cadat, & effectu careat.

Ad tertium, negandum injuriam fieri privato, quod Eccleſiæ, & ſummo Paſtori ſubjicitur. Quid enim aliud natura fecit in corpore; aut in omni civitate, & gubernatione, qui illam inſtituit, ac legibus temperavit? Ingenio, prudentia, doctrina, pietate quantumvis licet excellat; errare poteſt: quod Eccleſia, & ſummus Pontifex non poſſunt. Non unum aliquem Auguſtino, & Hieronymo parem adverſarii faciunt; ſed quemvis, etiam e plebe. Sed fac ita eſſe; nec Auguſtino, nec Hieronymo, nec omnino ulli privato Chriſtus Dominus ita ſe affuturum promiſit, ut Petro, & Paſtoribus aliis in concilium legitime congregatis. Ut, etſi minus ad hæc cognoſcenda, & judicanda ſexcenti valerent ex ſeſe, quam unus Auguſtinus, vel Hieronymus; longe tamen plus valeant ex Chriſti præſentia. Porro Auguſtinus, & Hieronymus Patres omnes antiquiores: quippe qui ab Apoſtolorum, ac Chriſti ævo propius aberant, plurimum ſemper reveriti, ac venerati ſunt; atque eorum dicta, & ſententias citant perquam frequenter: Eccleſiæ vero, & Romano Pontifici tantum tribuunt, quantum vel ſola illa loca, quæ ſupra retulimus, perſpicue oſtendunt. Nec vero eos nego ſuopte ingenio, ac ſpiritu plurima interpretatos: ſic tamen, ut a communi majorum, & Eccleſiæ ſenſu nunquam diſceſſerint, aut aberrarint. Primi vero, qui ſacras Litteras expoſuerunt, Chriſtum ipſum, aut Apoſtolos, eorumve diſcipulos audierunt; quod addiderunt de ſuo, dixeruntque primi; vel iis, quæ acceperant, conſentaneum fuit; vel, ſi tale viſum non eſt Eccleſiæ, ab ea merito vel eſt relictum, vel reprobatum. Quod de aliquot primi, & ſecundi ſæculi Patribus conſtat ex Eccleſiaſtica hiſtoria. Negandum præterea injuriam fieri reipublicæ. Nam Tridentinum decreto ſupra relato petulantia quidem ingenia coercet, nullo modo retardat felicia. Ducem addit, non compedes injicit. Atque ita ducem addit, ut nefas ſit, non quidem proferre aliquid novum; ſed quod Eccleſiæ decretis, aut communi Patrum ſententiæ ſit aliquo modo contrarium. Quod recta Fides, atque ex Fide recta ratio docent ſatis ipſæ per ſe. Ut non ſit hæc ingeniorum tyrannis, ſed gubernatio juſtiſſima, & ſapientiſſima: quæ ſummum malum a republica ſummovet; non vetat eam augeri, ornarique magnis, atque inſignibus bonis.

Item negandum injuriam fieri divinæ Scripturæ. Nam quod viva etiam Fidei regula opus ſit, Scripturæ perfectionem non minuit; cum regula illa omnino alterius generis ſit. Nec minuit auctoritatem, aut dignitatem: immo aſſerit potius, ac vindicat. Quoniam judicium, quod in Sacram Scripturam exercet Eccleſia, aut Pontifex, judicium, atque actus eſt *diſcretionis*, ut ajunt, & cognitionis; non dominatus, ut in tertio art. ad primum notavimus. Dominatum, atque auctoritatem in eos exercent qui Scripturæ ab ipſis propoſitæ, aut declaratæ vel divinitatem agnoſcere, vel ſententiam amplecti noluerint. Nec vero quòd privatum hæreticorum ſpiritum reprobamus, propterea neceſſe arbitramur ubique, & in omni prorſus rerum genere aliena premi veſtigia. Quid ſi res ejuſmodi ſit, de qua quid ſentiamus, integrum nobis relinquat Eccleſia? Quid ſi alicubi, ut ſæpe contigit, diſſentiant interpretes? Nihil profectò eſt in hoc ſtudiorum genere, quod magis fugiendum videatur, quàm ſuperbia, & arrogantia: fatendum eſt tamen, fieri poſſe, ut in contrariam quoque partem peccetur. Apocal xxi. 8. à ſancta Civitate etiam *timidi* arcentur. Novos quidem Scripturæ ſenſus nullos adſtruimus: ſed quotquot in articulo ſuperiore expoſuimus, omnes mihi videntur ejuſmodi eſſe, in quibus ad Dei gloriam, & hominum diſciplinam, præter ea, quæ ab aliis animadverſa jam ſunt, liceat adhuc multa detegere, aut magis magiſque illuſtrare. Quòd ſi Deus aliquas Scripturæ partes aut ſententias nolit à nobis, niſi aut extremis mundi temporibus, aut in cæleſtem Patriam receptis intelligi: de iis non magis profectò cognoſcet, qui ſe illudi, &

in

Digitized by Google

in errorem agi a dæmone, privato ſpiritu, ſinat: quàm qui Eccleſiæ, & Patribus, in quibus verus eſt intelligentiæ ſpiritus, omnino docendum, ac regendum ſe præbeat. Illud moneo, ut ab Eccleſia, & Patribus regi, ut eos viæ duces ſequi verè dicaris; opus non eſſe; ut illos præeuntes habeas prorſus in omnibus: ſatis eſt, quod nautæ in ſtellis faciunt, ſi eos quodammodo ſtantes, ac prælucentes ſemper obſerves.

Quod reliquum eſt, injurioſi non ſumus in Spiritum Sanctum. Nam neque illum non poſſe, neque prorſus nolle dicimus Scripturarum arcana patefacere ſimplicibus, rudibus, infimæ etiam ſortis hominibus. Negamus, id muneris in omnes conferri. Negamus autem cum Apoſtolo; cujus teſtimonio, *diviſiones gratiarum ſunt* &c. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ* &c. *alii interpretatio ſermonum* &c. *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* &c. Nimirum, ut opem ſibi mutuò ferant; & cùm inter ſe charitate juncti; & colligati; tum ſubjecti ſint capiti, eique omnes pareant. Similiter, nec revelationes privatas negamus: (quanquam nec facilè admittimus) negamus, fieri omnibus. Atque ob id ipſum negamus, quod ad noſtra etiam tempora pertinere arbitramur illud Johan. III. 8. & I. Cor. XII. II. Non enim ſcriptum, *Spiritus ubique ſpirat*; ſed *ubi vult ſpirat* &c. *dividens ſingulis, prout vult*. Porro nec Scripturarum cognitio, quantacunque illa ſit, nec arcani cujuſquam revelatio, ſi privatæ ſint, & dumtaxat aliquorum, valent ad terminandas Fidei controverſias; niſi accedat Eccleſiæ ſententia, qua de illis ita definiat, ut æquè omnes afficiant, atque, ut dictum eſt ſupra, ex privatis publicæ, & catholicæ fiant. Cæterum injurioſi maximè in Spiritum Sanctum ſunt adverſarii, quem cum ſpiritu nequam confundunt; quem ſcelerum errorumque ſuorum auctorem faciunt; quemque, ut vivendi, atque opinandi licentiæ tanquam patronum prætendunt, poteſtate, ac libertate ſpoliant ſua. Si enim Spiritus Sanctus is eſſet, cujus actu, & inſtinctu ferri ſe dictitant, veriùs ad eorum voluntatem, quàm ad arbitrium ſuum ſpirare diceretur: neque illis divideret pro ut vult, ſed pro ut ipſis placet. Ita ſemper privatus ſpiritus eos ducit, quò maximè optant; nec eorum cupiditatibus, & affectionibus unquam non ſervit. Id ipſum dicendum de Chriſto. Injuriam Chriſto facit, qui Eccleſiam ſpernit, Paſtoreſque gregi ab ipſo præpoſitos. *Qui vos ſpernit me ſpernit* (Luc. x. 16.) Quod Libertini, & Phanatici maximè faciunt. Locus Auguſtini ut mala fide, ſic & male, & ne facilè poſſit reperiri, à Calvino citatur. Citatur male, quia non eſt ex capite ſecundo cont. Creſconium, ſed ex ſecundo libro cap. 21. Citatur mala fide, quòd ibi Eccleſiaſtici judices falli dicuntur, non in quæſtionibus juris, ſed facti, quas vocant; & ejus quidem facti, ut ex iis, qui ficto animo ad baptiſmum accedebant, pleroſque ſincero animo accedere putarent. Quod, ut Calvinus vidit, aut videre debuit, nihil ad rem præſentem. Legatur integer ille locus num. 26. Sed & legendum præterea, quod contra eundem Creſconium ſcripſit Lib. 1. cap. 33. n. 39. *Proinde quamvis hujus rei certè* (niſi legendum ſit, *certum*) *de Scripturis canonicis non proferatur exemplum: earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, Quiſquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis* (de Baptiſmo) *eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam* (Eccleſiam) *ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat*. Ut qui ſpiritu privato Eccleſiæ repugnet; ſine ulla ambiguitate, Scripturæ repugnet. Hæc ſcilicet, quæ quidem facere vidit ad rem, ſed non ſuam, Calvinus ſilentio præteriit. Locum hunc contra ipſum concludo, eo quod eſt Lib. 3. cap. 64 n. 71. *O veſana perverſitas hominum! Laudari te credis, de Chriſto credendo quod non vides; & damnari te non credis, de Eccleſia negando quod vides* &c. & num. 72. *Agnoſcis Chriſtum in eo quod ſcriptum eſt* (Pſalm. CVII. 6.) Exaltare ſuper cælos Deus. *Et non agnoſcis Eccleſiam in eo, quod ſequitur*, Et ſuper omnem terram gloria tua? Chriſto gloriæ eſt, non injuriæ, quòd in quæſtionibus Fidei Eccleſiæ & ſummo Pontifici ſupremum judicium deferimus,

qui-

Digitized by Google

quibus demandavit ipſe vices apud homines ſuas ; & ſic ſe aſſuturum promiſit , ut ſententiam ferendo falli , aut fallere nequeant.

DISPUTATIO NONA.

Utrum ea omnia , quæ docet , aut præcipit ſancta Mater Eccleſia ſint divinis expreſſa Litteris : ut Traditione opus non ſit.

ITa videtur : primò auctoritate Scripturæ ; quòd primùm , ſe unam complecti ea omnia , quæ ad Fidem , & mores pertinent , apertè teſtatur . Ut Johan. xx. 30. 31. *Multa quidem , & alia ſigna fecit Jeſus &c. quæ non ſunt ſcripta in libro hoc : hæc autem ſcripta ſunt , ut credatis , quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei , & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus .* Quibus ſignificatur Chriſtiana omnis doctrina . Et apertiùs II ad Tim. III. 16. 17. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum , ad arguendum , ad corripiendum , ad erudiendum in juſtitia . Ut perfectus ſit homo Dei , ad omne opus bonum inſtructus .* Deinde quòd ſibi, ut nihil vult detrahi , ſic & aliquid addi vetat . Ita Deut. IV. 2. *Non addetis ad verbum , quod vobis loquor , nec auferetis ex eo .* & XII. 32. *Quod præcipio tibi , hoc tantùm facito Domino : nec addas quicquam nec minuas* , & Prov. XXX. 6. *Ne addas quicquam verbis Domini .* Similiter ad Galat I. 8. & Apocal XXII. 18. 19. &c. Poſtremo , quod Traditionem expreſsè reprobat . Ut Iſa. XXIX. 13. *timuerunt me mandato hominum , & doctrinis .* Matt. XV. 6. *irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram .* Marc. VII. 7. 8. *In vanum autem me colunt , docentes doctrinas , & præcepta hominum . Relinquentes enim mandatum Dei , tenetis traditionem hominum .* Galat. I. 13. 14. *ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei* &c. *æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum* Coloſ. II. 8. *Videte , ne quis vos decipiat , per Philoſophiam , & inanem fallaciam , ſecundum traditionem hominum .* I. Tim. IV. 6. 7. *bonus eris miniſter Chriſti Jeſu , enutritus verbis Fidei , & bonæ doctrinæ , quam aſſequutus es . Ineptas autem , & aniles fabulas devita .* I. Petr. I. 18. *redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis* &c.

Secundo auctoritate Patrum : quorum alii eam divitem ſenſibus prædicant , & omni doctrina abundantem . Sic Tertullianus adverſ. Hermogen. cap 22. „ Adoro , *inquit* , Scripturæ plenitudinem , „ quæ mihi & Factorem manifeſtat , & „ facta ... An autem de aliqua ſubjacenti materia facta ſint omnia , nuſquam „ adhuc legi . Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina . Si non eſt ſcriptum , „ timeat Væ illud adjicientibus , aut detrahentibus deſtinatum . “ (Apoc. XXII. 18. 19.) Sic illi pariter omnes , quos art. 2. & 7. pro noſtra ſententia teſtes adduximus . Alii teſtantur , Apoſtolos , *quod prædicatione docuerant prius , poſtea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradidiſſe , firmamentum , & columnam Fidei noſtræ futurum .* Ut nulla eorum doctrinæ pars extet , quæ ab ipſis ſcripta non ſit . Ita Irenæus Lib. 3. cap. 1. n. 1. Alii ea ſaltem ſcripta eſſe dicunt , quæ cuique ad ſalutem ſatis eſſe poſſint , ac debeant . Sic Athanaſius orat. cont. Gent. n. 1. *ſufficiunt ſanctæ , ac divinitus inſpiratæ Scripturæ ad omnem inſtructionem veritatis .* Quod ipſum fere ait aliis in locis . Item Chryſoſtomus Comment. in cap. 22. Matth. *Quicquid quæritur ad ſalutem totum jam impletum eſt in Scripturis* , & Auguſtinus Lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 9. n. 14. *In his , quæ apertè poſita ſunt in Scriptura , inveniuntur illa omnia , quæ continent fidem , moreſque vivendi .* Alii diſertis verbis eos reprehendunt , ac deterrent qui aliquid iſtiuſmodi deeſſe divinis Literis putant , & alibi quæritant . Ut Chryſoſtomus homil. 13. in ſecundam ad Cor. „ Cum habeamus , *inquit* , omnium exactiſſimam trutinam , gnomonem , & re-„ gulam

„ gulam, divinarum legum aſſertionem, „ oro vos omnes, ut relinquatis, quid „ huic, vel illi videatur; & de his a „ Scripturis hæc omnia inquirite. “ Et Auguſtinus de bono Viduit cap. 1. n. 2. „ Sancta Scriptura noſtræ doctrinæ regu- „ lam figit, ne audeamus ſapere, pluſ- „ quam oportet. “ Necnon Lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 36. n. 59. „ Ubi de re obſcuriſſima diſputatur, non „ adjuvantibus divinarum Scripturarum „ certis clariſque documentis, cohibere „ ſe debet humana præſumptio “ &c. Itemque Cyrillus Alex. de recta Fide ad Regin. „ Neceſſarium nobis eſt divinas „ ſequi Litteras, & in nullo ab earum „ præſcripto aberrare. “ Alii tandem Traditiones ipſas manifeſtè rejiciunt, & in eos invehunt verbis graviſſimis, qui divinum aliquid cenſent „ quod ſcripto datum non ſit. Ita Cyprianus epiſt. ad Pompejum §. 1. „ Unde eſt iſta tradi- „ tio? (*quam opponebat Stephanus*) „ ſi aut in Evangelio præcipitur, aut in „ Apoſtolorum epiſtolis, & Actibus con- „ tinetur &c. obſervetur divina hæc, & „ ſancta traditio. Si vero “ &c. Ita Baſilius epiſt. 189. ad Euſtatium num. 3. „ Non putamus æquum eſſe, ut vigen- „ tem apud ipſos conſuetudinem, rectæ „ doctrinæ legem, & normam duca- „ mus .... Scriptura divinitus inſpirata no- „ bis ſit arbitra: & apud quos inventa „ fuerint dogmata divinis verbis conſona, „ ad eos accedat omnino veritatis ſuffra- „ gium. “ Et in Serm. de Fide num. 1. „ Infidelitatis argumentum eſt, & ſignum „ ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, „ quæ ſcripta ſunt, aliquid velit rejice- „ re, aut eorum, quæ non ſcripta intro- „ ducere. “ Hieronymus quoque comment. in cap. 1. Aggæi. „ Quæ abſque aucto- „ ritate, & teſtimoniis Scripturarum, qua- „ ſi traditione Apoſtolica ſponte repe- „ riunt, atque confingunt, percutit gla- „ dius Dei. “ Et in Pſalm. 86. §. 7. „ Videte quid dicat, *qui fuerunt; non, qui ſunt*: ut exceptis Apoſtolis, quic- „ quid poſtea aliud dicetur, abſcindatur, „ & non habeat auctoritatem. “ & tandem Theophilus Lib. 2. Paſchal. „ Dia- „ bolici ſpiritus eſt, aliquid extra Scriptu- „ rarum ſacrarum auctoritatem putare „ divinum. “ Addi his omnibus poteſt Cyrillus Hieroſolymitanus, cujus loca plurima ex Catecheſibus Illuminatorum profert Rivetus Lib. 3. Critici ſacri cap. 9.

Tertio, ratione ducta a perfectione, & excellentia divinæ Scripturæ: quæ cum intellectus multiplices habeat, ac Verbi æterni, quo uno Pater omnia loquitur, vim, fœcunditatemque, quantum fas eſt, imitetur, ac referat; eorum ſaltem, quibus Chriſtiana Fides, & diſciplina tenetur, nihil in ea deſiderari, neceſſe eſt. Nam cujuſmodi eſſet, in iis, quorum notitia vel confert, vel etiam neceſſaria eſt ad ſalutem, ſine acceſſione Traditionum mancam eſſe Scripturam; cum interea & phyſica, & mathematica, & politica, & artificialia multa, & recondita doceat; ſitque adeo in illa omnis ſcientia, & doctrina; ut in ſequenti articulo, ac tota ſumma Biblica planum fiet? Addo, Scripturam dici non poſſe Regulam Fidei; ſi patet hæc latius, & ad plura pertinet.

Quarto, ducta ratione ex natura Traditionum: quæ cum oblivioni, & vitio, & fraudi expoſitæ ſint; & poſſint multo facilius, quam publicæ litteræ, ſeu penitus interire; ſeu, pro diverſis hominum ſtudiis, adulterari, & corrumpi; ſive etiam malitioſe confingi; nec ſtabilitatem, nec integritatem, nec ſecuritatem habent, regulæ propriam: nec, pro ipſarum conditione, ſatis apparet, quem ad finem, quove conſilio Deus, *qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (1. Tim. II. 4.) cum poſſent omnia, quæ illuc ſpectant, divinis extare Litteris; tam multa in ore dumtaxat, & ſermonibus hominum eſſe maluerit.

Sed contra eſt auctoritas Concilii Tridentini, cujus illa ſunt Seſ. 4. Decr. de Canon. Script. *Sacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus &c. perſpiciens, hanc veritatem, & diſciplinam contineri in Libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes Libros tam veteris, quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas tum ad Fidem,*

tum

Digitized by Google

tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur.

Reſpondeo primo, præter Dei Verbum ſcriptum, etiam Dei Verbum traditum eſſe. Quod quatuor his argumentis oſtenditur. Primum ex ipſomet Verbo ſcripto. Nam præter illa, quæ pro Divinis Traditionibus ſcripta ſunt in Vet. Teſt. Deuter. XXXII. 7. Pſalm. XLIII. 1. Pſ. LXXVII. 5. 6. Eccli. VIII. 11. Iſa. XXXVIII. 19. Jerem. VI. 17. Malach. II. 7. &c. hæc ſunt in Novo Teſt. eadem de re ſcripta clarius, & ad Legem Evangelicam certiſſime pertinent. Johan. XVI. 12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quo illud exprimitur quod ait Tridentinum loco ſup. cit. Apoſtolos quas nobis Traditiones reliquerunt, partim ex ipſius Chriſti ore, partim a Spiritu Sancto accepiſſe. Eodemque facit quod eſt Act. 1. 3. *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Quæ omnia nobis ab Apoſtolis non fuiſſe ſcripto tradita, cum eſt manifeſtum per ſe; tum difertis eorum teſtimoniis confirmatur. Sic Johan. XXI. 25. *Sunt autem & alia multa ... quæ ſi ſcribantur* &c. Sic 1. ad Cor. XI. 2. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 34 cætera autem cum venero diſponam.* Maxime vero II. ad Theſ. II. 14. *Itaque fratres ſtate: & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Similiter II. ad Tim. 1. 13. *Formam habe ſanorum verborum quæ a me audiſti in fide, & dilectione in Chriſto Jeſu. 14. Bonum depoſitum cuſtodi* &c. Et. II. 1. 2. *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu: & quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Item III. 14. Et rurſus Johannes Epiſt. II. 12. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Quod & Epiſt. III. 13. 14.

Deinde idem oſtenditur ex perpetua conſuetudine, & iteratis Eccleſiæ ſanctionibus, ac definitionibus. Ex conſuetudine; quod hiſce armis contra orthodoxæ doctrinæ hoſtes & pugnarit ſemper, & iis potiſſimum plures, ac perniciosiſſimas hæreſes debellarit. Traditione pugnatum, victique Novatiani in Concilio Romano II. ſub Cornelio anno 255. Paulus Samoſatenus in Concilio Antiocheno ſub Dionyſio anno 266. Arrius in Conc. Nicæno I. ſub Silveſtro an. 325. Macedonius in Conc. Conſtantinopolitano I. ſub Damaſo an. 381. Pelagius in Conc. Milevitano II. ſub Innocentio I. an. 416. Neſtorius in Conc. Epheſino I. ſub Cæleſtino I. an. 431. Eutyches in Chalcedonenſi ſub Leone I. an. 451. Priſcillianiſtæ in Bracarenſi ſub Johanne III. an. 563. Iconomachi in II. Nicæno ſub Adriano I. an. 787. Ut propterea omnes omnium temporum hæretici Traditioni infenſiſſimi fuerint; Baſilidiani ſcilicet, Cerinthiani, Valentiniani, & Marcionitæ primis Eccleſiæ ſæculis, ut de illis teſtantur Irenæus Lib. 3. cap. 2. n. 1. & Tertullianus de Præſcript. Deinde verò Donatiſtæ, teſtimonio Auguſtini de Unit. Eccl. cap. 9. n. 51. Arriani, teſtimoniis Hilarii Lib. cont. Conſtan. n. 17. & 19. Epiphanii hæreſ. 69. 73. & Auguſtini Collat. cum Maximino Arian. n. 1. Eunomiani ex Baſilio Magn. Lib. de Spiritu S. cap. 27. n. 66. 67. &c. & cap. 29. AEriani ex Epiphanio hær. 75. Pelagiani ex Auguſtino de Nat. & Grat. c. 39. n. 46. Neſtoriani, Eutychiani &c. ex Baſilio Ancyrano in Confeſ. Catholic. quæ extat VII. Synodo Act. 1. Idem in Traditiones odium, ac bellum fuit Apoſtolicorum ſæculo 12. teſte Bernardo ſerm. 66. in Cant. n. 9. VVicleſi ſæculo 14. ex Thoma VValdenſi Lib. 2. de doctrin. Fid. cap. 19. & tandem ſæculo 16. Lutheri, & Calvini; ut ipſimet profitentur, ille in comment. cap. 1. Epiſt. ad Galat. hic Lib. 4. inſtit. cap. 8. §. 8. Jam verò quod in hoc argumento alterum erat, iteratæ Eccleſiæ ſanctiones, ac definitiones, ejus generis eſt primum, quod ſcripſit Fabianus Papa, & Martyr Epiſt. 2. ad Epiſc. Orientis de ſacro Chriſmate quotannis renovando num. 1. *Iſta a ſanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus accepimus, vobiſque tenenda mandа-*

damus. Deinde quod Stephanus I. de hæreticorum baptiſmo in Epiſt. ad Epiſcop. Afric. *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*. Item, quod Innocentius I. Epiſt. I. ad Decentium *ſi inſtituta Eccleſiaſtica, ut ſunt a beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur*. Et quod Sixtus III. in Epiſt. ad Johan. Antioch. *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetuſtati. Dilucida, & perſpicua Majorum credulitas nulla cæni permixtione turbetur* quod Leo Magn. Serm. de Quadrageſ. *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur*. Et ſerm. 2. de Jejun. Pentecoſt. *Dubitandum non eſt, dilectiſſimi, omnem obſervantiam Chriſtianam eruditionis eſſe divinæ; & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt devotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina*. Et quod Hadrianus I. Epiſt. ad Conſtantinum, & Iren. quæ extat Act. 2. Nicæni II. *ipſius principis Apoſtolorum beati Petri ... traditione Chriſti ſacram effigiem, ſanctæque ejus Genitricis, Apoſtolorumque, vel omnium Sanctorum veneramur imagines*. His accedunt decreta ejuſdem Nicænæ Synodi Act. I. & Act. 6. Tom. 4. *Quod autem, cum multis aliis, quæ in Eccleſia obſervantur ſine Scriptura, nobis Imaginum veneratio tradita ſit, ab Apoſtolorum temporibus late per hiſtorias traditum eſt*. Et in fine Act. 7. *Si quis Traditionem Eccleſiæ, ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentem non curaverit, anathema ſit*. Item alia ſimilia octavæ Synodi General. primum Regul. I. alterum Act. 8. tertium Act. 9. can. I. Quibus ſi addas, quæ ex Tridentino ſupra ſunt allata, vix erit aliud Fidei noſtræ dogma, primariis ejuſdem myſteriis exceptis, quod ex hoc theologico loco luculentius demonſtretur.

Tertio idem evincitur auctoritate Patrum: quorum pariter vix eſt in rem ejuſdem generis, aut ordinis aliam conſenſio major. Ex primo & ſecundo ſæculo Ignatius in ſuis Epiſtolis *de Quadrageſimæ jejunio, de minoribus Ordinibus de die Dominico*, deque aliis pluribus horum ſimilibus agit, non ex Scriptura, ſed ex ſola Traditione notis, & in Eccleſia receptis. Atque ut de illo Euſebius Lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 36. *cum per Aſiam ſub cuſtodia navigaret, in ſingulas quaſque digrediens civitates, Eccleſiæ populos Evangelicis cohortationibus edocebat, in Fide perſiſtere ... & ut diligentius, ac tenacius Apoſtolorum traditionibus inhærerent: quas traditiones cautelæ gratia, & ne quid apud poſteros remaneret incerti, etiam ſcriptas ſe aſſerit reliquiſſe*. Dionyſius Areop. de Eccleſ. Hierarch. cap. I. §. 5. de Apoſtolis ait: *Primi illi noſtri ſacerdotalis muneris duces ... ſumma illa, & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis, nobis tradiderunt*. Et §. 3. Hierarchiam definiens: *Eſt*, inquit, *Hierarchia, ut ſe habet noſtra veneranda, ac ſacroſancta Traditio, omnis ſacrarum rerum illi quidem ſubjectarum ratio*. Juſtinus in 2. Apolog. pro Chriſtianis primum multa refert ab iis ſervata, nec uſquam in Scripturis expreſſa; ut, *quod ſingulis Dominicis conveniant; quod poſt Scripturarum lectionem, offeratur, & conſecretur panis, & vinum aqua temperatum; quod nulli niſi poſt Baptiſmum de Euchariſtia participare liceat* &c. Atque hæc deinde ſubjungit: *Poſtridie Saturni, qui dies Solis eſt, cum Apoſtolis, diſcipuliſque ſuis apparuiſſet, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque conſideranda permittimus*. Polycarpus, ut eſt apud Irenæum Lib. 3. cap. 3. n. 4. & Euſebium Lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 20. multa referebat, quæ a Chriſto Domino dicta, de Apoſtolorum ore ipſemet audierat. Egeſippus primi ſæculi Scriptor Apoſtolorum Traditiones quinque Libris comprehendit; ut pariter fert Euſebius Lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 8. Idem fecit Papias, æqualis illorum temporum; qui tametſi non tantum judicii, & delectus in eo negotio adhibuerit, quantum neceſſe fuerat; facit tamen ad Apoſtolicarum Traditionum religionem tuendam quod de ſe profitetur Lib. 4. Expoſit. *Si quis Preſbyter mihi forte occurrebat, qui cum Apoſtolis converſatus fuiſſet, dicta Apoſtolorum ab eo diligenter ſciſcitabar; nempe quid Andreas dixiſſet, quidnam Petrus, quid Philippus, quid Thomas &c. Neque enim ea, quæ in Libris pandebantur tantum mihi ſubſidii allatura exiſtimavi, quantum ea, quæ acceperam ex hominum voce, & ſermone, qui adhuc in vita manebant*. Ex ter-

Digitized by Google

tertio ſæculo Irenæus Lib. 3. cap. 2. n. 1. & 2. Heterodoxos, præſertim Marcionitas ita perſtringit: *Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex auctoritate* &c. *& quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant Traditionem* &c. *Cum autem ad eam iterum Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſionem Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos; adverſantur Traditioni; dicentes, ſe non ſolum Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceram inveniſſe veritatem*. Et num. 3. ita concludit: *Adverſus tales certamen nobis eſt, o dilectiſſime, more ſerpentum lubricos undique effugere conantes*. Idem cap. 3. n. 2: *maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, & a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos* &c. Et ſic pariter n. 3. & 4. Necnon cap. IV. n 1. & cap. V. n. 1. Tertullianus quoque de coron. militis cap. IV. enumeratis aliquot Chriſtianæ religionis obſervantiis, & cæremoniis, ut de baptiſmo, de ſigno Crucis, de oblationibus pro defunctis, & aliis ſimilibus, ait: *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules, Scripturam nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix* &c. Clemens Alex. ut refert de illo Euſebius Lib. VI. hiſt. Eccl. cap. XI. *in libello, quem ſcripſit de Paſcha confitetur, extorqueri ſibi a fratribus, ut ea, quæ a preſbyteris, ideſt a ſucceſſoribus Apoſtolorum voce ſibi ſola tradita ſunt, deſcriberet in libris, ac poſteris traderet*. Origenes in cap. VI. Epiſt. ad Rom. *Eccleſia*, inquit, *ab Apoſtolis traditione accepit, etiam parvulis Baptiſmum dare*. Cyprianus epiſt. 63. §. 1. *Admonitos*, inquit, *nos ſcias, ut in calice offerendo Dominica traditio ſervetur* &c. *ut calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur*. Et epiſt. 70. §. 2. ex Traditione docet, *ungi quoque neceſſe eſſe eum, qui baptizatus ſit*. &c. Ex quarto ſæculo Euſebius Cæſar. Lib. I. demonſtr. Evang. cap. VIII. *Chriſti diſcipuli*, ait, *ad Magiſtri ſui nutum auribus multorum doctrinam ſuam commendantes tradiderunt*. Et mox clarius: *Quæcumque iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationiſque indigentes, ea ipſi ad imbecillitatem multorum ſe demittentes, partim litteris, partim ſine litteris, quaſi jure quodam non ſcripto, ſervanda commendarunt*. Athanaſius in Epiſt. de decret. Nicæn. Synod. num. 27. *Nos quidem ex Patribus ad Patres hanc ſententiam tranſiſſe demonſtramus. Vos vero, o novi Judæi, & Caiphæ diſcipuli, quos tandem dictorum veſtrorum progenitores habetis oſtendere?* Baſilius hom. 24. cont. Sabellian. Arium, & Anomæos num. 6. *At ne ſepares a Patre, & Filio Spiritum ſanctum, abſterreat te Traditio, Sic Dominus docuit, prædicavere Apoſtoli, Patres conſervavere* &c. Item in libro de Spiritu ſanct. cap. IX. num. 22. *Jam vero etiam de Spiritu communes noſtræ notiones cujuſmodi ſint expendamus, tum eas quæ nobis de illo e Scripturis collectæ ſunt, tum eas quas Patrum traditione non ſcripta accepimus*. Et cap. XXVII. num. 66. *Ex aſſervatis in Eccleſia dogmatibus, & prædicationibus, alia quidem habemus e doctrina ſcripto prodita, alia vero nobis in myſterio* (id eſt in occulto; per voces, quæ non extant, nec poſſunt oſtendi) *tradita recepimus ex traditione Apoſtolorum: quorum utraque vim eandem habent*. &c. *Verbi gratia, ut ſigno crucis eos, qui ſpem collocant in Chriſto ſignemus, quis ſcripto docuit? Ut ad Orientem verſi* &c. & alia plura recenſet ex Traditione. Legenda etiam, quæ ſcribit cap. XXIX. num. 71. & 75. epiſt. 243. ad Epiſc. Ital. & Gal. num. 2. & Epiſt. 261. ad Sozopolit. num. 3. Cyrillus Hieroſ. Catech. 5. num. 12. *Videte itaque, fratres, ut ſervetis Traditiones, quas nunc accipitis; & inſcribite eas in latitudine cordis veſtri*. Gregorius Nazian. orat. 3. quæ prima cont. Iulian. ubi ait propter dogmata N. ac V. Teſtamenti, doctrinam Eccleſiæ viſam fuiſſe Juliano mirabilem, illud ſtatim ſubjicit: *Cæterum majorem, atque inſigniorem ob eas Eccleſiæ figuras, quas Traditione acceptas in hunc uſque diem ſervamus*. &c. Nec multo poſt nomine figurarum Eccleſiæ, ejus politiam, diſciplinam, ordinem ſe intelligere dicit; item rationem pſallendi, modum pœnitentiæ

imponendæ, ſacraria in Templis, Monachorum, Virginum cœnobia, & alia plura ex ſola Traditione profecta. Ambroſius Traditionem commendat Lib. de Myſter. cap. II. n. 6. & cap. IV. n. 27. de Elia, & Jejun. cap. X. num. 34. &c. Ex quinto ſeculo Epiphanius Lib. II. Hæreſ. 41. n. 6. *Sed & Traditione quoque opus eſt. Neque enim ex Scripturis peti poſſunt omnia. Idcirco alia ſcripto; traditione alia ſanctiſſimi Apoſtoli tradiderunt.* &c. Legantur præterea, quæ ſcribit Hær. XXXV. vel LV. n. 3. Hær. XLIX. vel 69. n. 71. Hær. LVI. vel LXXV. n. 8. Johannes Chryſoſtomus hom. 4. in II. ad Theſ. II. XIV. *Hinc eſt perſpicuum*, inquit, *quod non omnia tradiderunt* (Apoſtoli) *per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis: & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque Traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt Traditio; nihil quærat amplius.* Similiter hom. 2. in Pſalm. CXVIII. 85. hom. 3. in ep. ad Rom. XV. 15. homil. 26. in I. ad Cor. XI. 2. homil. 3. in epiſt. ad Philip. I. 24. hom. 5. in II. ad Theſ. III. 6. & Lib. de Virg. in illud I. ad Cor. VII. 12. &c. Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam *Nos* inquit, *unam Quadrageſimam, ſecundum Traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus* &c. Quod & in ep. 28. ad Lucinium. Itemque in Dialog. adverſ. Luciferianos paulo ante med. *multa, quæ ſcripta non ſunt, auctoritatem ſcriptæ legis tibi merito vindicare.* Auguſtinus epiſt. 54 ad Januar. cap. I. n. I. *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis &c. commendata, atque ſtatuta retineri; ſicuti quod Domini paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cælum, & adventus de Cælo Spiritus ſancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur* &c. Idem Lib. II. cont. Donatiſt. cap. XIV. num. 19. *Recurrens ad illam ſtateram Dominicam, ubi non ex humano ſenſu, ſed ex auctoritate divina rerum momenta penduntur* &c. *Ipſa Eccleſia ſic traditum tenet, ut hominem ſine baptiſmo ad altare prorſus non poſſit admittere* &c. Quod & cap. VII. n. 12. Et Lib. IV. cap. VI. n. 9. *Sed illa conſuetudo &c. recte ab Apoſtolis tradita creditur. Et talia multa ſunt, quæ longum eſt repetere.* Tum cap. XXIV. n. 31. *Et ſi quiſquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quamquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Item Lib. V. cap. XXIII. n. 31. & cap. XXVI. n. 37. & Lib. I. cont. Creſconium cap. XXXIII. n. 39. Nec non Lib. I. de pec. mer. & rem. cap. XXIV. n. 34. & Lib. II. cont. Julian. cap. X. num. 34. Horum ſimilia, nec enim poſſunt eſſe magis illuſtria, & expreſſa apud reliquos omnes Eccleſiæ Patres, & Scriptores conſequentium ſeculorum. Quæ, ne tertium hoc argumentum proprium diſputationum noſtrarum modum longius prætergrediatur, exſcripta legere poteris apud Bellarminum Lib. IV. de verbo Dei non ſcripto cap. VII. & alios, qui argumentum idem tractarunt, ut Valentia in 2. 2. diſput. I. q. I. punct. 7. Tannerus tom. 3. diſp. I. q. 5. dub. 3. &c.

Denique id ipſum evincitur Theologica ratione. Multa ſunt enim Catholica dogmata, quæ in divina Scriptura vel non ſunt ullo modo: vel in ea non ſunt clare, aut ſaltem, ut ex illa evidenter colligantur. Ejuſmodi ſunt I. Quod *Pater in Divinis ingenitus ſit*. Et alia, quæ notant Baſilius de Spir. S. cap. XXVII. num. 67. & Auguſtinus Lib. II. cont. Maximinum Arian. cap. III. 2. Quod *Chriſtus ad inferos deſcenderit*. 3. Quod *Dei Mater virgo ſemper; etiam poſt partum, fuerit*. 4. Quod *parvuli, etiam ante rationis uſum ſint baptizandi*. 5. Quod *baptizati ab hæreticis iterum baptizandi non ſint*. 6. Quod *ut baptiſmus ſit validus, ea forma ſit adhibenda, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. 7. Quod *Sacramenta Novæ Legis ſint ſeptem*. 8. Quod *ſint omnia a Chriſto inſtituta*. 9. Quod *characterem hæc tria imprimant Baptiſmus, Confirmatio, Ordo*. 10. Quod *Paſchatis feſtum ſit die Dominico, poſt 14. Martii Lunam, celebrandum*. 11. Quod *feſta celebranda ſint pariter alia, ut Chriſti Nativitatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes &c.* 12. Quod *exiſtat apud nos Scriptura vere divina, ſeu, quæ ſit verum Dei verbum*. 13. Quod *illa eadem, præſertim in iis, quæ ſunt ad fidem, & ſalutem neceſſaria, ſit apud nos ſalva, & incorrupta*. 14. Quod *verum, ac legitimum illius ſenſum habeamus*. 15. Quod *omnes ſacri Libri, quos recenſet Tri-*

denti-

Digitized by Google

dentinum in ſuo Decreto, integri cum omnibus ſuis partibus, pro vere divinis, & canonicis ſint ſuſcipiendi, & habendi. Itemque alia plurima, ut ritus ſacramentorum, immo & materiæ ipſæ & formæ, cultus ſacrarum Imaginum, ſigni ſanctæ Crucis multiplex uſus, & quæ præterea numerare longiſſimum foret. Quibus poſitis, ita diſſero. Hæc, ut dixi jam, nec poteſt negari; vel nullo modo ſunt in divina Scriptura; vel non ſunt clare, & expreſſe, aut ſaltem ut evidenter poſſint ex ea colligi. Si nullo modo; neceſſaria prorſus Traditio fuit. Cum enim credenda ſint fide divina; nec eorum revelatio ulla ſit in divina Scriptura; eſſe inter divinas Traditiones, neceſſe eſt. Nam medium nihil: atque omne verbum Dei; ſive, omnem divinum ſermonem, qui, extra divinam Scripturam, ad nos eſt tranſmiſſus, quoquo alio modo tranſmiſſus ſit, divinam Traditionem nuncupamus. Quod ſi ea catholica dogmata, quæ proxime recenſui, quanquam non clare, & expreſſe ſint in Scriptura divina; nec, ut ex illa poſſint evidenter colligi: in ea tamen ſunt aliquo modo; convenientiſſimum fuit, eadem haberi clarius, & apertius per Traditionem. Immo fuit id etiam aliquo modo neceſſarium. Etſi enim Deus Eccleſiæ potuerit unicuique noſtrum interiore aliqua mentis illuſtratione, quæ verbum Dei, ſeu teſtimonium divinum proprie non eſt, obſcura illa Scripturæ loca, quibus hæc contineri putantur, retegere, eoque dumtaxat contentus eſſe; cum tamen ipſi decretum ſit ea nobiſcum agere providentiæ ratione, quæ maxime & ipſius bonitatem oſtendat, & hominum captui conſentanea ſit; neceſſe fuit, quod quidem ſemper fecit, ut quicquid credi, aut ſervari vult ab omnibus, enunciaret, atque ediceret clare: nec, ut lumen dumtaxat ſit in hominum mentibus, atque ut ita dicam in termino; ſed etiam quodammodo in via. Scriptura vero, & Traditio duæ ſunt quaſi viæ, per quas omne verbum Dei; ſeu revelatio, ſeu præceptio aliqua ſit, a Prophetis, Apoſtolis, aliiſque, quibus loquutus eſt Deus, defertur ad poſteros. Oportuit igitur in iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ut quod deeſt uni viæ, ſuppleretur altera: nec ſolum ſi quid eorum nullo modo eſt in Scriptura, ſed etiam ſi in ea eſt tantum obſcure, & ambigue; clarius, aut certius per Traditionem ad nos perveniret. Quod adverſarii videntur concedere; qui Traditiones ideo rejiciunt, quod omnia putent, quæ ad Fidem, aut mores pertinent, vel divinis eſſe expreſſa Litteris, vel ex iiſdem poſſe facile demonſtrari. Nulla prorſus Religionis noſtræ dogmata deſiderari, aut obſcure tradi in utriuſvis Scripturæ libris; ſed aliqua tantum quæ in utramque partem diſputantur in Schola: Quos propterea redarguere, & convincere ſic etiam breviſſime licet. Nam quæ ſupra numeravi non Scholæ placita, ſed Religionis dogmata ſunt; ſalva Fide, nulli neganda; nec tamen aut ſunt ullo modo in Scriptura, aut in ea ſunt, uti vellent illi: conſequens igitur eſt, ut Traditiones non ſint rejiciendæ; ac præter Dei verbum Scriptum, etiam Dei verbum Traditum ſit. Quod erat primo loco propoſitum.

Addo præterea. Nec Traditionem, Scripturæ additam, ſatis eſſe ad terminandas omnes controverſias, quæ de Fide, & moribus eſſe poſſunt. Etenim Scriptura ſimul cum Traditione, eſt quidem plena, & perfecta credendi, ac vivendi regula ſecundum ſe, & in genere divinæ locutionis externæ; non vero etiam quoad nos, & in genere debitæ approximationis, ſeu propoſitionis. Primum conſtat ex dictis. Siquidem ut præſens eſt erga nos providentia Dei, Scriptura, & Traditio duæ illæ ſunt viæ, quibus divinæ tum revelationes, tum præceptiones ad nos pervenere: prima quidem verbis ipſis, uti ſunt traditæ a Deo; altera vero ſaltem ſecundum ſententiam. Eccleſia loquitur quidem, Deo regente, & aſſiſtente; imo etiam movente; at non loquitur nomine Dei: nec quæ loquitur accepit per ſe proxime a Deo, quemadmodum Prophetæ, & Apoſtoli quæ ſcripſerunt, aut tradiderunt. Quo fit, ut in genere divinæ locutionis externæ, ſive paſſive, quam vocant, ad Fidem, & mores, præter Scripturam, & Traditionem nihil deſideretur: ſintque hoc in genere ambæ credendi, ac vivendi regula plena, & perfecta ſecundum ſe: non vero etiam quoad nos; quod erat alterum. Nam quemadmodum Scriptura, ſic & Traditio,

tio, ubi ejus divinitas, & origo in controverſiam vocetur, judex non eſt ipſamet ſui; nec pro ſe reſpondere poteſt. Quod enim adverſarii dicunt, verbum Dei, ſive ſcriptum, ſive traditum ſit, ſuiipſius ſatis per ſe fidem facere; cum propria ipſorum experientia refellitur; tum etiam ex Scripturarum, & Traditionum natura. Neque enim ſunt omnes ejuſmodi, aut Deum auctorem tam luculenter præſeferunt; ut viſæ tantum, vel auditæ de ſe dubitare prudentem neminem ſinant. Adhibendum igitur judicium externum; & quidem, ut controverſia finiatur, ſupremæ auctoritatis, cui falſum ſubeſſe nequeat, cujuſmodi eſt judicium Eccleſiæ, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis*. (I. Tim. III. 15.) Conſequens eſt igitur, nec Traditionem Scripturæ additam, parem eſſe terminandis omnibus controverſiis, quæ de Fide, & moribus poſſunt exiſtere. Quod alterum propoſitum erat.

Tertio tandem ajo: quod quidem non tanquam certum, ſed tanquam probabilius defendo; ea omnia; quæ docet, ac præcipit S. Mater Eccleſia, eſſe in Sacra Scriptura; non quidem clare, & expreſſe; ſed multa obſcure, implicite, ambigue, abſcondite. Ut Traditione opus fuerit, ex iis quæ in prima Reſponſione diſſeruimus: atque etiam Eccleſiæ declarationibus. Quod utrumque Heterodoxi reſpuunt. Reſponſio hæc tribus potiſſimum nititur. Iis primo, quæ in Opugnatione expoſuimus, quæ, ut in Confutatione videbimus, ita nil detrahunt, aut derogant Traditioni; ut tamen Scripturæ ea omnia, quæ diximus, tribuere videantur. Deinde iis, quæ de Scriptura oſtenduntur in hujus Prolegomeni art. 2. reſponſ. 2. art. 7. art. 10. Nam ſi in Scriptura omnia prorſus ſignificant, ut Patres teſtantur; ſi denique in illa ſunt *omnes theſauri ſapientiæ, ac ſcientiæ abſconditi:* quæ pariter ibi probantur ex Patribus; & maxime ex Auguſtino; ea omnia, quæ ad Fidem, diſciplinamque pertinent, in eadem aliquo modo ſignificari, contin erique, neceſſe eſt. Tertio tandem, quia hæc eſſe videtur communis omnium Patrum perſuaſio, & ſententia; ea omnia non ſolum quæ creduntur, ſed etiam quæ aguntur in Novo Teſtamento, hoc eſt in Eccleſia Chriſti, prænunciata fuiſſe ſaltem figurate, vel myſtice in Teſtamenti Veteris Libris. Dicit hoc expreſſe Hieronymus in Pſalm. CXVIII. 100. nimirum. *In novo Teſtamento agi, quod eſt in veteri figuratum*. Cujus ſimilia multa paſſim invenies apud Auguſtinum, & alios; in illud maxime Apoſtoli I. ad Cor. x. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*. Idem probat, quod Patres ut vidimus art. 2. & 7. docent non minore conſenſu in Scriptura præſertim veteri pleniſſima eſſe omnia myſteriis; atque ep. 151. ad Aglaſiam ait Hieronymus, *typis futurorum*. Nomine autem futurorum non intelligenda ſolum, quæ ſunt in Scripturis Canonicis Teſtamenti Novi; ſed etiam quæ in Traditionibus. *In novo Teſtamento agitur, quod eſt in veteri figuratum*. Et profecto quindecim illa, quæ primæ Reſponſioni approbandæ ex Traditionibus ſupra deprompſi, quam certum divinis Litteris expreſſa non eſſe; tam probari non poteſt, iis nullo modo comprehendi, ac ne myſtice quidem deſignari. Conſequens eſt igitur, ut ſint ea omnia, quæ docet, ac præcipit S. Mater Eccleſia, in Sacra Scriptura; non quidem clare, & expreſſe, & omnino ut vellent Hæretici, ne Traditionibus, & Eccleſiæ declarationibus opus ſit; ſed eorum multa obſcure, implicite; ambigue, abſcondite &c. Quod erat tertio loco propoſitum.

Ad primum, quod pertinet ad primam teſtimoniorum claſſem; de miraculis, non de doctrina loquitur ibi Johannes. Ex illis in hiſtoria ſua narraſſe ſe dicit, quod ſatis ſit ad probandam Chriſti Divinitatem; quod ipſi maxime propoſitum. De hac vero, hoc eſt, de doctrina idem ſane dicere poterat, ſi tantum ſpectetur Chriſti Divinitas, quam quidem luculentiſſime declaravit: non autem, ſi reliqua omnia, quæ credenda, & facienda Chriſtiano homini ſunt. Nam ſi Johannes unus de his omnibus ſatis, non Traditiones modo, ſed aliorum quoque Apoſtolorum, & Evangeliſtarum ſcripta ſupervacanea forent, aut certe non neceſſaria. Paulus ad Timoth. loco cit. ad ea quatuor Scripturam, & quidem omnem Scripturam, ideſt, quemvis Scripturæ librum, adhiberi ait utiliter, non ſufficienter. Num quicquid ad finem aliquem obtinendum

vel

Digitized by Google

vel conducens, vel neceſſarium eſt; idem etiam eſt ſatis? *Pietatem ad omnia utilem* dicit Apoſtolus pariter ad Tim. I. III. 8. num ſatis ad omnia propterea dicit?

In altera teſtimoniorum claſſe quæ aſferuntur ex Deut. & Prov. non faciunt contra nos. Nam qui divinæ Scripturæ Traditionem addit pariter divinam, nihil addit verbo Dei. At enim prohibemur quicquam addere verbo Dei ſcripto; præſertim Apocal. XXII. 18. &c. Prohibemur nos: eſto: prohiberi non poteſt Deus. Quando autem Traditionem addimus, non noſtra addimus, ſed divina. Verum nec noſtra addere prohibemur, ſive ſcripta iſthæc ſint, ſive non ſcripta. Quid enim aliud faciunt ſacri omnes Interpretes, & Magiſtri? De quibus tamen eſt Eccli. XXIV. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Illud prohibemur, aliquid noſtrum apponere, tanquam divinum; vel quod verbo Dei repugnet, aut vim faciat, aut extraneos, alienoſque ſenſus affingat. De quo intelligendum illud Apoſtol. ad Gal. I. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præter* &c. *Præter*, ideſt, *contra*. Ita locum hunc explicant Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Oecumenius &c.

Ad tertiam claſſem, diſtinguenda ſunt Traditionum diverſa genera. Et primo quidem Traditiones aliæ divinæ, aliæ humanæ ſunt. Illæ Deum auctorem, hæ homines habent. Porro Traditiones divinæ aliæ ſunt legis naturæ, aliæ legis Moſaicæ, aliæ legis Evangelicæ. Primi generis ſunt, quas homines, qui ante legem ſcriptam vixerunt, a Deo per Adamum, per Noe, per Abrahamum, alioſve Patriarchas acceperunt. Alterius generis, quæ per Moyſem. & Prophetas alios, neque in veteri Teſtamento ſcriptæ inveniuntur. Tertii generis ſunt illæ, quas vel de ipſo Chriſti Domini ore, vel, Spiritu ſancto revelante, ac ſpecialiter loquente, acceperunt Apoſtoli; nec ſcriptas reliquere. Porro Traditiones hominum aliæ ſunt mixtæ, ſeu partim divinæ, partim humanæ; aliæ vero ſimpliciter, ac mere humanæ. Primi generis ſunt, quæ Deum quidem auctorem habent, non vero dictantem, aut proprie loquentem; ſed tamen illuminantem, atque inſpirantem immo & ſpecialiter gubernantem. Cujuſmodi ſunt multa vel uſu, vel verbo ſancita ab Apoſtolis, & ſubinde ab Eccleſia: nec a quibus ſancita, ab iiſdem etiam ſcripto firmata. Quorum prima, Traditiones dumtaxat Apoſtolicæ; altera, dumtaxat Eccleſiaſticæ, non etiam divinæ, proprie dicuntur. Secundi generis Traditiones, vel nullo modo Deum habent auctorem, vel non eo ſpeciali modo, quem proxime diximus. Hujuſmodi erant apud Hebræos Traditiones Phariſaicæ, ita nuncupatæ, quod vel a Phariſæis inventæ, ac Legi ſuperinductæ eſſent, vel ab iis plurimum commendatæ. Ex quibus Traditionibus aliæ quidem bonæ erant, ſaltem ex genere ſuo; aliæ indifferentes, aut inutiles; aliæ prorſus malæ. In locis igitur nobis objectis Traditiones rejiciuntur, quæ tantum humanæ. Ac ne humanæ quidem omnes; ſed quæ inutiles, aut noxiæ: noxiæ autem, quod per ſe malæ; vel quod, etiamſi per ſe bonæ, & laudabiles forent, divinæ Legi ab Judæis præpoſtere anteponerentur. Nos vero de Traditionibus potiſſimum divinis hic agimus. Nec eas divinæ Scripturæ præferimus: imo nec æquiparamus, niſi ſolum ſecundum ſenſus, ſive ſententias: quæ cum ſint ex Deo loquente, non minus quam ſenſus, ſive ſententiæ divinæ Scripturæ, illis hac ex parte quæ quidem præcipua eſt, eadem fides, idem honor, ac reverentia debetur.

Ad ſecundum; Scripturæ plenitudinem, quam Tertullianus adorat, non in eo poſitam dicit, quod omnia Fidei dogmata expreſſe contineat, ac tuendæ catholicæ veritati adverſus omnes Heterodoxos ſola ſufficiat: ſed quod Hermogenis errorem vel hac una ſententia confodiat: *In principio creavit Deus cælum, & terram*. Quibus verbis & Opificem, & opera oſtendi, ait; ne poſſit materia neque æterna, neque non condita dici. Cæterum ſi verba Tertulliani non de hoc uno loco, ſed Scriptura univerſa accipiantur, tertiæ Reſponſioni noſtræ favent, primæ non adverſantur. Similiter Patres, qui ex Art. 2. & 7. hic generatim memorantur.

Irenæus loquitur ibi manifeſte de Evangelio: non ait, Apoſtolos cætera omnia, quæ palam prædicaverant, ac promulgarant, deinde litteris conſignaſſe. Quanquam nec, ſi hoc ab Apoſtolis factum

ctum diceret, nobis officeret. Nam ut animadvertit Bellarminus de verbo Dei non ſcripto Lib. IV. cap. XI. §. 5. ea ſolum omnibus evulgare ſolebant Apoſtoli, quæ erant ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria. Aliorum autem *quædam omnibus*, quæ nimirum omnibus utilia erant, quædam ſolis Prælatis, Epiſcopis, & Presbyteris: ut de ratione gubernandæ Eccleſiæ, de Sacramentis adminiſtrandis, de refellendis hæreticis, &c. Sicut etiam modo alia diſputantur in ſcholis inter doctos, alia explicantur in concione populari. Sic Act. XX. 17. &c. Apoſtolus ſeorſim inſtruit Epiſcopos Aſiæ. Sic I. ad Cor. II. 6. *ſapientiam loquitur inter perfectos*. Sic II. ad Tim. II. 2. *Hæc*, inquit, *commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Sic Irenæus ipſe Lib. IV. cap. XXVI. §. 2. ait, Apoſtolos cum Epiſcopatu chariſma ſcientiæ ſucceſſoribus tradidiſſe.

Athanaſius loco citato ait Scripturam ſufficere ad *inſtructionem*, ſive, *indicationem veritatis*. Ea particula, *ad omnem*, in Athanaſii textum intruſa eſt ab adverſariis. Loquitur autem de inſtructione, ſive indicatione ejus veritatis, quam in ea oratione contra Gentes propugnat. Atque hoc eſt, quod facit aliis etiam in locis. Chryſoſtomus loquitur de *remediis vitiorum*: atque eſſe in Scriptura dicit, quod cuique vitio ſanando aptum ſit. Auguſtinus de iis tantum intelligendus, quorum Fides explicita omnibus ſimpliciter neceſſaria eſt ad ſalutem conſequendam; qualia ſunt illa, quæ in Apoſtolorum Symbolo, & Decalogo continentur. Præter hæc vero alia ſunt, quæ non omnibus ita ſunt neceſſaria, quæque ſolis Eccleſiarum rectoribus Apoſtoli viva voce tradiderunt: ut illa quæ ex Bellarmino paulo ante notavimus.

Ex iis vero Patribus, qui illos videntur reprehendere, qui extra divinas Litteras aliquid quærunt; Chryſoſtomus hom. 13. in ſecundum ad Cor. nihil aliud dicit, aut contendit, quam ſtandum Scripturis, non hominum opinionibus; maxime terrena ſententium, qui videlicet opes paupertati anteponebant. Auguſtinus vero de bono Viduitatis ibi dumtaxat agit, non de quibuſvis Fidei dogmatibus: ac de bono illo ſatis eſſe ait, quæ Paulus docuerat. Itaque non de regula generali, ad quam omnis doctrina; ſed de regula particulari, ad quam doctrina ejus tractatus exigenda erat, eſt intelligendus. In libro de peccat. mer. & remi. cohibendum dicit mentis aſſenſum, ubi Scripturæ documenta certa; & clara non ſunt: nimirum neque per ſe, neque ex Traditione, neque ex Eccleſiæ declaratione. Cujuſmodi tunc erat, quod ibi inquirebat, de animæ ſcilicet rationalis origine. Locus Cyrilli contra adverſarios facit. Nam ſi in omnibus ſequi debemus ſacras Litteras, nec unquam ab earum præſcripto aberrare, cum eæ Traditionem commendent graviter culpandi ſunt novatores, qui illam rejiciunt.

Ex Patribus, qui ultimo loco citantur, & traditionem manifeſte reprobare dicuntur; Cyprianus ea ſcripſit, ut errorem ſuum tueretur: nec mirum, quod errantium more malam cauſam male defendat. Nihilo autem melius ratiocinantur, qui quod Cyprianus Traditionem illam reſpuit, cæteris omnibus infenſum putant. Contrarium liquet ex loc. ſup. cit. Baſilius vero, cum controverſia eſſet, utrum dicendæ eſſent in Deo tres Hypoſtaſes, & una natura; & qui hoc negabant, regionis ſuæ conſuetudine ſeſe defenderent; ipſe, qui affirmabat, tametſi pro ſe pariter regionis ſuæ conſuetudinem, alteri contrariam, afferre potuiſſet; quod tamen hæ ſe mutuo eliderent, nec quicquam certi ex iis colligi poſſet; ad Scripturas confungiendum eſſe, & earum teſtimonio ſtandum, ſcribit. Quare non Traditionem, ſed particularem conſuetudinem rejicit, in hoc loco. Quod vero ad alterum pertinet; nec infidelitatis, nec ſuperbiæ argumentum eſt, firma fide, ac obſervantia tenere ea velle, quæ tanquam Dei Verbum a Chriſto per Apoſtolos traditum Eccleſia cuſtodit, ac nobis pro ſua auctoritate proponit. Quandoquidem eodem in loco Baſilius, *Fides*, inquit, *aſſenſus eſt indiſcriminatus eorum, quæ audita ſunt in certitudine veritatis, & prædicata ſunt per gratiam Dei*. Qui introducunt & nova, & ſua, & Scripturæ contraria, caſtigat iis verbis Baſilius; non qui vetera, & divina, & Scripturis maxime conſentanea retinent, ac reverentur. Eadem eſt Hieronymi, ac Teophili

Digitized by Google

phili mens & ſententia. Hic enim loquitur de libris apocryphis, qui pro divinis a quibuſdam ſupponebantur. Ille primo in loco contra eos agit, qui ſua quædam figmenta, pro traditionibus Apoſtolicis obtrudebant. Altero in loco ea rejicit, quæ ſunt aliena ab Apoſtolorum doctrina, & cum Scriptura pugnant. Demum ad ea, quæ ex Cyrillo Hieroſolymitano Rivetus congerit; reſpondeo, Sanctum illum Scriptorem iis omnibus in locis id unum contendere; de præcipuis Fidei noſtræ myſteriis, cujuſmodi ſunt, quæ in Symbolo continentur, ſatis eſſe illud tenere, quod in Scripturis legitur. Reliqua vero ita in Scriptura eſſe dicit, ut ad ea cognoſcenda, opus ſit Traditione, & Eccleſiæ explicatione, quæ Traditione maxime nititur. Immo univerſe, quoties Cyrillus quicquam ad Scripturas addi vetat, nihil aliud excludit, quam humanas ratiocinationes, eaſque fallaces, atque captioſas, quales erant Judæorum, atque hæreticorum. Legantur loca ipſa nobis objecta, ac præſertim Cat. 4. n. 17. Cat. 5. n. 12. Cat. 11. n. 12. Cat. 12. n. 16. &c. Traditionibus certe adeo non eſt inimicus Cyrillus, ut nemo ſit omnium Patrum, qui ex illis plura proferat, & propugnet. Quod erudite probat Auctor noviſſimæ editionis S. Cyrilli diſſert. 3. n. 103.

Ad tertium, negandum, ad Scripturæ perfectionem, atque excellentiam pertinere, ut in ea ſint omnia aperte, & dilucide; cum Deo auctori ſecus propoſitum fuiſſe conſtet ex art. 6. nimirum ad majorem tum ipſius gloriam, tum hominum utilitatem: de quo ibidem ad 1. Itaque argumento illo plus nihil efficitur, quam quod in tertia Reſponſione contendimus nos. Quod his duobus ab adverſariorum ſententia multum ſane diſtat. Primum, quod illi quæ credenda, & agenda ſunt Chriſtiano homini, omnia vel divinis expreſſa Litteris eſſe volunt; vel ex iis tam clare colligi, ut ne Traditionibus, aut Eccleſiæ declarationibus opus ſit. Quod contra nos tenemus, ac defendimus, cum reliquis omnibus doctoribus catholicis. Deinde, quod eorum, quæ ex Traditione nobis credenda, aut agenda proponuntur ab Eccleſia, qualia ſunt ea quindecim, quæ ſupra retulimus; nihil ullo modo eſſe in divinis iiſdem Litteris volunt. Qua quidem, etiam in re ipſis repugnandum reor, Patribus maxime auctoribus, quos ſupra citavi in in tertia Reſponſione. Enim vero ii male dicuntur excellentiam divinæ Scripturæ tueri, ac propugnare, qui ex his duobus primum illi tribuant, quo evidenter caret, denegent alterum, quod habet perquam probabiliter.

Ad id, quod addunt; concedo, fore ut Scriptura dici non poſſet tota, atque integra Fidei noſtræ regula: nego, ſequi, ut dici nequeat ejus regulæ pars, & quidem primaria, ſive nobilior; propterea quod ea, quæ Deus revelavit, ac præcepit, continet verbis ipſis, quibus a Deo revelata, præceptaque ſunt, ut oſtendimus art. 2. Cæterum ſi verum eſt, quod tertio loco aſſeruimus, eſſe in Scriptura aliquo modo ea omnia, quæ diximus; negandum eſt, latius patere Fidem, quam Scripturam, non ſolum, ut Scriptura eſt, ſed etiam ut eſt Fidei regula, ſaltem remota, & ſecundum ſe; non vero, ut eſt regula proxima, & quoad nos. Talis enim non eſt, niſi in eis, quæ certo, atque indubitanter conſtat per illam ſignificari.

Ad quartum dicendum, eo argumento probari, præter Scripturam, & Traditionem, quæ Fidei regula ſunt proxima, & quodammodo interior; quatenus Fides noſtra per actus ſuos Dei locutionem, etiam paſſivam, quam vocant, attingit, eaque proxime nititur, ac permovetur; præter Scripturam, inquam, & Traditionem, opus eſſe alia regula exteriore, ac remotiore, quæ eſt Eccleſia, ejuſque propoſitio, ſive judicium. Quo etiam pertinent SS. Patres, quorum conſenſio pro Eccleſiæ ſententia merito habetur. Ita tribus memoratis incommodis occurſum; atque ut Scripturarum, ſic etiam Traditionum ſtabilitati, integritati, ſecuritati optime proviſum. Quod enim attinet ad ſtabilitatem; Traditionum cuſtos Eccleſia eſt, quæ illas propterea ab oblivione, & interitu vindicat cum praxi, & uſu; tum etiam ſcriptis: quo in genere ſunt libri Juris Canonici, & Sanctorum Patrum, ſacrorumque Interpretum. Quod vero attinet ad integritatem, ac ſecuritatem Eccleſiæ pariter eſt, certa ab in-

Digitized by Google

certis, vitiata, & conficta ab incorruptis, ac genuinis dijudicare, & ſejungere. Hinc quinque illæ regulæ, quas de cognoſcendis variis Traditionibus ſtatuit Bellarminus Lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto cap. 9. quas vide apud ipſum.

Quod alterum quæritur, cur Deus Verbum ſuum non ſolum Scripturæ, ſed etiam Traditioni commiſerit; pro eo, quod in tertia Reſponſione confecimus, ad eam quæſtionem revocatur: Cur Deus Scripturam multis in locis obſcuram, abſtruſamque eſſe voluerit. De quo ſatis reponſum art. 6. ad 1. Ad rem autem præſentem ajo, id eo fortaſſe conſilio factum a Deo: primum, ne divini Libri in immenſum excreſcerent. Deinde, ne ſi ſcripta illa in manus Gentium inciderent religionis noſtræ myſteria, ritus, cæremoniæ ab iis irriderentur. Tertio, ut eſſent in Eccleſia qui alios inſtruerent, quique inſtruerentur; & ſic arctior eſſet membrorum Eccleſiæ nexus, atque unio. Quarto, ut qui intra Eccleſiam ſunt de Scripturarum intelligentia, aliiſque rebus ad religionem pertinentibus, Eccleſiam, ejuſque rectores conſulere opus haberent; eoque magis Eccleſiæ ejuſdem, ipſiuſque rectorum auctoritas commendaretur. Quinto tandem, quia multis de cauſis expediebat, aliqua plebem latere; iiſque ſolum, qui præſunt, aut ſacra doctrina exculti ſunt, eſſe cognita. Quodcunque fuerit divinæ providentiæ conſilium, id profecto Dei bonitati, & charitati erga homines minime officere, vel hoc ipſo oſtenditur, quod in iis, quæ ad religionem, ſalutemque pertinent, quicquid Scripturæ deeſt, ſive ad modum ſignificandi clarum, & apertum; ſive etiam ad rem, & ſententiam, ut alii volunt; id omne per Traditionem benigniſſime, atque amantiſſime ſuppleverit. Traditionis autem ſtabilitati, integritati, ſecuritati, quæ non ſatis habet ex ſeſe, per Eccleſiam abunde conſuluerit.

DISPUTATIO DECIMA.

Utrum in divina Scriptura ſit omnis ſcientia, & doctrina.

NOn videtur. Primo a priori, ut loquuntur; quia eſt alienum a dignitate, & ſanctitate divinæ Scripturæ, ac prorſus indignum, ad inferioris ordinis ſtudia, & profanæ etiam litteraturæ genera illam traducere, atque demittere. Quod Teſtamentum Dei, quod Lex divina, & ſimilibus nominibus ſæpe numero appellatur a Deo ipſo, ſatis oſtendit, nonniſi magiſterium Fidei, atque æternæ ſalutis diſciplinam in ea contineri. Neque iſthuc facit, quod dictum eſt art. 7. quæ alterius generis, atque ordinis ſunt, in ſacris Voluminibus tradi ſecundario, atque ut ajunt, quaſi per accidens. Nam quod ex accidenti eſt, infrequens eſt; nec oppido tale, aut tantum, quo nomen ſcientiæ, & doctrinæ, quod eſt in titulo Articuli, ſatis ſuſtineri queat. Nec recte concluditur: In ſacris Libris ſunt aliqua ex phyſicis, aliqua ex mathematicis, itemque ex politicis, ex poeticis aliqua: ibi igitur Phyſica, ibi Mathematica, ibidemque Politica, Poetica eſt.

Deinde a poſteriori: quia, ut nihil dicatur de quibuſdam artibus, & diſciplinis, quarum vix aliquid eſt, aut prorſus nihil in ſacra Scriptura; quæ Academia, quæ Schola ſive publica, ſive privata ad Grammaticam, ad Rhetoricam, ad ullam Philoſophiæ, aut Mathematicæ partem diſcendam, docendamve, ſacros Libros adhibuit unquam, aut adhibendos cenſuit? Immo vero, quæ Academia, quis doctor, etiam privatus ad theologicam facultatem eoſdem ſatis eſſe judicavit? Ut multæ ſint doctrinæ partes; ac genera, quæ nullo modo quærenda videantur in ſacris Litteris; nullum autem ibidem ſit reperire ſatis completum, atque perfectum. Proferatur, quid de Epico carmine, quid de Tragœdia Scriptura doceat: quæ in ea ſint vel præcepta, vel exempla ſive ad eloquentiam, ſive ad hiſtoriam. Quid præterea de corpo-

rum

Digitized by Google

rum principiis; quid de Mundo, & Cælo; quid de luce, de brutis animalibus, de plantis; quid tandem ad explanandum Trinitatis Myſterium; ad expediendas difficultates de actibus contingentibus, ac liberis Dei; ad conciliandam libertatem, ſeu Chriſti Redemptoris cum præcepto Patris, ſive hominum & Angelorum cum divinæ Gratiæ auxiliantis efficacia.

Sed contra eſt illud Apoſtoli ad Coloſſ. II. 3. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Quod Patres etiam de Verbo Dei ſcripto interpretati ſunt. Sic enim Ambroſius in Luc. Lib. VI. n. 32. & 33. *Corpus ejus, in quo omnes theſauri ſapientiæ, ac ſcientiæ abſconditi, traditiones ſunt Scripturarum*. Expreſſius Auguſtinus Lib. XI. Confeſſ. cap. 2. n. 4. *Vide*, inquit, *Pater, aſpice, & vide, & approba; & placeat in conſpectu miſericordiæ tuæ, invenire me gratiam ante te, ut aperiantur pulſanti mihi interiora Sermonum tuorum ... per eum te obſecro, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Ipſos quæro in Libris tuis*. &c. His conſentanea quæ ſcribit Epiſt. 137. ad Voluſianum n. 3. Quo in loco duo ſunt animadvertenda; quod theſauros illos in Libris divinis ſe quærere ait; & quod, ut eos theſauros inveniat, enixe petit a Deo, ut ipſi interiora Librorum illorum aperiat. Eſſe nimirum theſauros illos in divina Scriptura, ſed eſſe abſconditos: quæ ipſa duo expreſſit Apoſtolus; & tum Chriſto, tum Scripturæ, debita ſervata proportione, conveniunt. Hujus mundi partes, aer ille naturalis ſcientiæ circumvolvitur; extra autem omnia, & ultra æthereus ille, & igneus ardet empyrei cæli, ideſt ſuperna contemplatio divinæ naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur. Quem locum citat Corn. a Lapide in Proœm. n. 12 qui *omne ſcibile* divinis eſſe Litteris comprehenſum exiſtimat.

Respondeo, duplici illo argumentandi genere, non evidenter quidem, ſed longe tamen probabilius contrarium confici: eſſe ſcilicet in ſacra Scriptura ſcientiam omnem, & diſciplinam; quamque, quatenus poteſt Dei apud homines gloriæ hominumque ipſorum ſaluti aſſervire: eſſe vero multis partibus in ea obſcure, & abſcondite; ut nec ſine magna difficultate, nec ſine peculiari Dei munere inveniri queant.

Ratio a priori, ſeu tanquam a cauſa, poſita eſt in excellentia ipſius Scripturæ: quæ quidem tanta eſt, quantum Verbo Dei ſcripto convenire oſtendimus ſive cum Verbo ex æterno genito, de quo vide Diſput. 7. ſive cum Verbo eodem, ex tempore incarnato, de quo diſput. 2. Primum probat, eſſe in Scriptura ſcientiam omnem, & diſciplinam: alterum probat, eſſe obſcure, & abſcondite. Quod ad primum ſpectat, inter Scripturam, & Verbum æternum, apud Eccleſiæ Patres, & Doctores, his duobus potiſſimum convenit: primo, quod, ſicuti Pater unico, eodemque ſimpliciſſimo Verbo prorſus omnia loquitur; ſic uno, eodemque Scripturæ loco, quamplura, atque ut Auguſtino videtur in locis diſp. 7 allatis, propemodum infinita ſignificet Deus: ita ut *ſub quavis vel minima Scripturæ particula ingentes theſauri lateant*; quod ait ſæpe Chryſoſtomus, ibidem relatus. Deinde, quod ſicuti *Verbum eſt expreſſivum non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum*, ex conſequenti ſcilicet, ut hæ ſunt in Patre, ſive in mente, & cognitione divina, quod ex Auguſtino Lib. 83. Quæſt. 63. docet Thomas p. 1. q. 34. a. 3. &c. ſic & in Scriptura non tantum divinorum, atque æternorum ſit ſcientia, & diſciplina; naturalium quoque, ac temporalium; ex conſequenti pariter, ut hæc referuntur ad divina, & æterna, iiſque ſubſerviunt. Quare Tertullianus cont. Hermogenem cap. 22. *Adoro*, inquit *Scripturæ plenitudinem, quæ mihi ſimul & Factorem manifeſtat, & facta*. Nec Ambroſius, & Auguſtinus ſupra citati, qui illud Coloſſ. II. 3. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ* &c. etiam de Verbo Dei ſcripto intelligendum putant, ſcientiam humanam, & naturalem excipiunt, aut ullam inde excludunt ſapientiæ partem. Quod alterum dixi de convenientia, ſive analogia Verbi ſcripti cum Verbo incarnato, pariter apud Eccleſiæ Patres, & Doctores ejuſmodi eſt; quod, ut in Chriſto duplex eſt natura; humana ſcilicet, quæ conſtat ex corpore, & ſpi-

ſpiritu, qui per corpus apparet; & Divina, quam *nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt* (1. Tim. VI. 16.) niſi extraordinario Dei dono, ac lumine: ita Scripturę duplex ſit ſenſus; unus exterior, ſeu litteralis, qui conſtat ex verbis, & ſententiis, quas pręferunt verba; alter interior, & prorſus arcanus, qui humani ingenii aciem, lumenque ſuperat, nec niſi Deo retegente, atque illuſtrante cognoſcitur. Sic Origenes, ſic Clemens Alex. aliique diſp. 2. citati. Ex quibus ita concludo: Eo maxime Scriptura ſcientiam omnem, doctrinamque continet, quo maxime refert eam Verbi ęterni ſimilitudinem, quam hic paulo ante, & diſp. 7. deſcripſimus: hanc vero ſimilitudinem maxime refert interiori ſignificatione; ſeu quatuor Scripturę ſenſibus Litterali, Allegorico, Tropologico, Anagogico, ut extenſis per ſenſum Infinitum; qui ab iis quatuor non diſtinguitur; ſed illos latiſſime profert atque dilatat; ut eſt ſuo loco explicatum. Interiori igitur ſignificatione, ac ſenſibus his ſcientiam, doctrinamque omnem maxime continent; ac proinde multis partibus obſcure, & abſcondite. Venio ad alterum argumenti genus.

Ratio a poſteriori, ſeu tanquam ab effectu, nonnulla ea eſt, quod omnes ſapientes, & alicujus ſcientiæ, & diſciplinæ magiſtri Sacros Libros legiſſe, aut alio quovis modo multa indidem accepiſſe creduntur. Ita contendunt Juſtinus Martyr, Clemens Alex. Auguſtinus, Cyrillus Alex. Theodoretus, & alii plurimi. Nec ſolum de philoſophis ea eſt perſuaſio: ſed de rhetoribus quoque. Sic enim Ambroſius epiſt. 8. primæ Claſ. ad Juſtum num. 1. *Negant plerique, noſtros ſecundum artem ſcripſiſſe. Nec nos obnitimur: non enim ſecundum artem ſcripſerunt, ſed ſecundum gratiam, quæ ſuper omnem artem eſt. Scripſerunt enim, quæ Spiritus iis loqui dabat. Sed tamen ii, qui de arte ſcripſerunt, de eorum ſcriptis artem invenerunt, & condiderunt commenta artis, & magiſteria.* Neque aliter ſcribit Caſſiodorus, vir ſacris juxta, & profanis, humaniſque litteris eruditus. Sic enim de div. lect. cap. IV. de Paſtor. *Omnis ſplendor rhetoricæ eloquentiæ, omnes modi poeticæ elocutionis, qualibet varietas decoræ pronunciationis a divinis Scripturis ſumpſit exordium.* Omnia complexus Origenes in cap. 1. Joan. his verbis: *Divina Scriptura mundus eſt intelligibilis. ſuis quatuor partibus, veluti quatuor elementis conſtitutus; cujus terra eſt velut in medio inſtar centri, ſcilicet hiſtoria: circa quam aquarum ſimilitudine, abyſſus circumfunditur moralis intelligentiæ. Circa hiſtoriam, & ethicam, veluti duas mundi hujus partes, aer ille naturalis ſcientiæ circumvolvitur. Extra autem omnia, & ultra, æthereus ille, & igneus ardor empyrei cæli, ideſt ſuperna contemplatio divinæ naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur.* Hoc præſertim Origenis teſtimonio adductus Cornelius a Lapide ſententiam noſtram non ſolum confirmat, ſed latius profert, ait enim Proœm. n. 13. *Verum ego amplius contendo, S. Scripturam ſenſu non tantum myſtico, ſed ſolo etiam litterali, qui primas tenet, quemque præ omnibus conſectari oportet, omnem ſcientiam, ſcibile omne complecti.* Sed argumentum erit in hoc genere omnino validius, & efficacius ipſa illa Summa ſelectarum divinæ Scripturæ quæſtionum, quæ mihi jamdudum in animo, & nunc tandem in manibus eſt. Cum enim Summæ ſive Encyclopædiæ hujus quatuor futuræ ſint partes; prima de omni re Theologica divinæ Scripturæ; altera de re Philoſophica, Mathematica, Politica, & ſimilibus naturalis ſcientiæ, & doctrinæ partibus; tertia de re Chronologica, Hiſtorica, Poetica, & artificiali fere omnis generis; quarta de re Aſcetica, & Myſtica; hæc ita perſequar, ut appareat, iſtarum omnium facultatum non ſola primordia, aut ſemina in ſacris Litteris reperiri; ſed multa etiam, quibus augeri, ac perfici poſſint. Nam qui id operis eo conſilio ſuſceperim, ut hominum ſtudia ab ethnicorum, profanorumque Doctorum libris avertam, divinæque Scripturæ conciliem; demonſtrandum mihi eſſe video, in omni ſcientia, atque arte eſſe omnino meliora, ac præſtantiora, quæ in ſacris Codicibus Deus magiſter docet; quam ſi quid præterea inventum, ab aliiſque traditum eſt. Atque eſt etiam, quo argumentum hæc magis adhuc urgeri, & provehi poſſit. Nam ſi mihi ex omnibus ſcientiæ, & ſapientiæ theſauris qui in ſacra Scriptura abſconditi eſſe dicuntur a Patribus,

Digitized by Google

Patrum ipſorum auxilio, atque ductu, tantum detegere licuerit, quantum Reſponſioni meæ tuendæ, & approbandæ ſatis eſſe, & plus ſatis, exiſtimo: qui altius fodiant, qui ad ſacrorum Librorum lectionem, meditationemque plus afferant cum ingenii, doctrinæ, & ſtudii, tum etiam, quod primum eſt, & maxime refert, plus virtutis, ac meritorum; dubitandum non eſt, quin illis eæ ſe in omni hoc genere opes, & copiæ recludant quæ id ipſum magis magiſque confirment atque adeo omnino evidens faciant. Conſequens eſt igitur, ut in ſacra Scriptura ſit omnis ſcientia, & doctrina; quæque quatenus poteſt &c. ſit vero multis partibus obſcure, & abſcondite, ut non ſine magna difficultate &c. Quæ duo propoſita fuerant.

Ad primum; recolendum, quod ait Tertullianus ſup. cit. *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi ſimul Factorem manifeſtat, & facta*. Negandumque de ſacris Litteris eos indigne, aut demiſſe ſentire, qui illis idipſum tribuunt, quod in eis tantus Scriptor adorare ſe dicit. Nimirum æterni Verbi ſimilitudinem adorat iſte; quod hoc proprium habet, ut Patrem ſimul oſtendat, & res creatas. Quemadmodum igitur æterni Verbi dignitati, aut ſanctitati nihil derogat, aut officit ille reſpectus ad res creatas, quem in eo agnoſcunt Theologi; præſertim ut explicatur a S. Thoma p. 1. q. 34. art. 3. & q. 4 de Verit. art. 5. &c. ſic nullo modo a dignitate pariter, & ſanctitate divinæ Scripturæ alienum videri debet, quod ejus reſpectus ſimilitudinem referat; atque eam præcipue, quæ accomodate ad doctrinam S. Thomæ a me expoſita eſt. Imo tantum abeſt, ut id abhorreat a dignitate, & ſanctitate Scripturæ; eas apprime commendat. Sic enim, ut dictum eſt, humanæ, naturaleſque diſciplinæ ibi traduntur, ut inde etiam ad vitam beatam proficere homines poſſint, ſuaque ſtudia omnia referant in ultimum finem. Ex hac vero habitudine, & ordine illud etiam ſequitur, ut eædem diſciplinæ pretium, quod cæteroqui per ſe non haberent, acquirant; immo & genus quodammodo mutent, atque ex profanis ſacræ fiant.

Quare quod nobis præterea objicitur, Teſtamenti, ac Legis divinæ nomina, quibus inſignitur Scriptura, argumento eſſe, divina ſolum, quæque ad æternam ſalutem conferant, ibi tractari; adverſariis concedi etiam poteſt: cum ea, quæ alio ſpectare videntur, huc referantur. Cæterum ſatius reor, illud ita diſtingui: Nihil aliud ibi tractatur *principaliter*, & *per ſe*; nimirum, uti de Verbo æterno loquitur S. Thomas q. 4. de Verit. art. 5. concedo id: *ex conſequenti*, & *quaſi per accidens*; diſtinguo iterum: quod Dei gloriæ, & æterno hominum bono non ſerviat; concedo id pariter: quod illuc & faciat, & directum ſit a Deo Scripturæ auctore, prorſus nego.

Accedit his alia etiam reſponſio; non dignitati modo, & ſanctitati divinæ Scripturæ, ſed ejus quoque amplitudini, atque excellentiæ eſſe conſulendum: quæ quidem nihil detrahere ſibi invicem debent. Atque ut Scripturæ nomina, & appellationes aliæ quidem ſunt, quæ primum præſeferant; ſic eſſe alias, quæ oſtendant alterum non minus clare. Habes hujus generis multa diſp. 6. Porro, quod in Scriptura ſint illi omnes doctrinæ theſauri, quos contendo, eoque modo, ad eumque finem, quos dixi; ex ejuſdem Scripturæ dignitate, & ſanctitate eſt, ut oſtendi. Quod in ea theſauri illi non ſint, ex ipſius amplitudine, & excellentia profecto non eſt; neque nobis oſtendi poterit.

Jam, quod additur, ex accidenti quod eſt, infrequens eſſe; eſt ambiguum, atque ita diſtinguendum; ut, ſi ex accidenti eſſe, idem ſit, ac ſine conſilio, caſu, fortuitu eſſe; concedatur: ſin vero idem ſit, quod ſecundarium eſſe, & alterius gratia; negetur. Nam domus pars ſecundaria, & dominorum cauſa ſunt famuli; iidem tamen ſæpe numero plures, quam domini ſunt. Refellitur id manifeſto ex Verbo æterno; quo quamvis *ex conſequenti*, & *quaſi per accidens* dicantur, atque exprimantur res creatæ; nullæ tamen non dicuntur, atque exprimuntur.

Tandem in ſecunda, & tertia Summæ Biblicæ parte planum fiet, ex Phyſicis, Mathematicis, Politicis, Poeticis, & ſimilibus, eſſe in ſacris Litteris non prima quædam dumtaxat nota omnibus, &

pervul-

Digitized by Google

pervulgata; ſed multa etiam ex interioribus, ac reconditioribus; quæ quidem mereantur nomen ſcientiæ, & doctrinæ. Adde, quod hæc ipſa indicio erunt aliorum, quæ fortaſſe plura ſemper efferri inde poterunt, quam quæ extracta jam fuerint.

Ad ſecundum, ex iis, quæ jam dicta ſunt, utrumque negandum, tum eſſe aliquam ſcientiam, aut artem ex præſtantioribus, & primigeniis, nam de his ſolum in Summa noſtra diſſerimus, quæ ſacris Litteris comprehenſa non ſit: tum eſſe nullam, quæ ibi non ſuis aliquibus, iiſque neceſſariis partibus careat. Quod vero his probandis aſſumitur, hunc eſſe Academiarum, & magiſtrorum omnium communem morem, ut ad hæc tradenda divinos Libros vel nullo modo, vel non ſolos adhibeant; ad id partite reſpondeo. Nam ſi ſermo eſt de Sacra doctrina; quoniam præter divinam Scripturam, divinæ ſunt Traditiones; ſive hæ ſint ejuſmodi quibus pars illa ipſa ſacræ doctrinæ, quæ in Scriptura eſt ſolum myſtice, aut ſymbolice, aut alio quovis modo obſcure, & abſcondite; clare, & aperte tradatur; ſive ejuſmodi ſint, quæ hos ipſos obſcuros, & abſconditos Scripturæ ſenſus declarent; ac retegant recte faciunt, nec ſane aliter facere debent, Doctores catholici; quod ad cognitionem, explanationemque ſacræ doctrinæ, præter divinos Libros, eos quoque adhibent, quibus utriuſque huius generis Traditiones continentur. Cujuſmodi ſunt ſcripta Sanctorum Patrum, & ſacrorum Interpretum, decreta, ſcita, reſponſa Conciliorum, atque Pontificum.

Quod ſi ſermo ſit de illa doctrina, quæ ſacra non eſt ex ſeſe, ſed tantum honeſta, ſive etiam dicatur indifferens; theſaurorum pariter id genus in divina Scriptura tantum eſſe arbitror, quantum exhauriri nunquam ab interpretibus queat. Advertendum tamen, & ante oculos ſemper habendum, quid præterea defendam; hos etiam theſauros abſconditos eſſe. Ut etiamſi hæc omnia ſint in Scriptura; non propterea tamen neceſſe non ſit præter illam aliquid legere. Quocirca conſulendi de his etiam interpretes, ſcriptoreſque alii; quotquot ad Libros divinos melius intelligendos, & profundius ſcrutandos vel neceſſarii erunt, vel quoquo modo conducere poterunt. Quod quidem adeo non improbo, ut nec ipſa ethnicorum ſcripta penitus repudiari velim, aut vetem omnino legi. Modo tamen iſtorum lectio, qua ratione poteſt, nam certe aliqua poteſt, ad Scripturæ ſtudium referatur; tractemuſque ea ſcripta parce, & caute, *ſicut decet ſanctos* (Eph. v. 3.) At enim quæ Academiæ, quæ Scholæ, ſive publicæ, ſive privatæ quærunt hæc in ſacris Voluminibus; aut ullo modo ad hæc edocenda, vel addiſcenda utuntur divina Scriptura? Næ illæ, ſi id facerent, melius alumnorum, magiſtrorumque ſuorum probitati, ac religioni, melius etiam ipſorum eruditioni, & doctrinæ conſulerent. Hoc ſcilicet illud eſt, quod dolebam in Prologo; parum ſane, pro eo ſtudio, & ingenio, quantum per tot ſæcula adhibuit, ſub ethnicorum magiſterio, & diſciplina, profeciſſe Genus humanum. Legantur reliqua, quæ ibi de hoc ſcripta ſunt.

Illud poſtremo in re iſta moneo, non ſolum ea cum reverentia, & honore, qui verbo Dei debetur, in ſacris Libris quæri hæc oportere, ſed curandum præterea, ut divino conſilio reſpondeat inquiſitio noſtra; ac, quemadmodum ex conſequenti, & quaſi per accidens, ut ſæpe eſt dictum, ibi docentur iſta; ſic pariter ex conſequenti, & quaſi per accidens, eis operam demus: cumque ad fines altiſſimos, ac nobiliſſimos Deus hæc quoque pertinere voluerit; alio ne convertantur, ac detorqueantur a nobis.

Tandem quod ex ſacris Paginis proferre jubeor, atque expedire, quæ in quaque ſcientia, & arte ſunt magis abſtruſa, & intellecta, explicatuque difficilia; erit id proprium, ac præcipuum hujus Encyclopediæ, ſive Summæ Biblicæ munus, divinæ Scripturæ vel adverſariis, vel ſtudioſis de his omnibus, aliiſque pluribus ſatisfacere. Sed & ſunt bene multa, quæ iiſdem de rebus dedi jam in *Platone Chriſtiano*. Et quidem ibi etiam potiſſimum ex divina Scriptura: ut videre poteris; ſi quando ea publicam lucem aſpicient, in dialogis de Dei Eſſentia, & Natura; de Dei ſcientia, & voluntate; de Opificio ſex dierum &c. In ſequenti etiam Prolegomeno habebis non pauca, & quæ tibi interea ſatisfacere poſſint.

PRO-

PROLEGOMENON
SECUNDUM.

Specimen futuri Operis in rebus Divinæ

SCRIPTURÆ

THEOLOGICA, CHRONOLOGICA, HISTORICA, PHYSICA, ASTRONOMICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENCYCLOPÆDIÆ BIBLICÆ

SPECIMEN IN RE THEOLOGICA.

QUÆSTIO I.

De præcipuis divinæ Scripturæ locis, quæ ad Deum pertinent, ut Unus eſt.

QUoniam propter anguſtias temporis, quod mihi ad docendum datur, admodum pauca ſunt, quæ vobis tradere ex hoc loco poſſum; illud mihi ante omnia, cum in hac prima quæſtione, tum deinceps in reliquis faciendum puto, ut ea ſeligam, quæ & majorem habent difficultatem, & plus etiam vel utilitatis, vel dignitatis. Quæruntur hic igitur duo.

Primo, Utrum ex divina Scriptura ſatis probetur, Deum eſſe per ſe notum.

Secundo, Utrum quæ duo ſunt in ſacris Literis primaria Dei nomina, יהוה *Iehova*, aut quoquo alio modo pronuntiandum ſit, quod eſt Numer. VI. 24. 25. 26. & alibi paſſim; & אהיה *Ehere*, quod Exod. III. 14. vim habeant definitionis; ex qua divinæ perfectiones facile colligi poſſint, nec difficile explicari.

DISPUTATIO PRIMA.

Utrum ex divina Scriptura ſatis probetur Deum eſſe per ſe notum.

NOn videtur: primo, quia in Pſalmis XIII. & LII. I. ſcriptum eſt: *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Ut autem animadvertit S. Thomas p. I. q. 2. art. I. ex Philoſopho 4. Metaph. & I. Poſter. *nullus poteſt cogitare oppoſitum ejus, quod eſt per ſe notum*: nedum poſſit id expreſſe negare, & negare quidem ex corde.

Secundo, quia iſtiuſmodi homines non alia via ad Dei cognitionem adducit Scriptura, quam quæ apud Sapientem XIII. 5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Et apud Apoſtolum ad Rom. I. 20. *Invisibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.* Eſſe Deum ſi quo in loco per ſe notum Scriptura diceret, in his etiam ejus rei mentionem faceret. Immo vero non demonſtraret hic, eſſe Deum; ſi eſſe id per ſe notum alibi doceret.

Tertio, quia S. Thomas, & complures alii ex ſcholaſticis doctoribus, ſacrarum Litterarum peritiſſimi, Deum eſſe per ſe notum negarunt. Nihil autem veroſimilius, quam, hallucinari eum, qui in Scriptura videre ſe putet; quod tanti viri non viderint.

Quarto, quia, etiamſi eſſet aliquis Scripturæ locus, qui rem hanc ſignificare videretur, ratio tamen, qua S. Thomas, ac cæteri pugnant, eſt adeo valida, atque efficax; ut ex regula interpretandi

Scripturas, quam tradit Auguſtinus Lib. III. de doctr. Chriſt. cap. x. num. 14. locum illum in aliam ſententiam exponere neceſſe eſſet.

Quinto, quia eorum, qui Deum ex ſe notum docent, opinio eſt, quæ ſe maxime ſuſtinet innatis ideis, ſive notionibus boni, pulchri, juſti, honeſti, & ſimilium; præcipue autem Dei ipſius. Harum vero nulla prorſus mentio, aut ſignificatio eſt in ſacris Litteris. Commentum Platonicum ſunt; & paſſim rejiciuntur in Schola; in qua pronunciatum eſt vulgatiſſimum, ac receptiſſimum: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*. Nimirum ex Ariſtotele, qui Lib. III. de Anima Tex. 14. tom. 2. hominis mentem tabulæ comparat, in qua nihil ſcriptum aut quoquo modo impreſſum ſit.

Sexto, quia nihilo melius opinionem illam tueri poteſt, quod aiunt aliqui, arcanum eſſe quendam animi ſenſum, quo verum, & maxime primum verum, non tam videtur, quam tangitur; tum quia nihil de hoc pariter in ſacris Litteris; tum quia non minus commentitium eſt, ac futile: tum quia, etiamſi detur, in hominis animo hunc eſſe ſenſum; probari tamen non poteſt, verum illud, de quo agimus, hoc ſenſu teneri, & naturaliter, & per ſe: quæ duo opus forent, ut, eſſe Deum, ſi minus per ſe evidens ex hac parte, ſaltem per ſe notum, aut etiam certum dici poſſet.

Sed contra eſt, quod de Deo ſcriptum eſt Job. xxxvi. 25. *Omnes homines vident eum*. Hunc enim loquendi modum prudens nemo uſurparet in re, quæ certo, aut etiam evidenter nota non ſit ex ſe proxime; ſed talis fiat vel aliena auctoritate, ac teſtimonio; vel propria inquiſitione, & ſtudio.

Respondeo, id eſſe in hac re divinæ Scripturæ, ut ita dicam, ſyſtema: veri ſenſum in hominis animo multiplicem eſſe; neque actu, & exercitatione ſolum; ſed vi etiam, & facultate: ſi tamen hæc non ratione, & conſideratione tantum noſtra, ſed re quoque ipſa diſtinguitur; quod modo non diſputo. Huc ſpectat illud Eccli. xvii. 6. *Creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum* &c. & quod Jerem. iv. 10. *ſenſus cordis mei turbati ſunt in me*, & quod II. ad Cor. iii. 14. *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum*. Quod de animi ſenſibus, ac vi percipiendi verum ſcribit Apoſtolus: ſicuti etiam xi. 3. & ad Hebr. v. 14. Porro iſtorum animi ſenſuum ea eſt convenientia cum ſenſibus corporis, ut, tanquam ex re notiore, poſſint ex illis ſatis apte explicari. Veri igitur, tum quod medio alio vero, tum quod per ſe ipſum proxime noſcitur, perceptiones ſunt aliæ, aliæ viſui, auditui, aliæ tactui ſimiles. Ea mente videmus quæ vel demonſtratione, aut argumentatione nobis elucent; ut, Omnis trianguli tres anguli duobus rectis æquales ſunt: vel ex propria ſua notione, aut indito nobis lumine manifeſta, & perſpicua ſunt; ut, parte ſua majus eſt totum; idem primo ſe ipſum efficere non poteſt. De quibus Auguſtinus Lib. I. ſoliloq. cap. vi. num. 12. Audimus quodammodo illa, quæ vel externa auctoritate, & teſtificatione permoti credimus: ut, Trinitatis, & Incarnationis myſteria; ſeu, Græcorum, & Romanorum prælia, & res geſtas; & qui alii ſunt ex Sacris, profaniſque litteris Divinæ, humanæque fidei aſſenſus. Vel interiore quadam quaſi voce, & perſuaſione naturæ, ſive, ut ait Apoſtolus ad Roman. ii. 15. *teſtimonio conſcientiæ*, facienda, aut non facienda novimus, & judicamus: ut honore afficiendos parentes; injuria neminem; & quæ plura imperantur, aut prohibentur lege naturæ. De quibus Ambroſius epiſt. 60. I. claſ. ad Paternum num. 5. Tandem ea propemodum tangimus, & contrectamus, quæ vera eſſe experimur, ſive per aliud, ut eſſe, & vivere, & intelligere illos, cum quibus verſamur: ſive per ſe, ut unuſquiſque, qui ſui compos ſit experitur hæc tria, & alia æque intima de ſe ipſo. De quo Caſſiodorus init. Libri de Anima. Hos animi ſenſus, ac veri perceptiones multiplices pluribus explicavi in Eſteſinoo, qui dialogus eſt Platonis Chriſtiani de primo Vero; alio titulo, D. Anſelmus; ſive, Hippias Minor Chriſtianus. Atque ita pariter explicantur, ac diſtinguuntur a Patribus, quos ibi omnes, & infra hic etiam, ut res feret, ex parte citabo. Audiatur Anſelmus, qui Proſolog. cap. xvii. hæc omnia ad cognitionem rerum divinarum accomodat. Sic Deum alloquitur: *Circum-*

ſpicit

Digitized by Google

ſpicit Anima mea; & non videt pulchritudinem tuam. Auſcultat; & non audit harmoniam tuam. Olfacit; & non percipit odorem tuum. Guſtat; & non cognoſcit ſaporem tuum. Palpat; & non ſentit lævitatem tuam. Habes enim hæc, Domine Deus, in te, tuo ineffabili modo; qui ea dediſti rebus a te creatis, ſuo ſenſibili modo: ſed obriguerunt, ſed obſtupuerunt, ſed obſtructi ſunt ſenſus animæ meæ vetuſto languore peccati. Loquitur hic quidem Anſelmus de ea divinorum perceptione, atque experientia, quæ ſupra naturam, eſt vero alia etiam intra fines naturæ, de qua nobis agitur.

His igitur expoſitis, ajo, eſſe in Scriptura unde ſatis probetur, Deum eſſe etiam naturaliter, ac per ſe proxime homini notum, eo triplici notitiæ genere ſupra deſcripto: ſive, ut ſic loquar, tanquam veritatem ſpeculativam; tanquam veritatem practicam, ſive moralem; tanquam veritatem experimentalem.

De primo notitiæ genere, præter illud Jobi XXXVI. 25. quod ſupra adverſariis oppoſui, eſt illud Pſalm. IV. 7. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Nam quod hic generaliter dicitur, *ſignatum eſt ſuper nos* &c. ſignificat aliquid nobis innatum, & quodammodo impreſſum ab ipſa natura, commune omnium; ut explicat Auguſtinus de Spir. & litt. cap. XXVIII. num. 48. & alii. Quod vero *lumen* vocatur, ſatis declarat, id eſſe quidpiam, & quod ad cognitionem pertineat ejus generis, quæ analogia viſus corporei apte explicetur; & quod præſtet in mente, quæ *animæ*, ſeu *cordis oculus* appellatur in ſacris Litteris, id fere quod præſtat lumen in oculis corporis: ſive iſtud, quicquid eſt, ſimile lumini, ſit aliquid re ipſa ſuperadditum menti, ut Patres fere omnes hujus loci interpretes velle videntur; ſive noſtro tantum cogitandi modo ab ea diſtinguatur; quod adverſariis do equidem facile. Id vero præſtat lumen in oculis corporis, ut ſi ſani ſunt, & aperti, nulla alia re media, aut præſidio opus ſit ad ea contuenda, ex quorum quaſi vultu lumen ipſum in nos derivatur, atque diffunditur. Sic ex eo lumine, quod in nos emittit fax aliqua, aut ſtella, ipſas aſpicimus: & ſic itidem ſolem eo modo, quo poſſumus, intuemur. In qua loci hujus expoſitione ita Patres nobis conſentiunt, ut quod hic vultus divini lumen vocatur, ne quis alicujus præterea ſive rationis, ſive auctoritatis interpoſitu opus eſſe putet ad cognoſcendum Deum; ipſi Dei notitiam nuncupent, eique explicandæ ipſa eadem utantur ſimilitudine ſolis, quam hic modo attigi. Sic enim Hieronymus, vel potius ex Hieronymo Beda in locum Jobi ſup. cit. *Per naturæ bonum notitia Creatoris ineſt cordibus hominum*. Quod ipſum ait etiam Hieronymus Lib. I. Comment. in Epiſt. ad Galat. cap. I. ſ. 9. & alii plurimi Patres, quos infra ſuo loco citabimus. Pergit hic vero Beda: *& ideo unuſquiſque mortalium ſentit, & intelligit eſſe Deum... ſed eo ineffabili modo, quo Deus eſt intuendus; ubi in ipſo obtutu cordis intelligendo, videt homo, quod ſupra eſt illud divinum nomen, quod contemplari conatur.* Quæ ſcilicet ipſa contingunt in viſione ſolis, quem quidem non alterius luminis ope, ſed per illud ipſum, quod in nos ex ſe fundit, aſpicimus; ſic tamen ut eum eſſe potius videamus, quam quid ſit: aut certe videamus, id eſſe ſolem, quod oculorum noſtrorum vim, aciemque ſuperet, & a nobis aperte videri non queat. Et ſic pariter accomodari poſſunt ad ſolis intuitum, quod de Dei cognitione in hanc eandem ſententiam tradit Auguſtinus tract. 106. in Joan. num. 4. *Hæc eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti* (hoc eſt, quæ ad rationis uſum pervenerit) *non omnino, ac penitus poſſit abſcondi*. Nempe, ut ſi lateat quid ſit, eſſe tamen non ignoretur. Et quod in Pſalm. LXXIV. num. 9. *Deus ubique ſecretus eſt, ubique publicus; quem nulli licet ut eſt cognoſcere, & quem nemo permittitur ignorare*. Quæ perinde dicas de ſole: eam eſſe vim ſolis, ut animali omni oculis utenti non omnino, ac penitus poſſit abſcondi: Et pariter; ubique ſecretum, ubique publicum eſſe ſolem; quem videant omnes, perſpiciat nemo. Hæc autem omnia Dei cognitionem probant & proximam, ſive immediatam, quam vocant; & obtutui ſimilem, qualiſque eſt cognitio veri, quod mente cernimus, ſeu contemplamur.

De altero notitiæ genere eſt illud Apoſtoli ad Rom. II. 14. 15. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ le-*

gis ſunt faciunt ; *ejuſmodi legem non habentes*, *ipſi ſibi ſunt lex*; *qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis* &c. Eo enim, quod ait, *ea*, *quæ legis ſunt*, & ſubinde, *opus legis*, oſtendit, ea quæ præcipiuntur lege ſcripta, præcipi etiam lege naturæ. Lege autem ſcripta ea primum præcipiuntur, quæ ad Deum pertinent. *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. Exod. xx. 2. 3. &c. Deut. v. 6. 7. &c. Hæc ipſa igitur ſunt de lege naturæ. Jam vero, quæ ſunt de lege naturæ ſaltem prima aut potiora ſunt omnibus nota, & per ſe quidem proxime nota: hoc enim Patres docent; ita Chryſoſtomus homil. 12. & 13. ad Popul. Auguſtinus in Pſalm. lvii. num. 1. 2. &c. Ita reliqui: nec diffitentur theologi, de iis ſaltem quæ primaria, & quaſi antecedentia, cujuſmodi forſitan ſunt decem ipſa præcepta, quæ Auguſtinus vocat, *cor legis* Lib. XII. cont. Fauſt cap. xiv. & clare ſignificat Apoſtolus hoc ipſo loco, cum dicit, *opus legis ſcriptum in cordibus*; &, *ipſi ſibi ſunt lex*; &, *naturaliter ea*, *quæ legis ſunt faciunt*; hoc eſt, natura ipſa dictante, ſeu præcipiente: quæ aliis etiam admiſſis, quas adhibent Patres, & Sacri Interpretes eſt hujus loci explicatio planiſſima ex Hieronymo in Comment. hujus loci, & Lib XIV in Iſai. cap. xv. §. 4. ex Chryſoſtomo in Comment. hujus loci ex Ambroſio epiſt. 73. 2. claſ. ad Irenæum n. 2. 3. 10. ex Auguſtino Lib. de Spir. & Litter. cap. xxviii. n. 48. & aliis. Legantur Pererius, Juſtinianus, & Cornelius a Lapide. Sequitur igitur, ut hæc etiam moralis veritas, *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. ſit per ſe proxime nota. Atque hoc eſt, quod Origenes Lib. I. cont. Celſum ait, *inſitum eſſe hominibus Dei ſenſum*, *quemadmodum moralis diſciplinæ reliquias*: hoc eſt, quemadmodum quæ præcipua ſunt in lege naturæ; ſeu, quæ ſcripta ſunt in hominum corde: quibus moralis omnis diſciplina nititur; & quorum notitia, etiam poſt primi hominis lapſum relicta nobis in animo eſt. Id ipſum docent Juſtinus Mart. in dial. cum Triph. Irenæus Lib. IV. cap. xiii. num. 2. & 3. cap. xiii. num. 1. & 4 cap. xv. n. 1. Tertullianus adverſ. Jud. n. 6. 7. ac de corona Milit. cap. vi. num. 57. 58. &c. Clemens Alex. Lib. VI. ſtrom. Origenes iterum Lib. III. Periarch. cap. 1. Hilarius in Pſalm. lii. num. 3. Gregorius Naz. orat. 2. de Theolog. Hieronymus Lib. I. Comment. in epiſt. ad Galat. cap. iii. §. 3. Chryſoſtomus homil. 37. in Matth. & homil. 12. & 13. ad Popul. Anth. Auguſtinus in Pſalm. lvii. n. 1. in Pſalm. cxviii. ſerm. 25. n. 4. ſerm. 12. cap. iii. & 4. n. 3. & 4. Cyrillus Alex. Lib. VI. in Joan. cap. xi. & Lib. III. cont. Julian. Proſper, aut quicunque alius eſt auctor Operis de vocat. Gent. Lib. II. cap. 1. 2. &c. item apud Proſperum Auctor carminis de Provid. Anſelmus, niſi potius Hervæus in hunc Pauli locum &c. Porro quod is *Dei ſenſus*, quem appellat Origenes, ut ad legem naturæ pertinet, quidam ſit veri quaſi auditus; declarant Origenes idem in illud Joan. viii. 44. *Non poteſtis audire ſermonem meum*; Hieronymus, aut qui alius eſt Auct. comment. Jobi in illud xlii. 5. *Auditu auris audivi te:* ac poteſt huc etiam revocari quod ait Auguſtinus Lib. VII. Confeſ. cap. x. num. 16. *Et audivi*, *ſicut auditur in corde*; *& non erat prorſus*, *unde dubitarem*; *faciliuſque dubitarem vivere me*, *quam non eſſe Veritatem*, *quæ per ea quæ facta ſunt intellecta*, *conſpicitur*. Qua indicat, argumenta illa, quibus primum verum ex rebus creatis oſtenditur, ex hoc interiore ejuſdem auditu, vim omnino maiorem accipere; ut facilius propterea dubitare quis poſſit, ſe non eſſe, quam non eſſe Deum. De quo in confutatione oppugnationis 4. Res ita ſe habet: verum morale, ut, Faciendum non eſſe in alios, quod in nos fieri nolumus; Cuique, quod ipſius eſt, tribuendum; immo decem ipſa Legis præcepta, qua ratione dicuntur, non utcumque nobis ſignificari a natura, ſed præcipi etiam; eadem ratione dici poſſunt non utcumque intelligi a nobis, ſed quodammodo audiri. Audienti enim præcipitur, non videnti: hoc eſt, intelligenti præceptum, etiamſi præcepti rationem ignoret. Quare, ut adnotant in re noſtra Clemens Alex. Lib. V. ſtrom. Baſilius homil. 9. in Hexam. n. 3. & 4. Chryſoſtomus homil. 12. ad Popul. Auguſtinus in Pſalm. lvii. n. 1. & alii ſupra memorati; ruſticis, & rudibus hominibus, quibus obſcura, aut non penitus clara, & perſpicua eſt turpitudo fur-

ti.

Digitized by Google

ti, homicidii, adulterii, & ſimilium, eſt tamen indubitata, & certiſſima: iidemque, ante etiam quam diſcant, quænam ſit iſtorum vitioſitas, ſive malitia; neſcio quo tamen interiore admonitu, ea & mala, & a natura abhorrentia, & omnino fugienda eſſe firmiſſime judicant. Id autem, quo a natura ipſa adducuntur, ut ita judicent, ob id ipſum ſcilicet, quia poteſt cum ea qualicumque obſcuritate, & inſcientia conjungi; eſt voci ſimilius, quam luci; & pondus, atque inſtar habere videtur auctoritatis potius quam rationis, ſic autem videtur Ambroſio epiſt. 60. 1. claſ. ad Paternum n. 5. Hieronymo Lib. I. comment. Epiſt. ad Gal. cap. III. §. 3. Auguſt. de utilit. creden. cap. XVI. n. 34. immo & Apoſtolo, qui loco cit. verſ. 15. vocat id *teſtimonium conſcientiæ*. Quo fit, ut etiam judicium illud auditui ſit aliquanto ſimilius, quam viſui; & ad eam mentis aſſenſionem, aſſertionemque, quæ propria eſt fidei nonnihil accedat.

Tandem de tertio notitiæ genere, ſeu de primi Veri contactu eſt illud Apoſtoli Act. XVII. 27. 28. *quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant; quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus* Quod quamvis accipi poſſit de illa Dei notitia, quam in nos converſi ex nobis ipſis argumentando colligimus; verbis his tamen hæc etiam videtur ſubeſſe ſententia: Inquiſitione, & inveſtigatione rationis eo pervenire hominem poſſe, ubi tam certum, tamque exploratum ipſi ſit, eſſe Deum, ut id fere contrectet, & quaſi manibus teneat. Quanquam ad certam ejuſmodi cognitionem, atque notitiam nec ratiocinatione opus ſit: cum Deus nobis attrectandum ſe offerat e proximo; ideſt, cum hoc etiam notitiæ genere ſit per ſe notus; ac per ſe ipſum quaſi ſentiatur. Nam ut acute animadvertit Auguſtinus in Pſalm 99. n. 5. illud, *non longe*, quod loco cit. ait Apoſtolus, hunc Dei, ſenſum, & quaſi experientiam ſignificat: *ubi enim non eſt ſenſus alicujus, rectius dicitur abſens, quam præſens: hoc eſt enim abſentem eſſe, ſenſu abeſſe*. Præterea probatur ex iis, quæ addit ibi Apoſtolus: & primum ex eo, quod Deus nobis eſt plane intimus. Deinde, quod Deo ſumme indigemus, quæ ambo ſignificantur iis verbis, *in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Tertio ex neceſſitudine, & quaſi cognatione animæ noſtræ cum Deo; de qua eſt illud Poetæ (Arati in Phænomen.) *Ipſius enim & genus ſumus*. Ad primum pertinet, quod docent Patres, in primis vero Auguſtinus; Deum eſſe in homine, interiorem homini, quam ſit homo ipſemet ſibi; eſſe in eo tanquam animæ animam: ut, quemadmodum anima per ſe proxime experitur, ac ſentit, ſe vivere, ſe intelligere, ſe velle; quæ quamvis ab ipſa diſtinguantur, ipſi tamen ſunt prorſus intima; ſic pariter experiatur, ac ſentiat Deum. Lege Auguſtinum in Pſalm. 74. n. 9. Serm. 161. cap. 5. n. 6. Lib. X. de Trinit. cap. 3. n. 5. 6. cap. 8. n. 11 cap. 9. n. 12. &c. Immo huc etiam ſpectaſſe videtur Gregorius Nyſſen. cum Orat. 6. de beatit. in illud Luc. XVII 21. *regnum Dei intra vos eſt; tale bonum naturæ noſtræ quaſi ineſſentiatum*, ſcripſit.

Ad alterum vero pertinet, quod alii Patres notatum reliquere; hominem per ſe proxime experiri, & ſentire, ſe Deo ſumme indigere; ſeque ſine ſuperiore aliqua vi, ac numine eſſe, & conſiſtere minime poſſe. Hinc vero eſſe, quod homines etiam maxime rudes, & inculti, in ſubitis caſibus, atque periculis, aut neceſſitate aliqua preſſi ad Deum confugiunt, Deum invocant, Deum teſtantur, & ſimilia plurima edunt, interioris ſcilicet hujus ſenſus argumenta, & indicia. *Adeo non ignorat*, inquit Tertullianus Lib. de carne Chriſti num. 104. *anima ſe ipſam, ut auctorem, & arbitrum, & ſtatum ſuum norit. Nihil adhuc de Deo diſcens, Deum nominat. Nihil adhuc de judicio ejus admittens, Deo commendare ſe dicit*. &c. Et in Libro de teſtimonio animæ cap. 1. n. 2. 3. &c. *Novum*, inquit, *teſtimonium advoco, imo, omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine majus; ideſt, totum quod eſt hominis. Conſiſte in medio anima* &c. *ſed non eam te advoco, quæ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, Academiis, & porticibus* &c, *Te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam*

com-

Digitized by Google

compello, qualem habent, qui te ſolam habent. &c. Imperitia tua mihi opus eſt, quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expoſtulo, quæ tecum in hominem infers, quæ aut ex temetipſa, aut ex quocunque auctore tuo ſentire didiciſti. En porro quid eam ſentire dicat: *audimus*, inquit, *ita pronuntiare. Quod Deus dederit; &, ſi Deus voluerit. Ea voce & aliquem eſſe ſignificas, & omnem illi confiteris poteſtatem, ad cujus ſpectas voluntatem.* Rurſus autem: *Deus videt omnia; &, Deo commendo; &, Deus reddet; &, Deus inter nos judicabit.* &c. Horum ſimilia ſcripſerunt tum ipſe in Apologet. cap. 17. num. 256. 257. &c. & Lib. I. cont. Marcion. cap. 10. n. 60. & 61. Tum poſtea Minutius Felix in Octavio, Cyprianus de idolor. vanit. n. 48. vel 64 & 65. Arnobius Lib. II. adver. Gent. Lactantius Lib. I. div. Inſtit. cap. 1. &c. Auguſtinus Serm. 12. cap. 3. & 4. n. 3. & 4. qui omnes docent, homines ex ſola, & nuda anima, ut eam acceperunt ab Auctore naturæ conſcios ſibi eſſe, ſe omnino ex Deo pendere, per ipſum vivere, ab eodemque moveri, & eſſe. Ex eoque divinitatis ſenſu, quem, *Dei conſcientiam*, appellant, exiſtere dicunt eas hominum etiam indoctiſſimorum voces, & ſignificationes.

Denique ad tertiam revocari poteſt quædam, ut ita dicam, ſympathia, convenientia, conſenſio animæ cum Deo: quæ Patribus pariter agnita, in eoque poſita ſunt; quod nec falſo ut falſo aſſentire; nec malum ut malum amplecti queat. Quod pulchro, quod juſto, quod recto, honeſtoque tangatur, ac delectetur, & quæ aliæ ſunt in rebus ſimilitudines Dei. Maxime vero quod beatitudinem appetat. De quo præclarum eſt illud Hilarii Pictav. in Pſalm. 62. n. 3: *uniuscujuſque mentem ad cognitionem, ſpemque æternitatis naturali quodam inſtinctu ferri: quod velut inſitum, impreſſumque omnibus ſit, divinam ineſſe nobis animarum originem.* Tum vero etiam quod ex ſuapte natura, & origine ita cohæreat Deo; ut, ſive illum eſſe neget, ſive in eum aliquid peccet; quiddam ſemper ſibi quoque contrarium ſe admittere ſentiat: a Deoque ſejuncta, & averſa, a ſe quoque ſe dividat, ac ſecum ipſa pugnet: nec hominem improbum, ac præſertim ſi impius, ſi atheus ſit, invenire ullum ſit, quieto animo, aut ſibi ipſi ſatis pacatum, ſeſeque contentum. Habes hæc omnia apud Auguſtinum Lib. I. Confeſſ. cap. 1. n. 1. Lib. II. cap. 6. n. 12. 13. &c. Lib. IV. cap. 12. n. 18. Serm. 141. cap. 1. n. 1. Serm. 150. cap. 8. n. 10. Lib. XV. de Civit. cap. 22. Enar. 2. in Pſalm. 32. n. 6. & 7. Lib. IX. de Trinit. cap. 9. n. 13. Lib. XIII. cap. 4. n. 7. & aliis plurimis in locis. Quibus affine eſt, & ad hunc eundem Divinitatis ſenſum referri poteſt, quod cum aliis itidem pluribus Patribus docet Auguſtinus Serm. 12. cap. 3. n. 3. *omnem Angelicam, & humanam conſcientiam, non ſolum bonorum, ſed etiam malorum Deum præſentem habere.* Illorum enim, quorum conſcii nobis ipſi ſumus, experimentaria, ut ſic loquar, notitia eſt, & quidam quaſi contactus. Quod adverti volo etiam in locis ex Tertulliano, & aliis paulo ſupra citatis.

Porro ex his omnibus ita concludo niſi omnem loquendi modum, ac Verborum ſignificationes invertimus; id eſt per ſe proxime notum, quod nulla etiam ſive ratione, ſive auctoritate interpoſita notum eſt. Nam lumen, ac ſpecies, ſive ſint innatæ, ſive acquiſitæ, & omnino quicquid aliud cognoſcendi facultatem complet, ac perficit, non obeſt, quo minus dicatur aliquid per ſe proxime noſci; ſive naturaliter, ſi hæc debeantur naturæ; ſive ſupra naturam, ſi non debeantur. Ut autem oſtendi, eſt in Scriptura, unde ſatis probetur, Deum exiſtere, nulla etiam ſive ratione, ſive auctoritate interpoſita notum eſſe, vel ex iis ſolum, quæ naturæ propria, ſeu debita ſunt; & ſic notum eſſe iis tribus, animi ſenſibus, ſeu triplici notitiæ genere ſupra deſcripto. Conſequens eſt igitur, ut ſit in Scriptura, unde ſatis probetur, Deum exiſtere, etiam naturaliter, ac per ſe proxime notum eſſe, eo triplici ſenſu, ſeu perceptionis, ac notitiæ genere; atque, ut dicebam, tanquam veritatem ſpeculativam; tanquam veritatem praticam, ſive moralem; tanquam veritatem experimentalem. Quod erat propoſitum.

Ad primum, ſic breviter: primo locum hunc Scripturæ nullo modo contra

nos

nos facere. Nam ſi reputandum, inſipiens quid dicat, aut etiam quid ſecum animo agitet; negari etiam poſſet, ex rebus creatis demonſtrari Deum; præſertim tam clare, & facile; quam adverſarii volunt, & nos ultro, & libenter concedimus. Cum ſæpe nec argumenta ulla apud inſipientem valeant. Sed nimirum utrobique defectus lucis probatur ex judicio cæci. Ac certe, niſi viri ingenio, & doctrina præſtantes nos inde oppugnarent; in rem illam argumentum peti ex inſipiente, ſimile videri poſſet, atque in re alia teſtimonium allatum ex dormientibus; quod ſcite, arguteque, quam norunt omnes, irridet Auguſtinus in Pſalm. 63. n. 15. At enim, *oppoſitum ejus, quod eſt per ſe notum, cogitari non poſſe*, abſolute pronunciavit Ariſtoteles? Ita; ſed Ariſtoteles idem Lib. I. Analyt. poſter. cap. 3. & Lib. IV. Metaph. cap. 4. & 5. quorundam philoſophorum, ut Protagoræ, Democriti, & aliorum meminit, qui ea etiam, quæ per ſe notiſſima, vel negabant omnino, vel in dubium vocabant. Quod & Scepticos feciſſe olim, & aliquatenus etiam Carteſianos hoc tempore facere, nemo eſt qui neſciat. Imo his jungi poſſe videntur recentiores quidam ex adverſariis noſtris, qui nullam prorſus ex propoſitionibus affirmantibus per ſe notam eſſe volunt. Iidemque & Carteſio ſe maxime infenſos, & Ariſtoteli, ac D. Thomæ addictiſſimos ſe profitentur. Laudo ſane de hoc: ſed qui, Deum eſſe per ſe notum, præſertim D. Thomæ, & Ariſtotelis gratia, negare ſe dicunt; aut præſeferunt eorundem gratia aliquid etiam affirmans per ſe notum concedere potuiſſent. Cæterum ſi ab eo generali Ariſtotelis pronuntiato, unde unde hoc fieri dicas, excipiendi ſunt etiam philoſophi; multo magis excipiendus inſipiens: ſive, ut habet Textus Hebraicus נבל *nabal*, *ſtultus*; quemadmodum Hilarius, Hieronymus, & alii vertunt. Is nempe, in quo admodum vitiata, & corrupta natura; obtuſique omnes animi ſenſus. Quæ fere ipſa verba ſunt Hilarii, Hieronymi, & Auguſtini in hunc Scripturæ locum.

Dicendum deinde locum hunc nobiſcum apprime facere. Ex eo enim, quod ſtulti ſoli *dicant in corde ſuo*: *Non eſt Deus*; ſequi cenſet Chryſoſtomus Serm. de deſper. & ſuperb. ut, *Deum ignorare ſtultitia ſit*. Hoc vero ſi eſt; vel hoc tantum, quo aliquis ſtultus non eſt, Deum agnoſcit: agnoſcit igitur etiam ante omnem demonſtrationem. Cujus ſimile eſt, & ex eodem Scripturæ loco acceptum, quod ſcripſit Auguſtinus tract. 106. in Evang. Joan. n. 4. *Hanc eſſe vim veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino; ac penitus poſſit abſcondi*. Hoc eſt illi, qui uſum rationis adeptus ſit; &, ut ſtatim ſubjungit, *in quo natura nimium depravata non ſit*. Hanc Dei cognitionem refert in vim Divinitatis, non in vim demonſtrationum, ſive argumentorum. Accedit, quod idem ſcribit in eundem Pſalm. 52. locum n. 2. *Perpauci ſunt; & difficile eſt, ut incurramus in hominem, qui dicat in corde ſuo: Non eſt Deus. Rarum genus iſtiuſmodi hominum* &c. *vix invenitur* &c. Hæc enim tam communis omnium hominum cognitio, & confeſſio ſolum in per ſe notis contingit; & ut ait Tertullianus in re præſenti Lib. de Teſt. Anim. cap. 5. n. 23. ubi eſt *magiſtra ipſa natura*.

Tertio demum ex hoc Scripturæ loco plus etiam evincitur, quam quantum aſſertioni noſtræ tuendæ opus ſit: atque eo maxime, quo magis urgeri, ac premi videmur in oppugnatione. Nam quod inſipiens Deum non eſſe dixerit in corde ſuo, non ſignificat, hoc eſſe dictum omnino ex corde, prorſus conſiderante, nec intrinſecus repugnante, aut reclamitante natura. Tum quia iſto modo non dicitur, quod Scriptura teſtatur inſipienter, ac ſtulte dici. Nam qui inſipientes, ac ſtulti, iidem vecordes, excordeſque dicuntur. Tum quia negari non poteſt ex toto penitus corde, quod nobis eſt ſcriptum in corde: Verum hoc autem, *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. inſcriptum eſſe hominum cordibus, teſtatur Apoſtolus loco ſup. cit. *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Ex quo nimirum loco Gregorius Nyſſ. orat. 6. de Beatitud. *Dei notitiam inſſentiatam* dixit *naturæ noſtræ*. Ut deleri penitus, ac nobis ex corde prorſus evelli, atque extirpari nequeat. Quare Deum eſſe qui negant, non ea ſolum ratione ſecum pugnant, quod contraria ſunt inter ſe, *Deus*, &, *non eſt*; qua ratione nititur Anſelmus Lib. cont. Gaunilon. ac dein-

Digitized by Google

deinceps Scholaſtici, quotquot eo duce ſententiam noſtram defendunt: verum etiam quia contraria ſunt inter ſe, *Deus non eſt*, quod dixit inſipiens; & quod eſt homini impreſſum in corde. *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Quæ mihi videtur ratio validior; quaque uſi ſunt Patres, qui ante Anſelmum ſcripſere. Quod ſi illi, qui dicunt in corde: *Non eſt Deus*, habent intra cor ipſum, quod dicto illi refragetur; vel homines ſunt ſine corde; falſum eſt hoc ab eis dici ex toto penitus corde, quod tamen adverſarii vellent.

Quid ergo ſignificat: *dixit inſipiens in corde ſuo?* Significat, inſipientem dixiſſe hoc intra ſe ipſum. Immo, ut locum hunc explicant Hilarius, & Auguſtinus, ſignificat, inſipientem id cogitaſſe tantum, ac mente agitaſſe. *Non auſus eſt dicere, ſed auſus eſt cogitare, Deum non eſſe. Puduit dicere, non puduit cogitare*. Quo non equidem nego, eſſe atheos: immo; ſi libet, non tam raros eſſe concedam, quam vult Auguſtinus: ſed cave, ne id officiat demonſtrationibus tuis, quas eſſe clariſſimas, atque planiſſimas dicis. Illud ajo, hoc ſacrarum Litterarum teſtimonio, Hilario, & Auguſtino interpreti bus, ſignificari, inſipientis, ac ſtulti eſſe, vel ſolum cogitare, Deum non eſſe. Si vero hoc ſignificatur, quam erit id per ſe notum, cujus oppoſitum ſoli ſtulti cogitant; cum multa ſint per ſe notiſſima, quorum oppoſitum etiam philoſophi cogitarunt! Quod quidem aſſertioni noſtræ plus ſatis eſt. Illud enim hic tantum Scripturæ auctoritate contendimus, Deum eſſe abſolute, & ſimpliciter per ſe notum. Utrum autem tam clare, aut tam certe ſit id per ſe notum; ut de eo ſubdubitari; & cogitari contrarium, non niſi ſtulte poſſit; vere, ac proprie eſt alia quæſtio. De qua ſi affirmando reſpondeas, ex hoc Pſalmi loco, & Hilarii, atque Auguſtini interpretatione defendere te ſatis queas.

Quanquam & illa Scripturæ teſtimonia, quæ Reſponſioni meæ approbandæ ſupra retuli, hoc etiam, ſi rite expendantur, evincant. Atque ea præſertim, quæ de altero notitiæ genere. Nam quod illa, quæ prima ſunt in lege naturæ, ſint per ſe evidentia, aut ſaltem certiſſima, qui neget, ſive apud Patres, ſive apud Scholaſticos adhuc reperii neminem. Recentiores illos excipio, quorum ſupra memini. His enim venit in mentem, neque in metaphyſicis, neque in moralibus, neque omnino in reliquis diſciplinis eſſe aliquid affirmans, quod ſi proprie, & caſtigate loquamur, per ſe notum dici poſſe videatur. Enimvero præpoſtere; cum ſit affirmatio negatione prior: & contra communem omnium & Patrum, & Doctorum ſententiam, ac loquendi morem. Siquidem ipſi illi Theologi, qui Deum per ſe notum eſſe negant; fatentur tamen eſſe aliqua etiam affirmantia tum in metaphyſicis, quæ pertinent ad habitum, quem ipſi nuncupant, Intellectus; tum in moralibus, quæ pertinent ad Synderesim; de quibus idem ſentiunt omnes; quia ſunt per ſe nota; ac de illis ita ſentire, & judicare, definitum eſt homini ab ipſa natura: ſive, ut ait S. Thomas 1. 11. qu. 94. art. 4. *eſt ex inclinatione naturæ*; & quidem inſuperabili, ſecus enim de iis non idem ſentirent, atque judicarent omnes. Scotus ſimiliter, quem infra citabimus; & ſic pariter alii omnes. Jam vero, quod eſſe Deum; ſive, quod hæc propoſitio, *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. ſit unum ex primis, quæ ſunt in lege naturæ, aut ſaltem primis æquiparetur, probatum eſt, quod illa propoſitio initium eſt legis ſcriptæ: ex Apoſtolo autem, adhibita præſertim Sacrorum Patrum interpretatione, quorum loca ſupra notavimus; uti eſt a Deo ſcriptum in tabulis, ita ferme eſt ſcriptum in cordibus. Præſto autem eſt ratio etiam. Nam quoniam hominis ad finem, atque actum ſuum non minus intereſt, noſſe Deum, quam quæ prima ſunt in lege naturæ; conveniens fuit, eſſe utrique notitiæ a natura conſultum æqualiter; ab eaque hominem momentis paribus in utriuſque re judicium inclinari, & adduci.

Nec vero dixeris ad Apoſtoli locum ſup. cit. Deum ita ſcripſiſſe in cordibus hominum (cujuſmodicumque ſit ea ſcriptio; de hoc enim videbimus in reſponſione ad 5.) ita, inquam, ſcripſiſſe in cordibus hominum, *Ego ſum Dominus Deus tuus*; ut ſimul obſcurum, & incertum reliquerit, an Deus ſit. Hoc enim eſſet abſolute negare, eſſe eam veritatem ſcriptam in cordibus hominum; quandoquidem ex hoc etiam, quod Deus ſit, conſtat

ſtat

Digitized by Google

ſtat veritas illa: & præſertim quidem, ut dictamen practicum, immo & præceptum eſt. Videnturque iſta ſecum pugnare, aut non cohærere inter ſe, quod homines, nullo aſſenſu intermedio; ſive, ſine ulla argumentatione, aut externa lege, & doctrina, *ipſi ſibi ſint lex*, & dictamen practicum, immo & præceptum colendi Deum; & non ſit illis pariter ex ſe ipſis, eodem modo perſuaſum, quantum ad praxim, atque actum opus eſt, eſſe Deum. Quin immo etiamſi dictamen illud, *colendus eſt Deus*, eſset mere ſpeculativum; nullo tamen modo eſset conditionale, ut adverſarii volunt. Nam vel conditio cadit ſupra cogitationem; ut dicat natura; Deus eſt colendus, ſi eſse cognoſcitur. Vel conditio afficit rem ipſam; quaſi dicat natura; Deus eſt colendus, ſi eſt. Utroque modo ſtulte, aut non ſatis recte loqueretur nobis natura; quoniam conditionem apponeret omnino ſupervacaneam. Nam cum Deum colendum natura dicit; eſse, dicit. & cum loquitur natura, ita loquitur ut intelligamus, eique aſsentiamur. Nam quod dicit nobis natura; dicimus ipſimet nobis: quod ſi dicimus, non inquirimus, aut colligimus. Neque rurſus dicas, naturam docere, ac præcipere hoc abſolute; ſed non antea, quam per demonſtrationem, Deum eſse, nobis compertum ſit. Nam contra: Lex naturæ una cum ratione vim exerit ſuam: ac veritates naturæ lumine per ſe notæ priores ſunt, quam quæ demonſtrantur. Denique; nimis imperfectum eſset magiſterium, ac regimen naturæ, hoc eſt, Dei ipſius; ſi erga rem ſumme neceſsariam, & prorſus abſolutam quid nobis faciendum ſit, doceret, ac præciperet quoquomodo, conditionaliter, & ſuſpenſe.

Ad ſecundum dicendum, hæc pariter Scripturæ loca eſse a nobis. Non enim proprie ad Atheos, ſed ad Ethnicos, ſive idolorum cultores eſt ibi ſermo; qui cum eſse Deum, vel ſola intrinſecus docente natura cognoſſent, aut cognoſcere potuiſſent; (non loquimur hic de cognitione ſalutari) mala tamen conſuetudine, & exemplo obcæcati, & pravis animi affectionibus tranſverſum acti, rebus creatis, & iis quidem, quæ ſub ſenſus cadunt, quarum ſcilicet imaginibus pleni errant, divinum & nomen, & honorem detulere. Locis ipſis nobis objectis expreſſa ſunt hæc. Quippe ad eos Sapiens XIII. 2. loqui ſe profitetur, qui *aut ignem*, *aut ſpiritum*, *aut citatum aerem*, *aut gyrum ſtellarum*, *aut nimiam aquam*, *aut ſolem*, *aut lunam*, *rectores orbis terrarum deos putaverunt*. Itemque Apoſtolus ad Rom. I. 21. 23. ad eos, qui cum *cognoviſſent Deum*, *non ſicut Deum glorificaverunt .... ſed mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis*. Accedunt Interpretes. Nam Primaſius ad ea Pauli verba, *qui cum cognoviſſent Deum*, hæc habet: *Quomodo cognoverunt? ſive ex conſcientia per inſitam ſibi rationem*, *ſive ex mundi factura*. Diſtinguit inter Dei cognitionem, quæ eſt ex rebus creatis, *a poſteriori* quam vocant; & illam, quæ, ſine ullo medio cognito, eſt ex ſola conſcientia, & lumine rationis. Ut ſit hæc Pauli, & pariter Sapientis ſententia: Qui cum cognoviſſent, eſſe Deum, notitia vel innata, vel acquiſita; non eo pervenere, neque iiſdem adjumentis ſunt ita uſi; ut cognoſcerent etiam, Deus quid ſit. Simili interrogatione uſus Chryſoſtomus hom. 12. ad Popul. *unde ſcierunt?* reſpondet ſimiliter, immo etiam ſignificantius: *Non habemus opus hoc diſcere; quoniam præveniens conſcientia nos hoc docet; eſt nobis inſitum, eſt apertum per ſe &c.* Atque in hanc eandem ſententiam hæc Scripturæ loca interpretantur alii plures etiam antiquiores. Ad hæc enim ſpectavit Euſebius Cæſar. cum ſcripſit Lib. II. Præpar. cap. V. *Homines inditis a natura notionibus excitatos Deum quidem cogitaſſe: ſed cum ad ejus cognitionem aſpirarent, alios quidem ſublatis in Cælum oculis, & aſtrorum pulchritudinem admiratos, iis deorum nomen, honoremque tribuiſſe: alios vero in terram ſeſe, animumque devolventes, Gigantibus, tyrannis* &c. Et cap. VI. *Omnes populi*, inquit, *communi quodam rationis ſenſu Deum eſſe perceperunt; cum id omni animo ratione, & intelligentia prædito idem hujus univerſitatis Artifex naturalibus quibuſdam notionibus inſeverit. Verum deinde eorum culpa, & pravis cupiditatibus factum, ut non uni omnes, ſed alii aliis rebus hauſtam animis de divino Numine notionem affinxerint*. Nyſſenus ſimiliter orat. 5. de beat. *Notitia*, inquit *divini Numinis naturaliter quidem inſita eſt*

Digitized by Google

omnibus hominibus: ſed ignoratione veri Dei peccatur circa id quod colitur. Immo hæc ipſa duo complexus eſt, & ſignificare voluit Tertullianus celebri illa ſententia Apologet. adverſ. Gent. cap. 17. nu. 255 *Ita Deum vis magnitudinis & notum hominibus objecit, & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*. Quod ipſum totidem verbis inveniens apud Cyprianum de Idol. vanit. num. 65. & omnino expreſſius apud Baſilium adverſ. Eunom. Lib. I. num. 12. & in Concilio III. Carthag. de Baptiſ. ſentent. 52. Aptiſſime Paulus Oroſius Lib. VI. adverſ. Pagan. cap. 1. Auctor Carm. de Provid. apud Proſperum:

Eſſe omnes ſenſere Deum, nec defuit ulli
Auctorem natura docens: etſi impius error
Amiſit, multis tribuens, quod debuit uni;
Innatum eſt cunctis Genitorem agnoſcere verum.

Eſt igitur adeo falſum, in his Scripturæ locis de notitia Dei proxima, & innata nullam fieri mentionem, ut approbetur hinc maxime.

Detur præterea, loca hæc ad convincendos Atheos ſpectare; nam certe ad hoc etiam ſunt maxime idonea: non proinde illud efficitur, quod in oppugnatione ultimo additur, nuſquam doceri in Sacris Litteris, Deum eſſe notum per ſe quoque. Non enim ſequitur; Demonſtratur; ergo non eſt per ſe notum. Eſſe Deum, recte demonſtratur; primo, quia quod innatum, & a natura ipſa inſcriptum in animo eſt, tametſi penitus expungi, obliterari, aboleri non poſſit; poteſt tamen ita infuſcari, & induci, ut argumentis, & doctrina vel renovari, vel ſuppleri neceſſe ſit. Egregie Tertullianus Lib. de Anima cap. 41. num. 459. *Quod enim a Deo eſt; non tam extinguitur, quam obumbratur. Poteſt enim obumbrari, quia non eſt Deus; extingui non poteſt, quia a Deo eſt. Itaque ſicut lumen aliquo obſtaculo impeditum manet &c.* In eandem ſententiam Boethius Lib. III. de conſol. metr. 11. *lumen* divini vultus, quod eſt in hominibus, quamvis *non omne depulſum foret*, opus fuiſſe tamen ſcribit, *rurſus excitari, a ventilari doctrina*. Quod facere ſe dici Juſtinus Mart. in Libro de Monarchia. Nimirum, ut eſt Sap. IV. 12. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſus ſine malitia:* ideſt quem integrum, ſeu non depravatum a Deo accepimus. Demonſtratur præterea, Deum eſſe; ut quod eſt per ſe notum, ex aliis notiſſimum fiat. Hæc enim eſt aſſertio noſtra, atque hoc ex Scriptura, & ſacris Interpretibus, præſertim vero S. S. Patribus defendimus: Deum eſſe, eſt etiam naturaliter, ac per ſe proxime notum. Quam clare autem, & quam certo ſit ita notum, nec prorſus ſtatuimus; nec idem de omnibus ſtatuendum eſſe cenſemus: ſed pro diverſo hominum captu, atque cultu; & prout cujuſque fuerit magis, aut minus ſincera vel corrupta natura; integri vitiative animi ſenſus. Itaque ſi cuipiam id proponatur; vel unde unde ſubeat animum hæc cogitatio; *Deus eſt*; ſeu, *Deus exiſtit*; iſque ſimul intelligat, ei nomini *Deus* ſubeſſe Ens optimum; ſeu, quo melius non poſſit: namque id ait Auguſtinus Lib. I. de doctr. Chriſt. cap. VII. n. 6. & 7. intelligi ab omnibus, *cum aures eorum ſonus iſte tetigerit*: ſi præterea in eo homine inſit & vis animi perſpicax, & aliquis etiam doctrinæ cultus, non quo ratiocinetur, ſed quo percipiat hæc melius; ſi ſit præjudiciis vacuus, & a pravis cupiditatibus, & affectionibus liber: ajo fore ut res illa tantum propoſita ab eo mentis aſſenſum vel obtineat, vel extorqueat, non minus quam res alia vel certo, vel evidenter ipſi probata: ſive non minus, quam quæ vel in moralibus, vel in alia quavis diſciplina vulgo per ſe nota feruntur. Quod ſi non affectus, inſtructus, paratus animo ſit, fortaſſe nihilo firmius, aut promptius aſſentiet, quam in re opinabili. Et ſi ſe habeat multo deterius; nec aſſentiet ullo modo: atque adeo dicet in corde ſuo: Non eſt Deus. Expreſſit hoc Clemens Alex. in Admonit. ad Gent. iis verbis: *Omnibus enim ſimpliciter hominibus; maxime autem iis, qui verſantur in doctrina, & litteris, inſtillatus eſt quidam divinus influxus, Qua de cauſa vel inviti quidem fatentur, unum eſſe Deum immortalem, & ingenitum*. Quæ eſt ipſa noſtra ſententia, nunc explicata; &, ſi placet, hæc ipſa eſt aſſertio noſtra. Quoniam, ut monui, Scripturæ teſtimonia a nobis allata hoc totum evincunt: Generatim, ac ſimpliciter Deum eſſe per ſe notum;

Digitized by Google

tum; aliquibus vero etiam per ſe certum, atque evidentem. Quamquam ad hoc doctrinam ſolum, & litteras, aut aliquem ingenii cultum requirimus; ſed etiam in primis cordis munditiem. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* (Matth. v. 8.) Quod intelligi poteſt, etiam pro hac vita mortali, de cognitione Dei; naturali etiam tum quæ inquiſitione, & opera rationis; tum quæ nullo medio. Ut qui mundo corde, iis ſit per ſe evidens: aliis vero ſimpliciter per ſe notus: paucis vero ne notus quidem, aut vix notus. Præclare de hoc Athanaſius orat. cont. Gen. n. 2. & Auguſtinus Lib. LXXXIII. Quæſt. qu. 12.

Tandem, ut oppugnatio undique retundatur, illud etiam eſt falſum, demonſtrandi Deum eam ſolam eſſe viam in ſacris Litteris, quæ apud Sapientem, & Apoſtolum loc. cit. Ibi enim ex rerum creatarum pulchritudine: alibi vero aliis pluribus rationibus, & argumentis. De quibus vide quæ nos in ſumma tract. 2. Prop. 2. Ut autem quod una via, & ratione demonſtratur Deus in ſacris Litteris; non propterea excluditur alia via, & ratio demonſtrandi id ipſum; ita nec excluditur alius modus cognoſcendi. *Poſitive* non *excluſive* intelligenda ſunt iſta; ut ajunt Scholaſtici.

Ad tertium dicendum, nullum Scripturæ locum a nobis exponi, niſi ex mente Sanctorum Patrum: eorum ſcilicet, quos in ſacrarum Litterarum interpretatione nobis magiſtros, ac duces dedit Eccleſia, atque adeo Deus ipſe. (Trident. ſeſ. 4. decr. de edit. & uſu ſacr. Librorum, & in Profeſ. Fid.) Vel enim ſermo eſt de peculiaris alicujus loci expoſitione; vel generatim de hac omni ſententia noſtra.

Si primum; Pauli locus ex Epiſt. ad Rom. II. 14. 15. *Cum enim Gentes* &c. quo quidem maxime nitimur; quod a nobis ita explicetur, ut quæ nobis facienda, aut non facienda monſtrantur lege ſcripta; de iiſdem doceamur idem etiam lege naturæ; & uti eſt ſcriptum in tabulis, ita ferme ſit ſcriptum in cordibus; explicationis hujus plurimos Patres auctores ſequimur: quorum aliquos ſuo loco citavimus. Eorum teſtimonia reperies apud Pererium, Juſtinianum, Cornelium a Lapide, & alios plures in hunc Pauli locum: necnon apud Natalem Alex. hiſt. V. T. ætat. M. 4. diſ. 2. a. 1. Immo ipſa hæc expoſitio probatur etiam D. Thomæ, qui tametſi quod pertinet ad actionem, ſive executionem præceptorum, ſive ex toto, ſive etiam ex parte, ut ſalutaris ſit, & ſicut oportet, divinæ Gratiæ auxilio opus eſſe dicat, quod nos etiam ultro fatemur; tamen quod pertinet ad dictamen, ſeu præſcriptionem operum, a natura etiam id eſſe putat, ac docet in Comment. Epiſt. ad Rom. Lect. 3. §. 1. his verbis: *Naturaliter faciunt, quæ ſunt Legis, ideſt, quæ lex mandat, ſcilicet quantum ad præcepta moralia, quæ ſunt de dictamine rationis naturalis: ſicut & de Job dicitur* (Job. 1. 1.) *quod erat juſtus, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo &c.* Et paulo poſt hæc habet: *Vel poteſt dici naturaliter; ideſt per legem naturalem oſtendentem eis, quid ſit agendum; ſecundum illud Pſalm.* IV. 6. 7. *Multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt* &c. Idem 1. 2. q. 100. a 1. ita ſcribit: *neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diverſimode. Quædam enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturali cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda vel non facienda: ſicut, Honora patrem tuum, & matrem: &, Non occides; Non furtum facies, & hujuſmodi, ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis a ſapientibus judicantur eſſe obſervanda. Et iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplina, qua minores a ſapientioribus inſtruantur. Sicut illud* (Levit. XIX. 32.) *Coram cano capite conſurge; & Honora perſonam ſenis.* Hæc ipſiſſima habet Chryſoſtomus homil. 12. ad Popul. & alii Patres pro hac interpretatione citati. Tandem, ut alios mittam, interpretatio noſtra probatur etiam Scoto, cujus illa ſunt in 3. Sentent. diſt. XXXVII. q. unica ex Reſolut. *Lex naturæ eſt notitia de Deo, & Dei voluntate, quæ conditis nobis, menti noſtræ per Deum eſt indita.* Et additur: *De hac Apoſtolus* (ad Rom. II. 14. 15.) *Cum enim Gentes* &c Quare cum plures aliquando ſint in uno eodemque loco divinæ Scripturæ ſenſus etiam Litterales, ut oſtendi in Proleg. 1. qu. 6. ut aliæ aliorum explanationes hujus loci admittantur; hæc certe non videtur poſſe rejici.

Quod ſi non de uno aliquo Scripturæ loco ſit oppugnatio hæc; ſed generatim de tota aſſertione noſtra, & ſententia; minus eſt, quamobrem aut audaciæ notam, aut erroris periculum timeam. Tum quia S. Thomas, & Scotus etſi non a me prorſus, tamen nec contra me ſunt; ut ad 4. oſtendam. Tum quia, his etiam relictis, magiſtrum, ac ducem adeo nullum non ſequor; ut ab auctoritate vel ſola ſententiam hanc probari poſſe & certo, & luculenter, judicem. Et niſi hoc eſt a me factum, præſtari poſſe perquam commode ab aliis, qui hæc melius tractent. Mitto enim quod hanc ſententiam defendunt duo Sacrorum interpretum principes Alphonſus Toſtatus, & Nicolaus Liranus in Exod. v. 2. Item, quod ex Scholaſticis defendunt pariter Gulielmus Antiſiodor. Lib. I. cap 11. præfat. Albertus Magn. in Sum. tract. 3. q. 57. S. Bonaventura in 1. diſt. 8. art. 1. q. 2. AEgydius in 1. diſt. 3. q. 2. Argentina diſt. 3. q. 1. art. 3. ac præterea Paſqualigo, Palatius, Averſa, aliique plures, præſertim ex Noſtris, inter quos acutiſſimus Antonius Perez. His, inquam. omiſſis; hæc ipſa eſt ſententia, & doctrina duorum Theologiæ ſcholaſticæ parentum Joannis Damaſceni, & Anſelmi Cantuar. Ille enim Lib. I. de Fide cap. 1. §. 2. hæc habet: *Omnibus enim hominibus cognitio, quod Deus ſit, ab ipſo naturaliter inſita eſt, & ingenita. Sed & ipſa mundi creatura, ejuſque coaptatio pariter & gubernatio divinæ naturæ prædicant majeſtatem*. Quibus verbis duplicem Dei cognitionem manifeſte diſtinguit; innatam alteram, alteram vero ex rerum conditarum contingentia, pulchritudine, gubernatione acquiſitam. Anſelmus vero in Proſolog. cap. III. hoc Dei proprium eſſe demonſtrat, ut *eum non eſſe, cogitari non poſſit*. Quod quidem eorum eſt, quæ ſunt per ſe nota. Idemque contendit integro libro cont. Gaunilonem. Tandem, quod aſſeveranter, ac tuto affirmare mihi poſſe videor; hæc ipſa eſt ſententia omnium Patrum, qui rem hanc attigere. Quod aliis quoque, qui vel ſola illa Patrum teſtimonia, quæ in toto hoc articulo diverſa, & ſuis locis diſtributa exhibentur; ſimul contulerint, & attente, & nullo præjudicio, nulloque partium ſtudio perpenderint, viſum iri confido.

Eſt id adeo verum, ut quibuſdam ex adverſariis, qui viderunt iſta per ſe, imprudentibus credo, illud exciderit: Patres hac in re non eſſe audiendos; ea nimirum de cauſa, quod erant Platonici. Audiendi Patres non ſunt, ubi agitur de notitia Dei? Aut etiam in alia qualibet re, ubi inter ſe tantopere conſentiant? Legatur de hoc Melchior Canus Lib. VII. Fac, verum eſſe, quod dictitant iſti, Patres fuiſſe Platonicos: male concluditur: Patres hac in re ſequuti ſunt Platonem; de illa igitur non ſunt audiendi. Concludendum eſt ita: Patres hac in re ſequuti ſunt Platonem; ergo eadem ſaltem in re audiendus eſt Plato. Cæterum quamvis Patres aliquanto addictiores Platoni, quam Ariſtoteli fuerint, de quo late ſcripſi in Præfatione Platonis Chriſtiani; iidem tamen, non Platone, aut Ariſtotele, ſed Deo, & divina Scriptura duce, & magiſtra ſcripſerunt. Quoniam vero ex iiſdem Scripturæ fontibus etiam Plato hauſit; idcirco in ipſius, & Patrum ſcriptis aliqua non parum ſimilia reperiuntur. Sed & ejus etiam, quod ſcripſit Paulus ad Hebr. XI. 3. *aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*; & quod Joannes 1. 1. *In principio erat Verbum* &c. ſimile quidpiam in Platonis, & Platonicorum libris animadvertit Auguſtinus Lib. I. Retract. cap. III. num. 2. & Lib. VII. Conf. cap. IX n. 13. Expecto, ſi Ioanni, & Paulo aliquid propterea derogatum velint.

Ad quartum negandum primo ſive S. Thomam, ſive alios ab ipſo ea uſos ratione, qua Scripturam, aut Patres aliter explicare neceſſe ſit, quam verba præſeferunt. Tum quia de hac ipſa ratione magna eſt inter illos diſſenſio; tum quia, quod Deus, ſive Ens optimum, aut quo melius cogitari non poſſit, non intelligatur a nobis, niſi aliena ſpecie, & imagine; atque hæ omnes notiones ſint infinitæ; in quibus duobus ea tota ratio videtur eſſe poſita; non ita rem conficit, ut valde probabiliter ſolvi, & refelli nequeat. Cum illis etiam, Quodlibet eſt, vel non eſt; Bonum faciendum. & ſimilibus intellectus tum ſpeculativi, tum pratici, ut ipſi loquuntur, principiis omnino per ſe notis, ipſa eadem duo objici queant: & quod ſatis non eſt, ut

Digitized by Google

Deus quid ſit, notum dicatur; ſatis eſſe poſſit, ut dicatur notum, cum ſimpliciter eſſe. Quæ duo ex ſacra auctoritate initio diſtinximus.

Deinde eſto ea ratio omnino valida, atque efficax ſit: D. Thomas, & Scotus id unum tandem ea ratione contendunt: Deum exiſtere, ex ſolo terminorum, ut ipſi ajunt, objectu, perceptuque non eſſe evidens. Quod quidem præciſe ſumptum haud nego. Verum eſſe ajo intus in homine aliquid ab ipſa natura, quicquid illud ſit, de quo infra videbimus, quod in eo mentis conceptu, quo terminos illos extrinſecus propoſitos vel undecumque ſubeuntes animo apprehendimus & cogitamus, quicquid deeſt, ſi quid deeſt, quicquid requirunt, ac deſiderant iſti, ita ſuppleat; ut ſtatim vel facile, vel etiam neceſſario conſequatur mentis aſſenſio: ſitque propterea, Deum eſſe, ſimpliciter per ſe notum; & in quibus ea naturalis habitudo, propenſio, inclinatio, vel ut ſic loquar, determinatio judicii, vitio, aut caſu aliquo impedita non ſit, ſit etiam per ſe certum, atque evidens. Etenim cum ſacræ Litteræ partim clare, & expreſſe, partim adhibita Patrum interpretatione, teſtentur, ſignatum eſſe ſuper nos lumen divini vultus, quo homines omnes videant Deum: Homines ex ſe quoque ipſis ſibi eſſe legem; & quod eſt ſcriptum in tabulis, eſſe pariter ſcriptum in cordibus; ideoque ante omnia, Ego ſum Dominus Deus tuus, eſſe arcanum quendam, atque intimum in corde hominis divinitatis ſenſum, ac prope experientiam, eam fere, qua nos vivere, moveri, & eſſe, ex nobis ipſis exploratum habemus: cum lego apud Patres, alioſque Eccleſiæ Scriptores doctiſſimos, atque ſanctiſſimos, quorum teſtimonia partim ſupra retulimus, partim dabimus infra; cum, inquam, lego, bono naturæ omnibus hominibus inſitam, ingenitam, innatam, ineſſentiatam Dei notionem, ideam, notitiam; ne poſſit ulli penitus abſcondi, nullus permittatur eum ignorare; ut illum non agnoſcere ſtultitia ſit: cum pariter apud illos invenio, tam penitus inſitum homini, Deum eſſe, quam quod bonum eſt eſſe faciendum, ac reliqua moralis diſciplinæ principia, quorum notitia, propterea quod e natura eſt hominis, nobis etiam poſt Adæ peccatum relicta eſt; hoc primum eſſe Legem naturæ, notitiam de Deo; de ſe ipſo primum, ut par erat, nobis in corde ſcripſiſſe Deum digito ſuo: cum denique ab iiſdem audio, Deum eſſe interiorem hominibus, quam ſint homines ipſimet ſibi; illos nihil minus eum ſentire, minuſve experiri, quam ſe eſſe, & vivere, & intelligere; conſcientiam Dei eſſe bonum dotale Animæ datum a Deo, cum primo eſt corpori juncta: ſenſum eundem, eandemque experientiam, ac prope contactum divinorum cum audio etiam ex antiquis philoſophis; hæc omnia intelligere vel de ſola naturali facultate colligendi notitiam Dei ex rebus conditis; vel de inſita nobis curioſitate, & ſtudio inquirendi cauſam, ubi apparet effectus; vel generatim de aviditate ſciendi nobis pariter ingenita, de quibus interpretantur hæc adverſarii; ut moderate loquar, mihi videtur oppido parum. Cum præſertim Damaſcenus, & alii Patres non pauci ſatis aperte diſtinguant, immo & diſtinguant omnes, niſi ipſorum verbis vim facere volumus, inter eam Dei notitiam, quæ nobis eſt inſita, aut ex nobis ipſis exiſtit, atque effloreſcit per ſe; & illam, quam ex rebus creatis veſtigando, argumentandoque indipiſcimur.

Itaque alterutrum ſtatuendum, ac tenendum videtur; vel eſſe Deum per ſe proxime notum, atque evidentem ex terminis; vel ſi putamus, terminos illos non poſſe ita proponi, ac percipi, ut ſequatur inde ea mentis approbatio, & aſſertio, quæ in per ſe notis, atque evidentibus; ut eſt Animæ hominis peculiaris quædam neceſſitudo, & quaſi cognatio cum Deo; dicendum eſt erga illum ſive ex ſe ipſa, ſive ex aliquo ſuperaddito, eidemque penitus inſito, ita eſſe affectam, & comparatam, ut ei qualicumque cogitationi, ſeu mentis apprehenſioni vel repugnare, vel etiam dumtaxat non aſſentire non poſſit. Id quo Anima ita ſe habet ad Deum, aptiſſime Cicero in primo de natura deor. ex philoſophis multo antiquioribus vocavit, ac propemodum definivit, *anticipationem naturæ*; ſeu, *prævium naturæ judicium*. Cumque in eodem vis ſit inclinandi judicii tum ſpeculativi, tum practici, quæ vocant; convenientiſſime pari-

Digitized by Google

pariter iis appellatur nominibus, quæ lucem, vocemve naturæ ſignificent; prout Dei notio nobis propoſita extrinſecus, aut unde libet nobis veniens in mentem ſive ad contemplationem, ſive ad actionem; &, ut ex Scriptura, & Patribus principio loquutus ſum, ad mentis ſeu viſum, ſeu auditum pertineat. Namque ille divinitatis prope contactus, de quo non ſolum Patres, ſed veteres quoque philoſophi meminere, extra mentem ab ipſis ponitur; &, ut naturæ fines non ſuperat, in hac fortaſſe naturali habitudine Animæ erga ſuum & principium, & finem, dumtaxat conſiſtit.

Eo magis autem hæc omnis cogitatio, ac meditatio mea adverſariis etiam probanda videtur, quod Dei demonſtrationes, quas proferunt, tametſi multis, iiſque graviſſimis difficultatibus ex ſe minime carent, ut ex ipſis eorum ſcriptis apparet; propter hanc ipſam anticipationem, ac præjudicationem naturæ, & planiſſimæ poſſunt, & facillimæ dici. Accedit auctoritas S. Thomæ; qui quamvis neget, Deum eſſe per ſe evidentem ex terminis; hæc tamen momenta hominibus naturaliter indita, ad inclinanda hac præſertim in re ipſorum judicia, non negat: immo & approbat multis in locis. Sic enim Lex naturæ, qua ſententia noſtra maxime ſuſtinetur, apud ipſum definitur: *Lex naturalis, eſt participatio, & impreſſio legis æternæ in creatura rationali, qua inclinatur ad debitum actum, & finem*. Ita 1. 2. q. 91. art. 2. q. 96. art. 2. ad 3. q. 97. art. 1. ad 1. in 4. Sent. d. 33. q. 1. art. 1. &c. Quaſi dicat; lex eſt ex æterno exemplari tranſcripta in hominum cordibus; ut interiori inclinatione compenſetur defectus, ſi quis eſt, exterioris notitiæ. Definitio Scoti pariter quam nobis ſuffragetur, notari ſupra potuit.

Ad quintum dices, ſententiam noſtram, ut hactenus expoſita eſt, etiam ſine iſtiuſmodi innatis ideis poſſe defendi; nec incommode. Addo vero, & pro rei veritate; & ad pleniorem eorum, quæ huc ſpectant cognitionem, doctrinam, eruditionemque veſtram; & quia hoc pacto melius intelligitur, tum unde illa propenſio, inclinatioque judicii, de qua modo dicebam; tum eſſe in nobis, unde etiam naturaliter, ac per nos ipſos cogitare poſſimus (non loquor hic de cogitatione ſalutari) cogitare, inquam, poſſimus Ens neceſſario exiſtens, Ens optimum, Ens quo majus, aut melius cogitari nequit, ſine ulla externa propoſitione, & doctrina; quod quidem & velle Patres citatos, & argumenta ex Scriptura a nobis allata probare videntur; addo, inquam, & ſic ſtatuo; eſſe in homine innatam aliquam ſive ſpeciem, ſive ideam, ſive prænotionem, & ut loquitur Cicero loco ſup. cit. anteceptam animo informationem quandam veri, boni, pulchri, honeſti, juſti; recti, æqualis, & ſimilium, maxime autem Dei; ſive, ejus quod neceſſario ſit, quod optimum ſit, quo majus, aut melius cogitari non poſſit. Ajo vero ita innata eſſe homini iſta omnia; ut vel ſint aliquid ſuperadditum menti, & rationi, eique penitus inditum; vel ſint ipſa ſimplex hominis mens, & ratio, quæ cum ſit imago Verbi, ut ſæpe ait Auguſtinus, ac præſertim Lib. X. de Trinit. ex ſua propria natura non eſt tanquam tabula nuda, & raſa; ſed ſcripta, & impreſſa; ideoque ex ſe ipſa poteſt, eorum quæ dixi omnium vice, & munere fungi; vel denique verum ſit utrunque; hoc eſt, ideas, ſpecies, prænotionesve illas eſſe aliquid a mente, & ratione partim re ipſa, partim cogitatione ſola diſtinctum, & ſuperadjectum. Certa mihi pene videntur hæc teſtimonio Scripturæ: *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. (Rom. II. 15.) *Signatum eſt ſuper nos* &c. (Pſalm. IV. 7.) Multum profecto intereſt inter *ſcriptum*, & *ſignatum*, quod dicit Deus; & *non ſcriptum*, *raſumque*, quod dicit Ariſtoteles.

Confirmantur hæc aliis ſacrarum Litterarum teſtimoniis, exemploque, & ratione indidem ſumpta; ut ex Job. XXXVIII. 36. &c. & XXXIX. 17. &c. Quippe multarum rerum ideæ, ac ſpecies brutis quoque animalibus ingenitæ videntur eſſe; atque his conſentanea in eis etiam ſuo loco, & tempore exiſtere non quidem vera judicia, & dictamina, ut in homine; ſed quæ aliquam eorum ſimilitudinem ſuo in genere referant. Sic ovis, ſic columba lupum, & accipitrem, quos alias nunquam expertæ ſint, aut viderint,

Digitized by Google

rint, tantopere exhorreſcunt, ac fugiunt. Sic aliæ omnis generis animantes ſalubria, & quæ ſibi conveniunt a noxiis, contrariiſque, licet eis primo ſe offerant, a natura tamen intrinſecus edoctæ diſtingunt. Ajunt; naturæ inſtinctus, & pulſus hos eſſe; non quædam quaſi judicia, & dictata, ut ſpecie, & idea opus ſit. Ita quidem; inſtinctus hi ſunt, & pulſus naturæ; at non cæci prorſus: & ad vim cognoſcentem, atque æſtimantem, quæ in belluis, pro ipſarum captu, & modo, eſt pariter aliqua, pertinent. Neque illæ, quod neceſſitate faciunt, ſine ulla prorſus ullius generis cognitione continuo faciunt. Quare ipſa hæc *intelligentiam* vocat Deus in proxime notatis Jobi capitibus, atque etiam *ſapientiæ* nomine appellat. Nec vero dicas, iſtiuſmodi intelligentiæ, aut ſapientiæ, quæ ex innatis quibuſdam ideis, arcanoque naturæ magiſterio, tanta eſt in belluis, quantam hæc duo præſertim Jobi capita declarant; nihil eſſe in homine, aut certe non eſſe aliquid ex iis tribus, quæ disjunctim contendimus. Contrarium enim ibidem Deus aperte teſtatur his verbis: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* In humana autem ſapientia hoc primum eſt, noſſe Deum. Id ergo primum in viſceribus hominis poſuit Deus: hoc eſt, intime indidit: ſive, ut Paulus loquitur, *ſcripſit in cordibus*; & ut interpretatur Nyſſenus, *ineſſentiavit*. Locus Nyſſeni hic eſt, omnino ad rem præſentem ex orat. 6. de Beatit. *Is qui te formavit, tale bonum* (notitiam ſui) *ineſſentiavit, ſive conſubſtantiavit naturæ tuæ. Tui enim fabricationi, & conſtitutioni Deus ſuæ naturæ bonorum ideas, ſimilitudineſque, & quaſi incitamenta impreſſit, & informavit; veluti ceram quandam ſculptili figura præformans, & fingens.* Ut quocunque modo hæc intelligas, multum certe diſtet mens hominis a tabula raſa, de qua Ariſtoteles.

Fodem modo loquuntur alii Patres, ac veteres Eccleſiæ Scriprores. Juſtinus Mart. Apol. 2. *Dei appellatio*, inquit, *nomen non eſt, ſed rei inenarrabilis inſita naturæ hominum notio*. Tertullianus Lib. I. cont. Marcion. cap. 10. n. 61. *Animæ a primordio conſcientia Dei dos eſt*. Et Lib. de teſtim. Anim. n. 4. *te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, o Anima; qualem habent, qui te ſolam habent. Deum nominas Deum confiteris* &c. Clemens Alex. in Admon. ad Gent. *Erat*, inquit, *etiam in ethnicis, naturalis quædam, omnibus hominibus ingenerata, cum Cælo ſocietas; ignoratione quidem obſcurata: ſed quæ tamen repente ex tenebris exilit, & emicat*. Et Lib. V. Strom. *Nullus homo expers divinæ notionis*. Origenes Lib. IV. cont. Celſum: *divinis characteribus inſcriptum in hominum cordibus, eſſe Deum*. Adde locum ſup. cit. ex Lib. I. Euſebius Cæſar. Præp. Lib. II. cap. 5. *homines inditis a natura notionibus excitati Deum cogitarunt .... Eximium illud eſſe, ac ſalutare in primis, quod Dei nomen, eſſentiamque ſignificat, ipſius naturæ ductu, impreſſiſque animo per ſeſe notionibus nemo non intelligit*. Recole, quæ ... eodem ſupra deſcripſimus. Athanaſius orat. cont. Gent. n. 2. *Deus cum animam condidit, ei propiæ æternitatis cogitationem, & cognitionem impertivit* &c. & n. 8. *Anima Deum, ad cujus ſimilitudinem creata eſt, ſua facultate videt ... priſci inſipientes homines, ubi in carnis cupiditates, & fallaces illecebras demerſi ſunt, Dei notitiam oblivione deleverunt, obtuſa ratione, vel potius rationis expertes facti*. Lege & num. 30. Hilarius in Pſalm. 62. n. 3. *inſitum, impreſſumque omnibus, divinam ineſſe nobis animarum originem*. Et in Pſalm. 134. n. 3. *Per cognitionem nominis Dei ad ſcientiam ejus proficimus*. Adde locum ſup. cit. ex tract. in Pſalm. 52. n. 3. *Deum negare, corruptio naturæ eſt*. Baſilius Lib. I. adv. Eunom. n. 12. *Dei notio communis omnibus hominibus, Deum eſſe, non quid ſit, nos edocet*. Et Epiſt. 234. n. 2. *Menti præcipuum, & primarium bonum datum eſt notitia Dei*. Gregorius Naz. ort. 24. *Ac de Patre quidem quid dicere neceſſe eſt, cui uno conſenſu omnes, naturalibus animi notionibus anticipati, parcunt?* Hoc eſt, eum eſſe non negant. Hieronymus Lib. I. in Ep. ad Gal. ſ. 9. *Ex quo perſpicuum fit*, inquit, *natura omnibus ineſſe Dei notitiam*. Chryſoſtomus homi. 12. & 13. ad Popul. multa eſſe dicit *naturaliter inſita in hominum mentibus, & ante etiam quam diſcantur, omnibus nota*: nec ſolum quæ pri-

ma

ma in lege naturæ: ſed illa etiam: *Honora patrem, & matrem*; *Non occides*; *Non mœchaberis*; *Non furtum facies* &c. Quod ipſum dicit Auguſtinus in Pſalm. 57. n. 1. in Pſalm. 118. ſerm. 25. n. 4. Lib. XII. cont. Fauſtum cap. 14. &c. aliique Patres pro ſecundo notitiæ genere ſup. cit. Horum ſimile, quod idem Auguſtinus in Lib. de util. cred. cap. 16. n. 34. ait: *Sin vero & ſpecies rerum omnium, quam profecto ex aliquo veriſſimæ pulchritudinis fonte manare credendum eſt; & interior neſcio quæ conſcientia Deum quærendum, Deoque ſerviendum ... hortatur*. Hic pariter & notitia Dei acquiſita, & inſita: Atque hujus ſimile eſt quod ſcribit in Pſalm. 4. n. 5. hominis mentem eſſe, *tanquam denarium ſignatum regis imagine*. Sed & alia plurima Animæ *inſita*, *impreſſa*, *inſculpta* eſſe ait: ut notionem beatitudinis, ſapientiæ, veritatis, & ſimilium Lib. IV. Conf. cap. 12. n. 18. Lib. VI. cap. 1. n. 1. Lib. X. cap. 20. n. 29. 30. &c. cap. 23. n. 33. Lib. II. de Lib. Arb. cap. 9. n. 27. Epiſt. 118. cap. 4. n. 27. 28. &c. Lib. IV. de Trinit. cap. 1. n. 2. 3. &c. Item notionem pulchri, juſti &c. Confeſ. Lib. VII. cap. 4. n. 6. in Pſalm. 41. n. 7. &c. Epiſt. 120. cap. 2. n. 9. 10. &c. Lib. VIII. de Trin. cap. 3. n. 4. Lib. I. de Ordin. cap. 8. n. 25. &c. Item notionem Similis, Æqualis, Numerorum &c. Lib. I. Retract. cap. 11. n. 2. Lib. II. de Ord. cap. 19. n. 49. &c. Lib. II. con. Acad. cap. 3. n. 9. de Muſica Lib. VI. cap. 4. n. 7. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 13. &c. Lib. II. de Lib. Arb. cap. 8. n. 21. Denique notionem Animæ ipſius Lib. I. Retract. cap. 8. n. 2. Lib. IX. de Trinit. cap. 5. & 6. Lib. X. cap. 3. n. 5. 6. &c. cap. 9. n. 12. 13. &c. Lib. XIII. cap. 4. n. 7. &c.

His adde, quod Auguſtinus in Lib. de Quant. Anim. cap. 20. n. 34. & aliis pluribus in locis amplexus eſt, & quoad rem noſtram omnino retinuit Lib. I. Retract. cap. 8. n. 2. Reminiſcentiam, non quidem Platonicam, ſed Chriſtianam. Etenim cum ipſe, tum alii plurimi Patres docent, adhuc manere, & extare in hominum mentibus reliquias aliquas ejus primigeniæ ſortis, & felicitatis, unde primorum Parentum culpa excidimus. Quæ quidem bona ſunt naturæ; nam gratiæ donis omnino expoliati, nudique naſcimur. Atque hoc ſignificavit Origenes verbis multo ante citatis: *inſitum eſſe hominibus Dei ſenſum, quemadmodum moralis diſciplinæ reliquias*. Cujus ſimilia ſcripſerunt alii ante, & poſt Auguſtinum, præſertim in illud Pſalm. xxI. 28. *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum*. Atque inter hos Cyrillus Alex. Lib. I. in Joan. cap. 9. Gregorius Magn. Lib. II. homil. 5. in Ezech. n. 9. & in Pſalm. 5. Pœnit. n. 7. ad illud ver. 5. *oblitus ſum comedere panem meum*. Bernardus Lib. I. de Conſid. cap. 1. n. 1. Quanquam Bernardus nihil horum videatur re ipſa diſtinctum ponere ab anima: quæ cum natura ſua ſit *ad imaginem Dei*; ac mente, ſive intelligendi vi, divini Verbi aliquam ſimilitudinem referat; Juſtitiæ, Sapientiæ, Veritati, & ſimilibus cognoſcendis, ſibi ipſi idea, ac ſpecies, & omnino quicquid requiritur, eſſe poteſt. Nec omnino contradicit Auguſtinus; qui Lib. X. de Trinit. cap. 5. n. 7. 8. &c. propterea monet aliud eſſe ſcire, & cognoſcere; aliud vero cogitare. Animam ex ſe, ſuaque natura, & habitudine multa ſcire, & cognoſcere; non illico autem eadem & cogitare.

Verum ſive hæ ideæ, intelligentiæ, aut imagines ſint aliud ab anima, ac mente, & ratione; ſive ſint ipſa mens, & ratio, ex ſuapte natura, & conditione ita ſignata, inſcripta, impreſſa; ſeu denique hujus utriuſque modi, ac generis ſint; omnino falſum videtur, eas nullo modo ſignificari in Sacris Litteris, & commentum eſſe Platonicum. Nec niſi admodum reſtricte, circumſcripteque ea videntur eſſe concedenda; Nihil eſſe in intellectu, quin fuerit in ſenſu prius; tanquam tabulam raſam eſſe hominis mentem. Niſi forte Verbum divinum, quod eſt maxime repræſentans; & Patris perfectiſſima imago, idemque rerum conditarum exemplar perfectiſſimum, quia hæc habet, non ex aliquo ſuperindito, ſed ex ſuo proprio charactere, atque indole; idcirco tabulæ compares, in qua ſcriptum non ſit. Quod dictu, cogitatuque abſurdum, atque abſonum foret.

Ad ſextum, quod modo dicebam de ideis innatis, quales a me ſunt expoſitæ, idem dicendum de arcano iſto animi ſenſu:

ſu. Nempe de hoc pariter in ſacris Libris eſſe mentionem. Nec loco tantum ſupra allato ex Act. Apoſt. Etenim quod eſt Luc. XVII. 21. *Regnum Dei intra vos eſt*; & quod Iſa. XLVI. 8. *redite prævaricatores ad cor*; & pariter quod Pſalm. LXIII. 7. *Accedet homo ad cor altum*; hæc, inquam, & alia horum ſimilia non myſtici ſolum Doctores, ſed multi etiam ex Patribus ita interpretantur, ut dicant, eſſe ultra mentem arcanum quendam animi ſenſum, quo Deus neutro ex duobus prioribus modis percipitur, hoc eſt neque mentis viſu, neque mentis auditu; ſed, uti ſupra dicebam, quodammodo tangitur, & attrectatur. Ut ſit eadem ſecuritas, quæ in rebus ex ſe, aut ex alio omnino certis, ant etiam evindentibus; non autem eadem prorſus ſecuritatis ratio, & modus. Porro hanc Dei perceptionem eſſe aliam docent ex gratia, aliam vero ex natura. Gratiæ eſt, & magnæ quidem, & extraordinariæ, quod in rerum divinarum contemplatione interdum experti ſunt ſancti homines, ut Deum ſibi præſentem ita perſentirent, ut plane tenerent; & prope contingerent: nec certius haberent, ſe eſſe, & vivere; quam eſſe Deum, & ipſis præſentiſſimum eſſe. Ex his Bernardus, utique quod erat expertus, Serm. 31. in Cant. n. 6. ita deſcripſit: *Interdum quoque, licet raro ... præſto habet anima, quem deſiderat, non figuratum, ſed infuſum; non apparentem, ſed afficientem: nec dubium, quin eo jucundiorem, quo intus, non foris. Verbum nempe eſt non ſonans, ſed penetrans; non loquax, ſed efficax; non obſtrepens auribus, ſed affectibus blandiens. Facies eſt non formata, ſed formans; non perſtrigens oculos corporis, ſed faciem cordis lætificans: grata quippe amoris munere, non colore*. Scilicet ut iſta perceptio, non auditui, aut viſui; ſed tactui, atque complexui ſimilis ſit. Sic vero, ut non amor dumtaxat hic ſit, ſed etiam notitia, & quidam veluti ſenſus. Quod ipſe clarius expreſſit Serm. 5. in Cant. n. 8. *Nullus* inquit, *Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis eſt* &c. *Sequeſtretur proinde prærogativa hæc ſummo, ac incircumſcripto Spiritui, qui ſolus per ſe infunditur, per ſe innoteſcit*. Hæc nimirum eſt ea myſtica unio, quæ pariter non ad affectum modo, ſed etiam ad ſenſum animi pertinet; quæque, ut ait Dionyſius cap. 1. de div. Nom. §. 1. *eſt ſupra omnem & ratiocinationem, & intellectionem*. Hæc item ſaltem ex parte eſt myſtica illa caligo, qua, ut ait idem cap. 1. de myſt. Theol. §. 3. *nihil cognoſcendo*; ſeu nihil videndo, *ſupra mentem cognoſcimus*. Hæc tandem, ut idem loquitur cap. II. de div. Nom. §. 1. & 2. eſt *divinum illud ſilentium, atque inſonantia, quæ in eorum, quæ menti ſupereminent*, non tam auditu, quam *contactu poſita eſt*. Legantur præterea ex Patribus Origenes homil. 1. in Cant. ſuper illud 1. Joan. I. 1. *manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ*. Gregorius Nyſ. homil. 6. in Cant. III. 4. *tenui eum, nec dimittam*. Lib. I. de vit. Moyſ. orat. 6. de beat. Auctor Comment. in Cant. collecti ex ſcriptis Ambroſii cap. 3. n. 17. Auguſtinus Conf. Lib. X. cap. 27. n. 38. in Pſalm. 141. n. 3. Theodoretus in Cant. III. 4. Maximus in ſchol. ad cap. 2. de div. Nom. §. 5. & ad alia loca ſup. cit. ex Dionyſio. Ex Myſticis vero Hugo Victor. Lib. VI. in cap. 7. Cæl. Hierar. Richardus Vict. cap. 5. in Cant. Henricus Suſo dial. de Verit. cap. 8. & 9. & in Append. cap. 20. Joannes Taulerus ſerm. 3. 4. & 5. in Fer. Paſch. ſerm. 3. Dominic. 3. poſt Feſtum Trinit. & alibi paſſim, Joannes Rusbrochius de ſeptem Amor. grad. cap. 14. Lib. II. ſpirit. Nupt. cap. 3. 8. 52. 54. 59. &c. D. Laurentius Juſtinianus de caſto Connub. Verbi, & Animæ cap. 13. 14. &c. Dionyſius Carthuſian. Lib. II. de vit. Solit. cap. 8. 9. &c. Ludovicus Bloſius Inſtit. ſpiritual. cap. 12. §. 2. 3. 4. S. Thereſia Manſ. 5. cap. 1. §. 6. Manſ. 6. cap. 8. §. 1. Manſ. 7. cap. 1. §. 6. &c. S. Joannes a Cruce Noct. obſcur. Lib. II. cap. 16. Exercit. amor. ſtroph. 1. ver. 1. & Flam. viv. amor. ſtroph. 1. ver. 3. Ludovicus a Ponte tract. 3. de Contempl. cap. 10. §. 1. Lib. IV. in Cant. exhort. 40. §. 3. & Lib. VI. exhort. 7. §. 3. & 4. &c. Hæc Gratiæ dono.

Bono autem naturæ ineſt homini ea propenſio, inclinatioque judicii erga Ens optimum, erga ſummam, præſtantiſſimamque Naturam, de qua dixi in confutatione oppugnationis quartæ. Ineſt pariter homini ea Dei conſcientia, is Dei

ſenſus, ac pene experientia, pro qua teſtes citavi Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, & alios plures ad illud Apoſtoli Act. XVII. 28. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Quæ omnia quidam ſunt quaſi contactus divinitatis, & ad ipſum illum arcanum animi ſenſum referri poſſe videntur, quem *cordis ſecretum*, quem *animæ fundum*, ſive *apicem* Myſtici nuncupant. Horum autem eſt illa ratio: quia intimus is cordis ſenſus, & vis animi arcana, cum ſit e natura hominis, quamvis ſupra naturæ fines, ut cæteræ animi ejuſdem facultates evehi poſſit a Deo; tamen intra eoſdem quoque fines habere poſſe debet exercitationem, atque actum ſuum; & niſi quo vitio impediatur, quo minus ſe exerat, habet. Quare tametſi de hoc divinitatis ſenſu, experientia, & quaſi tactione multa, & recondita doceant rerum myſticarum magiſtri; tamen profanis etiam Scriptoribus, ipſiſque adeo antiquis philoſophis cognita fuit. Jamblichus in Lib. de myſteriis, quo Aſſyriorum, atque Ægyptiorum doctrinam complexus eſt, hæc habet cap. 1. *Ante omnem rationis uſum ineſt naturaliter inſita deorum notio: immo tactus quidam divinitatis melior, quam notitia; ex quo incitatur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio atque judicium*. Tum cognitionem hanc vocat *eſſentialem*; quia anima per ſe ipſam Deum attingit. Et iterum monet, *non eſſe re vera cognitionem hanc; in cognitione enim, ait, eſt alteritas; ſed eſt contactus quidam eſſentialis, ac ſimplex. Non enim poſſumus attingere Unitatem ipſam, niſi unitiſſimo quodam, & unitate mentis, quæ ſuper animæ, mentiſque proprietatem extat ... Eſſe animæ eſt quoddam intelligere Deum, unde dependet. Ab hoc autem eſſe derivantur potentiæ animæ diſcurrentes*. Horum ſimilia plura invenies apud Platonem in Parmenide, in primo de Legibus, ac ſexto de Repub. apud Proclum theol. Platon. Lib. I. cap. 3. & 25. Lib. II. cap. 4. Lib. 4. cap. 10. apud Plotinum Enn. 3. Lib. V. cap. 1. Enn. 5. Lib. III. cap. 14. Enn. 6. Lib. VII. cap. 36. Lib. IX cap. 4 7. 8. 34. 35. &c. & aliis pluribus in locis: quibus docet, Deum, in quem intelligendi, & volendi facultates, tanquam verum, & bonum feruntur; hac ſuprema animi parte, tanquam unum teneri, aut attingi; & attingi quidem nullo medio, ac ſemper; quanquam id ipſum non ſemper, imo ab aliquibus raro advertatur, & cogitetur. Quæ quam non ſit commentitia, & futilia, nec longe aberrent a vero, diſces ex Myſticis proxime citatis; qui, ut oſtendi in proœmio Centropanti, in hoc quaſi vertice animi peculiarem quandam divinæ Unitatis ſimilitudinem videntur agnoſcere.

Jam vero diſputationis hujus, quæ quod mihi erat cordi maxime, aliquanto eſt a me tractata copioſius, quam inſtituti Operis ratio poſtulet; ea ſit tandem concluſio: His omnibus Scripturæ locis, & Patrum interpretationibus, quæ ſive in Reſponſione, ſive in Confutatione partim produxi, partim notavi, per quam probabiliter confici, Deum eſſe abſolute, & ſimpliciter per ſe notum. In quibus autem ea vis animi triplex, quam dixi, & analogia trium corporis ſenſuum expoſui, non ſolum depravata non ſit; ſed a probitate, a doctrina, a ſua propria habitudine, intra naturæ ordinem, plus quam mediocriter valeat; iis eſſe Deum per ſe evidentem; aut ſaltem per ſe certum: nimirum tanquam rem aliquam, quam cernere, & contrectare tibi videaris; ſic vero exaudias, ut de illa, vel ex ſolo auditu; vel ex auditu ſimul & ea qualicunque duorum reliquorum ſenſuum conſenſione, nonniſi imprudenter, ac ſtulte addubitare poſſis.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO II.

Utrum quæ duo ſunt in ſacris Litteris primaria Dei Nomina יהוה Jehova, *&* אהיה Eheje, *vim definitionis habeant; ex qua aliquanto facilius, & clarius, quam ex iis, quæ circumferuntur in Schola, perfectiones divinæ colligi, atque explicari poſſint.*

NOn videtur. Primo, quia Dei nomina affirmantia, quæ ſunt in ſacris Litteris, notioneſque illæ, quæ inde ducuntur, ut docet Dionyſius Areopagita de div. Nom. cap. 1. §. 4. & cap. 5. §. 1. 2. &c. & alii Patres, Græci præſertim, quos videre poteris apud Joannem Sapientem, cognomento Cypariſſiotum dec. 4. & 5. non Deum ipſum attingunt, aut ſignant directe, & proxime, ſed externas Dei *progreſſiones*, *emanationes*, *habitudines* &c. ut iidem loquuntur, ad terminos extra poſitos, quæ creatum aliquid ſunt. Nimirum ex illo Judic. XIII. 18. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* & ex illo Prov. XXX. 4. *Quod nomen eſt ejus, & quod nomen Filii ejus, ſi noſti?* Quare Joannes Harduinus in Opere poſthumo, quod editum eſt Amſtelodami an. 1733. diſſert. de Atheis detectis, ne iſtas quidem Dei notiones, *Infinitum*; vel, *Ens infinite perfectum*, ab atheiſmi nota penitus eximit. Denique cavendum maxime illis, qui Dei naturam per notiones mere affirmantes definire, aut tantum deſcribere velint; ne ipſam non ſatis ſejungant, ac ſegregent a rebus creatis, videanturque aſſentire Almerico, qui damnatus eſt ab Innocentio III. cap. *Damnamus* &c. de ſumm. Trinit. propterea quod, ut perhibet Turrecremata Lib. IV. Sum. cap. 35. omnia unum eſſe doceret, & ejuſdem prorſus naturæ. Cujus aliquid ſimile de Joanne Hus traditur, & damnatur in Concilio Conſt. Seſ. 15. Atque hic error inſtauratus eſt a Benedicto Spinoſa in ſuo impio, & exitiali Syſtemate; cujus hæc eſt propoſ. 15. *Deus eſt unica, & omni ſubſtantia, extra quam nihil dari poteſt ideoque formaliter Deus omnia continet*. Quibus autem hæc ſatis caventur, videndum, ne in contrariam partem offendant; qui error Platonicorum dici poteſt; quorum hæc dicta ſunt; res creatas, *entis umbram, atque opinionem eſſe; ens eſſe imitatione, & ſimilitudine aliqua, non re & veritate*. Ita Philo Lib. de Somn. & tract. de deterior. invaſ. in id quod melius eſt; & Plato ipſe in Tim. & in ſexto de Repub.

Secundo, quia etiamſi tuta via ſit, exitus tamen, qui ſperantur, & promittuntur, habere non poteſt. Nam, quod attinet ad nomen *Jehova*, ejus non ſolum pronunciatio, ſed etiam ſignificatio ignoratur; ac de utroque magna eſt inter Eruditos diſſenſio. Nec deſunt, qui idem, ac nomen *Eheje* eſſe velint; ut Cornelius a Lapide, & Malvenda in Exod. VI. 3. immo idem quoque, ac nomen *Jeſus*, ut Oſiander in Harm. Evang. & alii ex Juſtino cont. Tryph. Dictum de hoc nomine Exod. VI. 3. *Et nomen meum* יהוה *Adonai non indicavi eis*. Quod vero ſpectat ad nomen *Eheje*, quod apud Hebræos eſt *Ero*; & a vulgato Interprete redditur, *Qui eſt*; hujus pariter multæ ſunt & inter ſe valde diverſæ Patrum, & ſacrorum Interpretum explicationes. Aliis enim *Eheje*, eſt *ipſum Eſſe*, ſive, *Exiſtere*; ut Philoni in hunc Exodi locum, Athanaſio orat. cont. Idol. n. 15. Baſilio adver. Eunom. Lib. IV. cap. 1. n. 2. & cap. 2. n. 2. Epiphanio Hær. 69. n. 70. Auguſtino ſerm. 2. in Pſalm. 101. n. 10. Hieronymo Lib. II. in Epiſt. ad Eph. cap. 3. §. 7. R. Moyſi Majem. Lib. I. More Nevoch. cap. 63. Aliis eſt, *Ens a ſe*; ut Origeni homil. unic. in Lib. Reg. & Cyrillo Alex. in Joann. VIII. 20. Aliis eſt, *Ens æternum*; ſive *Eternitas ipſa*; ut Hilario Lib. I. de Trin. n. 5. Baſilio Lib. II. adv. Eunom. n. 14. & 18.

Digitized by Google

Ambroſio Lib. V. de Fid. cap. 1. n. 26. Gregorio Naz. orat. 38. Chryſoſtomo ſerm. de Nativ. Hieronymo Epiſt. 136. Boethio Lib. V. de Conſol. proſ. 6. Aliis eſt, *Ens immutabile*; ut Auguſtino Lib. VII. Conf. cap. 11. n. 17. tract. 38. in Joan. n. 10. in Pſalm. 134. n. 4. & alibi paſſim: itemque Gregorio Magn. Lib. XVIII. Moral. cap. 50. n. 82. Anſelmo Proſol. cap. 22. & Medit. 1. n. 3. ac Medit. 19. n. 3. Bernardo ſerm. 31. in Cant. n. 1. Aliis eſt, *Ipſa Veritas per ſe ſubſiſtens*; ut Dionyſio Areop. de div. Nom. cap. 8. ſ. 6. Baſilio Lib. II. adver. Eunom. n. 14. & 18. Gregorio Nyſ. Lib. I. de vita Moyſ. Chryſoſtomo in Pſalm. 24. Auguſtino Lib. VII. Confeſ. cap. 10. n. 16. tract. 38. in Joan. n. 10. Auctori Libri de Cognit. veræ vitæ apud Auguſtinum cap. 7. Anſelmo Monol. cap. 8. & 31. Proſol. cap. 14. Dial. de Verit. cap. 7. 10. & ult. Aliis eſt, *Ens ſimpliciſſimum*; *quod quidquid habet, illud eſt*; ſive, *Actus purus*; *puriſſimus*, *ſimplex*; *ſimplicitas mera*; ut Auctori quæſtionum ad Orth. apud Juſtinum q. 50. Athanaſio loco ſup. cit. Mario Victor. Lib. I. adver. Arium, Baſilio adv. Eunom. n. 11. Auguſtino Lib. V. de Trin. cap. 2. n. 3. Cyrillo Alex. Lib. I. dialogor. Ruperto Lib. I. in Exod. cap. 14. Bernardo Lib. V. de Conſid. cap. 6. n. 13. Serm. 80. in Cant. n. 5. Aliis denique eſt, *Ens ſimpliciter infinitum*; ſeu, *fruens perfectione omni ſimpliciter ſimplici*; *quo majus cogitari non poteſt* &c. ut Philoni in comment. de Nomin. mutat. Dionyſio Areop. cap. 5. de div. Nom. ſ. 4. & 6. & cap. 10. ſ. 2. Gregorio Naz. orat. 36. Gregorio Nyſ. Lib. I. de vita Moyſ. Ambroſio Lib. V. de Fid. cap. 1. n. 26. & Epiſt. 8. 1. Claſ. ad Juſtum n. 8. Auguſtino Lib. I. Conf. cap. 6. n. 10. Lib. I. de doctr. Chriſt. cap. 6. & 7. n. 6. & 7. tract. 1. Joan. n. 8. Joanni Damaſc. Lib. I. de Fide cap. 9. ſ. 2. Anſelmo Monol. cap. 28. 31. & 33. & Proſol. ca. 15. Bernardo Lib. V. de Conſid. cap. 6. n. 13. cap. 7. n. 16. & cap. 11. n. 24. Epiſt. 91. n. 1. Ex his divini hujus Nominis interpretationibus præterquamquod eſt incertum, quæ ſit præferenda, & tenenda, cum magnis auctoribus commendent ſe omnes; cum ſint præterea tam multæ, & variæ, ex hoc Dei nomine, & Scripturæ loco aliquid novæ lucis afferre, ad illuſtrandam hanc rei theologicæ partem difficillimum eſt. Quod tamen & polliceri hujus Articuli titulus, & totius Biblicæ Summæ in reliquis omnibus, pro re illa, quæ in quoque diſputabitur, videtur eſſe propoſitum.

Tertio, quia etiamſi meditando, & commentando, ex his duobus Dei nominibus extundi poſſit aliquid novi, ac certi, vel ſaltem valde probabilis; id tandem nil aliud erit, quam novus quidam Entis conſpectus; quoniam ex radice היה *haja* ducta ſunt ambo: quæ radix eſt verbi ſubſtantivi, εἰμί, vel ὑπάρχω, Græcis; *Sum*, Latinis. In definitione autem, ſeu deſcriptione ſummæ Naturæ ſumma pariter intelligendi vis, aut actus elucere potiſſimum debet; cum ſit hæc perfectio ſumma; & in definitione hominis, qui factus eſt ad imaginem Dei, exprimatur ratio; uti pariter mens, aut intelligentia in definitione Angeli, qui ad Dei ſimilitudinem aliquanto propius accedit. Dei notionem hujuſmodi, duce Scoto, tuentur, ac propugnant Doctores ſcholaſtici multi, ac nobiles: eaque videntur explicari commodius, quæ de Dei Æternitate, Immenſitate, Simplicitate, & ſacra auctoritas, & ratio theologica docent: nedum quæ pertinent ad Dei Scientiam, & Voluntatem.

Sed Contra eſt auctoritas omnium Sanctorum Patrum, etiam Græcorum, ut paulo poſt planum faciam, & ſacrorum omnium Interpretum, qui primum Dei nomen adeo ſacroſanctum fuiſſe Judæis, idemque ineffabile propterea exiſtimant, quod in eo eſſet peculiaris aliqua ſignificatio divinæ Naturæ. De quo vide Cornelium a Lapide, & alios in Exod. VI. 3. De altero vero, Deum ipſum voluiſſe ſentiunt, ab omnibus rebus creatis eo nomine ſeſe diſtinguere. De quo ſatis eſt ea loca legere, quæ in ſecunda oppugnatione indicantur.

Reſpondeo, hac in re id eſſe divinæ Scripturæ Syſtema, ita cogitandum, ac loquendum de Deo, ut quoad ejus fieri poteſt, nihil ſit, quo ipſi cum rebus creatis convenire videatur. Itaque quando eas quoquomodo confert cum Deo: ſi nomina, notioneſque affirmantes de illis uſur-

uſurpat, etiamſi hæ nihil inſynceri, atque imperfecti præſeferant, ut cum eas & eſſe dicit, & bonas, & pulchras appellat, iiſdemque & vitam, & intelligentiam, & horum ſimilia tribuit; hæc ipſa removet a Deo, eumque ab omni, quod Deus non eſt, aut negationibus, aut ſuperlationibus ſeparat. Hujus generis ſunt, quæ in oppugnatione citantur: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? Quod nomen eſt ejus, & quod nomen Filii ejus, ſi noſti?* Item quæ Iſa. XLV. 15. LV. 9. Pſalm. XVII. 12. I. Cor. II. 9. II. Cor. XII. 4. Eph. I. 19. 21. &c. Ex quibus Dionyſius Areop. cap. I. de div. Nom. §. I. hæc ſcripſit de Deo: *ſupra ſubſtantias eſt illa ſupraſubſtantialis infinitas ... intelligentia; & nomine carens, nullius rei ſimilitudinem habens: quæ quidem cauſa eſt, ut omnia ſint, ipſa vero non eſt, utpote quæ poſita eſt extra omnia, quæ ſunt.* Et cap. 5. de myſt. Theol. de Deo pariter; *neque habet potentiam,* inquit, *nec eſt potentia; neque vivit, neque vita eſt; neque ſubſtantia, neque ſapientia, nec unum, nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, neque ſpiritus eſt.* Nempe, ut in rebus ab illo conditis reperiuntur hæc, & indidem intelliguntur a nobis: quemadmodum Dionyſii interpretes, & ipſe etiam aperte declarat. Quare familiares Dioniſio ſunt formulæ illæ; *ſupraquam vivens, ſupraquam bonus, ſupraquam ens,* & alia iſtiuſmodi ſuperlata, quæ ad primum hunc de Deo cogitandi, ac loquendi modum pertinent.

Contrario autem ubi Scriptura de Deo affirmate loquitur, negantia, aut prorſus diminuta enunciat de rebus conditis: ut nihilo magis inter utrumque conveniat, ſed tantumdem diſtet. Secundi hujus generis ſunt ea duo Nomina Dei, de quibus hæc diſputatio; immo & alia fere omnia, quorum meminit Hieronymus epiſt. 136. ad Marcel. Præterea illud Jobi de Deo XXIII. 13. *Ipſe enim ſolus eſt:* & illud Annæ I. Reg. II. 2. *neque enim eſt alius, extra te.* Tum quæ Iſa. XL. 17. *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Et Dan. IV. 32. *omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt.* Et Pſ. XXXVII. 6. 7. *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te ... in imagine pertranſit.* Ex quibus Auguſt. in Pſalm. 134. n. 4. eam loquendi formam, & quaſi canonem ſanxit: *Ita Deus eſt, ut in ejus comparatione ea, quæ facta ſunt, non ſint: Illi non comparata, ſunt; quoniam ab illo ſunt: Illi autem comparata, non ſunt; quia verum eſſe, incommutabile eſſe eſt, quod Ille ſolus eſt: eſt enim Eſt.* Et ſimiliter Conf. lib. VII. cap. 11. num. 17. in Pſalm. 38. n. 22. Tract. 38. in Joan. num. 10. Serm. 7. num. 7. Tum apud Auguſtinum Auctor Libri de cognit. veræ vitæ cap. VII. *Hic ſolus vere eſt; & ideo Veritas eſt.... Creatura autem ei collata, quaſi non eſt. & idcirco quaſi falſitas ad Veritatem eſt.* Nec minus luculenter Anſelmus Monolog. cap. XXVIII. *Videtur,* inquit, *conſequi ex præcedentibus, quod iſte Spiritus, qui ſic ſuo quodam mirabiliter ſingulari, & ſingulariter mirabili modo eſt, quadam ratione ſolus ſit: alia vero, quæcumque videntur eſſe, huic collata, non ſint.* Et cap. 31. *quemadmodum in vivo homine veritas hominis eſſe dicitur; in picto vero ſimilitudo; ſic exiſtendi veritas intelligatur in Verbo, cujus eſſentia ſic ſumme eſt, ut quodammodo illa ſola ſit; in his vero, quæ in ejus comparatione quodammodo non ſunt ... non ſimplicem, abſolutamque eſſentiam; ſed veræ illius eſſentiæ vix aliquam imitationem.* Quæ ipſa pariter ſcribit cap. 33. & 34. item Proſol. cap. 22. & Medit. 1. num. 3. Medit. 19. num. 3. & homil. 3. in Matth. §. 6. Atque ut hi tres, ita ſcribunt Patres cæteri omnes; quorum indicem texui, & loca plurima exſcripſi in D. Gregorio Nazianzeno qui eſt Platonis Chriſtiani dialogus, diſp. 1. & in D. Bernardo, qui eſt ejuſdem Operis dialogus alius, diſp. 4. Ex quibus apparet, eos minus recte cogitare, & loqui de Deo, qui nomen *entis,* & *ſubſtantiæ* inter univoca cenſent, iiſque Deum plane confundi exiſtimant cum rebus creatis. Nam quoniam hæc duo ſermonis, & ut ita dicam theologiæ genera, negans, & affirmans, divinis uſurpata Litteris, & apud Patres uſitatiſſima, inter ſe contraria eſſe non poſſunt; ut ſive a Deo, ſive a rebus creatis amoveatur per negationes illud ipſum, quod per affirmationes aſtruitur; quemadmodum, *non ens, non vivens, non intelligens,* de Deo, creatiſque rebus diverſo plane ſignificatu, intellectu-

que

Digitized by Google

que dicuntur; ſic pariter, *ens vivens*, *intelligens*, ac reliqua ajentia, alia prorſus ratione, & notione de utriſque enunciari, neceſse eſt. Quod expreſſe monuit Anſelmus Monol. cap. 26. *Summæ ſubſtantiæ*, inquit, *ſi quando eſt cum aliis nominis alicujus communio, valde procul dubio intelligenda eſt diverſa ſignificatio*. Et cap. 65. *Sic eſt ſumma Eſſentia ſupra, & extra omnem aliam naturam, ut, ſi quando de illa dicitur aliquid verbis, quæ communia ſunt aliis naturis, ſenſus nullatenus ſit communis*. His expoſitis.

Ajo, Theologiam affirmantem ſequentibus, quod maxime Scholaſtici faciunt, eam divinæ Naturæ notionem; ſeu deſcriptionem cæteris omnibus eſſe anteferendam, quæ in horum duorum Dei Nominum explicatione, quam mox afferam, poſita eſt. Etenim ut fert communis ſacrorum fere omnium Interpretum ſententia, duo illa Nomina Dei radicem habent vel prorſus eandem, vel ejuſdem ſignificationis: ut הוה *hava*, & היה *haja*; *Fuit*, *Extitit* &c. Atque hoc tantum inter utrumque intereſt, quod primum ſignificat ad modum nominis, alterum ad modum verbi. Itaque *Jehova*, aut quoquo alio modo pronunciandum ſit nomen ineffabile, idem eſt, ac Plenitudo ſimpliciter infinita; Plenitudo ſumma entis totius, ſive omnium earum perfectionum, quas ſcolaſtici ſimpliciter ſimplices Patres Deo dignas appellant. *Eheje* autem eſt, ut ſic loquar, Actualitas ſimpliciter infinita, Actualitas ſumma totius pariter entis, ſeu perfectionum earumdem omnium. Primum ſignificat, Deum eſſe ſimpliciter infinitum; ſecundum ſignificat, Deum eſſe ſimpliciter infinite. Utrumque enim de Deo veriſſime dicitur, & quod ſit infinitus, & quod ſit infinite: ac noſtro cogitandi modo differunt inter ſe aliquid; in eoque ponenda videtur, ut ita dicam, Eſſentia phyſica Dei; in hoc vero Eſſentia ejuſdem metaphyſica. Hæ namque ut in re maxime ſimplici, & undique infinita, vel noſtro ſolum cogitandi modo differre inter ſe non magis debent, quam ut in Eſſentia phyſica Dei veniant omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, tanquam in circulo, aut ſphæra lineæ, ſeu radii: quo alludit nomen plenitudinis; aut certe hoc intelligi volumus: in Eſſentia vero metaphyſica veniant perfectiones eædem, ſed tanquam radii, ſeu lineæ in centro; quod denotant nomen Actualitatis. Siquidem Patribus in deſcriptione divinæ Eſſentiæ ex centro, ac circulo, vel ſphæra ducta potius metaphora eſt, quam ex radice ſeu ſtirpe, & arbore: Ut videre eſt apud Dionyſium capit. 2. de div. Nom. §. 5. & cap. 5. §. 6. & alios Patres, quos cito in eo Platonis Chriſtiani dialogo, qui inſcribitur D. Gregorius Nazianzenus quæ a Triſmegiſto, aut etiam ab ipſo Moyſe profecta creditur: traditur certe ab antiquis philoſophis, qui de his duobus Dei Nominibus aliquid norant, eamque ex iiſdem ambobus fortaſſe informarunt, in hæc verba: Deus eſt, *Sphæra* intelligibilis *cujus circumferentia nuſquam*, *centrum ubique eſt*. Cum enim ajunt iſti; circumferentiam, ſive extremum ſphæræ ambitum, ac determinationem eſſe nuſquam; ajunt, Deum eſſe infinitum; quæ eſt ſignificatio nominis *Jehova*. Rurſus, cum addunt iidem, centrum eſſe ubique; notari, atque intelligi volunt, Deum eſſe infinite: quod ſignificari diximus nomine *Eheje*.

Ut autem centri hujus ſimilitudine declaretur, quid ſit. Deum eſſe infinite, paucis expono. In hoc enim, ut dixi, ponenda videtur Eſſentia metaphyſica Dei; aut certe hæc eſt principalis proprietas entis omni ratione infiniti: in eaque, tanquam in centro, perfectiones omnes ſimpliciter ſimplices includuntur. Expono, inquam, id paucis. Nam centrum, eſt individua quædam complexio eorum omnium radiorum, quibus ſphæra continetur: ideoque in centro indiſcrete, implicite, ſive, ut loquitur Dionyſius locis ſup. cit. *modo quodam exempto* ἐξῃρημένως *exirimenos*, eſt tota ſphera. Quocirca cujus ſpheræ centrum eſt ubique, ſphæra illa radios ſuos omnes infinities complectitur; ac proinde individua quadam quaſi iteratione, ac repetitione ſui, eſt infinities id omne, quod eſt. Quod quidem proprium eſt Dei dumtaxat. Etenim quodvis particulare infinitum eſt quidem infinities infinitum, ut dimonſtrant philoſophi, de quo vide Joan. Bapt. de Benedictis Lib. III. Phyſic. cap. 4. §. 4. Sed nullum eorum eſt infinities totum ipſum quod eſt. At vero infinitum, quod

ſim-

ſimpliciter, ſive omni ratione tale eſt, quod eſt ſolus Deus, cum ſubſiſtat tripliciter, exiſtit tamen infinite: hoc eſt, individua quadam, ut ita dicam, iteratione, ac repetitione ſui eſt infinities; & quidem cum ſit ſimpliciſſimus, ac *mera ſimplicitas*, ut ait Bernardus Lib. V. de Conſid. cap. 7. num. 16. eſt infinities id totum ipſum quod eſt. Quod in Æternitate, & maxime in Immenſitate, planum eſt; ac de perfectionibus reliquis, quo pacto intelligendum ſit, planum fiet in confutatione tertiæ oppugnationis. Hæc igitur eorum nominum explicatio. *Jehova*, Ens ſimpliciter infinitum: *Eheje*, Eſſe ſimpliciter infinite; ſive, Actus ſimpliciter infinitus. Quod ſi ad maiorem perſpicuitatem, faciliоremque intelligentiam, placet utrumque conjungere; Dei notio ex utroque compoſita erit, metaphorica quidem, ſive ſymbolica; *Sphæra intelligibilis*, *cujus circumferentia nuſquam*, *centrum ubique eſt*: propria, ſive demonſtrativa; *Infinitum ſimpliciter*, *infinite ſimpliciter*. Sive, Id quod habet omnes puras perfectiones, & habet perfectiſſimo modo: hoc eſt, ſic habet, ut qui de illo recte cogitet, nec poſſit cogitare perfectionem aliquam in eo non eſſe; nec poſſit cogitare, perfectionem in eo eſſe aliquam, quin ſimul cogitet, eſſe omnes.

Porro quod hæ duorum Dei nominum expoſitiones, ſive ſimul aptatæ, & conjunctæ hoc, aut ſimili pacto; ſive ſeorſim ſumptæ, anteponendæ ſint aliis Dei notionibus, quæ vulgo circumferuntur, probatur; primo, quia nihil mente concipi, ac cogitatione informari poteſt auguſtius, excelſius, excellentius; quam vel hoc ſymbolum, vel hæc infinitas, & infinitas proprietatis hoc ſymbolo declarata. Ut autem docet Gregorius Naz. orat. 36. *præſtantiſſimus hic apud nos theologus cenſetur*, *non qui in totum quid Deus ſit invenerit*; *neque enim id percipi poteſt*; *ſed qui ampliorem ipſius ſpeciem mente conceperit*, *ampliuſque Veritatis ſimulacrum*, *vel adumbrationem*, *vel quocumque tandem alio vocabulo uti quis malit*, *in ſe ipſo collegerit*. Nimirum, ut notio Dei acquiſita innatæ reſpondeat, quæ, ut in ſuperiore diſputatione docuimus. eſt; *Id quo majus cogitari non poteſt*. Deinde quia ſumma Natura, ex ſua propria notione, natura præſtantiſſima, ac perfectiſſima eſt. Quod ſi talis eſt, quicquid cogitari poteſt puræ, ſynceræque perfectionis, in ea eſt excellentiſſimo modo. Ut autem animadvertit Suarez Metaph. diſp. 30. ſect. 1. num. 9. *nullus cogitari poteſt altior modus continendi perfectiones illas*, *quam formaliter*. Atque illud etiam dici poſſe mihi videtur, & quidem de mente, & ſententia ejuſdem eximii Doctoris, eſſe has perfectiones in Deo etiam *eminenter*: ſic tamen ut eminentia hæc in eo poſita ſit quod cujuſlibet ejuſmodi perfectionis formalis, ac diſcreta, ſive explicita notio, ſimul ſit formalis, & indiſcreta, ſive implicita notio cæterarum omnium. *Idem unum quodlibet illorum*, *quod omnia ſimul* &c. ait Anſelmus Monolog. cap. XVII. Quo noſtro intelligendi modo Natura illa ſit ſimpliciter infinities, ſive omnifariam id omne, quod ipſa eſt: atque ut Apoſtolus loquitur I. Corinth. xv. 28. *omnia in omnibus*; tanquam centrum in ſphæra puri entis ubique exiſtens. Tertio, quia ad naturam perfectiſſimam, ac præſtantiſſimam pertinet, ut in ea, ne noſtro quidem cogitandi modo ſit aliud, & aliud; nec compoſitio, acceſſiove ulla, vel tantum metaphyſica. Tandem, quia tum hoc ſymbolo, tum hac ſimpliciter infinita, ac ſumma & plenitudine, & actualitate melius, atque commodius explicantur Dei perfectiones, quam reliquis ſive ſymbolicis, ſive claris, & apertis ipſius notionibus: ut infra apparebit; & in Clemente Alexandr. Gregorio Nazian. Gregorio Magno, Severino Boethio, Anſelmo, Bernardo, Idiota, Joanne Sapiente, Platonis Chriſtiani dialogis fuſius expoſui. Conſequens igitur eſt &c.

Ad primum dicendum, Dionyſium, ac reliquos Patres præſertim Græcos, præter divinas Proceſſiones interiores, unam ſecundum actionem intellectus, quæ eſt Proceſſio Verbi; alteram ſecundum actionem voluntatis, quæ eſt Proceſſio Spiritus Sancti, quas Catholici omnes admittimus, & confitemur; agnoviſſe, ac docuiſſe quaſdam etiam proceſſiones externas ad terminos creatos; quæ proceſſiones externæ ſint pariter aliquid creatum, & quidem non ex æterno, ſed ex tempore. Utrum autem has exteriores proceſſiones a terminis ſuis cogitatione ſolum diſtinguerent, ut, aliqui vo-

volunt; an vero diſtinguerent etiam re ipſa, in inſequenti diſputatione videbimus. His certe præter nomen Proceſſionis & alia plura tribuebant, quæ divina, ac Dei tantum propria videntur eſſe. Quippe cum illas & *per ſe eſſe*, & *per ſe vitam*, & *per ſe ſapientiam*, & ſimilibus appellationibus nuncuparent. Sic vero, ut de Deo etiam dicerent, ac prædicarent hæc ipſa; & quidem directe, & proxime: cum diſertiſſime moneant, iſtarum appellationum duplicem eſſe rationem, ſive intellectum valde diverſum. Proceſſiones externas *per ſe eſſe*, *per ſe vitam*, *per ſe ſapientiam* &c. vocari, quod entis, vitæ, ſapientiæ &c. effectiones, ac communicationes ſint. Appellari autem Deum ſic pariter; quod eorum omnium prima, & ſumma cauſa ſit: eaſque omnes perfectiones poſſideat; longe tamen altiori, eminentiori, ac prorſus perfectiſſimo modo. Eo ſcilicet, quem ſupra explicavi; nempe tanquam centrum radios; & centrum quidem ubique exiſtens; hoc eſt ejus ſphæræ, cujus circumferentia nuſquam ſit. Legatur Dionyſius can. XI. de div. Nomin. §. 6. cap. V. §. 4. 5. & 6. & cap. ultim. §. 2.

Quod objicitur ex Jud. XIII. 18. & Prov. XXX. 4. Theologiæ potius negantis, quam ajentis eſt: quarum rationes ſupra expoſui, & ita inter ſe cohærere, docui, ut tandem coeant, atque id ipſum de Deo ſignificent, vel certe illum attingant æqualiter. Etſi enim ex Dei nominibus, quæ ſunt affirmantia, cujuſmodi ſunt fere omnia, deſumpta ſint ex rebus creatis, tamen omnino aliud, idque, ut dixi, longe altius, atque eminentius vel exprimunt, vel adumbrant. Siquidem, ut animadvertit S. Thomas p. 1. q. 13. a 2. ad 2. *in ſignificatione nominum aliud eſt quandoque a quo imponitur nomen ſignificandum; aliud eſt id, ad quod ſignificandum nomen imponitur*. Nec, ſi Dionyſius, & Patres alii, cum Dei nomina explicant, ad externas Dei proceſſiones reſpiciunt, in ipſis inſiſtunt, aut non recta feruntur in Deum.

Notiones ſeu definitiones illæ, quibus Atheiſmi notam inurit Harduinus, utcunque is ſenſerit non id propterea meritæ, quod affirmantes ſunt; ſed quia Deum non ſatis ſegregant a rebus, ſive quæ conditæ ſive quæ condi, multorum ſententia, queunt. Quod peccare etiam videtur nuda, & præciſa notio *Infiniti*; immo & *Infinite perfecti*: niſi addatur, *ſimpliciter*; quo Theologi omni ratione infinitum ſignant. Quod non tantum fecimus nos; ſed inſuper hujus Infiniti, quod eſt Deus ſolus, præcipuam notam, ſeu proprietatem, ex altero Dei nomine, ipſiuſque ſymbolo expreſſimus, quam deinceps magis magiſque explicabimus.

Ex duobus ſcopulis, qui in oppugnatione notantur, primus quidem Almerici, Spinoſæ, & aliorum naufragio infamis eſt: idem vero minus quam nobis timendus nemini. Quippe qui Deum tam longe ſupra res omnes creatas efferimus, quam Syſtematis ſupra expoſiti, & alibi luculenter probati, ratio declarat. In alterum vero ſcopulum, niſi quem non ſolum Fides, ſed & ratio prorſus deſeverit, qui alius incurrere poſſit, non video: cum ſe vere eſſe, & vivere, & intelligere, in quo rationis ſcintillula reliqua ſit, unicuique per ſe notiſſimum ſit. Neque Plato; aut Philo, neque nos alibi, cum res creatas, entis umbras, interdum appellamus, ſimpliciter loquimur, ſed comparate. Id quod ibi profitemur diſerte; nec aliter intelligi volumus, quam Patres omnes Græcos, & Latinos, qui eodem prorſus modo loquuntur: immo, quam ſacræ ipſæ Litteræ: ex quibus quod hanc ipſam loquendi formam repræſentarit Plato in Timæo ſummopere laudatur a Patribus, & præſertim ab Auguſtino Lib. VIII. de Civit. cap. 11. ob eamque potiſſimum imitationem, ac ſimilitudinem, *Moyſes Atticiſſans*, vocatur a Numenio Pythagoreo Lib. II. de Bono apud Euſebium Præp. Lib. XI. cap. X.

Ad ſecundum diſtinguenda duplex ſignificatio Nominis ineffabilis; una ordinaria, ex ipſius radice; altera extraordinaria, ex peculiari placito Dei, tum adhibentis ad ſignificandum elementa, ſeu litteras, ex quibus Nomen illud compoſitum eſt; tum fortaſſe etiam ordinariam ejus ſignificationem augentis, atque intendentis. Quamvis igitur propria, & germana hujus Nominis pronunciatio nos hodie lateat, aut ſit admodum controverſa; ejuſdem tamen & ordinariam ſignificationem ſcimus, & extraordinariam,

ex

ex antiqua, & ſatis probata, & recepta Traditione, non penitus ignoramus. Porro quæcunque hæc ſit poſterior ſignificatio, qua quidem præcipua Fidei noſtræ myſteria comprehendi arbitror; ad priorem certe ſignificationem quod ſpectat, Nomen ineffabile eſt omnino aliud a nomine *Jeſus*; cum ſit eorum valde diverſa radix: nec eſt plane idem, ac nomen *Ebeje*; cum hoc verbi vim potius, ut dixi, quam nominis habeat; nec præterquam Exod. III. 14. alibi uſquam tanquam Dei nomen uſurpetur in ſacris Litteris.

Quod additur in oppugnatione ex Exod. VI. 3. *Nomen meum* יהוה *non indicavi eis*, intelligendum reor de pleniore, altiore, reconditiore, ſive extraordinaria, quam nuper dicebam, Nominis ineffabilis ſignificatione, & ſententia; quæ Moyſi primum patefacta eſt a Deo: & quidem, præcipue quod ad rem præſentem attinet, per nomen *Ebeje*, quo actum infinitum exprimi diximus: infinitum, inquam, non ſolum quod infinita complectatur, verum etiam quia ea omnia, & noſtro intelligendi modo, &, ut mox explicabo, etiam re ipſa, complectitur infinities. In quo admirabilis illa proprietas entis omni ratione infiniti; quam proprietatem, centri ubique exiſtentis ſimilitudine adumbrarunt Antiqui; ego autem eadem ſimilitudine, ſive imagine uſus infra clarius exponam.

Quod vero ſecundi hujus Nominis tam multæ ſint Patrum interpretationes, nobis non officit, qui eas omnes ultro recipimus: immo ſuffragatur potius; & eo quidem magis, quod, ut in oppugnatione notatur, Patres, ipſimet variant; iidemque modo de una, modo de alia Dei perfectione nomen illud explicant: ut videantur eo nomine comprehenſas intelligi velle æqualiter omnes: in quam interpretationem plerique tandem diſerte conveniunt; ut Dionyſius Areop. Gregorius Naz. Gregorius Nyſſ. Ambroſius, Auguſtinus, Joannes Damaſc. Anſelmus, Bernardus in oppugnatione citati. Nec propterea nobis objici poteſt, ad illuſtrandam hanc rei theologicæ partem nihil novæ lucis afferri poſſe; quod quicquid de hoc Dei nomine dici poſſe videtur, id omne tradiderint jam, & notatum reliquerint Patres: his enim ducibus Scripturas ſcrutari nobis propoſitum eſt. Ubi porro ipſorum ductu, & veſtigiis datum nobis non fuerit detegere aliquid novi; quæ ab illis inventa ibi ſunt, expolire, & ab oblivione, ac tenebris vindicare, cum noſtri muneris, tum cæpti maxime Operis proprium eſſe ducimus: atque hoc etiam, rei theologicæ, ac cæteris diſciplinis novam ex ſacris Litteris lucem a nobis afferri putamus.

Ad tertium, ex divinæ Scripturæ Syſtemate, quod ſupra expoſui, & Patrum interpretatione firmavi, dicendum eſt, entis, boni, pulchri, viventis, intelligentis, & ſimilium, quæ de Deo dicuntur, ac de rebus creatis, duplicem eſſe ſignificationem; & aliter exponi cum de illo, aliter vero cum de his enunciantur. Quemadmodum notat Anſelmus Monol. cap. 26. & 65. ſup. cit. Uſurpata vero abſolute, & ſimpliciter, exponenda eſſe, tanquam dicta de Deo. Itaque Auguſtinus Serm. 7. n. 7. Enar. 2. in Pſalm. 101. n. 10. Lib. VIII. de Civit. cap. 11. Lib. VII. de Trinit. cap. 5. n. 10. & Thomas q. 2. de Verit. a. 3. ad 16. & a. 4. ad 7. Sum. p. 1. q. 6. a. 4. q. 11. a. 3. & 4. in 1. Sent. diſt. 19. q. 1. a. 1. diſt. 35. a. 4. ad 6. & diſt. 48. a. 1. ad 4. &c. docent, *nomen entis eſſe nomen æternitatis, incommutabilitatis, infinitatis: ſimpliciter, & abſolute dictum de illo ſolo intelligendum eſſe, qui comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi, & eſt ipſum eſſe ſubſiſtens, omnibus modis indeterminatum. A primo per ſuam eſſentiam ente, & bono, unumquodque dici ens, & bonum, in quantum participat ipſum per modum cujuſdam aſſimilationis. Inter Deum, & Creaturam non eſſe ſimilitudinem per convenientiam in uno aliquo communi, ſed per imitationem. Quandoque qualitatem aliquam eſſe proprie, & plene in uno: & in alio eſſe tantum quandam imitationem illius, ſecundum aliquam participationem: & tunc illam qualitatem non dici utriuſque, ſed ejus tantum, quod eam plene poſſidet. Et tunc illud, quod non plene habet, dici ſimile ei, quod plene habet; & non e converſo: ut, ſi dicamus, quod pictura eſt ſimilis homini, & non e converſo.* &c. *Ita ens, bonum* &c. *abſolute, & ſimpliciter dicta*

intelligi ſolum de Deo &c. Cum igitur nomen entis, nomen ſit infinitatis, ac perfectionis ſummæ; nihil hic quidem, niſi novum entis conſpectum afferimus; ſed qui ſit idem infinitatis, ac perfectionis ſummæ conſpectus: ſcilicet, ut ea omnis infinitas, atque perfectio infinite, ac ſumme ſit. In quo ponimus eſſentiam metaphyſicam Dei; idque ſecundo Dei nomine ſignari, ac centri ubique exiſtentis imagine adumbrari, ſupra oſtendimus. Intelligendi vi, aut alia quavis particulari tantum perfectione definiri non debet Natura undique infinita, in qua ſunt puræ omnes perfectiones, & ſunt perfectiſſimo, ac præſtantiſſimo modo: quod ſupra pariter oſtenſum eſt. Eſto Naturæ hujus definitiones, ſive quæ ab intelligentia, ſive quæ ab amore, ſive quæ ab alia qualibet ipſius perfectione, ſeorſim ſumpta ducuntur, ſint ejuſmodi, quarum ope nonnihil de Deo commodius explices, aut intelligas; quod ipſum haud facile conceſſerim: univerſe tamen ad ea rite cognoſcenda, atque explananda, quæ de Deo Fide catholica, aut ratione theologica edocemur, nihil puto eſſe magis idoneum, & undique aptius, quam hæc ipſius Nomina duo, uti ſunt a me de Patrum, ac veterum Sapientum ſententia, tum proprie, tum metaphorice expoſita, ac præſertim ſecundum, in quo Dei Eſſentiam metaphyſicam ponimus: Quod, ut ſupra pollicitus ſum, nunc quam breviſſime planum facio: ſimulque, quid ſit actus ille infinitatis ſimpliciter talis, ſeu perfectionis ſummæ, infinities quodammodo iteratus, ac repetitus, quod item ſupra recepi, & ad ſecundum nomen pertinet diſtinctius, & enucleatius ediſſero.

Nam tria potiſſimum ſunt, quæ de Nomine *Ebeje* docent Patres in ſecunda oppugnatione memorati. Docent primo, Deum ita eſſe, ut qui de illo recte cogitet, cogitare non poſſit, ipſum non eſſe. Sic ſcilicet Patres illi, qui dicunt, eſſe Deum *ipſum Eſſe*; ſive, *Exiſtere ipſum:* eſſe, *Ens a ſe*; *Ens immutabile*; & ſimilia. Ex hoc autem nos in Eſſentia metaphyſica Dei, quæ expoſitio eſt Nominis hujus, primum illud ponimus, ut Deus, ſit Actus; ac ſymbolice, ut ſit Centrum. Docent ſecundo, Deum ita eſſe, ut qui de illo recte cogitet, cogitare non poſſit, ipſum ullo vero, ſynceroque bono, aut pura ulla perfectione, excellentiaque carere. Sic illi, qui dicunt, eum eſſe *omni ratione infinitum*; *totum Eſſe nullis terminis definitum continere complexu ſuo*; atque ex Apoſtolo 11. ad Cor. 1. 19. *non eſſe in illo Eſt*, *&* *Non, ſed Eſt tantum* &c. Ex hoc vero nos in deſcriptione Eſſentiæ metaphyſicæ Dei ſecundum illud addidimus, Deum eſſe Actum totius puri entis; Actum infinitatis ſimpliciter talis, ſeu perfectionis, ac plenitudinis ſummæ: ſymbolice autem, eſſe Centrum ſphæræ, ut ſic loquar infinitæ, cujus circumferentia, ſive extremus ambitus, nuſquam ſit. Tandem docent tertio diſerte, quanquam id conſequatur ex dictis, Deum ita eſſe, ut qui de illo recte cogitet, non poſſit cogitare aliquid divinum, ſive aliquam Dei perfectionem, quin eam eſſe cogitet, ejuſque actu, & notione contineri cogitet reliquas omnes. Sic illi, qui dicunt, Deum eſſe *id, quod eſt*; eſſe *id omne, quod habet*; eſſe *Actum purum*; *puriſſimum*, *Simplex*; *meram ſimplicitatem*; *Simplicitatem ſummam in qua ne noſtro quidem intelligendi modo ſit aliud & aliud*. Ex hoc vero in eadem Eſſentiæ Dei metaphyſicæ deſcriptione, non ſolum diximus, Deum eſſe Actum totius puri entis; ſed illud etiam expreſſimus, eſſe illum, totius puri entis actum ſummum: eſſe ſimpliciter infinite ſimpliciter infinitum. Symbolice autem, Centrum in quovis ſphæræ puncto. Nimirum ut, quemadmodum in ſphæra, in qua nihil eſt ultimum, quodlibet, ut ita dicam, eſt medium, ſeu centrum, idque ex ſua propria notione, tali ſphæræ habitudine poſita: ſic de Deo quicquid dicas, aut cogites, eſt ex ſua propria notione, mentiſque conceptu, perfectionis omnis ſimpliciter ſimplicis complexio, actuſve individuus, ſeu poſſeſſio perfecta. Quo fit, ut ſumma Eſſentia in ſingulis iis perfectionibus univerſas perfecte poſſideat. Seu fit, ut ſumma Eſſentia quicquid habet, ſeu poſſidet; habeat, ſeu poſſideat infinitis titulis, ſive nominibus; ſingulis afferentibus neceſſitatem illud habendi, ſeu poſſidendi. Ac proinde habeat, ſive poſſideat illud perfectiſſimo, atque excellentiſſimo modo:

ſitque

Digitized by Google

ſtque infinities id omne, quod ipſa eſt. Infinities, inquam, noſtro cogitandi modo; ſed qui congruat perfectioni, ſeu merito rei: quo merito, eam diximus eſſe non modo infinitam, ſed etiam infinite. Eoque dicto, ut vidimus, complexi ſumus celebriores omnes, quæ apud Patres extant, ſecundi hujus Nominis explicationes; habenturque a theologis pro totidem quaſi definitionibus Dei. Dicam hæc omnia breviſſime: Natura ſimpliciter infinita, Natura ſumma habet hæc duo: habet, ut ne noſtro quidem cogitandi modo in ea ſit aliud, & aliud; & tamen habet, ut cogitatione noſtra in ea ſint infinita. Ex hoc autem ſequitur, ut cogitatione noſtra, quicquid poſſidet, poſſideat infinitis titulis ſupradictis; itaque ſimpliciter infinities, ſive omnifariam id omne, quod ipſa eſt. Id autem revera eſt, eam eſſe ſimpliciter infinite; ſive, eam eſſe ſumme. Hæc, ut Patrum, & Sapientum ſymbolo, ſeu metaphora utar; hæc, inquam, de Centro, ac Sphæra Divinitatis.

Ad idem autem exemplum apte, & commode explicari non poſſe arbitror unamquamque Dei perfectionem, ubi de illis ſingulatim, ſive explicite agatur. Deſcribendæ ſcilicet, ac mente conformandæ Sphæra Æternitatis, Sphæra Immenſitatis, Sphæra Scientiæ, Sphæra Voluntatis, itemque Potentiæ, Providentiæ, Juſtitiæ, & ſimilium. Hoc eſt, cogitandum de qualibet, ut ſit infinita, & ſit infinite; ut ſit in ſuo quæque genere & plenitudo ſumma, & ſummus itidem actus: ut ejus circumferentia, ſive extremus gyrus, ac determinatio nuſquam; centrum vero ubique ſit.

Itaque, ut breviter hæc expediamus, de Immenſitate, ac de Æternitate ſic cogita. Primo, utramque eſſe infinitam, quia utraque ex ſe neceſſario tenet, atque implet ſpatium interminatum; cujuſmodi eſt partim locus, & tempus; partim loci, & temporis vacuitas, atque capacitas; quæ duo ſpatia inania, *nihil ſpatioſum*, vocat Auguſtinus Lib. VII. Conf. cap. 1. n. 1. nos Sphæras manentem, & moventem; hoc eſt, loci, & temporis, ex Dionyſio, & antiquis Sapientibus, nuncupamus. Secundo, utramque eſſe infinite; quia ita ſunt, & ad locum, & tempus ita ſe habent; ut quodcumque ſive in Sphæra manente, ſive in Sphæra movente punctum deſignes; ibi ſint, tanquam centrum loci totius tota Immenſitas; & tanquam centrum totius temporis Æternitas tota. In hanc ſententiam ſunt illa Boethii Lib. V. de Conſol. proſ. 6. *Æternitas totum ſimul infinitæ licet vitæ ſpatium comprehendit, atque complectitur ... futura nondum tranſacta jam habet ... ei nihil præteriti fluxit ... infinitatem mobilis temporis ſemper habet præſentem ... interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac poſſidet ... interminabilis vitæ totam pariter præſentiam complectitur* &c. Et pariter illa Anſelmi de Fide Trinit. cap. 9. de Proceſ. Spir. S. cap. 29. de Concord. Prædeſt. cum Lib. Arbitr. cap. 5. *Æternitas eſt punctum ſimplex, quo ſimul clauditur omne tempus ... Hoc punctum ita repetitur, ac replicatur; ut nec quantitatem augeat, nec pluralitatem admittat; ſed ſit ſemper unum, atque idem.* &c. Ut autem hæc, pro ipſius Sphæra, & ſpatio, ad Immenſitatem quoque conveniant, habes apud eundem Anſelmum Monol. cap. 24. & ad Scholæ normam exactius apud Suarez Metaph. diſput. 30. Sect. 7. n. 51. Quamobrem, habito reſpectu ad locum, & tempus, definiri poſſe mihi videntur ambæ: Totius ſpatii manentis, & moventis; ſeu, Totius loci, & temporis, tum veri, tum imaginarii, in ſingulis quibuſque ipſorum differentiis plena, & perfecta comprehenſio, ſive poſſeſſio. Nomine comprehenſionis, ſeu, poſſeſſionis, ut ut loqui malueris, intelligenda potiſſimum præſentia: quæ quidem in Deo una, atque eadem eſt ad totum, & partes. Ut propterea Deus non ſolum ſit ubique, & ſemper; ſed ubilibet ſit ubique, & quovis ſit momento ſemper; hoc eſt, in ſingulis quibuſque locis, & temporibus, præſentiſſimus ſit univerſis: quemadmodum loco proxime notato docet Anſelmus. Præſentiſſimum dico, non ea ſolum ratione, quod unicuique rei eſt intime præſens; ſed quia & illi, & omnibus eſt præſens ſimpliciter infinities. Quemadmodum poſſidet unaquamque puram perfectionem, & omnes ſimul perfectiſſimo modo, non ſolum, quia earum eſt actualitas, ſive exiſtere ipſum; ſed

Digitized by Google

etiam quia illam, & reliquas ſimul omnes poſſidet ſimpliciter infinitis titulis, ſive nominibus; ut dixi ſupra. Eorum autem, quæ dicebam, eſt illa ratio, quam indicat Sapiens VII. 27. iis verbis: *in ſe permanens omnia innovat:* ipſis quibus verbis utuntur Dionyſius cap. 5. de div. Nom. §. 10. & cap. 9. §. 4. & 8. nec non Auguſtinus Epiſt. 187. ad Dardanum cap. 4. n. 14. & cap. 5. n. 17. eoque illa omnia, quæ modo diximus, referunt, quod Deus & loco, & tempori præſens ſit ſe ipſo tantum: nec aliud ab ipſo ejus præſentia ſit. Nam ſi non eſt aliud ab ipſo; eſſe eam & maxime individuam, & a loco, & tempore maxime ſolutam, & exemptam, neceſſe eſt. Cum ſit autem maxime individua, ſequitur, ut ubicunque, & quandocumque eſt, quovis ſcilicet & loco, & tempore, tota, & prorſus eadem ſit; ideoque ſit infinities idem ipſum omne, quod eſt. Et cum ſit a loco, & tempore maxime ſoluta, & exempta, non difficile intelligas, eam ita eſſe infinities idem ipſum omne, quod eſt; ut quicquid in hac denominatione diſtinctionis, diſcretionis, multiplicitatis, numeri apparet, totum ſit penes locum, & tempus; nec ullo modo Deum ipſum, niſi extrinſecus dumtaxat afficiat. Quemadmodum cum ſupra diximus, Deum eſſe omnifariam id quod eſt omne; quia in ſingulis puri entis differentiis quicquid eſt puri entis complectitur; & in quavis perfectione ſimpliciter ſimplici plene, perfecteque poſſidet univerſas: hujus pariter denominationis diſtinctio, diſcretio multiplicitas, numerus externa ſunt; ac ſolum penes nos reſident in mentis nimirum noſtræ conceptibus: quod autem his omnibus rei ſubeſt, atque his denominationibus in Deo ipſo reſpondet, hoc eſt, quo illum magis proprie dicimus, eſſe infinite; ſive, ſummum totius puri enti Actum; Actum ſimpliciter infinitum.

Eandem ad formam revocanda, quæ de Scientia, & Voluntate Dei theologi docent. Etenim utraque eſt infinita; quoniam ad omnia pertinent, hæc quidem, quæ fieri, & decerni; illa vero cognoſci quæ poſſunt. Quæ quidem fine carent, & pariter ſpatium quodammodo, ac ſphæra ſunt, quorum terminatio, circumſcriptioque nulla eſt. Eſt item utraque infinite: quia ſicuti Deus, cum ſe ipſo præſens ſit rebus, ſitque ipſemet Immenſitas; atque Æternitas ſua; cuique rei præſens eſt omni præſentia; hoc eſt, præſentia illa, qua præſens eſt cæteris omnibus rebus & loco, & tempore longe diverſis; & qua præſens eſſet aliis quoque, ſi exiſterent aliæ: ſic pariter, cum Deus ſe ipſo ſciat, & velit, ſitque ipſummet ſcire, & velle; unumquodque quod ſcit, & vult; omni ſcientia, & voluntate ſcit, & vult, ea ſcilicet ſcientia, & voluntate, quæ eſt de rebus aliis omnibus inter ſe valde diverſis; quæque eſſet etiam de ipſarum contrariis. Ac ſicut in quavis differentia loci, & temporis tota quodammodo iteratur, repetitur, ſive ut Anſelmus loquitur, tota replicatur Immenſitas, & Æternitas; Dei vel certe ita ibi, & tunc eſt; ut ei loco, & tempori tota reſpondeat, atque cohæreat: ſic item in re qualibet tota ſe propemodum *iterat*, *repetit*, *replicat* Dei ſcientia, & voluntas; aut certe ad rem illam ita ſe habet, ut in eam tota feratur, ac tendat: utque ſingulis in locis, atque temporibus omnia loca, & tempora complectitur præſentia ſua: ita ſingulis in rebus, quæ ſcit, & vult; reliqua omnia, quæ pariter ſcit, & vult complectitur ſcientia, & voluntate ſua. Hac eadem ſimilitudine uſus eſt S. Thomas, cum ſcripſit in 1. Sent. diſt. 37. q. 4. a. 1. ad 1. *Deus uno, & eodem, ſcilicet eſſentia ſua, ſimul omnia videt, & ſimul ubique eſt*. Quod ajt etiam S. Bonaventura in eundem Sent. locum quæſt. 2. Quid ſit autem quod, quamvis de unaquaque re ſit omnis ſcientia, & voluntas; Deus alia quidem velle, & videre dicatur, ut mundum hunc; ſecus vero alia, ut mundum alterum; cum hic ſuo loco peculiari diſputatione tractabitur: tum tractatum jam eſt a me in Platone Chriſtiano Dialogis duobus, quorum uni de D. Thoma, alteri de D. Bonaventura nomen feci.

Porro quod ad diſputationem hanc ſpectat, de aliis Dei perfectionibus, ut de Potentia, Providentia, Juſtitia, & ſimilibus; itemque de veri, ac ſummi Entis attributis, quæ nuncupant, uti ſunt, Ipſa Unitas, Ipſa Veritas, Ipſa Bonitas per ſe ſubſiſtentes; de his, inquam, o-

omni-

Digitized by Google

mnibus ad hanc eandem formam, & imaginem cogitandum: videndumque, ut iſtorum quodvis ſit infinitum, & ſpatio, ac ſphæræ congruat, quæ termino, extremove ambitu careat; & ſit infinite, tanquam centrum ubique exiſtens, & infinita in ſe ipſo infinities continens, atque comprehendens. Superiorum exemplo hæc quæ reliqua ſunt conſtruere haud erit, puto, difficile. Retinendum in omnibus idem Centri, ac Sphæræ ſymbolum: quod cum vetuſtiſſimum ſit, ſummaque & plenitudine, & actualitate duplicem ejuſdem *ſuperſimplicis Infinitatis* (Dionyſius cap. 5. de div. Nom. ſ. 9.) conſpectum exhibeat, in primo veram, germanamque primi Nominis Dei expoſitionem eſſe arbitror, alterius in altero; & forſitan a Moyſe ipſo, ſub ejus metaphoræ integumentis, memoriæ, & intelligentiæ adjumento eſſe traditas.

QUÆSTIO II.

De præcipuis divinæ Scripturæ locis, quæ pertinent ad Trinitatis myſterium, & Actus contingentes ac liberos Dei.

CUm duo ſint divinarum Proceſſionum genera, interius, & exterius; hoc eſt, ad terminos intra, & extra Deum poſitos, quæruntur hic duo.

Primo, utrum quæ maxima, & inenodabilis eſt difficultas in Trinitatis myſterio, commodam aliquam ſolutionem habeat in ſacris Litteris, & præſertim ex Nomine Dei אלהים *Elohim*.

Secundo, Utrum de Dei Scientia, & Voluntate in ſacris iiſdem Litteris traditum ſit, quantum ad proprias utriuſque rationes cognoſcendas, & controverſiam implicatiſſimam de Actibus contingentibus, ac liberis Dei expediendam neceſſe eſt.

DISPUTATIO PRIMA.

Utrum quæ maxima, & inenodabilis eſt difficultas in Trinitatis myſterio, commodam aliquam ſolutionem ſive ex explicationem habeat in ſacris Litteris, ac præſertim ex Nomine Dei אלהים Elohim.

NOn videtur: primo, quia ſcriptum quidem eſt I. Joan. v. 7. *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & his tres unum ſunt*. Et Joan x. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*. Itemque alibi alia ſimilia. Nuſquam vero in ſacris utriuſlibet Fœderis Libris expreſſum, aut, quod a nobis intelligi poſſit, ſignificatum reperies, quomodo hæc non repugnent univerſali principio, & naturæ lumine per ſe notiſſimo; *Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. Quod principium ut undique ſartum tectum ſervarent Heterodoxi, alii quidem oppugnarunt Unitatem divinæ Naturæ, ut Tritheitæ, Tetraditæ, Metangiſmonitæ ſeu Tranſvaſantes, Ariani, Aetiani, Aæriani, Semiariani; quibus parte ſaltem aliqua conſenſerunt Lutherus, Calvinus, Philippus Melanchton, Theodorus Beza, Zuinglius, Bullingerus, & alii plures; de quibus omnibus vide Bellarminum in Præfatione ad libros de Chriſto, Petavium Lib. 1. de Trinit. a cap. VI. ad 14. Valentiam Controver. de Trinit. Lib. I. cap. VII. Vaſquez. p. 1. diſp. 109. Ruitz diſp. 20. de Trinit. &c. Alii vero oppugnarunt Trinitatem Perſonarum, ut Cataphrygæ, & Patripaſſiani, Noetus, Sabellius, Paulus Samoſatenus, Fauſtus Manichæus,, Pheti-

tiniani, Priſcillianiſtæ, juniores Deiſtæ, & ante omnes Judæi. Quibus hac in re ſubſcripſere Mahometani; & ſubinde Fauſtus Socinus, Michael Servetus, Franciſcus Davidis, Paulus Alciatus, Blandrata, & alii, de quibus conſule Scriptores ſupra memoratos. Similiter ex verbo Dei & tradito, & ſcripto accepit quidem Concilium Lateranenſe IV. ut pronunciaret, ac definiret cap. 2. *Una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem; & ineffabilis*; (&, quod ſupra dixit, *ſimplex omnino*) *quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; tres ſimul Perſonæ &c. & illa res non eſt generans, neque genita nec procedens, ſed eſt Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus Sanctus, qui procedit &c.* At vero nec in eodem Concilio, nec uſquam in verbo Dei ſeu ſcripto, ſeu tradito eſſe videtur, unde hæc conciliemus cum aliis duobus univerſalibus, & pariter per ſe evidentibus principiis, *Non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe; Quodlibet eſt, vel non eſt*. Quibus repugnat de una, eademque re *omnino ſimplici* idem ſimul affirmari, & negari. Quare his etiam principiis adductis Theodoſiani, quæ tertia Severitarum ſecta fuit, & poſt aliquot ſæcula Gilbertus Porretanus divinarum Perſonarum proprietates a Deitate re ipſa diſtingui docuere, & *quaternitatem*, ut eſt in proxime nominato Concilio, *pro Trinitate* invexere. Nihil autem factu facilius, quam qui ad explanandas hujuſmodi difficultates novum condat ſyſtema, aliquem ex his omnibus ſcopulis non ſatis declinet. Accedit, ea nos in re eſſe, & verſari, ubi vel ſola ipſa novitas, & ſolum in vocibus poſita, offendit: & quibus non aſſuevimus aures, ea nobis omnia parum recte, & catholice ſonant.

Secundo, quia hac etiam in re, immo in hac præcipue, Doctores Scholaſtici Thomiſtæ, Scotiſtæ, Nominales, Noſtri ita tentarunt, atque occuparunt omnia; ut nobis ſpes eſſe non poſſit, non ſolum ex ſacris Litteris, quod noſtri muneris, atque Operis eſt; ſed nec ex alio quovis theologico loco, nos aliquid allaturos, quod ab eis jam ante dictum non ſit; & ſic quidem, ut neceſſe non ſit ſive aliter, ſive iterum dici, Et tamen hæ ipſæ Scholaſticorum viæ. & ſententiæ aut rem penitus inexplicatam relinquunt; aut veritatem Myſterii cum veritate principiorum ita componunt, ut nonnihil videantur utrique detrahere. Non ſunt theologi autem in hac lite ſequeſtres, atque arbitri; quibus liceat Fidem, & Naturam, ſeu naturalem rationem inter ſe conciliare eo adhibito temperamento, ut ſibi invicem ambæ quidpiam concedant, atque remittant. Has omnes ſententias exponit, ac refellit Scriptor noſtri temporis & doctrina, & dignitate conſpicuus in ſuo Ænigmate Theologico diſſ. 2. Quod ſi Scriptoris hujus ſyſtema amplecti volueris; & quicquid eſt entis in quaque divina Perſona, idque etiam, quod proprio cujuſque charactere, & notione Hypoſtatica exprimitur; id omne eſſe dixeris in duplici quaſi ſtatu; ſive, ut Auctor hic loquitur, *duplicem habere tam eſſendi, quam exiſtendi modum, abſolutum videlicet, & relativum*; vereor, ut tibi poſſim concedere, quod contendis, ope nimirum iſtius duplicis modi, ſeu ſtatus omnia melius componi, ac veritati tum myſterii, tum principiorum ſic tandem fieri ſatis. Nam quoniam hos *eſſendi, atque exiſtendi modos* & duos generatim eſſe vis, & diverſos: ſi diverſi ſunt; quæro, quid id ſit, quo inter ſe differunt? ſi duo ſunt; quæro, quid diſtinctionis inter eos adhibeas. Haud enim, opinor, relativum ab abſoluto diſtingui dices re ipſa: namque hoc abhorreret a mente ſapientiſſimi viri, & a catholico ſenſu; & *pro Trinitate quaternitatem* induceret. Supereſt igitur, ut unam aliquam eligas ex minoribus diſtinctionibus; cujuſmodi ſunt, quæ dicuntur, diſtinctio formalis ex natura rei, diſtinctio virtualis intrinſeca, diſtinctio rationis. Hoc vero ſi facis, in eaſdem fere omnes difficultates incurris, quibus alios oppugnas ſive Scotiſtas, ſive Thomiſtas, ſive Nominales, & qui reliqui ſunt. Et fortaſſe id ipſum dicis; niſi quod aliquanto dumtaxat ſplendidius, & magnificentius. Vel ſaltem eodem recidis. Siquidem ad id, quod hic agitur, perinde eſſe videtur, divinarum Perſonarum proprietates diſtingui a Natura verbi cauſa *virtualiter*; atque eſſe quicquid entis ſubeſt propietatibus illis, in duplici ſtatu, abſoluto ſcilicet, & relativo, *virtualiter* diſtincto.

Ter.

Digitized by Google

Tertio, quia Trinitatis arcanum Deus a nobis in hac vita mortali credi quidem, & adorari; non autem preveſtigari, & intelligi voluit. De quo eſt illud Iſa. LIII. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Eo demque præcipue ſpectat illud Eccle. VII. 25. *alta profunditas, quis inveniet eam?* Et illud Apoſtoli II. ad Cor. X. 5. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Quare ſapienter Bernardus Lib. V. de Conſid. cap. 8. n. 18. „Dicamus itaque Tres, ſed non ad præjudicium Unitatis: dicamus Unum, ſed non ad confuſionem Trinitatis &c. Quærit quis, quomodo hoc poſſit eſſe? Sufficiat ei tenere, ſic eſſe. Atque hoc non rationi perſpicuum, nec tamen opinioni ambiguum, ſed Fidei perſuaſum. Sacramentum hoc magnum eſt, & quidem venerandum, non ſcrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, & hac unitate; aut ipſa (*unitas*) in pluralitate? Scrutari hoc temeritas eſt; credere pietas eſt; noſſe vita, & vita æterna eſt:" non vita mortalis. Quæſo enim; vel inveniſſe aliquid tibi videris, quo nodum hunc ſolvas; vel ſecus exiſtimas? Si primum putas; vide, quem te ipſum facias; qui te aſſequutum credas, quod nemo adhuc hominum omnium. Vide, quid de Myſterio ipſo ſentias; cujus cognitionem, quam ſolius æternæ vitæ, ac beatarum mentium Patres eſſe prædicant; vitæ hujus quoque eſſe putes, atque ingenioli, & capituli tui. Sin vero tibi & de te modeſtius, & de Myſterio ſublimius ſentienti perſuaſum eſt alterum; cogitandum tibi eſt, an ea tantum promere hic ex divina Scriptura, quæ huius Myſterii Fidem, communemque doctrinam continent, ſit actum agere: &, ut ſit id ejus facultatis, ac diſciplinæ, quam profiteris; videndum, an ſit pariter & Operis, quod habes in manibus; & ejus utilitatis, bonique publici, quod tibi propoſuiſti.

Sed Contra eſt auctoritas eorum Patrum, qui etiam de verbo Dei ſcripto intelligi poſſe volunt illud Apoſtoli ad Col. II. 3. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Quorum locos plures dedi in Quæſtione prævia, præſertim decima. Præterea auctoritas complurium ſacrorum Interpretum, imo & SS. Patrum, quorum ſententia, ut nomina יהוה *Jehova*, & אהיה *Eheje* ad Deum pertinent, ut eſt Unus; ſic nomen אלהים *Elhoim* eidem convenit, ut Trinus eſt. Neque enim, ut aliqui tradunt, Magiſter Sententiarum primus in hoc Dei nomine myſterium detexit. Notatum reliquere Juſtinus Mart. in dial. contra Tryphonem, Tertullianus adverſ. Praxeam cap. 2. Theodoretus q. 20. in Gen. Conſule Calovium, & Ludovicum Cappellum. Quemadmodum igitur ex priorum Nominum meditatione nonnihil, Dei ope, profecimus ad ea, quæ in ſuperiori diſputatione tractata ſunt: ita nunc ſperamus, Deum nobis ſimiliter affuturum, ut tertii hujus Nominis & aliorum Scripturæ locorum meditatio non minus ad præſentem diſputationem conferat.

RESPONDEO cum S. Thoma in 3. Sent. diſt. 23. a. 4. ad 3. *Fidem non eſſe contra rationem, ſed ſupra rationem*. Hoc autem poſito; quomodo Trinitatis Myſterium non ſit contra rationem, ajo ex divina Scriptura, ejuſque interpretibus, quales ſunt ante omnes Eccleſia, & Patres, hac via, ſive Syſtemate explicandum videri. Hoc primum, & potiſſimum eſto: ut in Deo, nec re, nec noſtro cogitandi modo, ſit aliud, & aliud. Eſſe quidem in ipſo & alium, & alium, & alium; hoc eſt, tres Perſonas vere, & proprie tales, inter ſe re ipſa diſtinctas, contra Sabellium, & ab eo qui ſunt, ſancte, & catholice confitemur. Admittimus præterea *diſtinctionem intelligentiæ, & rationis*, tum quæ inter *divinam ſubſtantiam, & Hypoſtaticas proprietates*, de qua Jo. Theologus in Concilio Florent. Seſſ. 18. Cardinalis Beſſarion Lib. de Proceſſ. Spirit. S. cap. 7. & alii tum quæ inter Dei *perfectiones abſolutas* contra Aetium & Eunomium aſſerta eſt ad antiquis Patribus. Veruntamen ſimul contra Arianos, & alias hæreſes hujus affines, ſummam Dei Unitatem, ac Simplicitatem tuemur: atque illud contendimus, has omnes diſtinctiones ejuſmodi eſſe, ut in Deo nec re ipſa, nec cogitatione noſtra proprie ſit aliud, & aliud; hoc eſt, duo quædam inter ſe ita diſtincta, ut unum nullo modo includatur formaliter in alterum: quomodocunque inter ſe conferantur, quæ de Deo enunciamus: ſive abſoluta

quæ

Digitized by Google

quæ vocant, cum abſolutis; ſive abſoluta cum relativis, ſive cum relativis relativa. Quæ tria breviter explico, & probo.

Et primum quidem ex ſuperiori diſputatione planum eſt: ac præſertim ex interpretatione Nominis *Eheje*; ſive, *Qui eſt*. Nam ſi Deus eſt Summa Actualitas totius puri entis; & noſtro cogitandi modo hoc fert ea ſumma Actualitas, ut Deus in qualibet perfectione cæteras omnes plene, perfecteque poſſideat; ſequitur, ut noſtro cogitandi modo in Deo non ſit aliud, & aliud; ſed id ipſum aliter, & aliter in infinitum; ſub expreſſa ratione modo ſapientiæ, modo juſtitiæ, modo miſericordiæ, aut alterius cujuslibet perfectionis; pro diverſis nimirum ipſius externis proceſſionibus, & communicationibus, aut earum terminis; ex quibus eum cognoſcimus, & ad quos eum cogitando referimus. Quo nos vides a Dei perfectionibus abſolutis non omnem prorſus diſtinctionem rationis repellere; ſed quæ illas diſtinguat, tanquam aliud, & aliud; & invicem omnino diſcludat. In hoc enim inſtar aliquod partium, & compoſitionis eſt; a quo abhorret ſumma Simplicitas, itemque Actualitas ſumma. Atque ita intelligendus Anſelmus, cum ſcripſit Monol. cap. 17. *Idem eſt quodlibet unum illorum* (divinorum bonorum) *quod omnia ſive ſimul, ſive ſingula, ut cum dicitur juſtitia, vel eſſentia; idem ſignificat, quod alia, vel omnia ſimul, vel ſingula*. Nec vero ſolum re ipſa; ſed etiam conſideratione noſtra: addit enim: *Illa ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid, ut illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit: quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum quod ipſa eſt*. Quod contra contingere ait, cum eſſentiam hominis, aut aliam quamvis creatarum rerum conſideramus. Et in Libro de Fide Trinit. cap. 3. in Deo non poſſe aliud ab alio cogitando ſejungi, & tanquam compoſitum aliquod in plura bona, velut in partes, *intellectu diſſolvi*; ea ratione approbat; quia, *ſi poſſet ita de illo cogitari*; *aliquid illo majus cogitari poſſet*; *id nempe, quod nec intellectu poſſet ita diſſolvi*. Et in Proſolog. cap. 18. *ita Deum eſſe* dicit *& vitam, & ſapientiam, & veritatem, & bonitatem, & beatitudinem, & æternitatem, & omne verum bonum; ut ſit ipſa unitas nullo intellectu diviſibilis*. Legatur etiam Bernardus in Cant. Serm. 80. n. 6. & Lib. V. de Conſid. cap. 6. n. 13. Immo & Auguſt. Lib. 6. de Trin. cap. 11. n. 12.

Probatur, & explicatur ſecundum. Abſoluta, & Relativa non poſſunt invicem vel ſola cogitatione diſtingui, tanquam aliud, & aliud; primo, quia hæc cogitatio eſſet penitus aliena a recta notione divinæ Naturæ. Nam ſi liceret ita cogitare; ſequeretur, ut divinæ Naturæ, ex Perſonarum proprietatibus, noſtro ſaltem cogitandi modo, aliqua fieret entis acceſſio. Summæ autem totius puri entis ſeu plenitudini, ſeu actualitati, quæ duæ ſunt divinæ Naturæ notiones, ex primariis duobus Dei Nominibus, in ſuperiori diſputatione explicatis; nihil ſuperaddi, nihil accreſcere poteſt. Quod ad rem noſtram luculenter notant Hilarius Lib. III. de Trinit. n. 4. & 8. Ambroſius Lib. III. de Fide cap. 12. n. 102. Lib. V. cap. 18. n. 221. & 224. in Pſalm. 40. n. 20. Lib. I. de Spirit. S. cap. 8. n. 96. Iſidorus Lib. VII. Etymol. cap. 1. & pariter e re noſtra Scholaſtice expendunt S. Thomas p. 1. q. 3. a. 4. ad 1. in 1. Sent. diſt. 20. a. 1. diſt. 26. q. 2. a. 2. ad 3. &c. & S. Bonaventura in 1. Sent. diſt. 8. q. 1. diſt. 19. q. 1. diſt. 25. q. 2. &c. Quare nomen אלהים *Elhoim*, licet plurali numero, ſingulariter tamen ſignificat, atque idem prorſus, quod nomen אלוה *Eloha*: non quia vera non ſit illa pluralitas, aut entis vacua, & dumtaxat aliquid negans; quod ultimum Magiſtro placuit 1. Sent. diſt. 2. & 24. ſed quia Perſonarum proprietates, quamvis aliter, & aliter, tamen afferunt idem prorſus, quod in ſua notione affert Natura; & nihil præterea. *Tantum eſt in pluralitate, quantum in unitate; ſed non tot modis. Unitati, cum omnem eſſendi perfectionem contineat, nulla poteſt fieri additio*; ajunt S. Bonaventura, & S. Thomas locis proxime notatis. Neque hi loquuntur de re tantum ut eſt in ſe ipſa; ſed etiam ut eſſe debet in mente noſtra. Sic enim eſt apud S. Bonaventuram in 1. Sent. diſt. 27. q. 3. „Quandocunque abſtrahitur aliquid ab „aliquo, minus eſt, quod remanet, „quam ante abſtractionem erat; quia u-

„ trum-

„ trumque aliquid eſt : nihil enim non „ abſtrahitur ab aliquo ; nec nihil a ni- „ hilo; ſed aliquid ab aliquo . Ergo , ſi „ Paternitas a Perſona, vel Hypoſtaſi eſt „ abſtrahibilis ; hæc minus haberet de „ entitate, quam cum Paternitate; ergo „ intelligeretur Deus non habere ſum- „ mum eſſe. “ Quæ omnis ratiocinatio pertinet ad noſtrum intelligendi modum. Similiter S. Thomas, qui ſæpiſſime ait, *Relationem ab eſsentia ratione ſola diſtingui*; q. 2. de Pot. a. 5. monet ab ea diſtingui, *non tanquam aliquid, ſed tanquam ad aliquid tantum*. Quia ſcilicet, ut ait p. 1. q. 3. a. 4. ad 1. & in 1. Sent. diſt. 8. q. 4. a. 1. ad 1. *de ratione divini eſse eſt ita perfectum eſse, ut ei nulla fieri poſſit additio*, & diſt. 20. q. 1. a. 1. *Eſse ſapientiæ eſt ipſum eſse divinum, & non ſuperadditum : & ſimiliter eſse Paternitatis. Unde Relatio, quantum ad eſse ſuum, ſecundum quem ſolum modum, debetur ei, quod ponat aliquid, eſt eſsentia divina. Sed ſecundum rationem ſuam, per quam habet diſtinguere unam Perſonam ab alia, non debetur ei, quod dicat aliquid, ſed potius ad aliquid*. Et in q. 1. de Verit. a. 5. ad 20. ait, *Hominis, & riſibilis non eſt unum eſse; ſicut eſt unum eſse Paternitatis, & Filiationis*. Quod eſt eſſe Eſſentiæ, ſive Naturæ : *Nam in divinis eſt tantum eſse eſsentiale, non autem perſonale : nec Perſona eſt, niſi per eſse Eſsentiæ*; ut ait ibidem ad 18. & q. 2. de Pot. a. 6. & q. 8. a. 2. ad 11. & q. 9. a. 4. ad 5. & a. 5. ad 19. &c. Itaque non ſolum ſecundum rem, ſed etiam ſecundum rationem, conſiderationemque noſtram, intelligenda pariter, illud Concil. Tolet. VI. in Profeſ. Fidei : *Trinitas nec minor in ſingulis, quam in omnibus ; nec major in omnibus, quam in ſingulis*; Et illud Tolet. XI. pariter in Prof. Fid. *Nec minoratur in ſingulis, nec augetur in tribus* ; Itemque illud Auguſtini Lib. II. cont. Maximinum. cap. 10. n. 2. *Non majus omnes, quam ſinguli: quia*, ut ſcribit Lib. VI. de Trinit. cap. 8. n. 8. *non eſt, quo creſcat illa perfectio &c. & ideo Trinitas potius, quam triplex* ; Et cap. 11. n. 12. *Ita & ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia*. Quæ pariter leges Lib. VII. cap. 6. n. 12. Epiſt. 170. ad Maximum num. 5. & Serm. olim 38. de tempore, qui tamen eſt Alchuini; Nec non apud Fulgentium Lib. XIII. ad Maximin. cap. 7. Petrum Dam. opuſcul. de Fid. cap. 1. Anſelmum Monol. cap. 59. & Proſol. cap. 23. Bernardum Epiſt. 190. ad Innocent. cap. 2. n. 4.

Deinde non poteſt inter abſoluta, & relativa vel ſola cogitatio diſtinguere, tanquam inter aliud, & aliud; quia ejuſmodi cogitatio abhorreret a notione divinarum Relationum. Nam ſi notio naturæ talis eſt, ut ei nihil poſſit adjici : notio Relationum talis eſt, ut nihil poſſint adjicere. Eas quidem S. Thomas ſæpenumero dicit, & probat, eſſe *reales* ; verum non niſi ea re, quæ eſt eſſentia ; ut videre eſt in locis proxime notatis, ac præterea in 1. Sent. diſt. 20. a. 1. ad 3. ubi, *ſub omnibus* (entibus, ait) *comprehenditur ad aliquid, quantum ad hoc, quod habet eſſe ; ſic enim ad aliquid eſt aliquid de omnibus; ſed non quantum ad rationem ad aliquid, ſecundum quod ad aliud refertur: ſic enim non habet, quod ſit aliquid ſimpliciter*. Quocirca p. 1. q. 28. a. 2. & alibi docet, Relativa non comparari cum abſolutis: & ſi quando cum iis comparantur, comparari, tanquam idem ad ſe ipſum. Ita q. cit. a. 1. ad 2. in 1. Sent. diſt. 26. q. 2. a. 1. ad 2. de Pot, q. 8. a. 1. ad 2. &c. Quæ non accipienda ſolum, ſecundum rem, verum etiam ſecundum noſtrum intelligendi modum. Sic enim ait Lib. I. cont. Gent. cap. 32. §. 4. *Deo nihil eſt ſimplicius ſecundum rem, nec ſecundum intellectum*. Ex quo ad rem præſentem Cajetanus in 1. p. q. 28. a. 2. ait S. Thomam expreſſe docere, *exiſtentiam relationis ab exiſtentia eſſentiæ non differre, etiam ratione*: intellige, tanquam aliud, & aliud. Similiter S. Bonaventura in 1. diſt. 27. q. 3. & diſt. 33. q. 2. docet, Proprietatem Perſonæ, ſeu Relationem, *comparatam cum termino, ad quem refertur, manere ; comparatam vero, cum eo, in quo eſt, ſeu cum eſſentia, tranſire* ; hoc eſt, ut ipſe explicat, tranſire in illam, quia Relatio quicquid entis eſt, eſt entitate eſſentiæ; *nec eſt alietas in Deo, niſi quantum ad modum, non vero quantum ad eſſe* modum autem hunc *nihil addere, dicit*; Quare diſt. 8. q. 1. *alia eſt*, inquit, *diverſitas ex additione* ; *alia ex ori-*

Digitized by Google

gine. Illa privat ſimplicitate, quia ponit compoſitionem: hæc non repugnat ſimplicitati ... nec proprie diverſitas eſt, ſed diſtinctio, & diſcretio. Et diſt. 18. q. 1. *Totum quod eſt perfectionis in Suppoſitis, transfertur in eſſentiam. Nec eſt in Suppoſitis proprie loquendo diverſitas, ſed diſtinctio.* Secundum hos duos Scholæ Principes, nemo forſitan eſt Scholaſticorum omnium, qui nobis apertius faveat, ſeu potius contrarias ſententias validius refellat, quam Gregorius Ariminenſis, vir acutiſſimus, & Auguſtinianæ Scholæ lumen clariſſimum. Is enim in 1. diſt. 27. q. 1. a. 2. concl. 3. hæc duo ſimul contendit, non eſſe divinas Relationes in ſola negatione poſitas; & tamen per Concilium Lateranenſe IV. cap. *Damnamus* &c. nullo modo licere de illis ita cogitare, quaſi aliquid proprii entis afferant; ex quo ſimul, & ex communi illo, quod affert natura, *tanquam ex duobus, conſtituatur, & quodammodo componatur Perſona.* Idemque ſimiliter diſt. 33. & 34. q. 1. a. 3. in divinis Perſonis duo quædam diſtingui vetat, *unum communicabile, quod ſit Natura; alterum incommunicabile, quod ſit Perſonalis proprietas: ſive hæc proprietas vocetur, res, ſive formalitas, vel quidditas, ſeu modalitas, aut alio quolibet nomine.* Immo iſtum cogitandi modum, nunc cæteroqui valde communem, *imaginationem ſtultiſſimam*, dicit; *& ſummæ ſimplicitati divinarum Perſonarum, ac Lateranenſi decreto prorſus repugnantem.* Tum ſibi illud objicit, niſi ſi in una eademque Perſona duo iſta ita ſecernimus, *ſequi, quod Pater communicavit Filio Paternitatem.* Id quod ita diſtinguit: *Dico, quod hoc conſequens poteſt habere duplicem ſenſum. Unus, quod communicavit Filio entitatem illam, quæ eſt Paternitas; & ſic concedo illud. Alius, communicavit Filio, quod Filius eſſet Pater; & iſte ſenſus eſt falſus, nec ſequitur ex primo.* Quomodo autem non ſequatur, nos infra triplici ratione explicabimus. Advertendum hic ad objectam difficultatem eodem modo reſpondere etiam S. Thomam in 1. diſt. 20. q. 1. a. 1. Tandem, ut recens Scriptor in ſecunda oppugnatione laudatus recte notat diſp. 2. ſect. 1. §. 5. n. 41. Ariminenſis, & aliorum plurium Scholaſticorum ſententia eſt, *Paternitatem, ac cæteras divinas Relationes, ſeu Perſonarum proprietates nec ratione ratiocinante ab eſſentia differre.* Quod quidem nimium eſt; nec ego Ariminenſem, aut alios eatenus ſequor. Non enim ſumma ſimplicitas, aut Lateranenſe concilium videntur iſtud exigere. His ea potius conſentanea, quæ Scriptor idem notat, „ eſſe valde communem theologorum, „ maxime e ſchola D. Thomæ ſententiam, Relationes divinas includere in „ ſuo formali conceptu eſſentiam, & „ omnia abſoluta: atque eſſe etiam plures, qui incluſionem mutuam acerrime tueantur; neque ullam diſtinctionem rationis inter Relationes, & eſſentiam intercedere velint, niſi tantum „ ſecundum implicitum, & explicitum „ ejuſdem formaliter prædicati. *Denique*, „ Relationes divinas identificari ratione „ ratiocinata perfecta, ſimpliciter tali, „ cum eſſentia divina." Hæ vero cogitationes non ſolum ex Lateranenſi, ſed etiam ex Patribus ductæ; qui Naturam *ens*, ſive *Eſſe*; Relationes vero *entis ſtatus*, ſive *exiſtendi modos* appellant. Ita Juſtinus, aut quicunque eſt auctor Libri de Confeſ. veræ Fid. & pariter Auctor quæſt. ad orthod. q. 129. Baſilius Lib. IV. cont. Eunom. cap. 2. n. 1. & Homil. cont. Sabel. n. 6. &c. Gregorius Nyſ. in Lib. ad Ablav. Cyrillus Alex. Lib. I. Theſ. & Lib. II. dialog. de Trinit. Maximus apud Euthymium in Panopl. par. 2. tit. 2. Joannes Damaſcenus Lib. I. de Fide cap. 8. §. 7. & 17. cap. 10. §. 1. &c. Qui, ut ait Bonaventura loco ſup. cit. ita ſunt explicandi, *ut non ſit alietas in Deo niſi quantum ad modum, non vero quantum ad eſſe; modus autem hic nihil addat*; quemadmodum paulo poſt exponemus. Hinc Boethius prope finem Libri de Trinit. & Unit. *Similis eſt*, inquit, *Relatio in Trinitate Patris ad Filium, & utriuſque ad Spiritum Sanctum; ut ejus, quod eſt idem, ad id quod eſt idem.* Et Richardus Victor. Lib. III. de Trinit. cap. 22. *Non ſolum itaque idem ipſum eſt totum, quod eſt quælibet Perſona; verum etiam idem ipſum eſt quævis una, quod quælibet alia. In ſingulis itaque ſumma ſimplicitas.* Locum hunc, & omnino ſecundam aſſertionis partem concludo Auguſtini teſtimonio, qui Lib. VII.

de

Digitized by Google

de Trinit. cap. 6. n. 11. *Non aliud*, inquit, *eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe; ſed omnino idem ... Quemadmodum Deo hoc eſt eſſe, quod Deum eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe; ita hoc illi eſt eſſe, quod Perſonam eſſe, neque cum dicimus Perſonam Patris, aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris*. Sicut igitur inter Eſſentiam, ac divinas perfectiones, ſive inter abſoluta, & abſoluta nec cogitatio noſtra diſtinguit, tanquam inter duo, quorum unum non ſit formaliter alterum; ita nec inter abſoluta, & relativa.

Reſtat ultimum; etiamſi relativa comparentur inter ſe invicem, ne ſic quidem cogitari poſſe in Deo aliud, & aliud. Sequitur id etiam ex his, quæ proxime diximus. Nam ſi ejuſmodi eſt notio tum Naturæ, tum Relationum, ut divinæ Perſonæ ſimpliciſſimæ ſint, ac ne noſtro quidem intelligendi modo concretæ contextæque ſint, & compoſitæ, tanquam ex duabus rebus, ſive entibus inter ſe diſtinctis; conſequens eſt, ut in Trinitate, in qua vere, ac re quoque ipſa eſt alius, & alius; ne cogitatione quidem noſtra ſit aliud, & aliud. Præterea oſtenditur ex ſumma illa communicatione, qua ſummum Bonum intra ſe ipſum diffunditur. De qua eſt Luc. x. 22. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et illud Joan. xvi. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*. Et illud xvii. 10. *& mea omnia tua ſunt; & tua mea ſunt*. Nihil hic entis excluditur; *omnia quæcunque*. Ex quo Concilium Nicænum *naſci Filium ex extantibus* docet, *ut perfectum de perfecto, totum de toto, plenum de pleno*. Atque eadem eſt interpretatio Patrum. Zeno Veron. Serm. 1. de æterna Filii Gener. *Naſcitur de toto totus, totum Patris habens*. Athanaſius cont. Gregal. Sabel. num. 6. ex vulgato interprete Nannio *perfecta Deitas in Patre, & perfecta Paternitas in Filio ſubſiſtit*. Hoc eſt, quicquid entis affert notio Paternitatis eſt etiam in Filio. Sic enim ſententia melius cohæret cum dogmate Fidei, cum Græco Athanaſii textu, & cum ſyſtemate noſtro. Legendus peculiaris tractatus in illud Luc. x. 22. num. 3. 4. 5. Hilarius Lib. VI. de Trinit. num. 12. *Veræ Fidei profeſſio eſt, ita Deum ex Deo natum, ut lumen de lumine, quod ſine detrimento ſuo naturam ſuam præſtat ex ſeſe; ut det quod habet, & quod dederit, habeat, naſcaturque, quod ſit; cum non aliud, quam quod eſt, natum ſit, & nativitas acceperit, quod erat*. Et num. 13. *Nativitas enim Dei, quæ ex Deo in Deum exiſtit, non quæ non erant, tenet; ſed quæ in Deo manebant, & manent, obtinuit veritate naſcendi. Non ergo qui erat, natus eſt*; (dictum contra Sabellium) *ſed ex his, atque in his, quæ Dei erant, Deus natus exiſtit*. (dictum id contra Arianos) Erat proinde in Patre quicquid entis Filietas eſt. Quare num. 26. *Omnia*, inquit, *ei tradita ſunt: & in omnibus nihil intelligitur exceptum*. Et Lib. VII. n. 39. *Pater Pater eſt, Filius Filius eſt; ſed in his nominibus nihil novum, nihil diverſum ... tenet enim Naturæ veritas Proprietatem*; (hoc eſt quicquid entis Proprietatibus ſubeſt) *ut nec deminutio ſit nativitas, nec diverſitas*: (num. 41.) *dum & Pater nihil ex ſuis amittit in Filio; & Filius totum ſumit ex Patre, quod Filius eſt*. Baſilius Lib. X. adv. Eunom. num. 3. *totum genitum ex toto ingenito*. Gregorius Naz. Orat. 37. *Filio nihil deeſt ad hoc, ut ſit Pater; nec tamen eſt Pater. Alioquin eadem ratione Patri aliquid deeſſet, ad hoc ut ſit Filius; nec enim Pater Filius eſt ....* Item *Neque Filius eſt Pater, ſed quod Pater; nec Spiritus Sanctus eſt Filius, ſed quod Filius*. Et orat. 49. *totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto*. Item orat. 50. *Ex uno Patre totum, quod Patris eſt, Deus natus eſt Filius*. Auguſtinus in Collat. cum Maximino Arian. Epiſc. num. 14. *Hoc genuit Pater, quod eſt*. Legatur etiam quod Lib. II. cont. eundem cap. 14. n. 7. Et tandem Lib. XV. de Trinit. cap. 14. n. 23. *Verbum Dei Patris unigenitus Filius, per omnia Patri ſimilis, & æqualis &c. eſt hoc omnino, quod Pater, non tamen Pater*. S. Leo Serm. 2. de Pentec. *Filius Dei totum habet ex Patre, quod Pater eſt*. Similiter Fulgentius Epiſt. 14. ad Ferrandum n. 6. 7. 28. Iſidorus Lib. I. de ſummo Bono cap. 25. Damaſcenus Lib. I. de Fide cap. 8. §. 7. & 8. & cap. 10. §. 1. & alii deinceps. Eadem ſumma communicatio aliis Scripturæ locis expreſſa; ut nihil entis ſit, aut cogitare ſit in una Perſona, quod ipſum alio modo, ſeu reſpectu non

Digitized by Google

exhibeatur in aliis. Talia ſunt illa Joan. xiv. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Et 10. & 11. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Et, ne dicas hunc alium reſpectum, & quaſi modum, eſſe aliquod ens, quod non ſit in Patre, accipe hic pariter, quomodo hos Scripturæ locos expoſuerint Patres. Athanaſius orat. 3. cont. Arian. num. 3. *Filius in Patre eſt, quia totum quod eſt Filius; ſubſtantiæ Patris proprium eſt ... Eſtque vice verſa Pater in Filio, eo quod id, quod eſt Patri proprium, ac ſuum: idipſum ſit Filius*. Et num: 5. *Cum Filius ſit imago Patris, intelligere neceſſe eſt, divinitatem, & proprietatem Patris hoc ipſum eſſe, quod eſt Filius*. Et num 6. *in paterna divinitate & eſt, & cernitur Filius ... Talis ſiquidem eſt Filius, qualis Pater; eo quod omnia habeat, quæ Patris ſunt*. Hilarius Lib. III. de Trin. num. 4. *qui ab eo, qui habet omnia, accepit omnia, confidenter ait*, Pater in me, & ego in Patre: *quia ... ex toto Patre totus Filius natus eſt ... non in aliquibus, ſed in omnibus ... Quod in Patre eſt, hoc & in Filio eſt ... non aliud in utroque ... ut omnia in ingenito Patre perfecta ſunt, ita omnia in Filio unigenito perfecta ſunt*. Et num. 23. *ſcilicet is, qui eſt, nihil habens, quod non ſit etiam in eo, a quo eſt*. Baſilius homil. 16. n. 13. *imago eſt Genitoris totum in ſe monſtrans Genitorem*. Ambroſius Lib. V. de Fide cap. 18. n. 224. *Omnia habet, quæ Pater habet: nam omnia a Patre jure generationis accepit, & totum Patrem gloria ſuæ majeſtatis expreſſit*. Joan. Chryſoſtomus homil. 1. in Joan. de Fide in Chriſto: *priuſquam naſceretur Unigenitus, in ſuo Genitore generandus manebat, non habens diſtantiam temporis*. Ac fere id ipſum repetit in Serm. de S. Trinit. ſic enim de Filio: *nihil habens, quod productione in eſſe venerit, quaſi prius quidem non exiſtens* &c. Hic etiam intelligenda *prioritas*, quam appellant, non temporis, ſed originis. Mitto alios; nam nimis longum eſſet referre omnes. Legantur Auguſtinus Lib. I. de Trinit. cap. 8. n. 17. Cyrillus Lib. III. Theſaur. cap. 1. Anſelmus de Proceſ. Spir. S. cap 19. & 20. Bernardus tract. de error. Abaelar. cap. 2. n. 4. &c.

Tandem hæc ipſa Aſſertionis noſtræ pars non tam probatur, quam exprimitur Scripturæ locis in prima oppugnatione relatis *Ego, & Pater unum ſumus*. *Hi tres unum ſunt* &c. Eademque expreſſior, & luculentior fit, interpretatione Conciliorum, & Patrum; quorum eſt una vox, & ſententia; Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe quidem vere, & proprie alium, & alium, nullo autem modo eſſe aliud, & aliud. Ita Concilium Lateranenſe iv. cap. 2. §. 2. *Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus; idem omnino*. Quos nobis inculcat, eſſe *idem omnino*; in iis vetare videtur ullo modo diſtingui duo quædam, ut eſt ſæpe dictum. Similiter Concilium Toletanum xi. ſeptimo ſæculo in Profeſ. Fidei: *Non ipſe eſt Pater, qui Filius: nec ipſe Filius, qui Spiritus Sanctus: nec Spiritus Sanctus, ipſe qui eſt vel Pater, vel Filius: cum tamen ipſum ſit Pater, quod Filius: ipſum Filius quod Pater: ipſum Pater, & Filius, quod eſt Spiritus Sanctus*. Quibus approbatur, & confirmatur ea loquendi regula, quam tradit Auguſtinus; ut maſculina pronomina ad Trinitatem, neutra ad Unitatem pertineant: in primis ſervetur numerus; in alteris prorſus deficiat. *Hoc eſt Filius, quod Pater, non hic*, ſcribit Auguſtinus Serm. 244. num. 3. & tract. 36. in Joan. num. 9. *In medio naviga, utrumque periculoſum latus evita*: hæreſes ſcilicet Sabellianam, & Arianam. *Jam dicis, Pater Pater eſt; Filius Filius eſt: bene periculum abſorbentis gurgitis evaſiſti. Quid vis ire in alteram partem, ut dicas, aliud eſt Pater, Filius aliud? Alius eſt, recte dicis: aliud, non recte. Alius enim eſt Filius, quia non eſt ipſe, qui Pater; & alius eſt Pater, quia non ipſe, qui Filius: non tamen aliud; ſed hoc ipſum eſt & Pater, & Filius ....* Ego, & Pater unum ſumus: *utrumque audi, &* unum, & ſumus; *& a Charybdi, & Scylla liberaberis. In duobus iſtis verbis, quod dixit*, unum, *liberat te ab Ario; quod dixit*, ſumus, *liberat te a Sabellio*. Et tract. 39. num. 4. *Eſt ſibi*, inquit, *aliquid ineffabile, quod verbis explicari non poſſit, ut & numerus ſit, & numerus non ſit. Videte enim, ſi non quaſi apparet numerus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? Deſi-*

cit

Digitized by Google

cit numerus .... Quia tres ſunt, *tanquam eſt numerus: ſi quæris*, *quid tres? Non eſt numerus*. Omnino cum interrogas, Quid? a Deo, ut Trino, ad eundem tranſitum facis, ut eſt Unus, & ſumme Unus, atque adeo Unitas ipſa; de qua diſputavi in Hilario, qui dialogus eſt Platonis Chriſtiani de Unitate, & Trinitate. Hinc apud Athanaſium in Symbolo *Quicunque* &c. non dicuntur *tres æterni*, *aut tres immenſi*; ſed unus. Quia cum aliquis dicitur immenſus, dicitur æternus; dicitur, Quid ſit. Ad hanc ipſam loquendi normam Anſelmus in Proſol. cap. 23. in Libro de Proceſ. Spir. Sancti cap. 24. & in Monol. cap. 43. „ Quod eſt ſingulus quiſque, hoc eſt tota Trinitas ſimul, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: quoniam ſingulus quiſque non eſt aliud, quam ſumme ſimplex unitas, & ſumme una ſimplicitas; quæ nec multiplicari, nec aliud, & aliud eſſe poteſt .... Sicuti ſolus, & ſimplex Deus non habet in ſe aliquid diverſum; ſic Filius non habet aliquid in ſe diverſum a Patre; ſed ſicut habet ab illo perfecte eſſe; ita habet per omnia ab eodem æqualem illi, & ſimilem, immo id ipſum eſſe ... eſt tamen alius ille, alius iſte &c. Sic eſt alius Pater, alius Filius; ut cum ambos dixerim, videam me duos dixiſſe: & ſic eſt idipſum quod eſt, & Pater, & Filius; ut non intelligam, quid duos dixerim. " Bernardus ſimiliter Epiſt. 190. ſeu tract. de error. Abaelardi cap. 2. n. 4. & cap. 3. n 6.

Id vero magis etiam declarant hoc pacto; ut quemadmodum in Chriſto eſt vere, & proprie aliud, & aliud; nullo autem modo alius, & alius: ſic e contrario in Trinitate ſit vere, & proprie alius, & alius; nullo autem modo aliud, & aliud. Ita Gregorius Naz. in prima Epiſtola ad Cledonium. *Aliud*, *& aliud ſunt ea*, *ex quibus Salvator conſtat*; *non tamen alius*, *atque alius* &c. *Dico autem aliud*, *atque aliud*, *contra quam in Trinitate res habet*. *Ibi enim alius*, *atque alius*; *non autem aliud*, *atque aliud*. Vincentius Lirin. de prophanis vocum novitat. cap. 19 *Quemadmodum in Trinitate alius*, *atque alius*, *non aliud*, *atque aliud*: *in Salvatore aliud*, *atque aliud*; *non alius*, *atque alius*. Idem iiſdem verbis docent Alchuinus Lib. III. de Trinit. cap. 13. Rhabbanus Lib. I. de Univer. cap. 4. Petrus Damiani Opuſc. 1. cap. 5. Anſelmus de Fide Trinit. cap. 6. &c. Paſchaſius Diacon. Lib. II. de Spir. Sanct. cap. 4. Richardus Victor. Lib. IV. de Trinit. cap. 9. & 10. Bernardus Lib. V. de Conſid. cap. 9. n. 20. &c. Notandum vero ex Concilio Epheſ. par. 4. cap. 3. §. ult. *Chriſtum ita eſſe unum*, *ut nec intellectu*, *ſeu cogitatione aut ratione in eo diſtingui poſſit alius*, *& alius*. Si ergo in Trinitate ita non eſt aliud, & aliud, ut in Chriſto non eſt alius, & alius; nec intellectu, ſeu cogitatione, aut ratione diſtingui in Trinitate poteſt aliud, & aliud.

His vero non officit, quod in aliquorum etiam Veterum ſcriptis, Eccleſiæ probatis, divinæ Perſonæ, earumque proprietates vocentur alicubi *tria*; ſeu, *tres res*; ſeu, *tres res relativæ*: cum enim in Concilio Lateranenſi, in quo ita omnia obſervata, ac diligenter expenſa fuerunt, definitum ſit, *tres divinas Perſonas eſſe unam rem omnino ſimplicem*; *non eſſe illas aliud*, *& aliud*; *ſed idem omnino*; atque idem ſcripſerint Patres a me producti, ſummo conſenſu; planum eſt, idcirco aliquos eo alio modo nonnunquam locutos, ne aut divinas Perſonas eſſe mera nomina; aut negationes meras, ac mentis dumtaxat noſtræ reſpectus eſſe Relationes divinas, opinari viderentur. Hac de cauſa Græci etiam orthodoxi aliquando tres Perſonas τρεῖς οὐσίας, *tres ſubſtantias* dicere, vel ab aliis ſic dictas non plane improbarunt. Vide Auguſtinum Lib. VII. de Trinit. cap. 4. n. 7. & Petavium tom. 2. Lib. IV. cap. 2. *Commune* autem, & *proprium*, quæ tanquam duo videntur etiam aliqui veteres interdum diſtinguere; idem ſunt, atque *abſolutum*, & *relativum* Neutrum, & Maſculinum. Quæ ipſa, ut non duo quædam ſint, ſed id ipſum aliter, ex iis, quæ mox dicturus ſum melius cognoſces.

Hoc poſito, & ſtabilito, quod noſtri hujus Syſtematis fundamentum, & caput eſt; triplex mihi ſe offert ratio, & via explicandi Trinitatis myſterium, & ab objectis difficultatibus vindicandi, ut mihi quidem videtur, & mox oſtendam; aliquanto planior, atque commodior, quam quæ tritæ Scholaſticis hoc præſertim tem-

Digitized by Google

tempore ſunt. Nihil horum trium eſt novum, aut a me primum excogitatum; inveni hæc apud Patres; eaque inter ſe collata mihi videntur æque probabilia; & tum ſacris Litteris, tum in iis, quæ ſuperiori diſputatione confecimus, æque conſentanea, & congruentia: inter ſe vero ita cohærent; ut ſi quid erit, quod a me prætermiſſum, aut non ſatis explanatum fuerit una via, ejus cognitio, atque explicatio peti poſſit ex alia; ſeſeque tria hæc invicem ſuppleant, atque perficiant. Ea quam breviſſime expono.

Primum inveni apud Dionyſium Areopagitam; qui cap. 5. de div. Nomin. §. 4. *ſummam totius veri, ſincerique entis plenitudinem & in Deo eſse* ait, *& circa illum ſubſiſtere*. Quo non ipſummet divinum Ens ullo modo diſtinguit; quod quidem non modo unicum, ac ſumme ſimplex eſſe dicit; ſed §. 9. illud appellat, ac propemodum definit, *Infinitatem ſuperſimplicem, omne prorſus duplicitatis genus reſpuentem*: non ipſum igitur, ſed ejus tantummodo ſtatus diſtinguit. Hos enim pluribus in locis, & expreſſius cap. 2. & 5. de div. Nom. duos primum conſtituit. Unum perfectiſſimæ poſſeſſionis totius puri entis, ſive omnium ſimul bonorum; alterum perfectiſſimæ communicationis. Primum Monadi, ac Centro comparat; quæ ipſi familiares ſimilitudines ſunt; & ſtatum vocat *quietis*, *unionis*, *ſingularitatis*: alterum comparat numeris, ac lineis; & ſtatum appellat, *progreſſionis*, *diſcretionis*, *pluralitatis*. Scholaſtice dici poſſunt, ille quidem ſtatus ſive exiſtendi modus abſolutus, hic autem relativus. Ad illum pertinet nomen *Eloha*, ac neutra pronomina: ad hunc vero nomen *Elohim*, & pronomina maſculina. Itaque divina Perſona, ſive Hypoſtaſis apud Dionyſium eſt, ſumma totius puri entis plenitudo in ſtatu communicationis, ſeu relativo. Perſonæ autem proprietas, ſeu, Perſonalitas, eſt ſtatus ipſe communicationis, ſeu, relativus. Atque hic ſtatus proprie non eſt aliquid, ſed ad aliquid. Ut enim ait S. Thomas in 1. diſt. 20. q. 1. a. 1. ad 3. *Ad aliquid, ſecundum quod ad aliud refertur, non habet, quod ſit ſimpliciter aliquid*. Quo pariter faciunt, quæ ſupra dedimus ex Bonaventura: *nec proprie diverſitas eſt, ſed diſtinctio, & diſcretio* ... *Nec eſt in ſuppoſitis proprie loquendo diverſitas, ſed diſtinctio*. Recole quæ ſupra dicta ſunt de divinis Relationibus. Porro ſecundus hic ſtatus, prout communicationis perfectiſſimæ ratio poſtulat, trifariam diſtinguitur; atque ea quidem diſtinctione, quam fert originis oppoſitio: ut ſint propterea in Deo vere, & proprie tres Perſonæ, ſive Hypoſtaſes, inter ſe re ipſa diſtinctæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Quod ſi quæras, quænam diſtinctio intercedat inter ſtatum poſſeſſionis, & communicationis; ſive, abſolutum, & relativum: reſpondeo, unam ex minoribus intercedere; quibus ſcilicet utuntur Scholaſtici, qui Perſonarum proprietates a Natura, tanquam rem a re, vel ens ab ente diſtingunt, & in una, eademque divina Perſona ponunt aliud, & aliud; unum communicabile, quod ſit natura, & alterum incommunicabile, quod ſit relatio, proprietas, perſonalitas, ſubſiſtentia, & quibus aliis nominibus, ſive appellationibus hoc alterum ſignant. Si ergo inter iſta duo ſatis eſſe putas adhibere diſtinctionem rationis, eandem adhibeto inter hos duos ſtatus, ſive exiſtendi modos, quos dixi. Sin vero opus eſſe arbitraris ea diſtinctione, quam Thomiſticam hodie nuncupant; vel, quod minus probarem, diſtinctione Scotiſtica; alterutra ex iſtis hic pariter utitor. Magis enim ferendum videtur, te ita partiri ſtatum, quam ens. Ut enim ſint cætera æqualia; id ſaltem hac via ſemper proficies, quod de Deo, aliquanto dignius ſumma ipſius unitate, ac ſimplicitate, cogitas. Verum nec ſunt æqualia cætera; explicanturque apud nos omnia commodius. Siquidem natura, ſive ſumma totius puri entis vel plenitudo, vel actualitas, ut loqui placuerit, neque gignit, neque gignitur, pro ſtatu poſſeſſionis; ſive, ſecundum exiſtendi modum abſolutum, quo ſpectat notio perceptioque propria naturæ, & eſſentiæ. Eadem vero & gignit, & gignitur, pro ſtatu communicationis; ſive, ſecundum exiſtendi modum relativum, quo ſpectat notio intellectioque propria Perſonæ. Atque hinc eſt, quod gigni, & gignere, non natura dicitur, ſed Perſona. Præterea ſic etiam facilius intelliges, ut totus Pater Filium gignat totum; *totus de toto* &c. *Deus de*

Digitized by Google

Deo &c. Quod contra opinati ſunt Autotheani, in primis vero Calvinus, qui Filium, qua Deus eſt, a Patre originem accepiſſe negabat; accepiſſe autem fatebatur, qua Filius eſt. Quos refellit Dionyſius Petavius theolog. Dogm. tom. 1. Lib. II. cap. 3. n. 6. & tom. 2. Lib. III. cap. 3. n. 3. Etenim ſi Filius, qua Deus, & qua Filius eſt, una res eſt ſimpliciſſima, ut ex ſacra auctoritate paulo ante oſtendi; profecto gigni a Patre non poteſt, ut Filius eſt, quin idem gignatur, ut Deus eſt. Quod declarari, qui ſatis poſſit ab eis, qui de Perſona cogitant, tanquam de re compoſita; in eaque aut ratione, aut plus etiam quam ratione duo entia diſtinguunt, unum commune, alterum proprium, non video. Denique ſic etiam melius intelliges, ut totus Pater, Filius totus, & totus itidem Spiritus Sanctus inter ſe diſtinguantur; nec ſolum Perſonalitates tres, ſed tres etiam Perſonæ re vera ſint, & dici debeant: & tamen quod eſt Pater, id ipſum totum ſit Filius, idemque ipſum pariter totum ſit Spiritus Sanctus: *non ſint aliud, & aliud; ſed idem omnino*, ut Lateranenſe decernit. Quæ quidem adverſarii explicant ex recto, & obliquo, quæ apud ipſos veniunt in denominatione Perſonæ. Apud nos autem ſic explicantur, ut dicamus eos diſtingui ſecundum alterum ſtatum, ſive exiſtendi modum, ad quem, ut dixi, reſpiciunt maſculina pronomina, & intellectio, conceptioque propria perſonæ. Non diſtingui autem ſecundum primum ſtatum, ſive exiſtendi modum, quem deſignant pronomina neutra, & quo ſpectant intellectus, conceptuſque omnes proprii naturæ. Porro non pugnant inter ſe, nec per ſe notis principiis adverſantur hæc duo: non ſunt iidem, & tamen ſunt penitus idem: quippe quæ ad duplicem ſtatum, ſive exiſtendi modum referuntur. Et tamen remanet, quo myſterium ſit plane admirabile, & omnem creatæ mentis intelligentiam, captumque ſuperet; quod ſcilicet unius ejuſdemque rei ſit duplex hic ſtatus, atque exiſtendi ratio; de qua dictum ſatis exiſtimo.

Expono alteram viam, quam indicare videtur Gregorius Nazianzenus: mihi certe ſe oſtendit, ac menti occurrit ipſum legenti. Siquidem hic in eo Carmine, quod ſcripſit de vita ſua μονάδα τριάζεσθαι *Monadem triplicari*, ait. Quod, dictum ſcilicet aliquanto durius, cum ibi, tum in orat. 13. 35. & 38. ſic explicat, ut Monas nullo modo a ſe ipſa diſcedat; nec ſint tres unitates in Deo; ſed ipſa eadem unitas ſimul vere, & proprie ter ſit, & ſubſiſtat. Quare τριάζεσθαι apud Nazianzenum eſt potius eſſe ter, quam eſſe triplex, ſeu triplicari: aut certe, *Monadem triplicari* idem fere eſt in ſuo genere apud illum, quod apud Scholaſticos eſt, rem quampiam *replicari*; hoc eſt; duobus, vel pluribus ſimul in locis divinitus poni. Quo quidem modo quantumvis aliquid & triplicetur, & quadruplicetur, & quincuplicetur; ſi ita loqui fas eſt nullo modo a ſua unitate diſcedet. Quemadmodum de Chriſto Domino in Euchariſtia, Fide divina credimus; ac litteris proditum de Antonio Patavino, Franciſco Xaverio, aliiſque ſanctis viris accepimus; eos pluribus ſimul in locis aliquando viſos. Video ſane, & fateor multum eſſe, atque adeo infinitum, quod inter ſimilitudinem hanc, & rei de qua nunc agitur veritatem, intereſt ab omni parte. Sed enim, ut mihi pariter videtur, ſimilitudo hæc accomodatior eſt captui noſtro, & omnino aptior, quam cæteræ, quæ ſolent afferri; & ad declarandam Gregorii mentem ea quoque plurimum facit. Finge igitur, unam eandemque auri maſſam triſariam ſimul a Deo & locari, & figurari. Uno in loco ſphæra, ſeu globus; in altero cubus; in tertio pyramis ſit. Nimirum ibi non tria dumtaxat nomina, aut tituli ſine re; ſed tres extarent ſolidæ figuræ, inter ſe oppoſitæ; ac proinde etiam diſtinctæ; ac vere alia, atque alia: & tamen non aliud eſſet, atque aliud aurum; ſed idem omnino. Immo, ut præclari, & nobiles philoſophi ſentiunt, eſſet etiam idem omnino ens: nihil minus in una, quam in tribus; nihil majus in tribus, quam in una. Ita ſcilicet Gabriel, Marſilius, Gregorius, & alii ex Nominalibus. Quibus acceſſerunt Thomiſtæ, & Scotiſtæ plures; nec pauci ex Noſtris, aut parum noti, & inſignes, ut Fonſeca, & Suarez in metaphyſicis, Valentia, Leſſius, VVadingo, Martinonus, Conink, & alii etiam recentiores. Horum omnium opinio eſt, figu-

Digitized by Google

figuram, ac modos cæteros, neque re, neque ratione quicquam entis adjicere ad rem illam, cujus ſunt modi: non quia ſint aliquid dumtaxat negans, atque entis expers; ſed quia quidquid entis ſunt, id totum proprie, & formaliter ſunt per entitatem illius rei, in qua ſunt. Quare *inter ſe comparati, manent; comparati cum illa, tranſeunt*: quemadmodum de divinis Relationibus locutus eſt Bonaventura locis ſup. notatis. Quas Relationes *modos*, ut vidimus, non ſemel appellat: haud ille profecto ad mentem Durandi; ſed in hanc ipſam ſententiam. Quippe cum hos modos *eſſentiæ nihil addere*, dicat expreſſe in 1. diſt. 33. q. 2. Quod ipſum docere videtur S. Thomas, qui pluribus in locis ſup. cit. ſed maxime in 1. diſt. 20. q. 1. a. 1. ait, *Relationem, ſecundum propriam rationem ſuam, qua diſtinguitur a Relatione oppoſita, non dicere aliquid, ſed potius ad aliquid*. Et ſic pariter non patrocinari Durando credendi ſunt Patres, qui de divinis Relationibus idem *modi* nomen uſurpant; Juſtinus Conf. veræ Fid. *Ingenitus, Genitus, & Procedens eſſendi modos determinant*; Baſilius Lib. IV. cont. Eunom. cap. n. 1. *Innaſcibilitas ſubſtantiæ modus*; & alii plures ſupra commemorati: ſed in hanc ſententiam ſunt exponendi. Immo vero ſic exiſtimo, peculiarem hunc Modi intellectum, ſive notionem ex ſchola Nominalium deſumptam, rerum creatarum modis minime convenire; pro quibus tamen excogitata eſt, ac defenditur ab auctoribus ſuis: convenire autem iis tribus exiſtendi modis, ut Patres loquuntur, quibus ſubſiſtit, ac rota eademque repetitur, communicaturque divina Monas; ideſt, ſumma totius puri entis actualitas, & plenitudo: quæ ob idipſum, quod ſumma eſt, nihil entis ex illis ei poteſt ſuperfundi, & accedere. Hinc objici mihi non poterit, Trinitatis myſterium hac via commune fieri cum rebus creatis: & omnino alterutrum ſequi, nimium aut has attolli, aut illud deprimi. Cum res creatas, ac præſertim corporeas, quod ſunt valde imperfectæ, & pluribus indigent; modis propterea longe diverſi generis aſfici, & aliqua recula, qualiſcunque ea demum ſit, exinde augeri, & aſpergi neceſſe putem. Quanquam multa quoque eſſe videntur, atque adeo, ut dixi, infinita, quamobrem iſtam reprehenſionem, ac notam illi etiam effugere fortaſſe poſſint, qui ſententiam doctrinamque hanc Nominalium ſic transferant ad divina, ut in noſtris quoque retineant. Figuris enim iis tribus, quas dixi, ea quidem aptari poſſe videntur, quæ ſupra retuli ex Auguſtino: *Videte, ſi non quaſi apparet numerus*; tres figuræ inter ſe oppoſitæ, Sphæra, Cubus, Pyramis. *Si tres, quid tres? Deficit numerus. Quia tres figuræ ſunt, tamquam eſt numerus: ſi quæris, quid tres? non eſt numerus*. Magna ſane, atque admiranda, & quæ pariter vix percipi poſſe videantur. Quorum tamen, ſi conferantur cum Trinitatis myſterio, ſit valde diſpar, & longe diverſa ratio. Nam eſſe tribus ſimul in locis, ac figura illa triplici, aurum nec petit ex ſeſe, nec ſuapte vi, aut aliter quam divinitus poteſt. Præterea, in quo poſita eſt trium Hypoſtaſeon ratio, ſeu divinarum Perſonarum vera diſtinctio, prima illa figura nec gignit, nec ullo modo producit alteram; nec ambæ tertiam. Denique infinite diſtant hæc inter ſe, neque ulla eſt comparatio inter collocationem, conformationemque triplicem ejuſdem auri, quam hic confingimus, ac triplicem exiſtendi modum divinæ Monadis, quem ex Nazianzeno, & ſacra omni auctoritate nuper deſcripſimus; inter corporeas figuras, & divinas Perſonas; inter geometricas dimenſiones, & hypoſtaticos characteres. Illud animadverti volo, tum in hac via, tum in reliquis duabus, his imaginibus, atque exemplis, myſterii difficultatem non penitus tollere ſed dumtaxat minuere, & mitigare, nobis eſſe propoſitum.

Tertia via non modo cohæret cum iis, quæ in antecedenti diſputatione ſtabilita jam ſunt, verum illa etiam continuat. Quamobrem mihi plus aliquanto placet, & probatur, quam reliquæ duæ nunc expoſitæ. Hæc poſita eſt in illo admirabili eſſendi, ut ſic dicam, atque exiſtendi modo, quo Deus quicquid habet, illud eſt; & quicquid eſt, eo eſt id omne, quodeſt: ut in memorata diſputatione explicavimus. Viam hanc monſtraſſe videntur Auguſtinus, & Thomas locis ſup. cit. ſcilicet alter cum ſcripſit Lib. VII. de

Trinit.

Trinit. cap. 6. n. 11. *quemadmodum Deo hoc eſt eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe; ita hoc illi eſt eſſe, quod Perſonam eſſe. Neque cum dicimus Perſonam Patris, aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris.* Alter vero cum in 1. Sent. diſt. 2. q. 1. a. 5. & alibi generatim docuit, *Relationes divinas, non niſi ratione, nec majori diſtinctione ab eſſentia diſtingui, quam attributa.* Et cum diſt. 20. q. 1. a. 1. dixit expreſſe: *Eſſe ſapientiæ eſt ipſum eſſe divinum, & non eſſe ſuperadditum: & ſimiliter eſſe Paternitatis.* Secus vero, *hominis, & riſibilis non eſt unum eſſe; ſicut eſt unum eſſe Paternitatis, & Filiationis;* videlicet eſſe ipſum eſſentiæ. Ita q. 1. de verit. a. 5. ad 20. Hactenus Auguſtinus, & Thomas: ex his porro ini tiis, quæ mihi hi ambo commonſtrant, conſideratis iis omnibus, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, & fundamenti loco poſita, illuc progredi mihi poſſe videor, ut dicam, Relationes divinas, quæ comparatæ cum eſſentia, eadem diſtinctione rationis ab illa diſtinguuntur, qua perfectiones abſolutæ; inter ſe comparatas invicem diſtingui vera quidem, quam vocant diſtinctione reali; ſed quæ in ſuo genere minima ſit, ut docet expreſſe S. Thomas p. 1. q. 40. a. 2. ad 3. Petrus de Alliaco in 1. diſt. 3. q. 7. & alii: hoc eſt, ut interpretor, quæ in ſuo genere referat diſtinctionem rationis, quæ inter perfectiones abſolutas, ſententia noſtra, intercedit. Sic ſcilicet, ut Paternitas, & Filiatio ita invicem diſtinguantur, ſicut invicem diſtinguerentur Potentia, & Sapientia; ſi qualis in noſtro ſyſtemate eſt inter has diſtinctio dumtaxat rationis, ſeu cogitationis, talis inter eaſdem foret diſtinctio rei. Nam ſi perfectiones hæ duæ abſolutæ ita invicem diſtinguerentur re ipſa, ſicut invicem diſtinguntur noſtro intelligendi modo; quoniam ut oſtenſum eſt ſupra, utraque ex ſua propria notiones, ac mentis noſtræ conceptu ſummum affert totius puri entis actum, altera quidem ſub explicita ratione potentiæ, altera vero ſub explicita ratione ſapientiæ; quemadmodum iſtiuſmodi diſtinctiones non intelliguntur a nobis, tanquam duo quædam, ac proprie aliud, & aliud; ſed ipſum idem aliter, & aliter: ſic pariter non duo quædam, ac proprie aliud, & aliud; ſed id ipſum aliter, & aliter forent in ſemetipſis. Id quod de Paternitate, & Filiatione contendimus. Dixi autem, ut mihi videor, merito tertiam hanc viam meditationemque meam cum iis, quæ in ſuperiori diſputatione conſtituta ſunt, non ſolum congruere, verum etiam continuari. Nam quod Deus ſit infinitus, & ſit infinite, eſt, quod Deus perfectiones omnes ſe dignas poſſideat, eaſque poſſideat perfectiſſimo modo: ſive, quod ſumma totius puri entis & plenitudo, & actualitas ſit. Is autem perfectiſſimus modus, hæc actualitas ſumma in eo eſt, quod Deus in ſemetipſo ita ſit, & ſic habeat; ut nullum verum bonum, nulla ſincera perfectio, cogitari de illo queat rite, & convenienter, quin cogitetur id eſſe actu; eoque actu, tanquam in centro lineæ, ſimul includi, adducique putentur cætera omnia bona, ac perfectiones, quæ de ipſo prædicantur. Quare quod Deus in ſe ipſo ſit infinite, ea demum nobis eſt ratio, &, ut ita dicam, meritum in ipſa re, cur in mente noſtra in ſingulis perfectionibus perfectiones univerſas obtineat plene, & perfecte; ac proinde innumeris quibuſdam quaſi repetitionibus, atque iterationibus ſui totius, ſit infinities actus ille ſummus, ſive ſummum illud Eſſe, quod eſt. Quoniam vero inter omnes perfectiones Deo dignas ſumma etiam fœcunditas eſt, & communicatio interior; atque hæc aliqaibus perfectionibus proprie peragitur, teneturque, quæ inter ſe non qualemcunque reſpectum, & habitudinem, ſed & oppoſitionem, quæ eſt ex origine, ac proprietatem habent hypoſtaſis; qua ratione Deus in mente noſtra, ſeu noſtro intelligendi modo, eſt infinities id omne quod eſt, ſeu ſummum Eſſe; eadem ratione re ipſa, & in tribus veris Perſonis ter eſt id pariter omne quod eſt, idemque Eſſe ſummum. Quod ſi eadem ratione & noſtro cogitandi modo infinities, & re vera ter eſt quicquid entis, ac perfectionis eſt; ſequitur, ut inter diſtinctionem rationis, qua in infinitis perfectionibus abſolutis eſt infinities id quod eſt; & diſtinctionem rei, qua in tribus perfectionibus relativis ter eſt idem ipſum, proportio & convenientia ſit, quanta eſſe maxima poteſt, diverſoque in genere ſint quam ſimillimæ.

Et ſicut in Deo infiniti ſunt tituli, ut ſic loquar, perfecte poſſidendi perfectionem ſummam, cogitatione diſtincti, ut potentia, ſapientia, providentia, miſericordia, juſtitia &c. ſic pariter ſummam eandem perfectionem perfecte poſſidendi tres ſunt tituli re vera diſtincti, ut Paternitas, Filiatio, Proceſſio &c. Jam vero, ſi Paternitas, & Filiatio (de Proceſſione, ſeu de Spiratione paſſiva dicendum idem) comparatæ cum eſſentia, ab illa ſic diſtinguntur, ad eamque ita ſe habent, ut perfectiones abſolutæ, potentia, ſapientia, ac cæteræ; harum exemplo commodius intelliges, ut Relationes divinæ *reales* ſint; ut noſtra etiam ſententia divinarum Perſonarum proprietates & ſint vere; ac vera etiam perfectio ſuo in genere ſint, & tamen eſſentiæ nihil quicquam adjiciant, ac ſuperaſtruant. Denique, ut nos etiam in quaque divina Perſona conſideratione diſtinguamus commune, & proprium; non quidem ut ea invicem diſcludamus; ſive habeamus, tanquam duo, quorum unum non ſit formaliter alterum: ſed ut ſint nobis idem ipſum, etiam ratione, & cogitatione noſtra; aliter tamen, ut eſt in ea mentis perceptione, quæ eſt de natura, ſive eſſentia, ut cum dicitur, Deus, vel ſummum Eſſe; aliter in ea, quæ eſt de perſona, ut cum dicitur, Pater; & paulo aliter etiam ab hac, in ea, quæ eſt de perſonalitate, ut cum dicitur, paternitas. Quemadmodum ſcilicet id ipſum venit noſtro etiam cogitandi modo; ſed tamen aliter, cum dicimus Deum, vel Actum ſummum, aut quidpiam ſimile; aliter cum dicimus omnipotentem; & aliter quoque, cum dicimus omnipotentiam. Quæ percepta, & notiones abſtractæ, ſeu abſolutæ, ut omnipotentia, ſeu relativæ, ut paternitas, in hoc ſyſtemate noſtro ratione, & cogitatione non magis differunt ab eo, quod ipſis ſubjicitur, ſeu ſit abſolutum, ut omnipotens, ſeu relativum, ut Pater; quam ratione, aut cogitatione differat ab homine humanitas, ſeu melius, a Deo Deitas. Nempe quod ſinguli illi mentis noſtræ conceptus, informationes, atque expreſſiones diverſæ quidem ſunt; ſed tamen propriæ, & formales, quas vocant, ejuſdem *ſuperſimplicis infinitatis*, *omne duplicitatis*, ſeu compoſitionis, *genus reſpuentis* (Dionyſ. ſup. cit.) Præterea, ſi Paternitas, & Filiatio, inter ſe comparatæ, ita invicem diſtinguuntur re ipſa, uti potentia, & ſapientia invicem apud nos diſtinguuntur ratione intelligentiam, explicationemque minus ſane difficilem, & impeditam mihi videtur habere, quod Paternitas, & Filiatio duæ ſint Relationes, &, ſi vis etiam perfectiones itidem duæ; alia, & alia, reapſe diſtinctæ: nec tamen ſint aliud, & aliud; ſed idem omnino. Nimirum, ut aliud, & aliud ne intellectu quidem cogitatuque noſtro ſunt potentia, & ſapientia, quamvis eædem in mente noſtra perfectiones duæ ſint, & diverſæ. Nec vero dixeris, diſtinctionem, differentiamque illam, quæ petitur ex explicitis potentiæ, & ſapientiæ rationibus, externam eſſe, & ad noſtrum dumtaxat cognoſcendi modum pertinere; nec poſſe ad rem ipſam, ſive, ut ajunt, a ſtatu intentionali ad ſtatum realem traduci, & ad declarandum interius illud diſcrimen, quod eſt inter Paternitatem, & Filietatem, aptari. Cum enim hæ duæ diſtinctiones, ac differentiæ interior, & exterior ex eodem actus ſummi, ſeu *ſuperſimplicis infinitatis* fonte naſcantur, perquam probabile eſt, inter utramque maxime convenire; atque illud potiſſimum, quod utraque in ſuo genere minima ſit. Quod diſerte monent S. Thomas ac Petrus de Alliaco ſup. cit. Præterea in eo eſt ſimilitudinis, & argumenti vis, quod ſicuti ſummum Eſſe noſtro intelligendi modo eſt aliter, & aliter, quin ipſo eodem intelligendi modo ſit aliud, & aliud; ſic etiam & noſtro intelligendi modo, & re ipſa ſit aliter, & aliter, in pluribus ſcilicet divinis Perſonis, quarum una generans ſit, altera genita, tertia procedens, quin ſit in iiſdem ullo modo, vel re ſcilicet, vel ratione, aliud, & aliud; ſed ſit idem omnino. Hæc, ut tres unum ſint. Ut autem Perſona generet, ac generetur; ſecus vero Natura, ad pervulgatum illud pertinet ſcholæ ſcitum ex Ariſtotele 1. de Anim. text. 64. & expreſſius ex Damaſceno 3. de Fid. cap. 15. §. 2. *Actiones ſunt ſuppoſitorum*. Quo in hac ipſa re præter D. Thomam, & alios doctores ſcholaſticos uſi Johannes theolog. in Concilio Florent. Seſ. 19. & Card. Beſſarion in Lib. ſeu

Digitized by Google

Epiſt. de Proceſ. Spir. S. cap. 7. ſ. 7. Ratio autem Suppoſiti, ac Perſonæ, perfectionem habet; atque in Deo maxime. Et ſic pariter Relatio, & proprietas, character, & ſimilia. Quamobrem de illis, ſicut de reliquis Dei perfectionibus eſt diſſerendum. Ac ſicut attributum eſt ſummum Eſſe incluſum in perfectione abſoluta; ſic Perſona eſt ſummum idem Eſſe incluſum in perfectione relativa: nimirum ex illo Auguſtini, *Quemadmodum Deo hoc eſt eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe; ita hòc illi eſt eſſe, quod Perſonam eſſe*. Ex quo hæc tertia via ſe nobis aperuit explanandi, tuendique Trinitatis Myſterium, adverſus ea præſertim, quæ ipſi objiciuntur ex lumine naturæ, ac principiis per ſe notis. Quod cum ſatis commode, ut mihi videtur, tum hac ipſa via, tum ſuperioribus duabus præſtitum ſit; atque in his omnibus illud ſit rite ſervatum, quod ſacra auctoritate, & ratione theologica ſervandum oſtendimus, ut in Deo nec re ipſa, nec conſideratione noſtra ſit proprie aliud, & aliud; conſequens eſt, ut Trinitatis myſterium eſſe dumtaxat ſupra, non autem contra rationem, eo ſyſtemate explicandum videatur, in quo hoc primum, & præcipuum ſit, in Deo nec re, nec ratione eſſe proprie aliud, & aliud. Quod erat propoſitum.

Ad primum, miſſis aliis, de quibus tametſi reor jam ſatisfactum pleniſſime, in alterius tamen oppugnationis confutatione addam nonnihil; dicendum, ex notatis hæreſum ſcopulis eſſe nullum, ad quem Syſtema noſtrum vel offendat, vel propius accedat, quam Eccleſiæ ſanctiones, & Sapientum placita ſinant. Ad Arianis, ac Semiarianis, ab errore Gilberti, aliorumque omnium, qui de ſumma Dei unitate, ac ſimplicitate perperam opinati ſunt, abeſſe nos quam longiſſime, nemo non videt. Quippe cum omne prorſus compoſitionis genus, non interioris modo, ſed etiam dumtaxat externæ removeamus a Deo. Nimirum Concilii Epheſini præſcriptum ſequuti, in quo par. 4. cap. 3. ſ. 5. de Chriſti Perſona, & univerſe de Deo ita cogitare jubemur, ut quanto magis fieri poteſt, cum unitate, & ſimplicitate rei congruat conſideratio noſtra. Utrum rei hujuſce ſatagant, viderint ii, qui in quaque divina Perſona, atque in Deo paſſim aliud, & aliud, & quidem non ratione ſolum, ſed aliquatenus re quoque ipſa diſtinguunt. Nec vero nos in alterum ſcopulum, qui eſt ex adverſo, propterea incurrimus; ſed quo maxime probandum videtur Syſtema noſtrum, a Sabellianis longius pariter abhorremus, quam cæteri. Nam profecto, quod vere ſint tres divinæ Perſonæ, non mera, & nuda vocabula, aut rationis noſtræ commenta catholici quidem fatemur omnes: veruntamen id explicare videntur ii melius, qui totius puri entis actum, plenitudinemque ſummam ter eſſe, & ſubſiſtere dixerint, non multiplicatione exiſtentiæ, aut cujuſquam divinæ perfectionis, ſed quadam quaſi replicatione, ſeu repetitione, ac repoſitione ſui; quod fecimus nos triplici via: quam theologi illi, qui non trina, atque hypoſtatica repetitione, & quaſi repoſitione ejuſdem ſummæ rei; ſed trium dumtaxat hypoſtaticarum proprietatum ad ſummam rem illam adjectu, & appoſitu tres divinas Perſonas conſtituunt, inter ſeſeque diſtinguunt. Hoc vero nos non tantum a Sabellianis; ſed etiam ab Autotheanis longe ſejungimur. Quem ſcopulum in oppugnatione minime notatum, utrum ii ſatis caveant, quos in hac meditatione, ſententiaque noſtra adverſarios habemus, aliorum judicium ſit. Novitas objici mihi non poteſt. Etſi enim tres illæ viæ, in quas Syſtema meum ſe quadammodo findit, ac dividit, apud Patres, quos earum auctores facio, non reperiantur, uti prorſus a me ſunt expoſitæ; cum id tamen, quod in hoc ſyſtemate præcipuum eſt, ipſarum commune ſit; eoque omnes coëant, ut in divinis Perſonis nullo modo ſit aliud, & aliud; ſed ſint idem omnino; quoniam hæc ipſa verba ſunt Conciliorum, etiam generalium, ac fere omnium SS. Patrum, niſi quis plane rudes, & ineruditas ad hæc aures afferat, timendum non eſt, ne ipſi minus recte, & catholice ſonent. Antiquitatis ſe profecto parum ſtudioſum oſtendat, neceſſe eſt, qui accuſet hæc novitatis.

Ad ſecundum, concedendum Scholaſticorum ſententiis, quæ quidem mihi notæ ſunt, & Academias hoc tempore obtinent,

tinent, neque per ſe notis principiis, neque myſterio ipſi prorſus ſatisfieri. Negandum vero hac ipſa de cauſa, uſque eo a ſcholaſticis occupata eſſe, omnia, ut ſperandum mihi non fuerit, ſive in ſacris Voluminibus, ſive in Patrum ſcriptis eſſe aliquid, aut detegi poſſe, quo componerentur hæc aliquanto melius; Dicendum denique, vel id ſolum, quod tripartiti hujus ſyſtematis quaſi fundamentum poſui, magis quam memoratas Scholaſticorum ſententias, ad hoc idoneum videri. Siquidem divinas Perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quia idem ſunt cum uno tertio omnino ſimplici, quod eſt natura, non ſolum dicimus eſſe idem inter ſe; ſed ex Concilio Lateranenſi addimus, *idem omnino*. Quo & myſterio, & principio, pluſquam cæteri dare videmur; ac neutri quicquam detrahere; quod aliis vitio vertitur. At enim Pater, & Filius &c. ſunt quidem omnino idem, veruntamen non ſunt iidem. Ita ſane; id omnino exigit myſterii veritas. Sed veritas principii eo contenta eſt, quod cum idem ſint, atque unum tertium omnino ſimplex, ſint inter ſe omnino idem. Quod iidem ſint inter ſe, non negatur quidem eo principio, quia hoc negare altioris eſt captus, & luminis, quam naturæ: verum neque affirmatur; atque hoc eſt quod myſterium ſit ſupra, non contra rationem. Cæterum hoc ipſum, quo myſterium eſt ſupra rationem, hoc eſt, ut Pater, & Filius &c. cum ſint omnino idem, nullo tamen modo ſint iidem; aliquatenus explicatum eſt ſupra triplici via. Idem dico de reliquis, quæ in prima oppugnatione notantur. Inſtabit vero aliquis, hoc ſyſtemate ſatisfieri quidem Trinitatis myſterio; non ſic autem myſterio Incarnationis. Quid ita? Quia ſi cum Concilio Toletano VI. non diſtinguimus in Trinitate *commune omnium Perſonarum & proprium* cujuſque; conſequens erit, Unionem Hypoſtaticam ad utrunque æqualiter pertinere; ac proinde non minus afficere Patrem, & Spiritum Sanctum, quam Filium. Quaſi vero eadem difficultate non æque urgeantur adverſarii; qui commune, & proprium ita diſtinguunt; ut tamen revera eſſe unum, atque idem, ſi catholici ſunt, fateantur. Reſpondeo; igitur ſatis eſſe, ſi diſtinguantur inter ſe re ipſa Perſonæ. Quod quia adverſus Sabellium, ut in prioris oppugnationis confutatione oſtendi, in noſtro ſyſtemate aliquanto clarius exponitur; idcirco etiam in eo eſt intellectu, explicatuque facilius, ut hominis naturam Filius ſolus aſſumpſerit; vel, quemadmodum Concilium Lateranenſe ſub Martino I. can. 5. & conſult. 15. can. 6. & Athanaſius orat. de Incarn. apud Cyrillum Lib. I. de Fid. ad Regin. loquuntur, ut *una Verbi natura ſit incarnata*. Qui loquendi modus in aliorum Syſtemate difficultatem maxime augeat. Ajo deinde, commune, & proprium a nobis etiam agnoſci, & diſtingui: ſic tamen, ut Provinciale concilium, cujuſmodi Toletanum fuit, omnino intelligendum putemus ex ſententia concilii Oecumenici, quale fuit Lateranenſe IV. & proinde commune, & proprium non ſint nobis duo quædam; aliud, & aliud; ſed idem ipſum omnino; aliter tamen, & aliter: ſive pro duplici ſtatu, aut exiſtendi modo; ut prima via: ſive per quandam ſimilitudinem, aut potius analogiam replicationis, ac repetitionis rei, atque entis prorſus ejuſdem, ut altera via: ſive ex admirabili, atque infinito exiſtendi modo, quo Deus in ſingulis puris perfectionibus plene, perfecteque poſſidet univerſas; ut tertia via. Brevius; quemadmodum non generatur, ſic neque unitur natura ſecundum ſtatum abſolutum, ſed ſecundum relativum; non ſecundum ſe, ſed ut eſt affecta tali modo; vel ut in talem perfectionem incluſa: quamvis nec perfectio, nec ſtatus ſeu re, ſeu ratione quicquam ſuperaddant naturæ; ut eſt explicatum.

Syſtema doctiſſimi viri, cujus in hac oppugnatione fit mentio, ſi hoc excipias, quod ibi admittitur aliud, & aliud, ut maxime apparet diſp. 11. Sect. 1. §. 3. in reliquis non admodum differt a prima via, quam ex Dionyſio & didici, & deſcripſi. In ea deſcriptione ſatisfactum jam eſt iis omnibus, quæ illi ſyſtemati apud nos obiiciuntur. Quanquam in ejus quoque Auctoris ſcriptis facile invenies, unde hæc ipſa confutes. Neque enim defenſione is noſtra indiget. Nobis potius uti præſidia ex eodemque multa petere neceſſe erit; qui præterquam multo hæc operoſius, majori etiam & doctrina, & auctoritate tractavit; atque ita ſcripſit, ut qui-

quibus in rebus, ac difficultatibus Dionyſius ſe nobis abſcondit, aut non ſatis lucet; hunc præeuntem ſequi poſſimus, ac, prope dixerim pro Dionyſio, primæ illius viæ ducem habere; quippe qui nobis non ſolus, ſed cum magnis ſemper autoribus præit.

Ad tertium; dicendum oppugnationis hujus vim omnem infringi eo fere unico verbo, Omnia cum modo; Ne quid nimis; & ſimilibus. Nunquid enim de hac tota re penitus ſilendum theologis eſt? Hæretici non refellendi? Non inſtituendi, inſtruendique catholici? Difficultates, ſi penitus tolli non poſſunt, minui, atque emolliri non debent? *In captivitatem redigendum eſſe intellectum*, ajunt ex Apoſtolo. Ita quidem; ſed hoc ipſum intelligendum cum modo. Non eſt humanæ mentis captivitas, qualis olim Samſonis, aut Sedeciæ; ut occæcari penitus queat. Quomodo Fides non adverſetur rationi, planum facere theologi, ac divinarum Literarum interpretis eſt. Nam utraque tandem eſt Scriptura Dei, & quæ ipſo dictante in ſacris eſt expreſſa paginis; & quæ ſcribente ipſo impreſſa eſt hominum mentibus. Docendum, has ſibi invicem non eſſe contrarias. Interea vero dum doces myſterium non eſſe contra rationem, ea etiam attingere, quibus aſſurgit ſupra rationem, partim eſt neceſſarium; partim ſi debita cum animi demiſſione, ac reverentia fiat, ſi rite, & cum modo, eſt laudabile. Legatur S. Thomas p. 1. q. 32. a 1. Lib. I. con. Gent. cap. 7. Lib. IV. cap. 1. in 3. Sent. diſt. 24. a. 2. &c.

Adverſus dilemma, ſeu compoſitionem illam, qua oppugnator nos extremo adoritur eadem adhibenda defenſio: eſſe medium inter plenam hujus modi ſolutionem, & nullam; inter apertum hujus arcani contuitum, ac meram fidem, ſive doctrinam ad vitam æternam omnibus neceſſariam. At inquiunt, quicquid eſt medium, dictum jam eſt ab aliis; actum agis, aut parum utiliter agis. Fateor, eſſe medias ſententias illas, quæ in ſcholis catholicis agitantur hodie. Verum, quia hæ omnes, præter neceſſitatem, ut mihi videtur, aliquid compoſitionis affingunt Deo, & quaſi quaternitatem invehunt ex iis nullam ſequor. Fateor, ea, quæ ſequor, & hactenus expoſui, eſſe omnia cum apud Scholaſticos, præſertim veteres, ac ſcholarum principes; verum, quod ex iis omnibus ſyſtema informarim, quod tres vias oſtenderim, quibus myſterium hoc & facilius componi poſſit cum principiis per ſe notis, & convenientius ad ſimpliciſſimam rei veritatem poſſit intelligi; eo me nec actum egiſſe arbitror; nec egiſſe parum utiliter: laboris, atque operis haudquaquam me pœnitet mei.

D I S P U T A T I O II.

Utrum de Dei Scientia, & Voluntate in ſacris Litteris traditum ſit, quantum ad proprias utriuſque rationes cognoſcendas, & controverſiam implicatiſſimam de Actibus contingentibus, ac liberis Dei expediendam neceſſe eſt.

NOn videtur: primo, quia quod attinet ad id, quod hic primum quæritur; ſi eſſe dicis in ſacris Litteris, quod omnis Dei ſcientia, & voluntas, non ſolum tempore, atque adeo æternitate, ſed omni prorſus ratione antecedant res creatas; neque quicquam prorſus expectent, aut ullo modo requirant extrinſecus, quo ſuo fungantur actu, atque munere; liberæ Angelorum, atque hominum facultati non ſatis conſulere videris: & a Societatis doctrina diſcedis; in qua ſcilicet rata, fixa, ac vel prima illa ſunt: res ideo videri a Deo, quia ſunt; non vero ideo eſſe, quia videntur. Deo, antequam decernat, quæ cuique noſtrum auxilia conferat, videndum prius, quis eorum auxiliorum apud nos futurus ſit uſus, ſi conferantur.

Sin vero dicas, Dei ſcientiam, & voluntatem ex ſacris Litteris ſic anteire rebus creatis & tempore, & æternitate, uta-

tamen illas, pro ſuo utraque modo, aliqua etiam ratione ſubſequantur; ſeſeque iisdem in ſuo pariter utraque genere attemperent, atque conforment; non ſatis videris conſulere divinorum actuum dignitati, atque excellentiæ; & ab iis diſcedis, quæ peculiari ſyſtemate doces in duobus dialogis Platonis Chriſtiani, quorum qui eſt de divina Scientia, inſcribitur ALETHEOCHISIUS; *Veriſuſio*; qui de divina Voluntate, inſcribitur AGATHOCHISIUS, *Boniſuſio*; propterea quod Dei Scientia, & Voluntas, ut ibi oſtendis, non habent id commune cum ſcientia, & voluntate noſtra, ut ferantur in verum, & bonum; ſed id proprium, eximiumque habent, ut verum, & bonum ſecum ferant, ac res, in quas tendunt, veras, & bonas haud inveniant, ſed faciant.

Secundo: quia, quod ad alterum attinet, quod hic quæritur; ſi dicis eſſe in ſacra Scriptura, quod divinorum actuum contingentium, ac liberorum complementa, applicationes, terminationes, aut quoquo alio modo theologi appellant quicquid illi actus ex ſuo proprio intellectu, & notione afferunt, quod nunquam fuiſſe, poſſibile ſit; ſive, quod ſit, ut ſcholaſtici ajunt, antecedenter defectibile, atque mutabile; ſi, inquam, eſſe dicis in ſacra Scriptura, quod hoc totum ſit intra Deum, ideoque ſit ipſe Deus; divinæ indefectibilitati, & immutabilitati, quæ quidem ſumma eſt, nec ſolum conſequens, ſed etiam antecedens, & omnino qua major cogitari non poteſt, nonnihil videris derogare, & detrahere.

Sin vero ex ſacra ipſa Scriptura hæc a Deo removeris, & ablegaris, ac vel in res ipſas creatas, vel in actiones earum effectrices, vel demum alio rejeceris; quidpiam dicere, & comminiſci videris, quod nullo modo poſſit intelligi; nimirum videre, & velle Deum hoc potius, quam aliud per aliquid, quod in ipſo non ſit, quod ſit omnino extraneum, & tandem, quod ſit ex tempore; cum Deus quicquid videt, & vult, ex æterno decreverit, & futurum prænoverit. Nam ſi extraneum iſtud, quodcunque eſſe dixeris, ex eadem Scriptura, non temporaneum ſed æternum feceris; id ſi factum dicis, oppugnas Concilium Lateranenſe IV. cujus decreto cap. *Firmiter* &c. quicquid eſt factum, ex tempore eſt, & initium habet. Si vero dicis non factum, oppugnas omnes Patres, & Doctores, ex quibus Suarez diſp. 31. Metaph. ſect. 2. n. 3. diſerte pronunciat: *Quicquid factum non eſt, aut Deus eſt, aut nihil eſt*.

Sed contra eſt, quod de Dei Scientia, & Voluntate tam multa ſcripta ſunt in ſacris Libris, ut veriſimile non ſit, ea, quæ ad plenam ipſarum notitiam, atque doctrinam ſpectant, iis omnibus non contineri. Ejuſmodi ſunt de Scientia illud Sap. VII. 27. *cum ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innovat*. Et illud VIII. 1. *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Et quod Eccli. XXIII. 29. *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita; & ſic poſt perfectum reſpicit omnia*. Et Hebr. IV. 13. *omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus*. Et ſimilia plurima.

De Voluntate autem illud Eſther. XIII. 9. *In ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati*. Quod & Gen. L. 19. & ad Rom. IX. 19. Itemque illud Pſalm. CXIII. 3. *Omnia quæcunque voluit, fecit*. Quod & Job. XXIII. 13. & Prov. XIX. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit*. Quod & Iſa. XLVI. 10. Et pariter Prov. XXI. 1. *Cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*. Et Apoc. IV. 11. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Quod & ad Hebr. XI. 3. & alia plurima ejuſdemmodi.

Accedunt, quæ de ſumma Dei immutabilitate Pſalm. CI. 27. 28. Malach. III. 6. &c. Jacob. I. 17. maxime vero quod eſt Exod. III. 14. *Ego ſum, Qui ſum* &c. *Qui eſt* &c. Quod de ſumma Dei immutabilitate interpretati ſunt plerique Patrum, & præſertim Auguſtinus q. 1. diſp. 2. citatus.

RESPONDEO, ſummum totius puri entis actum, ſive ipſum Eſſe, omnino a ſe, & ſumme indefectibile, atque immutabile eſſe. Quemadmodum igitur in ſuperiori diſputatione Trinitatis myſterium ſic expoſui, ut ſummæ ſimplicitatis alienum putarim in Deo vel re, vel tantum ratione diſtingui aliud, & aliud: ita hic in explicanda Dei ſcientia, & voluntate,

ut

Digitized by Google

ut hæc foras ſpectant, ac tendunt in res creatas; ſummæ ipſius & independentiæ, & indefectibilitatis, ſive immutabilitatis, quas vocant, ea eſt habenda ratio, ut nec re, nec ratione quicquam in illo aſtruam, quod ullo modo ſuſpenſum ſit extrinſecus, ac vel deficere poſſit ex tempore, in quo eſſet defectibilitas, & mutabilitas etiam conſequens, vel abeſſe a Deo potuerit ex æternitate, in quo eſſet defectibilitas, & mutabilitas ſaltem antecedens. Sequuntur hæc non ſolum ex Dei notione, ſed ex eo etiam, quod proxime dixi, ac ſupra multis oſtendi. Qui enim duplicitatem, compoſitionemque omnem a Deo ſic excludimus, ut nec re, nec ratione duo quædam in eo eſſe patiamur, quorum unum non ſit formaliter alterum: multo minus id licere volumus, ſi ex iis duobus unum ſit neceſſarium, contingens vero alterum: illud omnino a ſe, ac prorſus ſolutum; hoc vero nexum ſit, & quodammodo pendens extrinſecus. Huc ſpectant, præter Scripturæ loca proxime notata, duo etiam nomina Dei שדהי *Scaddai*, & ארנהי *Adonai*. Hoc eſt, *Qui ſibi ſufficiens*; &, *Quo nituntur entia*. Seu, *Qui a ſe ipſo*; &, *A quo cætera omnia*. His poſitis, tria hic pariter affero, quorum quodlibet recte conciliari ajo cum ſumma Dei independentia, ſummaque ipſius indefectibilitate, & immutabilitate proprias divinæ Scientiæ, & Voluntatis rationes denominationeſque contingentes, ac liberas; & tum Angelorum, atque hominum, tum Dei quoque ipſius libertatem.

Primum ea ipſa reducit, atque continuat, quæ ſupra de Trinitate accepiſtis, præſertim ex Dionyſio Areopagita, & Gregorio Nazianzeno duabus prioribus viis. Etenim quod ibi dictum eſt, eſſe in Deo duplicem ſtatum, ſive exiſtendi modum, poſſeſſionis ſcilicet, & communicationis; abſolutum, & relativum; id ita confirmo, ut poſteriorem hunc ſtatum iterum dividam in eum, qui pertinet ad communicationem, fuſionemque interiorem ſummi Boni, & prorſus neceſſarius, atque hypoſtaticus eſt; & eum, qui ad communicationem, fuſionemque exteriorem, quique neceſſitatem non habet, niſi conſequentem, quam vocant, & toti eſt Trinitati communis. Qua porro ratione ſummæ unitati, ac ſimplicitati eum non officere oſtendimus, eadem ratione non videtur hic officere independentiæ & indefectibilitati, ſive immutabilitati pariter ſummæ. Sicut enim ex Auguſtino adeſt ibi numerus, ſi quæritur, Quis; aut, Quot Perſonæ; deficit autem numerus, ſi quæritur, Quid; quia ſcilicet interrogatione hac tranſitum facis ad exiſtendi modum abſolutum, ſive ad ſtatum poſſeſſionis: ita hic, ſi quæſieris, De quo ſit viſio Dei, & voluntas; aut, Quo tendant; adeſt contingentia, adeſt ſua & Deo, & naturæ intelligenti conditæ a Deo libertas: ſi vero Quæſieris, Quid ſint; deficit prorſus contingentia, & libertas quoad hoc; quia hæc pariter interrogatio tranſit, ac ſpectat ad exiſtendi modum abſolutum, ſive ad ſtatum poſſeſſionis. Etſi enim, ut diximus, fortaſſe verum non eſt, quod de modis rerum creatarum plures docent egregii philoſophi ſupra nominati; in Deo tamen juxta hanc viam puto eſſe veriſſimum, hos exiſtendi modos, ſeu ſtatus, de quibus dictum eſt, ne ratione quidem, & cogitatione noſtra quicquam entis ad Dei naturam, & eſſentiam adjicere. Quo fit, ut ſicuti non eſt aliquid in Deo, quod non ſit ſumme unum, ac ſimplex; ita nec ſit aliquid non ſumme independens, indefectibile, immutabile. Dei ſcientia, & voluntas, qua hoc potius, quam aliud videt, & vult; tanquam aurum ſunt, hac potius, quam alia effigie, aut nota ſignatum, atque percuſſum. Eorum ſcilicet philoſophorum opinione, idem non modo aurum, ſed ens quoque ipſiſſimum foret, etiamſi aliter cælatum, & impreſſum fuiſſet. Diſpar vero hoc eſt in Deo, præter alia plurima, atque infinita; quod ad ſummam divinæ ſcientiæ, & voluntatis perfectionem pertinet, ut quæcunque videt, & vult, & ſimul, & ſemper videat, ac velit. Hæc prima via, aliquanto fortaſſe indulgentior: reliquæ duæ tenaciores propoſiti ſunt, ac rebus conditis ne iſthuc quidem, quantumvis licet minimum, permittunt in Deum; contingentiamque omnem non ſolum entis, ſed etiam modi quodammodo, & ſtatus ex illo exterminant.

Itaque altera inde incipit: Deus ſuapte natura, & eſſentia eſt ſummus, ac perfectiſ-

fectiſſimus intelligendi, ac volendi actus; ac proinde ex ſe eſt omnis viſio, & voluntas: dicitur autem viſio, & voluntas hujus potius, quam alterius; quia huic potius, quam alteri donat, ut ſit. Ita Junilius Africanus Epiſcopus ſexti ſæculi ſcriptor clariſſimus, qui propterea hujus viæ auctor poteſt haberi. Sic enim in dialogo de partibus divin. Legis Lib. I. cap 19. „ Deus, *inquit*, ſimplex eſt, nec „ eſt in eo aliud eſſentia, quam volun„ tas. Unde & omnia nomina operatio„ nis ejus, licet inter ſe definitionibus „ differant; apud ipſum tamen nulla dif„ ferentia, vel diverſitas invenitur. Ita„ que & eſſentia, vel natura facit, quia „ ei nihil accidens eſt; & tamen etiam „ voluntate, quia nihil neceſſitate efficit, „ aut coactus. Non enim ſicut ignis na„ turali neceſſitate urit, aut apes natu„ rali neceſſitate fabricant ceras, vel te„ las araneæ; ita etiam Deus operatur. „ Sed Deus ideo natura, vel eſſentia fa„ cere dicitur, ne voluntas in eo, quaſi „ aliud aliquid demonſtretur: & ideo vo„ luntate, quia nihil operari compellitur; „ ſed & eſſentialiter vult, & voluntate „ ſubſiſtit. " De voluntate quæ ſcribit, facile eſt ad ſcientiam, viſionemque traducere. Fecit hoc Anſelmus in celebri de Veritate dialogo toto capite ultimo adhibita temporis ſimilitudine. Locus illuſtris eſt, & omnino legendus. Utraque nimirum ſummopere neceſſaria, & ab iis quæ ſunt extra Deum tam prorſus ſoluta, & exempta, quam eſt ipſamet divina eſſentia & natura. Ita vero Dei viſio, & voluntas denominatur ex iis, quæ facit; ut hæc ipſa, quæ fiunt, in Dei viſionem, & voluntatem nihil prorſus ullo in genere conferant; eoque ſe habeant, tanquam nudos terminos, ac meras, ſi loqui ita vis, conditiones. Ratio eſt eadem: cum enim Deus ex ſe ipſo ſit omnis viſio, & voluntas, atque adeo actus abſolutiſſimus, ac perfectiſſimus, quam eſt verum ad denominationem contingentem aliquid requiri extrinſecus; tam verum eſt, plus nihil requiri quam terminum, aut conditionem. Declarantur, & confirmantur hæc Immenſitatis, atque Æternitatis exemplo. Quemadmodum enim, quia Deus eſt ſua ipſa præſentia; cuicunque loco, & tempori præſens eſt omni præſentia: ſic pariter, quia eſt ſua ipſa viſio, & voluntas; quodcunque videt, & vult omni viſione, & voluntate videt, & vult. Quid ergo eſt, inquis, quod alterum mundum, immo & infinitos videre, & velle non dicitur, ſi omni viſione & voluntate videt, & vult? Quæro abs te ego viciſſim, Quid ſit, quod alteri mundo, immo & infinitis præſens haud dicitur, ſi præſens eſt omni præſentia? Ex defectu, inquies, termini, vel conditionis: ob id ipſum ſcilicet, quia in toto ſpatio, aut ſphæra pertinente ad locum, & tempus non eſt niſi unus hic mundus: ſecus dicendum foret, ſi alicubi; aut aliquando eſſent alii. Nam Deus idem ipſe eſt, ſive aliud ab ipſo exiſtat, ſive non exiſtat. Nec niſi in ſe ipſo manet: ſed in ſe ipſo manens, ſi res aliquo loco, aut tempore adſint, iis præſens eſt; ſi non adſint, præſens non eſt. Probo Reſponſionem hanc. Id ipſum ſic plane ad rem noſtram Auguſtinus Epiſt. 187. ad Dardanum cap. 4. n. 14. & cap. 5. n. 17. Idem igitur tibi reſponſum exiſtimes de omni Dei viſione, & voluntate. Inſtabis vero; Deum non ea ſolum videre quæ ſunt, ſed etiam quæ eſſent, aliqua conditione poſita. Fateor; Verum hoc nihil eſt aliud, quam quod latius patet denominatio videntis, quam præſentis: & ad plura pertinet ſphæra ſcientiæ, quam Immenſitatis, aut Æternitatis. Cæterum quod Deus hoc potius quam aliud fore videat, certa quapiam conditione poſita; in hoc pariter res illa, quæ foret, potius quam alia; ſe habet tanquam conditio, ac terminus: Deoque ex ſe ipſo eſſentiaque ſua præſto ſunt cætera omnia, quæ erit notio videntis. Ac ſicuti nulla prorſus mutatio eſſet in Deo, nec ullo modo alius eſſet ab eo, qui eſt; eſſetque omnino eadem ipſius præſentia, ſive exſteret alter mundus, ſive ne hic quidem exiſteret: ſic prorſus eadem foret ejus viſio, & voluntas. *Cum ſit una omnia poteſt; & in ſe permanens omnia innovat* Sap. VII. 27. *Quæcunque voluit, fecit*. Pſalm. CXIII. 3. Hinc autem, hoc eſt ex iis, quæ faciunt, & innovant, multifariam denominantur.

Tertia via affert aliquid magis reconditum ex Trinitatis myſterio, & divinis Proceſſionibus; idque & exemplo, & argumento habet. Nam veriſimile eſt inter

com-

communicationem, diffuſionemque interiorem, & exteriorem ſummi Boni eſſe aliquam analogiam, & convenientiam. Viam hanc docuiſſe videntur Græci præſertim Patres. Quamvis enim verum ſit, quod Dionyſius Petavius notatum reliquit tom. 1. Lib. V. cap. 13. §. 6. ne veſtigium quidem eſſe quæſtionis hujus apud Patres; tamen, ut nihil dicam de Junilii loco ſupra relato, quæ ſcripſerunt de duplici divinarum emanationum, ſeu proceſſionum genere, & accurate collegit Joannes Cypariſſiotus, cognomento Sapiens, decad. 3. ſatis oſtendunt, ex iis quæ nobis comperta de Trinitatis myſterio arcani quoque hujus petendam eſſe explicationem. Viam certe nobis ejuſmodi aperiunt, quæ quamvis ab ipſis ſignata non ſit, ea tamen tuto ingredi liceat, nec eſſe videatur ad id, quod quæritur aſſequendum alia verior, ac certior. Et profecto cum habetur hoc certum, Verbum, & Spiritum Sanctum procedere per actus intelligendi, & amandi, ut tales ſunt; controverſum eſt inter theologos, utrum in Patre ponendus ſit duplex intelligendi actus, unus eſſentialis, & toti Trinitati communis; alter notionalis, ſeu proprius Principii generantis, ex quo Verbum: & ſimiliter, utrum in Patre, & Filio ponendus ſit duplex actus amandi, eſſentialis unus, ac toti Trinitati communis; alter notionalis, ſeu proprius Principii ſpirantis; ex quo Spiritus Sanctus. Plerique hos actus duplicandos negant, ac licet hi non uno modo loquantur, & minutiſſime, ac ſubtiliſſime iſta ſcholaſtico more concidant; tamen ita vulgo perſuaſum habent: actum intelligendi notionalem ex quo Verbum, nihil eſſe aliud, quam ipſummet intelligendi actum eſſentialem, una cum Patris proprietate; vel ipſius relatione, atque habitudine ad Filium: Et pariter, actum amandi notionalem, ex quo Spiritus Sanctus, nihil eſſe aliud, quam ipſummet actum amandi eſſentialem, una cum Patris, & Filii proprietatibus, vel ipſorum relatione, atque habitudine ad Spiritum Sanctum. Hac ſententia, & doctrina poſita; illud videtur convenientiſſime dici, non eſſe in Deo duplicem ſcientiam, & voluntatem; ſeu, duplicem intelligendi, ac volendi actum; unum neceſſarium, atque eſſentialem; alterum vero contingentem, Deoque liberum; ſed ipſummet actum intelligendi, & volendi neceſſarium, atque eſſentialem, addita habitudine ad res creatas, denominationem accipere actus contingentis, ac liberi, quo Deus hoc potius, quam aliud eſſe, vel fore velit, ac videat. Explicandum reſtat ex Patribus, Græcis præſertim, quid ſit hæc habitudo ad res creatas. Hi vero, ut videre eſt apud memoratum Scriptorem loco cit. cum divinarum Emanationum, ſeu Proceſſionum duo genera ponant; unum ad terminos intra Deum poſitos; quas *Emanationes univocas*, *increatas*, *neceſſarias*, *Perſonales* nuncupant; alterum ad terminos poſitos extra Deum; quas *Emanationes æquivocas*, *creatas*, *voluntarias*, *ſeu Deo liberas* vocant, & *toti Trinitati communes*: inter emanationes exteriores, & interiores hanc ſimilitudinem, ſeu ſimilitudinis umbram intercedere dicunt, quod emanationum quoque exteriorum aliæ ſint, & dicantur *activæ*; aliæ vero *paſſivæ*. Paſſivæ emanationes externæ, ſunt ipſæmet res, ſeu termini creati. In quibus hæc duo præſertim conſiderant veritatem, & bonitatem. Veritatem quidem, quatenus ſimilitudine aliqua conſentiunt cum primo rerum omnium Principio, & *imitantur intellectum divinum*; *ex qua imitatione quæque res eſt*, *& dicitur* vera, ut docet etiam S. Thomas p. 1. q. 14. a. 8. ad 3. q. 16. a. 1. & 7. & 1. 2. q. 2. a. 3. q. 93. a. 1. ad 3. in 1. Sent. diſt. 35. a. 4. ad 6. q. 2. de Pot. a. 1. &c. Bonitatem vero, quatenus convenientiam, & ordinem habent ad Deum; & in ſuo quæque genere aptæ ſunt, & aſſerviunt ultimo Fini: ut idem pariter docet 1. contra Gent. cap. 41. §. 3. q. 21. de Verit. a. 1. & 2. 2. q. 33. a. 6. ad 3. Externæ emanationes activæ ſunt aliquid, quod Græci Patres medium conſtituunt inter Deum, & terminos creatos. In quo ſane diſcrepant ab emanationibus interioribus. Siquidem divinæ ſive increatæ Proceſſiones activæ non diſtinguuntur a ſuo principio. Generatio activa non diſtinguitur a Patre: & Spiratio activa non diſtinguitur a Patre, & Filio. Hoc vero quod Græci Patres medium ſtatuunt inter Deum, & terminos creatos, ambiguum eſt, quid eſſe di-

Digitized by Google

dicant, & intelligi velint. Utrumne ſolas actiones rerum efficientes, quo quidem illis conveniret cum Latinis; an vero aliud præterea. Activæ iſtæ emanationes appellantur ab ipſis interdum quidem *virtutes largitrices*, *ac providentiæ beneficæ*; interdum vero *motus operatorius*, *niſus*, *nutus*; frequentiſſime autem dicuntur ſimpliciter *Media*, & *Habitudines*. In his autem duo pariter conſiderant, quod rebus impertiunt & divinam ſimilitudinem, & divinum ordinem. Et pro hac duplici vi, aſſimilandi ſcilicet, & ordinandi: ut aliquo rudi, atque imperfectiſſimo modo referunt divinas Proceſſiones interiores; vocantur etiam quandoque a Græcis *creaturarum generatio*, *& productio*; a me autem in Platone Chriſtiano dialogo de eo, qui Eſt diſp. 2. *Veriſuſio*, & *Boniſuſio* activæ: nam. paſſivæ ſunt ipſa ratio veri, & boni, quæ ineſt in rebus, ut dixi jam. Jam vero, ſi ex hac externa, createque habitudine neceſſarius, atque eſſentialis intelligendi, ac volendi actus denominationes accipiat contingentes, ac liberas; quemadmodum ex interiori, divinaque habitudine denominationes accipit notionales; ajo fore, ut hac tertia via ſua omnis veritas, & proprietas conſtet Reſponſioni, atque aſſertioni meæ. Quod partim per ſe facile apparet, partim ex confutatione objectorum clarius fiet. Cumque id ipſum confirmari poſſit de aliis duabus ſuperioribus; conſequens eſt id omne, quod erat propoſitum.

Ad primum dicendum, quamvis apud eos, qui prima via incedant, Actus divini, de quibus hic diſputamus, res a Deo conditas quadam ratione ſubſequantur, ſeſeque aliquatenus ad eas accomodent, atque conforment; ipſorum tamen dignitati, atque excellentiæ nil detrahi; nempe cum via illa nihil rei, atque entis ullo modo intra Deum admittamus, quod non ſit omnino a ſe, ac ſumme indefectibile, & immutabile. Si quæritur, Quid? ut ex Auguſtino deficit numerus; ita & contingentia deficit, & omnis quaſi ſuſpenſio, connexio, determinatio, ex iis, quæ ſunt extra Deum.

Quod ſi alterutram ex duabus poſterioribus viis capeſſere placeat; quamvis iidem divini Actus vel omnino anteeant res conditas, vel nulla ratione ſubſequantur; quamvis res veras, & bonas, ut eſt explicatum, non inveniant, ſed faciant; quamvis, quod ajunt aliqui Patres, res ideo eſſe, quia videntur a Deo, intelligatur etiam de Scientia viſionis, quam vocant; ac verum ſit illud Gregorii Magni Lib. XXXII. Moral. cap. 5. n. 7. *Deus videndo creat*; & illa Baſilii, Gregorii Naz. & Joannis Damaſc. apud Joannem Sapientem dec. 3. cap. 6. *Deum velle, facere eſt*; *Opus Dei, velle eſt*, & ſimilia plurima; cum tamen Dei viſio, & voluntas, ſecundum ens, ut conſtat ex dictis, nihil aliud ſint, quam neceſſarius, atque eſſentialis intelligendi, ac volendi actus præſtantiſſimus, ac perfectiſſimus, qui ex ſe eſt omnis viſio, & voluntas; denominatio vero earum contingens, Deoque libera poſita ſit in externa Dei energia, ſive operatione vel paſſive vel active ſumpta, aut alio quopiam, quod eodem, ut ſchola loquitur, ſigno teneatur; neutra ex his duabus viis oppugnatur naturæ intelligentis libertas, aut Societatis doctrina. Hæc enim ſi negat, res ideo eſſe, quia videntur a Deo, aut ab hoc excipit ſcientiam viſionis; ſi negat, ſcientiam hanc omni prorſus ratione anteire rebus objectis; & ſimilia quædam, quæ nos hic partim ultro admittimus, partim non rejicimus; hoc ideo facit, quia ab adverſariis aliter hæc explicantur. Ut hæc explicantur a nobis, res ideo eſſe, quia videntur a Deo, non eſt magis contrarium libertati; quam res ideo eſſe, quia fiunt a Deo. Fiunt autem ab illo omnia, ut noſtri etiam defendunt; fiunt, inquam, alia quidem ab illo tantum, alia vero ab eodem una cum ſubjectis ſibi cauſis aut neceſſariis, aut liberis concurrente.

Ad ſecundum concedenda prima disjuncti pars, in qua noſtra ipſa ſententia eſt, ejuſque ratio præcipua: negandumque ex ſacris Litteris eſſe aliquid entis in Deo, quod cum rebus creatis ut exiſtentibus connexum ſit, quoque carere Deus vel poſſit tempore aliquo, vel unquam potuerit. Quod enim dicuntur res creatæ in Deo ſemper extitiſſe; ut Joan. 1. 3. 4. *quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Et ad Heb. XI. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia*

bilia fierent; itemque Apoc. IV. 11. *tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*; & tandem ubicumque prædicatur æternitas divinæ ſapientiæ, & ſcientiæ, ut Prov. VIII. 22. 23. Eccli. XXIII. 29. XXIV. 14. &c. primum, hæc Scripturæ loca pertinent ad ipſum illum intelligendi, ac volendi actum neceſſarium, atque eſſentialem, per quem, addita propria notione, ſive habitudine principii generantis, & principii ſpirantis, procedere diximus Filium, & Spiritum Sanctum. Quare intelligenda ſunt de illo Eſſe neceſſario, æterno, immutabili, & ab omnibus contingentibus abſoluto, & exempto, quod res omnes habent in Deo; in quo etiam verius eſſe dicuntur, quam in ſe ipſis: de quo fuſe ſcripſi in Anſelmo ſecundo, qui dialogus eſt de Veritate, diſp. 1. & 2. Deinde, ſi velis hic ſignificari ſcientiam etiam viſionis, ac divinæ Providentiæ decreta, tum in viſione, tum in decretis diſtinguenda eſt entitas, quam vocant, & denominatio. Entitas nec re, nec ratione eſt aliud quicquam, quam ipſamet Dei eſſentia, ſive intellectio illa, & amor neceſſarius, atque eſſentialis, quem ſæpe dixi. Denominatio autem, ſive etiam appelletur, applicatio, terminatio, complementum, aut quo alio modo loqui placuerit, in quibus proprie eſt contingentia, & connexio cum rebus creatis, ut exiſtentibus, vel eſt, ſecundum primam viam, alter exiſtendi modus relativus ſpectans extra Deum; ſeu ſtatus communicationis externæ; qui, ut dicimus, nec re pariter, nec ratione aliquid entis ſuperaddit eſſentiæ; nedum ſuperaddat aliquid entis connexi cum rebus exiſtentibus, & antecedenter ſaltem defectibilis, atque mutabilis, quod adverſarii vellent. Vel hæc denominatio, ſecundum duas reliquas vias, petenda eſt ex externa Dei energia, ſive operatione, vel paſſive, vel active ſumpta; vel certe ex aliqua creata emanatione, atque habitudine, quæ, ut Græci præſertim Patres docent, nonnihil ſimilitudinis, aut convenientiæ habet, cum duplici divina proceſſione activa; ſed diſtinguitur a principio operante, quod eſt tota Trinitas; & inter illud, ac terminos creatos media eſt.

Alteram vero disjuncti partem, quæ nobis contraria, undique falſam eſſe contendimus. Nam primo; licet id cujuſmodicunque, ex quo denominationes contingentes, ac rebus aliquando exiſtentibus devinctæ ſumuntur; ſit extraneum Deo, ab illo tamen producitur, & cum ipſo magis arcte, atque intime nectitur, quam cognitiones, voluntateſque noſtræ nectantur nobiſcum, cumque ea facultate, ſive potentia, ex qua ſunt, & in quam recipiuntur. Quare inſtar divinorum intelligendi, ac volendi actuum ipſæmet creatæ res, earumque effectiones habitæ ſunt aliquibus, ut Aureolo, & aliis. Et fortaſſe ita exiſtimarunt Græci illi Patres, qui, *voluntatem Dei ad creandum poſteriorem, & diverſam ab ipſius ſubſtantia, creatamque eſſe, dixerunt*; quorum verba aliqua refert Joannes Sapiens decad. 3. cap. 6. Non enim de volendi actu interiore, in Deoque immanente, qui eſt ipſamet Dei eſſentia, & natura, loquuti ſunt ibi. Deinde non dicimus, Deum videre, & velle per hoc extraneum, aut omnino per aliquid, quod ſit ab ipſo diſtinctum, Cum enim ſit actus ſummus, ac perfectiſſimus, habet in ſe ipſo, atque ex ſe ipſo quicquid requiritur, ut omnia perfectiſſime videat, ac velit. Quæ ſunt extra illum, in ejus viſionem, & voluntatem nec re, nec ratione, vel ſi vis ita loqui, nec phyſice, nec intentionaliter quicquam conferunt.

At, inquis, determinant. Diſtinguo id: determinant Dei viſionem, aut voluntatem; nego: nam Dei viſio, eſt omnis viſio; Dei voluntas, eſt omnis voluntas. Determinant contingentem earum denominationem, concedo. At inſtas: denominatio videntis, & volentis in Deo eſt æterna: id vero, quod eſt extra Deum, quodcunque eſſe dicas, temporaneum eſt. Fateor; ſed hoc adverſariis mirum videri non debet. Plus eſt enim, quod ea, quæ ſunt intra tempus, æternam viſionem determinent; ut eorum plerique docent: & loquuntur quam quod eadem æternam denominationem tribuant; quod dicimus nos. Addo ex iis, quæ dicta ſunt quæſt. 1. diſput. 2. ea omnia, quæ alicubi, & aliquando ſunt, Deo ubique, & ſemper præſentiſſima eſſe: diſcrimina iſta loci, & temporis valere apud nos; non apud Deum, qui eſt extra locum, & tempus;

ut ſuo loco eſt explicatum ex quo, *Deum futura jam feciſſe*, ſcripſit Auguſtinus in Pſalm. 105. n. 5. & Lib. XXII. de Civit. cap. 2. n. 2. eundemque *jam habere futura nondum tranſacta*, ſcripſit Boethius Lib. V. de conſol. proſ. 6. Urges adhuc: Non ea ſolum, quæ ſunt; ſed ea etiam, quæ eſſent aliqua conditione poſita, æternam denominationem divinæ ſcientiæ tribuere. Neque id tibi durum, aut inſolens videri debet; cum apud te hæc ipſa futura conditionalia divinam ſcientiam ex æterno determinandi vim in ſe ipſis quandam obtineant. Sed de hoc dictum eſt ſupra.

Tandem, ne aliquid difugere videar, ſic inſtare poteris, & quidem aliquanto validius: volendi, & nolendi facultatem liberam, perfectionem eſſe Deo dignam, ſeu ſimpliciter ſimplicem; ea vero Deum a nobis expoliari hac duplici via. Id vero ita diſtinguimus: perfectio eſt Deo digna, facultas libera libertate ad terminum, concedimus; libertate ad actum iterum diſtinguimus: ad actum, ſive actionem exteriorem, pariter concedimus: ad actum interiorem, negamus. Poſſet idem ſic etiam diſtingui: Perfectio eſt Deo digna, facultas libera volendi, & nolendi, ſecundum quod iſta ſignificant de diverſis denominationibus hoc potius volendi; aut nolendi, quam aliud; conceditur: ſecundum, quod hæc ſignificant de entitate actus interioris, in Deoque ipſo immanentis, negatur. Non enim is actus quomodocunque eſt intra Deum, in Deoque immanet; ſed eſt ipſe Deus; atque ex ſe eſt omnis voluntas, ſive omnis volitio Deo digna. Nec Deo liberum eſt hunc actum concipere, ſed eum ad hoc, vel illud applicare; applicat autem per aliquid externum, ut ſecunda, & tertia expoſuimus. Nam prima via & contingentiam aliquam, & connexionem cum contingentibus ponit in Deo; non quidem entis, ſed modi tantum, & ſtatus. Quare de entitate actus idem tenendum his tribus omnibus viis, quæ ad defenſionem ſummæ Dei & independentiæ, & indefectibilitatis, & immutabilitatis a me directæ ſunt omnes. Quæ autem id probabilius obtineat aliis exiſtimandum relinquo. Patres, ut dixi, hanc quæſtionem non habent. Verum ſi quibuſdam indiciis, quæ apud ipſos deprehendi, & quorum aliqua protuli, de illorum mente conjicere licet; primæ ſententiæ videntur favere Latini; ſecundæ, & tertiæ, quæ quidem inter ſe valde affines ſunt, Græci Patres. Quanquam Junilius, Anſelmus, & alii, ex quibus poſſent ſimilia quædam citari, ſcriptores ſint Latini, & inter Patres merito cenſeantur. Explicabuntur hæc iterum omnia Prolegom. 3. ſive in ipſa Summa Biblica tract. 2. Propoſit. 9. & aliquanto aliter, ſed fortaſſe probabilius tract. 4. Prop. 4. par. 2. De iiſdemque dictum copioſius, ac diſtinctius in Platone Chriſtiano dialogo de divina Voluntate diſput. 2. num. 31. 32. 33.

EN-

Digitized by Google

ENCYCLOPÆDIÆ BIBLICÆ

SPECIMEN IN RE CHRONOLOGICA, ET HISTORICA DIVINÆ SCRIPTURÆ.

ETſi Operis mei ea eſt a me facta partitio; ut, quemadmodum anno ſuperiore ſpecimen vobis aliquod dedi theologicæ rei, quæ partim expreſſe, partim abſcondite, divinis eſt comprehenſa Litteris; ita hoc anno delibandum aliquid eſſet ex philoſophicis, & mathematicis, quæ ibi pariter reperiuntur; tamen quia vereor, quomodo accepturi eſſent nonnulli, & vos in primis, me ex loco hoc iſta tradere, voſque ad ea ipſa propemodum ſtudia referri, quibus jam perfuncti eſtis; idcirco, his prætermiſſis, ad rem Chronologicam, & Hiſtoricam, quæ ad tertiam pertinet Summæ Biblicæ partem, gradum facio. Eſt Chronologia, ut aliunde vobis compertum eſſe arbitror, eſt, inquam, Doctrina temporum hiſtoriæ ſubſerviens. Sive, eſt Expoſitio rerum geſtarum, ſecundum ſeriem temporum. Hiſtoria vero eſt, Rerum geſtarum memoria, ſive notitia, in commune bonum apte, & fideliter litteris conſignata. Hæ duæ facultates, & diſciplinæ quoniam hic modo peculiarem non habent doctorem, propriaque palæſtra, & ſuis exercitationibus carent; erit, opinor, nemo, qui me ſupervacuam operam ſuſcipere dicat; aut mecum expoſtulet, quaſi falcem in alienam meſſem immittam. Cum vero ambæ majorem obtineant divinorum Voluminum partem, ac de iis quæſtiones ſint plurimæ, & implicatiſſimæ apud ſacros Interpretes; timendum mihi non eſt, ne illarum tractatione ſatisfacere muneri non videar meo. Tandem, quod earum & dignitas, & utilitas maxima eſt, ſapientum judicio; & ſunt eædem e noſtræ hujus ætatis ingenio, atque guſtu; propterea ſpero fore, ut me deinceps de hac utraque re diſſerentem audiatis, ſicut antea feciſtis, attente, & quæ vobis tradidero, ſcripto diligenter excipiatis. Tradam vero, quandoquidem omnia per tempus non licet; quæ illuſtriora, & difficiliora. Hæc autem ipſa ita diſponam, ut quoniam Hiſtoriæ quædam ex ſuo genere amœnitas, ſive jucunditas ineſt, qua caret Chronologia; de iis alternas diſputationes habeam, & chronologicæ hiſtoricam ſemper adjungam. Hac varietate, & ordine, niſi minuetur difficultas, quæ in utriſque par ferme erit, levabitur tamen labor, atque faſtidium.

DIS-

DISPUT. I. CHRONOLOGICA:

Utrum quod eſt in primo Geneſis capite, & aliis divinæ Scripturæ locis, ſex diebus conditum fuiſſe Mundum, dictum ſit proprie, an vero tantum figurate.

VIdetur tantum figurate dictum. Primo, quia eædem divinæ Litteræ aliis in locis univerſitatem hanc rerum totam ſimul extitiſſe ſignificant, vel momento editam, perfectamque; vel ſi ſpatio aliquo temporis, haudquaquam tamen dierum ſex intervallo. Ejuſmodi eſt illud Eccli. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Itemque illud Pſalm. CXLVIII. 5. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt*. Hæc, ut videtur, unico temporis puncto totum mundi opificium definiunt: alia haud longius protrahi ſinunt, quam unius diei curriculo. Ut illud Geneſ. II. 4. & 5. *Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Cælum, & terram: & omne virgultum agri* &c. Et quod Job. XL. 10. *Ecce Behemot, quem feci tecum*. Quem Behemot, ſive, ut Patres vulgo explicant diabolum, cum conſtet ex hoc etiam Jobi capite ver. 14. factum fuiſſe initio temporis, ſeu primo ipſo die: *ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum*: Homo vero factus ſit die ſexto, & quidem ultimo loco, ut eſt Gen. I. 26. quoniam hic Deus feciſſe ſe ait Behemot una cum homine; qui dies primus, & dies ſextus vocantur, eſſe unum, eundemque diem, immo etiam fortaſſe unum, idemque momentum, neceſſe eſt: neque dici ſex dies diſtinctione temporis, ſed operis.

Secundo, quia ex Patribus non unus Auguſtinus, ut aliqui putant, figura dictum id eſſe contendit. Quanquam is unus inſtar ſit plurimorum; cum præſertim rem iſtam non præteriens, aut ſemel, ſed ex inſtituto, ac multis in locis diligenter, atque operoſe pertractet. Id ipſum ante Auguſtinum docuit Ambroſius Hexam. Lib. I. cap. 3. n. 8. *Et pulchre*, inquit, *addit*, Fecit ... *ut intelligerent homines, quam incomprehenſibilis operator eſſet, qui tantum opus brevi, exiguoque momento ſuæ voluntatis* (vel, ut habet noviſſima editio, ex tredecim MSS.) *momento ſuæ operationis abſolveret* &c. cap. 7. n. 27. Tum animadvertens ſibi objici poſſe, mundum prius conditum, & ſubinde ſex diebus ornatum dici; diſtinctionem, ſucceſſionemque iſtam, non ad Dei operationem, rerumque effectionem, ſed ad Moyſis narrationem refert his verbis: *Ideo prima facta, poſtea compoſita declarantur; ne vere increata, & ſine principio crederentur, ſi ſpecies rerum vel, ut ingeneratæ ab initio, non poſtea additæ, viderentur*. Quod ipſum ante Ambroſium notatum reliquit Clemens Alex. Stromat. Lib. VI. §. 8. ſic enim ait: *Ut ergo diſcamus, mundum eſſe genitum, non autem in tempore facere Deum exiſtimemus; ſubjunxit Prophetia; hic eſt liber generationis, & eorum, quæ ſunt in ipſis, quando facta ſunt, quo die fecit Deus cælum, & terram. Illud enim*, quando facta ſunt, *enunciationem ſignificat indefinitam; & expertem temporis*. Tandem ante omnes Philo, qui propter ſacram doctrinam, ac præſertim divinarum Litterarum interpretationem, inter Eccleſiaſticos Scriptores annumeratus eſt a S. Hieronymo, non ſolum idem tradidit, ſed etiam contrariæ ſententiæ notam *ruſticanæ ſimplicitatis* inuſſit Lib. I. Allegor. *Ruſticanæ ſimplicitatis eſt*, inquit, *putare ſex diebus, aut utique certo tempore mundum eſſe conditum*. Et aliquanto poſt ita concludit: *Ergo cum audis, Complevit ſexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquot, ſed de ſenario perfecto numero*. Quod quidem dictum ab homine tali, atque eo tempore, quo Kabbala Hebraica, ſeu Scripturarum clavis a Moyſe tradita, nondum ſapientioribus ejus gentis peni-

tus

Digitized by Google

tus exciderat; argumentum ab auctoritate graviſſimum eſt.

Tertio, quia ſumma Dei potentia, & ſapientia non ſatis digna videtur molitio, fabricatioque mundi tam lenta, vel, ut prope dicam, moroſa: iis præſertim quaſi interſtitiis adhibitis; *Et vidit Deus, quod eſſet bonum: & factum eſt veſpere, & mane dies tertius*. Gen. I. 12. 13. Et iterum; *Et vidit Deus, quod eſſet bonum: & factum eſt veſpere, & mane dies quartus*. 18. Atque ita deinceps: ferme ut pictores, ut ſtatuarii, aliique artifices faciunt; qui ab opere, quod habent in manibus, identidem abſiſtunt, &, ut ſatisfaciant vel arti, vel ſibi, antequam ad reliqua pergant, ea quæ facta ſunt contemplantur. Omnino Deo dignius cogitare videntur illi, qui eum unica voce, & imperio actutum omnia evocaſſe e nihilo cenſent: & quod nominatim de ſtellis ſcriptum eſt Baruch. III. 35. *Stellæ ... vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas*; de aliis ſimul omnibus rebus dictum accipiunt. Tandem, ſicuti quod ſcriptum Gen. II. 2. Deum requieviſſe die ſeptimo, non propriam, ſed figuratam ſignificationem habet; ita etiam, quod ſex diebus opus feciſſe, ſupra narratum fuerat.

Quarto, quia prompta eſt cauſa, & ratio, cur Moyſes in re hiſtorica metaphorice, ac myſtice locutus ſit. Sic enim & rudibus, & ſapientibus mirum in modum attemperavit deſcriptionem ſuam. Illis quidem, quia partione eſt aliqua uſus, qua intelligentiæ, & memoriæ conſulitur: his vero, quia uſus eſt ſenario numero, qui apud ſapientes perfectiſſimus eſt, ac perfectionem ſignat. Nec vero mentitus dici propterea poſſet, quod non ſolum, Dei opus, ſed etiam, actionem partitus ſit; ac ſex rerum partes, ſeu genera præcipua, quibus univerſitas hæc continetur, diebus totidem condita fuiſſe, narraverit. Quis enim mentitum eum dici poſſe cenſeret, illa tantum de cauſa, quod nomen lucis, quam primo die conditam refert, ad ſignificandos Angelos, eorumve ſcientiam tranſtulerit? Porro ſi hæc appellari lux potuerunt, non ſolum ſine mendacio, ſed etiam *convenientiſſime, ac decentiſſime*, quemadmodum Lib. de Geneſ. ad litter. imperf. cap. 5. n. 21. ſcripſit Auguſtinus; quod Angeli ſex illas univerſitatis partes, ſeu rerum genera dupliciter cognoverint, in rebus ipſis ſcilicet, & multo clarius in Verbo, ſex dierum nomine non minus apte, & congruenter ſignificari potuit; in eiſque diebus, ex duplici illo cognoſcendi modo, recte pariter potuit & veſper, & mane diſtingui. Quæ interpretatio eſt Auguſtini Lib. I. de Geneſ. ad litter. a cap. 3. & n. 7. Lib. IV. a cap. 1. n. 2. & Imperfect. cap. 5. a num. 19. Lib. II. de Civit. cap. 7. 29. & 30. Lib. XXII. cont. Fauſtum cap. 10. Lib. I. cont. Adverſarium Legis, & Prophetarum a cap. 10. & n. 13. Lib. IV. de Trinit. cap. 4. n. 7. &c. Niſi quod Auguſtinus in Verbo prius, quam in ipſa earum natura res ab Angelis cognitas, dicit.

Sed contra eſt auctoritas fere omnium Sanctorum Patrum, & ſacrorum Interpretum, ipſiuſque adeo Eccleſiæ, quæ mentem ſuam ſatis declarare videtur, non ſolum in Libris divinorum officiorum, ut in hymno matutino diei Dominici; ſed in ipſo etiam Tridentino Concilio ſeſ. 2. ubi *Deus condidiſſe lucem die Dominico*, expreſſe dicitur. Quod habet etiam S. Leo Epiſt. 81. cap. 1. & Quiniſexta Synodus can. 8.

RESPONDEO primum, eos omnes divinæ Scripturæ locos intelligendos proprie, de ſex diebus veris, naturalibus, integris; hoc eſt, horarum viginti quatuor ſpatio comprehenſis. De quo vide Ricciolum Almageſti Lib. I. cap. 24. & Lib. IX. cap. 1. quæſt. 9. ne hic alia quæſtione implicemur. Probatur id autem facile, & ut mihi videtur, validiſſime, atque firmiſſime, ex ipſa illa regula, quam ad Sacrarum Litterarum interpretationem tradidit Auguſtinus in tertio de doctr. Chriſt. cap. 10. n. 14. quæ eo tandem revocatur, ut proprius verborum Scripturæ ſenſus nunquam ſit relinquendus, niſi quando vel propter divinam ipſam auctoritatem, vel propter manifeſtam rationem ita prorſus neceſſe ſit. Quod quidem maxime valet in re hiſtorica, eaque pluribus in locis, ac verbis ſemper iiſdem expreſſa, & inculcata: immo & ſcripta digito Dei vivi in prima ipſa Legis tabula. Cujuſmodi eſt illa de qua in præ-

ſen-

Digitized by Google

ſenti agitur. Porro ſive ab auctoritate, ſive a ratione nihil objici nobis, quo neceſſe habeamus a propria horum locorum ſignificatione diſcedere, in Confutatione planum fiet. Conſequens eſt igitur, ut illi omnes divinæ Scripturæ loci intelligendi ſint proprie &c. Quod erat propoſitum.

Ajo deinde, ſi adverſariorum argumenta ejuſmodi forent, quæ nos hæc Scripturæ verba ad alienos, figuratoſque ſenſus traducere cogerent; aut etiam ſi mihi licere arbitrarer, hac in re Auguſtini exemplum dumtaxat, non vero, etiam ſententiam ſequi; enumerationem hanc ſex dierum interpretaturum me aliter fore. Eam, ut breviſſime dicam, non ad Angelorum, ſed ad Moyſis, qui hæc ſcripſit, cognitionem referrem. Sic autem primum præſertim Geneſis caput exponerem, ut rerum quidem veritatem, quæ vel Patrum unanimi ſenſu, vel Eccleſiæ judicio, ibi ſignificari creduntur, omni prorſus ex parte retineri vellem. Itaque ſanctum haberem illud Concilii Lateranenſis quarti cap. *Firmiter &c. de Fide catholica*, Deum *ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem, & corporalem; angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam*. Hæc de rebus; quod vero ad verba pertinet; ſive ad ſignificandi modum, cum ea quæ initio rerum facta ſunt, Deus ſolus, & Angeli noſſent, a Moyſe dicerem deſcripta fuiſſe eodem ordine, iiſdem figuris, imaginibus, ac prope coloribus, quibus a Deo, vel per ſe, vel Angelorum miniſterio, repræſentata ipſi fuerant, Repræſentata vero fuiſſe Moyſi, cum eſſet in monte Sinai prima mundi tempora, eodem fere modo, quo Joanni Evangeliſtæ, cum eſſet in inſula Patmos, præmonſtrata fuerunt tempora mundi noviſſima. Ambobus ſcilicet figurate; nec ut audirent tantum, ita eſſe factum, vel ita eſſe futurum, ſed ut geri ante ipſos res illæ omnes viderentur. Itaque Deus, vel potius Angelus Dei perſonam adumbrans, ut eſt Actor. VII. 30. 34. &c. admirabile hoc opificium, in monte Sinai, tanquam in magno aliquo theatro, appoſite ad communem hominum captum Moyſi per partes oſtendit: immo & per ſex ipſos forſitan dies; vel, cum rerum diſtributio, & ordo hoc peterent, ea viciſſitudine lucis, & tenebrarum, quæ ſex dierum ſpeciem haberet. ſive hæc divina ſpectacula externis corporis ſenſibus exhibita fuerint, ſive ad imaginandi vim pertinuerint. At, inquies, ſi Moyſes id quod factum eſt re vera nobis expoſuit per id, quod ſibi oſtenſum eſt figurate; cur hoc ipſum profeſſus non eſt initio libri? cur ea non appoſuit, quæ in Apocalypſi, & aliis Prophetarum viſis paſſim leguntur? *Et vidi* &c. *Et audivi* &c. Primum dico, Moyſem ſcripſiſſe ad modum hiſtoriæ, ita juſſum, & inſtinctum a Deo; qui ſi potuit id, quod factum eſt re ipſa, Moyſi ſignificare per Angelos adumbrate, & ut dicimus, in figura, quod certe quidem potuit; cur eadem figura non potuit ſignificare per Moyſem hominibus cæteris? Ajo præterea, ſi Moyſes illa adſcripſiſſet, *Et vidi* &c. *Et audivi* &c. explicationem hanc, meditationemque meam, partim quidem certam, partim vero perquam probabilem fore. Nec ego illam ſecundo loco proponerem; eaque conditione, & cautione adhibita, quam ſuperius expreſſi. Immo non ſolum illam proponerem, verum etiam defenderem; uti nunc defendo ſententiam communem. Pro qua

Ad primum dico, præter illa omnia, quibus tum hoc, tum cætera adverſariorum argumenta vulgo refelluntur ab aliis, eſſe aliquid, quod ad pleniorem, & clariorem eorum confutationem facere videatur. Ne multis; duplex mundi diſtinguendus eſt quodammodo ſtatus. Sive, ut Patres etiam loquuntur, duplex diſtinguendus eſt mundus: unus intelligibilis, alter vero ſenſibilis. Sic enim eos appellant. Mundus ſenſibilis, eſt ipſa hæc univerſitas rerum a Deo ex tempore condita. Mundus intelligibilis, eſt æternum illud eſſe, ut ſic loquar, quod eadem hæc univerſitas habet in mente Dei, non ſolum in ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſive in idea mundi, quam Deus ex æterno mente concepit, ut videtur dicere Rupertus Lib. II. in Geneſ. cap. 18. ſed etiam in ſcientia viſionis, quæ quamvis divinum decretum condendi mundum, noſtro intelligendi modo, ſubſequatur, æterna tamen pariter eſt. De primo hoc

mun-

mundi ſtatu, ſive de mundo intelligibili eſt illud Pauli Apoſtoli ad Hebr. xi. 3. *Fide intelligimus, aptata eſse ſæcula verbo Dei: ut ex inviſibilibus, viſibilia fierent*. Et illud Joannis Apocal. iv. 11. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Atque hic etiam intelligibilis mundus creatus dici poteſt, ampliori quadam ſignificatione: ea ſcilicet, qua ſcriptum eſt Prov. viii. 23. 24. *Ab æterno ordinata ſum ... Nondum erant abyſſi & ego jam concepta eram*. Et expreſſe Eccli. 1. 4. *Prior omnium creata eſt ſapientia ... 9. ipſe creavit illam in Spiritu Sancto*. Et xxiv. 14. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum* &c. Præterea his adde, quæ de Æternitatis natura diſſerui par. 1. quæſt. 1, diſp. 2. & in Gregorio Nazianzeno, qui dialogus eſt Platonis Chriſtiani. Atque his duobus inſtructus, ad locum Eccleſiaſtici, qui primus nobis objicitur, ordinate, enucleateque exponendum, hac diſtinctione utere: ſi Deum *creaſſe omnia ſimul* ab Eccleſiaſtico dictum putetur de mundo intelligibili; hoc eſt, de illo eſſe, ſeu ſtatu veri, ſeu veritate objectiva, ut dicemus Prol. 3. tract. 4. prop. 4. quam per divinum decretum, ſeu libera Dei voluntate, adeptæ ſunt res *ab initio, & ante ſæcula*; in hanc ſententiam dictum fuiſſe, concede. Nam in actione Dei ſempiterna, quæ ipſius eſt voluntas, & viſio; quamvis ſcholaſtici diſtinguant ſigna rationis, ut ipſi vocant; haud tamen diſtinguere eſt momenta temporis, a quo ſunt penitus exemptæ; ac proinde ibi omnia ſimul. Sin vero hoc dictum putetur de mundo ſenſibili; hoc eſt, de rebus, prout per externam, ac temporalem Dei actionem in ſua propria natura, atque in ſe ipſis extitere; diſtingue iterum; & ſi habeatur reſpectus ad eum, *qui vivit in æternum*, ſive ad æternitatem ipſam; hunc pariter eſſe ejus loci intellectum, concede. Siquidem illa etiam, quæ tempore ſunt inter ſe disjunctiſſima, æternitati, quæ individua eſt, ſimul præſentiſſima ſunt: ut in memorata nuper diſputatione explicavi. Sin vero habeatur reſpectus ad tempus, vel ad ea, quæ certo tempore ſunt, aut vivunt; id tertio diſtingue; & dictum nega ex adverſariorum ſententia: concede autem ex ſententia Patrum, & optimorum interpretum. Atque hic tandem adhibe reſponſiones communes. Quarum prima eſt ex Gregorio Magno Lib. XXXII. Moral. cap. 12. n. 16. & Beda in Hexamer. Deum creaſſe omnia ſimul, quoad ſubſtantiam, aut præjacentem materiam: quia mundi partes præcipuæ, in quibus, tanquam in ſemine omnia, in ipſo ſtatim initio factæ ſunt. Secunda ex S. Thoma p. 1. q. 74. a. 2. ad 2. & S. Bonaventura in 2. Sent. diſt. 12. q. 2. Deum creaſſe omnia ſimul; quia creare proprie eſt, prorſus e nihilo facere: quæ ſic autem facta ſunt, ut Cælum, terra, elementa, ſimul facta ſunt. Tertia ex Ludovico Molina de Opere ſex dier. & aliis Recentioribus, creata eſſe omnia ſimul; hoc eſt, opere continuo, atque unius ſextidui ſpatio, quod in re tanta eſt adeo breve, ut ſimul creata dici poſſint, æſtimatione morali, ſive ſapientum. Quarta ex Cornelio Janſenio, & aliis pluribus, creata eſſe omnia ſimul, hoc eſt, pariter, ſive communiter, nullo prorſus excepto. Quæ quidem omnium probabiliſſima eſt, ac fere certa ex voce κοινῇ, quæ eſt in Textu Græco: ſuadeturque ex aliis Scripturæ locis, in quibus particulæ *ſimul* hæc ipſa vis eſt; ut Pſalm. xiii. 3. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt* &c. & Pſalm. xlviii. 11. *ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt* &c. Mitto alias reſponſiones; ſi quæ ſunt aliæ, quod ex interpretibus Eccleſiaſtici, & illis, qui ſententiam communem nobiſcum defendunt, per te ipſum cognoſcere poteris.

Nunc ad reliqua breviſſime. Illud Pſalmi cxlviii. 5. nihil contra nos. Probat enim, Deo imperanti res illico paruiſſe; quod quidem fatemur omnes. Non probat, imperaſſe Deum rebus omnibus ſimul; quod hic diſputatur. Quod ſi non de externo Dei imperio, ſeu de temporali ipſius actione ſit ſermo, ſed de æterna illius voluntate; ea quidem voluntate quæcunque decrevit, illa & ſimul, & ab æternitate decrevit: verum non decrevit, ut in ſe ipſis exiſterent ſimul; quemadmodum nec decrevit, ut in ſe ipſis exiſterent ab æternitate.

Locus Geneſis ii. 4. 5. &c. ſi refertur ad id, quod ex Scripturis, & Patribus Mundum intelligibilem diximus, & quo etiam ſpectare videntur verba, quæ ſtatim

tim ſequuntur ; *antequam oriretur in terra*, *omnemque herbam regionis priuſquam germinaret :* illud *in die* ſignificat diem æternitatis. Si vero refertur ad mundum ſenſibilem, perinde eſt accipiendum, ac ſi ſcriptum eſſet, *eo tempore* ; ſive, *illis diebus* ; ſingulari ſcilicet pro plurali numero. Cujus rei innumera proferri poſſunt exempla tum e ſacris Litteris, tum etiam e profanis ipſis Scriptoribus.

In loco Jobi xl. 10. ſi nomine *Behemot*, non elephantum, aut belluas univerſas, ſed dæmonem ſignificari putas ; ad illam particulam *tecum* eas omnes diſtinctiones, atque explicationes accomoda, quibus ſupra uſi ſumus ad eam particulam *ſimul*, quæ apud Eccleſiaſticum.

Ad ſecundum dico, Veteres illos qui a nobis diſſentiunt, in eam opinionem adductos videri, quod abſurdum, aut Deo indignum putarent, ipſius actionem aliquo modo ſubeſſe tempori, cum eoque vel diſtingui, vel extendi ; ſeu mora temporis aliqua diſtineri. Ita concludit Auguſtinus Lib. II. Confeſ. cap. 31. n. 41. *Sicut ergo noſti in principio Cælum*, & *terram ſine varietate notitiæ tuæ* ; *ita feciſti in principio Cælum*, & *terram ſine diſtinctione* (vel, ut novi ejus Operum editores ex MSS. pluribus optimæ notæ legendum putant) *ſine diſtentione actionis tuæ*. Verum ut ſupra duplex rerum ſtatus, & duplex quaſi mundus; ita hic Dei actiones duæ ſunt diſtinguendæ. Una eſt in Deo, & in actionem intelligendi; ac volendi ratione noſtra dividitur. Altera eſt extra Deum, & in actionem, qua res fiunt ex nihilo, & qua fiunt ex aliquo dividitur re ipſa. De illa priori Dei actione, cum ſit æterna, ac ſit ipſe Deus, concedendum eſt, quod Auguſtinus, ac reliqui volunt, eam nullo prorſus modo ſubjici, aut congruere tempori, ſive iiſdem ſpatiis teneri. Negandum de hac poſteriori, quæ res eſt creata, ac cæpit ex tempore. Poteſt etiam inter eas duas actiones ita diſtingui. Ut res in ſe ipſis exiſtant, utraque actione opus eſſe, & ſuo modo utramque concurrere; ſed hanc ex tempore, illam ex æternitate ; cum igitur prius, & poſterius; fuiſſe, & futurum eſſe notæ, & differentiæ ſint propriæ temporis, nec in æternitatem cadant ; æternam Dei actionem eandem ſemper eſſe, eodemque ſemper ſpectare, ac tendere ; ſive ſint res jam factæ, ſive faciendæ: nec reipſa prius ad unum, quam ad aliud efficiendum concurrere ; neque comparatum cum illa aliud præteriiſſe jam, aliud eſſe futurum. Secus vero ſe habere actionem Dei temporalem. Hæc ipſa dices de illis rebus, quas Deus, ut mundi conſervator, & gubernator etiam nunc quotidie facit. Immo iſtorum exemplo ab hac difficultate te facile expedies. Hæc generatim.

Ajo deinde de ſingulis, Scripturarum clavem, ſeu veram eas interpretandi rationem multo certius fuiſſe apud Chriſtianos Patres, & interpretes, qui fere omnes a nobis ſunt, quam apud Philonem: qui quod pluribus in locis teſtantur divinæ Litteræ, Deum ſex diebus opus feciſſe, ſi non ex rei veritate, ſed ob ſenarii numeri perfectionem, dictum exiſtimat ; clavem profecto eorum locorum, uti etiam aliorum complurium, non ex Moyſe, ſed ex Pythagora, & Platone, quibus addictiſſimus fuit, cæpiſſe videtur. Nec locos hos reſeravit, ſed potius occluſit ; atque ex re plana, & aperta myſterium fecit.

Clementis Alexandrini libri inter apocryphos rejecti ſunt a Gelaſio in Concilio Romano. Mens vero hac ſuper re videtur ambigua. Nam quod in loco nobis objecto *Dei actionem expertem temporis* facit, diſtinctione illa, quam proxime tradidi, ad communem ſententiam adduci non difficile poterit.

Ambroſius nobiſcum ſentit indubitate. Satis eſt legere, quæ ſcripſit Lib. I. in Hexamer. cap. 10. n. 37. Lib. II. cap. 1. n. 2. & Lib. II. de Cain, & Abel cap. 6. n. 23. ex quibus aliquid poſtmodum dabo. Locus, qui contra nos producitur ex primo in Hexamer. cap. 3. n. 8. ſeu ſcriptum putes, *momento operationis*, ſeu potius *momento voluntatis*, quod habet editio Romana, & Ambroſius poſt paulo repetit, nobis non adverſatur. Ibi enim ea dumtaxat exponit, quæ in primo Geneſis verſiculo facta narrantur : reliqua vero deinceps. In quibus ſex veros dies aperte diſtinguit: quos quidem cap. 7. n. 27. refert in deſcriptionem Moyſis ; ſic verò, ut deſcriptionem illam ad rei veritatem exactam, & ibi clare ſignificet, & poſtea multis confirmet. Verba ipſa,

quæ

Digitized by Google

quæ contra nos afferuntur, id ſatis oſtendunt. *Primo*, inquit, *facta poſtea compoſita declarantur* &c. Si *declaratur*, ita res habuit. Rem enim exponere aliter, quam vere, & proprie ſit facta, non declarare, ac lucem afferre; ſed abſcondere, involvere, tenebras offundere eſt.

Auguſtinus, fateor, adverſarium habemus; utique inſtar plurimorum: ſed qui ad nos interdum maxime accedat; quique, ſi nunquam penitus probat ſententiam noſtram, ut videtur tamen, neque contentus eſt ſua. Atque hanc eſſe cauſam reor, cur illam, ut in oppugnatione notatur, tam ſæpe in diſputationem revocet; quod in ea non ſatis acquieſcit. Sed legantur quæ ſcribit Lib. IV. de Gen. ad litter. cap. 28. n. 45. aliam divinæ ſcripturæ verbis congruentiorem ſe inventurum ſperare. *Quiſquis*, ait, *non eam, quam pro noſtro modulo vel indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam, quæ non in prophetia figurate, ſed in hac creaturarum conditione proprie, meliuſque poſſit intelligi; quærat, & divinitus adjutus inveniat. Fieri enim poteſt, ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortaſſis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam quæ præponenda ſit, inveniri non poſſe contendam*. Immo ſententiam hanc aliquando videtur vel deſerere, vel negligere. Sic enim in Libro de catechiz. rudib. cap. 17. n. 28. *Sex*, ait, *diebus operatus eſt ... poterat Omnipotens & uno momento temporis omnia facere*. Ex quibus videtur conſequens eſſe, ut uno momento non fecerit.

Quamquam re vera Auguſtinus Deum feciſſe dicit hæc omnia ſine tempore; feciſſe autem unico temporis momento, niſi me fugit, non dicit. Quod diſcrimen ab Auguſtini defenſoribus animadverſum non video. Et tamen, niſi diſtinguant hæc duo, non facile oſtendent, quomodo Auguſtinus hac in re ſibi ſatis cohæreat. Quod equidem de tanto doctore pro certo habeo. Is autem in libro de Correpț. & Grat. cap. 8. n. 27. Deum ait *ſic ordinaſſe angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium*. Quibus ſignificare videtur Angelis aliquid viæ, atque operis faciendum fuiſſe prius quam eo pervenirent, ut eſſent vere beati; hoc eſt, ut Verbum, ac res in Verbo clare conſpicerent; & quidem res *non factas, ſed faciendas*, ut ipſe ait Lib. IV. de Gen. ad lit. cap. 24. n. 41. Præterea Angelos prorſus omnes, cum primo extiterunt, ſanctitate, & amicitia Dei, & aliis pluribus gratiæ donis ornatos fuiſſe docet Lib. XI. de Gen. ad lit. cap. 24. & 25. n. 31. & 32. Ibi enim, non ſecus ac reliqui Patres, & interpretes, de malorum Angelorum principe intelligit illud Iſa. XIV. 12. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris* &c. & illud Ezechiel. XXVIII. 12. 13. &c. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum* &c. *Tu cherub extentus, & protegens: & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt inquitas in te*. Non igitur ipſo illo, quo facti ſunt, temporis puncto, & peccati rei, a Deoque averſi, & a reliquorum Angelorum conſortio disjuncti fuerunt. *Non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, ut ſcriptum eſt* Epiſt. Cathol. 7. Quibus peragendis duo ſaltem, vel tria neceſſe fuerunt momenta temporis: & tamen facta eſſe ſimul cum Mundo Auguſtinus docet; ejuſque dies, quamvis metaphoricus, ac myſticus hæc omnia complectitur. Illud ergo eſt: aliud eſt, res eſſe factas ſine tempore; aliud, eſſe factas unico temporis momento. Primum excludit omnino tempus; ſecundum unam temporis partem deſignat. Illud ſpectat ad interiorem Dei actionem, quæ cum ſit æterna, atque adeo æternitas ipſa, eam prorſus expertem temporis, & omnino ſimplicem, & individuam eſſe vult Auguſtinus. Hoc vero, ſi dixiſſet, ſpectaret ad actionem Dei externam, quam Auguſtinus non videtur diſtinguere ab ipſis rebus, quæ fiunt; ac pro ipſarum conditione, & natura, de illa pariter loquitur. Neque ſecundum ex primo ſequitur, Auguſtini judicio; cum diſertiſſime, & conſtantiſſime illud affirmet, hoc vero non ſolum non affirmet, ſed ea doceat,

Digitized by Google

eum quibus, ut vidimus, non poteſt conſiſtere. Hac diſtinctione & hic modo, & ſupra etiam expoſita, intelliges, quod ait Auguſtinus lib. de Geneſ. a Litter. imperf. cap. 7. n. 28. *Quanquam ergo ſine productione temporis faciat Deus*; (hoc eſt, ſine tempore) *ipſæ tamen naturæ temporales motus ſuos temporaliter peragunt*. Et quod paulo ante (cap. 5. n. 19.) *Quicquid incipere, & deſinere Deus dicitur, nullo modo in ipſius natura, ſed in ejus creatura, quæ illi miris modis obtemperat, intelligendum eſt*. Et ſimiliter illud Lib. VI. de Gen. ad lit. 13. n. 24. *Deo hoc eſt natura, quod fecerit*: ideſt actio Dei ſempiterna eſt ipſe Deus. Et tandem illud in Pſalm. 105. n. 35. *Deus in creatura temporalibus motibus, quam gubernat mirabiliter, ipſe non temporaliter motus ... & præſentia facit, & futura jam fecit*. Hæc vero ſi ita ſe habent, facile eſt Auguſtinum ad noſtras partes omnino perducere. Nam ſi hac diſtinctione ſervata, cum eo, quod mundus factus ſit ſine tempore recte componitur, quod factus idem ſit aliquot temporis momentis; recte pariter cum eodem componi poterit, quod factus ſit aliquot horis, & aliquot item diebus; neque erit hac ex parte, cur a proprio divinorum verborum intellectu recedamus. Quemadmodum enim ſine ulla divinæ actionis æternæ, ſeu diſtinctione, ſeu diſtentione factum dici poteſt id, quod eſt factum duobus, tribuſve momentis, ſic pariter id, quod factum eſt ſex diebus.

Ad tertium dicendum, nil verius in oppugnatione affirmari, quam quod molitio, fabricatioque mundi, qualis ibi exemplo pictoris, aut ſtatuarii deſcribitur, ſumma Dei potentia, & ſapientia digna non ſit. Digna vero eſt, qualis deſcribitur in primo Geneſis capite, qualis deſcribitur Jobi XXXVIII. qualis Pſalm. CIII. Proverb. VIII. Eccli. XLIII. Baruch. III. &c. in quibus omnibus locis tametſi tempus luculenter apparet, & res alias prius, alias poſtea eſſe factas; ubique tamen opus divinum videas, & manum agnoſcas, ut ita dicam, artificis ſummi. Quod enim attinet ad potentiam; negandum eſt, plus eſſe, momento facere hæc omnia; quam momento facere dumtaxat Cælum, & terram. Cum potentiæ ſit utrumque ſummæ, ſive, ut aiunt, ſimpliciter infinitæ. Neque dicas ex ſchola, primum illud plus eſſe, ſaltem extenſive, & materialiter: nam iſto modo, plus quoque eſſet, ſi plures ſoles momento feciſſet Deus, & mundos plures. Num factos propterea dices? Præterea habet noſtra ſententia, quo iſtud qualecunque compenſet: omnem ſcilicet aliquid faciendi, ſeu producendi modum, omnis generis efficientiam. Quam non oſtendiſſet Deus, ſi omnia feciſſet eodem temporis puncto. Triplex enim ſupra notatis Scripturæ locis, & maxime in primo Geneſis capite Dei operatio exprimitur. Prima fuit creatio, qua nempe fecit Cælum, & terram, ac reliqua rerum elementa, & primordia. Altera fuit eorum omnium corporum diſtinctio, & digeſtio, per tres ferme priores dies facta. Tertia fuit eorundem corporum ornatus, totiuſque operis perfectio, & conſummatio. In quibus tres poſteriores dies conſumpti ſunt. Vide Gregorium Lib. XXXII. Moral. cap. 12. n. 16. Quanquam hæc non modo ad potentiam, ſed ad ſapientiam quoque pertinent: quæ in noſtra ſententia & aliquanto magis explendeſcit ex ordine, quo res conditæ ſunt; & nihil ei derogatur ex mora. Siquidem mora illa, ſive interſtitia, quæ ſupra appellavimus, non ſunt meditantis, vel addubitantis, ſibive de opere ſuo aut non ſatis, aut nimium placentis; quemadmodum eſſe ſolent in pictore, in ſtatuario, aliove artifice mortali. Ut enim annotat Hieronymus Epiſt. 15. & ex ipſo Cornelius a Lapide Deus ex rebus, quas condidit, nullam de ipſarum bonitate notitiam adeptus eſt; ſed nobiſcum repetitis iis approbationibus communicavit. Edocet ibi Deus, non addiſcit. Neque contemplator eſt ipſe operis ſui, ſed nos eſſe vult. Quanquam, & ipſe eſt: & ſicuti omnia refert ad gloriam, nomenque ſuum, *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* Prov. XVI. 4. quod creato artifici non liceret: ſic etiam ſibi ipſe de ſuo opere complacet; quod pariter de opere ſuo facere homo non poteſt. Atque hæc non ſapientiæ ſolum ſunt, ſed & bonitatis: quæ in eo etiam maxime elucet, quod, ut ait Ambroſius Lib. II. de Cain, & Abel cap. 6. n. 23. *cum ſimul omnia*

Digitized by Google

fieri jubere potuerit Deus, diſtinctionem ſervare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis &c. Conſecravit ſingulos hebdomadæ dies, ut de ſe ipſe teſtatur & ſcripſit digito ſuo, in prima Legis tabula; Exod. xx. 11. & Deut. v. 13. 14. ſex dies opere, ſeptimum quiete. Ad utrumque exemplo nobis præire voluit. Quod additur ex Baruch. III. 35. de ſtellis, adverſariis non favet; cum ſit incertum, utrum ſimul univerſæ, an vero per partes, aut etiam ſingulatim vocatæ fuerint. Quod per partes, videtur ſignificari Job. IX. 9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas* &c. quod ſingulatim, Pſalm. CLVI. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat.* Tandem, quod figurate, ſeu tranſlate dictum ſit Gen. II. 2. *Deus requievit die ſeptimo* &c. ex eo quidem ſequitur, ut ſine fatigatione, & labore opus fecerit; ut vero ſex diebus non fecerit, minime ſequitur.

Ad quartum: ſi puncto temporis facta ſunt omnia, ecquid ſex diebus facta dici vere potuerint, an minus; diſputare nolo. Adi Pererium Lib. I. in Geneſ. de Opere ſextæ diei. Et ſimiliter illud, rectene ſcilicet, an ſecus eo loquendi modo conſultum fuerit & rudibus, & ſapientibus; parum, aut nihil ad me; ex eodem cognoſcere poteris, & ex aliis pluribus, qui eadem via ingrediuntur. Ego ibi ſum, & inſiſto: divinæ Scripturæ verba a propria ſignificatione, & ſententia alio transferre non licet, niſi vel ſumma auctoritas, vel efficaciſſima ratio id prorſus exigant. Neque nobis hic adverſarii idipſum reponant, de illis Scripturæ locis, quæ contra nos afferunt. Ea enim omnia & proprie intelliguntur a nobis, & explicantur quam commodiſſime. Non ſic autem ipſi noſtra. At, inquiunt, quod Angeli, eorumque ſcientia, & cognitio ſignificentur nomine lucis, vel nullam habet metaphoram, vel decentiſſimam, & convenientiſſimam. Eſto; detur hoc Auguſtino. Gradum faciunt: quæ ſimul facta ſunt, ajunt, in ſex partes, propter ſenarii numeri perfectionem, aptiſſime tribui potuere. Credibilene verò eſt, Deum ita numeris duci, ut iſthuc ſpectarit, cum Moyſi illa dictavit? Quod ſi numeris delectatur; cur hic in ſcribendo, & narrando tantum, non item in agendo, ſive efficiendo; quippe cum velis, ſex dies dici, fuiſſe autem re vera unicum temporis punctum? Præterea ſunt alii numeri, qui ad externam, &, ut ita dicam, fictitiam iſtiuſmodi diviſionem congruentius adhiberi potuiſſe videntur. Conſule Clementem Alex. Lib. VI. Strom. n. 6. & Euſebium Cæſar. Præpar. Evang. Lib. XI. cap. 6. Epiphanium, Ambroſium, & alios de ſeptenarii, de octonarii, novenarii, denarii, & aliorum quorundam numerorum præſtantia. Quin igitur Deus unum ex illis adlegit, ſi non ad tempus, & ordinem, quo factæ ſunt res; ſed ad earum perfectionem, & univerſitatem, & ad ſapientum ſcita, & ſtudia reſpexit? Quidni uſus ternario eſt; in quo, ut in aliis Geneſis locis, interior, & tacita quædam fuiſſet ſignificatio Trinitatis. Quique cum locum habeat inter divina, ibique ſit omnino extra tempus, & non recedat ab unitate, divinæ operationi, ſeu mundi effectioni apprime congrueret; quæ pariter una, & triplex fuiſſet. Quoniam & factæ eſſent res omnes unico temporis momento, ut adverſarii volunt; & tamen ſunt aliæ creatæ ex nihilo, aliæ ex aliis eductæ, aliæ tandem aliter collocatæ, & diſpoſitæ, ut perhibet Moyſes. De qua triplici Dei operatione dixi ſupra. Sed fuerit ſenarius numerorum omnium aptiſſimus: at, cum Angeli ſex illas univerſitatis partes ſimul cognoverint & in Verbo, & in rebus ipſis, duplicem hanc ſex rerum cognitionem a Moyſe vocari ſextiduum; metaphora eſt, & profecto talis, quæ divinum Hiſtoricum, ac Deum ipſum legislatorem quomodo deceat, & ad rem ipſam conveniat, non video; & Auguſtinum, ſi hoc dicit, me plane non intelligere fateor. Quippe eodem jure, quod Angeli ſimiliter res triginta cognoverint, vocari menſis; & quod ſexaginta quinque ſupra trecentas, annus dici potuerit. Hæc ſatis

DIS-

DISPUT. II. HISTORICA.

Utrum eorum, quæ de terreſtri Paradiſo, & primis hominibus ſcripta ſunt in ſecundo, & tertio Geneſis, ſenſus ſit & hiſtoricus, & proprius; an vero duntaxat myſticus, vel ſaltem figuratus.

VIdetur duntaxat myſticus, vel ſaltem figuratus. Nam primo, ſi terreſtris Paradiſi deſcriptio eſſet hiſtorica, atque ex proprio verborum ſignificatu accipienda, neceſſe eſſet, aut exiſtere alicubi hodie, aut extitiſſe aliquando fluvium aliquem, ex quo vel aperte, vel occulte originem ducerent, non ſolum Tigris, & Euphrates; ſed etiam Phiſon, ac Gehon, ſive alio nomine Gangem, & Nilum. Ut autem detur hoc de primis duobus, quod quidem ipſum non parum habet difficultatis; de duobus poſtremis, hoc eſt de Phiſon, & Gehon, ſive Gange, & Nilo, niſi ſi eorum & diſtantiam, & habitudinem non reputamus, videtur plane incredibile.

Secundo, ſi relicta ſententia Veterum de Phiſon, & Gehon, iis nominibus appellari cenſes duo illa flumina, quæ ex confluente Euphratis, ac Tigridis enaſcuntur, & alterum quidem terram Hevilath, ſeu Chavilah, alterum vero terram Chus, ſive Suſianem percurrit; quamvis ita ſint opinati complures ex recentioribus, ut Eugubinus, Vatablus, Janſenius, Oleaſtrius, Pererius, eamque opinionem valde probet Cornelius a Lapide, ac noviſſime illuſtrarit, & defenderit Daniel Huetius; tamen, ut nihil dicam de aliis difficultatibus, in quas memorati modo Scriptores incurrunt, ac neſcio an ſatis explanent; cum re vera hi duo amnes alii non ſint ab Euphrate, & Tigri; videtur omnino magis vel probandum, vel tolerandum, hunc Scripturæ locum intelligi myſtice, aut figurate; quam ex quatuor, aut verius quinque fluviis, quot ibi expreſſe numerantur, fieri duos.

Tertio, ut ſit hiſtorica, & ſimplex deſcriptio fluminum, talis profecto non eſt deſcriptio arborum, ac reliquorum. Quis enim ſibi perſuadeat, veras fuiſſe arbores, in quibus ea virtus ineſſet; aut proprium eſſe horti fructum immortalitatem, ac ſcientiam? Quis credat, primam fœminam totius humani generis matrem, iis omnibus animi bonis, quæ ſupra naturam a Deo acceperat, adhuc ornatam, ea non ſolum ſimplicitate, ſed prope ſtultitia fuiſſe; quæ cum ſerpente colloqueretur adeo familiariter, eidemque haberet tam temere fidem? Ad hæc, inambulatio illa Dei ad auram poſtmeridianam, de qua Gen. III. 8. Ea forma judicii, & facti quæſtio deſcripta ver. 9. 10. 11. &c. In ſerpentem quoque lata ſententia ver. 14. & quod majus eſt, in eum, perinde ut in homines, id ipſum quod ex propria illius conditione cæteroqui fuerat, conſtitutum ſupplicii loco, atque in pœnam verſa natura. Et tandem ver. 24. illæ Cæleſtium excubiæ, diſtricto gladio, ante Paradiſi aditum, tanquam in præſidio, & ſtatione locatæ; dicta videntur hæc omnia non tantum humano more, ſed ad rudis plane populi captum; & ſubjecta oculis, cum mente ſolum conſpici poſſent.

Sed contra eſt, quod hæc omnia, tanquam veram, & propriam hiſtoriam habent ſancti Patres, & ſacri Interpretes maximo conſenſu. Siquidem Ambroſius, Anaſtaſius Sinaita, & interdum alii, qui myſticos ſenſus exquirunt, ſenſum tamen hiſtoricum, & propriam verborum ſignificationem nuſquam rejiciunt. Item pro vera, & propria hiſtoria habet Eccleſia, communi perſuaſione, & traditione, perpetua, ut apparet præſertim ex ſexta Synodo act. XI. Et tandem ſic eadem habet Paulus Apoſtolus II. ad Cor. XI. 3. *ſicut ſerpens Hevam ſeduxit.* & I. ad Tim. II. 14. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta* &c. itidem ut Tobias VIII. 8. *Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſti-*

que

que ei adjutorium Hevam. Sapiens x. 1. Eccleſiaſticus xxxiii. 10. &c.

Respondeo eorum omnium, quæ ſupra dicta ſunt, non ſolum myſticum, ſed & hiſtoricum eſſe ſenſum; eumque non figuratum, ſed proprium; qualis ferme eſt in aliis etiam divinæ Scripturæ hiſtoriis. Prima pars Reſponſionis eſt contra Philonem, Origenem, Valentinianos, & Seleucianos; quos refutarunt Irenæus adverſ. hæreſ. Lib. I. cap. 5. n. 4. Epiphanius hæreſ. 64. n. 47. in Ancorat. num. 58. & in Epiſt. ad Joannem Hieroſol. Epiſc. Hieronymus Lib. I. in Daniel. cap. 10. ſ. 3. & Epiſt. 61. ad Pammach. Auguſtinus Lib. de hæreſ. num. 59. Lib. I. Quæſt. in Gen. q. 27. Lib. XIII. de Civit. cap. 21. Lib. VI. Operis imperf. cont. Julianum num. 39. & tandem in utroque Opere commentariorum in Geneſ. perfecto, & imperfecto; quibus idcirco titulum illum prætixit, *de Geneſi ad Litteram*. Pro hac Reſponſionis parte, præter tria illa argumenta ab auctoritate, quæ paulo ante indicavi, ex Patribus, ex Eccleſia, ex ſacris Litteris, præſto eſt theologica ratio firmiſſima, qua uſus eſt S. Thomas p. 1. q. 102. *Ea, quæ de Paradiſo in Scriptura dicuntur, per modum narrationis hiſtoricæ proponi. In omnibus autem, quæ ſic Scriptura tradit, eſſe pro fundamento tenendam veritatem hiſtoriæ, & deſuper ſpirituales expoſitiones fabricandas*. Aliter enim tum in hoc, tum in cæteris etiam Sacræ Scripturæ libris hiſtoricis nihil certi eſſet: eorumque auctoritas ſimilibus interpretationibus facile poſſet eludi. Immo non ſolum in re hiſtorica, ſed etiam in re dogmatica ſacrarum Litterarum nihil ex ſe ſatis firmum, atque conſiſtens: nutarent omnia, aut certe plurima. Etenim, ut in Baſileenſi Concilio recte notavit Joannes de Raguſio orat. 1. & communis eſt Doctorum ſententia, *Scriptura eſt regula Fidei ſecundum ſenſum litteralem*: qui ſi in narratione hiſtorica prorſus abjicitur, aliis in locis difficile retinebitur.

Altera pars Reſponſionis eſt contra Cajetanum, qui ſenſum litteralem non quidem hic eſſe nullum, ſed eſſe docet maxime figuratum: & hiſtoriæ veritatem ſic tuetur, ut tamen illam multis in locis longe aliam eſſe velit ab eo, quod verba præſeferunt, & proprie ſignant. Probatur hæc pars, ab auctoritate quidem, argumentis iiſdem tribus, quibus pugnatum eſt ſupra. Ea enim tametſi feriunt Origenem maxime, Cajetanum tamen quoque perſtringunt. Pro ratione autem theologica erit hic ea regula interpretandi Scripturas, quam in præcedente diſputatione tradidi ex Auguſtino: nimirum, ut a proprio verborum intellectu non diſcedatur, niſi quando nos inde dimoveant vel ratio, vel auctoritas, quibus repugnari non poſſit. Ut autem nihil ejuſmodi obſit, quo minus teneatur in re præſenti, objectorum confutatione planum fiet. Conſequens eſt igitur, ut eorum, quæ de terreſtri Paradiſo, & primis hominibus ſcripta ſunt in ſecundo, & tertio Geneſis, ſenſus ſit & hiſtoricus, & proprius; non dumtaxat myſticus, vel ſaltem figuratus. Quod erat propoſitum.

Ajo hic etiam ſecundo, ſi de litterali, ſive hiſtorico horum locorum ſenſu aliquid novum ſtatuere liceret, in ea me ſententia fore, quæ non ſolum longe abſit ab errore Origenis, ſed ab opinione etiam Cajetani non parum diſtet. Id ferme ipſum dicerem de hac prima Geneſis parte, quod de libro Jobi plures confirmant doctrina, ac religione præſtantes viri; in primis autem Daniel Huetius, qui Demonſtr. Evangel. propoſ. 4. n. 4. illud defendit, veram quidem eſſe Jobi hiſtoriam, ſed poetice digeſtam. Jobum fatetur re vera extitiſſe, in acerbiſſimas calamitates incidiſſe, certo Dei conſilio bonis, & liberis dæmonis opera fuiſſe orbatum, diro etiam, ac tetro ulcere eroſum, adiiſſe ad illum uxorem, & amicos, verbaque ſimul ipſos conſeruiſſe in eam ſententiam, quam retulit Moſes, controverſiam Jobi diremiſſe Deum oraculo ſuo, ac querimonias compoſuiſſe, Jobum ipſum denique ingens pietatis, ac patientiæ præmium, reſtitutam ſanitatem, auctas opes, numeroſa prole fundatam domum a Deo eſſe conſecutum. Porro verba, verborumque collocationem, allocutiones, reſponſiones, dialogi totius compoſitionem, & ordinem, figuras, & reliquum ſermonis ornatum, poetica eſſe contendit: ſic enim voluiſſe Deum hiſtoriam hanc poſterorum memoriæ tradi.

Idem

Digitized by Google

Idem igitur dici poſſe videretur in re noſtra: eorum, quæ in prioribus Geneſis capitibus enarrantur, hiſtoriam quidem eſſe veriſſimam; ſed fuiſſe a Moyſe expoſitam, non dicam poetice, quoniam ibi non videntur eſſe poetici numeri; expoſitam dixerim potius prophetice: hoc eſt, iis rerum noſtrarum ſimulacris, & imaginibus, quibus utuntur Prophetæ, & quibus uſus eſt ipſe Moyſes in ea etiam hiſtoriæ Jobi parte, quæ numeris caret; ubi de Dei, & Angelorum quaſi concilio, de Satanæ interventu, & ſimilibus. Quæ pars libri illius, cum hac Geneſis parte ſtylo etiam, & oratione mirifice conſentit. In hanc ergo ſententiam dicerem, terreſtrem Paradiſum, nam de hoc major eſt difficultas, deliciarum locum vere fuiſſe, corporeum, & aſpectabilem, vel in hoc terrarum orbe, vel ita ipſi conjunctum, ut adiri inde poſſet: in eoque & fluvium, & plantas, & arbores, ut in horto, extitiſſe. Hæc verò, ut horto tali, beataque illa primorum hominum ſorte dignum erat, a noſtris fuiſſe non parum fortaſſe diverſa. Noſtrorum tamen ſpecie, & imagine a Moyſe deſcripta fuiſſe, more Prophetarum, ſeu Vatum ſacrorum. Qui tamen fideliſſime, ac propriis verbis, vel maxime aptis deſcribunt, quæ ipſis monſtrantur. Monſtratam vero Paradiſum fuiſſe Moyſi, ea præſertim quatuor celeberrimorum fluminum ſpecie, & imagine; ſive quod ejus loci amplitudo, ubertas, amœnitas non potuiſſet aliter, vel a nobis; vel etiam ab ipſo convenientius intelligi: ſive quod in illis fluminibus ſit peculiaris aliqua ſimilitudo cum flumine Paradiſi; & quicquid fortaſſe virtutis, ac virium collectum in eo eſt, vel fuit, in hæc quatuor diviſerit Deus; ſive tandem, quod in hoc magno telluris corpore Deus ipſe aquarum venas ita diſpoſuerit, ut revera ex fluvio illo hi quatuor vel originem trahant, vel aliquid aquarum accipiant; quo Moyſi oſtendi potuerint, quaſi non procul a Paradiſo capita, & fontes ipſos haberent. Expoſitione hac neque ad Origenem accederem, cum Paradiſum illum confeſſus ſim & corporeum eſſe, & vere terreſtrem: nec Caietano adhæreſcerem, cum Moyſem, quæ ſibi repræſentata ſunt, exactiſſime, ac verbis propriis, & maxime aptis retuliſſe dixerim. Hac de cauſa; & quod etiam expoſitio hæc probabilitatem aliquam habet cum ab exemplo alterius divinæ hiſtoriæ, de qua dixi proxime; tum ex iis omnibus, quæ dicta ſunt in ſuperiori diſputatione ſecundo pariter loco, quibus valde cohæret; idcirco eam breviter, ut feci, vobis indicandam putavi. Cæterum ſenſus horum Geneſis capitum hiſtoricus, & proprius defendendus eſt magis integre, & ſolide communioribus, atque planioribus viis. Ad quas vias cum pertineat primaria, & abſoluta Reſponſio noſtra, ut illam tuear,

Ad primum dico, argumentum nobis hoc nihil officere: quippe quo non probatur, recedendum eſſe a propria, & hiſtorica verborum ſignificatione: probatur, (neque tamen hoc ipſum probatur ſatis) recedendum a ſententia Veterum, qui quæ ſunt Geneſ. II. 11. 12. 13. de Phiſon, ac Gehon hiſtorice, & proprie de Gange, & Nilo dicta eſſe docuerunt. Hæc adverſariorum ratiocinatio eſt: neceſſe eſſet, vel exiſtere alicubi hodie, vel extitiſſe aliquando fluvium aliquem, ex quo vel aperte, vel occulte originem ducerent Ganges, & Nilus. Ita eſt: conceditur. At ſubjiciunt, hoc eſt plane incredibile. Negatur. Quæro enim, fierine iſtud potuerit ſaltem divinitus? Si fieri ſaltem divinitus potuit, quod certe potuit; vel negandum locis proxime notatis ſignificari proprie Gangem, & Nilum: vel ſi hoc datur, fatendum eſt, Gangem, & Nilum, ut hodie ſint, habuiſſe olim in tertio aliquo fluvio commune principium. Horum omnium hæc vobis doctrina ſit. Senſum litteralem, ſive hiſtoricum divinæ Scripturæ nunquam eſſe rejiciendum. Quoniam is eſt Fidei regula, ac fundamentum ſenſuum cæterorum, quo ſublato, nec illi ſtarent. Senſus proprius, ſeu propria verborum ſignificatio interdum eſt relinquenda: non verò ea tantum de cauſa, quod res naturaliter fieri nequeat. Nam ſi omnino poſſet Deum vere pœnitere, quamvis habendum id miraculo foret; illud tamen Gen. VI. 6. *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra*, & 7. *pœnitet enim me feciſſe eos*, intelligendum eſſet proprie. Intelligitur autem figurate, quia Deum vere pœnitere, non miraculo eſt, ſed abſur-

abſurdo; certumque eſt, & evidens hoc in Deum non cadere. Nituntur hæc omnia ea regula interpretandi ſacras Litteras, cujus ſupra meminimus. Quam qui non teneat, apud eum prope nulla ſit ex Scripturæ verbis cujuſquam miraculi fides. Siquidem hoc ipſum, quod verbis illis aliquid exprimitur, quod naturæ vires ſuperat, juſta ei cauſa foret propriam eorum ſententiam deſerendi.

Inſtabis: quicquid mirum eſt, & ad fidem difficile, id omne Deus, ſi credi vult, non ſolum proprie, ſed etiam diſerte, & expreſſe teſtatur: aut ſaltem efficit, ut proprium ejus loci ſenſum declaret Eccleſia, vel unanimi conſenſu Patres. Nihil autem horum in re præſenti. Ganges, & Nilus non nominantur hic. Eccleſia, ut in re quæ ad Fidem, & mores non pertinet, de illa ne verbum quidem. Patres, qui de hoc ſcripſerunt, non ſunt ita multi, ut etiamſi iidem ſentiant, poſſit id pro unanimi conſenſu Patrum merito haberi. Reſpondeo ad hæc id ipſum, quod initio dicebam: his non evinci nullum eſſe hiſtoricum, & proprium his in locis Scripturæ ſenſum; quod quidem aſſertioni noſtræ contrarium foret. Probatur, non eſſe certum, quis ſit iſte ſenſus: probatur, non eſſe illum, quem olim vulgo cenſebant. Quanquam hoc addidi non ſatis probari. Quippe cum in eam interpretationem de Gange, & Nilo tantopere conſenſerint Patres. Probaretur fortaſſe ſatis, ſi nobis adverſarii oſtenderent, fieri non potuiſſe niſi miraculo, & contra aquarum naturam, ut Ganges, & Nilus ex eodem Paradiſi fluvio ortum ducerent. Verum hoc, quod ipſi ajunt eſſe plane incredibile, non modo nihil prodigii, ſed, ut mihi videtur, parum etiam habet difficultatis. Si tamen animadvertantur, & concedantur hæc: videlicet univerſali diluvio non modo magnas mutationes eſſe factas in tota terrarum ſuperficie, ſed, quod ex hoc ipſo ſequitur, valde pariter immutatos fuiſſe ſubterraneos locos, receptacula, meatus, diſcurſus, diſtributiones aquarum. Probantur hæc ex ipſa rerum natura, ac præterea ex illo Gen. VII. 11 *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. Cum enim proruperint undique magna vi, & impetu, atque omnes terræ ſinus ſciderint aquæ; nihil factu facilius, quam ut poſt diluvium, nec eoſdem ſub terras receptus habuerint, nec priſtinas omnes vias recurrerint; ſed alias, atque alias, ex iis ſcilicet, quas ſibi noviſſime fecerant. Accedit teſtimonium II. Petri III. 6. *ille tunc mundus aqua inundatus periit*. Dicitur, *ille mundus*; & additur, *periiſſe*; quia is qui nunc eſt, propemodum eſt alius ab illo. Ut mirum proinde non ſit, ſi eorum quoque fluminum, de quibus ſcribit Moyſes, alia ſubinde fuerunt initia, & curſus alii. Quin etiam illud adjecerim, divinitus, & ſupra ipſam diluvii vim, & modum, mutationes omnino majores in his quatuor fluminibus eſſe factas, quam in cæteris omnibus rebus, ne terreſtris Paradiſi ulla amplius extarent indicia: quique antea humanis greſſibus, deinceps humanis etiam ingeniis penitus clauſus, & impervius foret. Niſi forte, quod Eccli. XXIV. 35. 36. fluminibus quatuor, in Geneſi memoratis, Jordanis adjungitur; & quod Jordanis in lacum deſinit, ac demum a terra omnino abſorbetur; indicio eſſe putemus, fluvium illum, qui dividebatur in quatuor capita, eſſe Jordanem. Paradiſum vero, qui ab illo irrigabatur, in Palæſtina fuiſſe: eoque ipſo forſitan in loco a primis Parentibus commiſſam eſſe culpam, ubi poſtea a Chriſto Reparatore pœna eſt perſoluta.

Immo his eiſdem indiciis, & conjecturis ultra progredior; ac verba Geneſis reor poſſe facile intelligi de Gange, & de Nilo, uti etiam ſe in præſenti habent. Sic vero, ut dicamus oriri flumina ex abyſſo magna: quæ ſunt aquæ intra terræ viſcera, partim collectæ ex pluviis, ac nivibus liquefactis; partim, deterſis quoquomodo ſalibus, illuc ex mari tranſmiſſæ: incluſæ tamen ibi primum a Deo; cum ante nives, & pluvias, & omnino ſimul cum mundo extiterint flumina, ac fontes aquarum eruperint; ut eſt Prov. VIII. 24. 26. 28. Hoc igitur de Paradiſi fluvio ſignificare voluiſſe Moyſem arbitror: ipſum non evolvi, & illabi ſicuti cæteros in mare; ſed antequam eo perveniat, terræ hiatu interceptum, ac penitus hauſtum ad eas abyſſi magnæ partes aggregari, ex quibus vel quatuor illi fluvii naſcuntur; vel minores alii, &

Digitized by Google

a Palæſtina minus remoti ; qui tamen in eos quatuor, ſupra memoratos , denique influant . Quod poſterius; ſi verum eſt , *dividi in quatuor capita*, hic idem ſignificat , ac dividi in quatuor principes fluvios ; nec nomen capitis referendum eſt ad fontes Gangis, Nili, Tigridis, Euphratis, ſed ad eorum magnitudiuem , atque præſtantiam . Recte vero in ea Moyſis deſcriptione locum habent hæc flumina . Siquidem ad acuendum in Hebræorum animis deſiderium Terræ , a Deo ipſis promiſſæ, magnopere interfuit , hæc duo ipſius ignota decora palam fieri ; & quod olim in ea Paradiſus fuerit ; & quod ad eandem ipſa hæc tam grandia flumina aliquo modo pertineant.

Ad ſecundum, præter illa , quæ paulo ante de ſenſu hiſtorico , & proprio horum locorum generatim diſſerui , & a vobis huc transferri , & aptari facile poterunt ; dico , in ea ſententia , de qua hic oppugnamur , mihi quidem nihil durius, ac difficilius videri, quam quod deſerendi ſint Patres . Quanquam de his quidem fluminibus Patres neque omnes, nec magno numero ſcripſerint : & qui illos in re iſta deſerat , id talium virorum exemplo faciat, ut videri non poſſit auctoritatem parvipendere, aut ſuo nimis ingenio fidere. Adde quod in ſecundo de peccat. original. cap. 23. n. 27. docet Auguſtinus , de terreſtris Paradiſi ſitu quæſtionem eſſe unam ex iis , quæ Fidem non attingunt . Hac igitur difficultate ſepoſita, quæ adverſariis vel nulla eſt, vel minima ; quam ipſi graviſſimam eſſe ducunt , ab ea me breviter , & ut ſpero etiam non incommode expediam : expoſita tamen prius hac ſententia paulo aliter , quam velit Huetius , & qui alii eam defendunt . Hi enim omnes de fluvio Paradiſi recte quidem hoc ſentiunt , quod verba illa, *egrediebatur de loco voluptatis* , intelligi nolint de illius fluvii ortu : in quo antiqui interpretes falſi forſitan ſunt ; cum fluvium egredi , & fluvium naſci, idem hic eſſe putarent . Verum probare non poſſum , quod ajunt recentes, fluvii hujus egreſſum idem ſignificare , quod tranſitum, ſive decurſum : ab eoque ita irrigatum fuiſſe Paradiſum exiſtimant, ut illum interflueret, ac medium ferme divideret. Sive enim fluvium hunc eſſe dicant, Euphratem ſolum, aut ſolum Tigrim , ſive eoſdem ſimul conjunctos ; non eſt horti proprium , ejuſque horti , qui a voluptate nominatus fuerit , interſecari, & interlui tantæ magnitudinis alveo, qui mari ſit, quam fluvio ſimilior . Iſne deliciarum locus ? Hæc horti forma, & modus? Certe primis Parentibus, quorum culturæ, atque cuſtodiæ commiſſus fuit, navigio, ac remigatione, eaque non facili , aut remiſſa opus fuiſſet , ut injuncto ſibi munere fungerentur . Quod ineptum eſt cogitare. Alia vero flumina, quæ inter Euphratem , & Tigrim , præviæ quædam derivationes ſunt alterius in alterum; non a natura, aut a Deo mundi conditore; ſed ab incolarum induſtria ; quod veteres hiſtorici tradunt, ac res ipſa præſefert : ut de his loqui Moyſes haud ſane potuerit. Sic igitur habendum ; Paradiſi fluvium eum fuiſſe, qui *fluvius Arabum* appellatur hodie; ſive etiam antonomaſtice, *Fluvius*. Hoc eſt ille alveus , quo totus Euphrates, & Tigris totus commixtis aquis ſimul feruntur. Locus voluptatis , ut a Paradiſo diſtinguebatur , & aliquanto fortaſſe longius , latiuſque patebat , dextera fuit illius alvei ripa : ea ſcilicet, quæ Palæſtinam ſpectat , ipſique ab oriente reſpondet; niſi quod paulo magis in meridiem vergit . Paradiſus vero ſecus hanc ripam ſitus ; atque ibi forſitan, ubi major quidam ejuſdem alvei flexus , atque ſinus valde amplum , idque amœniſſimum, ac fertiliſſimum terræ ſpatium complectitur : ferme e regione , ac prope dixerim in conſpectu Judææ , & Hieruſalem. *Egrediebatur* autem is , qui nunc dicitur Arabum fluvius *ad irrigandum Paradiſum* , ſive quod perennes aliquos rivos illuc emitteret; ſive quod certis temporibus , uti nunc etiam quando magis eſt opus facere ſolet , occulte auctus increſceret, & ſupra ripam aſſurgens opportuna aquarum ſubſidia in ſubjectam planitiem effunderet. Idem autem fluvius *inde dividebatur in quatuor capita* ; vel quia ſub ipſum voluptatis locum in quatuor alveos olim ſe diſpertiret ; quorum duo nomen retinerent Euphratis , ac Tigridis, duo reliqui appellarentur Phiſon , ac Gehon ; vel , quod probabilius reor , quia fluvius ille in utroque termino , & boreali ſcilicet, ubi incipit ; & auſtrali ,

ubi

Digitized by Google

ubi deſinit , tunc etiam bifariam divideretur ſicut hodieque . Incipit enim non procul ab Apamea , ac Cteſiphonte , ubi Euphrates , ac Tigris plene, ut dixi , in unum coeunt : deſinit vero prope Baſſoram, ubi iterum ſejunguntur . Et ſejungebantur olim fortaſſe latius ; ut quemadmodum ex ſuperiori parte illis interjacet Meſopotamia ; ita ex inferiori tantumdem fere terrarum ambirent , mediumque comprehenderent . Ceterum illos poſt conjunctionem hoc etiam tempore iterum dividi , res eſt compertiſſima , ac miror eſſe qui negent : cum tota Meſſenia , ſive inſula Chader inter eos poſita ſit , ac diverſis itineribus , nec ab eadem parte , ſed unus ab oriente, alter ab occidente ſe in ſinum Perſicum inferant . Qui ab occidente, ille eſt Phiſon ; quem Moyſes primum nominat, quia ipſi in Arabia Petræa ſcribenti primum ſe offerebat. Qui vero ab oriente, eſt Gehon; aliis quoque fluminibus commune nomen. Cur autem, quam hic præterlabitur, *terra Ethiopiæ*, Hebraice כּוּשׁ *Chus*; quæ vero ab altero alluitur , *terra Hevilath* , חֲוִילָה *Chavilah* Hebraice nuncupentur, ex Pererio , Cornelio a Lapide , & aliis in oppugnatione citatis facile diſces. Eædem nominibus iiſdem in pluribus aliis Scripturæ locis notatæ reperiuntur; ut Gen. xxv. 18. I. Reg. xv. 7. IV. Reg. xvii. 24. &c. Porro hæ quatuor aquarum ſectiones , duæ ſupra ad Septentrionem , & totidem infra ad Meridiem , dicuntur *quatuor capita* ; hoc eſt quatuor aquarum aditus , ingreſſus , ductus , decurſus . Quam ſignificationem expreſſit Samaritanus interpres , qui vocem רָאשִׁים *capita* , reddidit per vocem נוֹזְלִים *fluenta* . Denique mirum non eſt , hæc fluenta pro quinque ipſis fluminibus a Moyſe fuiſſe habita : cum ſic habeantur etiam in præſens ; & ſuo quodque nomine & incolæ, & Geographi appellitent . Ex diverſitate ſcilicet non tam aquarum , quam alveorum æſtimantur hæc. Sic Baſilius , & Aborrhas , de quibus Strabo Lib. 16. fluvii ab Euphrate , & Tigride diverſi cenſentur ; quamvis aquas fortaſſe non alias habeant , quam quas ex uno in alterum transvehunt : & quod majus eſt , ipſorum alvei ut a me paulo eſt ante dictum artis opera ſint , non naturæ . Sic pariter, ut notat Huetius, recte dici de Colonia poſſit , ipſam a fluvio allui , in quatuor capita ſe dividente ; quæ ſunt Morella, Rhenus , Iſala , atque Vahalis. Quid quod , ſi aquarum diverſitatem requiris, nec quatuor capita dici potuiſſent ea ſignificatione , qua velles ; cum ipſorum aqua ex uno, eodemque ſit fluvio , qui Paradiſum rigabat. Vide autem , ne ſit inſolentiæ , aut imprudentiæ non levis , nobis objicere , quod ex quinque Moyſis fluminibus faciamus duntaxat duo, cum tu , ſi quid hæc tua ratio valet, non niſi unicum facias.

Ad tertium dicendum , nobis eſſe propoſitum hiſtoriæ veritatem , & proprietatem tueri : huc vero opus non eſſe translationes , & figuras prorſus omnes ab his Scripturæ locis ablegare, & excludere . Quid enim , vera , & propria hiſtoria non ſunt , quæ de Saule narrantur in primo Regum ? Atqui , *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cæpiſſet*, quod eſt xiii. 1. figurate dictum , credo, fateberis: neque id ad ætatem , qua regnum accepit, ſed ad ejuſdem integritatem, innocentiam , ingenuitatemque referes . Si quid igitur in hac etiam narratione Moyſis ſimiliter dictum concedimus, non continuo aut aſtipulamur Origeni , aut Cajetano ſubſcribimus , aut omnino aliquid de noſtra aſſertione , ac ſententia remittimus. Habenda tamen ante oculos ſemper lex ab Auguſtino ſancita , ut in interpretatione Scripturæ , ac præſertim in re hiſtorica, non admittantur hæc ad arbitrium, ſed ex neceſſitate. His prænotatis, ſingula percurramus.

Immortalitatis , ac ſcientiæ efficientia, cujuſquemodi Paradiſi terreſtris arboribus tribuenda videatur , de quo Interpretes diſſident ; ſi arbores illæ a noſtris diverſæ , & longe nobilioris cujuſdam generis erant , quod in ſecunda reſponſione attigi ; ipſarum propria eſſe potuit : ut quantum noſtris præſtarent natura , tantum etiam virtute , ac fructu antecellerent . Sin autem vel erant ex noſtris , vel noſtrarum conſimiles, vis , atque efficacitas illa fuit ipſis ſuperindita a Deo : qui dubium non eſt , quin potuerit illuc evehere poma , & arbores ; cum re ipſa in

Digitized by Google

Sacramentis novæ Legis, ex communiori ſententia, multo altius elevet aquas, atque hominum verba.

Quod prima fœmina ſerpentis ſive aſpectum, ſive alloquium non exhorruerit, minime miror. Eum ſcilicet non timebat. Non ſtultitiæ, aut temeritatis ea ſecuritas fuit; ſed principatus, & dominii. At enim colubri ore loqui dæmonem non ignorabat. Eſto: ſed pro eo loco, & ſtatu, in quo erat, ei ne dæmon quidem terrori eſſe poterat. Cæterum, potuit illi etiam in mentem venire, non dæmonem eſſe, ſed Angelum, qui os belluæ in humanas voces inflecteret, & organorum defectum suppleret. Ita factum poſtea in Balaami aſina legimus Numer. XXII. 28. Immo nec indecens fuit, quamvis ita factum non ſit, Angelum aliquem, cum eos ante peccatum amicos, & familiares haberent, ea etiam figura ſe illis oſtendere. Equorum ſpecie oblati Zachariæ I. 8. 10. 11. Ezechieli autem I. 10. ſpecie leonis, aquilæ, bovis. Inſtabis: dæmonem noſſe tandem potuit ex ſententia verborum; & utrumcunque ſecum loqui cogitaret, bonum, an malum angelum; quod ei auſcultarit, ſtultiſſime fecit. *Licet Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* (Galat. I. 8.) Hoc vero non nego. Sedenim primo, æqualis ſtultitiæ fuiſſet, auſcultare dæmoni hæc ipſa duntaxat interius animo ſuggerenti. Quas interiores ſuaſiones, ſuggeſtioneſque hoc ſerpentis, & Evæ colloquio adumbratas eſſe, adverſarii volunt. Deinde quam multa in omnibus hiſtoriis, atque in ſacris ipſis Codicibus viri cæteroqui ſapientes leguntur egiſſe temere, ac ſtulte? De Salomone ſcriptum III. Reg. III. 12. *dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum ut nullus ante te, ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Idem vero *coluiſſe Aſtharthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum & Chamos idolum Moab*, ac templa iis ædificaſſe perhibetur XI. 5. 7. Num propterea hæc myſtice, aut figurate dicta contendes? At Salomonem excæcavit amor, quibus animi morbis hominum natura, cum adhuc eſſet integra, caruit. Verum quid de Lucifero? Quo tamen ut nemo ſapientior, ita ſtultius egit, aut cogitavit nemo: ut eſt apud Iſa. XIV. 13. Occæcatum hunc ſuperbia dices. Verum de prima humani generis Parente idem tibi reponam. Qua enim cogitatione, ac propriæ excellentiæ appetitione ſe victum ſciebat Lucifer, nimirum *ſimilis ero Altiſſimo*; ipſa illa homines oppugnavit, *eritis ſicut Dii*. (Gen. III. 5.)

Nec magis ſolida ſunt, quæ ſequuntur. Nam ſi Deum ipſum, vel Angelum Dei vice functum, primis Parentibus humana ſpecie, & figura videndum ſe præbuiſſe concedis; quod idem deambularit per Paradiſum, quod reos in judicium evocarit, quæſtionem exercuerit, ſententiam pronunciarit, & ſimilia quædam fecerit humano more, nec mirum eſt; nec ulla eſt ratio, quamobrem hiſtorice, & proprie hæc ſcripta eſſe negari poſſit. Non tam expoſitio rerum, quam res ipſ factæ ſunt juxta hominum captum.

Lata in ſerpentem quoque ſententia eſt; eo ſcilicet fere modo, quo pariter apud homines aliquando addicuntur flammis, aut ignominia notantur ſcelerum non modo auctores, ſed etiam inſtrumenta. At, inquiunt, de homine intelligitur facile, ut morti ſubjici, ſupplicio ipſi fuerit, cum Dei dono potuiſſet illam effugere. Serpentis autem quæ melior erat futura conditio, ſi homo innocentiam ſervaſſet? Animal fuiſſet, ſicut cætera quidem innoxium, at propter ſagacitatem, ac venuſtatem, præ cæteris homini charum; in deliciis habitum, nutritum molliter, pro gemmato monili, ac torque aureo ab eo geſtatum aſſidue. Præterea tametſi quæ in ſerpentem decreta, ſint ex ipſius natura, iis tamen addita eſt ignominia; ex duplici ſcilicet reſpectu & ad peccatum, & ad dæmonem. Cum ex ſententia illa Dei, facta ſint monumentum, ac nota peccati; & ita ſint in ſerpentem dicta proprie, ut figurate, ac myſtice ſive ſymbolice in dæmonem cadant. His duobus diſtinctis optime intelligitur, ut factum ſerpenti fuerit ex natura ipſa supplicium. Et quidem culpæ conſentaneum fuit, ut qui ad humani Generis perniciem ſerpentem ſubiit, eique intus pro anima fuit; ad eum pertineret divinæ illius ſententiæ, & maledictionis ſenſus interior, exterior vero ad ſerpentem.

Tandem illa etiam hiſtorice, & proprie,

prie, quæ de Angelis *ante Paradiſum collocatis*, *flammeo gladio*, *atque verſatili*, ſive ancipiti. Niſi quod vocantur *Cherubim*, licet ex octavo Angelorum ordine fortaſſe non eſſent; propterea quod advigilarent, ſive excubarent. Dices, eos arcendis non tantum hominibus, ſed etiam dæmonibus appoſitos ibi fuiſſe, ſic enim docent interpretes: dæmones autem non fugari gladio, & igni. Reſpondeo primum ea ſpecie, atque habitu juſſos eſſe ſe oſtendere primis hominibus, & ſi qui ſubinde alii illuc accederent: & ſic etiam viſi ſunt fortaſſe Moyſi, antequam hæc ipſa deſcriberet. Deinde quid ſi Deus eo ſigno ſenſibili abſterreri, propulſarique etiam dæmones voluit? In eos eadem vis indita fumo ex piſcis jecore emiſſo Tob. VI. 8. Vis eadem aquis, ceris, & ſimilibus apud Chriſtianos. Ac merito hoc etiam, & congruenter factum, ut qui ad perdendum hominum genus res corporeas vel aſſumunt, vel ſimulant, ejuſdem generis rebus jam tum ſubjicerentur. Præterquamquod haud mirum fuiſſet terreri igne, qui igne torquentur. Lege Nicolaum Serrarium in Tob. VI. 8.

DISPUT. III. CHRONOLOGICA.

Utrum de anno Chriſti natali vera ſit, aut cæteris probabilior, ſententia, quam in ſuo Martyrologio amplexa videtur Eccleſia Romana, atque his verbis exponit: *Octavo Kalend. Januarii, Anno a creatione mundi, quando in principio Deus creavit Cælum, & Terram* 5199. *A diluvio vero an.* 2957. *A nativitate Abrahæ an.* 2015. *A Moyſe & egreſſu populi Iſrael de Ægypto an.* 1510. *Ab unctione David in regem an.* 1032. *Hebdomada* 65. *juxta Danielis prophetiam*: *Olympiade* 194. *Ab urbe Roma condita an.* 752. *Imperii Octaviani Auguſti an.* 42. *toto Orbe in pace compoſito, ſexta mundi ætate, Jeſus Chriſtus æternus Deus, æternique Patris Filius, mundum volens adventu ſuo piiſſimo conſecrare, de Spiritu ſancto conceptus, novemque poſt conceptionem decurſis menſibus, in Bethlehem Judæ naſcitur ex Maria Virgine factus Homo*.

ITa videtur. Primo, quia Martyrologii Romani, in quo hæc habentur, graviſſima eſt auctoritas, cum intrinſecus ex ipſius antiquitate, propriaque ejuſdem integritate, & præſtantia, ad quam præſertim perductum eſt iteratis, & accuratiſſimis recognitionibus doctiſſimorum virorum; tum extrinſecus ab Eccleſia, quæ illo utitur, & ſummis Pontificibus, qui ipſum approbarunt.

Secundo, quia recentes Chronologi, qui Romanum Martyrologium tantopere oppugnant, atque Æram vulgarem, ſive communem annis pluribus antevertunt, nullum ex Patribus, vel antiquis Scriptoribus opinionum ſuarum certum auctorem habent. Omnibus objici novitas poteſt. Primus enim adverſus communem ſententiam ſignum quodammodo extulit Ioannes Deckerius, exeunte ſæculo XVI. Quem Baronius in addit. ad tom. 12. quæ poſtea inſerta ſunt in appar. n. 129. multis argumentis refellit. Ac certe validiſſimum eſt quod petit ex veteri perſuaſione, & conſuetudine.

Tertio, quia licet Deckerio ſe ſubinde adjunxerint viri docti, atque eruditi complures; tamen primo quidem inter hos ipſos

Digitized by Google

ipſos diſſenſio eſt ; cum alii quinto , alii ſexto ante Æram vulgarem anno Chriſti ortum conſignent . Deinde eo potiſſimum nituntur omnes, Herodem Aſcalonitam , infantium interfectorem , ante vivere deſiiſſe , quam Chriſtus natus in Martyrologio dicatur . De quo conſtare ex Joſepho putant : ſed falſo , tum quia id ex Joſepho non poteſt colligi ; cum ſit ambiguum , utrum annos 37. quibus Herodem regnaſſe ſcribit , numerari velit ab anno 5. imperii Auguſti , quo anno Herodes Judææ regnum M. Antonii opera adeptus eſt ; an vero ab anno 14. quando pugna Actiaca victo Antonio, ab Auguſto ipſo regno eidem eſt confirmatus. Tum quia ex Joſepho colligitur aperte contrarium. Cum lib. 14. Antiquit. cap. 17. ſcriptum reliquerit, Herodi cum eſſet annorum 15. ſeptennio antequam Judææ Rex Romæ renunciaretur, Galilææ procurationem a patre ipſius Antipatro demandatam fuiſſe . Idemque lib. 1. de bello Judaic. cap. 21. & lib. 17. Ant. cap. 8. annos circiter 70. Herodem vixiſſe tradat. Hæc enim ſi vera ſunt , imperii Auguſti annus 5. fuit ætatis Herodis annus 22. ex quo ſequitur , ut ætatis Herodis annus 70. fuerit imperii Auguſti annus 53. Chriſti vero ætatis juxta Martyrologium annus undecimus . Scilicet ad rem noſtram plus ſatis : ut verendum ſit potius , ne Martyrologio Joſephus faveat nimis . Tum denique quia , quicquid de hoc atteſtetur Joſephus , parum auctoritatis habet ſcriptor hic apud ſapientes ; & haud certe tantam , quantam Euſebius Cæſarienſis , & quos alios Baronius, & Martyrologium, ſive Eccleſia ipſa ſequitur.

Quarto , quia cum anno Chriſti , qui notatur in Martyrologio recte conſentiunt omnes Chronologici caracteres , quibus inſignita eſt Evangelica hiſtoria . Ut Chriſtus natus ſit eo anno, quo *exiit edictum a Cæſare Auguſto , ut deſcriberetur univerſus orbis ; & hæc deſcriptio prima facta ſit a Præſide Syriæ Cyrino* . Quæ ſunt Luc. II. 1. 2. Ut *anno quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris* Joannis baptiſmum Chriſtus ſuſcepit, cum eſſet *annorum quaſi triginta* . Quæ ſunt Lucæ III. 1. 21. 23. Ut Paſcha ter celebrarit cum diſcipulis ſuis ; quæ videtur opinio verior ; & quod conſequens eſt anno ætatis ſuæ 33. crucem , mortemque ſubierit . Quæ omnia Martyrologii oppugnatores ægre , ac duriter explicant.

Quinto tandem, quia in reliquis omnibus hujus Eccleſiaſtici computi, ſupra expoſiti , partibus nihil peccatur . Non in numero Olympiadum , non in Danielis hebdomadis , non in annis ſive unctionis Davidis , ſive egreſſus populi Iſrael de Ægypto, ſive ortus Abrahæ, ſive Diluvii, ſive mundi conditi . Immo probandum eſt maxime, quod hæ annorum ſupputationes ad ſeptuagintaviralem interpretationem exactæ ſunt . Quæ in re ſaltem Chronologica Hebraicis ipſis exemplaribus eſt præferenda multis nominibus ut oſtendunt Baronius in adnot. ad hunc Martyrologii locum, Morinus Exercit. 7. lib. 1. cap. 1. Pezronus lib. de antiquit. temporum reſtituta, & alii plures.

Sed contra eſt nummus Herodis Antipæ , de quo Pagius, Harduinus , Schelſtratus ; Bernardus Lamy, & plures alii noſtrorum temporum viri eruditi, in primis vero Card. Noriſius in Præfat. ad Epoch. Syromacedonum, in epiſt. ad Ant. Pagium, & in Cenotaphiis Piſanis diſſert. 2. cap. 5. Qui nummus ſi verus eſt , ac genuinus, qualis habetur memoratis modo Scriptoribus , fatendum videtur non poſſe amplius eorum defendi ſententias , qui annum Chriſti natalem , infra annum Urbis conditæ 749. & imperii Auguſti 40. ſtatuunt. Etenim in priore hujus nummi parte inſcriptio Græca eſt intra lauream , quæ ſic Latine redditur : *Cajo Cæſari Germanico Auguſto* . In parte autem averſa palmæ ramus , & circa illum Græca pariter inſcriptio , quæ ſic Latine : *Herodes Tetrarcha anno* XLIII. Eſto autem is annus Tetrarchiæ Herodis ultimus fuerit, quod valde probabile eſt, & adverſariis libenter concedo : conſtat tamen aliunde, nec poteſt negari, Herodem nec cæpiſſe regimen illud ante mortem patris , nec tenuiſſe ultra annum ab Urbe condita 792. Quo anno certum eſt apud omnes Chronologos contigiſſe quod Joſephus, & alii hiſtorici referunt , ut Herodes a Cajo ipſo exauctoratus, & in exilium pulſus fuerit . Jam vero ſi ultimus annorum 43. qui notantur in Nummo , eſt Urbis conditæ 792. primus erit 750. idemque imperii Auguſti 41. Hoc igitur

anno

Digitized by Google

anno mortuus eſt Herodes Aſcalonita menſe Martio ante Paſcha, ut clare ſignificat Joſephus lib. 17. ant. cap. XI. ac proinde Chriſtus non tardius natus, quam Decembri anni proxime antecedentis, hoc eſt, Urbis 749. Auguſti 40.

Respondeo, me quidem recedere ab ea ſententia, quæ in Martyrologio Romano expreſſa eſt verbis ſupra relatis; ſic vero, ut hominem non modo catholicum, ac religioſum, ſed & filium S. Romanæ Sedi obſequentiſſimum decet. Filius autem, qui ſit ejuſmodi, matris non ſolum præceptis obtemperat, & ad vocem præſto eſt, ſed nutus etiam obſervat. Parum ſcilicet nobis eſſe debet id ſolum ratum, firmum, ſanctum habere, quod Eccleſia definit, ac decernit; hoc enim omnes catholici faciunt: eo etiam flectenda judicia, quo ipſa propendere videtur; & quicquid tenendum nobis quoquomodo ſignificet, illud reverenter amplecti, ac pro viribus tueri debemus. Quod ut in præſenti faciam, eam excogitavi rationem, quam breviter vobis expono, ducta ex proximo ſimilitudine. Nimirum ex re Aſtronomica, quæ cum Chronologica conjunctiſſima eſt, immo eſt multis partibus eadem. Motus igitur tres præter cæteros in ſole, & planetis diſtinguunt Aſtronomi. Primus eſt motus verus, hoc eſt, ille motus quem Sol, aut Planeta re ipſa ſub Zodiaco peragit. Duo reliqui ab ipſis conficti ſunt, & hypothetice aſſumuntur, ad tuendam, ac numeris explicandam inæqualitatem illam, quæ in motu vero deprehenſa eſt. Ex quibus duobus unus dicitur medius, quia inter motum verum celerrimum, & tardiſſimum medius eſt. Alterum vero, motum anomaliæ nuncupant, non quod in ipſo inæqualitas ſit, ſed quia per eum inæqualitas veri motus nobis apparet. Hoc veri, & imaginarii motus exemplo, & analogia, triplicem pariter Chriſti annum natalitium, ſeu tres Chriſti Epochas arbitror diſtingui oportere, veram, mediam, communem. Epocha vera eſt ille annus, quo re vera natus Chriſtus, quemque hic inquirimus, & mox ſtatuemus. Epocha media eſt annus imperii Auguſti 42. in Martyrologio notatus, qui medius eſt inter annos ejuſdem imperii 39. & 45. extra quos terminos Chriſti natalem efferre non videtur licere. De quo conſule Tirinum in Chronic. cap. 47. & alios. Epocha communis, alio nomine, Æra vulgaris, Æra Chriſtiana, Æra Dionyſii Exigui, ſeu potius Bedæ, de quo alibi, eſt annus imperii Auguſti 45. Quem Eccleſia, excepto Martyrologii loco ſup. cit. in reliquis omnibus habet, tanquam primum Chriſti annum; ab eoque tum in privatis, tum in publicis tabulis, libris, ſcriptis, cujuſvis generis monumentis & ipſa Chriſti annos enumerat, & Chronologi paſſim ad eundem aliarum quarumlibet Epocharum numeros aptant, ac referunt. Jam porro licet has duas poſteriores Epochas, mediam videlicet, & communem ipſarum auctores, ac propugnatores veras eſſe putarint, ac pro veris eas Eccleſiæ tradiderint, Eccleſia tamen illas quodammodo hypothetice tantum aſſumpſit, ac retinet; ut in confutatione primæ oppugnationis planum faciam, poſteaquam Epocham Chriſti veram ſtabilivero, de qua præſens eſt diſputatio.

Itaque aio Chriſtum natum anno Juliano 40. Urbis conditæ 748. imperii Auguſti a nece Ceſaris 39. a pugna Actiaca 27. Regni Herodis 35. Coſs. D. Lælio Balbo, & Cajo Antiſtio Vetere, anno ſexto ante Æram communem, ſolido quinquennio interpoſito. Ac proinde juxta exactiſſimum Tirini calculum, ductum ex ſacris Codicibus Hebraicis, & Latina Interpretatione Vulgata, natum eſſe anno Mundi 4000. a fine Diluvii 2344. a nativitate Abrahami 1992. a Moyſe., & egreſſu populi Iſrael de Ægypto 1457. ab unctione David in regem 1081. Hebdomadæ 65. juxta Danielis prophetiam an. 5. Olympiadis 193. an. 3.

Duplici enthymemate probatur aſſertio hæc. Primum eſt: Herodes mortuus eſt anno imperii Auguſti a nece Cæſaris 41. ergo Chriſtus natus eſt anno ab eadem Auguſti epocha 39. Pro antecedente hujus enthymematis pugnant non ii ſolum, qui ſententiam ipſam noſtram tuentur, ut Kepplerus, Cappellus, Henſchenius, Papebrochius. Pagius, Scheltratus &c. verum etiam illi, qui Chriſti ortum aſſignant anno Auguſti 40. ut Deckerius, Petavius, Seneſchallus, Uſſerius, Natalis Alexander &c. Quibus profecto viris in re chronologica fere omnes merito aſſurgunt, atque concedunt; nec pares alios

in

Digitized by Google

in ea facultate facile invenias. Id vero demonſtrant non tantum ex numiſmate ſupra deſcripto, ſed aliis quoque argumentis. Primum, quod Joſephus lib. 17. antiq. cap. 10. perhibet, Herodem vita functum, *cum regnaſſet, poſt ſublatum Antigonum, annos 34. poſtquam vero a Romanis declaratus rex fuerat, annos 37.* Compertum eſt autem ex Joſepho, Philone, Nicolao Damaſceno, Antigonum regno detruſum, ac morte affectum an. Auguſti a nece Cæſaris 8. Herodem autem regem Romæ ſalutatum anno eiuſdem epochæ 5. Deinde, quod Joſephus idem in eodem libro 17. cap. 8. Lunæ defectum memorat, tanquam Herodi fatalem, & vicinæ ipſius mortis prænuncium, *pœnam impietatis exigente Numine*. Nullas autem ejuſmodi eclipſes, quæ quidem Hieroſolymæ, aut vicinis regionibus conſpicuæ fuerint, ac memoratu dignæ per eos annos, quibus, ut cujuſque eſt opinio, mors Herodis inſcribitur, ut cui extitiſſe certum eſt, niſi anno Auguſti, quem diximus, 41. Tertio, quod cap. 15. Archelaum per annos decem a morte patris regnaſſe prodit; teſte autem Dione lib. 55. Archelaum ethnearchia ſpoliavit Auguſtus anno imperii ſui a nece Cæſaris 50. Mitto alia argumenta, quæ apud ipſos videre poteris, præſertim apud Seneſchallum Triad. Evangel. quæſt. 1. a cap. 16. Ut autem ex antecedente hoc conſequatur, Chriſtum natum Auguſti an. 39. mihi ex ſola ferme divina Scriptura videtur effici poſſe. Eſto enim ad Domini cunas acceſſerint Magi tertiodecimo die ab ipſius ortu, quod quidem negant multi; factum id certe eſt, cum Herodi a valetudine ſatis commode eſſet, & Hieroſolymam pacatam, quietam, obſequentem haberet. Hoc enim ſignificat illud Matth. 11. 3. *Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo:* & quæ deinceps. Quocirca contigit id menſe Januario, anno imperii Auguſti 40. regni Herodis 36. ætatis vero 69. Nam ſub initium anni proxime ſequentis longe alius omnino erat Herodis, atque Hieroſolymæ ſtatus, cum lib. 17. antiq. cap. 8. teſtetur Joſephus, deſperatum de Herodis ſalute, cum ad ultimum regni, ætatiſque ſuæ annum accederet. Et quod ejus morbus inſanabilis haberetur, Legis doctores, & juventutem ipſius jugum excutere cæpiſſe; Judæorum nobiliſſimos, totamque adeo Hieroſolymam ab eo averſam fuiſſe. Ad hæc pueri fuga e Paleſtina in Ægyptum nec mandata, nec cæpta eſt, niſi menſe Februario, poſteaquam *impleti ſunt dies purgationis ejus*, ut eſt Luc. 11. 22. & fortaſſe ut eſt v. 39. ex Galilæa, quæ eſt ab Ægypto remotior. Fuerunt autem *ibi, uſque ad obitum Herodis*, ut eſt Matth. 11. 15. Herodes autem, ut lib. 17. antiq. cap. 11. Joſephus clariſſime ſignificat, & pluribus aliis argumentis oſtenditur, quæ habes apud Seneſchallum loco ſupra notato; Herodes, inquam, exceſſit e vita menſe Martio, aliquanto ante Paſcha. Non Martio tamen ejuſdem anni; ne Chriſtus in Ægypto nihil commoratus dicatur, quod alienum videtur ab Evangelii verbis, & communi perſuaſioni, & traditioni contrarium foret. Martio igitur anni fugam illam proxime conſequuti. Tandem quoquo anni menſe Herodes obierit, ſcriptum de illo eſt Matth. 11. 16. *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus abimatu; & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis.* Detur crudelitati Herodis, ut monet Chryſoſtomus homil. 7. in Matth. detur metui amittendi regnum, ut in pueros ejus etiam ætatis ſævierit, ad quam indicium acceptum a Magis pertinere non poterat; ut latius iram, ut ita dicam, quam ſuſpicionem extenderit; verumtamen non uſque eo, ut, niſi quem quærebat natum exiſtimaſſet unum ſaltem annum, eos etiam luberet interfici, qui duorum eſſent annorum. Fera, monſtrum erat Herodes, ſed humano capite. Quo illud etiam veriſimile eſt, eum, poſteaquam ſe *vidit illuſum a Magis*, quod ipſum non ſubito cognoſcere potuit, omnes tentaſſe vias, atque artes inveniendi puerum, a quo tantopere timebat: & quo eum perderet certius, omnem adhibuiſſe curam, ut eum perderet ſolum. Quod ſignificari videtur Matth. 11. 13. *Futurum eſt enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.* Lege Cornelium a Lapide in hunc Matthæi locum, qui nobis hac in re apprime favet, & hanc ipſam interpretationem noſtram Euſebii, Epiphanii, Auguſtini, & aliorum Patrum, & Doctorum ſuffragio comprobat. Illud eſt igitur: mortuus Herodes menſe Martio

Digitized by Google

tio an. imperii Auguſti 41. Infantium cædes facta an. 40. & fortaſſe prope anni exitum, eoque ipſo die, quo ab Eccleſia celebratur. Chriſtus adoratur a Magis eodem anno VIII. Idus Januar. Natus vero an. 39. VIII. Kal. Januar.

Venio ad alterum enthymema, quod eſt hujuſmodi. Chriſtus mortuus eſt anno Urbis conditæ 782. Æræ Chriſtianæ communis 29. Coſs. C. Rebellio Gemino & C. Fuſio Gemino, qui fuit annus imperii Tiberii Cæſaris a prima ejus epocha 19. a ſecunda 15. Ergo Chriſtus natus eſt anno Urbis conditæ 748. ante Æram Chriſtianam communem 6. Coſſ. D. Lælio Balbo, & C. Antiſtio Vetere, qui fuit annus imperii Auguſti a prima ejus epocha 39. a ſecunda 27. Antecedens hujus enthymematis probatur ex conſtanti traditione veterum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui Chriſtum mortuum docent duobus Geminis coſſ. & docent id expreſſe, ut locus eorum verba aliter interpretandi non ſit. Sic Tertullianus lib. cont. Judæos cap. 8 *Chriſti paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Conſulibus Rubellio Gemino, & Ruſio Gemino menſe Martio, temporibus Paſchæ, die VIII Kalendarum Aprilium, die prima azymorum* &c. Nec minus expreſſe immo etiam magis Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 10. & lib. de mortibus Perſecutorum, Severus Sulpicius lib. II. Hiſtoriæ ſacræ cap. XXVII. Hieronymus in c. 9. Danielis, Auguſtinus lib. XVIII. de Civit. Dei, cap. ult. Victorius Aquitanus in Canon. Paſcal. Proſper Aquitanus in Chronico, Faſti ſub nomine Idacii Gallæcienſis Epiſcopi, a Sirmundo, & Labbæo editi, antiquiſſimus Catalogus Romanorum Pontificum jam inde a tempore Liberii Papæ deſcriptus, innumera Martyrologia, & plura alia ſcripta, & monumenta, quæ profert Henſchenius in diatrib. præliminari ad tom. 1. Aprilis exercit. 1. 2. & 3. Porro quod hinc conſequatur id, quod a me poſitum eſt, ſic breviter conficitur. *Jeſus incipiens* inquit Lucas III. 23. *quaſi annorum triginta*: ideſt, quando publice docere, ſibique adjungere diſcipulos cepit. Et ut oſtendam in confutatione quartæ oppugnationis, in hoc toto miniſterio ſuo quatuor Paſchata celebravit; ultimum fuit *pridie quam pateretur*. Paſſus autem eſt menſe Martio, & ut fert communis opinio VIII. Calend. April. quemadmodum VIII. pariter Calendas Januar. natus erat. Vixit igitur annis triginta tribus, & tribus menſibus. Quod eſt adeo verum, & a primis uſque Eccleſiæ temporibus tam conſtanter, atque communiter perſuaſum, ut hanc eſſe Eccleſiæ fidem ſcripſerit Beda lib. de temporum ratione cap. V. *Habet* inquit, *ni fallor Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos uſque ad ſuæ tempora paſſionis vixiſſe*. Quod ipſum *Apoſtolorum traditio* dicitur in codice M. S. Bibliothecæ Mediceæ Honorii primi tempore exarato, & ſic etiam Chronicon Alexandrinum ſcriptum ſæculo VII. Maximus Mart. par. 1. computi Eccleſ. cap. XXXIV. & alii plures. Jam vero, ſi ab initio anni Urbis conditæ 782. ſive, quod idem eſt, ab initio conſulatus duorum Geminorum, ad quem annum, & conſulatum pertinet Chriſti mors, ſeu tres ultimi Chriſti menſes non integri, retroceſſeris triginta tribus integris annis, incurres in finem anni Urbis conditæ 748. ſive quod idem eſt, in finem conſulatus P. Lælii Balbi, & C. Antiſtii Veteris ad quem annum, & conſulatum pertinet Chriſti Nativitas, ſeu primi ſeptem Chriſti dies. Ac proinde ſi ſi Chriſtus eſt mortuus an. Urbis 782. Æræ Vulgaris 29. ac reliqua quæ ſunt in antecedente ſecundi enthymematis: Chriſtus natus eſt anno Urbis 748. ante Æram vulgarem 6. ac reliqua, quæ ſunt in conſequente. Quod erat propoſitum.

Ad primum, quod dicitur, Martyrologii Romani auctoritas eſſe graviſſima ut magis aperte, ac definite appareat, quantum ipſi tribuendum putem, ita diſtinguo: graviſſima eſt, ſic tamen, ut non excedat auctoritatem eorum librorum, qui cenſentur medii ordinis, & intra hos ipſos terminos poſſet etiam eſſe major; concedo. Si hac auctoritate contentus non es, & plus aliquid exigis; prorſus nego. Tres diſtingui poſſunt ordines ſacrorum librorum, ſupremus, medius, infimus: & in his ipſis ordinibus plures etiam deſignari gradus. Ut librorum ſacrorum diviſio eadem ſit fere, quæ Angelorum; *quibus*, ut ait Dionyſius de cæleſti Hierarch. cap. 6. §. 2. *partita ſunt illuminandi munia, & ſupernarum illuſtrationum tres tri-*

næ diſtributiones. Supremi ordinis ſunt, qui ea continent, quæ negare, vel in dubium vocare nullo pacto licet. Cujuſmodi ſunt primo loco libri divinæ Scripturæ, Dei nomine ſcripti, Deoque ipſo dictante, & quidem non ſolum ſententias, ſed & ſingula verba quemadmodum in Prolegomenis defendi. Deinde libri illi, quibus ea continentur, quæ Deo ſpecialiter regente, ſive aſſiſtente, vel a tota Eccleſia in Conciliis œcumenicis, vel a ſummis Pontificibus totam ipſam Eccleſiam docentibus declarata, ſancitaque ſunt. Et tandem libri S. S. Patrum ſimul ſumpti, hoc eſt, ſecundum res illas, quæ ab ipſis traduntur conſenſu unanimi; & canones provincialium etiam conciliorum, quæ tamen ab Eccleſia, aut Pontifice ſic approbata fuerint, ut ipſorum auctoritatem plene, atque ex toto referant. Libri medii ordinis ſunt, qui vel intrinſecus, vel extrinſecus; vel a Deo ipſo, vel ab Eccleſia; aut Pontifice; vel expreſſe, vel tacite auctoritatem participant ſuperioris ordinis, non plene, & ſimpliciter ſed quadamtenus, & diminute, ideſt, non quantum neceſſe eſſet, ut nobis credendi regula forent; ſed tamen quantum ſatis eſt, ut illis diſſentire, ac refragare ſine gravi cauſa non liceat ac religioni etiam ſit habendum. Hujuſmodi ſunt S. S. Patres, & Eccleſiæ Doctores, ſeparatim, vel non ſimul omnes adhibiti; Concilia Provincialia, dumtaxat ut talia; libri Eccleſiaſtici, ſeu divinorum officiorum, atque ii præſertim quibus Eccleſia Romana cæterarum magiſtra utitur, ut Miſſale, Breviarium, Martyrologium &c. Ultimo tandem ordine, & ut ita dicam hierarchia ſunt ſacri illi libri, quibus privata dumtaxat, aut fere privata auctoritas ineſt. Quorum tamen ipſorum ſive ab ætate, ſive ab uſu, ſive ab auctore, ſive ab excellentia aut aliis commendationibas ac titulis tres gradus diſtinguere facile erit.

Porro quod Martyrologium Romanum liber ſit medii ordinis tantum, & intra ipſos illos terminos poſthabendum ſit multis, niſi etiam omnibus, ex utroque illo loco evincitur, unde in oppugnatione ejus auctoritas maxime extollitur. Nam ſi ſpectetur intrinſecus, primum non eſt ejus antiquitatis, quæ ibi jactatur. Siquidem Martyrologium vetus Eccleſiæ Romanæ, ut videre eſt apud Roſveidum, & Florentinium, qui illud exhibent, ac notis illuſtrant, eſt omnino aliud a præſenti hoc, in eoque VIII. Kal. Januar. ſine ullo prologo, aut prævia annorum numeratione, ſic præciſe legitur: *In Bethlehem Nativitas Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecundum carnem*. Falſa præterea ſunt, quæ in oppugnatione ſtatim ſequuntur. Martyrologium enim, quo Eccleſia Romana utitur hodie, eſt Martyrologium Uſuardi expurgatum ab erroribus librariorum, ac typographorum; in reliquis locupletatum quidem, & auctum a Baronio, & aliis, quibus id negotii dedit Gregorius XIII. non admodum vero emendatum. Scio; recognitum, fuiſſe poſtea Urbani VIII. juſſu. Verum tunc quoque non multo plures ſublati errores, quam quos Baronius ipſe in illo jam edito deprehendit, & notatos ad corrigendum reliquit. Ut res eſt dicere liceat, virum illum ſummum, ampliſſima eruditione, excellentique judicio annalibus perficiendis intentum, in Martyrologio multa fugerunt. Ex his aliqua animadvertit Lucas Holſtenius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus in epiſt. ad Florentinium, alia Florentinius ipſe in admonit præviis ad Martyrologium vetus; nec pauca, nec parum perſpicua Bollandus in Actis ſanctorum, & qui deinceps opus idem continuarunt. In quibus ea ferre omnia eſſe recenſent a, quæ in hujus diſputationis titulo exhibita ſunt, ex iis, quæ dicam ad quintum, plenius, clariuſque cognoſces.

Liber, qui talis ſit in ſe ipſo nihilo melius habere poteſt extrinſecus a Pontifice & Eccleſia quam quomodo declaratum eſt ſupra. Itaque approbatio illa Gregorii XIII. quæ Martyrologio Romano præfixa eſt auctoritatem ei publicam adjicit, & quidem ſuperioris quoque ordinis: non plenam tamen, atque integram; ſed ex parte tantum, ut monui: nimirum ut juſta eſſe poſſit diſſentiendi cauſa. Nam certe poſt approbationem illam, & Baronius ipſe multa corrigenda eſſe indicavit, & Urbanus VIII. plura etiam corrigi juſſit. Neque plus hoc evincitur ex Eccleſiæ uſu. Numquid enim Eccleſia non ſimiliter utebatur, aut Kalendario tunc etiam, cum aberraret enormiter; aut Martyrologio ipſo, antequam ullo modo corrigeretur? Immo is eſt Eccleſiæ uſus, ut

Digitized by Google

ex eo vel ſolo nobis ſatis cauſæ eſſet diſſentiendi a Martyrologio in re iſta. Siquidem hoc uno loco excepto, Eccleſia, ut dixi, in reliquis omnibus utitur Æra communi, quæ ab illo valde diſcrepat: quod evidenter demonſtrant Chronologi, & Baronius facto ipſo confeſſus eſt, qui ut Annales ſuos ab Æra Martyrologii inchoatos ad Æram communem reduceret, aliquot conſulatus expunxit.

Illud eſt igitur, quod principio monebam: Eccleſia hæc duo annorum initia, quæ ambo vera eſſe non queunt, aſſumpſit, & adhibet eo fere modo, quo hypotheſes aſtronomi ſuas: de quarum veritate nihil recipiunt, aut ſtatuunt, ſed tantum de uſu. Adoptavit igitur ſub Eugenio IV. epocham Dionyſii Exigui, non ut veram, ſed ut aptam ad praxim, & uſum numerandi, aſcribendique publicis, privatiſque tabulis, ac ſcriptis annos Chriſti. Quia cum eſſet jam pervulgata, & a multis recepta; de illa omnes facile conveniſſent. Eadem vero ſub Gregorio XIII. & Urbano VIII. hunc Martyrologii locum ex veteri, ac depravato Euſebii Chronico deſumptum retinuit, non quod Auguſti anno 42. Chriſtum re vera natum eſſe putet; vel putet id communi epochę conſentire, quæ duo opinati ſunt aliqui: ſed hoc ideo fecit, tum quia minus quam fieri potuit recedere voluit a Martyrologio Uſuardi, quo jam fere a ſæculo utebatur; tum quia cum ille annus medius ſit inter eos ſeptem quibus Chriſti ortus affigi probabiliter poteſt; eo ſignificare fortaſſe voluit, ſe ad has omnes ſententias æqualiter ſe habere, nec controverſiam chronologicam ſe velle dirimere. Nam ſi locum illum abraſiſſet, & alium ex alia ſententia ſubrogaſſet; illam omnino falſam; hanc præ cæteris veram habere viſa eſſet. Cæterum ſi quo alio tempore aliud opportunius eſſe judicabit, iſta etiam deſeret.

Ad ſecundum, negandum eſt primo, nobis, aut aliis, qui intra terminos ſupra poſitos a Baronio recedunt, objici poſſe novitatem. Patrum enim, & Scriptorum veterum, qui de anno Chriſti natali definite tradiderunt, quamvis non ſint admodum multi, ſunt tamen ita inter ſe diviſæ ſententiæ, ut pro qualibet ex ſeptem probabilibus duo treſve allegari queant; nec plures ſane pro media, quam pro alia quavis ex tribus ſive ſuperioribus, ſive inferioribus. Quos quæque ſententia pro ſe afferat, apud ipſarum defenſores citatos invenies. Pro noſtra ſententia eſt Juſtinus Mart. in Apolog. ad Anton. Pium, de quo vide Petrum Halloix in Not. ad c. 5. vitæ S. Juſtini. Item Scriptor antiquiſſimus, quem ſub nomine Clementis Romani profert Anaſtaſius Sinaita quæſt. 93. & minus expreſſe, quidem ſed non minus certe Auguſtinus lib. IV. de Trinit. cap. V. n. 9. de quo conſule Antonium Cappellum diſput. de Cœna Chriſti cap. V. n. 23. Mitto alios, quos ex eo, quod de Chriſti baptiſmo, aut morte, vel de Præcurſoris ortu, & ſimilibus affirmarunt, hoc idem dicere conſequens fuit, ſi quæſtionem hanc quoque tractaſſent.

Dicendum deinde, etiamſi ſententia noſtra nullum ex Veteribus patronum haberet, ne ſic quidem novitatem nobis opponi, aut vitio verti poſſe; his tribus de cauſis. Primo, quod Veteres qua de re tam diverſa, & contraria docent, perinde poteſt haberi, ac ſi nihil de illa doceant. Secundo, quia illos quidem relinquimus, ſed magnis auctoribus, & ſolidiſſimis argumentis. Tertio, quia novitas illa ſi novitas eſt appellanda, periculoſa, ac reprehendenda non eſt, quæ fundamentum habet in vetuſtate firmiſſimum. Sententia hæc autem noſtra ſequitur ex duplici antecedente, quorum unum, quod eſt de Herodis morte, totius profanæ; alterum, quod eſt de morte Chriſti; totius ferme ſacræ antiquitatis teſtimonio probatum eſt.

Ad id quod additur de Joanne Deckerio, dicendum, mirum non eſſe, neque contra nos facere, quod ante ipſum extiterit nemo, qui ſententiæ illi ſe oppoſuerit. Superioribus enim temporibus, nec tanta luce propoſita fuerat; nec erant ad res ejuſmodi adeo & propenſa, & attenta hominum ſtudia. Illud vero mirum eſt, & pro nobis apprime facit, quod ſimul ac Deckerius ſignum extulit, tanto numero, tanta doctrina, prudentia, religione viri a communi illa ſententia diſceſſerint. Magna, dices, vis eſt novitatis. Ita; ſed apud indoctos, & parum acutos. Adde, quod novitati, quæ vis alliciendi, non eadem & retinendi eſt. Cupide arripitur, ſed & dimittitur facile. Quod contra in re noſtra,

X 2 de

de qua qui deinceps ſcripſerunt, quæ primi docuerant, eadem conſtantiſſime tenuerunt. Ut conſtat ex dictis, & mox ad Tertium manifeſtius fiet.

Tandem argumenta præcipua, quibus contra Deckerium repugnavit Baronius, tertio, & quarto loco objecta ſunt. Quod hic attingitur, ductum ex veteri & perſuaſione, & conſuetudine, miror, validiſſimum alicui eſſe viſum. Nam primo negatur iſta vetus perſuaſio, & conſuetudo ſiquidem Uſuardi martyrologium, quamvis ſub annum 875. dicatum Carolo, non Magno, ut putatur, ſed Calvo prodierit; vix tamen anno 1498. quo editum ultimo eſt, toti Eccleſiæ Romanæ commune erat. Deinde, quod ſpectat ad perſuaſionem heſto fuerit vetus: quæ perſuaſio nata eſt ex errore, ſive innititur falſo, hoc ſi detegitur, ei nihil prodeſt antiquitas. Perſuaſio illa tribus his præcipue nitebatur, anno mortis Herodis, Tiberii epocha, & epocha etiam communi, ut detectum eſt perperam conſignatis. Quod vero ſpectat ad conſuetudinem, eam hac in re parum aut nihil valere, probari poſſet ex æra ipſa communi, quæ falſa cenſetur, quamvis in Eccleſia antiquior ejus ſit uſus. Scilicet adverſus veritatem nulla unquam præſcriptio eſt: & quantumvis ſero, pro illa tamen ſemper in tempore reclamatur. Celebre eſt, quod in hanc ſententiam pronunciavit Liboſus Epiſcopus in Concilio Carthag. III. de Baptiſ. num. 30. his verbis: *In Evangelio dixit Dominus: Ego ſum veritas; non dixit, Ego ſum conſuetudo. Itaque veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati.*

Ad tertium dicendum ſatis hic nobis eſſe, quæ duo adverſarii videntur ultro fateri, & concedere. Primum, quod ſimul ac Deckerius theſes ſuas propoſuit, a communi ſententia ea ſit facta doctorum ſeceſſio, quam dixi. Nam viri ejuſmodi ab illa averti, niſi ipſius falſitate comperta, non potuere. Alterum, quod illi omnes inter ſe conſentiant de anno mortis Herodis. In hoc enim controverſiæ hujus cardo maxime vertitur. Id eſt, quod movit, ac de quo potiſſimum pugnabat Deckerius. In eodemque antecedens primi enthymematis a me poſitum eſt.

Tria vero illa, quibus permoti negant, de anno mortis Herodis, liquere ſatis poſſe ex Joſepho, quanquam id non ex ſolo Joſepho approbamus, ſic tamen breviter refelluntur. Primum enim, quod dicunt, eſſe ambiguum, utram regni Herodis epocham ſpectarit Joſephus, Romanamne, an vero Actiacam; eſt omnino falſum. Tum quia diſertiſſime ſcribit, *regnaſſe Herodem annis 37. ex quo Romæ declaratus rex fuerat*: tum quia ſecunda illa regni Herodis epocha nulla eſt; nec Baronius, qui opinioni ſuæ tuendæ illam excogitavit, ſive ab auctoritate, ſive a ratione aliquid affert, quod eam ſatis conſtabiliat, atque communiat. Deeſt auctoritas; quia neque Joſephus, neque ante hunc Philo Herodi tempore proximus, nec Ptolemæus, aut Nicolaus Damaſcenus, Herodi æquales, qui omnes de illo ſcripſerunt, hac uſquam uſi ſunt epocha, aut ejus ullo modo meminere. Deeſt ſimiliter ratio; licet enim Herodes Antonii opera adeptus ſit regnum; eſt ei tamen delatum a toto ſenatu Romano, & ab ipſo in primis Auguſto. Neque id unquam aut revocatum, aut ullo modo interruptum. Confirmatio illa, cujus in oppugnatione fit mentio, præterquam quod non ad Actium, ſed Rhodi facta eſt, anno integro poſt victoriam ex Antonio relatam, novum quidem Auguſti beneficium fuit; non tamen in eo poſitum, quod regnum Herodi reſtituerit, ſed quod non ademerit. Quo Auguſti beneficio qui alii per ea tempora uſi ſunt Reges, aut principes, non inde novam dominatus ſui epocham auſpicati ſunt.

Secundum quod aiunt, ex Joſepho colligi aperte contrarium, nobis non magis, quam ipſis officeret, ut ex oppugnatione licet cognoſcere. Cæterum eſt pariter omnino falſum. In eum enim Joſephi locum mendum irrepſit; ac pro ιε ideſt, 15. legendum κε. 25. Ita ſentiunt viri doctiſſimi; ita res, quæ ibi narrantur in Galilææ adminiſtratione ab Herode prudenter decretæ, ac fortiter geſtæ, manifeſte poſtulant. Neque aſſentior Schelſtrato, tametſi eſt a nobis, qui non hunc Joſephi locum, ſed illum mendoſum exiſtimat, in quo Herodes annos 70. vixiſſe traditur. Quem numerum primis Joſephi exſcriptoribus excidiſſe, & illuc inſediſſe ait, pro 60. Utrumque male: & quod altero in loco retinendum cenſet nume-

rum

Digitized by Google

rum 15. cum ætas illa ferre omnino non poſſit, quæ ibi memorantur; & quod in altero ſubſtitui vult 60. cum Joſephus Antiquit. Lib. XVII. cap. x. diſerte dicat, Herodem *vixiſſe longiſſimo tempore*; & cap. VIII. & ad ultimum illius vitæ annum ſignificandum, non compendiarias arithmeticæ notas, ſed proprium, expreſſumque verbum adhibeat ἔτος ἑβδομηκοστόν, *annum ſeptuageſimum*.

Id tandem, quod tertio addunt, non ſolum eſt aperte falſum, ſed nobiliſſimis noſtrorum temporum Scriptoribus, totique adeo antiquitati eſt valde injurioſum. Ut enim de aliis pluribus Recentioribus taceam. Nunquid viri ſapientes non ſunt illi omnes, quos pro antecedente primi enthymematis ſupra citavimus? Neque tamen parum auctoritatis apud hos habet Joſephus. Quid de Antiquis? Sapientes negabis Hieronymum, Euſebium ipſum, quem tanti facitis, Origenem, Tertullianum, ac cæteros omnes, quos refert Seneſchallus quæſt. 1. cap. XXXII.? Atqui ex his alii Joſephum, *Livium Græcum*, alii *veritatis amatorem*, alii *ſcriptorem egregium*, alii *virum ſapientiſſimum* nominant. *Ab illo multa accepiſſe*, *illius teſtimonio niti*, *illum ſequi*; *illum admirari ſe*, profitentur. Legatur Petavius lib. animadverſionum in Epiphanium ad Hereſ. LI. a pag. 121. Pagius Critic. Hiſtorico-Chronol. an. Chriſti 14. num. 3. & in Appar. num. 135. maxime vero Seneſchallus loco proxime cit. ex quo etiam diſces, quæ culpanda, & cavenda ſint in Joſepho, & in quibus hallucinatus ſit. Quod quidem aliis etiam hiſtoricis, magni pariter nominis contigit.

Quod ſi generatim Joſephus magno ſemper in pretio habitus eſt ſapientibus, ac teſtis viſus idoneus, qui tot, tantarumque rerum faceret fidem; in eo, quod ex ipſo præſertim ſtatuimus hic, quod eſt annus mortis Herodis, multo magis valere ipſius auctoritas debet. Cum hoc ſciret optime, & recenti memoria, & illorum teſtificatione, qui cum Herode vixerant, ipſiuſque acta, ac regni, & vitæ præcipue annos in commentarios retulerant: ſitque id ejuſmodi, de quo neque illis, neque Joſepho ulla erat cauſa mentiendi. Immo nec mentiendi modus, ac locus; cum res eo tempore non ſolum certa, ſed etiam notiſſima foret.

Itaque quod ſubjiciunt, majorem tamen eſſe auctoritatem Euſebii; diſtinguendum: ac de rebus Herodis, ac præſertim de annis, omne negandum. In reliquis, hic poteſt omitti. Primum quam verum non ſit, vide apud Petavium de doctr. temp. Lib. XI. cap. 1. qui Euſebium ibi maxime *intolerabilibus erroribus ſcatere*, docet; eundemque *totius ejus calamitatis*, *quam cæpit illorum temporum hiſtoria*, *fundum eſſe* ait. Omiſi alterum, quia hic nobis non officit: non quia verum ſit. Notum eſt enim Euſebii odium adverſus ortodoxos; notæ fraudes: ſi præſertim Baronio credimus. Qui ſic autem agit, & affectus animo eſt, eum ſincere loqui, ac fideliter ſcribere, difficile eſt. Gelaſius in Concilio Romano hanc de Euſebii Chronico, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris ſententiam tulit: *Uſquequaque non dicimus renuendos*. Cauſa vero illa fuit, quod ibi quædam ſunt, quæ *ad inſtructionem pertinent*, neque notantur ab aliis. Cæterum paulo poſt ita pronunciat: *Hiſtoria Euſebii Pamphili apochrypha*. Locus eſt quidem Concilii Conſtantienſis, in quo de illa fit honorifica mentio; ſed Labbæo, & aliis ſuppoſititius, vel adulteratus videtur.

At enim Eccleſia in Martyrologio Euſebii ſententiam ſequitur. Ita; ſed eo modo, quo ſententiam Dionyſii ſequitur in Æra communi: ut approbet uſum; non ut auctoritatem interponat ſuam pro veritate.

Ad quartum monendi ſunt adverſarii, inter omnes chronologicos characteres, quibus pars hæc Evangelicæ hiſtoriæ ſignata eſt, valde conſpicuum eſſe illum, qui exprimitur Matth. II. 1. *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis &c.* Qui character ex ſex opinionibus nobis contrariis, quinque poſteriores ſunt, in quibus locum non habet; in ſexta, quæ noſtræ proximior, locum non relinquit rebus iis omnibus, quæ ibi narrantur. Ex tribus vero characteribus, qui in oppugnatione notantur, quæ difficultas eſt ſervandi primum, nos vere non magis, quam adverſarios attingit. In eo enim eſt, quod Joſephus Lib. XVIII. Antiq. cap. 1. Cyrinum, ſive Quirinium poſt Archelai relegationem, hoc eſt, a morte Herodis annis 9. aut 10. imperii Auguſti an. 50. aut 51. Syriæ præfecturam

ram

Digitized by Google

ram cæpiſſe, & Judæorum cenſum habuiſſe ſcribit. Prompta quidem eſt illis, ac ſæpe alias uſurpata reſponſio: Joſephus hallucinatus eſt; Joſephus mentitus eſt. Hoc vero ſi eſt, hallucinatus, aut mentitus eſt Tertullianus quoque Lib. IV. cont. Marc. cap. XIX. Quin alii etiam, qui ante mortem Herodis præfuiſſe Syriæ, ac cenſum egiſſe ajunt Sentium Saturninum, & aliqua etiam ex parte Quintilium Varum Saturnini ſucceſſorem. Falſi præterea ſunt antiqui lapides, falſa æra, falſa omnia monumenta idem teſtantia. Sapientius reſpondere ac divinæ Scripturæ dignitati melius conſulere mihi illi videntur, qui hæc explicare, & inter ſe conciliare ſtudent. Cujus quidem rei plures afferunt modos. Placet mihi inter cæteras eorum ſententia, qui docent, in eo univerſali orbis terræ cenſu, qui habitus eſt ante mortem Herodis, ad deſcribendam Syriam, & alias Orientis provincias legatum fuiſſe cum poteſtate extraordinaria Quirinium. Qui cenſum indixit, & inchoavit; ſed propter Homonadenſium rebellionem, ſtatim abſcedere coactus, cæptum opus ordinariis Provinciarum Præſidibus perficiendum reliquit. Hæc autem colligunt ex Tacito Lib. III. Annal. ex Strabone Lib. XII. ex lapide Ancyrano &c. Et videntur etiam poſſe colligi ex Luca. Sic enim fortaſſe exponendum illud. *Hæc deſcriptio prima facta eſt a præſide Syriæ Cyrino*. Ideſt; ex duabus deſcriptionibus, quas fecit Quirinius ille, qui fuit Syriæ præſes, hæc prima eſt. Vel hoc pacto: hujus cenſus initium, ſeu prima deſcriptio facta eſt ab illo Cyrino, qui Syriæ præfuit. Ut præfectura Syriæ vel ſit cum ampliatione ſumenda; vel ſignificetur ibi dumtaxat extraordinaria illa poteſtas, quam dixi. Eſt etiam loci illius expoſitio valde probabilis, quæ petitur ex idiotiſmo Græco vel potius Hebraico; ut is ſit Lucæ ſenſus: Hæc deſcriptio eſt prior illa, quæ facta eſt a Syriæ præſide Cyrino. Vel facta eſt prius, quam Syriæ præeſſet Cyrinus. Legantur Hervvartus novæ Chronol. cap. CCXLI. & Henſchenius loco ſup. citat. exercit. 2. apud quos plura etiam ſimilium Scripturæ locorum exempla reperies.

Secundus caracter ſententiæ noſtræ non ſolum congruit, ſed eam plane confirmat. Sic vero, ut annus 15. imperii Tiberii Cæſaris non numeretur a morte Auguſti anno imperii ipſius 58. duobus Sextis conſulibus; ſed numeretur ab anno conſulatus Lepidi, & Tauri, qui fuit Urbis conditæ 764. æræ vulgaris 11. Auguſti 55. Quo anno labente, & ad aliquot menſes progreſſo, Tiberius una cum Auguſto imperare cæpit. Quam primam Tiberii Epocham ex Paterculo, Tacito, Svetonio, Dione, & aliis aſſeruerunt in primis & ad hunc Evangelii locum aptarunt Capellus de Cœna Chriſti cap. V. num. 5. 6. &c. Hervvartus novæ Chron. cap. CCXLVIII. Bucherius Lib. III. Belgii Romani cap. III. &c. Eos adi.

De tertio & ultimo caractere ſic habendum contendimus: Divinum Magiſtrum cum ſuis Diſcipulis Paſchata neque pauciora, neque plura egiſſe quam quatuor; atque ex Joannis potiſſimum Evangelio hunc confici numerum: nam cæteri Evangeliſtæ id expreſſe non notant. Primum Paſcha ex Joan. II. 13. ſecundum ex verſ. I. de quo vide Cornelium a Lapide, ac cæteros interpretes. Tertium ex VI. 4. Quartum, & ultimum *pridie quam pateretur*, ex omnibus Evangeliſtis. Declarat, & propugnat iſta Ricciolius Chronolog. reform. Lib. VIII. num. 7. 8. 9. adhibitis etiam Patrum teſtimoniis, ut Ignatii epiſt. ad Thrallianos, Euſebii Lib. VIII. Demonſtr. Evangel. Epiphanii Hæreſ. 51. Hieronymi in cap. XLII. Ezechiel. Theodoreti in cap. IX. Daniel. Bedæ de ratione tempor. cap XLV. Quibus pro ſecundo Paſchate addi poteſt Irenæus Lib. II. novæ edit. cap. XXII. num. 3. Neque diſſentiunt recentes Interpretes, etiam qui nobis cæteroqui contrarii ſunt, ut apud ipſum pariter videre poteris. Immo hæc habet Baronius ad annum Chriſti 34. §. 146. *Res eſt in confeſſo apud omnes Recentiores, qui exactiori diligentia Paſchata ab Evangeliſtis recenſita numerarunt, poſt Baptiſmum Chriſti quatuor per annos ſingulos eſſe Paſchata revoluta*.

Ad quintum dicendum eſt, Uſuardum, aut quicunque fuit eius præfatiunculæ auctor, culpandum duplici nomine; & quod errarit, & quod non cohærenter errarit. Abeſt a vero, nec ſibi conſtat. Ut enim computatio illa rite facta diceretur, de ipſius partibus hæc duo affirmari poſſe oporteret; & quod eundem prorſus annum deſignent omnes, in quo eſſet cohærentia

tia; & quod eo anno, quem deſignant, Chriſtus ſit natus, ex quo veritatem haberent. In hoc ſecundo peccant plane omnes: cum in tota illa Epocharum ſerie nulla ſit, quæ annum deſignet imperii Auguſti 39. quo anno Chriſtum re vera eſſe natum oſtendimus. In primo autem peccant fere omnes. Si enim ſtemus ſeptuaginta Interpretum calculis, ad quos ea computatio digeſta eſt, annus imperii Auguſti 42. qui in Martyrologio Chriſti ortu inſignitur, non fuit annus a Mundi conditu 5199. ut ibi legitur, ſed annus 5722. Nec fuit annus a Diluvio 2957. ut ibi pariter legitur, ſed annus 3166. Quod unuſquiſque veſtrum, ratione inita, per ſe facile conficiet: modo ſciat, Septuaginta Interpretes, unde hoc factum ſit, primæ Mundi ætati ſuperaddere annos 900. ſecundæ vero ætati annos 819. Nihil hic de generatione Cainanis, de qua ſpecialis eſt difficultas.

Nec magis exacti ſunt reliqui annorum numeri, ut eos paulo attentius ſupputanti apparebit. In ipſo anno Urbis conditæ computatio illa non ſibi ſatis cohæret; cum Auguſti annus 42. non fuerit annus Urbis 752. ut eſt in Martyrologio, ſed 751. Septuaginta hebdomadarum Danielis, hoc eſt, annorum 490. incertum eſt, unde iſte Auctor initium ſumpſerit, cum non adſcripſerit hebdomadis annum. De hoc videbimus alias. Plures ex Recentioribus putant ſumendum ab anno 6. Artaxerxis Longimani, ex quo poſt obitum Xerxis patris ſui ſolus regnare cœpit. Eo quippe anno exiit edictum, ſeu *ſermo regius*, *ut iterum ædificaretur Jeruſalem* (Daniel. IX. 25.) quoniam *anno 7. Artaxerxis menſe quinto*, Eſdras cum magno comitatu, & apparatu venit in Jeruſalem (1. Eſdr. VII. 78. 9.) diſceſſit Babylone *menſe primo*, Sic vero in quartum ultimæ hebdomadis annum, qui eſt 487. ex 490. ſupra dictis incidet Chriſti mors, quam Daniel. IX. 27, ex communi Interpretum ſententia prædixit futuram *in dimidio hebdomadis*. Etenim annus 6. Artaxerſis concurrit cum anno 2. Olympiadis 80. ideſt, cum anno ante Æram communem 458. Additis ergo annis 29. (nam anno Æræ communis 29. ut vidimus Chriſtus morte occubuit) fient anni 487. ideſt, hebdomades ſexaginta novem cum dimidia. Hoc vero ſi eſt, cum anno Auguſti 42. non convenit annus ullus hebdomadæ ſexageſimæ quintæ, quæ tamen in Martyrologio notatur; ſed convenit annus primus hebdomadæ ſexageſimæ ſextæ. Quod igitur ſupereſt, in ſolo Olympiadum numero Scriptor iſte ſibi cohæret: nam vere anno Auguſti 42. congruit Olympias 194. Quanquam hæc quoque illius computi pars, præter communem errorem nonnihil etiam proprii mendi habeat; cum ibi non legatur, quoto ejus Olympiadis anno Chriſtus ſit natus, quod adnotandum videbatur.

Tandem ad id quod ultimum eſt, probandum maxime, quod ejus programmatis Auctor ſeptuaginta Interpretum calculos ſequutus ſit, Hebraicis poſthabitis; reſpondeo primum id ad præſentem quæſtionem nihil, aut perparum facere. Agimus hic de anno Chriſti natali: eum fuiſſe contendimus annum Auguſti 39. ante Æram Vulgarem ſextum qui eſt annus Mundi ex Hebræis quidem Codicibus 4000. ex Græcis vero 5719. Ex his duobus numeris utrumcumque adhibueris, 4000. an vero 5719. nobiſcum ſentis; tecum non diſputamus. Nec ſolum alterutrum ex his duobus numeris, ſed & ſimul utrumque adhibere tibi licet per nos; ſi ita videtur, eoſque inter ſe conciliari poſſe arbitraris; de quo dico deinceps, ac pro rei veritate reſpondeo ſecundo. Vel ſimul utroſque calculos Græcos, & Hebraicos retineri poſſe judicas; vel eſſe rejiciendos alterutros. Si primum; tibi facile aſſentior. Hæc eſt ſanctorum, doctorumque virorum opinio, calculos illos re vera contrarios non eſſe; atque ea ſaltem ratione poſſe ſimul componi quod græcorum ſit ſenſus myſticus, hebræorum vero hiſtoricus, ſeu litteralis. Ita Sanctus Antoninus Chronic. p. 1. ſ. 4. Idemque videtur eſſe Eccleſiæ judicium; quæ, chronologia hebraica recepta, & approbata, Græcam non penitus dereliquit; ut appareret, non tam ex hoc loco Martyrologii, quam ex Septuaginta Interpretum editione Sixtina, & ejuſdem Pontificis Bulla editioni illi præpoſita. Sin vero alterutros calculos eſſe vitiatos ac penitus rejiciendos exiſtimas; nego vitiatos, aut rejiciendos hebraicos. Nego, vel in ſola re chronologica majorem eſſe græcorum, quam

he-

Digitized by Google

hebræorum Voluminum fidem. Etenim mitto regulam, quam tradit Auguſtinus lib. XV. de Civit. cap. 13. n. 3. ubi ſacra Volumina græca, & hebraica ita inter ſe diſcrepent, ut conciliari ſimul nequeant, ſtandum hebraicis. Mitto, quod vertendi Teſtamentum vetus ex hebræo, Eccleſiæ ea maxime cauſa fuerit, quod græca exemplaria eſſent depravata: & quod Auguſtinus loco proxime cit. depravata dicat in hac ipſa re.

Illud ſatis, quod Tridentinum Concilium ſeſſ. 4. Vulgatam editionem Latinam, *integram*, *cum omnibus ſuis partibus authenticam*, declaravit: quæ ſane hebræorum exemplarium, unde expreſſa eſt ubique rationes, & calculos ſequitur. Ut autem per hoc Tridentini decretum nihil prorſus excipere liceat, cautum eſt declaratione illa Eccleſiæ Romanæ cujus meminit Suarez diſp. 4. de Fide ſect. 3. n. 10. *Nec ſolam periodum*, *ſolam clauſulam*, *vel ſolam dictionem*, *aut ſyllabam*, *Jotave unum admitti poſſe*, *quod repugnet huic vulgatæ editioni Latinæ*. Nedum repugnari ei poſſit in tota ferme re Chronologica Teſtamenti Veteris. Immo vero Chronologicæ rei cautum expreſſe: ſiquidem Romæ confixæ fuerunt Annotationes Antonii Cointhii in Chronologiam Nicephori, quod in annorum putationibus erroris arguat Editionem Vulgatam. Et quod majus eſt, Romæ pariter eadem de cauſa notatus liber tertius S. Juliani Archiepiſcopi Toletani contra Judæos, ut videre eſt, de illo quidem in Chronologia Nicephori, quæ eſt tom. 7. Bibliothecæ Patrum editionis Pariſienſis an. 1585. de hoc autem in margine ejus tertii libri, qui eſt pariter in Bibliotheca Patrum tom. 12. editionis noviſſimæ. Hæc pauca plus certe valent, quam ea omnia, quæ contra congerunt adverſarii præſertim Morinus, & Pezronus, qui ultimam hanc oppugnationis partem acrius provehunt. Quos vide quibus præterea argumentis refellant Natalis Alexander hiſtor. Veter. Teſt. tom. 1. diſſert. 8. & Hyacinthus Graveſon tract. de Vita, & myſter. Chriſti diſſert. 5. Ego quam temporum deſcriptionem, & omnino quam rem Eccleſia Romana, & Concilium œcumenicum tam aperte vel repudiant, vel amplectuntur, miror eſſe, qui pergant vel retinere, vel repellere: *qui habet clavem David*: *qui aperit*, *& nemo claudit*: *claudit*, *& nemo aperit*. (Apocal. III. 7. & Iſa. XXII. 22.)

DISPUTATIO QUARTA
HISTORICA.

Utrum in re hiſtorica Novi Teſtamenti ſint aliqua vel aliis Scripturæ locis, vel certis traditionibus, aut monumentis ita contraria; ut ſimul conciliari nullo ſatis probabili modo queant.

ESſe videntur; & videntur eſſe potiſſimum hæc. Primum de Chriſto. Nam præter alia multa, quibus in ipſius Genealogia inter ſe diſcrepant Matthæus & Lucas; eo maxime pugnant, quod S. Joſephi genus ex Davide quidem deducunt, ſed ille per Salomonem, hic vero per Nathanem, qui alius fuit Davidis filius. Quo fit, ut eidem non eandem aptent majorum ſeriem; & tandem nec patrem eundem: cum S. Joſephum Jacobi filium faciat Matthæus, Lucas vero filium faciat Heli. Præterea Genealogia, quam texit Matthæus etiam ſecum ipſa pugnat; quippe quæ inſcribitur, *Liber generationis Jeſu Chriſti*, *filii David* &c. & in S. Joſephum tota devolvitur, Præſertim cum ex Deuter. x. 9. omnibus tribubus matrimonia inire liceret, cum tribu Levi: atque ita feciſſe S. Joſephum ſignificet Lucas 1. 5. 36. ut viſum Gregorio Nazianz. in Carmine de Chriſti Ge-

Geneal. & Auguſtino lib. 2. de Conſen. cap. 2. n. 4.

Secundum de Chriſti Matre; quo pertinent non ſolum aliqua, quæ in hiſtoria N. T. de ipſa narrantur, ſed quædam etiam, de quibus ibi tacetur. Primi generis ſunt, quod errarit Luc. II. 44. *exiſtimans Jeſum eſſe in comitatu*, cum ita non eſſet, quod aliquid intellexiſſe negatur, quod ſcire ipſam attinuit. Ut ibid. 50. *Et ipſi* (ideſt Maria, & Joſeph) *non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*. Quod interdum dure, aſpere, vel etiam minus honorifice de illa, aut cum illa loqui viſus eſt Filius. Ut Matth. XII. 48. *Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Luc. II. 49. *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia* &c. Et Joan. II. 4. *Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* Quod idem redivivus conſpiciendum ſe præbuit prius Mariæ Magdalenæ, quam Matri; ut eſt Marc. XVI. 9. *apparuit primo Mariæ Magdalenæ*. Immo, quod Matri, poſtea quam redivit ad vitam, nunquam ſe oſtendiſſe legitur: quod eſt ſecundi generis, de quo ſupra dicebam. Et pariter quod in tota N. T. hiſtoria de admirabili Deiparæ in Cælos aſſumptione omnino ſiletur. Hoc utroque argumentorum genere, affirmante ſcilicet, & negante oppugnantur antiquæ traditiones, ab Eccleſia receptæ de Virginis ſapientia, ſanctitate, excellentia, gloria. Necnon privatæ revelationes, ab Eccleſia pariter approbatæ, quæ iidem de rebus factæ dicuntur S. Birgittæ, Mariæ Agredenſi, & aliis ſanctiſſimis Fœminis.

Tertium de Præcurſore; nam quod ejus elogium eſt Matth. XI. 11. *non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*, non uſquequaque cohæret cum eo, quod eſt apud Lucam VII. 28. *major inter natos mulierum propheta Joanne Baptiſta nemo eſt*. Ac certe ſeu ſpectetur ſanctitas, ſeu dignitas, ac miniſterium, Joanni anteſtare videntur Noe, per quem ſervatum eſt hominum genus; *inventus eſt perfectus, juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio* (Eccli. XLIV. 17. &c.) Melchiſedech rex idem, & *ſacerdos Dei ſummi*, quem ſupra omnes homines efferre videtur Paulus Apoſtolus ad Hebræ. VII. 3. 4. 7. & *aſſimilatum* dicit *Filio Dei*. Abraham fidelium; ſeu credentium Pater: *in quo benedictæ ſunt omnes gentes* (Galat. III. 8. Gen. XII. 3.) *Et non eſt inventus ſimilis illi in gloria* (Eccli. XLIV. 20.) Moyſes Iſraelitarum aſſertor, ac legiſlator, & cui Deus *oſtendit gloriam ſuam* (ibid. XLV. 3.) Et tandem Joſeph vir Mariæ; Petrus Apoſtolorum princeps, ac primus Chriſti Vicarius; Paulus Doctor gentium, *raptus uſque ad tertium Cælum*; (II. Cor. XII. 2.) & fortaſſe etiam cæteri omnes Apoſtoli.

Quartum de S. Petro; quem ex eo, quod ſcripſit in prima Epiſtola v. 13. *ſalutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus*, & ex perpetua, ac vetuſtiſſimorum Patrum ſcriptis celebrata traditione, certum eſt, fuiſſe Romæ; & quidem, ut pariter traditur, annis 25. Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe. Sedenim contrarium videtur pariter certum. Nam in libro Actuum Apoſtol. ubi multa de Petro narrantur, ubi Pauli adventus in Urbem deſcribitur, ut Petrus etiam huc venerit, nec legitur, nec ullo modo indicatur; nec alius eſt Scripturæ locus, in quo de hac re memoria, aut veſtigium ſit ullum. Immo, cum Petrus Hieroſolymæ fuerit anno Vulgaris æræ 47. quo anno habitum ibi eſt Apoſtolorum concilium; idemque anno ejuſdem æræ 65. ac certe ſub Nerone interfectus ſit; ex 25. annis, quibus Romanam Eccleſiam gubernaſſe dicitur, multum profecto demere neceſſe erit.

Quintum de S. Paulo, qui quod de ſe ipſe teſtatur ad Gal. II. 11. *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat* &c. pugnat cum eo, quod de Petro ſcriptum eſt Luc. XXII. 32. *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; & omnino cum aliis Scripturæ locis, quibus Petro, & ſucceſſoribus ejus ſuprema tribuitur auctoritas, & ſententia, qua falli, aut fallere nequeant.

Sextum de duobus filiis Zebedæi, Jacobo, & Joanne. Quorum primus non videtur impleviſſe ſignificationem ejus nominis, quod ambobus a Chriſto impoſitum fuit; a quo Marc. III. 17. dicti *Boanerges; quod eſt, filii tonitrui*. Jacobus enim ab Herode Agrippa interfectus, antequam

tequam Hieroſolyma egredi, atque Evangelii promulgatione *tonitrui filium* ſe probare potuerit. Ab altero non videtur impletum, quod ambobus pariter vaticinatus eſt Chriſtus Matth. xx. 22. *Calicem quidem meum bibetis*; & ut eſt Marc. x 39. *Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis*; *& baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini*. Joannes enim non ferro, aut vi alia, ſed ſenio confectus interiit. Quod vero in ferventis olei dolium merſus fuerit, ut perhibet Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 36. num. 215. cum inde omnino illæſus exierit, & ut ait Hieronymus cont. Jovinian. *vegetior*, *quam intraverit*; non videtur Chriſti calix, aut baptiſmus appellari potuiſſe.

Septimum de Jacobo, fratre Domini, ac primo Hieroſolymæ Epiſcopo; quem unum fuiſſe ex duodecim Apoſtolis, probat illud Pauli ad Galat. I. 19. *alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini*. Non fuiſſe autem ex duodecim Apoſtolis probat, quod eſt Joan. VII. 5. *Neque enim Fratres ejus* (hoc eſt, cognati, propinqui) *credebant in eum*. Sic autem argute concludit Joannes Chryſoſt. homil. 5. in Matth. *Duodecim Apoſtoli credebant in eum: ergo Jacobus ejus frater non erat unus ex duodecim Apoſtolis*. Adde monumenta certa, quæ proferunt Bollandiſtæ, ne unus idemque putetur Jacobus Apoſtolus, filius Alphæi, & Jacobus Domini frater: in quibus eſt utriuſque martyrium & loco, & tempore, & mortis genere valde diverſum.

Octavum de Maria Magdalena, quam diſtinguendam non eſſe ab ea muliere, cujus meminit Lucas VII. 37. &c. *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix* &c. perſuaſio eſt Eccleſiæ Romanæ: quemadmodum ex iis, quæ in ipſius Officio recitari præcipit, aperte colligitur. Contrarium vero ex Scriptura videtur evinci. Siquidem mulier iſta erat e Galilæa, & Naim civitas illa, quæ ipſius licentiæ theatrum fuiſſe dicitur. Maria Magdalene autem erat *a Bethania*, ut eſt Joan. XI. I. 18. quod oppidum eſt, *juxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim*. Et quidem cum eſſet Lazari, & Marthæ ſoror, nobili loco nata & ingenue educata, ad eam pertinere, quæ Lucas memorat verbis ſupra citatis, non eſt credibile. Immo ita non ſolum diverſa, ſed etiam oppoſita ſunt inter ſe, quæ de ipſa Maria Magdalena ferunt Evangeliſtæ; ut quæ Romana Eccleſia tribuit uni, in tres ſaltem mulieres partiri; neceſſe videatur.

Sed contra eſt illud Pſalm. XCII. 5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Quo quidem ſpectat, ut illis, qui Scripturas, & Traditiones, quibus divina teſtimonia continentur, oppugnant, probari poſſint etiam ex doctrinæ conſenſu; qui nullus foret, ſi ut nobis objicitur, colliduntur ſe mutuo; Et Scripturæ etiam ſecum ipſæ pugnant.

Respondeo, nec in hiſtoria N. T. nec omnino in tota Scriptura eſſe quicquam, quod vel ab alio Scripturæ loco, vel a vera Traditione, aut ullo monumento certo ita diſſentiat, ut ſimul conciliari ſatis probabiliter nequeant. Aſſertio hæc præſertim apud ethnicos, heterodoxos, & infideles omnis generis probatur confutatione objectorum. Nam reliquæ viæ, ut Scripturarum divinitas, & integritas; veritas, & auctoritas Eccleſiæ catholicæ, viæ ſunt nimis longæ, & hac in re aliqua ex parte impeditæ; cum & argumenta multa ferant, & inter illa ſit ipſe idem Scripturarum, & Traditionum ſeu doctrinæ conſenſus, de quo hic anquiritur. Orthodoxis vero, quoniam inter hos etiam aliquis eſſe poteſt huic quæſtioni locus, aliter etiam facile oſtenditur. Duplex tamen antea Scripturarum vel a ſe ipſis, vel a Traditionibus diſſenſus eſt diſtinguendus. Alius eſt enim diſſenſus verus, quo una ſententia re vera pugnat cum altera. Alius eſt diſſenſus apparens; cum nulla re vera eſt ejuſmodi pugna, ſed ex orationis vel ambiguitate, vel obſcuritate, vel alia de cauſa nobis eſſe videtur. Diſſenſus verus in parte hiſtorica N. T. atque adeo in tota divina ſcriptura nullus eſt. Si enim eſſet, vel eſſet a Deo Scripturæ auctore, vel ab hominibus, qui in ea aliquid operæ poſuerunt. Primum homo catholicus non dicet. Deus enim loqui pugnantia inter ſe tam non poteſt, quam non poteſt falſum teſtari. Homines quidem, qui ſacros Libros vel tranſcripſerunt, vel in alias linguas tranſtulerunt vel alio quovis modo evulgarunt, ſive inſcitia, ſive incuria, ſive etiam fraude

aliquid

Digitized by Google

aliquid addere, aut demere, aut immutare, eoque veram ſententiarum oppoſitionem, atque pugnam in illos inducere potuerunt. Verum in Latinam Editionem Vulgatam, nam de hac ſola id modo defendo, nil tale eſſe admiſſum, certum videtur ex Tridentino; a quo de illa ſancita fuerunt hæc tria. Primum, eam eſſe Scripturam vere, & proprie divinam, ac Fidei regulam. *In publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur.* Quo etiam illud additur, Concilium ipſum *ejus teſtimoniis uti in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis Eccleſiæ moribus .... Eam eſſe fontem omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ.* Deinde, hoc, quod de ipſius divinitate, & auctoritate dictum eſt, intelligendum eſſe univerſaliter; ideſt, de quolibet hujus Editionis libro, locoque. *Si quis autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit; anathema ſit.* Tertio, intelligendum id perfectiſſimo modo; ut nulla prætendi cauſa poſſit rejiciendi eorum librorum, locorumque teſtimonium; non inſcitia, non incuria, non fraus. *Nemo illam rejicere quovis prætextu audeat.* Adde his, quæ pro perfectiſſima authentia Vulgatæ præterea dedi Prolegomen. 1. diſput. 5. inter quæ decretum illud, quod in præcedente etiam diſputatione chronologica retuli ad 5. *Nec ſolam periodum, ſolam clauſulam, vel ſolam dictionem, aut ſyllabam, Jotave unum admitti poſſe, quod repugnet huic vulgatæ editioni Latinæ.* Quæ quidem decerni non potuiſſent, ſi quid fuiſſet, in eo præſertim quod dixi genere, vel ab Interprete, vel ab exſcriptoribus, vel a typographis in hac editione peccatum.

Jam porro, ſi in omnibus ſacris Litteris nulla eſt vera antilogia; ſive, ut dixi nulla eſt duarum ſententiarum diſſenſio, & oppoſitio vera; ſequitur, ut nulla ſit in iiſdem diſſenſio, & oppoſitio evidens. Etſi enim quod verum non eſt, interdum ſit probabilius ipſo vero, nunquam tamen evidens eſt. Quare quotquot ibi ejuſmodi diſſenſiones, & oppoſitiones apparent, ſic apparent, ut modus aliquis ſatis probabilis eas componendi, vel ſimul appareat, vel appareat ibi ſubeſſe; ac certe ſit, & illum requirentibus, & a Deo petentibus defuturus non ſit. Quod erat propoſitum.

Ad primum dicendum, oppugnationis hujus hanc eſſe ſummam: duas illas Genealogias contrarias eſſe inter ſe; ac neutra probari Chriſtum ex genere David. Prioris difficultatis expediendæ duæ ſunt viæ notiſſimæ, quas apud omnes interpretes facile invenies. Una veterum, qui docent, utrunque Evangeliſtam expoſuiſſe genus, ſeu ſtemma S. Joſephi. Sed Matthæum exhibuiſſe patrem ipſius verum, & naturalem, qui originem trahebat ex Davide per Salomonem: Lucam vero oſtendiſſe patrem legalem; qui cum eſſet patris veri, & naturalis frater, non conſanguineus, ſed uterinus, immo etiam fortaſſe duntaxat propinquus, difficile intellectu non eſt, quod ex Davide originem duxiſſe dicatur per Nathanem, progenitorum ſerie omnino diverſa. Altera via eſt Recentiorum, qui Matthæum quidem recenſuiſſe dicunt progenitores, ſeu ſtemma Joſephi; Lucam vero Deiparentis Mariæ: cujus patrem Joakimum eum ipſum fuiſſe cenſent, quem Lucas nominat Heli. Sive quod unum idemque nomen putetur Heli, Heliacim, Joakim; ſive quod eſſet vir ille binomius. Locum autem illum Evangeliſtæ III. 23. &c. *Et ipſe Jeſus erat incipiens &c. ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi &c.* exponunt dupliciter. Alii quidem, ut dicant, illud *qui fuit Heli*, non ad Joſephum, ſed ad Jeſum referri; atque hunc eſſe ejus loci intellectum: Ipſe Jeſus erat incipiens, ut putabatur filius Joſeph, cum re vera eſſet filius Heli, hoc eſt, Joakimi, media ſcilicet Virgine, quæ vera erat Heli, ſive Joakimi filia. Quemadmodum Jeſus fuiſſe David, fuiſſe Abraham filius dicitur, mediis progenitoribus exinde in tota ſerie nominatis. Alii vero illud *qui fuit Heli* referunt quidem ad Joſephum; ſed ſic intelligi volunt: *Joſeph, qui fuit Heli*, ſive Joakimi, non vere, & proprie filius, ſed gener. Generos autem in ſacris Litteris, ut etiam nurus interdum ſocerorum filios, & filias nuncupari ajunt.

Hæ duæ viæ, & ſententiæ, ut nemo non

non videt, & planæ, & valde probabiles ſunt. Cæterum ſi mihi etiam quod ſentio in medium ferre licet, addiderim tertiam, quæ mihi videtur planior, & probabilior. Utrunque Evangeliſtam utranque ſimul genealogiam contexere arbitror, Joſephi ſcilicet, & Deiparæ. Illius quidem aperte, & expreſſe; non ſic autem hujus. Quoniam apud Hebræos id moris erat virorum proſapias, & origines deſcribere, non fœminarum. Sic igitur exiſtimo Joakimum Deiparæ patrem alium fuiſſe ab Heli, fratrem autem, fuiſſe vel germanum, vel patruelem illius Jacobi, qui ut teſtatur Matthæus *genuit Joſeph virum Mariæ*. Annam vero Deiparæ matrem ſororem fuiſſe Heli, ſimiliter vel germanam vel patruelem. Quo fit, ut Chriſtus Jeſus eo veriori, ac perfectiori modo, quo fieri potuit, dicatur filius David: cum Joſephus, qui opinione, & jure veri matrimonii, non autem re ipſa, fuit Chriſti pater, inter Davidis poſteros duplici nomine cenſeatur, & propter patrem naturalem ex Salomone, & propter patrem legalem ex Nathane. Virgo autem, quæ veriſſima fuit Chriſti mater, e ſtirpe Davidis prognata ſit & patre, qui ortum duxit ex Salomone, & matre, quæ ex Nathane.

Nec vero dicat, hæc ad arbitrium fingi, & componi: his enim argumentis ducor. Primum, quod in hac ſententia retinere licet id, quod de duplici Joſephi patre, naturali, & legali dictum eſt in priore ex duabus modo relatis. Hoc enim cum tertio ſæculo ineunte tradiderit Julius Affricanus, & ab ipſis Chriſti propinquis accepiſſe ſe dicat, idemque probarint, & amplexi ſint veteres Patres, & Eccleſiæ Doctores; non videtur rejici poſſe. Deinde, quod in hac mea ſententia aperitur, quid ſit, quod Matthæus, qui I. 20. ſcribit: *quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, in eodem capite Joſephi genealogiam ſic exordiatur: *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David &c.* Nempe is Evangeliſta præſertim ſcribebat Judæis, qui optime norant, quam proximo agnationis gradu inter ſe juncti forent Joſeph, & Maria; ut eoſdem progenitores haberent; & quod erat ſtemma genealogicum unius, idem prorſus, uſque ad ultimam circiter generationem, eſſet etiam alterius. Tertio, quia hæc eſt traditio vetus, Irenæi, Tertulliani, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, & aliorum Patrum conſenſu, ac teſtimonio firmata, Joſephum, & Mariam ex eadem non ſolum tribu, ſed etiam particulari familia fuiſſe: qui Patres illud etiam animadvertunt, conjugia inter cognatos ejuſmodi, & gradu ſanguinis proximos, veteri Lege non ſolum permiſſa, ſed familiarum bono interdum etiam injuncta, & præſcripta fuiſſe. Ut Num. XXXVI. 7. 8. &c. Et Deut. XXV. 5. Poſtremo, quia II. Reg. VII. 13. Pſalm. LXXXVIII. 38. CXXXI. 11. 17. & alibi etiam regia poſteritas Davidi promittitur, & ex ipſa Chriſtus. *Stabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum, thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo &c.* Quibus conſonant, quæ Luc. I. 32. 33, Idcirco Deipara regum progenies & appellatur a Patribus, & vulgo habetur ab omnibus. Hæc autem vera non eſſent, niſi illa Davidis genus referret etiam ex Salomone. Nathan enim neque rex fuit, nec regum pater. At, inquis, Patres aliqui utrumque genus in illa coire, ajunt, & regum, & ſacerdotum. Neque diſſentit Lucas, qui eam dicit cognatam Eliſabeth. Fateor equidem his teſtimoniis, & quadam etiam rei convenientia ductus, iis quæ dixi de Joakimo nihil mutatis, Annam Deiparæ matrem ex tribu Levi & familia Aaronis libenter facerem. Verum quod ſæpe promiſſum tribui Judæ, & familiæ Davidis, nunquam promiſſum legitur familiæ Aaronis, ac tribui Levi. Quin Apoſtolus, qui ſcripſit ad Rom. I. 3. *Filio tuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*; in partem rei hujus adeo non vocat ullum ex poſteris Levi, ut aperte potius excludat. Sic enim ad Hebræ. VII. 11. *Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat ... quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?* Et 14. *Manifeſtum eſt enim, quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Lucas vero quam clare oſtendit, Mariam, & Joſephum ex eadem Davidis ſtirpe, & familia fuiſſe, ubi ait II. 4. 5. *Aſcendit autem Joſeph a Galilæa de civitate Nazaret in Judæam in civitatem David &c. ut profiteretur cum Maria &c.*

Idem

Digitized by Google

Idem tam clare profecto non indicat, ex ſtirpe quoque, & familia Aaronis fuiſſe Mariam, ubi erat Eliſabeth Cognatæ enim dicuntur, ut docent Hippolytus apud Nicephorum lib. 3. cap. 3. & Antoninus par. 1. hiſtor. cap. 6. tit. 4. §. 10. quia filiæ fuerunt duarum ſororum; quarum una nupſit viro ejuſdem tribus, ac ſtirpis, ideſt Joakimo, ex quibus edita eſt Maria: altera vero in matrimonium data viro tribus Leviticæ, ac generis ſacerdotalis, ex quibus orta Eliſabeth. Atque ita explicandi Gregorius Naz. & Auguſtinus: hic maxime, qui ſententiæ noſtræ multis in locis apertiſſime favet. Porro his non ſolum primæ, ſed & ſecundæ difficultati, totique adeo oppugnationi ſatisfactum reor.

Ad ſecundum, negandum ea, quæ hic proferuntur ex hiſtoria N. T. ſive ajentia, ſive negantia pugnare cum Traditionibus, aut Revelationibus, de quibus in oppugnatione fit mentio. Expendamus ſingula: Et primum de ſcientia; qua Virgo Deipara, ut ex memoratis Traditionibus, ac Revelationibus colligitur, ſicut expers originalis culpæ fuit, ſic perfectam imaginem retulit originalis juſtitiæ. Itaque immunis ſemper ab errore fuit, inſcientiaque illa, non quam tantummodo negativam, ſed quam privativam vocant; quæ in eo poſita eſt, quod ea quis ignoret, quæ pro ſua conditione, ac munere, ipſum ſcire oporteret, vel certe expediret. Virgo autem non poteſt erroris argui, quod *exiſtimavit; Puerum Jeſum eſſe in comitatu*, cum ita non eſſet. Sic enim judicare potuit: *Ut res, & circumſtantiæ præſerunt, eſt id veriſimilius*. Quod judicium, & prudens, & verum fuit. Quod autem additur, *& ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*, eſto dictum ſit etiam de Virgine, non de ſolo Joſepho, & aliis, qui erant cum illa; eo non negatur ſcientia ulla ipſi debita, atque conveniens. Neque enim quicquid mandati, aut negotii Filius habebat a Patre; id omne prorſus erat ipſi communicandum cum matre. Satis fuit, eam ſummi illius arcani & conſilii eſſe conſciam, cujus erat miniſtra.

Quod eſt ſecundo loco, Chriſtum de matre, aut cum matre minus interdum reverenter, aut placide locutum videri; negandum eſt. Nam quæ producuntur ex Matthæo, & Luca: *Quæ eſt Mater mea? &c.* iis non parvipenditur mater, ſed Patri poſtponitur. *Paternis ſe miniſteriis amplius, quam maternis affectibus debere oſtendit*. Ita Ambroſius, Chryſoſtomus, Epiphanius. Quod vero apud Joannem ait: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* hoc ipſo ſignificat ſe illi obſequuturum, ut matri. Quia matrem non nominat loquitur ut Deus, quia ut morem gereret matri, neceſſe erat eum agere ut Deum. *Mulier vocat*, ait Beda, *non matrem; quia divinitatem, qua miraculum erat patrandum, non temporaliter acceperat de matre, ſed per æternitatem de Patre ſemper habuerat*. Ad illud Marci, *apparuit primo Mariæ Magdalenæ*; ſubaudi; primo inter eos, quos reditus ſui ad vitam, teſtes eſſe voluit: quod teſtimonium quia capiendum non erat ex matre, ideo inter illos qui Chriſtum redivivum viderunt, non numeratur. Cæterum, quoniam erat nemo, quem magis quam matrem amaret, & a quo magis amaretur; eſt plane incredibile, quod eam præſentia, conſpectuque ſuo ante alios omnes non recrearit, atque e ſummo dolore, & ægritudine ſecum, ut ita dicam, ad vitam non revocarit. Verum tum hoc, tam alia plurima, quæ Matri præſtitit, uti fuerunt vel re ipſa, vel modo extraordinaria, eximia, admiranda; ſecreta eſſe voluit, aut certe noluit eorum memoriam divinis extare Litteris; fortaſſe ne rerum multitudine, & magnitudine naſcentis Eccleſiæ fides nimis vel oneraretur, vel ab iis, quæ de ipſo credenda erant, ad alia diſtraheretur; ſi alia fuiſſent in ſacris Voluminibus ad credendum propoſita. Atque hæc ipſa videtur eſſe cauſa, quamobrem in tota N. T. hiſtoria de triumphali, & corporea Dei matris in Cælum Aſſumptione nihil proditum ſit. De quo plenius mox ſatisfaciam.

Addo nunc reſponſionem aliam, quæ generatim valeat ad explicanda, quæ nobis objecta ſunt, & alia plura, quæ difficultatem ejuſdem generis poſſent afferre. Quemadmodum enim in Chriſto Domino, etiam ut homine, & adhuc quidem mortali, cum eſſet idem & viator, ut ajunt, & comprehenſor, duplex diſtingui potuit quodammodo vita, ſive agendi ratio: una exterior, expoſita hominibus, in eiſque

juvan-

uvandis occupata; altera vero interior, abſcondita, perfectiſſimæ communicationis cum Patre, ac vere beata: ſic etiam in Matre duplex diſtinguenda eſt vitæ ratio: una externa, hominibus nota, & aliorum etiam, qui cum Chriſto verſabantur, fere communis; altera interior, arcana exſtatica, in qua perfecta communicatio cum Filio, ac ſingulares, nec aliis conceſſæ anticipationes, ac prægustationes cæleſtium bonorum. Duplex hæc Deiparæ conſideratio, ſive conſpectus, ut ita dicam, exterior, & interior ſignificatur eo, quod eſt Cant. IV. I.3. *Oculi tui columbarum, abſque eo, quod intrinſecus latet ... Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ abſque eo, quod intrinſecus latet &c.* Pro duplici autem hac ejus vitæ ratione, & conſideratione noſtra, & res, & denominationes ſuſcipit diverſas, & in ſpeciem contrarias. Dicitur apud Lucam loco ſup. cit. *non intellexiſſe, quæ locutus eſt* Chriſtus: extrinſecus ſcilicet; hoc eſt, quantum ex vi verborum, quæ exterius ab illo prolata ſunt, ad quæ fortaſſe minus erat intenta. Intellexit autem interiorem Chriſti locutionem, cui auſcultandæ intra ſe ipſam ſe tota collegerat. Similiter eam quandoque Filius accepit aliquanto auſterius, ac durius: nimirum hoc etiam extrinſecus, ſupra expoſitis de cauſis: dum illam interea arcanis, & ineffabilibus amoris ſui ſignificationibus bearet intrinſecus. Tandem dicitur *Magdalenæ apparuiſſe primo;* quia quod matri apparuit, extra ordinem fuit; his de cauſis: primum, quia non fuit ad alios, ut dictum eſt, ſed ad ipſam tantummodo. Deinde, quia Matri non ſemel, aut iterum ſe videndum exhibuit; ſed toto eo tempore ſemper, aut fere ſemper præſentiſſimus affuit. Tertio, quia Matri fortaſſe viſus longe perfectiori viſionis genere; quali ſcilicet eum Cælites vident; & quali eundem aliquando viderunt ſancti homines, cum perfectiſſimo ecſtaſis genere fruerentur.

Redeo nunc ad triumphum, ſive Aſſumptionem Deiparæ, qua de re cur Apoſtoli, & Evangeliſtæ nihil ſcriptum reliquerint, dixi ſupra. Hic vero ſic objici poteſt, eos de re iſta non modo nihil ſcripſiſſe: ſed nec ullo modo aliquid tradidiſſe. Quod tribus argumentis efficitur. Primum eſt ſilentium ſex ferme priorum Eccleſiæ ſæculorum. Nam liber *de Tranſitu Virginis* S. Melitoni inſcriptus eſt manifeſte apocryphus, & a Gelaſio Pontifice in Concilio Romano confixus. Sermones vero *de Aſſumptione Virginis*, qui Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini nomina præſerunt, iiſque nominibus multos in hanc ſententiam perduxerunt, eos auctores vere non habent, ſed alios ſubleſtæ fidei, ac ſequioris ævi. Omnino, qui dubitari non poſſit, quin Deiparam animo, & corpore in Cælum receptam docuerint, primi fuerunt Gregorius Turonenſis in libro de miraculis cap. 4. Andreas Cretenſis orat. 2. de laudibus Aſſumptæ Virginis, Gregorius Magnus in Sacramentario, Ildephonſus Toletanus ſerm. 6. de Aſſumpt. Joannes Damaſcenus orat. 2. de dormitione Deiparæ &c. Scriptores nimirum ſeptimi, & octavi ſæculi. Secundum argumentum eſt, quod Eccleſia ſententiam hanc, tanquam dubiam, & incertam recepit; ut apparet, atque extat in illis divini Officii lectionibus, quas die Aſſumptæ Virgini ſacro diu recitavit; & profitebatur ipſa quotannis in ejus Feſti pervigilio, quandiu uſa eſt Martyrologio Uſuardi. Quare etiam poſterioribus ſæculis addubitatum eſt in re iſta a viris doctis, & piis Adone Viennenſi, Guiberto Abbate Novigentino, Notkero Abbate monaſterii S. Galli &c. Nec multo ante nos Abulenſis ſententiam hanc dumtaxat probabilem, Cajetanus, & Dominicus Soto piam dixere. Tertium argumentum eſt Traditio contraria. Ita enim de Chriſto ſcripſit Ambroſius lib. I. de interpellatione Jobi cap. 7. n. 25. *Solus ipſe adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit*. Cui plane conſentit Alcimus Avitus in fragmentis ſermone habito die primo Paſchatis: *Chriſtus hactenus ſolus eſt, qui non moriturus reſurrexit*. Accedit teſtimonium Concilii Epheſini, quod in Epiſtola Synodica ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum ſcribit, *Neſtorium in Epheſi urbe damnatum, in qua Joannes theologus, & Dei Genitrix Virgo ſancta Maria*. Ubi loquendi more Græcorum, omittitur εἰσι *ſunt*; corporibus ſcilicet ea in urbe conſepultis.

Dico breviſſime ad hæc: Eccleſiam ad eam veritatis lucem, ac rerum omnium,

quæ

quæ ad ipſius doctrinam, diſciplinamque pertinent, cognitionem, quam hodie obtinet, paulatim, & gradatim perveniſſe. Cum autem regatur maxime verbo Dei, ſeu divinis revelationibus, tum ſcriptis, tum traditis, iiſque non recentibus, ſed quæ jam inde ab ipſius exordio extiterunt; neceſſe eſt, earum rerum, quæ ſero creditæ, aut receptæ ſunt in Eccleſia, revelationes utriuſque generis diu abſconditas, aut non ſatis apertas fuiſſe. Quod de revelationibus ſcriptis facile intelligitur. Potuit enim Spiritus Sanctus, qui Eccleſiæ ſpecialiter adeſt, ei non ſtatim retegere aliquorum Scripturæ vel librorum divinitatem, vel locorum ſententiam. In revelationibus autem traditis id ita factum exiſtimo; ut quæ de Apoſtolorum ore accepta erant, mandari ſubito literis minime potuerint; fuerintque aliqua diu in memoria duntaxat, ac ſermonibus hominum; & interdum quidem penes paucos; ut propemodum intercidiſſe viderentur: ſed tum demum refloruerint, & quaſi revixerint, cum perceptis, & ſtabilitis iis, quæ magis neceſſaria erant, opportunum, & congruens fuit, Eccleſiam hæc etiam amplecti. Hujuſmodi eſt illud, de quo in præſenti agitur. Ante enim decerni oportuit, quæ credenda, ac tenenda de Trinitate, ac de Chriſto, præſertim adverſus Arrianos, quam quæ de Virgine: & de Virgine primum illud conſtitui, eam eſſe vere, & proprie Dei matrem; quod factum eſt in Concilio Epheſino: ſubinde autem acceſſu temporis huic quaſi fundamento ſuperſtrui reliqua, quæ de illa prædicantur. Itaque mirum non eſt, traditionem, de qua diſputamus, a mediæ ætatis ſcriptoribus celebrari cæpiſſe. Nego tamen ſex ferme ſæculis de illa ſilentium fuiſſe: quod nobis objicit Baſnagius, & alii ehterodoxi; &, quod mirum eſt, concedunt ultro, Catholici aliqui hujus ſententiæ, neſcio quam ſinceri, certe parum cauti defenſores. Nego, inquam; nam Gregorii Magni Sacramentarium, ut docet Joannes Diaconus lib. 2. cap. 17. deſcriptum eſt ex Codice Gelaſii, qui ſæculo v. rexit Eccleſiam, nec primus illa inſtituit, ſed ordinavit. Liber I. Melitoni affictus, ſi reprobatus eſt a Gelaſio; ante ipſum eſt utique ſcriptus, & forſitan multo ante. Et cum ſit ejus libri detecta fraus a tanto Pontifice, in pleno concilio, & per ſe etiam facile appareat; veriſimile non eſt, quod Natali Alexandro venit in mentem, librum illum Patribus mediæ ætatis imponere, & fucum facere potuiſſe. Sermonis de Aſſumptione auctor non eſt Athanaſius. Eſto; ſed, ut videtur Baronio, ac Bellarmino, eſt Cyrillus Alex. qui nec auctor dici poteſt ſequioris ævi, cum ſcripſerit non multo poſt initium ſæculi quinti; nec ſubleſtæ fidei, cum Concilium Epheſinum ipſius doctrinam magnam partem adoptarit pro ſua. Simile quidpiam dicendum de epiſtola inſcripta ab aliis quidem Hieronymo, ab aliis vero Sophronio ipſius æquali; ac demum de tractatu, qui inſcribitur Auguſtino. Sed ut rei hujus in Eccleſia memoria, ac ſermo ſemper aliquis fuerit, nec nihil etiam literis conſignatum, probatur certius teſtimonio Euſebii Cæſarienſis, qui in Chronico ad annum Chriſti 48. hæc habet: *Maria Virgo, Jeſu Chriſti mater ad Filium in Cælum aſſumitur, ut quidam ſibi fuiſſe revelatum ſcribunt*. Quod intelligendum etiam de aſſumptione corporis: nam ſi animæ ſolius; opus non fuerat addere, *ut quidam ſibi fuiſſe revelatum ſcribunt*. Quem locum integrum nimis audacter, & parum pie expunxit Joſeph Scaliger in ſua editione Lugduno-Batavica anni 1606. Sed in cæteris editionibus ita conſtanter legitur: ita in Burdegalenſi Arnaldi Pontaci an. 1604. ita in Baſileenſi Henrici Petri an. 1529. ita in Pariſienſi Henrici Stephani an. 1518. &c.

Secundum argumentum a nobis facit. Quid enim ſi aliquando de hac re, & traditione dubitavit Eccleſia; ſive indicium ſuum ſuſpendit, ac diſtulit; aut nobis non ſatis declaravit? Dubitavit ſimiliter de pluribus locis. immo & libris integris Sacræ Scripturæ qui propterea ſecundi ordinis, ac deutero-canonici nuncupantur. Sed, ut in illis, ita in hoc etiam dubitationem tandem omnem depoſuit, ac prorſus abjecit. Breviarii lectiones ex illo deſumptas qui putabatur Hieronymus, ac de hac re ſubdubitabat, in eas mutavit, quæ hodie leguntur ex Joanne Damaſceno, ac Bernardo in noſtram omnino ſententiam. Locum vero Martyrologii,

in quo Uſuardus notavit, Eccleſiam de Virginis corpore nihil eatenus voluiſſe deſinire, aut ſtatuere, penitus abradi juſſit. Quo utroque facto mentem ſuper hac re ſuam nobis prorſus aperuit; eamque ſi minus credendam fide divina, & catholica; at ſaltem tam certam effecit, quam certum eſt, inquit Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 21. ſect. 2. *Virginem fuiſſe ſanctam ab utero matris*. Nec dubitandum eſt, ſi Uſuardus ipſe, ſi Ado, ſi Guibertus, & alii ſupra nominati, modo ſuperſtites eſſent, quin longe aliter de re iſta ſentirent, ac loquerentur. Illud eſt ſcilicet, quod initio dicebam; Eccleſiam ad hanc fidei, & cognitionis lucem, in qua modo eſt, non ſubito fuiſſe perductam. Et cum nitatur, ut dixi, potiſſimum verbo Dei, ſeu divinis oraculis tum ſcriptis, tum traditis; quemadmodum inter Scripturas aliæ dicuntur primi ordinis, ſeu protocanonicæ, quæ ſemper in Eccleſiæ canone fuerunt; aliæ ſecundi ordinis, ac deuterocanonicæ, quarum aliquando divinitas latuit, vel controverſa inter Catholicos ipſos, & Eccleſiæ doctores, & quidem multis ſæculis fuit: ſic pariter traditiones eſſe & primi, & ſecundi ordinis; & ſtatim receptas, & receptas poſtmodum; non quod eſſent minus antiquæ, ſed quod eſſent minus notæ, & perſpicuæ; Deo ita providente, & iſtiuſmodi progreſſibus omnia ad ſuam perfectionem adducente. Hæc doctrina ante oculos ſemper habenda, & Scripturarum exemplo pleraque argumenta, quibus adverſarii traditionem hanc petunt, in ipſos retorquenda.

Tertium quod erat de traditione contraria falſum eſt: cum Ignatius Martyr, Origenes, Euſebius, Epiphanius &c. eos qui ſurgente Chriſto ex mortuis pariter ſurrexere, morti occubuiſſe iterum, negent. Quare quod ſcripſit Ambroſius, & ex illo Alcimus, non ex traditione, ſed proprio ſenſu ſcripſerunt. Ac de illis locuti ſunt qui a Prophetis, a Chriſto, ab Apoſtolis divinitus quidem ſed tamen ut ita dicam, communi, & uſitato more ex mortuis excitati fuerunt, & vitæ, ac viæ priſtinæ redditi: non vero de illis, qui ſpeciali privilegio ultima ſimul animæ, & corporis felicitate donati ſunt. Tandem locus Epiſtolæ ſynodicæ concilii Epheſini eſt ita ſupplendus: *in qua Joannes, ac Dei Genitrix vel fuerunt* domicilio: vel *ſunt* æde ſacra. Nam ſi ea in urbe eſſet corpus Deiparæ idque Epheſini Patres ſignificare voluiſſent nequaquam decem poſt annis in Chalcedonenſi concilio coram Marciano Imper. & Pulcheria ipſius conjuge Juvenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus tam fidenter confirmaſſet, Deiparam Hieroſolymæ deceſſiſſe, & in Getſemani ſepultam fuiſſe; ſed ut traditione conſtabat, paulo poſt, etiam corpore, in cælum evectam. Nec ſæculo quarto Epiphanius lib. 3. hæreſ. 58. n. 11. dubitaſſet, utrum Deipara vere mortem obierit, an vivens in Cælum tranſlata ſit: Nec ſæculo ſecundo Polycrates Epiſcopus Epheſinus in Epiſtola ad Victorem Rom. Pont. in qua recenſet illuſtriores Eccleſiæ viros, & mulieres, qui Epheſi exceſſerunt e vita, & in eum numerum refert Joannem Evangeliſtam, & Philippi Apoſtoli filiam; omnino tacuiſſet de Virgine Deipara: cum ejus mors longe magis quam cæterorum omnium & urbem illam illuſtraſſet, & ad ipſius Epiſtolæ propoſitum feciſſet.

His omnibus, & maxime exemplo Scripturarum ſecundi ordinis, & Traditionum ſimilium ſententiam hanc defendi reor quam commodiſſime. Ex iiſdem autem apparet, quid ſit, quo eam probari putem. Nam cum de hac re Scriptura vel taceat, vel obſcure loquatur, probanda eſt traditione. De traditione autem rei hujus conſtat tum ex ſcriptoribus ſupra citatis, tum ex Eccleſiæ judicio. Conſtat tamen utrinque, tanquam de traditione ſecundi ordinis; nec quantum ſatis ad fidem divinam, & catholicam ut monui ſupra. Mitto argumenta illa, quæ a rei congruentia petuntur; tum quia nobis hæc quæſtio diſceptatur hic ex ſolis traditionibus, & Scripturis, & his quidem non Veteris, ſed Novi Teſtamenti; tum quia ejuſmodi argumenta, ſeu congruentiæ ſuadent quidem, atque animum præparant, ac bene afficiunt erga rem propoſitam, haud tamen eam prorſus evincunt. Quanquam ubi de Dei Matre agitur, argumentum a conguentia, plus virium, ac ponderis habet. Rationes igitur ejuſmodi vide apud Suarez tom. 2. in 3. part. diſputat. 21. ſect. 2.

Digitized by Google

Ad tertium negandum, quod contendit in primis Bucerus, elogium Præcurſoris, quod eſt apud Matthæum circumſcribi, & contrahi per illud, quod eſt apud Lucam. Ut enim annotat Euthymius, quicunque apud Hebræos ſanctitatis laude præſtabant, appellabantur Prophetæ. Et merito quidem, non ſolum, quia nomen aliud non habebant auguſtius, ac venerabilius, quod de ejuſmodi hominibus uſurparent, ut ait Caniſius lib. I. de corrupt. verbi Dei cap. 9. Verum etiam, quia in eorum omnium ſanctiſſimorum hominum verbis, aut rebus, quæ in Scriptura notantur; præſignificatio ſemper fuit aliqua futurorum; erantque ipſi figuræ, & umbræ maxime Chriſti venturi. Quare quamvis pugnem, ab ea comparatione, *nemo propheta major Joanne*, nullum prorſus eſſe excipiendum inter illos, qui ante Chriſti tempora nati ſunt; non diffiteor tamen mihi videri, ea nec Apoſtolos, nec S. Joſephum comprehendi; quippe qui Chriſtum non e longinquo, Prophetarum more, viderunt, ſed præſentem contuiti ſunt; nec in illis adumbratio, aut prædicatio fuit ulla futurorum; ſed ipſi potius prænunciati, ac præmonſtrati fuere. Nec propterea dico, Apoſtolos, aut S. Joſephum fuiſſe Joanne majores; dico, ex verbis Chriſti non evinci, aut ſequi contrarium.

Rejiciendi pariter Lutherus, Calvinus, Bullingerus, & alii heterodoxi, qui alia via Præcurſoris gloriæ adverſantur. Ajunt enim illum a Chriſto Domino ſummis viris æquari non ſanctitate, ac meritis, ſed officio tantum, ac miniſterio. Quibus primum oppono Eccleſiæ Patres, qui ſummo conſenſu utranque laudem, atque præſtantiam Joanni aſſerunt. Ita Baſilius, Gregorius Naz. Chryſoſtomus, duo Cyrilli, Auguſtinus, Maximus, Petrus Chryſologus, & quotcunque alii rem attigerunt. Deinde dico, locum ei diſtinctioni prorſus non eſſe: cum divinæ Literæ Joannis ſanctitatem, ac merita potiſſimum prædicent; nec minus ſane, quam Noe, quam Melchiſedechi, Abrahæ, Moyſis, & aliorum veteris Teſtamenti luminum. Quantum enim in hoc genere eſt, quod Malachias III. I. Eum *Angelum* vocat? quod Gabriel unus ex ſeptem ſpiritibus, qui *aſſtant ante Deum*, ut Chriſti Jeſu, ſic & Joannis ortum annunciavit, ac de illo prædixit: Luc. I. 15. 16. *Erit magnus coram Domino; Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris; multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum* &c. Quod Joannes Evangeliſta de illo monendum putavit I. 8. *non erat ille lux*; & quo nil majus, aut par fertur de ullo, quod Chriſtus ipſe ab eo baptizari voluit? Denique Joannis ſumma innocentia, ſumma vitæ aſperitas, ſummum Dei gloriæ, & hominum ſalutis ſtudium, in quibus veræ ſanctitatis laus, exercitatio, ac meritum eſt. Legantur Petrus Caniſius loco ſup. notato, & Suarez tom. 2. in 3. p. diſput. 24.

Ad quartum, nego præter locum citatum ex epiſtola Petri, nullum eſſe alium, ſive in Actibus Apoſt. ſive alibi, in quo de adventu Petri in Urbem aliquid indicetur. Tum enim ex ejus libri capite ultimo, tum ex epiſtolæ ad Roman. capite primo illud habemus, fuiſſe in Urbe, ante quam Paulus ad eam accederet, valde amplam, & optime conſtitutam Eccleſiam. Quod factum eſſe non potuit, niſi opera Petri, aliquot annorum ſpatio Paulum prægreſſi, Romæque verſati. At enim cur de hac re nihil clarius in Actibus Apoſtolorum? Quia in eo libro Lucæ propoſitum fuit, Pauli præceptoris ſui potiſſimum acta, & itinera perſequi. Nam cæteroqui cur nihil prorſus de aliis pluribus Apoſtolis, quos dumtaxat nominat I. 13.? Deſcribit quidem primis capitibus Eccleſiæ primordia, ejuſque propagationem in Palæſtina, & vicinis regionibus; refert etiam non pauca de Petro: ſed quia judicavit, quæ propria Pauli erant, non ſtatim disjungenda a communibus, ac ſeorſim narranda, Ejus libri initia univerſalem Eccleſiæ hiſtoriam continent; progreſſus, & exitus particularem. Ita factum a Moyſe in libro Geneſis, cujus undecim priora capita ſunt hiſtoria mundi, ac totius humani generis; in reliquis memorantur res Abrahæ, ejuſque familiæ, ac ſtirpis. Sed fac, in Actibus Apoſtolorum, & cæteris ſacris Libris nullum omnino eſſe rei hujus indicium. Ad hoc eſt Traditio, ut Scripturam ſuppleat. De re autem iſta traditio certiſſima eſt. Primum teſtimonio omnium Patrum, apud

Digitized by Google

quos multa de Romana Petri fide, & cathedra; ut hic fuerit, egeritque diu, atque hic tandem morte affectus, hic ſepultus ſit. Deinde perſuaſione firmiſſima, non ſolum Eccleſiæ Romanæ, quæ ipſa per ſe maxime valet; verum etiam cæterarum omnium Eccleſiarum, quæ Romanæ primas propterea deferunt, eamque ſummopere venerantur, & tanquam magiſtram agnoſcunt. Poſtremo Conciliorum omnium, etiam Generalium decretis, quibus hæc eadem approbantur, & confirmantur. Videre poteris de his omnibus apud Bellarminum Controver. tom. 1. lib. 2. de Romano Pont. cap. 2. 3. 4. &c.

Hæc ut Petrus Romæ fuerit; etiamſi detur, nihil eſſe de hoc in ſacra Scriptura. Nunc ut idem annos 25. Romanæ Eccleſiæ præfuerit, tametſi ſcriptum eſt Act. xv. in Hieroſolymitano concilio aſfuiſſe. Nam quemadmodum intra illud ſeptennium, quo Antiochenſem Eccleſiam gubernaſſe traditur, ex ea urbe interdum diſceſſit, quo ipſum Eccleſiæ univerſæ regimen, ac Spiritus Sanctus evocabat: ſic poſteaquam Romæ ſedem poſuit, quamvis eam ad mortem uſque tenuerit; tamen eodem tempore in alias urbes, & provincias digreſſum, & Hieroſolymam quoque reverſum dicimus. Sive hoc fecerit edicto Claudii, qui ut ferunt Joſephus, Svetonius, Paulus Oroſius &c. & diſerte teſtatur Lucas Act. xviii. 2. ex Urbe expulit omnes Judæos; ſeu potius Spiritus ſancti admonitu, qui ipſum per ſe ſe in Oriente multa componere, & primo illi concilio præeſſe voluit. Is igitur rerum Petri curſus, ſecundum exactiorem Chronologiam, quam in ſuperiori diſputatione ſequuti ſumus. Anno æræ communis 29. duobus Geminis Coſſ. poſteaquam Chriſtus in Cælum aſcendit, Eccleſiam univerſam ſtatim regere cœpit, ejuſque vices in terris tenere, ut apparet Act. 1. Anno æræ ejuſdem 33. Epiſcopatus ſui ſedem Antiochiæ collocavit. Anno 40. Evodio Antiochenæ Eccleſiæ præpoſito, ſedem tranſtulit Romam An. 46. S. Linum, quem a morte ſucceſſorem habuit, ſibi vicarium ſeu Chorepiſcopum conſtituit; ac Roma diſceſſit. An. 47. celebravit Hieroſolymitanum Concilium, & tandem quoto anno æræ vulgaris incertum, ſed enim certe poſt aliquot annos Romam reverſus an. ejuſdem æræ 65. tertio Ka. Julias martyrio coronatus eſt, una cum S. Paulo, imperante Nerone, Nerva, & Veſtino Coſſ. Quare univerſalis epiſcopatus cathedram nulli certo loco affixam tenuit annis quatuor, Antiochiæ annis ſeptem, Romæ quinque & viginti. De his omnibus conſtat ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Romanæ monumentis, ut ex Catalogis, Vitis, ac Geſtis ſummorum Pontificum, manu exaratis, ac prælo cuſis; ex perantiquis utriuſque generis Martyrologiis, ac Breviariis compluriurn Eccleſiarum, & ex Actis Sanctorum, maxime vero ex duobus S. Petri elogiis, altero a S. Damaſo ad S. Hieronymum miſſo, altero tempore Juſtiniani Imperatoris conſcripto; quæ apud Bollandum reperies ſub initium tom. 1. Aprilis. Legantur præterea quæ in eodem Opere ad die 29. Junii, Bellarminus tom. & lib. ſup. cit. cap. 5. & 6. & Auguſtinus Calmetius peculiari diſſert. de Romano itinere S. Petri.

Ad quintum dicendum, fuiſſe Veteres ex primis Eccleſiæ ſæculis, qui exiſtimarint, Cepham illum, cui Paulus *in faciem reſtitiſſe* ſe ſcribit Gal. ii. 11. non eſſe Apoſtolorum principem, ſed unum ex ſeptuaginta Chriſti diſcipulis; de eodemque ſcriptum. 1. Cor. 1. 12. *Ego autem Apollo: ego vero Cephæ*. Et iii. 22. *ſive Apollo, ſive Cephas* &c. Quam ſententiam noviſſime Harduinus non ſolum revocavit in lucem, ſed ita illuſtravit, ut multum ei probabilitatis contulerit; nec facile poſſit iterum obſoleſcere, ac penitus deleri. Sed fuerit Cephas ille ipſe S. Petrus primus ex Duodecim: non ejus ibi ſententia, & judicium; ſed actio reprehenditur; hoc ipſo culpanda, quod aliquid ſimulationis haberet, atque id exhiberet oculis, quod de Petri ipſius mente, & ſententia non erat. Sic enim Auguſtinus Epiſt. alias 19. nunc 82. cap. 2. n. 11. *Neque negamus in hac ſententia fuiſſe jam Petrum, in qua Paulus fuit. Non itaque* (Paulus) *tunc eum quid in ea re verum eſſe docebat: ſed ejus ſimulationem, qua Gentes Judaizare cogebantur, arguebat* &c. Immo & Paulus ipſe clariſſime Gal. ii. 12. 13. *Prius enim quam venirent quidam* (Judæi) *a Jacobo* (Hieroſolyma Antiochiam Petrus) *cum Gentibus ede-*

edebat : cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Culpa forſitan ibi fuit aliqua Petri; quanquam Hieronymus, ac Græci Patres ſecus exiſtiment: recte factum certe illud non fuit; ſic enim Paulo viſum. Verumtamen cum eo non pugnat, quod ab adverſariis citatur ex Luca XXII. 32. De ſola enim fide, & doctrina Petri, & ſucceſſorum ejus recipit ibi Chriſtus Dominus. Ex promiſſo illo non facta Vicarii ſui, ſed judicia, & decreta duntaxat ſunt ipſi præſtanda. Atque ea quidem judicia, & decreta, quibus iis de rebus, quæ ad fidem, & mores pertinent, totam docet Eccleſiam: hoc eſt, fidelibus omnibus aliquid credendum, aut ſervandum præcipit. Hæc enim ſunt illa, in quibus nec decipere poteſt, nec decipi; ſive judicet; ac decernat una cum concilio, ſive etiam ſolus. Solum cum dico, alios excludo, non a conſilio, & inquiſitionibus præviis, ſed a ſententia, ac rei deciſione. Nam Spiritus Sanctus, qui ex Chriſti promiſſione Romano Pontifici ſpecialiter adeſt, illum non tantum intrinſecus, ac per ſe ipſum edocet; ſed etiam extrinſecus, & humano more per viros ſapientes, quos in conſilium adhibuerit, & quibus rem excutiendam commiſerit. Quid ſi Pontifex inconſultis omnibus aliquid definiat, aut ſtatuat? Deum neutiquam id permiſſurum, ajo; niſi quando ipſe interiori illuſtratione ſuppleverit quicquid exterioris operæ, ac diligentiæ prætermiſſum fuerit: vel certe declaratio, ſanctioque illa debita veritate, & honeſtate non careat. Utroque enim modo Spiritus Sanctus Pontificem errare non ſinit, ſive judicantem regendo; ſive impediendo, ne judicet.

Sed hæc hujus loci non ſunt. Illud facit ad rem præſentem, quo inſtari poteſt ex Harduino: quamvis Cephæ tantummodo actionem reprehenderit Paulus; actionem tamen illam eo loco, & tempore editam, & quidem ab homine tali, quem nos ipſum Apoſtolorum principem fuiſſe concedimus, habuiſſe vim vocis, & doctrinæ. Eſto: ſed nunquid etiam habuit oraculi pondus? ſeu, vim vocis loquentis ex cathedra, ac totam Eccleſiam docentis? Ex facto, exemploque illo (ſubjicit Harduinus) tum ii, qui aderant, colligere poterant, præſcripta omnia veteris Legis adhuc eſſe ſervanda; tum ejus rei notitia, & perſuaſio facile potuit in cæteros propagari. Ac proinde ſi Petrus ipſe Chriſti Vicarius illius actionis auctor fuit; is in magiſterio Fidei erravit. Quod eſt contra locum productum ex Luca, & alios plures, qui afferri ſolent pro primatu, & auctoritate Romani Pontificis. Reſpondeo, Petrum actione illa eo tantum ſpectaſſe, ne offenderentur Judæi, qui Antiochiam Jeroſolyma recens advenerant, ſi ipſum vidiſſent *edentem cum Gentibus*: de inſtruenda, & informanda Eccleſia nihil tunc cogitaſſe; cum ageret contra mentem, & factum illud Paulus *ſimulationem* vocet. Tum Petrus hac ſuper re mentem ſuam declaravit Eccleſiæ, & quodammodo locutus ex cathedra, cum Cæſareæ illa pronunciavit Act. x. 28. *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.* Et 34. *Aperiens autem Petrus os ſuum, dixit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus* &c. Et cum Jeroſolymæ in concilio primus ſententiam dixit Act. xv. 9. *Deus nihil diſcrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum* &c. & quæ deinceps ſequuntur 10. & 11. Legatur Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 28. Cornelius a Lapide in Epiſt. ad Gal. II. 11. & Auguſtinus Calmetius peculiari diſſert. in hunc ipſum locum.

Ad ſextum dicendum, quod nobis objicitur de cita morte Jacobi Majoris, contra adverſarios facere. Inde enim impleviſſe probatur ſignificationem nominis ſui. Nam quid eſt, quod tanto & timori, & odio Judæis fuerit, ut eum ante alios omnes Apoſtolos de medio tollendum curarint; niſi quod in ipſos vehementius, & ſingulari quodam animi ardore pugnabat? Immo Jacobus hoc ipſo etiam, quod cito extinctus, tonitrui filium, ſive fulmen maxime retulit; cujus eſt ſumma velocitas cum pari conjuncta vi; momento tranſit, ſed æterna relinquit veſtigia.

Digitized by Google

His adde, falſum eſſe quod aliqui exiſtimant, eum antea occiſum, quam ipſi licuerit Jeroſolyma egredi. Nam etiamſi demus commentitium non eſſe, quod tanquam ex traditione refert Apollonius apud Euſebium hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 18. *Salvatorem præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ut ne ante duodecimum annum ab Hieroſolymis diſcederent*; primo tamen, propter illa, quæ de Petro, & aliis Apoſtolis leguntur Act. IX. X. XI. &c. explicandum eſt ab omnibus; dicendumque id ſolum Apoſtolis interdictum fuiſſe, ne ante duodecim annos a Chriſti morte Jeroſolyma diſcederent omnes; vel ne diſcederent non regreſſuri; ac proinde aliquot excurſiones, atque expeditiones ad certum tempus, nec ita longum, ipſis fuiſſe permiſſas. Deinde cum S. Jacobi martyrium ſignetur anno æræ communis 44. anni autem illi duodecim, juxta Chronologiam, quam ſequimur, cæperint ab ejuſdem æræ anno 29. quo Chriſtus occubuit; tres ſolidi anni remanent, quibus Jacobus, etiam apud exteras gentes, Evangelii promulgatione ſe tonitrui filium probare potuit; & ſubinde Jeroſolymam reverti, qua in urbe capite plexus eſt. Illum autem dicimus eo triennio (ſi negas lcuiſſe ante) adiiſſe in Hiſpaniam. Cum de hac re traditio ſit a tota jam Eccleſia probata & recepta; ut videre eſt in libris divinorum Officiorum, quibus utuntur particulares omnes Eccleſiæ: eademque ſit antiquiſſima, ac prorſus immemorabilis; ut conſtat ex Officio Hiſpanico, quod vulgo Gothicum, vel Mozarabicum cognominatur, & S. Hieronymi ætatem proxime attingit. Immo ex teſtimonio ipſo S. Hieronymi, qui rem iſtam clare ſignificat duobus in locis. Unus eſt in commentariis ad cap. 34. Iſaiæ juxta noviſſimam editionem Pariſienſem anni 1704. tom. 3. col. 279. & 280. Alter eſt in iiſdem commentariis ad cap. 42. Iſaiæ tom. 3. editionis citatæ col. 319. Quæ docte, momentiſque ſuis omnibus ponderant Bollandi Continuatores tom. 6. Julii ad diem 25. & iterum in appendice, quæ extat ſub finem tomi 7. ejuſdem menſis. Nec non Emanuel Cajetanus Souſa par. 3. ſect. 1. aſſert. 48. & ſequent.

De S. Joanne, altero Zebedæi filio, ſic habendum: Quemadmodum illud Matth. XVI. 28. *Amen dico vobis ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo*; vel, ut eſt Luc. IX. 27. *ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei*, intelligendum non eſt de ultimo Chriſti adventu, nec de æterna ſanctorum hominum felicitate, ſeu regno Cælorum; ſed de Chriſti Transfiguratione, quæ cæleſtium bonorum adumbratio, ſive anticipatio quædam fuit, ſolis tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, Joanni paulo poſt prægustanda: ita quod de Joanne ſcriptum eſt Joan. XXI. 23. *Et non dixit ei Jeſus, non moritur; ſed, ſic eum volo manere, donec veniam*, accipiendum pariter, non de ultimo Chriſti adventu, ſeu de mundi interitu, & univerſali judicio; ſed de Hieroſolymæ excidio, quod extremorum mundi temporum imago, & figura fuit; & ſolo inter omnes Apoſtolos Joanne adhuc ſuperſtite contigit anno æræ communis 70. imperii Veſpaſiani 2. Tria vero mihi ſunt hujus ſententiæ momenta. Primo certum mihi videtur, quod ex una parte contenditur, Evangelii loco proxime citato Joanni prædici, non exemptionem a morte, ſed mortis dilationem, cæteris Apoſtolis haud communem. Nam ſi, ut aliqui volunt, adventus Chriſti ibi ſignificaret mortem; & illud, *donec veniam*, idem valeret, ac, donec eum per mortem reviſam; tunc ea Chriſti aſſertio, *ſic volo manere*, vel eſſet falſa, ſi particula *ſic* omnes mutationes excluderet, ſiquidem Joannes etiam multas mutationes, incommoda, labores, dolores paſſus interiit; vel, ſi hæc non excluderentur, aſſertio eſſet ludicra, aut levis, ac certe nil ſingulare, aut ſpecialis cujuſpiam prærogativæ Joanni enunciaret. Nam omnes homines *manent*; ſeu vivunt, donec eos Chriſtus per mortem inviſat: & quidem, ſeu mors ſit naturalis, ut in Joanne, ac pleriſque hominibus; ſeu violenta, ut in reliquis Apoſtolis, in Martyribus, & aliis plurimis. Immo verius ille dicitur, *ſic manſurus*, ſeu *manſurus*, ut eſt in præſenti, *donec veniat* ad eum Chriſtus per mortem; ille, inquam, dicitur verius, qui ferro, aut igne, vel alia vi brevi conficitur;

citur; quam qui morbo, aut ſenio paulatim atteritur, atque conſumitur. Secundo certum pariter videtur, quod ex altera parte contendunt, Joannem eſſe mortuum; cum res maxime nota, & teſtata fuerit, primis præſertim Eccleſiæ ſæculis; ejuſque rei diu fidem fecerit Joannis tumulus, vel tumuli locus, qui Epheſi monſtrabatur, & magna cum religione frequentabatur. Quanquam perſuaſum aliquibus foret, revixiſſe Joannem, & locum illum vacuum reliquiſſe. Quorum opinionem acriter propugnat Florentinius; neque nos impugnamus: ſolum hic contendimus, Joannem obiiſſe; ac rei hujus teſtes locupletiſſimos, damus Polycarpum Joannis ipſius diſcipulum in fragm. reſponſ. quod extat apud Victorem Capuanum 5. ſæculi ſcriptorem, Polycratem Epheſinum Epiſcopum in Epiſt. ad Victorem Rom. Pont. quæ apud Euſebium hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 31. & lib. 5. cap. 24. Irenæum Polycarpi diſcipulum lib. 2. adver. hæreſ. cap. 23. n. 5. & lib. 3. cap. 3. n. 3. et apud Euſebium lib. 3. cap. 23. Tertullianum lib. de Anima cap. 50. Origenem apud Euſeb. lib. 3. cap. 1. Hyppolitum de Antichr. pag. 12. & 41. novæ edit. Fabricii, Dionyſium Alex. apud Euſeb. lib. 7. cap. 25. Euſebium ipſum locis notat. Epiphanium hæreſ. 51. n. 5. Ambroſium in Luc. lib. 7. n. 4. & lib. 2. de fide Reſurrect. n. 49. Chryſoſtomum homil. 26. in epiſt. ad Hebr. Hieronymum in cap. 6. epiſt. ad Gal. de Viris Illuſtr. & lib. 1. cont. Jovinian. Auguſtinum epiſt. nunc 199. olim 80. cap. 6. n. 18. Tract. 124. in Joan. n. 2. &c. Cyrillum Alex. de laudibus S. Joan. in Concil. Epheſ. & in pluribus homil. tom. 5. Cæleſtinum Rom. Pont. in epiſt. ad Patres Conc. Epheſ. de Reliquiis S. Joannis. Mitto alios plurimos; ac de iis; qui pro contraria ſententia teſtes citantur, ajo longe minori eſſe numero, nec tanta antiquitate, & auctoritate, ac præterea valde obſcure loquutos.

Tertio demum eſt certum, in Evangelio Hieroſolymitanum etiam excidium prænuntiari, & deſcribi, tanquam Chriſti adventum, nec fortaſſe alio nomine ſignificari. Sive quod Chriſtus ipſe illuc re vera eo tempore venerit exciſum urbem, ac gentem iniquam, impiam, exſecrabilem; ſeque etiam videndum præbuerit minaci vultu, accinctum fulminibus, ſtipatum Angelorum manipulis, aut alia quapiam horribili ſpecie, & terrifica: ſive quod figura illa fuit ultimi adventus; & imago quædam, qua nulla ſimilior, nec magis atrocibus expreſſa coloribus noviſſimorum mundi temporum, extremique Judicii. Profecto Matth. XXIV. cum affirmaſſet Jeſus ver. 2. *Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem* &c. & cum interrogaſſent eum ſubinde diſcipuli 3. *quando hæc erunt? quod ſignum adventus tui?* &c. utrunque ſimul adventum ipſis permixte, & confuſe deſcribit; ſeu certe alterum alterius ſpecie, & imagine. Et tandem deſcriptionem illam ita concludit ver. 34. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant*. Quod ipſum legitur poſt ſimilem deſcriptionem Marc. XIII. 30. *Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant*. Et Luc. XXI. 32. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*. Nimirum, quia intra annos ab hac prædictione 50. everſa eſt Jeruſalem; in qua everſione, partim re ipſa, partim tanquam in figura evenere illa omnia, quæ in his Evangelii locis Chriſtus futura nuntiavit. Eodem modo plane, & facile explicatur, quod Chriſtus ait Apoſtolis Matth. X. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis*. Et quod edixit coram principe ſacerdotum Matth. XXVI. 64. *Veruntamen dico vobis, Amodo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis, Dei, & venientem in nubibus Cæli*. Videtur hic uterque adventus ſignari, & quo Chriſtus ipſe ſupplicium ſumpſit de Judæis, ut proxime dictum eſt; & quo de univerſo hominum genere judicabit. Cum dixerit, *Amodo*; ideſt, ab hoc tempore; ſeu, non ita multo poſt. Etſi enim ultimus Chriſti adventus ab eo tempore multis ſæculis diſtaret; ejus tamen figura, & quodammodo initium haud longe aberat.

His poſitis, controverſiam hanc puto recte componi, ſi dicatur, Chriſti vaticinium de Joanne, *Sic eum volo manere,*

donec

Digitized by Google

donec veniam, ejuſdem eſſe modi, & indolis, ut ſic loquar, ac vaticinium de tribus Apoſtolis, *ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo*. Nimirum, ut qui utrunque audit, ſtatim in Mundi finem intendat animum: cum tamen hoc ſpectarit ad Tranſfigurationem Chriſti, quæ in proximo erat; illud vero ſpectarit ad Jeroſolymæ interitum, qui non erat admodum remotus. Id quod mihi ſupra probandum propoſui.

Ad id, quod objicitur; ſi mortem jam oppetiit Joannes, quomodo Chriſti calicem bibit? in ferventis olei balneum conjectum fuiſſe, non videtur ſatis. Reſpondeo, Hieronymo, Doctori maximo, viſum id ſatis. Addo tamen præterea, quod ſcripſit Polycarpus in fragmento ſup. cit. *Joannem obiiſſe, plurimis exantlatis laboribus, & graviſſima incommoda, inſectationes; exilia perpeſſum*.

Afferri etiam poteſt, quo minus Joannes mortuus credatur, quod ipſi jam ſeni denunciavit Angelus Apocal. x. 11. *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*. Verum cum id contigerit, & ſcriptum ſit, dimidia Apocalypſis parte nondum expleta; hanc eſſe veram, & hiſtoricam hujus loci ſententiam reor. Quæ hactenus vidiſti, & vaticinatus es, haud ſatis ſunt. Plura reſtant, ad Gentes, & populos, & linguas, & reges multos pertinentia, quæ te videre, & enunciare opus eſt. Cujuſmodi autem illa ſint, anno futuro, ut ſpero, declarabimus.

Ad ſeptimum dico, Jacobum Fratrem Domini Jeroſolymæ Epiſcopum, & Jacobum Alphæi unum ex duodecim Apoſtolis eundem hominem eſſe. Quod primum probo ex divina Scriptura, & primo quidem ex loco citato epiſt. ad Gal. I. 19. in quo omiſſum eſt, quod Paulus ſcripſit ver. 18. ſe vidiſſe Petrum, & apud eum manſiſſe; cum enim ſtatim ſubjiciat, ſe *alium Apoſtolorum vidiſſe neminem, niſi Jacobum* &c. ex eo pronomine *alium* dicendus eſt loqui de illis Apoſtolis, e quorum numero, & ordine erat Petrus. Adde, quod Paulus ſcripſit ibidem paulo ante 17. *neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos*: ubi utique loquitur de duodecim; etiam ob eam cauſam, quod ſeptuaginta diſcipuli jam omnes Jeroſolyma multo ante diſceſſerant. Ut eſt Act. VIII. 1. *omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apoſtolos*. Adde quod pariter ſcripſit in eadem epiſt. II. 9. *Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi* &c. Quo in loco conſentiunt interpretes Paulum loqui de *Jacobo* Domini Fratre, cum Frater Joannis jam gladio cæſus ab Herode fuiſſet; & ut conſtat ex Act. Conſentaneum autem non erat, eum Eccleſiæ *columnam* dici, una cum *Cepha, & Joanne*, niſi ex eodem ordine, & numero eſſet. Tandem Marc. xv. 40. legitur: *Erant autem & mulieres de longe aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi Minoris, & Joſeph mater, & Salome*. Ex quo Marci loco ſemper ea diſtinctionis nota ſervata eſt in Eccleſia, ut Jacobus Domini Frater cognominetur Minor, Filius autem Zebedæi cognominetur Major; vel quia ſenior, vel quia inter duodecim prius adlectus, vel quia fuit unus ex tribus Apoſtolis, qui ſpeciali Chriſti favore ei ſemper proximius aſtitere. Recte autem ad rem noſtram animadvertit Hieronymus cognomentum Majoris, & Minoris non eſſe, niſi duorum; ac proinde tertium Jacobum eſſe rejiciendum. Hæc ipſa ſunt Doctoris Maximi verba in libro dogmatico adverſus Helvidium. *Si Jacobus hic non eſt Apoſtolus, ſed tertius neſcio quis Jacobus; quomodo eſt frater Domini putandus? & quomodo tertius ad diſtinctionem Majoris appellabitur Minor? cum maior non inter tres, ſed inter duos ſoleat præbere diſtantiam; & frater Domini Apoſtolus ſit; Paulo dicente: Deinde poſt triennium veni Jeruſalem videre Petrum, & manſi apud illum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini. Et in eadem epiſtola: Et cognita gratia, quæ data eſt mihi, Petrus, & Jacobus, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe. Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedæi* &c. *Reſtat concluſio, ut Maria iſta, quæ Jacobi Minoris ſcribitur mater, fuerit uxor Alphæi, & ſoror Mariæ Matris Domini, quam Mariam Cleophe Joannes Evangeliſta cognominat*,

Digitized by Google

nat, *ſive a patre* , *ſive a gentilitate familiæ* , *aut quacunque alia cauſa ei nomen imponens* &c. Pergit in hanc ſententiam multis; quæ ad refellenda plenius adverſariorum argumenta , legere poteris . Neque dicas in Textu Græco Marci eſſe χαὶ Μαρία ἡ τοῦ Ιακώβου τοῦ μικροῦ ac proinde legendum *Jacobi parvi*, non *minoris* : hoc enim non ſequitur ; quia Marcus fortaſſe ſcripſit Latine; quia Græci ſæpe utuntur poſitivo pro comparativo ; quia tenenda eſt lectio Vulgatæ ; quia antiquiſſimum , ac receptiſſimum eſt duorum Apoſtolorum cognomentum *Majoris* & *Minoris*, quia probatum Hieronymo.

Secundo idem probo ex judicio Eccleſiæ, quæ duos tantum Jacobos agnoſcit; Majorem , & Minorem ; Fratrem Joannis, & Fratrem Domini . Nec vero dicas, in veteri Martyrologio ſive Euſebii, ſive Hieronymi tres Jacobos memorari : concedam enim id de aliquibus exemplaribus Martyrologii veteris , in quibus ipſis magna diverſitas eſt ; negabo vero ſi contendas de omnibus , ac de illis præſertim quibus utebatur Eccleſia Romana. Standum Gregorio Magno, qui lib. 8. Regiſtr. Epiſt. 29. ad Eulogium Martyrologium vetus probat atque commendat; & idem tamen in Sacramentario duos tantum Jacobos ambos Apoſtolos, & feſto , & Sacro celebrari jubet : alterum Kalendis Maji, una cum Philippo pariter Apoſtolo; alterum VIII. Kal. Aug. Animadverte hic quod ſupra notavimus, Sacramentarium Gregorii, ex Gelaſii codice expreſſum . Multo autem certius Eccleſiæ veteris judicium nobis repræſentant Gelaſius , ac Gregorius , quam Martyrologia illa , quæ pro ſe citant adverſarii . Sed fac eo tempore , quo ſinceri, ac genuini vulgo habebantur libri Recognitionum , & Apoſtolicarum Conſtitutionum S. Clementi Romano aſcripti , & ſimilia quædam ſcripta apocrypha, unde opinio de tribus Jacobis manavit; fac, inquam , Eccleſiam ei opinioni aliquatenus adhæſiſſe , & faviſſe : nunc quidem , immo a multis jam ſæculis illorum librorum fraude retecta , & hac de re a Spiritu S. edocta , Jacobos duos tantum , uti ſupra ſtatuebam , agnoſcit . Probatur id , tum negative , ut aiunt , tum poſitive . Primo modo , quia duorum tantum diem feſtum agit ; eos duos ſolos in ſacris ſupplicationibus invocat , nec niſi eorundem duntaxat duorum in Miſſæ Canone meminit : qui cum antiquiſſimus ſit , idemque ſemper ſancte ſervatus, in eo etiam veteris Eccleſiæ ſenſus apparet. Porro ſi Jacobum Jeroſolymitanum antiſtitem alium putaret ab illis duobus , ejus ſecundo ſaltem loco mentionem faceret, *cum Joanne* , *Stephano*, *Matthia*, *Barnaba*, *Ignatio*, *Alexandro*, *Marcellino* , *Petro* &c. nec ſine cultu, ſine honore, ſine ulla prorſus memoria Domini Fratrem , & *Eccleſiæ columnam* relinqueret . Probatur idem altero modo. Nam in Romano Martyrologio tum ante emendationem , tum poſtea, Jacobos non tantum duos legimus; ſed qui Kalendis Maii , idem & Apoſtolus, & Frater Domini dicitur; atque eſſe ille fertur, qui *e pinna Templi præcipitatus*, *confractis cruribus*, *ac fullonis fuſte in cerebro percuſſus interiit*. Atque hæc ipſa ſunt in ipſius Officii lectionibus : in quibus & illud additur , hunc & Apoſtolum. & Domini Fratrem, & Hieroſolymitanum Epiſcopum auctorem eſſe illius Epiſtolæ , *quæ de ſeptem Catholicis eſt* . De qua Epiſtola Concilium Tridentinum in decreto de Canonicis Scripturis ita loquitur : *Epiſtolæ Petri Apoſtoli duæ* , *Joannis Apoſtoli tres* , *Jacobi Apoſtoli una*, *Judæ Apoſtoli una* &c. Ac ne ambigas de quo Jacobo Apoſtolo loquatur ; de Sacramento extremæ Unctionis , de quo eſt in Epiſtola ulla, ſeſs. 14. cap. 1. hæc habet : *Inſtituta eſt autem ſacra hæc Unctio infirmorum* , *tanquam vere*, *& proprie Sacramentum novi Teſtamenti*, *a Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem* (VI. 13.) *inſinuatum* , *per Jacobum autem Apoſtolum* , *ac Domini Fratrem fidelibus commendatum*, *ac promulgatum*. (Jacob. V. 14. 15.) Quibus duobus Concilii locis Eccleſia non ſolum mentem ſuam nobis aperte declarat, ſed rem ipſam propemodum definit.

Tertio tandem id ipſum probo auctoritate S. S. Patrum. Clemens Alex. lib. 7. Inſtit. hæc habet, in ſecundo hiſt. Eccl. cap. 1. ab Euſebio relata : *Jacobo Juſto*, *& Joanni* , *& Petro Dominus poſt Reſurrectionem ſcientiæ donum impertiit* .

Quod

Quod illi cæteris Apoſtolis; hi vero Septuaginta Diſcipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt. Euſebius vero ipſe ibidem ſtatim ſubjungit de ſuo; vel certe approbat, ac profert, veluti ſuum: *Cæterum duo fuere Jacobi: alter cognomento Juſtus, qui ex Templi faſtigio præcipitatus, & a fullone fuſte percuſſus interiit: alter, qui capite truncatus eſt. Porro Jacobi illius Juſti meminit etiam Paulus ita ſcribens: Alium autem Apoſtolorum vidi neminem* &c. Profecto ſi verba hæc Euſebii non ſunt, ea non intexuiſſet hiſtoriæ ſuæ, ſine ulla exceptione, aut explicatione, ſi non approbaret. Neque dicas, Euſebium hic paulo ante vocare Jacobum *Joſephi filium*. Ut enim diſerte eſt in exemplari Græco, non eum dicit Joſephi fuiſſe filium; ſed Joſephi filium ab aliquibus fuiſſe habitum, & appellatum τῦ Ἰωσὴφ ὠνόμαςο παῖς. Quo quidem ſententiam noſtram confirmat. Joannes Chryſoſtomus homil. 41.] in cap. 22. Matth. ſcribit, *Jacobum Alphæi lapidatum fuiſſe a Judæis; &, propter hoc etiam ipſorum facinus, Jeroſolymam a Romanis everſam fuiſſe*. Quod de Martyre Oſtracinenſi non poteſt intelligi. Recte autem intelligitur de Jacobo fratre Domini; in quem e Templo dejectum, antequam fullonis fuſte conficeretur, magnam vim lapidum a Judæis conjectam fuiſſe ex Egeſippo teſtatur Euſebius lib.2. cap.23. Neque dicas a Chryſoſtomo homil. 33. in cap.9. Math. Jacobum Alphæi *telonarium*: vocari, & Matthæi fratrem haberi. Quid enim ſi Chryſoſtomus putarit Alphæum ex duabus uxoribus duos ſuſcepiſſe liberos; Matthæum ex muliere de tribu Levi, Jacobum vero ex Maria de tribu Juda; Chriſti cognata; quæque deinde nupſerit Cleophæ; aut ſimile aliquid? Nam hic certe poſterior Chryſoſtomi locus obſcurus, & ambiguus, explicari debet ex priore clariſſimo, certiſſimoque. Hieronymus quæ de hoc ſcripſit adverſus Helvid. ſupra relata confirmat lib. comment. in Epiſt. ad Galat. I. 19. *his*, inquit, *contenti eſſe debemus*: & ſimiliter in Matth.XII. 46. Præterea lib. 2. aduer. Pelag. cap.2. hæc habet: *Jacobus Apoſtolus ſcribit: ſi judicas legem*. Et cap. 7. *Jacobus Apoſtolus, ſi quis ait ſervaverit totam legem*. Jacobum Apoſtolum auctorem facit illius epiſtolæ, unde iſta deſumpſit. Ut autem idem docet in libro de ſcriptor. Eccl. auctor ille fuit Jacobus Domini Frater. Idem colligere licet de Auguſtino, qui & primum Hieroſolymæ epiſcopum, Apoſtolum fuiſſe dicit expreſſe lib. 2. cont. Creſcon. cap. 37. & lib. de Fid. & operib. cap. 14. n. 21. *Apoſtolicæ*, inquit, *epiſtolæ Petri*, *Joannis*, *Jacobi*, *Judæ* &c. Immo idem colligere licet de omnibus Patribus, cum epiſtolam illam ab uno ex Apoſtolis ſcriptam exiſtiment omnes. Liquet autem eius auctorem fuiſſe Jacobum Domini Fratrem.

Quod autem adverſarii nobis objiciunt, contra nos eſſe quod ſcripſit Hieronymus in primo Comment. in Iſa. XVII. 5. immo etiam in epiſt. ad Galat. ſub locum paulo ante citatum, verum quidem eſt; ſed animadvertere debuerant, id Hieronymum ibi attigiſſe obiter, non ex inſtituto, ut in lib. cont. Helvid. præterea ſcripſiſſe hoc ex aliorum ſententia, non ex ſua: atque ut fieri ſolet, dum contradicentibus aliquid permittimus, non victi eorum argumentis, ſed tædio diſputandi. Etiam Gregorius Nyſſenus, qui pariter nobis objicitur orat. 2. de Reſur. loqui videtur ex aliena opinione; aut certe eo fundamento nititur, quod Jacobus S. Joſephi filius ex alia uxore fuerit: in quo pariter inſiſtunt alii duo, treſve quos nobis opponunt. Fundamentum autem illud nullum eſſe, compertiſſimum hodie eſt.

Verba Joannis VII. 5. in oppugnatione allata, intelligenda non de omnibus, ſed de aliquibus Chriſti fratribus, ſive propinquis. Vel ſi contendis, intelligenda de omnibus; dicam, Jacobum, & Judam, ſive Taddæum, qui inter Chriſti fratres pariter numeratur Marc. VI. 3. primo quidem dubitaſſe; credidiſſe autem poſtea, quando inter Apoſtolos aſciti ſunt. Concluſiuncula illa, qua nos urgeri putant, nec eſt Chryſoſtomi, neque Chryſoſtomo digna. Sic enim pariter concludi poſſet: *ergo Judas, Chriſti frater non erat unus ex duodecim Apoſtolis*. Quod eſt oppido falſum.

Monumenta, quæ proferunt Bollandiſtæ, mihi quidem hoc certe magni ponderis habent adverſus noſtram ſententiam, quod tantis viris probantur. Cæterum apographa illa Martyrologii veteris ſive Euſe-

bia-

Digitized by Google

biani, ſive Hieronymiani, quibus ipſi plurimum tribuunt; præterquamquod eis, ut monui, anteſtare debet Sacramentarium Gregorii Magni, teſtimoniis expreſſis ipſorummet Euſebii, & Hieronymi optime refelluntur. Quod Jacobus Alphæi Apoſtolus Oſtracinæ in crucem actus pro Chriſto obierit, ante nonum ſæculum auditum non eſt. Primus id memoriæ prodidit Nicetas David Paphlago: ac vel in Apoſtolum tranſtulit, quod de aliquo ex Septuaginta Diſcipulis inaudierat. Euſebius Cæſar. qui hæc diligenter conquiſivit, & Clementis Alex. Egeſippi, & aliorum commentarios ſinceros, atque integros habuit, Martyrii hujus non ſolum non meminit; ſed illud expreſſe monet, quod ſupra retulimus, *Jacobos fuiſſe duos, alterum cognomento Juſtum, qui ex Templi faſtigio præcipitatus, & a fullone fuſte percuſſus interiit: alterum, qui capite truncatus eſt*. De aliis quibuſdam, quæ objici poſſunt, tibi ſatisfacient ex paulo antiquioribus Baronius ad an. Chriſti 63. & Appar. a num. 64. & in Notis ad Martyrolog. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 5. ſect. 4. Cornelius a Lapide Præfat. in Epiſt. Jacobi, & alii; ex recentibus autem Natalis Alexand. hiſt. Eccl. ſæcul. 1. cap. 8. n. 10. Ambroſius Gardeboſc hiſt. Eccl. ſæcul. 1. par. 1. diſſert. 4. q. 2. Nanus Tillemontius Monument. Eccl. tom. 1. in Annot. ad S. Jacobum Min.

Ad octavum hoc primum habendum, Patres in hac quæſtione ferme ex æquo diviſos: Latinorum pleriſque in unicam Mariam Magdalenam conſentientibus; contrario autem Græcorum non paucis plures fuiſſe docentibus: Utrorumque teſtimonia partim retulerunt, partim notarunt Natalis Alex. hiſt. Eccl. 1. ſæcul. diſſert. 17. Propoſ. ult. & Auguſtinus Calmetius peculiari diſſert. in tres Marias. Mitto alios plures. Definienda res eſt ex Eccleſiæ judicio, quam Deus nobis ante ipſos S. S. Patres dedit Scripturarum interpretem. Eccleſia igitur unicam Mariam Magdalenam agnoſcit, ac celebrat: eidemque in ipſius Officio accomodat eos omnes Evangelii locos, qui privatis doctoribus, minus videntibus, rationem dubitandi afferunt, ecquid una fuerit, an vero plures.

Addo, rem hanc ex Scriptura non eſſe ita dubiam, ut etiam ſepoſito Eccleſiæ judicio, etiam Patribus utrique parti omnino æqualiter, ſi ita vis, ſuffragantibus; non videatur eorum probabilior opinio, qui uni mulieri adjudicant, quæ alii pluribus tribuunt. Sic enim legimus Joan. XI. 1. 2. *Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de Caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis ejus (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis, cujus frater Lazarus infirmabatur)* Quo Joannes breviter indicaſſe videtur, quod factum antea fuerat in urbe Naim, & narravit explicite Lucas VII. 37. 38. iis verbis: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*. Eadem res utrobique ſignificata videtur; ibi preſſius, ac ſtrictius, hic aliquando fuſius, & explicatius. Nam certe præter hanc, cujus meminit Lucas, nulla ejuſmodi unctio facta antea fuerat, quo Joannes, cum ea ſcripſit, ſpectare potuerit. Neque dicas, eum ſpectaſſe in unctionem futuram, quam ipſemet deſcribit capite ſequenti ver. 3. In loco autem ſupra citato de hac futura unctione loquutum, tanquam de re præterita, per anticipationem. Id, inquam, ne dixeris; quorſum enim anticiparet Joannes, quod paulo poſt erat clare, & expreſſe dicturus? Quorſum animadverſio illa intra parentheſim (*Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit &c.*) ſi deinde ſuo loco, ut omnes intelligant de qua loquatur, diſerte ſcribit, *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi* &c.? Non hæc figura anticipationis, ſed tautologiæ prorſus inutilis vitium foret. Vide Acta Sanctorum Bollandi ad diem Julii 22. ubi argumentum hoc egregie tractatur, atque hæc ſententia docte, & ſolide propugnatur. Fuit igitur ex Joanne, eadem mulier Marthæ, & Lazari ſoror, & quæ apud Lucam dicitur *in civitate peccatrix*. Quo noſtra ſententia nihil magis arduum habet, & quod a vero magis alienum videatur.

Ut autem fiat hoc credibilius, & componan-

Digitized by Google

ponantur cætera, quæ in oppugnatione notantur; id mihi venit in mentem, quod ait Lucas VII. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix* &c. exponendum paulo aliter, quam vulgo velint interpretes. Non ut ab illis diſcedam in expoſitione ejus nominis *peccatrix*, quod fecit Bernardus Lamy, qui in append. ad comment. in Harmon. Evangel. nomen illud benigne, ac comiter accipit; nec proprio, aut communi intellectu. Diſcedo ab illis in eo verbo *erat*; nec tamen ipſius propria, & communi ſignificatione non utar. Sed cum verbi ſubſtantivi *Sum*, ut omnes norunt, & ad rem pariter ſuam animadvertit Auguſtinus lib. I. quæſt. in Geneſ. q. 139. non ea ſolum ſignificatio ſit, qua quid dicitur *eſſe*, & *exiſtere*; ſed idem etiam valeat, ac *reputor*, *exiſtimor*, & ſimilia; alteram hanc ſignificationem amplector. Sic igitur illud interpretor, *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; mulier, quæ habebatur in civitate peccatrix; & talis quidem habebatur, non ſine cauſa: ſed quia levis, & vana erat & juvenilibus amoribus dedita; quia procul a Fratre, & Sorore, longe a domo paterna, & a patria libere aberrabat; quia etiam a dæmone correpta, obſeſſaque fuerat. Quis autem durum, & ad credendum difficile dicat, hæc in fœminam nobilem cadere potuiſſe: & cum ejuſmodi fuerit; quod Chriſtus Dominus ex illa dæmonem exegerit; quod in ea vitæ prioris odium, novos pietatis ſenſus, novos amores, vere divinos, atque mirabiles excitarit; quod illam etiam itinerum comitem habuerit, ad ſuoſque reduxerit. Hanc puto horum Scripturæ locorum eſſe clavem; id hujus nodi caput. Plura nec res iſta admodum requirit; nec tempus patitur, ac brevitas illa, qua mihi has octo quæſtiones expediendas propoſui.

ENCY-

ENCYCLOPÆDIÆ BIBLICÆ

SPECIMEN IN REBUS PHYSICA, ET MATHEMATICA DIVINÆ SCRIPTURÆ.

COnſtitueram de rebus phyſica, & mathematica divinæ Scripturæ nihil ex hoc loco tradere, propter eas cauſas, quas anno ſuperiore vobis expoſui. Sed cum audierim, pleroſque veſtrum id ægre ferre, quaſi illud omiſerim, quod expectabatur avidius; conſilium mutavi, eorumque, quæ in hoc etiam genere e ſacris Literis erui poſſunt, ſpecimen pariter aliquod vobis exhibere decrevi. Quod quidem ob eas, quas dixi, cauſas, faciam breviſſime, ac duabus diſputationibus tantum: ſic tamen, ut qui ex vobis attentiores, perſpicacioreſque fuerint, his auditis, ad pleniorem, & abſolutiorem utriuſque rei cognitionem per ſe proficere poſſint. Porro in his diſputationibus, exceptis iis, quæ præcipua ſunt, & omnino tenendæ eſſe judico; ut ſyſtema Peripateticum, Terræ quietem, Solis, ac Syderum curſus; de cæteris nihil definio, aut ſtatuo. Multa vobis propono, atque ea fere omnia, quæ mihi Scripturas ſcrutanti occurrerunt. Extra hæc Prolegomena deinde, ſi quando hæc retractabimus, ſeligam ex utraque diſputatione, quæ vobis magis placere, probarique cognovero; eaque magis exculta, perfecta, & perpolita dabo. Hac de cauſa appellandæ viderentur hæ melius, meditationes, cogitationes, ſermocinationeſque Biblicæ; quam diſputationes. Sed quoniam in illis quadripartitum diſputandi ordinem, & ſcholaſticam formam aliqua ex parte ſervavi; nomen etiam diſputationis retinendum duxi. Eſto igitur.

DISPUT. I. PHYSICA.

Utrum ex divina Scriptura, ſtatui poſſit certum aliquod ſyſtema phyſicum; ſeu, quænam ſint prima rerum naturalium principia.

NOn videtur; primo, ut ita dicam a priori: cum nolle Deum inveniri hæc ab hominibus diſerte teſtetur Eccleſiaſtes III. 11. *Mundum tradidit diſputationi eorum: ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*. Et ſcrutari, veſtigareque iſta, *occupationem peſſimam*, vocet I. 13.

Secundo, a poſteriori: cum nihil in hoc genere repertum ſit adhuc, quod plane ſatisfaciat; quamvis ſacri Codices ſint diligenter excuſſi, ac viſi credantur ipſis etiam antiquis philoſophis, & ſapientibus, cum Salomonis, & Academiæ ab ipſo inſtitutæ, ac ſcholis ſeptem inſtructæ, recens adhuc eſſet memoria; & Moyſis traditio nondum interiiſſet, aut corrupta fuiſſet.

Tertio, quia ad Syſtema phyſicum pertinet, in eo explicari, & exponi non modo rerum primordia, & naturam, ſive ſubſtantiam; verum etiam ſpecies, ſeu qualitates, & accidentia quæ Peripatetici nuncupant. Præterea, quid rei

ſit lux; unde maris acceſſus, & receſſus; quæ fontium, & fluviorum origo; & horum ſimilia, de quibus eſt oppido parum, aut nihil, quod cognoſci e ſacris Literis queat.

Sed contra eſt, quod Sapientiæ, quæ, ut habemus Deut. IV. 6. in divinæ Scripturæ intelligentia maxime poſita eſt, *ancillæ* vocantur humanæ diſciplinæ Prov. IX. 3. inter quas & Phyſice eſt. Et quod Sapientia eadem ita de ſe loquens inducitur Eccli. XXIV. 40. &c. *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio; ego quaſi fluvii Dorix, & ſicut aquæ ductus exivi de Paradiſo . . . quoniam doctrinam, quaſi antelucanum illumino omnibus* &c.

Respondeo primum ex ſacris Literis abſolute tenendum Syſtema Peripateticum: non poſſe tamen earum teſtimonio æque probari, quæ in illo docentur de primo, eodemque communi naturalium generationum principio, ſeu de materia. Hac enim in re, quippe cum ſint hac de re in ſacris iiſdem Literis aliqua, quibus Antiperipateticis potius favere, & ſuffragari videantur:

Primam aſſertionis noſtræ partem oſtendere facile eſt. Quod enim in rebus creatis vis, & fœcunditas inſit ad producendum, gignendumque aliquid novi, quod antea nempe non erat; & quod bruta animalia vere vivant, ac ſentiant, ſuoque etiam modo cognoſcant; quæ duo in Peripateticorum Syſtemate præcipua ſunt, in Voluminibus ſacris ſunt adeo clara, & frequentia, ut, qui negare iſta ſibi religioni non ducunt, quid eis ex omnibus rebus, quæ intra naturæ ordinem ſunt, Scripturæ teſtimonio probari poſſit, non videam. Cum præſertim loci illi omnes in hanc ipſam ſententiam, vulgaremque, & obviam ſignificationem accipiantur a Patribus, & ſacris Interpretibus unanimi ſenſu. De primo illa ſunt. Gen. I. 11. *Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram* &c. itemque 29. Et II. Paral. XXXI. 5. *plurimas obtulere primitias filii Iſrael frumenti, vini, & olei, mellis quoque, & omnium, quæ gignit humus*. Itemque alia ſexcenta. De altero autem Gen. I. 20. 21. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis . . . Creavitque Deus Cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem* &c. & 24. *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ* &c. Et Gen. VII. 21. *Conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum . . . . . cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt*. Tum de ſenſu & cognitione animalium, quæ ſcripta ſunt Numer. XXII. 23. 25. 27. de Balaami aſina. Et quod ſupra citatum ex Sap. VII. 20. *naturas animalium, & iras beſtiarum*. Nec non illud Gen. III. 1. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus* Itemque illud Matth. X. 16. *Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes*. Et pariter Prov. VI. 6. *vade ad formicam piger, & conſidera vias ejus* &c. quod etiam XXX. 25. 26. &c. Maxime vero quod eſt Job. XXXVIII. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Et quæ plura de equo XXXIX. 19. 20. &c. *ubi audierit buccinam, dicit: Vah; procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus*. Mitto alia quamplurima, quæ in his ipſis Jobi capitibus, & quæ in Pſalmis, & alibi; quæ quidem ſunt ejuſmodi, ut hac etiam in re uſurpare liceat illud Richardi Victor. lib. I. cap. 2. de Trin. *Domine, ſi hic error eſt*, decepti ſumus non ſolum a ſenſibus, non ab eo ſolum quod experimur de nobis, nec ſolum ab innato mentis acumine, ac perſpicacia, quæ omnia ſenſus, & cognitionis belluarum nobis ſidem faciunt; verum etiam *ſi hic*, inquam, *eſt error*, *a te Domine decepti ſumus*: verbis ſcilicet ipſis, teſtimonioque tuo.

Altera pars aſſertionis intelligenda non eſt de Antiperipateticorum ſyſtemate, quale olim propoſitum a Democrito, ab Anaxagora, ab Epicuro; ſed quale eſt emendatum a Gaſſendo, Maignano, Fabro, aliiſque catholicis philoſophis. Sic autem probatur. Ex Scripturis habemus, quæ initio condidit, & fabricatus eſt Deus, ita prius feciſſe, ut nec aſpectabilia, nec tractabilia forent, ſed omnem effugerent ſen-

Digitized by Google

ſenſum ac mente ſola cernerentur. Tales vero atomos, & individua ponunt Antiperipatetici ſua; ut apud ipſos videre eſt. Porro inter Scripturæ locos, ex quibus id habetur, eſt illud Apoſtoli ad Hebr. XI. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. Sæculorum nomine ſignari docent ſacri interpretes res ipſas ſubjectas tempori. Quod autem *verbo Dei* dicuntur *aptata* commode videtur exponi, ea ſimul compoſita, coagmentata, compacta fuiſſe; cum prius in ſuas partes ſoluta, & vacuis ſpatiis diſcreta, disjunctaque eſſent. Ita igitur de Mundi opificio cogitaſſe videtur Apoſtolus: Deum in hoc infinito inani, ſive in hac immenſitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, quæ ſpatia imaginaria vulgo appellamus, maximam vim innumerabilium atomorum ex nihilo condidiſſe: quæ ſubinde manu ipſa Dei, ſeu motu illis a Deo indito, multiformiter cohæſerint inter ſe, ſic vero eo junctas, & colligatas videri, attrectari, ac cæteris ſenſibus percipi potuiſſe. Eodem modo de eadem Mundi fabrica cogitaſſe videtur Jeſus Siracides; ſic enim ſcripſit Eccli. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Qui *omnia ſimul*, cum ſcriptum ſit Exod. XX. 11. *Sex diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt*; quemadmodum partite, & diſtincte expoſitum eſt in primo Geneſis capite? Scilicet ea ſimul creata ſunt, ex quibus deinde ſex dierum ſpatio perfecta ſunt omnia. Quid ſapiens? Nonne eodem modo ſentire & cogitare videtur cum hoc admirabile opus a ſummo Artifice effictum, conformatumque dicat ex materia, quæ ſub aſpectum non caderet? Sic ille Sap. XI. 18. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa*. Jobus quoque in hanc ipſam ſententiam de prima terræ formatione loqui videtur XXXVIII. 38. *Quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur*. Hebraice etiam expreſſius: *Cum funderet* Deus *pulverem in concretionem, & glebæ cohærerent*. בצקת עפר למוצק ורגבים ידבקו Denique ante omnes docuiſſe videtur id Moyſes. Sic enim initium Geneſis vertunt Septuaginta Interpretes. *In principio creavit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita &c. Incompoſitam* cum dicunt, omnis generis partes ab ea videntur excludere. Talia ſunt vero Antiperipateticorum corpuſcula, quæ individua, & atomi propterea nominantur. Neque hoc ita reddiderunt ex ſola traditione; eadem, aut forſitan major vis ineſt in verbis Hebraicis, quibus uſus eſt Moyſes והארץ היתה תהו ובהו & *terra erat ſolitudo, & inanitas*. In quo quidem veniunt duo Atomiſtarum principia; ideſt, atomi, ſive ſingularia, & ſolitaria corpuſcula; & vacuum, ſive inane. תהו, & בהו ſolitudo, ſive ſolitas, & vacuitas.

Dices, *terram inviſibilem, & incompoſitam*, quæ apud Septuaginta; & *materiam inviſam*, quæ apud Sapientem, eſſe ipſam materiam primam Peripateticam adhuc informem. Verum hoc ſuſtineri non poteſt. Primum quia verba Scripturæ propria ſignificatione ſpolianda non ſunt, niſi prorſus neceſſe ſit. Materia autem Peripatetica informis proprie terra non eſt. Terra erant proprie terræ particulæ, quantumvis minimæ, ante etiam quam ſimul coirent, atque concreſcerent. Deinde quia, ut ex Auguſtino notat Suarez lib. I. de Opere ſex dierum cap. 8. §. 12. Nihil a Deo primo conditum eſt in ſtatu violento, & contra quam exigeret propria ipſius natura. Materiæ autem Peripateticæ ex ſuapte natura repugnat, eſſe ſine ulla forma; vel etiam eſſe cum ſola forma corporis, quam confingunt, atque invehunt aliqui. Tertio quia Gregorius Magnus Lib. 32. Moral. & alii ipſum ſequuti narrationem Moyſis, & illud Eccleſiaſtici ſup. cit. *creavit omnia ſimul* ea ratione conciliant, ut dicant creata eſſe omnia ſimul, *quoad ſubſtantiam*; ſex autem diebus, *quoad ſpecies*, per quas ſenſibus ſubjiciuntur. Quod quam repugnat materiæ Peripateticæ, tam Atomiſticæ congruit. Siquidem hæc in ſuas etiam partes diviſa, ſubſtantia eſt; quæ tamen ſola mente percipitur: ſimul contexta, & apta hábet, ut agat etiam in ſenſus.

Inſtabis; omnia ſimul creata quoad ſubſtantiam: igitur etiam plantæ, etiam belluæ. Excipimus hominis animum, qui ante

te diem ſextum non extitit. Hoc vero diſi eſt; ubi hic Syſtema Peripateticum, quod ex ſacris Literis abſolute ſervandum dicebam? cum ſubſtantiæ ejuſdem ſint omnia, & ſolo particularum diſpoſitu, textuque differant. Ad hæc vero primum reſpondeo: Quid prohibet, particulas illas heterogeneas poni; neque ſpecierum duntaxat trium, quatuorve: ſed quinque, & ſex etiam, ac multo plurium, ſi ita neceſſe ſit, ut ſua rebus varietas, multiplicitas, diverſitas conſtet? At enim quid novi producitur hic? Aut cujus rei fit acceſſio? Præter corpuſculorum collocationem, conjunctionemque, nec ſex illis diebus, nec deinceps inde aliquid extitiſſet, quod primo temporis momento non fuerit. Quod contra tamen Peripatetici ſanciunt, ac vel primum in ſuo ſyſtemate reputant. Verum, parumne eſt, quod ex Scriptura oſtenſum eſt ſupra, produci ſaltem vitæ formam in omnibus animantibus, in plantis, in belluis, in hominibus? Et in his quidem a Deo producitur ex nihilo; in illis vero ex ſemine, ſive ex alio, in quo vis eadem inſit. Ac proinde creari hominis forma, beſtiarum, arborumque gigni, atque edi, ſive educi dicuntur. Aio præterea, ſemina ipſa a viventibus nova produci, quod probant verba Geneſis ſupra relata. Et addo inſuper ſi verum eſt, quod quidem eſt valde probabile, quæ Mixta perfecta appellantur, apte explicari, & intelligi analogia, & ſimilitudine viventium, ſive animantium; ut ſit in illis quoque vis quædam arcana, quæ tales atomos, & talem ipſarum texturam exigat, atque conſervet, ſitque propria eorum forma, & ut ita dicam quaſi anima; ſi, inquam, hoc verum eſt, habent etiam mixta perfecta aliquid novi, quodque antea non erat. Quocirca reſpondeo ſecundo, duplicem diſtinguendam eſſe ſubſtantiam, primam ſcilicet, & ſecundam. Illa eſt materia, & quaſi corpus, hæc forma, & quaſi anima eſt. Prima nec nova generatur, neque interit; neque augetur, neque minuitur; ſed quæ, & quanta eſt a Deo primum condita, perſeverat. Secus vero ſecunda. Elementa, ac mixta imperfecta non habent, fortaſſe niſi primam ſubſtantiam. Cætera vero, atque ea præſertim quæ vivunt, habent etiam ſecundam. His poſitis ad illud Eccleſiaſtici diſco, creatam eſſe ſimul primam omnem ſubſtantiam, & prima etiam ſemina alterius, quæ ex illis ſeminibus in prima rerum effectione, excluſa eductaque eſt aliquo temporis ſpatio; in naturalibus vero generationibus excluditur, educiturque ſpatio majore. Sunt autem ſemina, elementorum particulæ, ſive ipſa corpuſcula; quibus fœcunditas, ſeu vis prolifica indita eſt quaſi ex incubatione ſpiritus Domini juxta illud Gen. 5. *& ſpiritus Dei ferebatur*, ſeu מְרַחֶפֶת incubabat ſuper aquas. Hæc cum ita ſe habeant; cum pluribus, & luculentis Scripturæ teſtimoniis ex una parte conſtet de novis rerum effectionibus, ac generationibus, deque plantarum vita, & brutorum animalium ſenſu; ex altera vero parte de rebus corporeis expreſſa illa ſint, eas ex inviſibilibus viſibiles eſſe factas: elaboratas, aptatas a ſummo Opifice ex materia, que oculorum aciem effugeret quin tamen in eo ſtatu vim pateretur; fuſione, & concretione pulveris formatam eſſe terram; eamque cum primo condita fuit, inviſibilem fuiſſe, & compoſitionis expertem, hoc eſt, particulas fuiſſe omnino ſimplices, & atomas; & his affinia, & conſentanea, quæ diximus; cum, inquam hæc ita ſe habeant, conſequens eſt, ut ex ſacris Literis ſyſtema Peripateticum tenendum, ac cæteris præferendum videatur: ſi modo ea excipiantur, quæ de primo, & communi naturalium generationum principio ſeu de materia ibi vulgo docentur, quibus eædem ſacræ Litteræ vel repugnant, vel certe non favent æqualiter. Quod erat propoſitum.

Reſpondeo deinde, quoniam multa ſunt in hoc genere a multis excogitata, & fabricata ſyſtemata, afferri a me aliud etiam, quod mihi quidem eorum nulli probabilitate ſecundum; ac certe quod ad ipſorum numerum addi poſſe videatur. Excipio ſemper ſyſtema Peripateticum, quod omnium probabiliſſimum cenſeo, & abſolutè tenendum eſſe dixi. Immo ſicut in eo ſyſtemate, quod nuper expoſui, ea omnia, quæ apud Peripateticos præcipua ſunt, ut vitam plantarum, brutorum animantium ſenſum, rerum novarum ſucceſſionem, ac verum exortum; deceſſionem,

ſive

Digitized by Google

ſive interitum veterum; & quæ his conſentanea, ſancte retineo; ab illis autem ad Atomiſtas diſcedo, vel potius diccedi patior, aut non admodum labore, ne diſcedatur in iis, quæ pertinent ad primum, & commune rerum principium; ita in hoc alio ſyſtemate, & ſarta tecta ſervo eadem illa; & de primo ipſo, & communi principio Peripateticis non repugno: tantum quæ ipſi vulgo accidentia abſoluta, & qualitates, Concilium vero Tridentinum Seſ. 13. Can. 2. *ſpecies* appellat, paulo aliter explicanda eſſe cenſui. Quæ tamen diverſitas verbis, ac loquendi modo potius, quam rebus tenetur; nec eſt oppido tanta, quanta primo aſpectu aliquibus fortaſſe videbitur. Id vero ipſum non ſtudio novitatis, aut ſententiæ, & viæ communis faſtidio a me factum eſt; ſed ut experiar, ecquid ſit in hac re, quod adverſariis dari, quoque iis ſatisfieri poſſit. Porro fundamentum habet id pariter in ſacra Scriptura. Ut enim notatum eſt ſupra, illud Eccli. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum*, *creavit omnia ſimul*, ſic explicatur a Patribus, ut res creatæ ſimul omnes extiterint, quoad ſubſtantiam, quæ ſub ſenſus non cadit; partite vero, ac ſex dierum ſpatio, quoad ſpeciem, qua nobis apparent, ac ſenſibus ſubjiciuntur. Quibus conſonat illud Pauli ad Hebræ. XI. 3 quæ ſunt ſubjecta tempori, hoc eſt, quæ & gignuntur, & intereunt, *aptata fuiſſe verbo Dei*; *ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. Quin illa etiam concordant, quæ de duplici Mundo viſibili, & inviſibili ex Scriptura, & Patribus dedi in Clemente Alexandrino, qui dialogus eſt Platonis Chriſtiani, & habet adnexum ſyſtema quoddam metaphyſicum; quod more Platonico affinxi ſcholæ Zeteticæ; primum Hieroſolymis apud Hebræos, deinde Alexandriæ apud Chriſtianos celeberrimæ, & omni ſtudiorum genere florentiſſimæ. Jam porro ſpecies, ſeu qualitates, quibus mediis ſubſtantiæ ſe manifeſtant, ac ſenſus pellunt, dico ſecundum hoc ſyſtema, eſſe atomos, ſive atomorum collectiones, alia, atque alia figura, motu, diſpoſitu, textu. Subſtantiæ vero ipſæ corporeæ ſunt quædam principia, & quaſi ſemina, per ſe quidem ſenſibus omnibus penitus abſcondita; in quibus tamen vis eſt vel producendi atomos illas, ſive particulas, quibus veſtiuntur, & agunt in ſenſus, atque innoteſcunt, vel eas, a Deo ſolo procreatas, ad ſe attrahendi, congregandi, coagmentandi, agitandique, pro diverſa cujuſque ſubſtantiæ natura. At, inquies, in Euchariſtia nonne remanent omnia accidentia, ſeu ſpecies omnes panis, & vini? Ita. Remanent igitur omnes atomi, ſive particulæ panis, & vini. Diſtinguo conſequens, remanent particulæ, texturaque illa, ſecundum id, quod apparet; concedo: ſecundum id, quod ſubeſt, & latet; nego. Sive ita diſtinguo: remanent ſine ſubſtantia panis, & vini; hoc eſt, ſine illa virtute, quæ naturaliter ipſas ſuſtentet, & eo modo configuratas, colligatas, contextas conſervet; concedo: remanent una cum ſecreta, occultaque illa virtute; nego. Inſtabis: illæ particulæ nonne ſubſtantia aliqua ſunt? Denominative tantum, ut aiunt; ab ea nimirum virtute, ſive principio, quod ipſis intrinſecus ineſt. Eo modo, quo crumena plena auro, aurum; & dolium plenum vino, vinum denominantur.

Quæres, in quo materia, in quo forma Peripatetica ſit; quæ ambo in hoc ſyſtemate ſervari, dicebam; ſi atomi omnes, & omnes atomorum collectiones, & omnino id quod ſenſu per ſe proxime percipitur, accidens eſt, ac ſpecies? Quaſi vero novum ſit apud Peripateticos, & inauditum, materiam, & formam ſola mente cerni, ac percipi. Licet præterea dicere in hoc ſyſtemate; quod pariter omnes Peripatetici docent, ex materia formam educi: ex utraque autem hac vi, paſſiva ſcilicet, & activa conflari, componi, & exiſtere principium, ſemen virtutemque illam, quæ atomos vel fundit ex ſe ſe, vel a Deo ſolo productas undique colligit, & aſciſcit. Urgebis hic iterum: at ipſæ atomi materia, aut materiæ partes non ſunt? non ſunt corpuſcula quædam? In hoc ſecundo ſyſtemate, quod nunc propono, materia prima, quam vocant, certe non ſunt. Itaque vel potes in eadem diſtinctione perſiſtere, ut ſint materia, ſint corpus denominative, ex ea virtute, ſive ſubſtantia, qua imbuuntur, continenturque. Vel, ſi tibi religioni non eſt a Peripateticis non ſolum loquendi modo, ſed etiam re ipſa tantillum diſcedere; dicas eas atomos,

mos, ſive particulas eſſe materiam, eſſe corpora ſecundaria tamen, acceſſoria, accidentia, & forte ejuſdem generis indifferentia, communia; ad hoc tantum initio condita a Deo, ut ſubſtantiæ ipſæ corporeæ, quas *ſimul* condiderat, *ex invſibilibus viſibiles fierent*. Quæ res, an in novis rerum generationibus atomi pariter novæ gignantur; pereant veteres: quandoquidem perit rei ſubſtantia, vel tota, ſi virtus illa, quam dixi, eſt una, & ſimplex; vel ex parte, ſi conſtat duplici vi, paſſiva, & activa. Reſpondeo, poſſe utrunque dici: veruntamen ſi a Deo ſolo creatæ ſunt atomi ſub rerum initium, in novis rerum generationibus probabilius manent. Quanquam diverſo imbutæ, ac propemodum animatæ principio, ſive virtute, & ſubſtantia diverſos exhibeant colores, ſapores, odores, ſonos, ac reliqua quæ quoniam recentes philoſophi ad leges motus, & diverſas atomorum figuras, & collocationes omnia referunt; iis ſatisfacere hoc etiam ſyſtema debet: nec a Peripatecis rejici, cum ea retineat, quæ apud ipſos prima, & præcipua. Quod erat propoſitum; exercitationis tamen, ac tentamenti gratia, ut jam præmonui.

Ad primum dicendum eſt, multorum ſententia, neutrum ex duobus illis Eccleſiaſtæ teſtimoniis ad rem præſentem ullo modo ſpectare, ut apud Cornelium a Lapide, ac cæteros interpretes videre poteris. Cæterum etiamſi de rerum naturalium inquiſitione, & ſtudio ibi ſermo eſſet, hoc ut maxime iis efficeretur; res illas divinis Literis non tradi clare, & aperte: & omnino qui in eo ſtudiorum genere verſantur, occupationem habere perquam difficilem, & laborioſam. Hæc duo ex locis nobis objectis in rem noſtram poſſent ad ſummum evinci; ſi de re noſtra ibi ageretur. Neutrum vero ſive aſſertioni, quam hic tuemur, ſive totius Operis noſtri inſtituto adverſatur. Nam de primis rerum cauſis, earumque efficientia ex ſacra Scriptura diſputamus hic probabiliter tantum: & cum in præfatione Operis dixi, & peculiari etiam diſputatione oſtendi, eſſe in ſacris Codicibus *omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ*; ſemper illud adjeci; ac monui, eos ibi theſauros *abſconditos* eſſe: & tum hæc, tum alia plura eſſe inventu difficilia, nec veſtiganda, aut tentanda eſſe omnibus, peculiari pariter alia diſputatione confeci.

At, inquies, theſauri, quos hic quærimus, ſi vere ſunt in ſacris Paginis, tam prorſus latent, ſic abſconditi ſunt; ut inveniri non ſolum non facile, ſed nullo prorſus pacto queant. Sic enim Eccleſiaſtes, *ut non inveniat homo opus* &c. Verum, quid ſi ibi Eccleſiaſtes loquatur, non de mundi opificio, ſed de mundi gubernatione? Non de opere potentiæ, & naturæ; ſed de opere providentiæ, & conſilii? aut certe ad rem præſentem locus ille non faciat? Præterea animadvertendum eſt, quod additur, *ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio, uſque ad finem*. Hoc eſt, ut non penitus, & ex omni parte cognoſcat. Cujus rei ſpem ſane non fecimus. Nec ſolum multo & humilius, & anguſtius Operis noſtri propoſitum eſt; ſed omnino arbitramur huc etiam congruere, & convenienter aptari illud Apoſtoli ad Rom. XII. 3. *Non plus ſapere, quam oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram* ingenii ſcilicet, & luminis ad rerum hujuſmodi cognitionem aliquam aſſequendam. Poſtremo particula *ut* in hoc loco non denotat finem, quo ſpectarit, quemque ſibi propoſuerit Deus, cum *mundum tradidit diſputationi eorum*. Id tantum oſtendit, quod ex re illa eſt conſequutum. Et perinde eſt accipiendum, ac ſi diceretur: *mundum tradidit diſputationi eorum*; ex eoque fit, ac ſequitur, *ut non inveniat homo opus* &c. Ita in illo Pſalm. I. 6. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris*; particula *ut* non ſignificat, eam Davidi fuiſſe cauſam, ſive rationem patrandi peccatum: ſed tantum judicat, id peccato effici, *ut* Deus *juſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum judicarit*. Ejuſdem particulæ eadem fere vis eſt in pluribus locis N. T. ubi hæc, aut ſimilia: *ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam* &c. Matth. I. 22. II. 14. IV. 14. &c. *ut adimplerentur Scripturæ* XXVI. 56. *ut impleantur Scripturæ* Marc. XIV. 49. *ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt* Luc. XXI. 22. *ut ſermo*

Iſaiæ

Digitized by Google

Iſaiæ prophetæ impleretur Joan. XII. 38. & cætera ejuſdem modi. Locus Eccleſiaſtæ ſic explicatus adeo nobis non eſt contrarius, ut potius ſententiam noſtram confirmet. Id enim ferme valebit : Deus tradidit mundum humanis diſputationibus ; permiſit de illo quæri apud philoſophos, & profanos ſcriptores. His autem magiſtris parum, aut nihil profecimus : *non invenit homo opus, quod operatus eſt Deus*. Meliori ſucceſſu hac etiam de re quæſitum fuiſſet in ſacris Libris, ſi in iis perſcrutandis tantundem ſtudii, & laboris impenſum fuiſſet. Profecto, qui negare videtur, hæc inventum iri in ſcholis diſputando ; inventum iri eadem legendo, meditandoque Scripturas, non negat.

Ad ſecundum concedendum eſt, nihil adhuc repertum, quod ſatisfaciat penitus, & ex omni parte : cum in ipſo Peripateticorum ſyſtemate, quod quidem probabilius cæteris eſt, de materia tamen, quæ primum eſt principium corporis, affirmentur aliqua, quæ fortaſſe nec rectæ rationi, nec Scripturæ locis ſupra relatis ſatis, & omni ex parte congruant. Negandum vero quod additur, ſacros Codices quam diligentiſſime excuſſos fuiſſe : cum pauci hæc in ſacris Literis quærant ; pauciſſimi vero quærant, ut oporteret. Illud enim inter cætera plerunque peccatur, quod re præjudicata, & uni partium addicti ad Scripturæ lectionem accedimus ; nec ibi veritatem, ſed ſententiam noſtram exquirimus.

Tandem quod ultimum additur, anti quis philoſophis, & ſapientibus viſos credi Codices ſacros, auditaque quæ extra illos genti ſuæ reliquerant Moyſes, & Salomon, cum adhuc ſincera, atque integra forent ; aſſertionem noſtram plane comprobat. Nam ſi tum Peripatetici, tum qui contra ſunt ex divino fonte hauſerunt, in utrorunque ſyſtemate eſſe aliquid veri neceſſe eſt. Quo probanda eſt maxime ſententia noſtra, quæ medium quoddam ſyſtema conflat ; atque ita Peripateticum recipit, ac defendit ; ut e contrario etiam ſyſtemate aſciſcat, aut ſaltem non reprobet aliquid ; atque id potiſſimum, quod e ſacris Literis, ac veterum Hebræorum doctrina ductum videtur.

Ad tertium dicendum, de omnibus quæ in hac oppugnationis parte quæruntur, diſputationes, diſquiſitioneſque Biblicas ſuo loco, & tempore proprias futuras. Hic modo de rerum duntaxat principiis quæſtionem haberi. Cum qua tamen quia conjunctiſſimæ ſunt quæſtiones de accidentibus, ac de luce ; de his duabus hic etiam nonnihil attingere, neceſſarium duxi. Immo cum pro inſtituto Operis hujus, ex ſacra Scriptura duæ ſint a me propoſitæ viæ, quibus & tuemur quæ potiora ſunt in Peripatetico ſyſtemate ; & ſimul adverſariis remittimus aliquid, quo ipſis, ad ea explicanda, quæ ſenſibus uſurpantur, mathematicorum calculis, ac regulis uti liceat ; id quod in hoc genere illis vel concedimus, vel permittimus ſecunda via, totum eſt de accidentibus. Hæc enim in atomis, earumque figura, diſpoſitione, & motu ibi ponuntur ; & propter hæc omnia, cenſentur rerum ſubſtantiæ, quæ ex ſe inviſibiles ſunt, viſibiles fieri. Difficultas eſſe videtur omnium graviſſima ; quod in hoc ſecundo ſyſtemate illa habeantur accidentium loco, quæ re vera ſubſtantiæ, & corpora ſunt. Verum id duplici reſponſione jam antevertimus. Prima illa eſt : ſunt atomi ſubſtantiæ quædam corporeæ, ſecundum id quod ipſis ſubeſt, quod nos eſſe materiam, & formam Peripateticam diximus ; vel aliquam vim, virtutemque, quæ idem præſtet, quod materia, & forma Peripatetica ; conceditur : ſecundum id, quod apparet, ac ſenſus per ſe proxime attingit ; negatur. Reſponſio altera eſt : ſunt atomi ſubſtantiæ quædam corporeæ ; ſecundariæ tamen, & acceſſoriè, ſive accidentes, & inhærentes veræ ſubſtantiæ, & corpori, quale eſt materia, & forma Peripatetica ; concedi poteſt, vel dari, & permitti. Secus vero ; omnino negandum. Sunt atomi, ut jam ſupra monui ; ſunt atomi, inquam, in hoc ſyſtemate, ad hoc tantum, ut materia, & forma, quæ vera ſubſtantia ſunt, verumque corpus ex inviſibilibus viſibiles fiant : ac proinde atomi ſubſtantiæ, & corpora ſunt, ſi eas ita nuncupare vis, non ſolum ſecundaria, ſed etiam indifferentia, communia, vaga ; quippe quæ pro diverſa vi, & ſubſtantia, quæ illas imbuit, & propemodum animat,

Digitized by Google

ſenſus diverſiſſime afficiunt; & qualitates, ſeu ſpecies ignis propriæ fiunt, quæ fuerant ligni. Niſi velis, ſimul cum veteri forma, interire atomos veteres, edi novas; de quo dictum eſt ſupra. Quod ſi neutra hæc reſponſio placet; & tamen ne des aliquid Atomiſtis non recuſas; habes ſyſtema a me priore loco propoſitum. In hoc vero accidentia non incommode explicantur, & omnino ex Peripateticorum ſententia; quæ quidem hac etiam ex parte probabilior videtur.

Sunt enim accidentia, de quibus hic agitur, quædam corporum affectiones. Aliæ quidem, ut ita dicam, otioſæ, & inertes; ut raritas, & denſitas; lævitas, & aſperitas; mollitudo, & durities, ac ſimilia. Aliæ vero vividæ, & actuoſæ; ut calor, ſonus, odor, vis medicaminum, ac venenorum, & alia plurima ejuſdem modi. Quæ primi generis ſunt, explicationem habent ea quidem quam commodiſſimam ex ſecundo ſyſtemate. Videntur hæc omnia contingere ex diverſa atomorum adhæſione complexione, copulatione, contextu: ut ab atomis ipſis non diſtinguantur, niſi tanquam modus a re. Quæ vero ſunt alterius generis, quamvis, Atomiſtarum pariter more, atque ex ſecundo ſyſtemate noſtro, exponi poſſe videantur, per corpuſculorum effluxus, leges motus, operationeſque mechanicas; ſunt tamen aliqui Scripturæ loci valde luculenti, qui neſcio quid plus videntur exigere: ac rerum naturæ, intimæque ſubſtantiæ aliqua ſuperaddere, quæ Peripatetici qualitates, & identidem qualitates occultas appellitant; in ſacris vero Literis virtutes nuncupantur. Sic Sap. VII. 17. *ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum* & 20. *differentias virgultorum, & virtutes radicum*. Nec non Baruch. VI. 62. *Hæc autem neque ſpeciebus, neque virtutibus uni eorum ſimilia ſunt*. Et alibi pluries. Nec nomen ipſum qualitatis Scriptura reſpuit. Scriptum enim Sap. XIX. 17. *ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur* &c. Nec vero dixeris, non fore in primo ſyſtemate noſtro quid differant qualitas, & ſecunda ſubſtantia, quam pariter diximus, eſſe vim, & virtutem. Hæc enim eſt vis, atque virtus primaria, ſine qua res eſſe nec divinitus poteſt. Quæque, ut in viventibus eſt vere, ac proprie anima, ſeu vitæ forma: ita in iis quæ non vivunt, cujuſmodi ſunt permixta illa, quæ perfecta dicuntur, eſt forma, qua intrinſecus tenentur, atque conſiſtunt; & vocari ipſorum anima metaphorice, & analogice poteſt. Nihil autem horum qualitatibus convenit. Præterea forma ſubſtantialis, ſive apud nos ſecunda, & in animantibus forte etiam tertia ſubſtantia, vis eſt ſtabilis, ac permanens, pertinens ad naturam, cujus pars eſt, & quidem præcipua: qualitates vero ſunt quædam vis mobilis, & quodammodo tranſiens, ac pertinent ad operationem. Sunt enim partim inſtrumenta, & organa; partim facultates efficientiæ, energiæ; partim autem occulti, ſed juges, & perpetui motus, & quaſi conatus tum ad faciendum rei ſenſum, in quo ſit vis ſentiendi; tum ad rem ipſam tuendam, propriorum retentu, utilium attractu, contrariorum repulſu. Forma ſubſtantialis virtus eſt rectrix, ac motrix, quæ tanquam regina, & imperatrix in ſolio reſidet: qualitates vero, quas actuoſas diximus, pro illa aſſidue pugnant; & virtutes vocantur in ſacris Literis, quemadmodum ibi virtutes etiam dicuntur bellicæ copiæ, & exercitus. De luce, quod alterum erat, commentationes ſeu explicationes aliquas afferam; quæ utrique ſyſtemati ſupra propoſito poſſint facile aptari: immo nec ab illis juſte rejici, qui doctrinæ Peripateticæ retinentiſſimi ſint; ac nihil prorſus recentioribus philoſophis indulgendum putent. Quorum ſeveritatem, atque conſtantiam laudo, & approbo. Tamen ut confiteri eos velim eſſe in phyſicis ſæpe Ariſtotelem adeo obſcure locutum; ut iis etiam, qui ipſum ſequuntur, liberum ſit valde inter ſe diverſa, & contraria ſentire. Multum præterea eſſe in hac tota diſciplina quod tribuendum ſit motui. Eſſe motum plurimarum mutationum, ac generationum inſtrumentum præcipuum. Utque illi a vero aberrant, qui hæc omnia ad mechanicæ regulas exigunt, ac Deum naturæ auctorem propemodum geometram faciunt; errantque illi pejus, qui hæc ipſa in rem theologicam invehunt, & divinæ Gratiæ auxilia mechanice exponunt, ac ponderant; ſic e contrario neque aſſentiendum eſſe aliis, qui nihil naturalium effectuum

ad

ad calculum revocari patiuntur; ac Phyſicam a mathematicis everſam, ac prope perditam dolent. Nempe hic etiam; extrema in vitio. Quid ergo de luce? In ea cum multa ſint admiranda, quod magna ſunt, neque in aliis contingunt, & cauſas habent occultas; hoc tamen præcipue notat, & animadverti velle videtur Jobus, ipſius propagationem. Nimirum quam ſubito appareat, & quam etiam ſubito deſit, extincto, vel amoto igne, ſeu corpore luminoſo. Hoc enim eſt quod de via lucis inquirit XXXVIII. 18. 19. *indica mihi, ſi noſti omnia, in qua via lux habitet* &c. & 24. *per quam viam ſpargitur lux* &c. Opinor, habitare, ſeu recipi in æthere; perque ætherem fundi. Hoc igitur primum; Lucem eſſe ajo vel motum, vel qualitatem, ſive accidens abſolutum, vel utrunque productum in æthere ab eo corpore, quod habeat vim, atque efficientiam in ætherem; vim, inquam, & efficientiam ad hoc. Quemadmodum ſonus eſt alterius generis vel motus, vel qualitas, vel utrunque productum in aere ab eo corpore, quod habeat vim, & efficientiam in aerem, vim pariter, atque efficientiam ad hoc. Ita ſcilicet, ut ſi ponatur, & conſervetur ignis a Deo, ubi æther non ſit, ibi minime luceat: quemadmodum ſi quo in loco aeris vacuo pulſaretur cythara, ſonum non ederet. Cum ſit autem æther tenuiſſimus, ac libere omnia permeet; tanto eſt mobilior aere, quanto hic mobilitate vincit aquam. Quo fit, ut tanto ſit velocior propagatio lucis, quam ſoni; quanto citius in aere, quam in aqua impreſſio facta in una parte communicatur cum aliis. Ut igitur, qui motum illum contemplatur, quem in gyrum, ac per circulos alios aliis uſque latiores efficit lapis projectus in aquam; cum eoque conferat, qui certe exiſtit, & pariter quoquoverſus ſe fundit in aere, ex pulſu fidium, aut avium cantu; illum præ hoc tardum dicat; ac ſonum ad aures perferri ſubito credat: ſic, quoniam hac in re æther ad aerem, eſt ut diximus, ſicut aer ad aquam; ſonus luci comparatus videri tardus; atque hæc multo verius dici poſſit oculis ſubito percipi. Idque eo magis, quod lux non in gyrum, ſed recta ad oculos fertur. Quanquam quod vulgo ſumunt Aſtronomi, lumen a corporibus cæleſtibus uſque ad athmoſphæram propagari recta, re vera non demonſtratur. Nam Vvolfius, cujus univerſa aſtronomiæ ratio hinc fere pendet, propagationem hanc ad lineam rectam in Optica non aliter probat, quam quod lumen e feneſtra in oppoſitum parietem, tantulo ſcilicet ſpatio, & per medium denſitatis ejuſdem, recta pervadat. Experimento quidem non ſatis certo, & ad demonſtrandam propagationem rectilineam per tam immenſa intervalla parum idoneo. Videndum ſane, ut alia plura omittamus, an in athmoſphæra ſolari refractio ſit aliqua. Eam athmoſphæram exiſtere, & ultra Terram extendi enixe probat Mairanius, & lumen Zodiacale, quod vocitant; & Auroras Boreales ex ipſa repetit. Nevvton vero lib. 3. ea denſitate illam eſſe vult, ut fumus e Cometis in maxima ſolis vicinia vehementiſſime incenſis attollatur intra ipſam, ac recedat a ſole, caudamque ſoli averſam efficiat. Et uterque Bernoullius in diſſertationibus, quæ ab Acad. Pariſ. anno 1734. præmium retulerunt, ita denſam cenſent, ut ejus actione Planetarum motus, perpetuo immutari arbitrentur. Sed hæc eruditionis cauſa dicta intelligentioribus ſint. Legatur de propagatione lucis Ariſtoteles Problem. 30. quæſt. 1.

Poteſt etiam e ſacris iiſdem Literis alia rei hujus commentatio, explicatioque proferri. Sic enim ibi ſermo eſt de luce, quaſi ſol, ac reliqua luminaria, aut ignes non illam efficiant; ſed ad ipſorum præſentiam illico accurrat, ac præſto adſit, viis ignotis. Hæc eſſe videtur ſententia verborum, quæ ex Jobo proxime attulimus; atque ejus præſertim, *in qua via lux habitet*. Idemque ipſum ex his etiam colligitur: quod lux primo die; luminaria autem quarto condita fuerint; quod antequam ſol exiſteret, lux appellata ſit *Dies* Gen. 1. 5. quod ſol non efficere diem, ſed *diei præeſſe*; ſed *dividere diem a nocte*; ſed *dividere lucem a tenebris*, dicatur ibid. 14. 16. 18. Nec minus id ipſum probat, quod eſt Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & terram*; ſi Cœli nomine ſignificatur etiam empyreum, ac nomine terræ etiam ignis comprehenditur, ut vulgo ſacri interpretes docent. Nondum enim lux erat, & jam

Bb 2 tamen

tamen corpora erant ex iis, quæ vocantur lucida, & erant, ut petit ipſorum natura, non ut eſſe ſine miraculo nequeunt. Quod ex Auguſtino ſancitum eſt ſupra. Tandem notandum eſt, lucem non primo ipſius exortu, ſed poſteaquam facta eſt, a tenebris ſeparatam fuiſſe. Duo ſunt diſtinguenda, & quod lucem fecerit Deus, & quod eam ſegregarit a tenebris, quibus per aliquod ſaltem temporis momentum, involuta, obtectaque fuerat. Ita Gen. 1. 3. 4. *Dixitque Deus, Fiat lux: Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona: & diviſit lucem a tenebris* &c. His argumentis reor id probabiliter poſſe defendi; lucem, non fieri novam, ſed totam jam eſſe factam a Deo. Luminaria vero, ac Deum per ipſa, & cum ipſis non producere lucem; ſeu non facere id, quod initio fecit per primam actionem, cum *dixit*, *Fiat lux*; ſed facere id tantum, quod fecit per ſecundam, cum *diviſit lucem a tenebris*. Ignem ſimiliter, ſeu flammam noctu alicubi accenſam illuminare quidem, non ſic vero ut lucem pariat, ſive producat; ſed ut illam a tenebris eximat. Eximunt autem illam a tenebris, vel quia imprimant aliquem motum in atomos igneas, vel lucidas, quibus a Deo, cum dixit, Fiat lux, perſperſus, refertuſque aer forſitan fuit. Quæ atomi, ſive particulæ, niſi moveantur, non pellant oculos, nec videri ipſæ poſſint, nec rerum aliarum viſioni ſerviant. Vel quia idem ferme faciat in aere corpus lucidum, quod ferrum in ſilice, ſive quod hujus ſimile eſt, quia aerem laxet, qui ſi preſſior, adſtrictiorque fuerit, lucem non retegat; nec multum ab eo aere differat, quem tenebras ſacræ Literæ vocant: *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Gen. 1. 2. Vel quia vi quadam magnetica particulas illas ad ſe attrahat, atque condenſet, & lucis centrum quodammodo fiat; ut prope illam indenſiſſimæ ſint; quo magis autem ab illa diſtant, ut vis illa minuitur, & languet, eo magis rareſcant, vel minus ex aere exiliant, atque emicent. Vel demum alio quopiam modo, quem pro ſe quiſque cogitare poterit.

Addo tertiam explicationem, quæ pariter omni probabilitate non caret. Ajo, lucem ſolis, ac ſyderum quando ſupra horizontem ſe efferunt, non e longinquo, ſed e proximo ad oculum noſtrum perferri; quo mirum non ſit, perferri tam ſubito. Immo vero ajo, lucem, ſeu radios illos vere, & proprie non propagari: ideſt, ut ad oculum noſtrum perveniant, non tranſire per aerem, qui medius eſt, nec, quantumvis celerrime, tractu illo excurrere ad nos. His explicandis hæc hypotheſis eſto. Primo quidem, quod Deus ſub ipſum ſtatim rerum exordium, ac prima ipſa die ampliſſimam quandam lucis ſphæram condiderit, cuiuſmodi eſt illa, quam efficit, vel videtur efficere ſol; quodque illi eoſdem motus impreſſerit, qui peraguntur a ſole: ut eſſent tunc quoque mane, e veſpere; dies. & nox; eademque diviſio, atque vices lucis, & tenebrarum. Hæc enim in primo Geneſis capite habentur expreſſe. Deinde quod quarto die, quardo factus eſt ſol, ſphæra illa lucis deſtructa non ſit. Et profecto non eſt veriſimile, ab Architecto, & Artifice ſapientiſſimo quod principio factum, probatumque fuerat, tertio poſt die deſtructum, & quodammodo reprobatum fuiſſe. Et quod ſex illis diebus, quibus opus feciſſe dicitur Gen. 1. 31. &c. non ædificarit duntaxat, ſed etiam everterit, ac demolitus ſit. Manſit igitur ſphæra illa lucis. & ſuos omnes motus retinuit. Neque ſolum, ut *oriatur*, *& occidat*, ſicuti ſol, *& ad locum ſuum revertatur: ibique renaſcens gyret per Meridiem*, *& flectatur ad Aquilonem* (Eccle. 1. 5. 6.) ſed et am ut una cum ſole, & circa axem ipſi communem ſe vertat ac rotet. Itaque Deus quarto die, cum condidit ſolem, hoc fecit: igneum quoddam corpus compoſuit, quod ſphæræ illius eſſet veluti centrum, eamque lucem perpetuo conſervaret, & circumferret, quam Deus initio fecerat ſolus, ac ſolus itidem toto illo triduo conſervarat. Id quod de ſole dictum, intelligendum eſt etiam de ſtellis; lucem qua præfulgent, & coronatæ ſunt a Deo, triduo ante eſſe factam, & ipſis poſt modum, ut loquitur Gregorius Naz. orat. 43. *a Deo eſſe traditam*, conſervandam ſcilicet, atque agitandam. A qua ſententia nec Baſilius videtur alienus homil 2. in Hexam. Favet etiam Auguſtinus in Geneſ. ut videre eſt apud Bartholomæum

Angli-

Anglicanum lib. 8. cap. 40. Hæc autem ſi vera ſunt; & utcunque ſentiendum ſit de luce primigenia, ſi radii ſolis, ac ſyderum haud quidem ſolidi, ſed tamen ſtabiles ſunt; & ut ſunt tenuiſſimi, aere immoto; una cum ipſis moventur, & circa eoſdem axes volvuntur; facile eſt intelligere, quomodo ſol, uti ſupra dicebam ubi primum naſcitur, ſtatim omnia luce compleat; ejuſque radii nulla extenſione, aut procurſu nobis oculos feriant, ac nullo temporis intervallo ad remotiſſima quæque pertingant. Nam ſi una cum ſole tota lucis, & radiorum ſphæra convolvitur, lux illa. & radii, qui ſole oriente nos primi percutiunt; ſunt illi ipſi, qui paulo ante ſupra nos erant, & nacti liberum cœlum totam ſuam extenſionem habebant: quo fit, ut alius poſt alium ad nos inclinentur, ac nobis omnes in oculos e proximo incidant. Sic currente rota, radius, qui nos ex adverſo petit, cœlo obvertebatur prius. Nec objicias, ex hac hypotheſi de luce ſolis, ac ſyderum permanante, & verſatili conſequens eſſe, & rotæ ipſius exemplo planum fieri, non poſſe prius eorum radios nobis incurrere in oculos, quam ipſorum corpora dimidia parte ſui ſupra horizontem aſcenderint. Quod de ſyderibus dari poteſt: in ſole eſt manifeſte falſum. Dico enim lucem ſolis ejuſmodi eſſe, ut qualibet ſolis pars haberi poſſit pro centro lucis: ita ſcilicet ex parte qualibet radii quoquo verſus exiſtunt, alii ſurſum erecti, alii inclinati, alii horizontaliter, ut Mathematici ajunt, & ad oculum noſtrum protenſi. Atque hæc ſimul ac ſol paulum ſe terris oſtenderit. Ubi vero ſe aliquanto altius attollit, radii alii eodem ordine exiſtunt: & quoniam ſimul ſe in ſe ipſum convertit, ac ſuos ſecum radios circumagit; radii illi, qui antea nos feriebant, ſubinde ſolum verberant; feriunt nos vero, qui prius inclinati erant; inclinantur, qui ſurſum erecti. Explicandæ eſſent eorum refractiones, ac reflexiones: & ut iterum dirigantur, atque explicentur. Dicendum de Luna, & planetis, quibus lux propria non ineſt; & difficultates aliæ explanandæ. Verum de his, & aliis pluribus extra hæc Prolegomena. Illud iterum moneo, commentationes, ac meditationes has eſſe rem pertentantis, atque excutientis, nihil vero de illa definientis.

Addo aliam: lucem eſſe aliquid medium inter corpus, & ſpiritum, eſſe ſubſtantiam tenuiſſimam, florem, ut ſic loquar, totius ſubſtantiæ corporeæ. Eam vero ex corpore igneo, ſeu luminoſo, tanquam ex centro quoquo verſus emitti, & profundi. Quæ duo autem hæc ſententia habere videtur incommoda; alterum ex propagatione. alterum vero ex continuatione, ſeu perennitate lucis; ita illis occurritur. Propagatur lux momento; ſeu verius, ut experimentis compertum eſt, propagatur lux quam velociſſime. Quia quamvis centrum lucis a nobis ſæpe maxime diſtet; nihil interjicitur medium, quod ipſi reſiſtat. Aer, aqua etiam, & corpora ſolida quidem, ſed quæ dicuntur diaphana, ſive pellucida, ſunt ipſi maxime pervia ſeu quod meatus habent directos, qui hujus ſubſtantia licet corporea, talis eſt naturæ, ac ſpiritui, ut dixi, tam proxima; ut corpora ejuſmodi magna ſaltem ex parte ſubire, ac penetrare ſine miraculo queat. Deinde, in quo altera eſt difficultas; tametſi luminare, puta ſol, aut ſydera, tot ſæculis infinitam prope vim lucis effuderint; ea tamen non ſolum exhauſta non eſt; ſed nulla parte imminuta. Sive quod ipſa eadem lux quæ ex illis effluit, eodem recurrat, ac reflaat gyro perpetuo. Quemadmodum contingit in aquis, quæ ad mare, *unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant*. Eccle. I. 7. Sive quod particulæ lucis, vel æthereæ ſubſtantiæ refrigeratæ quidem, & extinctæ, amiſſaque vi, & figura in luminare recidant ſuum: hoc vero intra ſe ipſum, tanquam in fornace, eas iterum incendat, acuat, eodemque motu, atque impetu evibret. Sol *fornacem cuſtodiens in operibus ardoris*. Eccli. XLIII. 3. Excogitari alia plura, ac meditando extundi a ſacris Literis poſſent: ſed hæc mihi viſa ſunt planiora, & probabiliora.

Quod ſi inter hæc ipſa quæratur, quidnam probabilius exiſtimem, & quibus argumentis; reſpondeo, mihi id probabilius videri, lucem eſſe accidens. Quod ipſum tamen pro duplici illo ſyſtemate, quod in hujus diſputationis Reſponſione propoſui, explicari poteſt dupliciter. Primo modo, ut lux ſit qualitas Peripatetica producta, & re-

Digitized by Google

& recepta in ſubſtantia ætherea: hoc eſt, in ſubſtantia, cujus materia prima ſint atomi, forma vero ſit forma ætheris. Secundo modo, cut lux ſit motus particularum ſubtiliſſimarum; quibus particulis ſubſit, incluſaque ſit ſubſtantia ætherea; hoc eſt, materia prima Peripatetica, & forma ætheris. Nam prius ſyſtema, ut vidimus, Peripatetica omnia religioſe tuetur; excepta materia prima, de qua parum laborat, quo pacto explicetur; cum Peripatetici ipſi rigidiores inter ſe de hoc ipſo diſcordent. Poſterius vero ſyſtema, retentis cæteris omnibus, in explicatione duntaxat accidentium innovat aliquid, ſeu verbo, ſeu, niſi improbetur ſapientibus, etiam re, ut planum jam feci, cum de accidentibus locutus ſum, tanquam de ſecundaria quadam ſubſtantia; cujus forma ſit vel motus, atque impetus, vel particularum figura, & diſpoſitio; vel utrunque: materia vero ſint ipſæ particulæ. In quibus tamen particulis dixi ſubeſſe, & latere primariam aliquam, & principalem ſemper ſubſtantiam, quæ per ſecundariam, & acceſſoriam illam; hoc eſt, per accidentia circumveſtiatur, ac ſenſilis ex inſenſili fiat. Hoc autem fixo, lucem eſſe accidens; ſi roges iterum, ex his duabus explicationibus, utra mihi magis probetur; ſecundam, reſpondeo. Probabilius mihi eſt, lucem eſſe motionem, impreſſionemve factam in materia ſubtiliſſima; in materia, inquam, ſecundaria, ſive acceſſoria; qua contineatur & latitet ſubſtantia ætherea: hoc eſt, materia prima Peripatetica, & forma ſubſtantialis ætheris itidem Peripatetica. Argumenta, quibus adducor, ſunt proprietates ipſæ lucis, quæ ſic exponuntur longe commodius. Recenſeo breviſſime aliquas. Prima illa ſit, de qua initio dixi; lucis propagatio, & diffuſio, Nam ſi luminare qualitatem producat in aeris puncto ſibi proximo, & per hoc in alio iſti contiguo, & ſubinde in aliud, atque aliud; non poſſet lux ad terminos remotiores tam celeriter pervenire, & eodem quaſi momento; ſecus vero ſi aeris, vel potius ætheris particula alia aliam premat, ac pellat ſibi conjunctam, & cohærentem. Secunda lucis proprietas eſt, eam moveri, propagarique ad lineam rectam: quod, radiis ſolis, aut facis alterius in obſcurum conclave per aliquam rimam admiſſis, probatur, ut docui ſupra. Porro ſi lux qualitas ſit, cauſa non eſſet, quamobrem quodlibet lucis punctum, intra ſphæram actionis ſuæ non uniformiter agat; cum vis cujuslibet puncti lucis ad omnes ſphæræ ſuæ partes ſe æqualiter habeat. Tertia proprietas eſt, lucem, quo magis recedit a corpore lucido; eo debiliorem, remiſſioremque fieri, & tandem deficere. Si vero cuilibet lucis puncto vis inſit pariendi lucem ſibi conſimilem; actio lucis numqnam deſineret, aut elangueret: cum præſertim luci nulla ſit contraria qualitas. Quarta proprietas, eſt lucis repercuſſio, ſive reflexio. Quæ ſi incurrat in objicem, illico reſilit, ac repercutitur: quanquam id fiat diverſo modo, pro diverſo corporis, ex quo reflectitur, poſitu, ac ſuperficie. Sic copioſius ex pariete albo, quam ex nigro reflectitur. Quinta, reflexionis ordo, & modus, quia anguli, quos vocant, incidentiæ, & reflexionis, ſemper ſunt æquales; ut apparet in ſpeculo, in aqua, aut alia quavis ſuperficie plana, levigataque. Si vero lux eſſet Peripatetica tantummodo qualitas, neutiquam fieret, ut inſtar corporum repelleretur a corpore; & quidem certo ſub angulo. Sexta, reflexionis multiplicitas. Siquidem per diem in omnem partem defertur aliquid luminis reflexu muliplici. Verbi cauſa illabitur in cubiculum, etiamſi illuc ſol radios ſuos immittat directe. Lucem igitur ab objectis corporibus reflexam motum pati, ſicuti corpora, neceſſe eſt, quare non eſt mera qualitas. Septima, lucis refractio, quam nuncupant. Siquidem radius, qui ex uno medio diaphano in aliud penetrat diverſæ denſitatis, non recta pertranſit; ſed eo modo refringitur, quo baculus dimidia ſui parte aquis merſus, fractus apparet. Octava eſt vis ipſa lucis. Hæc enim ope vitri cauſtici in focum coacta fortiter repellit papyrum, aut alia leviora corpora; quo probatur, eam in preſſione ſubtilis alicuius materiæ conſiſtere. Item, quod lux duriſſima etiam corpora, ſive per ſpeculum, ut ajunt uſtorium, ſive per vitrum cauſticum, breviſſimo temporis ſpatio diſſolvat; ut lapides, ferrum, aurum, & ſimilia; quæ vel ſolvuntur in cineres, vel mutantur in vitrum, vel diſperguntur in aerem. Hæc

vero

Digitized by Google

vero tanta efficacitas videtur eſſe non poſſe, niſi in motu, actuque ſubtiliſſimarum particularum, ſeu materiæ tenuiſſimæ, quæ penitus corpora illa pervadat, ileaque disjectet, atque diſſolvat. Mitto alia plura, quæ obſervata ſunt ab eruditiſſimis viris, ut a P. Grimaldo e noſtra Societate, Iſaaco Neuutono, & aliis recentibus philoſophis, quæ apud illos ſtatim reperies. Et his quidem perſuaſum eſt, lucem eſſe ſubſtantiam: ſed, ut mihi videtur, his argumentis plus nihil evincitur, quam quod accidentia, & maxime lux, ex ſecundo ſyſtemate noſtro, vel alio ſimili modo ſint explicanda. Nimirum, ut accidens etiam, quiddam compoſitum ſit: ejuſque forma ſit motus, aut modus aliquis; materia vero ſint particulæ ſubtiliſſimæ. Quibus tamen ſubſit vera rei ſubſtantia; ſine qua eſſe non poſſint, niſi divinitus; ut in Euchariſtia. Quanquam re vera ne ibi quidem ſint, aut conſiſtant ſine ſubſtantia. Nam pro ſubſtantia panis, & vini, quæ tota deficit, ſuccedunt Corpus, & Sanguis Chriſti; quæ ad conſervanda, & continenda accidentia panis, & vini; id ſuppleant, quod præſtat panis, & vini ſubſtantia.

Preſſius adſtringo, & magis definite propono, quæ in hac diſputatione dixi multa, & varia. Ego ſyſtema Peripateticum anteferendum cæteris omnibus cenſeo. Secundum hoc vero mihi venit in mentem probari poſſe hæc duo. Primum, quod rerum corporearum ſubſtantiæ compoſitæ ſint ex duobus; quorum unum ſit virtus, & tanquam anima; hoc eſt, quod per analogiam animæ apte explicetur; & quamvis non ſit proprie ſpiritus, non ſit tamen res ſubjecta ſenſibus. Alterum vero ſit materia, quæ quidem remota ſit, & proxima. Materia remota inviſa ſit, neque cadat ſub ſenſus, & ſint atomi ſolutæ, & diſperſæ. Materia proxima aſpectabilis ſit, nec reliquos ſenſus effugiat; & ſint atomi ſimul aggregatæ colligatæque; non quidem concurſu fortuito, ſed Dei voluntate, & partis alterius, ſive illius quaſi animæ vi, & attractu; quæ ſcilicet atomos undique colligit, ſibique tanquam corpus adjungit, atque aptat; & tanquam corpus itidem movet, atque ſuſtentat.

Secundum vero, quod rerum corporearum ſubſtantiæ, ſive ſimplices ſint, ſive compoſitæ ex duobus principiis, activo, & paſſivo, quæ vocant; ab utroque tamen inviſibiles ſint, neque ullo ſenſu percipi queant. Ex atomis vero accidentia, ſeu ſpecies aſſumant, quibus ſenſus pellant. Differt hoc ſecundum ſyſtema a primo; quod in illo atomi ſunt pars ſubſtantiæ corporeæ, ſunt enim materia. In hoc vero ſunt accidentia, ſive ſunt ſecundaria, & acceſſoria ſubſtantia, ſive ſimplex, ſive compoſita, ut cuique viſum fuerit probabilius. Cavendum vero in hoc ſecundo ſyſtemate, ne in Euchariſtia, in qua remanent ſpecies, ſive accidentia panis, & vini; aliquid etiam panis, & vini ſubſtantiæ remanere videatur. Quod ſane ex dictis caveri facile poteſt: tum quia in hoc ſyſtemate atomi de quibus loquimur, ſubſtantia non ſunt; ſed accidentia, ac ſpecies: tum quia ſi ſunt vere ſubſtantia, non ſunt ſubſtantia panis, & vini; ſed ad illam accedunt, eamque conveſtiunt, ac viſibilem ex inviſibili faciunt: ſubſtantia vero panis, & vini, quæ illis ſubeſt, ideſt, quæ ſubeſt huic ſecundariæ, & acceſſoriæ ſubſtantiæ, tota deſtruitur, tum ſecundum principium activum, tum ſecundum principium paſſivum, ſi tamen compoſita eſt; quod in hoc ſyſtemate non definitur. Verum hæc alienam ſolummodo ſententiam exponendo, quam non probo, exercitationis gratia placuit referre.

D I-

DISPUT. II. MATHEMATICA.

Utrum ex divina Scriptura conſtrui poſſit certum aliquod ſyſtema Aſtronomicum; ſeu ſtabiliri poſſit ſyſtema mundi; & potiſſimum, an Tellus immota ſit.

NOn videtur: primo, quia tametſi multis in locis divinæ Scripturæ expreſſum ſit, terram ſtare, ſolem moveri, ut Eccle. 2. 4. 5. 6. *terra autem in æternum ſtat. Oritur ſol, & occidit: & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem &c.* & ſimiliter Joſ. x. 12. 13. 1. Paral. xv2. 30. Iob. xxxviii. 37. Pſalm. xviii. 6. 7. xcii. 1. cxiii. 5. Eccli. xlvi. 5. xlviii. 26. & aliis pluribus; tamen hæc ſcripta dicere ad vulgi captum, & communem hominum ſenſum: hoc eſt, de re, non ut eſt vere in ſe ipſa, ſed ut nobis apparet; cum res ipſa, quæ mere philoſophica eſt, nec ad Fidem, & mores pertinet; tum etiam Scriptura permittit, quæ in aliis ejuſdem generis rebus ſic pariter loquitur. Lunam enim luminare magnum appellat Gen. 1. 16. quia ſcilicet ita videtur; cum re vera ſit ſtella fere omnium minima. Mundum ſimiliter ad vulgi captum ſex diebus factum perhibet; cum ſit valde probabile, omnia momento eſſe condita.

Secundo, quia interpretationem hanc Copernicanorum Scriptura non ſolum admittit, ac ſuſcipit; ſed partim etiam ſuadet, partim omnino exigit. Suadet, quod Matth. xxiv. 29. rem fore dicit noviſſimi temporis, *virtutes Cœlorum commoveri*. Nunc ergo ſtant, & locum non mutant. Item quod eoſdem fere loquendi modos, quibus ſignificare videtur ſtabilitatem, & immobilitatem terræ, uſurpat etiam de Cœlo, de Sole, de Luna, ac reliquis Cœli luminibus: ut Pſalm. xxxii. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt:* & Pſalm. viii. 4. Prov. viii. 28. Haba. iii. 11. &c. Exigit vero Jobi præſertim xxxvii. 18. ubi ſunt illa: *Tu forſitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt?* Nihil eſt enim, quod minus quam Cœlorum ſoliditas poſſit componi cum Tychonis ſyſtemate, aut alio ſimili; quæ ab iis qui terram ſtare volunt, defendi neceſſe eſt: ut ſyſtemata Riccioli, Honorati Fabri, Caſſini ſenioris, ac cæterorum. Nam ſyſtema Ptolemaicum, quamvis illud ſecuti ſint fere omnes philoſophi, & aſtronomi uſque ad ſæculum xvi. quo floruerunt Copernicus, & Tycho; jam penitus obſolevit, & adverſus accuratiores, acutioreſque Recentiorum obſervationes ſuſtineri nequit.

Tertio, quia locos Scripturæ principio notatos explicandi minus proprie, atque ex Copernicanorum ſententia, præſto eſt efficaciſſima ratio. Et fors adeſt demonſtratio illa, quam a Galileo requirebat ſacra Congregatio Cardinalium. Immo demonſtrationes ſuppetunt fortaſſe plures. Moveri terram, atque unum eſſe ex planetis, noviſſime demonſtravit Keilius Anglus in ſua Introductione ad veram aſtronomiam an. 1718. Oxonii edita. Demonſtravit id autem ex celebri illa Keppleri regula: Sicuti ſe habent quadrata temporum, quibus revolvuntur planetæ; ita ſe habent cubi diſtantiarum, quibus a communi centro remoti ſunt. Nam ſi terra e planetarum eſt numero; ſervat ea quoque exactiſſime univerſalem hanc planetarum omnium legem. Contra vero, ſi loco terræ inter planetas numeres ſolem; is unus ab hac communi lege aberraret; nec quadratum temporis reſponderet cubo diſtantiæ. Quod a natura eſt alienum; quæ in agendi modo analogiam ſervare ſolet. Hunc ipſum terræ motum non multo pariter ante demonſtravit VVolfius in Elementis matheſeos ex minori corporum gravitate ſub Æquatore, & intra Tropicos; & diverſo Horologii oſcillatorii, quod vocitant, motu ſeu vibratione. Demonſtravit Merſennus ex globo tormenti bellici ad perpendiculum ſurſum verſus exploſo; qui vel plane non recidit, vel

reci-

recidit ad Occidentem. Præterea demonſtratio rei hujus, ſi qua eſt alia, illa maxime eſt, quæ petitur ex parallaxi annua ſiderum inerrantium; quæ deprehenſa eſt in ea ſtella, quæ in capite Draconis, ab Hookio; in ſtella Polari a Flamſtedio; in Sirio a Caſſini juniore; in Sirio pariter, & Lyra a Roemero, & Horrebovvio. Omittuntur aliæ vetuſtiores, atque notiores.

Quarto; quia ſi, quas modo indicavi, veræ demonſtrationes non ſunt; multo minus ſe veras demonſtrationes habere, gloriari poſſunt Tichonici. Et omnino ſyſtema terræ moventis præferendum eſt ſyſtemati terræ ſtantis, his ſaltem de cauſis. Primum quod paucioribus ac levioribus premitur difficultatibus; deinde quod explicat fere omnia felicius, atque commodius; quodque planiſſimum, ac ſimpliciſſimum eſt. Cum e contrario qui terram ſtare prætendunt, admittendæ iis ſint non Solis tantum, & Lunæ; ſed plane omnium ſtellarum, cæleſtiumque orbium agitationes, converſioneſque perpetuæ. Neque motus duntaxat celerrimus, & incitatiſſimus, ſupra quam credibile videatur; ſed tam varius, & multiplex, ut nomina ipſa, quibus notatur, atque diſtinguitur, addiſcere ſit operoſum; nec ſane poſſit, niſi in plures cauſas, ac principia referri. Porro e Naturæ inſtituto, & ingenio eſt, quoad ejus fieri poteſt, recta, & compendio agere, ſine ulla ambage, & circuitu. Quemadmodum ipſius pariter eſt agere ordinate: quo pertinere videtur, ut ſole, ac ſtellis prorſus immotis, terra quæ illis eget, & tanto minor, ac præ ipſis ignobilis eſt, torqueat ſe ſe, ac verſet aſſidue; &, pro ut opus habet, modo ad unam, modo ad alteram Cœli plagam acceſſitet.

Quinto; quia Copernicanorum ſententiæ multum etiam ponderis acceſſit extrinſecus. Ita ſummis viris, noſtrorum temporum Aſtronomis fere omnibus probatur, & placet. Immo noviſſime Iſaacus Nevvton eam non ſolum amplexus eſt, ſed ita etiam refinxit, eaque in luce propoſuit; ut contradicere adhuc, & repugnare, ingenii videatur eſſe vel hebetis, vel pertinacis. Profecto ſive ille auctoritate, & nomine ſuo, ſive argumentis hoc perfeciſſe dicatur; de tota iſta re quicquid is docet, inſtar oraculi eſt: recipiunt, atque admirantur omnes. Et jam ea communis eſt perſuaſio, Moyſem, Joſue, Jobum, Davidem, Salomonem, ac cæteros Hagiographos de hoc ſcripſiſſe id, quod apparet; Nevvtonum vero id, quod eſt. Scripſit, ſi aliquos audias, hic etiam, ut ita dicam, divine; eaque, quæ vidiſſe ſupra hominem putent.

Sexto denique; quia, ut detur ex ſacris Literis confici, terram ſtare, circumagi Cœlum; tamen cum non eſt id per ſe ſatis; tum non eſt ibi aliud præterea, quo poſſit aliquod ſyſtema mundi; vel novum condi; vel ita conſtabiliri, ac perfici vetus; ut ex divina Scriptura ductum dici proprie poſſit. Nimirum ibi nec motuum, nec graduum; nec apogei, & perigei; nec longitudinis, & latitudinis; immo neque ſtellarum errantium, & inerrantium, nec diverſæ earum magnitudinis ulla diſtinctio. Solſtitia, æquinoctia, eccliptica, ſignifer, cæteri ſphæræ circuli, atque partes ne nominantur quidem. Abſunt, aut penitus latent, quæ prima, & pervulgata ſunt in aſtronomica diſciplina; nedum ſpes ſit inveniendi, quæ interiora, & reconditiora.

Sed contra eſt locus Sap. VII. 19. ubi ſapientis, qui, ut vidimus in ſuperioribus, divinarum Litterarum ſtudio, & cognitione in primis formandus eſt, hoc etiam eſſe dicitur, *ſcire anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones*. Adde quod eſt Eccle. I. 6. de Sole: *ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem* &c. & quæ plura notata jam ſunt in Oppugnatione, & infra exhibebimus.

Respondeo primum, id eſſe omnino tenendum, ſtare terram, moveri Cœlum, & ſydera. Probatur ex regula interpretandi Scripturam, ab omnibus recepta, & a nobis ſæpe allegata; ne a plano, & proprio divinorum verborum ſenſu diſcedatur, ſine neceſſitate. Quod quidem eſt omnino ſecundum rectam rationem. Nam cæteroqui nihil firmum, nihil non anceps, & contrariis explicationibus obnoxium in ſacris Literis haberemus. Id vero maxime valet in re, de qua Scriptura loquitur tam ſæpe, tam diſerte, ſemper eodem modo; in re, quæ tametſi

Digitized by Google

philoſophica eſt, tamen, ut infra apparebit, cum religione, ac Fide apprime connectitur. Porro nihil eſſe, ſive ab auctoritate, ſive a ratione, quod neceſſitatem ejuſmodi afferat; immo eſſe ab utraque, quod nos in hac peculiari re planam, & propriam divinorum verborum ſententiam relinquere, prohibeat; confutatione objectorum planum fiet. Sequitur igitur, quod modo propoſui.

Respondeo deinde, eſſe in ſacris Litteris, unde explicari facile, & expedite poſſint, quæ in hac tota re magis difficilia, & abſtruſa cenſentur; ut ſunt tot motus tam rapidi, tamque diverſi; ac præſertim eorum proximæ cauſæ. Probatur hoc tripliciter. Seu, tria his explicandis ſyſtemata e ſacris iiſdem Literis affero.

SYSTEMA I.

Primum illud eſt. Sive ipſum Tychonis ſyſtema, ut ab auctore prodiit, defendi poſſe judices; ſive illud aliquatenus corrigas, vel cum Ricciolio, vel cum Caſſini ſeniore; ſive aliud excogites proprium, & tuum, quo tamen terræ quietem, ſolis, ac reliquorum ſiderum curſus retineas; hos omnes Cœli motus in Dei vocem, & imperium proxime referendos exiſtimo. *Ut qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere* (II. Cor. IV. 6.) *Dixitque Deus, Fiat lux. Et facta eſt lux*; (Gen. I. 3.) voce pariter ſua ejus omnes curſus, acceſſus, receſſuſque dirigat. Ut beneficio non ſolum tam inſigni; ſed quotidiano, & perpetuo, & tam ſpeciali modo in nos collato, & devinctiores, ſubjectioreſque ſimus. Scio equidem, quis enim ignoret, aut neget, Dei voce, & voluntate niti omnia, & conſiſtere. *Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia* (Pſalm. XXVIII. 4.) *Vita in voluntate ejus* (Pſalm. XXIX. 6.) Utique rerum omnium quaſi anima, & vita eſt Dei vox, & voluntas. *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax* (Hebr. IV. 12.) *Omnipotens ſermo tuus*. (Sap. XVIII. 15.) Verum hoc ajo: quod cæleſtes orbes moveantur in gyrum, ac ſupra hominum capita ſe rotent aſſidue, tanto ordine, tantaque conſtantia; hoc non habere intrinſecus a ſe ipſis, ſive a propria natura, quæ ita ferat, ac poſtulet: ſed ut De imperio evocati e nihilo, & conditi ſunt; ſic volvi, & circumagi imperio eodem. Deum ſpeciali aliquo modo Cœli motus regendos, & gubernandos ſibi reſervaſſe. Docent id ſacræ Literæ multis in locis. Sic Job. IX. 7. *Qui præcipit ſoli, & non oritur: & ſtellas claudit, quaſi ſubſignaculo*. Et XXXVII. 11. 12. *nubes ſpargunt lumen ſuum. Quæ luſtrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum*. Et XXXVIII. 32. *Numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & Veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis?* Sic Pſalm. CXVIII. 91. *Ordinatione tua perſeverat dies*. Et CXLVI. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Item Eccli. XLIII. 5. *Magnus Dominus, qui fecit illum*, (Solem) *& in ſermonibus ejus feſtinavit iter*. Et Iſa. XL. 26. *qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat*. Et Baruch. III. 33. 34. &c. *Qui emittit lumen, & vadit* &c. *ſtellæ vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus* &c. Et VI. 59. *Sol quidem, & luna, ac ſidera cum ſint ſplendida, & emiſſa ad utilitates, obaudiunt*. Mitto alia plura quam ſimillima. Neque in hoc ſyſtemate locum non habent Mentes, ſive, ut ajunt, Intelligentiæ motrices: cum divinæ voluntatis miniſtri ſint Angeli. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus; miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus*. (Pſalm. CII. 20. 21.) Siquidem, ut proxime monui, unum illud contendo hic; cæleſtium luminarium circumvectiones, ſive circuitus, non in propriam ipſorum naturam, aut ſolum impetum illis ab initio inditum eſſe referendos: ſed in ſuperiorem aliquam vim, quæ illa perpetuo regat, ac verſet; ſive hæc ſit unice Dei juſſio, & voluntas; ſive Angelorum miniſterium adjungere placeat. Quod ipſum ſacræ pariter Litteræ non obſcure ſignificant. Ut ubi Angeli vocantur ſtellæ; aut ſtellis cognitio tribuitur. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina; & jubilarent omnes filii Dei*. Job. XXXVIII. 7. *de Cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, &*

curſu

Digitized by Google

curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt. Jud. v. 20. Item Pſalm. CIII. 19. & CXXXV. 5. Et ubi vocantur militia Cœli, & virtutes cœlorum. *In die illa viſitabit Dominus ſuper militiam Cœli in excelſo: & ſuper reges terræ, qui ſunt ſuper terram*. Iſa. XXIV. 21. Cui conſonat illud Eccli. XLIII. 10. 11. *Species Cœli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus. In verbis Sancti ſtabunt ad judicium, & non deficient in vigiliis ſuis*. Item Pſalm. CXLVIII. 2. 3. *laudate eum omnes virtutes ejus.. Laudate eum Sol, & Luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen*. Et ſimiliter Daniel. III. 59. 61. 62. *Benedicite Cœli Domino... Benedicite omnes virtutes Domini Domino:... Benedicite ſol, & luna Domino... Benedicite ſtellæ Cœli Domino* &c. & IV. 32. *juxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus Cęli, quam in habitatoribus terræ*: Clarius Job. IX. 13. *Deus ... ſub quo curvantur, qui portant Orbem*. Et Apoc. XIX. 17. *Et vidi unum Angelum ſtantem in ſole*. Prorſus ut videatur de hac re dubitari non poſſe. Cum præſertim hæc ſit communis Patrum, & Doctorum interpretatio, & ſententia: de quibus conſule Suarez, Caſtaldum, & alios in tract. de Angelis. Quocirca recentes quidam philoſophi, heterodoxi qui hæc irrident, & Angelos ſupernorum orbium converſionibus a Deo præpoſitos, per jocum cæleſtes Siſyphos vocitant; vereor, ne Patrum, atque adeo Moyſis, & Prophetarum ſcripta, inter poetarum ſomnia, & fabulas habeant. Equidem, ſi mihi probares, quicquid quotidiani, atque annui motus in Cœlo peragitur, id totum cæleſtium corporum eſſe proprium, eorumque naturæ aſcribendum; nec Dei nutu, & concurſu ibi opus eſſe, niſi generali, & communi; haud quaquam tamen Angelorum miniſterium inde excludendum putarem. Quippe. *unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam*, ait Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum q. 76. & Gregorius Magn. 3. Dialogor. cap. 5. *In hoc mundo viſibili nihil, niſi per creaturam viſibilem diſponi poteſt*. Sic pariter Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 4. S. Thomas q. 5. de verit. a. 8. &c.

SYSTEMA II.

Alterum mundi Syſtema in eo maxime nititur, quod præter illos Scripturæ locos, quibus *Virtutes Cęlorum* nuncupantur Angeli; alii ſunt, in quibus eodem loquendi modo virtus, ſeu vis alterius generis ſignificatur. Ut Matth. XXIV. 29. *ſtellæ cadent de Cęlo, & virtutes Cęlorum commovebuntur*. Et Marc. XIII. 25. *& ſtellæ Cęli erunt decidentes, & virtutes quæ in Cęlis ſunt movebuntur*. Item Luc. XXI. 26. *virtutes Cęlorum movebuntur*. Inquirendum, cujuſmodi ſint hæ virtutes.. Hoc primum ſtatuo; eſſe vim illam, qua cæleſtis omnis & motus, & ordo ſervatur.. Quæ duo expreſſa ſunt Jud. v. 20. *ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo*; duoque hæc ipſa nomine concentus complexus eſt Deus Job. XXXVIII. 37. *concentum Cęli quis dormire faciet*? Sæpe vero ſignificantur nomine militiæ: *ut adorent Solem, & Lunam, & omnem militiam Cęli*. Deut. XVII. 3. *& adoraverunt univerſam militiam Cęli*. IV. Reg. XVII. 16. *& erexit aras Baal... & adoravit omnem militiam Cęli, & coluit eam*. XXI. 3. &c. Falli autem mihi videntur ingenioſi quidam Recentiores, qui diverſos inferiorum, ſuperiorumque corporum poſitus, cæleſtemque adeo ipſam harmoniam exiſtere, ſervarique volunt contentione gravitatis, & ponderum. Ita P. Chaſtel e noſtra Societate in eo ſyſtemate quod edidit noviſſime. Ait enim omnia corpora in eo eſſe loco, quo gravitatis ſuæ vi quæque pertinent. Ita quidem, ut ſi permiſcerentur omnia, & in priſtinum chaos redirent: ſuapte tamen ſponte, atque nutu in locum natura ſibi debitum, quem modo tenent, ſe rurſus aſſererent. Neque admodum diverſa docet V. C. Euſebius Amort, ut apud ipſum videre licebit. Ut nihil dicam de lunæ, ſolis, ac reliquorum luminum curſu, quem hi non ſatis explicare videntur: diſpoſitionem, & ordinem, ſeu locum quem obtinent, alio certe ſacræ Literæ referunt. Cœlorum virtutibus ſuſpenſa teneri, ac certis intervallis diſtingui, docent. *Virtutes Cœlorum commovebuntur; virtutes, quæ in Cœlis ſunt movebuntur: ſtellæ cadent de Cœlo; ſtellæ Cœli erunt de-*

cidentes. Et ut additur II. Petr. III. 10. *elementa vero calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur* &c. Fiet re vera, quod fieri cæpiſſe, Phaetonte patris currum agente, fabulati ſunt poetæ. Quid illud Prov. VIII. 28. *quando æthera firmabat ſurſum?* & Job. XXVI. 10. *Terminum circumdedit aquis, uſque dum finiantur lux, & tenebræ*. Et ſimilia plurima. Numquid has Cœlorum virtutes, eſſe dices ſtellarum, ac liquidorum, quibus ſtellæ innatant, majorem, minoremque gravitatem, & niſum ad centrum? Haudquaquam ſane. Sic enim Pſalm. XXXII. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Adde illud Job. XXVI. 13. *Spiritus ejus ornavit Cœlos*. Quæ ſane aliquid longe majus denotant. Itaque vel dicendum eſt, *ſtellas manere in ordine, & curſu ſuo*, ſola Dei voluntate, & Angelorum miniſterio, quod fuit primum ſyſtema;

Vel ſi præterea vis aliquid intrinſecus ipſis ineſſe, unde ſuus cuique conſtet & locus, & motus; notandum eſt, quid de Cœlorum virtutibus ſcriptum ſit loco nuper allato: *& ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Nempe non admodum differt ab eo, quod de hominis Anima ſcriptum eſt Gen. II. 7. *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Non equidem dico, intelligere, aut animata eſſe aſtra. Illa, *qui fecit Cœlos in intellectu*, Pſalm. CXXXV. 5. *Sol cognovit occaſum ſuum*, Pſalm. CIII. 19. & quæ Job. XXXVIII. 7. 12. Baruch. III. 33. 34. 35. &c. aliter explico. Dico tamen ſpiritu oris Domini cæleſtibus corporibus, non animam, ſed quaſi animam eſſe inditam: hoc eſt, eam vim, & virtutem, qua certos curſus, & ordines ſuopte nutu, & natura teneant. At enim, nova, & mira plane ad arbitrium confingimus. Quæ iſta natura, cujus proprietas ſit in orbem, aut ſpiram moveri? Nihil tale apud nos unquam vidimus, aut experti ſumus. Primum, cujuſmodi eſt hoc; ex iis, quæ apud nos ſunt, cæleſtia velle metiri? Deinde, numquid non eſt res noſtra, aut eſt parum nota ac certa circulatio ſanguinis? En igitur apud nos etiam vis aliqua movens in orbem, aut ſpiram; quod requirebas. Dices, ſanguinem animatum non eſſe; extrinſecus a corde protrudi, & propelli; cor vero ipſum, licet ſit vitæ ſedes primaria, externe forſitan pulſu agitari, ſive a ſpiritibus animalibus, ſive a pulmonibus, ſive ab alia ſimili cauſa. Eodem ſcilicet modo exemplum peti potuiſſe ex aquarum, ventorumque circuitu. Cum de illis ſcriptum ſit Eccle. I. 7. *ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant*. De his vero ibid. 6. *luſtrans univerſa in circuitu peragit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur*. Reſpondeo, multorum ſententia ſanguinem informari anima; in eoque vim eſſe illam, qua per totum corpus a corde diffunditur, eoque curſu, & munere functus ad cor ipſum ſe refert. Saltem hoc eſſe verum, ab eo eſſe ſanguinis motum, quod propria virtute movetur. Ut proinde ex ſanguine aptius, quam ex aquis, aut ventis exemplum peti potuerit ad ea declaranda, & comprobanda, quæ de Cœlorum virtutibus nuper dicebam. Cæterum potuit analogia, ſive comparatio ſic etiam inſtitui: ut quemadmodum animalium motus & externus eſt, qui dicitur progreſſionis; & internus, qui dicitur contractionis, & dilatationis, quo cor quidem ſanguinem, pulmo autem ſpiritum attrahunt, & remittunt: ſic etiam aſtrorum ac præſertim planetarum motus ſit & extraneus, quo ab ortu in occaſum rapiuntur; & proprius, quo ab occaſu in ortum ſic tendunt; ut ſimul ab uno ad alterum ex duobus Cœli verticibus, ſeu polis accedant, & recedant. Quæ alternatio, reciprocatioque motum pulmonis, ac cordis quodammodo refert; & audaci quidem, ſed fortaſſe non prorſus inepta, & incongruente metaphora Cœli quædam quaſi ſyſtoles, & diaſtoles appellari poteſt.

At, iterum dices, ſive diſtinguatur in planetis duplex ille motus, proprius ſcilicet, quem acceſſus, & receſſus, ac ſecundum latitudinem dicimus, quo annum, quique ſuum, conficiunt, & motus alienus, qui quotidianus eſt, & motum dicimus raptus, ac ſecundum longitudinem; ſeu, quæ ſimplicior, & expeditior eſt via, ſi velis eos quotidie, uti etiam ſydera omnia, in orbem circumagi, qui in ſe ipſum plane non redeat, ſed aliquantum deflectat, nec circulum, ſed ſpiram deſcribat: utrovis modo rem explices; & quomodocunque comparationem inſti-

inſtituas; ſi verum eſt, aſtra; ſi verum eſt, Cœlum, aut aliquas Cœli partes proprio niſu, & virtute moveri; conſequens eſt, ut aſtra, ut Cœlum, aut Cœli partes aliquæ ſentiant, aut vivant. Negatur, hoc ſequi: Siquidem natura ignis eſt maxime movens: cum propria vi, & facultate agitari, anhelare, & propemodum animam ducere oculis ipſis cernimus. Neque tamen ſentit, aut vivit ignis.

Inſtabis, eſto cauſa tot motuum, quos peragunt aſtra, eſſe poſſit propria illorum natura, aut aliquid a Deo ipſis intrinſecus inditum; at quod hanc, aut illam ætheris regionem inſideant; quod ſuperiora, aut inferiora Cœli ſpatia decurrant; tum ipſorum, tum ætheris, ſive ſubtilis materiæ, a qua ſuſtentantur, diverſæ gravitati tribuendum videri. Reſpondeo, hæc tractantibus primum id eſſe debere, cæleſtium motuum afferre cauſas idoneas, & auctoritati, præſertim ſacræ, & divinæ conſentaneas. Quæ in ſolo graviori, aut leviori ſupernorum corporum ſolidorum, & fluidorum pondere; & omnino in iſto ſyſtemate, quod hic nobis objicitur, eſſe non poſſunt. Quod alterum eſt, de ſedibus, & ſpatiis, quæ occupant vel altioribus, vel terræ proximioribus, ne hoc quidem in eo ſyſtemate ita exponitur, ut auctoritati, & rationi ſatis cohæreat. De auctoritate jam vidimus. De ratione pugnari poteſt ex ipſis. Quippe qui lucem *materialiter ſumptam conſiſtere dicunt in preſſione rectilinea ſubtilis materiæ, ſive ætheris*. Ætherem vero, ſive ſubtilem materiam implere dicunt non ſolum immenſa Cœlorum ſpatia, ſed & pervadere corpora omnia ubique exiſtentia. Sive igitur æther, ſeu materia lucis eſt omnium leviſſima, cur ex ſe fertur, ac penetrat etiam ſub terras? ſive non eſt leviſſima, quid eſt quod ſe altiſſime tollit, & ad ſublimiora Cœli ſpatia pertingit? Præterea, quid eſt quod credi poſſit ſubtilior æthere, & materia lucis; quæ, iſtorum etiam ſententia, omnia corpora pervadit, ac permeat? Nedum poſſit ipſis concedi, ſupra ætherem, qui replet, ac penetrat omnia, quæ ſunt infra lunam, alias ſeptem, aut octo eſſe regiones, plagas, ambitus, atmoſphæras, quarum quæque materiam aliam alia ſibi proxime ſubjecta ſubtiliorem, leviorem que contineat. Et quod quidem eſt durius, & incredibilius, in quaque materia ſuperferri, & ſupernatare propter majorem levitatem aliquod ſydus, quod quidem corpus ſaltem ex parte ſolidum, & communi æthere, ſeu materia lucis pleniſſimum eſt.

Sic ergo exiſtimo, locum ſupra citatum ex Eccle. I. 6. *ſpiritum univerſa luſtrantem in circuitu peragere*; *& in circulos ſuos reverti*, non tam intelligendum de vento, quam de illa virtute, qua *ſol oritur, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem* &c. quoniam prima illa ſententia cum hac ſecunda ab Eccleſiaſte conjungitur. Atque eadem virtute, & ſpiritu puto ſolem, ac reliqua lumina eas Cœli ſedes, altitudineſque ſervare, in quibus primo poſita, ſuſpenſaque ſunt; eaſdemque vias, & ſpatia decurrere. Futurumque adeo in mundi excidio, aliquid ſimile eorum, quæ fieri videmus in animalis interitu. Nam ſicut anima, vel abſcedente, ut in homine; vel penitus deficiente, ut in animalibus brutis; cor, pulmo, ac reliquæ corporis facultates omnino ceſſant, & motus amittunt ſuos; humores, qua poſſunt, pro ſua gravitate ad ima deſcendunt; & cum ipſi, tum totum corpus fit ponderoſius; ita virtutibus iis, quibus cæleſtia corpora ſuſtinentur ſublatis, vel emotis; *ſtellæ Cœli erunt decidentes*; vel, ut loquitur Iſaias XXXIV. 4. *Et tabeſcet omnis militia Cœlorum . . . . & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & de ficu*. Tametſi vero ſimilitudo deſumitur hic ex arbore; & in omnibus ſacris libris multa ſunt de ſtellis, quibus ipſis, cognitio, aut vita ſaltem dari videtur; haudquaquam tamen eas vivere dicimus; quoniam id dicere vetuit in V. Synodo Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum. Atque hoc nobis ſunt *Cœlorum virtutes*: primo quidem Dei vox, & imperium; deinde vero vel Mentes, quas Deus illis præfecit, eaſque extrinſecus agunt, ac verſant; vel aliquid, quod eas intrinſecus moveat: ſive hoc ſit propria ipſarum forma, & natura, quæ hos motus efficiat, aut exigat, atque conſervet;

ſive

ſive ſit vis aliqua interior, & principium iiſdem ſuperadditum, principio vitæ, quod eſt in animantibus, non valde diſſimile. Vel denique ſunt ſimul hæc omnia, Deus, Angeli, virtus interior. Id quod adumbratum, & figura, aut ſymbolo ſignificatum videtur in ea celebri divinæ Gloriæ quadriga, quam ſibi viſam deſcripſit Ezechiel I. & X. Quadriga hæc Cœlum eſt. Nuſquam enim ſe Dei Gloria ſplendidius, & magnificentius circumfert, ac mortalium oculis exhibet. *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Pſalm. XVIII. I. *Altitudinis firmamentum, pulchritudo ejus eſt; ſpecies Cœli in viſione gloriæ*. Eccli. XLIII. I. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti* &c. Ezech. I. 22. *Et vidi, & ecce in firmamento, quod erat ſuper caput Cherubim, quaſi lapis ſapphirus, quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolii, apparuit ſuper ea*. X. I. *Gloria Dei Iſrael erat ſuper ea*. 19. Nec ſolum ibi ſimilitudo, ſeu ſpecies firmamenti; ſed ut Cœlorum figura eſſet expreſſior; illa etiam adduntur: *& aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris: & una ſimilitudo ipſarum quatuor: & aſpectus earum, & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ . . ſtatura quoque erat rotis, & altitudo* &c. *& totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor*. I. 16. 18. & X. 9. 10. 12. Quæ poſtrema deſignant ſtellas, earumque vigilias, de quibus Eccli. XLIII. II. *non deficient in vigiliis ſuis*. Porro in hac figura, ſeu ſymbolo hæc habemus, primo quidem Deum hæc omnia voce regentem, ac ſuſtentantem ſua. *Nam cum fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas. Et ſuper firmamentum . . ſimilitudo throni, & ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper. Et . . . quaſi vox Dei omnipotentis loquentis*. I. 25. 26. X. 5. Habemus prætera Angelos, ſeu Mentes, quæ cæleſtium orbium converſionibus præſunt, & iis advigilant. *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ* &c. I. 19. *Cumque ambularent Cherubim, ibant pariter & rotæ* &c. X. 16. Habemus denique principium motus interius, & ſimilitudinem aliquam vitæ. Sic enim X. 13. *Et rotas iſtas vocavit volubiles, audiente me*. Quaſi ſcilicet volvantur ex ſe ſe, propria natura, aut virtute. Et pariter I. 21. & X. 16. 17. Rotæ *cum* animalibus *euntibus ibant; & cum ſtantibus ſtabant: & cum elevatis a terra pariter elevabantur & rotæ, ſequentes ea: quia ſpiritus vitæ erat in rotis*. Quod ibi ſæpe inculcatur, *ſpiritus vitæ erat in rotis*. Nempe quo verterentur, inerat ipſis aliquid etiam intrinſecus.

SYSTEMA III.

Tertium Syſtema fundamentum habet in ſoliditate Cœlorum: quæ defendi ſi poteſt, cum ſit expreſſe in ſacra Scriptura, nec ſolum Job. XXXVII. 18. ſed etiam Pſalm. CIII. 2. Iſa. XL. 22. XLII. 5. &c. immo etiam Job. XXVI. II. defendi omnino debet. Verum cum rei hujus non una eſſe poſſit explicatio, & defenſio; erit quoque tertii hujus ſyſtematis ratio multiplex. Dicam vero quæ prima, & obvia; atque hæc ipſa planiſſime: tum, ut eadem qua cæpi loquendi forma, & orationis genere pergam; tum ut intelligatis me omnes; ſi qui etiam ex vobis in mathematicis hoſpites ſint, vel ea tantum a limine ſalutarint. Hæc igitur prima hujus ſyſtematis ratio. Terram eſſe ajo prorſus immobilem, ac mundi centrum; uti etiam in ſuperioribus poſui. Quæ vero nobis oſtenduntur e Cœlo, explicanda eſſe non tam duplici motu, proprio ſcilicet, & extraneo; quam motu rerum duarum; ſeu motu rerum duplicis generis: hoc eſt, non tantum ſyderum; ſed viarum ipſarum, quas ſydera, quæque ſuas, quotidie percurrunt. Res erit in ſole planior. Ex Eccle. I. 5. 6. hic eſt ſolis curſus: *oritur, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem*. Porro ſi ſol, poſtquam nobis occubuit, ad locum ſuum, ideſt, ad idem Cœli punctum ſe refert, ibique curſum redintegrat ſuum; qui progredi, & excurrere poteſt vel ad Meridiem, vel ad Aquilonem? Non alia, ut videtur, ratione, niſi quod punctum illud; & quod conſequens eſt, totum ſolis curriculum, quod ex ejuſmodi punctis, & quaſi gradibus conſtat, ad eas Cœli plagas, modo Auſtralem, modo Borealem accedat, ſecumque ſolem ſibi ſemper cohærentem, pro-

Digitized by Google

promoveat. Itaque hæc eſt prima hujus ſyſtematis ratio. Ab ortu in occaſum ſoli proprius eſt motus, atque curſus; una vero eſt orbita, & via. Nimirum quam primum ſignavit eo die, quo conditus fuit, eandem ipſam recurrit quotidie. Hæc autem & ſolida, & mobilis eſt; & inter duos Tropicos gradatim & provehitur, & retrofertur. Quo fit, ut, quamvis hæc via circulus ſit perfectiſſimus & eo temporis puncto, quo ab utroque Tropico æqualiter diſtat, & Æquatori ſubeſt, Æquatori ipſi penitus, & omni parte congruat; ſol vero ab illa nunquam diſcedat, & ad eadem puncta ſe ubique reſtituat; tamen ſolares orbes, ac gyri in ſe ipſos non plane recurrant, & ſpiræ ſint, non circuli. Immo quoniam hæc via, ſive curriculum ſolis non ſolum locum, ut diximus; ſed centrum quoque mutat; & interdum quidem eſt altius, interdum vero depreſſius; hinc apogei, ac perigei denominationes locis planetarum factæ. Quod enim dictum de ſole, aptandum eſt, pro cujuſque modo, reliquis ſtellis. Quare in hoc ſyſtemate non modo Cœlum ſydereum, ſed Cœli etiam planetarum *ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt*. (Job. XXXVII. 18.) Hoc tamen diſcrimine, quod Cœli ſyderei tota ſuperficies ſolida eſt; inferiorem vero unus ille circulus, quem ſolum, ut modo deſcripſi, ac poſui, planeta ſemper decurrit. Sic enim facile eſt explicare, qua ratione planetarum Cœli, etiamſi ſolidiſſimi ſint, non ſibi invicem obſtent; ſed quivis planeta reliquis liberum tranſitum, atque curſum relinquat.

Poteſt hæc ipſa prior hujus ſyſtematis, ſeu commentationis meæ pars, paulo aliter etiam proponi. Ut ſit via ſolis, ſeu potius ut ſoli ſubſit circulus perfectiſſimus, Æquatori uſquequaque cohærens, qui ab utroque Tropico diſtet ex æquo; ibique quotidiana vertigine circa proprium axem, ac centrum volvatur aſſidue ab ortu in occaſum; & horarum viginti quatuor ſpatio, & aliquanto amplius iiſdem Cœli punctis puncta ſui eadem reddat. Huic autem circulo, tanquam annuli caput, linea pariter ſolida tranſverſe inſideat, quæ a Tropico ad Tropicum pertineat; eam vero ſol, tanquam hujus annuli gemma, ſpatio annuo bis totam percurrat. Atque id fere ipſum dicendum de reliquis planetis: ſic vero, ut lineæ tranſverſæ, longiores, brevioreſve ſint, & citius, tardiuſve percurrantur, pro cujuſque modo. Ac proinde motus ſecundum longitudinem ſit circuli, ſive annuli; ſecundum latitudinem autem ſit planetæ. Addo, lineam illam, tractumque tranſverſum, quem planeta perambulat, planum non eſſe, ſed qualem cujuſque planetæ apogeum, perigeumque poſtulat.

Video poſſe mihi objici, facile eſſe ſexcenta iſtiuſmodi cogitare, & componere, ad explicandos tyronibus Solis, ac ſyderum curſus. Eorum hic motuum efficientes cauſas potiſſimum quæri. Has vero aptas, & congruentes afferre, difficillimum eſſe. Quid eſt enim, quod a Tropico ad Tropicum ire, & redire, vel circulum illum, in prima hypotheſi; vel ſolem ipſum, in ſecunda, cogit? Verum hæc etiam expedio breviter. Scimus enim, eſſe in natura vires, quas vocant, magneticas, ſive ſympaticas, aliis corporibus ad ſe allicientibus, atque trahentibus alia. His adde vim centri, quo corpora omnia, quæ ſunt intra terræ atmoſphæram, feruntur pondere ſuo; & ea, quæ obſtant, ſi leviora ſunt, quoad poſſunt, trudunt, ac ſurſum attollunt. Quid igitur ſi *Virtutes Cœlorum*, quarum non ſemel Scriptura meminit, & *ſpiritu oris Domini*, Cœlo additas dicit Pſalm. XXXII. 6. has eſſe interpretemur? Quod Deus corpora cæleſtia centro, neque communi cum terreſtribus, neque forſan immoto, vel unico addixerit. Quod primo Mobili ita ſubjecta, & adnexa ſint cætera; ut ex ipſius converſione exiſtant eorum quotidiani motus, & qui ſecundum longitudinem ſunt. Quod certis quibuſdam vel ſtellis, vel Cœli punctis fixis dominatus ſit in planetas, & vis prope magnetica, qua in illis efficiant motus, ac curſus annuos, ſeu qui ſecundum latitudinem.

Dices, concedi quidem poſſe, nec difficile intelligi, ſolem ita eſſe affectum verbi cauſa erga aliquas ſtellas, quæ ſunt in vertice Boreali, ut dum quotidianis circumvolutionibus nutum, atque impetum primi Mobilis ſequitur; ad eas ſenſim declinet, ac flectat; nec circulos, ſed ſpiras efficiat. Illud, his poſitis, non poſſe intelligi;

Digitized by Google

telligi; in Tropico Cancri ſolem inſiſtere; & cum ad eas ſtellas, quas diximus, propius acceſſerit, ab iis reſilire, ac retrocedere ad plagam oppoſitam. Verum id etiam in hoc ſyſtemate explicatus habet non ita difficiles. Fac enim. eam vim, & poteſtatem in ſolem, quam habent quædam ſydera, quæ ſunt circa polum Arcticum, non ineſſe iis totis, ſed dimidiæ tantum cujuſque parti. Quam partem, ſyderis faciem, ſyderis partem anteriorem, latus dexterum, dexteram ſyderis medietatem mihi hic appellare liceat, ut intelligas. Fac præterea, hæc ſydera, præter eum gyrum, quem circa polum, ſive extremum axem abſolvant unius diei ſpatio; verti quoque; & convolvi in ſe ipſis; ſed adeo lente, ut non niſi unius anni ſpatio peripheriam ſuam totam, ſive omni ex parte ſoli ſe oſtendant. Fac denique æque dominari in Solem, & illi æque ſe oſtendere totidem ſydera, quæ in vertice Auſtrali. Hac tamen alternatione, & viciſſitudine; ut, quando ſydera Borealia ipſi faciem, ſeu dexterum latus obvertunt; ſydera Auſtralia partem averſam, ſeu latus ſiniſtrum objiciant. Et, quando Borealia ab ipſo faciem abſcondere incipiunt; aperire, ac retegere ipſi faciem incipiant Auſtralia. Donec mutentur omnino vices: hoc ſcilicet ordine. In æquinoctio verno ſydera Borealia totam faciem, ſeu dexteran medietatem Soli exhibent; contra vero Auſtralia eam totam partem abſcondunt, partem oppoſitam Soli offerunt. Vice verſa in æquinoctio autumnali Auſtralia faciem ſoli, Borealia tergum oſtendunt. In ſolſtitiis autem tum Borealia, tum Auſtralia partim averſa, partim adverſa ſunt ſoli: hoc eſt, medietatis tum dexteræ, tum ſiniſtræ partes, ſeu portiones æquales illi objiciunt. Quod quidem fit momento temporis: hoc autem diſcrimine, quod momento inſequente, in ſolſtitio quidem æſtivo, ſydera Borealia plus aliquid oſtendunt ſoli de latere ſiniſtro, & parte averſa, quam de latere dextero, & parte anteriori; contra vero Auſtralia. In ſolſtitio autem hyemali Auſtralia ſimiliter plus illi exhibeant de parte averſa, & ſiniſtro latere, quam de parte anteriori, & latere dextero; e contrario autem Borealia. Jam vero ſol ea ſydera ſequitur, & ad illa quotidianos circuitus obliquat, ac torquet, quorum vis prope magnetica prævalet. Prævalet autem eorum, quæ ipſi plus obvertunt faciei, & partis dexteræ, in qua vis illa recidet; quam partis oppoſitæ cujus nulla talis eſt virtus. Quo fit, ut in ſolſtitiis, toto eo tempore, quo, penſatis omnibus, paribus utrinque viribus trahitur, quod quidem tempus breviſſimum eſt, ſol interquieſcat, ac ceſſet ab eo motu, quem ſecundum latitudinem diximus. Deinceps inde autem retro ferri incipiat, ac regredi ad alterum Tropicum: ſed lente per dies plures; quia vires ipſum retrahentes non ita multum prævalent per eos dies. Quod de ſole nunc expoſui, vobis pro veſtro ingenio accomodandum relinquo ad cæteros etiam planetas. Quorum curſus, totamque adeo œconomiam Cœlorum diverſis his ſtellarum aſpectibus in primis regi, perquam probabile arbitror: tum quia videtur hæc etiam commoda interpretatio eorum Scripturæ locorum, in quibus ſermo eſt de Cœlorum virtutibus; tum quia ſtellis omnino plus operæ, ac negotii dandum videtur, quam quod vulgo fertur, & cognitum eſt. Præſertim cum Gen. 1. 18. ſcriptum ſit, eas quoque *præeſſe diei, ac nocti; & dividere lucem, ac tenebras*. Quæ præſtant non tam ipſa per ſe ſe, quam quod Solis, & Lunæ curſus gubernant: quorum proprie, ac proxime eſt diſpenſatio, & adminiſtratio lucis. Imo vero meditationem hanc meam, etiam negata, vel aliter explicata ſoliditate Cœlorum, defendi poſſe puto, & valere: eademque explicari ſubtiliora, ac reconditiora quædam, quæ detecta ſunt ab Aſtronomis recentioribus. Id quod aliquando facere, erit pariter ingenii, diligentiæ, otiique veſtri. Videbitur alicui veſtrum fortaſſe, hic multum dari Nevvtono, cujus ſyſtema totum eſt in hujuſmodi attractionibus, & impetu a Deo Telluri, ac reliquis planetis primitus indito. Verum multum profecto intereſt inter attractiones Nevvtonianas, & noſtras. Ille rem definit mechanice pro menſura diſtantiæ, & quantitate materiæ. Ejuſque ſyſtemati quid obſit, videbimus in confutatione quintæ oppugnationis. Ego autem rem phyſice explico; ſeu potius quo pacto poſſit explicari vobis

bis

bis breviter indico. Nimirum pro diverſa corporum natura, & virtute. De qua virtute vobis legendi Cabeus Philoſoph. Magnet. Kircherius de Magnetico Naturæ regno, Dechales tom. 2. lib. 1. & 2. de Magnet. Grandamicus, Geltruchius, Fabri, & alii etiam recentiores, qui de hoc non ſolum mathematice, ſed phyſice etiam ſcripſerunt; ut Petrus Van-Muſſchenbroek, Euſebius Amort &c.

Altera hujus ſyſtematis ratio, ſive hypotheſis ea eſt. Quotquique planeta quotidianis revolutionibus annum complet ſuum; in ejus planetæ propriis ſedibus, ſeu ſpatiis ipſius curſui deſtinatis, tot ſpiras, tot vias, ſive curricula *ſolidiſſima quaſi ære fuſa*, ab eodem planeta terenda, diſpoſuiſſe, ac ſuſpendiſſe Deum, quarto opificii ſui die. Per eas autem ſpiras, ſeu Cœli tractus & ſolidos, & immobiles ire, & redire planetas, curſu non ſolum perenni, ſed ſtabili etiam, ac fixo, nec unquam variato: ſi tamen unum planetæ annum conferas cum alio ejuſdem anno; ac diem cum die, qui ipſi reſpondeat. In quibus ſi qua apparet mutatio, & diverſitas; in diverſas luminis refractiones, & reflexiones, ac ſpectantium oculos eſt revocanda. Res hæc pariter in Sole eſt declaranda, cujus iter, & viciſſitudines notiores ſunt. In anno ſolari quotidianæ ejus planetæ revolutiones, quas vocant, numerantur ſexaginta quinque ſupra trecentas. Deus igitur in immenſis ætheris ſpatiis ſoli ad curſum conſtitutis lineam quaſi æream duxit, ac flexit in ſpiras trecentas, & ſexaginta quinque, quæ omnes terram ambirent, ac mediam ferme complecterentur, ſemidiametrorum terræ 34000. interiectu, quæ circiter eſt Solis a terra diſtantia. Omnem hanc vero ingentium ſpirarum ſeriem duos inter Tropicos tetendit, firmavitque, duplici ordine; hoc eſt, partem earum percurrendam a Sole, quando a Tropico Capricorni progreditur ad Tropicum Cancri; partem vero, quando a Tropico Cancri retrogreditur ad Tropicum Capricorni. Demum quot & quales ſunt intra anni ſpatium Solis quotidianæ circuitiones; ideſt, quo numero, qua figura, quaque a terra diſtantia; tot, & tales; ideſt, eodem numero, figura, diſtantia, ipſius curſui excipiendo, dirigendoque paratæ ſunt ab initio; & quamvis aciem noſtram effugiant, manent tamen immobiles, quaſi æreæ, aut adamantinæ viæ. Quæres de more, quid ſit, quod Solem, per ea curricula tam celeriter agit, & tam conſtanter. Reſpondeo, Solem dupliciter agi; extrinſecus, & intrinſecus. Cauſa motus exterior vis eſt primi Mobilis ab Oriente in Occidentem ſydera omnia ſecum rapientis. Cauſa interior eſt vis ignea intra Solem incluſa. Nam globi ſolaris ambitum, ſeu ſuperficiem vel ſupremam, vel inferiorem aliquam luci quidem perviam, atque pellucidam, ſed ſolidiſſimam ponimus. Intus autem a Deo inditum dicimus vel ignem, vel aliquid ſimile igni maxime actuoſo; cujuſmodi eſt apud nos ignis accenſus in pulvere pyrio. Quis autem eſt, qui non aliquando viderit, ut igneæ ſagittæ, ſive piroboli innexi funiculo longe protenſo, per illum diſcurrant quam velociſſime; in eoque curſu tamdiu pergant, quoad vel pabulo abſumpto, vel papyraceo plexu, textuque diſrupto, extinguatur ignis? Nec dubium eſt, quin id ipſum facerent aptati alicui ferreo, æreove filo in ampliſſimas ſpiras ſinuato, aut plane in ſe ipſum reflexo. Sol igitur, cum neque ipſius corpus ſolvi, aut dirumpi queat; neque vis, actuſque ignis a Deo in ipſo incluſi, & accenſi, aut pabuli defectu, aut aliam ob cauſam unquam remittat, motum eumdem, atque curſum, quem ſemel cæpit, perpetuo ſervet, neceſſe eſt. Idem vero cum faciant cæteri planetæ, ac ſpiras quiſque ſuas, & quaſi ærea fila percurrat; tanquam a cytharæ chordis ſummo artificio temperatis, atque pulſatis, exiſtit ille concentus, de quo ſcriptum eſt Job. XXXVIII. 37, *concentum Cœli quis dormire faciet?* Iſtorum autem ratio illa eſt, quam ante attigi: motus ita certi, & ſtabiles, uti ſunt motus Cœlorum, certis item, & ſtabilibus debent aſſignari cauſis. Liquidorum agitationes, particulæ coeuntes, & concurrentes ad centrum, in quibus cauſas ſupernorum motuum alii ponunt ſexcenta ſunt, quibus perturbari poſſunt, & aliter ſe habere.

In hoc ipſo Syſtemate de ſoliditate Cœlorum aliæ eſſe poſſunt hypotheſes. Tertia illa ſit: Solem, & lunam, ac ſtellas Cœlo affixas, eſſe re vera; planetas, eos

præſertim, quorum circulationes Cœlorum ſoliditati videntur magis officere, re vera non eſſe; ſed apparere. Cœlos artificio mirabili, & quaſi ad Opticæ leges eſſe conſtructos. Ita diviſum inter lucem, & tenebras; ſic aptatas res, & diſtantias; ut exhibeantur ibi mortalium oculis aliqua, ac præſertim ſolis imagines; velut in quadam, ut ita dicam, camera optica. Quodque apud nos interdum Sol facit in nubibus, ut radiis depingat ſe ſuis; hoc faciat ſupra terræ atmoſphæram, etiam ſtabiliter, certis in locis, certoque gyro. De hac Cœlorum conſtructione admirabili videtur intelligendum præcipue quod eſt Pſalm. cxxxv. 5. *Qui fecit Cœlos in intellectu*. Ac *Cœlorum virtutes*, quas non ſemel Scriptura memorat locis ſup. cit. videntur de hac vi, artificioque optico poſſe etiam intelligi. Præterea huic hypotheſi favent illud Iſa. xxxiv. 4. *tabeſcet omnis militia Cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cœli: & omnis militia eorum defluet* &c. Necnon illud Apoc. vi. 12. 13. *Sol factus eſt niger* &c. *& Cœlum receſſit, ſicut liber involutus* &c. Dei quidem ſcriptio, ac notæ, ſeu litteræ ſunt ſtellæ; ſed in aliquibus ſaltem pingendis, uti ſunt cometæ, & planetæ, ſolis radio, tanquam calamo uti videtur. Illud etiam notandum, Scripturam in his aliiſque locis, in quibus de extremis mundi temporibus agitur, aliter loqui de Sole, & Luna; aliter vero de ſtellis. De Sole, & Luna futurum prædicit, ut obſcurentur, ut colorem mutent, ut lumen non dent. De ſtellis vero, ut cadant, ut defluant de Cœlo; tanquam figuræ opticæ de ſuperficie parietis. De Cœlo autem ipſo, ut recedat, ut complicetur; ſicut liber, in quo amplius ſcribendum non ſit. Hæc ſane hypotheſis nec paucas, nec leves commoditates haberet. Sed opus foret eam adhuc confirmari, explicari, defendi, illuſtrari multis. Veruntamen a me adjici plura, neque locus hic patitur, nec ingenium veſtrum requirit. Hæc autem de telluris quiete, de Solis, ac ſyderum curſu ſic breviter perſtrinxiſſe, aut indicaſſe tantummodo, ad propoſitum ſatis. Itaque.

Ad primum dicendum, neque rem, neque Scripturam Copernicanorum interpretationem pati. Res enim primo poteſt ita ſe habere, uti nos contendimus, & Scripturæ verba intellectu plano, & obvio ſignificant. Poteſt, inquam, ita ſe habere; cum nihil evidens, aut certum, ſive a ratione, ſive ab auctoritate proferant adverſarii. Deinde res eſt, quæ ita ſe habere non ſolum poteſt, ſed etiam videtur; judicio quidem ſenſuum; ſed quod falſitatis convinci, nec ratione, nec auctoritate poſſit. Tertio etſi res ſit philoſophica, neceſſitudinis tamen perquam probabilis vinculo ea, quæ religionis, ac Fidei ſunt, & maxime Incarnationis Myſterium attingit. Etenim ex Copernicano ſyſtemate ſequuntur hæc duo, quæ ipſius defenſores non ſolum admittunt ultro, ſed aliqui eorum enixe etiam propugnant. Primum eſt; terra in eo ſyſtemate unus eſt ex planetis; ac proinde ad ſimilitudinem terræ planetæ reliqui & habitabiles ſunt, & habitantur. Alterum eſt; in eodem ſyſtemate ſtellæ omnes, quas fixas nuncupamus, ſunt totidem veluti ſoles. Quælibet centrum eſt univerſitatis alicujus: & circum ipſam, Solis inſtar immotam, in medioque poſitam, aliquot planetæ, ſive orbes terræ ſimiles, habitabiles pariter, & habitati volvuntur. Quo mundi apud ipſos non ſolum plures, ſed etiam innumerabiles ſunt. Ut autem hæc religionem tangant, nemo non videt. Nam primum, ut lib. de Hæreſ. ait Auguſtinus lxxvii. *Hæreſis dicit, eſſe innumerabiles mundos; ſicut opinati ſunt quidam philoſophi gentium*. Quæri deinde poteſt, tot mundi, eorumque habitatores qua providentia regantur; quæ ſint eorum merita, ac vitæ curſus; quæ ipſis præmia, aut ſupplicia propoſita. Maxime vero, an ex Adamo originem ducant; & ad illos etiam beneficium Redemptionis pertineat. Utrum in eos omnes mundos miſſus ſit Filius Dei; aut qui fieri poſſit, illum erga incolas Terræ hujus tot & tanta amoris ſui documenta edidiſſe; qui pro infinitis aliis aliarum innumerabilium terrarum, ſive orbium incolis nihil fecerit: vel ſi fecit, nullum de hoc indicium, nullum veſtigium, nulla memoria, aut litera ſit in ſacra Scriptura, apud Sanctos Patres, aut ſacros ullos Scriptores. Immo contrarium potius ex his omnibus colligatur, aut etiam ab-

ab illis expreſſe tradatur. Breviſſime: Syſtema Praeadamiticum, quod an. 1652. in Hollandia edidit Iſaac de Peirera, confutarunt Morinus, Natalis Alexander, & alii, ſapientum omnium judicio, non eſt res mere philoſophica: multo igitur minus Syſtema Copernicanum; quod tanto latius patet, & longe pluribus modis, & partibus cum religione connectitur.

Jam quod alterum erat in hac prima oppugnatione, Copernicanorum interpretationem a Scriptura ipſa permitti, id etiam falſum oſtenditur; primum ea univerſali ratione, qua ſupra uſus ſum in prima Reſponſione; nimirum cæteroquin fore, ut aliorum complurium, quæ ſacræ Literæ perhibent, ſit dubia fides; plurimi ſenſus hiſtorici dubii, & incerti; divinum teſtimonium multis in rebus nullius uſus, ac ponderis. Deinde peculiariter: & prius quidem argumento negante, atque eo ipſo quod proxime attigi. Nam Scriptura, quæ ad Chriſti gloriam, dignitatemque pertinent, ac divina ipſius promerita, utique non negligit, ſed recenſet accurate. Cujuſmodi eſt autem, quod ſive cum Chriſtum primogenitum dicit, & omnia per ipſum, & in ipſo; ut Coloſ. I. 15. *qui eſt primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates* &c. itemque Hebr. I. 6. Sive cum eum dicit Regem, & caput hominum, & Angelorum, ut Epheſ. I. 20. *ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in Cæleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem* &c. *& omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*. Et Coloſ. II. 10. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis* &c. Cujuſmodi eſt, inquam, quod in his, & ſimilibus locis non memoret, niſi tantum Angelos, & homines terræ hujus incolas, & choros quidem Angelorum expreſſe nominet; de aliis vero innumeris orbibus, & populis infinitis omnino taceat; cum tamen ad externam Chriſti gloriam, & amplitudinem magnopere intereſſe videatur, ipſius beneficia tanto latius manare, dominatum vero in infinitum proferri, & extendi.

Deinde argumento etiam affirmante; cujus duæ ſunt partes. Prima eſt: Scriptura non poteſt admittere Copernicanorum interpretationem, cum illud diſerte neget, quod ex hac interpretatione conſequi diximus. Negat autem diſerte Act. XVII. 24. 26. verbis illis: *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt . . . fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ* &c. Totius humani generis habitationem ſolis terræ hujus finibus circumſcribit. Atque huc pariter faciunt loci alii, qui contra Præadamiticam fabulam ſolent afferri ut Rom. V. 12. 17. 18. I. Cor. XV. 21. &c.

Altera vero, eaque multo validior, atque efficacior illa eſt: Scriptura non poteſt hanc interpretationem ſuſcipere, quia contrarium præſefert, ac docet ſæpiſſime, diſertiſſime, conſtantiſſime. Quia de hac re ita loquitur, ut ſi verum ſit, terram ſtare, ſolem, ac ſydera moveri; qui velit id ſignificare, non poſſit id facere expreſſius, & aptius. Quia de re hac ita loquitur, ut ſi terram ſtare, ſolem, ac ſydera moveri, verum non ſit; uſurpare hic quoque liceat illud Richardi Victorini: loco ſup. cit. *Domine, ſi error eſt, a te decepti ſumus*. Nam ſi res de qua loqueris, poteſt ita ſe habere, ut a te affirmatur; ſi etiam ita ſe habere videtur, ac quibus loqueris venire vix poſſit in mentem contrarium; ſi præterea res ſit valde gravis, & eorum quibus loqueris magnopere interſit ea in re non errare; his, inquam, poſitis, te illam non ſolum affirmare, ſed aſſeverare, & inculcare verbis clariſſimis, atque planiſſimis, nec ullum indicium, aut ſuſpicionem præbere, alio ſenſu, ac ſignificatione te loqui; cum tamen compertum tibi ſit, rem illam eſſe falſam, & omnino aliter ſe habere; id enimvero eſt inſigniter mentiri, & decipere; & omnino ejuſmodi, ut qui hoc una in re commiſerit, ejus nulla fides, nulla auctoritas ſit in reliquis omnibus. Transfer hæc ad rem noſtram, & divinam Scripturam; haud ſane mirabe0ris, ſi Romanæ Congregationes an. 1616. ſub Paulo V. & an. 1633. ſub Urbano VIII. ſententiam hanc Philolai, & Ariſtarchi philoſophorum veterum, quam Copernicus primo revocavit in lucem, Galileus vero iterum reſtituit, & illu-

ſtravit, *ut minus erroneam in fide*, pronuntiarunt. De quo vide Ricciolium Almageſt. lib. 9. a cap. 36. ad 40.

At enim, Scriptura loquitur aliquando ex vulgi ſenſu, non ex rei veritate: ſeu, loquitur aliquando non ex vero, ſed ex apparenti. Utique; ita eſt. Id tam non negamus, quam non negamus, eandem interdum loqui metaphorice, & figurate. Verum quandocunque ita loquitur, ſemper de hoc certo conſtat; & plerumque ex aliis Scripturæ locis. Sic quod S. Joſephus Chriſti pater appellatus ſit Luc. II. 33. *Et erat pater ejus, & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo*; & pariter 41. & 43. certum eſt, ex Scriptura ipſa Matth. I. 20. Luc. I. 35. &c. certum eſt, inquam, eſſe dictum non ex rei veritate, ſed ex communi eorum, qui de admirabili Chriſti conceptu neſciebant, opinione; non quia verum, ſed quia vulgo exiſtimatum. Nimirum tenenda eſt in utroque Auguſtini regula, ut propriam, & planam ſacrorum verborum ſententiam, ſignificationemque non deſeramus, niſi coacti vel divina ipſa auctoritate, vel evidenti ratione.

Exempla illa duo; quæ extrema oppugnationis hujus parte contra nos proferuntur, potius nobiſcum faciunt. Si enim luminare magnum vocatur in ſacris Literis luna, vere tale eſt; haud quidem mole, ſed lumine: Nam ſecundum ſolem nullum ſydus æque ut luna terras illuminat. Adde argumenta evidentia, quibus nobis compertum eſt, appellationem luminaris magni non poſſe accipi de magnitudine molis. Hanc rerum omnium univerſitatem, quod eſt alterum exemplum nobis objectum, non dierum ſex intervallo, ſed momento fuiſſe conditam, opinio eſt, cui ob id ipſum, quod a proprio, & plano divinorum verborum intellectu diſcedit, ſubſcripſere pauciſſimi. Huc accedit, quod illi opinioni, qui ſacrorum Voluminum loci adverſari, ac repugnare videntur, unus ſaltem ex Patribus inventus eſt, & quidem primi nominis, qualis eſt Auguſtinus, qui eos figurate exponere, & cum illa conciliare ſtuduerit. Contra vero quibus oppugnamus ſyſtema Copernici, nemo eſt Patrum omnium, qui eos aliter explicet. Præterea illud etiam eſt diſpar; quod eſt etiam locus aliquis, in quo ſacræ Literæ Deum *creaſſe omnia ſimul*, diſerte teſtantur. Ita nimirum Eccli. XVIII. I. Terram vero in gyrum ferri, ac ſimilibus motibus agitari, nuſquam in tota Scriptura reperies.

Ad ſecundum: virtutes illæ Cœlorum ſunt ea vis omnis, idem Cœli tenor; ſive eadem cœleſtium motuum ratio, ordo, concentuſque ſervatus. Cœlorum virtutes olim commotum iri, eſt quidam illas nunc ſtare; ſed modo nimirum, captuque ſuo: non ut in præſenti ceſſent; ſed ut conſtanter, & ordinate moveantur, ac moveant. Tunc enimvero ceſſabunt, quando ſcilicet a Deo commotæ, ſive ſublatæ fuerint. Quæ vero ſubinde adducuntur ex Pſ. VIII. 4. Prov. VIII. 28. &c. ibi Cœlorum, ſtellarumque motus non eſſe dicitur nullus; ſed eſſe dicitur ordinatus, certus, ratus, firmus, ſtabilis. Perpetuitatis, perennitatis, conſtantiæ ſignificationes ſunt; non quietis, ſive immobilitatis. Simile eſt illud Pſ. CXVIII. 91. *Ordinatione tua perſeverat dies*. Numquid enim diei non certus, ac determinatus eſt curſus? Non ſuccedit illi nox? Solis, ac lunæ diviſa, alternaque imperia non ſunt?

Cœlorum ſoliditas a Copernicanis præſertim accuratioribus nobis non poteſt opponi; quippe quibus æque, aut magis incommoda, & contraria videtur. Quicunque tamen ea re nos oppugnet; primum eorum defenſionem non probo, qui teſtimonium illud, quod affertur ex Jobi XXXVII. 18. ſolum elevare conantur, ſed videntur etiam negligere, & parvipendere. Etſi enim nec Dei, nec Jobi eſt dictum illud, ſed Eliu; tamen, expenſis omnibus circunſtantiis, magnam habet auctoritatem; & illud ſaltem evincit, ſapientium illius temporis eam fuiſſe ſententiam. Adde præterea alios Scripturæ locos, quibus aliqua certe ſoliditas Cœlis tribuitur. Ut Pſalm. CIII. 2. Iſa. XL. 22. XLII. 5. & Job. XXVI. II. quo in loco Jobus ipſe verba facit.

Ex quibus Scripturæ locis illud ajo ſecundo loco; ſoliditatem cœlorum, ſi recte explicetur, Soli, & planetis omnibus liberum curſum relinquere; eaque omnia facile admittere, quæ a recentibus aſtronomis obſervata ſunt. Quoniam igitur

Cœli

Cœli tres numerantur in ſacris Litteris ex illo II. Cor. XII. 2. 4. *raptum uſque ad tertium Cęlum . . . raptus eſt in Paradiſum*: ac Cœli ſicut tentoria extenſi dicuntur locis proxime notatis; id recte explicaveris, ſi ſolas dixeris Cœlorum ſuperficies, ſeu circumferentias, extremosque ambitus eſſe ſolidos; corpus vero ipſis ſubjectum fluidum eſſe; aerem ſcilicet, & ætherem. Facile eſt autem has tres ſuperficies, ſive extremitates ſolidas ita diſponere; ut cæleſtium motuum rationem, quæ cuique magis probata fuerit, minime turbent. Poterit etiam, uti dictum eſt ſupra, ita res explicari, ut ſeptem ipſi Planetarum Cœli ſolidiſſimi ſint: ſed hi nihil aliud ſint, quàm circuli, ſeu viæ, quas planetæ decurrunt; ipſæ etiam mobiles, ac locum, & centrum mutantes, quemadmodum ſupra indicavi. Sint porro ejuſdem latitudinis, cujus eſt diſcus, ſeu corpus planetæ; ac proinde ingentes veluti faſciæ, ac Zonæ, in orbem explicatæ, & extenſæ. Tertio illud etiam dici poſſe videtur, Cœlos planetarum nihil aliud eſſe, quam cujuſque planetæ atmoſphæram, quæ quidem moveatur una cum ipſo. Hujus vero atmoſphæræ ſuperficiem, extremamque oram, ſeu circumferentiam eſſe *ſolidiſſimam, quaſi ære fuſam*. Nam ſi atmoſphæra telluris, Cœlum vocatur; quidni etiam atmoſphæra planetæ? Si tamen planetis atmoſphæra conceditur. Immo vero ſi atmoſphæræ planetarum ſuperficie ſolida, & quaſi ærea ſunt; talis eſſe facile poteſt atmoſphæra terræ: atque hęc ſuperficies, ſeu gyrus extremus aquas ab aquis fortaſſe diſterminat. De quo difficilis, & valde impedita quęſtio apud Interpretes.

Cęterum inter illa, quę de Cœlorum ſoliditate in tertio ſyſtemate ſupra diſſerui; ut videantur cętera levia, & exercitationis, aut experiundi gratia tantummodo dicta; id tamen grave, & probabile eſt; ac niſi mea ſententia, & proprii inventi amor me admodum fallunt. ſpero etiam poſſe aliis probari quod dixi. *Cœlorum virtutes*, quarum Scriptura meminit, eſſe vim quandam magneticam, virtutemve aliam ſimilem in aliquibus circulis, vel aliis cœli ſyderei partibus ſolidis; aut potius in ſtellis ipſis Cœlo illi affixis inditam, & impreſſam. Has enim pręter communes motus, quibus aguntur omnes ęqualiter, diverſa vertigine dixi in ſemet ipſas convolvi; diverſoque earum aſpectu, attractuque regi planetas, diverſaque altitudine ſuſpendi, ſuſtentarique. Nimirum maxime in hoc eſſe videtur ille *Cœli concentus*, de quo Job. XXXVIII. 37. ut ſtellę ſuo modo regantur a ſtellis, minores a majoribus; errantes ab inerrantibus. Immo in hoc etiam, quemadmodum in aliis pluribus, analogia, & convenientia quędam ſtellarum cum natura intelligente. Ut ſicuti homines gubernantur per homines. & Angeli ſuperiores Angelos inferiores illuminant; ſic ſtellæ aliæ alias moveant; eaſque obſequentes habeant, ibique devinctas. Mitto alia, quæ partim attigi ſupra, partim vobis facile venient in mentem. Illud præcipue, amore, & quodam charitatis mutuæ vinculo, teneri, & conſiſtere omnia. Vere quidem, & proprie, quæ rationalia: metaphorice autem, quæ talia non ſunt; ſi pręſertim vita etiam, ac ſenſu carent; quales ſunt ſtellæ. Hac vero metaphora nihil ſignatur aptius, quam vis illa magnetica, aut virtus alia ſimilis, qua ſtellas invicem necti diximus, & ſuperiores inferioribus dominari. De qua vi, & virtute jam fortaſſe audiſtis in phyſicis; aut etiam legiſtis, ſive apud Cabeum in ipſius *Philoſophia Magnetica*, ſive apud Kircherum in *Magnetico naturæ regno*; ſive apud alios ſupra memoratos. Naturam nos ſecuti ducem terreſtria hęc ad Cœlum transferre non dubitavimus.

Ad tertium dicendum, ratiocinationes illas nihil minus, quam demonſtrationis nomen mereri. Ad primam quod ſpectat; primum regula illa Kepleri, niſi aliquæ exceptiones, ac declarationes addantur, falſa eſt, vel certe demonſtrari nequit. Et D. Maleziu, qui illam demonſtrare conatur, pejus aberrat. Illam enim probat ex diſtantia Saturni a Sole; hęc ipſa vero diſtantia non probatur aliter, quam regula illa. In quo circulus vitioſus. Præterea ſumit, & habet pro certo, quod vires centrifugę (ſic loquuntur) æquales ſint quadrato celeritatis diviſo per diametrum revolutionis, quod eſt omnino falſum. Plura notat philoſophus, & mathematicus nobilis Euſebius Amort Philoſoph. tom. 4. Deinde, fac regulam eſſe ve-

veram ; male adhibetur. Nam ſi vera eſſet, locum duntaxat haberet in illis planetis, qui circa centrum commune volvuntur. Quod in re noſtra non accidit; nec probari poteſt ex analogia naturæ. Addo, Keppleri leges, hoc eſt eam, quæ hic nobis objicitur, & alias duas apud Aſtronomos pervulgatas, etiam Terrę ſtanti aptari poſſe, & congruere. Sic quidem ut Planetæ reliqui primarii circa Solem ferantur in Ellipſibus ; orbitę vero Telluris ſubſtituatur orbita ęqualis, ordine contrario poſita, in qua Sol eo modo Planetarum orbitas circumducat, quo Saturnus, & Juppiter circa Solem circumferunt ſatellites ſuos ; lumen autem a Planeta ad Terram momento temporis propagetur, cujus oppoſitum non demonſtratur.

In aliis tribus argumentationibus quæ primæ iſti adjiciuntur, affertur, cauſa pro cauſa. Et cauſa, ut mihi quidem videtur, accerſita longe, & per vim; pro cauſa obvia, & prompta. Sic, in quo altera ponitur demonſtratio; diverſa corporum gravitas ſub Æquatore, nec idem pendulorum motus, minus commode revocatur in motum telluris. Primum, quia gravitatis imminutio, aut incrementum proportionem non habent cum propinquitate, aut diſtantia Æquatoris. Neque obſervationes cohærent, ac conſonant cum theoria, quam Recentes iſti ſibi conſtituunt. Haud certe apparet ille conſenſus, quem jactat Auctor diſſertationis inſertæ Tranſactionibus Anglicanis an. 1734. Gallice editis. Legatur Nevvtonus propoſ. 20. lib. 3 Editione 2. & Maupertuis opuſc. de Telluris figura. Bradley in Tranſact. Anglican. an. 1733. Deinde, quia hi tanquam fundamento nituntur eo theoremate : Progredientibus ab Æquatore ad Polos incrementum gravitatis eſt quam proxime, ut quadratum ſinus recti latitudinis locorum; ſive ut ſinus verſus latitudinis duplicatæ. (Namque hæc aliter dici vix poſſunt) Id vero non demonſtrant. Tertio, quia non eſt ſatis comperta figura Terræ; &, quod magis refert, eſt valde incerta, nec ubique uniuſmodi, interiorum Terræ partium conformatio, & habitudo. Quare, cum gravitatem ponant in attractione ; hanc vero pro majori, aut minori materiæ quantitate definiant; minime valet, aut ſtat illa ipſorum ratio, Terram ad centrum, quam ad ſuperficiem eſſe denſiorem. Jam vero, Tellure prorſus immota, præſto eſt cauſa, cui multo veroſimilius, atque commodius tribui poſſit variatio illa gravitatis, ac vibrationum in horologii pendulis. Cauſa hæc eſt, primum caloris diverſitas; &, quod conſequens eſt, diverſa temperatio aeris, ac cæterorum huc pertinentium tenor, habituſque diverſus. Quæ quidem thermometro, aut alia ope, & induſtria caveri, aut ſuppleri, quantum neceſſe eſſet, non poſſunt. Sed poſſit hac ex parte provideri ſatis : aer non ſolum ut calidus, vel frigidus; ſed etiam ut ſiccus, vel humidus; ut levis, vel gravis; ut rarus, vel denſus, varietates ejuſmodi poteſt afferre. Multum præterea momenti eſt ad hoc ipſum in aeris agitatione, aut quiete. Porro intra Tropicos propter majorem ætheris motum, & vapores, qui attolluntur a Sole, agitatior eſt aer; eoque impedit actionem gravium ; quæ ibi propterea partem aliquam gravitatis videntur amittere.

Tertia demonſtratio non ſolum hoc peccat, quod falſam exhibet cauſam; verum etiam quod effectum falſo aſtruit. Adſunt enim qui, facto periculo, teſtantur globum illum & ſemper relabi, & non ſemper relabi ad occidentem : ſed modo ad aliam mundi plagam; nimirum, prout, in excuſſione ipſa globi, tormenti inclinatio facta aliqua fuerit. Nam difficile eſt inclinationem prorſus omnem prohibere. Sed detur, exacte, & omnino ad perpendiculum fieri jactum. Quod in os ipſum tormenti pila non redeat, ſi vere illuc non redit; alii quidem in alium, & alium aeris, atque adeo ætheris motum, aſpirationemque referunt: ego in ipſum potius incenſi pulveris impetum, quem in omnem partem æqualem eſſe non puto; nec unquam puto glandem illam ab eo prorſus recta agi, & protrudi. Notatum autem voluiſſem ab iis, qui periculum fecere, ecquid in eam partem globus reciderit, qua incenditur pulvis; an vero ad partem oppoſitam. Conſule Gaſſendum tom. 3. epiſt. 2. de motu impreſſo a motore translato, Dechales tom. 4. tract. 25. lib. 2. De Lanis tom. 1. tract. 3. cap. 2.

Quarta demonſtratio in effectu, & in cauſa

ſa

Digitized by Google

ſa ſimiliter peccat. Effectus valde incertus. Nam differentia quatuor, aut quinque ſecundorum, quæ ſola notant, poteſt obſervatoribus ipſis, & inſtrumentis, uſi quibus ſunt, vitio facile dari. Sane Caſſinus vir acutiſſimus, & accuratiſſimus, qui parallaxim in Sirio ſe deprehendiſſe putabat; re poſtmodum obſervata, & expenſa melius, confeſſus eſt, ſe perperam vidiſſe. Peccant in cauſa. Nam quæ differentia loci apparet in ſtellis, movente Terra ſtantibus vero ipſis; non video cur eadem prorſus apparere nequeat, mutatis tantummodo vicibus, ſtante Terra, ſtellis moventibus. At enim Terra, in Copernicanorum ſententia interdum magis, interdum minus diſtat a ſtellis fixis. Quid ni poſſit id ipſum dici de ſtellis ipſis in ſyſtemate noſtro? Quid ſi ſtellarum, quæ in oppugnatione memorantur, proprius ſit aliquis motus, ac certa periodus; qualis Cycno, Hydræ, Balenæ tribuitur? Quid ſi ſint aliquæ maculæ, ſeu pars lucida, & pars obſcura? Num hæc quoque parallaxim illam, quæ inventa dicitur, non poſſunt efficere? Miror ſane, eſſe aliquos harum rerum intelligentes, qui de hac parallaxi tantopere exultent, & ſibi placeant; qua, ſi etiam veriſſima, & exploratiſſima ſit, nihil tamen promoveant.

Poſtremo illud animadverto, ſi quid nobis objecerint, quod ab ipſis commode, a nobis autem incommode, vel etiam nullo modo explicetur; non continuo id habendum demonſtrationis loco. Niſi ſimul perſpicuum fecerint, rem illam noſtro ſyſtemati prorſus repugnare: ut cauſa, & ratio non ſolum non afferatur; ſed neque poſſit afferri unquam; nec ſolum proxime, ſed neque remote. Addo, id pro ipſis minus valere. Nam nobis favent poſſeſſio tot ſæculorum, teſtimonium Scripturæ, conſenſio ſanctorum Patrum, & ſacrorum Interpretum, Eccleſiæ ſuffragium, quorum nihil eſt ab illis. Cæterum nobis nihil hactenus objecere, de quo ipſis ſatisfactum non ſit, & multo quidem planius, ac felicius; quam de aliquibus ſatisfecerint ipſi nobis. Legantur Ricciolius Almag. lib. 9. ſect. 4. quæ quampluribus capitibus continetur; ubi rem totam excutit quam diligentiſſime & momentis omnibus ponderat. Item Honoratus Fabri Phyſ. tom. 4. tract. 8. lib. 3. Amort tom. 3. & 4. &c. De Gamaches Aſtronom: Phyſ. &c. Prætereo antiquiores, ut Joannem Bapt. Morinum, Scheinerium, Fromondum, Claramontium, Tychonem ipſum &c.

Ad quartum; non equidem pugno argumentis illis, quæ afferunt Scriptores hi proxime laudati, rem noſtram demonſtrari omnino evidenter. Nego eſſe illa vel pauciora, vel minus ſolida, & efficacia, quam argumenta contraria. Ut, etiam ſepoſita auctoritate, ſententia noſtra defendi commode ratione vel ſola poſſit. Auctoritate vero accedente, defendi omnino debeat.

Quapropter nego etiam, quod in oppugnatione primum additur, Copernici ſententiam paucioribus, ac levioribus, difficultatibus premi. Nam certe argumenta, quæ apud Scriptores proxime memoratos leguntur, difficultate non carent. Ineſt ſua cuique, ac plerunque graviſſima. Ex pluribus unam hic expono, ac perſequor. In ſententia Copernici diſtantia firmamenti eſſet plane incredibilis, ac prope infinita. Siquidem habito reſpectu ad firmamentum non modo orbis terræ, non modo orbis ipſe ſolis, qui tanto major eſt terra; verum etiam totus ille ambitus, ſeu gyrus, quem integro anni curſu conficit Sol, eſſet inſtar puncti, cujus nulla dimenſio ſit, nullæ partes. Quamvis enim Tellus, in eo ſyſtemate tota ipſa iſtius ambitus, ſeu gyri diametro; ad quamque Firmamenti, ſeu Cœli ſyderei partem quotannis propius accedat, ac ſtellis quibuſque vicinior fiat, eæ tamen nunquam nobis majores apparent; non ſolum ad oculum nudum, & inermem, ſed optimis etiam teleſcopiis inſtructum. Nec viri doctiſſimi, ac diligentiſſimi repetitis diverſis in locis obſervationibus parallaxim in eis ullam reperire potuerunt. Quo recole, quæ ſupra diximus de D. Caſſino. Porro qui de hoc ſpatio, ſive orbe annui curſus moderatius loquuntur, ejus ſemidiametrum conſtare dicuntur ex Terræ ſemidiametris 7074. ut videre eſt apud Card. Ptolemæum Phyſ. diſſert. 6. de corpor. Cœleſt. ſect. 2. Pariſienſium autem calculis, eſt pluſquam triplo maior; ſeu, Terræ ſemidiametros continet 22000. Hoc ſpatium, hæc ſphæra adeo ingens, & inter-

terminata, intra quam globi Terræ, ac Soli magnitudine æquales comprehendi innumerabiles poſſent, in Copernicanorum ſyſtemate eſt inſtar puncti; ac pro nihilo habetur. Ut ſive ſupra, ſive infra illam ſtellas fixas contemplеris, nihilo tibi majores, aut minores appareant. Copernicani ſyſtematis falſitatem ex hoc ſolo evidenter demonſtrari non dico. Difficultatem hanc dico ejuſmodi eſſe, cujus nulla ſimili urgetur ſyſtema noſtrum. Quid quod ad Fixarum diſtantiam accedit earum magnitudo non minus enormis, portentoſa, incredibilis? Ut enim hinc aliqui colligunt apud Ptolemæum loco eodem; ſequeretur, ut Sirius, exempli cauſa, ſtella eſſet 815. vicibus major, quam cœlum Solis; ſeu, quam annuus orbis ſolaris. Id quod non ſolum fidem ſuperat; verum etiam videtur, falſitatis poſſe facile, atque evidenter argui. Tanta enim hæc Fixarum magnitudo, quæ ex ſupra dictis colligitur, connexa eſt cum earundem magnitudine apparente. De hac vero Ricciolius Almag. tom. 1. par. 2. lib. 9. ſect. 4. cap. 30. Recentes autem Aſtronomi cum D. Vviſton, de quo *Memoires pour l'hiſtoire de ſciences a Trevoux tom. 3. an.* 1711. negant, Fixas optimis teleſcopiis inſpectas ſenſibilem ullam diametrum exhibere. Apparere eas omnes ajunt, tanquam totidem lucida puncta.

At etiam ſyſtema Terræ immotæ iſtiuſmodi portentis non caret. Fixarum velocitas, quæ ex illo ſequitur, non minus prodigioſa, & incredibilis eſt. Primum, eſto ita ſit. Falſum eſt igitur quod in oppugnatione primum additur, præferendum ſyſtema Copernici, quod pauciori bus, ac levioribus laborat incommodis. Num eſt plus incommodi in ſola Fixarum velocitate, quam in earundem & diſtantia, & magnitudine modum omnem excedentibus? Deinde nego, in eo Cœli ſyderei motu tam celeri eſſe quicquam ad credendum, ac percipiendum difficile. Difficultas omnis hic eſt penes phantaſiam, non penes rationem: ſecus autem ibi. Neque huic celeritati repugnant aſtronomicæ obſervationes; quemadmodum repugnant diſtantiæ, & magnitudini ſupra deſcriptis. Immo nec imaginandi vis in hac celeritate admodum laborat; ſi tamen ea recte utaris; & ex iis, quæ nobis ſub oculos cadunt, exemplum noris, ac ſimilitudinem capere eorum, quæ ſupra nos peraguntur. Finge igitur poetarum more, qui vero ſervire debent, etiam cum falſa comminiſcuntur; finge, inquam, aptatas fuiſſe a Deo Tempori rotas adeo ingentes, ut earum radii ad ſupremam Cœli ſyderei, ſeu primi Mobilis ſuperficiem pertingant. Harum rotarum tres circuli, ſeu tres ſint peripheriæ. Infima ſit infra Lunam, ac Terram cum tota ſua atmoſphæra ſub ſe contineat atque coerceat. Media ſit ſupra Saturnum; & planetas a ſyderibus, ſeu ſtellas errantes ab inerrantibus ſeparet. Suprema ſit ſupra omnia ſydera. Quæ, ſi vis, imaginari poteris tanquam clavos in ſupremo, extremoque rotæ ambitu, ut fieri ſolet, infixos. Jam vero ſi laborandum tibi non eſt, ut intelligas Lunam, quæ interior eſt, & in ultimo veluti rotæ circulo, horarum circiter viginti quatuor ſpatio circa terram verti; nec difficile intelliges, curſu, ac velocitate longe majori id ipſum, eodem temporis ſpatio, præſtare ſydera, quæ ſunt ejuſdem veluti rotæ circulo ſuperiori, & parti quodammodo extimæ indita. Rei hujus imago vobis quotidie eſt ante oculos. Non eſt in his immorandum diutius. Sed & iſtorum, quæ dixi, ſuppudet: eaque, ſicuti etiam alia pleraque, duntaxat tyronibus dicta eſſe volo. Haud quaquam tamen, debet omitti, quod adverſarii difficultatem habent, non ſolum a ſcientia naturali, ſed etiam a ſacra doctrina. Nec modo, quod divinæ Scripturæ vim afferunt, & communem Patrum, & Eccleſiæ intellectum, interpretationemque deſerunt: ſed quia ea docent, ex quibus conſequens ſit, habitari planetas; innumerabiles eſſe mundos, & ſimilia, quæ Religionem ipſam afficiunt. Difficultates hæ ſunt ſuperioris ordinis; cujuſmodi ſententia noſtra nullis tangitur.

Venio ad alterum, quod in hac quarta oppugnatione falſo pariter jactant, explicare ſe omnia felicius, atque commodius. Num etiam ſacram Scripturam? Num etiam quæ ad Fixas pertinent? Sed, his prætermiſſis. Explicant illi felicius, atque commodius, omnia; nego. Aliqua; diſtinguo: felicius, atque commodius, ſecundum quid; omitto: ſimpliciter; nego. Si qua ſunt, quæ videantur explicare

feli-

Digitized by Google

felicius, & commodius; hoc dico ab ipſis fieri quadamtenus, ſecundum quid; non vero ſimpliciter. Nimirum quia hæc explicantur ab ipſis, ſeorſim accepta; non ut connexa, aut conjuncta cum reliquis omnibus. Deinde, quia ita illa explicant, ut ſimul in rem aſtronomicam nodos inexplicabiles invehant; & dum unum ſolvunt, aliis ſe pluribus illigant magis implexis; qui ſane ab ipſis non expediuntur. Neque enim rationem reddunt, cur v. c. axis Terræ, & axis Æquatoris æqualibus ſemper ſpatiis inter ſe diſtent; paralleli ſint perpetuo. Cur Terræ curſu annuo nullus exiſtat Nodorum perſpicuus, ſeu ſenſibilis motus; uti fit tamen in reliquis planetis. Cur Martem, & Venerem nulli ambiant ſatellites; cum Terræ tamen, quæ inter utrumque poſita eſt, ſatelles non deſit, ſcilicet Luna. Cur in Ellipſibus, ut ajunt, conſtituantur planetæ; ac Sol in hoc potius foco, quem vocant ellipſeos ſuæ, quam in altero conſiſtat. Cur Sol omni careat periodo annua; cum ſtellæ fixæ, quæ ipſis ſunt totidem veluti Soles, aliarumque univerſitatum centra; ſtellæ, inquam, fixæ complures proprios ejuſmodi circuitus, ac periodos habeant. Cur cometæ propius ad Terram accedere minime ſoleant, ſi Terra unus eſt ex cæleſtibus orbibus, atque e planetarum numero; ac ſedem, & curriculum habet inter Martem, & Venerem, quo interdum cometæ deſcendunt. Item quid ſit quod in Terra nulla fiat variatio inclinationis ad Eclipticam. Quod planetarum magnitudo eorum diſtantiis proportionalis non ſit. Quod planetæ in Solem non decidant, cum æthere, qui ipſis ſubeſt, & quo propius ad Solem acceditur, ſemper eſt rarior, ſuſtineri non poſſint. Alia plura prætereo, quæ apud Auctores ſupra citatos notata reperies.

At enim ſunt, de quibus reddi ratio ſimiliter nequeat in noſtro etiam ſyſtemate. Eſto, ita eſſet. Falſum tamen interea eſt, quod iſti tantopere prædicant, in ipſorum ſyſtemate explanare omnia melius. Quando, pro tribus, aut quatuor, quæ commode exponunt, in alia plurima incurrunt, a quibus male ſe expediunt, vel ea penitus obſcura, & involuta relinquunt. Nego deinde, eſſe aliquid, quod, ſi explicationem habet in eorum ſententia, non habeat item in noſtra. Repete, quæ dicta nuper in confutatione tertiæ oppugnationis; & Scriptores adi, qui ibi recenſentur. Nam quod explicatu difficillimum eſt in noſtra ſententia, inæqualitates, & anomaliæ curſus ſolaris; id nobis commune cum ipſis. Nodum illi re vera non ſolvunt, ſed transferunt a Sole ad Tellurem. Equidem cum de illius motu, hujus autem quiete tria ſupra ſyſtemata dederim, atque ex ſacris maxime Literis illuſtrarim; in unoquoque eorum mihi videtur poſſe id declarari ſatis. Immo hæc ipſa inæqualitas, & extra leges poſita ratio motus, præcipue Solis, primum ſyſtema maxime comprobat; quo dixi, Deum per ſe ipſum, ſuaque voluntate, & imperio gubernare ſyderum curſus. Quippe cum hac in re altioris cujuſdam, ac nobis ignotæ, ut ita dicam, geometriæ præſcripta ſervet; & hominum rationes, obſervationes, accurationeſque omnes, per ſexaginta jam ferme ſæcula, eluſerit. Neque ex hoc ſequitur, ut ad cæleſtium orbium converſiones, agitationeſque admitti non poſſit Angelorum miniſterium; cum hi Dei nutum obſervent; atque is ſit illis lex unica motus. Cenſeo vero, eos minus ſapienter agere, qui cæleſtia quodammodo redigere in ordinem volunt; eorumque motus ad regulas noſtras omnino exigunt; nec niſi ex iis, quæ apud nos fiunt, & experimur ipſi, de illis ſe diſſerere, gloriantur. A quo quidem longe abſum, in tertio etiam ſyſtemate; ubi ex rebus noſtris argumenta quædam dumtaxat, & ſimilitudines aliquas duxi cæleſtium.

Tertium in hac ipſa oppugnatione illud fuit, Copernicanum ſyſtema cæteris anteſtare, quia planiſſimum, & ſimpliciſſimum eſt. Quo cum adverſarii maxime fidant; & fateantur ipſimet ſe contra nos nihil movere ſolidius, ac firmius; videndum id cujuſmodi ſit, & quam verum.

Primum, hæc ſimplicitas, ſive hæc tam plana, quam ipſi magnificant, atque expedita ratio ſyſtematis hujus ad rem præſentem non facit. Sic Deum univerſa procreaſſe, ac perfeciſſe momento, ſummæ potentiæ magis congruere, & omnino Deo dignius nobis videri poſſit. Num ita factum propterea dices; cum ſacræ Literæ mundum ſex diebus conditum fuiſſe

teſtentur? Ita in re noſtra. Quod in ſententia Copernici ſimplicius, & expeditius explicentur, aliqua, & plura etiam, quæ nobis apparent e Cœlo; argumento non eſt, ita eſſe explicanda; ſeu rem ſic vere ſe habere: cum tam aperte, tam ſæpe, & conſtanter contrarium Scriptura doceat. Quid faceres homini illi, & quomodo eum acciperes, qui negaret, olim Hebræos tanto rerum motu, tanto miraculorum ſtrepitu ex Ægypto fuiſſe eductos a Deo: & objicientibus teſtimonia Scripturæ reſponderet, eam loqui myſtice, ac figurate. Sic vero opinaretur ea ductus ratione, quod planius, ſimplicius, expeditius fuerit, Deum emollire, & mutare cor Pharaonis, quemadmodum deinde emolliit, atque mutavit corda Nabuchodonoſor, Cyri, Aſſueri, Artaxerxis, & regum aliorum complurium. Nihil iſtud ad rem. Quid enim ſi Deus alios fines altiſſimos ſpectans, cum Pharaone aliter agere voluit? *Incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?* Rom. XI. 33. 34. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Eph. I. 11. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in Cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Pſal. CXXXIV. 6.

Dicent, via breviore, & planiore non ſemper uti Gratiam; ſecus vero Naturam, Id enim nobis objiciunt, hunc eſſe morem, hoc ingenium Naturæ, recta ſemper, & compendio agere. Damus hoc ultro, & libenter: modo tamen poſſit idem prorſus effectus reddi; modo poſſit id omne quod petitur æque obtineri. Quod hac in re nos exiſtimare non poſſumus. Itaque ſtandum Scripturæ teſtimonio. Tenendaque divinorum verborum plana, & obvia ſententia. Cæterum rogo, unde habeant, hoc eſſe inſtitutum naturæ, ut paucioribus ſemper agat, viaque recta, & compendiaria. Num ex molitione, opificio, conſtructione, ſyſtemate mundi? Hoc vero eſt in quæſtione. Num ex humani corporis fabrica, quod videlicet mundus parvus appellari ſolet? Ex belluiſne? Ex plantis? Enimvero in his omnibus machinatio, artificium, ſtructura multiplex, varia, operoſiſſima eſt. Operoſiſſima, dicent, ſed neceſſaria. Id ipſum illis repono de mundo magno. Quid enim ſi alendæ, conſervandæque plantarum, belluarum, hominum vitæ prorſus neceſſe fuerit, ſtare terram; & tot circa ipſam faces, & lumina accendi; has illa vices, hæc intervalla ſervare; his cieri motibus; hos curſus habere? Hoc præterea ordine, hac inter ſe connexione; hac veluti harmonia, & concentu? Ita concludo: quoniam divina Scriptura tam perſpicue nobis oſtendit, iſtiuſmodi eſſe ſyſtema mundi; vel id eſt recta, & compendio agere; vel falſum eſt, naturam recta, & compendio agere; vel certe verum non eſt generatim, & univerſe: ſed ut variæ ſunt res, & valde diverſæ; ſic etiam non eadem, aut uniuſmodi eſt agendi ratio.

Sed videamus, Copernicanum ſyſtema quam ſit revera ſimplex, & an noſtro ſimplicius. Primum ſimplicitas illa, ut ſic loquar, quæcunque ea ſit, valde profecto diminuta, manca, mutila eſt. Solo planetarum Cœlo circumſcribitur: altius non tollitur. Cum ventum ad ſydera fuerit, nihil eſt Copernicano ſyſtemate impeditius, implicatius nihil. Quin immo nec poteſt illuc aptari; nec cum ſyderibus cohæret ullo modo; cum certum ſit, & evidens Fixarum præſertim aliquarum, ac Solis longe diſparem eſſe rationem. Syſtema illud eſt vere ſimplex, in quo omnium eſt una ratio. Moventur, atque agitantur in noſtro quidem ſyſtemate plura; non nego: ſed uniformiter; ſed eodem, aut conſimili motu, miroque conſenſu, & concentu.

At motus, inquiunt, vobis non ſolum celerrimus, & incitatiſſimus; ſed tam varius eſt, ac multiplex; ut nomina ipſa, quibus notatur, atque diſtinguitur, addiſcere ſit operoſum. Quaſi vero apud ipſos ſtarent omnia; nec prorſus neceſſe foret, iiſdem motibus, niſi etiam pluribus volvi, verti, ferri Tellurem, quæ cum ſuapte conditione, & natura; tum habitatoribus, & habitationibus ſuis, orbium fortaſſe omnium ad motum ineptiſſima eſt. Præterea nego nobis opus eſſe tot motibus. Equidem, cujuſquemodi ſint aliorum, qui Terram immotam defendunt, explicationes, & hypotheſes; præter motum, qui vocatur vertiginis, & admittitur ab omnibus; puto cæleſtes orbes agi unico motu; nimirum omnes in ſpiram: eo tantum diſcrimine, quod hæ illorum ſpiræ

ad

ad perfectum circulum magis accedant, quo altiores illi ſint, ac terram ambiant ab ipſa remotius. Cumque horarum viginti quatuor ſpatio eorum nullus ad æqualia puncta ſe ſe reſtituat, nec ſpiram plane integram ſpatio illo conficiat; iis, qui ſublimiores ſunt, ad hoc minus deſit. Cauſas vero ipſius motus in hujus diſputationis corpore, triplici ſyſtemate, dedimus. Primum, Dei vocem, & ſi vis, etiam Angelorum miniſterium; quod ego perquam probabile reor. Vel, ſi hoc non placet; analogiam, & ſimilitudinem aliquam vitæ; adminiſtris, ac præſidibus ſic pariter Angelis. Vel, ſi ne hoc quidem vobis probatur; habetis tertio loco ſyſtema harmonicum; in quo centrum terreſtrium infra ipſa immobile; cæleſtium vero centrum, aut quaſi centrum, hoc eſt viam attrahentem, & alibi, & mobilem pono. Cui quæ proximiora moventur, ipſius motum fere adæquant, aut magis, ut dictum modo eſt, aſſequuntur. Deflectunt autem a circulo ad ſpiram obliquis attractionibus in eo tertio ſyſtemate explicatis. Vos plura in hanc ipſam ſententiam, marte veſtro; vel ego etiam, ſed extra hæc Prolegomena.

Ultimum reſtat; naturam ſcilicet agere ordinate. Quo in genere quæ nobis opponunt, falſa, & frivola ſunt: ſecus vero, quæ nos illis. Falſum eſt, Solem, ac ſtellas Telluri nobilitate antecellere. Ut alia prætercam, quæ poſſent inter ſe conferri, & contendi; profecto animantia omnis generis, in primis autem homo, & quod huc maxime refert, ac præſtantiſſimum eſt, Deus homo tantum pretii, ac nobilitatis Terræ addiderunt, ut vel hac una cauſa ipſi ſervire, ſoli, ac ſtellis decorum, ac perhonorificum ſit. Non propter Solem Terra; ſed contra Sol propter Terram conditus eſt. Falſum præterea eſt, moveri, & circuire, ſemper eſſe indigentis. Eſt abundantis quoque, & benefici. Haud ſane indigebat, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlo* (ſymbol. C. P.) *qui circuibat omnes civitates, & caſtella docens . . & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem* (Matth. IX. 35.) qui, Solis inſtar, *pertranſiit benefaciendo* (Act. x. 38.) Sic etiam cauſa efficiens, & quæ in eo genere ſunt accedere ſolent ad materiam; ſtatuarius ad æs, & marmor; agricola ad agrum: non verſa vice. Similiter igitur Sol ambit Tellurem, ex qua, & in qua tam multa edit, ac gignit. Denique hoc adverſariorum argumentum leve eſt, & frivolum; quia in notionibus pleriſque metaphoricis ignobilitatis, paupertatis mendicandi, obambulandique poſitum.

Contra naturæ ordinem peccant ipſi veriſſime, graviſſimeque. Etſi enim intra planetarum fines ordinem aliquem ſervant; extra hos fines eum prorſus amittunt. Stella quælibet apud ipſos novum ſibi regnum conſtituit; alter eſt veluti mundus. Quod eſt illas & diſſociare invicem, & quaſi abſcindere, atque eximere a toto. Ut partis ratio, & proprietas in eis non ſit; neque colligatæ, & aptæ ſint inter ſe; neque ad communem aliquem naturæ finem dirigantur. Quæ contra in noſtra ſententia; atque eo præſertim ſyſtemate, quod harmonicum, ſive magneticum, diximus. Ibi enim rerum omnium cohærentia, connexio, unitas eſt: Hoc eſt ordo partium, & inter ſe, & ad totum. In quo univerſitatis hujus pulchritudo maxime conſiſtit. Auguſtinus Epiſt. 18, ad Cæleſtinum n. 2. de vera Relig. cap. 32. n. 59. cap. 34. n. 63. lib. 1. de Ordine cap. 2. n. 3. lib. 1. de Geneſ. cont. Manich. cap. 21. n. 32. &c.

Ad quintum, conceditur iſtud de aſtronomis duntaxat heterodoxis; qui ſententiam illam ea etiam de cauſa tanta contentione & ſtudio defendunt; quia Romæ damnata. Orthodoxi vero eam non retinent, niſi ad modum hypotheſis, & tantum ad uſum; eo fere modo, quo retinetur æra vulgaris, quam pauciſſimi hodie veram exiſtimant. Si qui autem ex catholicis quoque ſubſcribunt hodieque Copernico re vera, & abſolute; ei non admodum ſuffragantur. Homines enim ſunt, vel parum acuti, qui Copernicanorum argumenta pro demonſtrationibus habeant; vel parum religioſi, ac docti; qui divinas Scripturas, aut certe regulam eas interpretandi a Patribus traditam, & alia etiam ſacræ auctoritatis momenta, quæ huic accedunt, eo loco non habeant, quo ſane oporteret.

De Nevvtono idem fere dicendum; ab iis in Cœlum ferri laudibus, qui Coper-

nicano ſyſtemati ſunt maxime addicti. Cujuſmodi homines non miror, quod Nevvtonum pene divine ſcripſiſſe prædicent: miror, ſi, Moyſem, Davidem, Salomonem, & Hagiographos alios divine ſcripſiſſe, re vera credunt. Cum præſertim, hos quidem de Cœlo, & Mundo ex vulgi ſenſu, & ad rudium captum; illum autem ex vero, & ſapientibus ſcripſiſſe, dicant. Dictum non ſolum falſo, quam vidimus; ſed etiam irreligioſe, & irreverenter cum in divinos illos Scriptores, tum in verbum ipſum Dei, quod lux, ac veritas eſt; & Scriptura non tantum *populorum*, ſed & *principum*; hoc eſt, ſapientum, dicitur Pſalm. LXXXVI. 6.

Cæterum ego Nevvtonum neque nulla, neque vulgari laude dignum exiſtimo. Ex tribus apud aſtronomos notiſſimis Keppleri legibus ita profeciſſe ad recudendum, & illuſtrandum ſyſtema de motu Telluris, quemadmodum fecit Nevvton, hominis utique fuit ad eam rem maxime apti, & exculti; quique ingenio, & calculo plurimum poſſet. Etſi enim quod ſibi propoſuit non eſt aſſequutus; fecit id tamen, quod ab alchymiſtis celebrioribus factum videmus. Qui cum non potuerint eo pervenire, quo maxime voluiſſent, ut ex metallis ignobilioribus verum aurum, argentumve conficerent; ſunt tamen ab illis interea detecta, & adinventa multa valde utiliter, & præclare. Ita etiam nec pauca ſunt, nec parum inſignia, quibus Nevvton rem aſtronomicam locupletavit. Illud præcipuum, quod Lunares anomaliæ nullis tamdiu legibus ſatis coercitæ, ab eo quam proxime ſunt definitæ. Quo quidem, & aliis ſimilibus aliquot etiam ex noſtris conciliavit hypotheſi ſuæ. Non ut eam veram exiſtiment; ſed ut illa utantur libenter; de quo dictum eſt ſupra. Quamvis autem a nobis etiam ei tantum tribuatur; eſt tamen, non dicam inſolens, ſed leve, puerile, ridiculum, quod Nevvtoniani aliqui faciunt, ut ipſius auctoritate, & nomine videantur nos velle percellere. Valeat iſthinc apud ſuos. Nobis oraculo eſt divina Scriptura; eſt oraculo vox Eccleſiæ; Patrum quoque unanimis ſenſus: non eſt oraculo Nevvton. Hæc ad illius auctoritatem. Nunc de ipſius argumentis, & rationibus; in oppugnatione quod pariter tangitur.

A ratione, ut dicebam, nihil plus affert, quam ad effectionem auri contulerint adhuc, qui in eo laborarunt conſtantius, induſtrius, & aliquanto etiam felicius; re ſcilicet aliorum tentamentis jam ante explorata. Dedit Nevvton quiddam ſimplicius, exactius, ingenioſius, ſi vis, quam Copernicani cæteri ante ipſum. Æquinoctiorum præceſſio, Apſidum motus, Cometarum ipſi orbes in ejus hypotheſi quam aptiſſime veniunt, cum obſervationibuſque conſentiunt. Habes ibi præterea ex mutua planetarum actione inter ſe, cur inter Keppleri leges, & illa, quæ nobis exhibentur e Cœlo, non ſatis congruat. Cur tabulæ, in quibus planetarum motus deſcripti, longiore temporis intervallo, ita a Cœlo diſcrepent; ut niſi novis obſervationibus identidem reſtituantur, in maximos errores inducant. Adde alia, ſi placet: aurum tamen neque is verum dedit; nec dare potuit, falſo nixus. Hæc etiam, ſicuti reliquæ Copernicanorom hypotheſes mera eſt alchymia, aurumque, ut ajunt ſophiſticum; quod juſto pandere, & propria auri ſoliditate caret. Et, ut adeſſent hæc quoque; deeſt certe in hac hypotheſi veri color. Immo quo eſt ingenioſior, & ad mechanicæ leges exactior; quo minimis interdum quibuſdam, ac minutiſſimis rebus ſtudioſius, ac ſcrupuloſius providet; eo mihi videtur a vero, & genuino remotior. Eſto, ſerventur ibi phænomena; ſerventur mechanicæ leges; non ſervatur character naturæ. Mathematicum eſt inventum; non mundi, & cœli ſyſtema phyſicum. Artis ut ita dicam opus eſt; non naturæ. Video commentationem hominis, non opificium Dei.

Sed hæc generalia, & ex ſola ferme hujus ſyſtematis facie, primoque conſpectu. Examinandum eſt accuratius; videndumque prius, ut paulo ante dixi, auro iſti Nevvtoniano, quid ſoliditatis, & ponderis deſit. Quod quidem faciam breviſſime. Et quoniam neceſſe erit, aut erit certe commodius aliquid interdum geometrice, ſive aſtronomice dicere; dabo operam, ſicuti etiam in ſuperioribus feci, ne ab inſtituto dicendi genere multum diſcedam. Qui ex vobis ab iis facultatibus aliquanto paratiores fuerint, intel-

intelligent facile omnia. Reliqui vero intelligent, quod ad hanc oppugnationem refellendum erit plus ſatis. Nam primo, hæc Nevvtoni mera, & nuda hypotheſis eſt. Id ad ſummum efficitur, poſſe rem ita eſſe. Ut autem ſyſtema noſtrum e ſua veluti poſſeſſione dejicias; & maxime, ut a propria, & plana ſententia detorqueas verba divinæ Scripturæ, demonſtrandum præterea foret, rem aliter eſſe non poſſe. A quo tam longe abeſt Nevvton; ut nec primum illud ullo modo demonſtrarit, aut demonſtrare potuerit. Id quod his duobus argumentis planum facio. Primum; quia Nevvtoni hypotheſis eſt ejuſmodi, quæ ex ſolis phænomenis non poſſit proxime colligi. Deinde, quia non poteſt oſtendi, ei prorſus cum phænomenis convenire.

Quod ad primum attinet; recte quidem Nevvton ex æquabili arearum deſcriptione in Ellipſi, circa focum ejuſdem Ellipſeos, concludit, vim acceleratricem ſecundariorum in Primarios, (ita de planetis loquuntur) & Primariorum cum ſecundariis in Solem, eſſe, uti vult, in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, ſi ejuſdem planetæ diſtantiæ inter ſe conferantur: ac legem eandem, ſi conferantur inter ſe planetæ diverſi, recte pariter ducit ex lege tertia. Sed primum, ſi Terra ſtet, arearum deſcriptionem æquabilem turbat plurimum motus diurnus, quem vocant, ſeu quotidianus. Quare ſi ex obſervationibus non ſequitur proxime motus Telluris, qui certe non ſequitur; nec ſequetur inde hujus hypotheſis elementum præcipuum; ac proinde hypotheſis erit, quæ non poſſit ex ſolis phænomenis proxime colligi. Deinde Keppleri leges, motu etiam Telluris admiſſo, hypotheſis ſunt, ut apud aſtronomos conſtat, & oſtendi facile poſſet, quæ ex obſervationibus nequeat proxime inferri; idem igitur dicendum de hypotheſi Nevvtoniana, quæ iiſdem legibus nititur, ac ſuperſtruitur. Ad hæc, prior illa lex motus. qua Nevvtonus ſancit, *omne corpus perſeverare in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare*, etiamſi cum Cœlo conſentiat, a priori tamen, ſive ex rei natura demonſtrari non poteſt; neque poteſt ex Cœlo ipſo recta deduci. Huc etiam accedit, quod ſi medium, ſeu ſpatium illud, quod planetæ decurrunt, eorum curſui reſiſtat, omnis Nevvtoni ratiocinatio prorſus evertitur. Denſitatem autem medii eam eſſe, quæ nihil reſiſtat, demonſtrari pariter nequit. Tandem actio mutua Primariorum inter ſe, in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, quo maxime ſtat hæc hypotheſis, ex nullis phænomenis poteſt proxime, ac ſolide evinci. Hæc omnia ad primum pertinent argumentum.

Quod ad ſecundum, demonſtrari nempe non poſſe, Nevvtonianæ hypotheſi cum phænomenis convenire; res ita conficitur. Aberrationes aliquas a legibus Keppleri exigit actio Planetarum inter ſe invicem, & Solis motus circa commune gravitatis centrum immotum. Aberrationes aliquæ re ipſa obſervantur. Ecquid hæ illis reſpondeant, obſcurum relinquitur; nec cujuſmodi ſingulæ eſſe debeant, definitur. Idem ipſum dicendum de erroribus illis, licet exiguis, quibus Lunæ theoria a phænomenis & aberrare deprehenditur; & aberret neceſſe eſt, cum ſæpe approximationibus innitatur, ac quædam minuſcula negligat. Præterea, quod facit etiam ab argumentum ſuperius, requirit hæc hypotheſis certum denſitatis progreſſum in Sole, Saturno, Jove, & Tellure: ſic quidem ut fiat, ſicuti 100. 59. 78. 396. Nam ſi non ita ſe habeant, totum ſyſtema corruit. An vero habeatur ejuſmodi progreſſio, definiri non poteſt. Item requirit Terræ compreſſionem in Polis, & materiæ redundantiam ſub Æquatore, qua explicetur Æquinoctiorum præceſſio. Hæc vero & Caſſinianis obſervationibus contraria; & obſervationibus D. Maupertuis non ſatis probata. Tandem, ut omittamus alia quamplurima ejuſdem modi; in hac hypotheſi Cometæ leges eaſdem ſequi deberent, quas Planetæ. Verum neque illorum adhuc notati, aut cogniti reditus; neque orbium forma exacte, definiteque deſcripta. Sic quidem, ut quamvis cum hypotheſi motus elliptici, vel proxime parabolici, & arearum conſtanti deſcriptione prope perihelia, quibus tantum locis aſpici poſſunt, videantur congruere; nihil tamen de periodicis eorum temporibus poſſit

adhuc

Digitized by Google

adhuc certo conſtitui. Hæc cum ita ſint; iam longe abeſt, ut demonſtretur, rem aliter ſe habere non poſſe, quam poſuerit Nevvton; ut nec demonſtretur, rem poſſe ita ſe habere, ſicuti Nevvton poſuit. Quoniam, ut hic modo vidimus, ea eſt ipſius hypotheſis, quæ nec ex ſolis phænomenis poſſit oſtendi; nec poſſit oſtendi, eam cum phænomenis conſentire.

Progredior ultra; atque illud addo, adeo non demonſtrari, rem poſſe ita ſe habere, ſicuti poſuit Nevvton; ut demonſtretur potius, vel certe ex ſola etiam ratione per quam probabiliter concludatur, rem omnino aliter ſe habere, quam Nevvuton poſuerit. Duobus id pariter argumentis conficitur. Primum, quia Nevvtoniana hypotheſis non cohæret cum ratione naturali. Alterum, quia non cohæret ſecum ipſa. Non cohæret cum ratione naturali; propterea materiæ particulis tribuit actionem in diſtans, & quidem maxime diſtans: nullo ſcilicet interpoſito ejuſmodi medio, cujus ope agant, & tam efficaciter agant. Quo fit, ut ejus actionis nulla excogitari poſſit, ſive mechanica ſive etiam phyſica cauſa. Confugere enim ad occultas rerum naturas, eorum non eſt, qui Peripateticis hoc ipſum exprobrant, ac vitio vertunt; quique cæleſtium motuum cauſas & promptas, & faciles ſe afferre gloriantur. Multo minus iiſdem confugere licet ad peculiarem aliquam Dei legem; quippe qui his in rebus leges alias nullas videntur profiteri, & agnoſcere, niſi ſolius ferme Mechanicæ. Quod cum contra fieri videant in eo ſyſtemate, quod primum expoſui, ac cæteris præſtare judico; illud propterea irrident, atque contemnunt, & indignum philoſopho deputant. Tandem non poſſunt Nevvtoniani quod nunc ipſis objicio, in tertium ſyſtema meum, quod harmonicum dixi, & magneticum, retorquere. Siquidem planetis ea ſpatia ad curſum, ſive ejuſmodi medium conſtituo, quod ipſis aliquantum reſiſtat, & poſſit eam virtutem accipere, ad eoſque pervehere, qua ipſos attrahi, retrahi, regi, gubernarique, non parum probabile arbitror.

Jam quod alterum erat. Nevvtonianam hypotheſim ſecum non cohærere, manifeſtum videtur. Admiſſis enim legibus motuum, quæ ibi ſtabiliuntur, eoque inſuper dato, materiæ particulas ſe mutuo attrahere, ſecundum rationem reciprocam, duplicatamque ejus ſpatii, ſive intervalli, quo invicem diſtant; fateor & ſtare Keppleri regulas, prout ibi opus eſt, & ea, quæ ad planetas pertinent, ſatis apte explicari. Sed quo planetis conſulitur, ex eo ſequitur maxima perturbatio Fixarum. Quas quidem vi mutuæ actionis in ſe invicem incurrere, & ad unam maſſam efficiendam perpetuo ferri neceſſe erit. Niſi forte ad eas cohibendas his Mechanicæ coryphæis Dei imperium pro machina ſit; & ad occultas cauſas, & naturæ arcana hic etiam ſe ſe recipient. Quod ſane ſi faciunt, hoc ipſo, ut proxime vidimus, non ſibi cohærent. Hæc a ratione propria, & peculiaria adverſus Nevvtonum. Vide plura apud D. De Gamaches, & alios, qui ex inſtituto illum impugnant.

Unum hic addere placet ex ſacra Scriptura, quod quamvis adverſus Copernicanos omnes faciat; ferit tamen Neutonum præcipue. Siquidem apud hunc ſpeciali modo Terra unus eſt ex planetis; eodem prorſus ordine, motu, indole, natura. Ut Neutoniani hodie orbem Terræ paſſim tertium planetam, noſque jam vulgo tertii planetæ habitatores appellitent. Quæro igitur, quid ſit, quod Terra primo ipſo divini Opificii die, atque ipſo rerum omnium initio condita dicitur? Gen. I. I. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*. Quod ab aquis exempta, ac ſegregata; quod herbis, & arboribus circumveſtita, & ornata dicitur die tertio? Gen. I. 9. 10. 11. 12. Planetæ vero, ac cætera luminaria quarto deinde die? Num hæc etiam a Moyſe ſcripta ex ſenſu, & opinione vulgi? Scripta rudibus, non ſapientibus? Detur id; fuerintque omnia ſimul momento condita. Moyſem tamen narratione ſua a planetis ita ſecreviſſe, ac disjunxiſſe Terram, ſapienti cuilibet argumento erit, planetas, & Terram res longe diverſas, neque ejuſdem generis atque ordinis eſſe. Idem ſapiens quiſque colliget ex aliis Scripturæ locis, quibus mundi ortus deſcribitur: ut Job. XXXVIII. Pſalm. CIII. Prov. VIII. Eccli. XLIII. Baruch. III. VI. &c. Quibus omnibus apparet, qui ita

Digitized by Google

ita philoſophantur, non magnopere divinam Scripturam attendere. Vel ſolum poſteaquam ſecum conſtituerint, quid ſentiendum ſibi videatur, tunc demum cogitare, quomodo etiam Scripturæ ſatisfaciant. Homines, qui verbum Dei, ac fidei regulam; in veri inveſtigatione non tamquam viæ ducem, ſed pro impedimento, & objice videntur habere! Ecquid vero qui hujusmodi ſunt, homines ſint reputandi ingenii excellentis, & acris judicii; & an recte, & juſte faciant quidam etiam ex noſtris, qui eos tantopere ſuſpiciunt, ac celebrant; ſapientibus ipſis, quibus Nevvtonum ſcripſiſſe dictitant, judicandum relinquo.

Ad ſextum dicendum, quod in hac diſputatione potiſſimum quærebatur, ac ſyſtematis aſtronomici fundamentum eſt, ſtabiliendum neceſſario; uter ſtet, aut circumeat, Solne, an Terra; ex ſacris Literis probatum, effectumque ſatis videri. Quod autem attinet ad ſyſtema ipſum, quod inædificari, & ſuperextrui debet; neceſſe non eſt, ea omnia, quibus componitur, eruta eſſe ex ſacra Scriptura, ut ex illa ductum, in eaque nixum dici vere, ac proprie poſſit. Satis eſt, inventa ibi eſſe aliqua, ex quibus poſſint deinde colligi, atque adſtrui cætera. Quod ipſum in hac diſputatione mihi videor præſtitiſſe. Cum tria vobis ſyſtemata dederim, quorum primo, & ſecundo nihil admodum videtur addendum. In tertio quamvis multa ſint tantummodo inchoata, nihil ſupra fundamenta, ita dicam, eductum; ſunt tamen ejuſmodi omnia, ut ſi quod vobis probatum fuerit, poſſit id commode in alia diſputatione ad ſuum faſtigium, perfectionemque perduci.

Quæ vero præterea in hac oppugnatione quæruntur, ſunt illa quoque in ſacra Scriptura; veruntamen eo modo, quo Scriptura eſt ipſa dignum; de quo dictum ſatis Prolegom. I. diſp. 10. Non eſt vero huius loci perſequi, ac retegere ſingula. Hæc mihi ſtatim ſe offerunt. De Sole Pſalm. XVIII. 6. 7. Eccle. I. 5. 6. Eccli. XLIII. 2. 3. 4. 5. &c. De Luna Pſalm. CIII. 19. Eccli. XLIII. 6. 7. 8. 9. Jerem. XXXI. 35. &c. De ſyderibus, ſeu cæleſtibus ſignis Job. IX. 9. XXXVIII. 31. Amos V. 8. &c. Generatim de ſtellis inerrantibus Job. IX. 7. Eccli. XLIII. 9. 10. 11. Baruch. III. 34. 35. Daniel. XII. 3. &c. De Planetis Job. XXXVIII. 32. Pſalm. CIII. 23. Jſa. XIV. 12 Judæ. 13. &c. De orbibus cæleſtibus, eorumque motu, & ordine Job. XXXVIII. 33. 37. Pſalm. XVIII. 1. 2. 3. Sap. VII. 19. &c. De diſtinctione graduum IV. Reg. XX. 9. Jſa. XXXVIII. 8. Prov. IV. 18. ſap. VII. 18. &c. De diverſa ſtellarum magnitudine, & claritate Jud. V. 20. Pſalm. CXLVI. 4. I. Cor. XV. 41. &c. De Eclipſibus Jerem. XV. 9. Amos V. 8. VIII. 9. &c. De Ecliptica, de Tropicis, ac cæteris Sphæræ partibus, ſeu Cæli plagis, atque cardinibus Deuter. XXX. 4. II. Reg. XI. 1. Job. XXXII. 12. 14. Pſalm. XVIII. 6. 7. Prov. VIII. 16. Eccle. I. 6. Sap. VII. 19. Eccli. XXIV. 8. Jerem. XLIX. 36. &c. Hæc ſatis ad præſentem locum. Porro cum tam multa de re aſtronomica in ipſa divinorum verbum propemodum ſuperficie nobis occurrerint; & tanquam argenti glebæ, aut venæ exhibuerint ſe oculis ultro; id vobis indicio eſſe debet, fodinam eſſe intus: ſperandumque adeo, multo plura, ſelectiora, ac pretioſiora cum in hac ipſa re, tum in alio quovis ſcientiæ, ac doctrinæ genere, adhibita diligentia, & ſtudio, ac ſuper omnia, Deo bene juvante, nos eſſe inventuros.

At enim, inſtare aliquis hic ultimo poterit; de cauſa efficiente, & proxima ſupernorum motuum a me cogitata, tentata, expoſita eſſe multa; eaque inter ſe non ſolum diverſa, ſed aliqua etiam contraria: nihil autem iſtorum omnium ſacræ Scripturæ teſtimonio a me confirmatum non eſſe. Valere autem, recteque ta concludi: Omnia hæc probentur ex ſacris Literis; nihil eſt igitur in hoc genere, quod ex ſacris Literis confici ſolide poſſit. Omnia hæc in ſacris Literis eſſe videntur; nihil igitur ibi eſt horum omnium. Aut certe nihil ibi ex his omnibus utiliter quæritur. Inutiliter enim ille conſulitur, qui eadem de re diverſa, & contraria reſpondet. Eo nempe audito tantumdem ſcias. Eloqui verum, ſi non ignorat, non vult.

Ad hæc vero, primum in adverſarios telum retorqueo; qui ex ſola naturali ratione res iſtiuſmodi petendas, ac definien-

nien-

niendas eſſe contendunt. Etenim in phyſicis, in metaphyſicis, in mathematicis quoque multæ ſunt inter ſe non ſolum diverſæ, ſed etiam contrariæ ſententiæ. Valet ergo, recteque ita concluditur: Omnia hæc probantur naturali ratione; nihil eſt igitur in hoc genere, quod naturali ratione poſſit ſolide confici. Et ſimiliter: Omnia hæc naturali ratione niti videntur; nihil eſt igitur horum omnium quod peti inde poſſit. Fruſtra igitur naturalem rationem veſtigamus, & quaſi conſulimus, quæ tam diverſa, & contraria docet, & propemodum conſulta reſpondet. Ita ergo eſt habendum. In ſacra Scriptura, ſicuti etiam ſuo modo in ratione naturali alia certo, alia tantum probabiliter contineri. Immo in utroque eſſe plurimos gradus. Ut ſit magis, vel minus certum, atque probabile ibi eſſe alia, quam alia. Porro quemadmodum in phyſicis, metaphyſicis, mathematicis non ea ſolum exponimus, atque tractemus, quæ in naturali ratione certo inveniuntur; hoc eſt, quæ argumentis certis, & evidentibus demonſtrantur; ſed plurima etiam in utramque partem diſputamus; & argumentis, cum non ſuppeditant alia, etiam non admodum probabilibus utimur; nec eſt, qui minus prudenter, & inutiliter nos agere judicet: ſic pariter de ſacra Scriptura, & omnino in re noſtra dicendum videtur. Itaque quod in hac diſputatione præcipuum erat; & hac in re fundamentum omnium ſyſtematum, & hypotheſum eſſe debet. ſcilicet ſtare Terram, circumvehi ſolem & ſydera; id in Sacra Scriptura certo eſſe cenſeo. Quæ vero dixi de cauſis phyſicis, ac proximis ſupernorum motuum, ſunt ibi tantum probabiliter. Concluſiunculæ illæ omnes, quibus hic ultimo urgemur, falſæ ſunt. Iis antecedentibus, non ſequitur, nihil illorum confici ſolide ex Sacra Scriptura. Sequitur, non confici certo. Non ſequitur, nihil illorum eſſe ibi; ſequitur nihil illorum ibi eſſe clare, & aperte; & aliqua ex iis ibi re vera non eſſe. Illud etiam procul vero concluditur; quæri hæc inutiliter in ſacris Libris. Quamvis enim obvia non ſint, nec factu facile, ut proximum ſit, hæc ibi invenire; at fieri id poteſt ſaltem remote, nempe adhibita majori diligentia, & ſtudio: majorique lumine a Deo impetrato. Res hujus etiam generis, ut in primo Prolegomeno oſtendimus, habet Scriptura; eaque etiam profert, ac retegit; ſed non omnibus, nec ſtatim, nec quando opus non eſt. In alia diſputatione, in qua de una ex pluribus his hypotheſibus ex inſtituto agemus, Scriptura iterum, ut ita dicam, interrogata, & conſulta nobis etiam, ut ſpero, reddet magis certa, ac definita reſponſa.

At, inquies, conſultius fuiſſet in hac ipſa diſputatione certum aliquod ſyſtema, illud verbi cauſa, quod harmonicum diximus; ſtatuere, ordinare, complere, & perficere, quam inchoare, ac leviter informare ita multa; & aliqua etiam ex iis præſertim quæ tertio loco, parum ſolida, & gravia, neque philoſopho, aut ſacrarum literarum interprete ſatis digna. Reſpondeo, illud hic mihi propoſitum, Terræ quietem, ſolis, ac ſyderum motum tueri. Viſum deinde, tentare, atque experiri, quid eſſet in ſacris Literis, quo poſſent hæc explicari commodius. Accidit vero mihi, quod multa explorantibus ſolet contingere; ut aliquid etiam ſe daret non ita probabile. Nihil tamen ex illis eſt adeo ineptum, ut ſaltem non valeat ad motum, ac gyrum in ſpiram explicandum tyronibus, quibus potiſſimum hæc tradita ſunt. Syſtema harmonicum ad id, quod hic agitur, habet ſatis ſuperque. Spectatum per ſe, adhuc multa ex phyſica, & aſtronomia requirit. Definienda eſſet clarius propria hæc attractionis, ſeu virtutis magneticæ, & pluſquam magneticæ ratio. Videndumque quæ ſtella, aut pars cæli ſuperior, quam inferiorem probabilius regat. Quæ facere ſi operæ pretium duxero, & maxime ſi vobis placere videro, peculiari diſputatione fient, quoniam hæc modum jam omnem eſt ſupergreſſa.

FINIS.

Digitized by Google

ANTONII CASINI
E SOCIETATE JESU
ENCYCLOPÆDIA
SACRÆ SCRIPTURÆ

SIVE

Selectæ in omni ſcientiæ, & doctrinæ genere Quæſtiones ex ſacris potiſſimum Literis enodatæ.

VOLUMEN SECUNDUM
PARS PRIMA.

VENETIIS, MDCCXLVII.
APUD MODESTUM FENTIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENCYCLOPÆDIÆ BIBLICÆ

PARS PRIMA.

Res theologica Divinæ Scripturæ, nova & maxime compendiaria methodo expoſita.

QUoniam ratio illa, & via exponendi res divinæ Scripturæ, qua in ſuperioribus duobus Prolegomenis uſi ſumus, & nimis longa eſt, & aliqua præterit, quæ ſcire veſtra plurimum intereſt; excogitavi aliam, qua vobis poſſim, brevitate longe majori, plura tradere; aut certe quæ profectui veſtro magis conducant. Dabo igitur vobis annis quatuor vel ad ſummum ſex rei theologicæ univerſæ, quæ divinis Literis continetur, epitomem breviſſimam, &, ut equidem ſpero, claram, exactam, externis quoque doctrinæ, atque eruditionis adjumentis inſtructam, uſui denique vobis ſemper futuram. Eſt ea res omnis a me certas in partes, ſive Tractatus de more digeſta; & aptis, ac brevibus Propoſitionibus comprehenſa quarum quidem ſingulæ divinæ Scripturæ potiſſimum teſtimonio probantur. Præterea vero,

quod

Digitized by Google

quod eſt e majori Scripturæ ipſius dignitate, & ad eam melius intelligendam pertinet, in quaque Propoſitione indicantur alii etiam theologici loci, atque fontes, quos, ubi opus fuerit, adire, ex iiſque haurire, & proficere poterit unuſquiſque per ſe marte ſuo. Tandem, ne quid veſtræ utilitati, & commoditati deſit, citantur etiam recentes Scriptores, qui vel eandem ſententiam defendunt, vel accuratius rem illam & luculentius tractant. Ecquid autem præſtet, hanc ipſam docendi formam, ac methodum ſervare in reliquis tribus Summæ Biblicæ partibus; an vero in quaque novam, diverſamve adhibere, nondum conſtitui.

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.

Loci S. Scripturæ, qui ad verbum Dei Scriptum, & Traditum pertinent, expoſiti.

PROPOSITIO I.

Scriptura eſt aliqua vere divina; hoc eſt, quæ Deum habet auctorem ſpecialem, ac verbum Dei proprie dicitur.

PRobatur: Iſa. VIII. 1. *Et dixit Dominus ad me: ſume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis &c.* Et XXX. 8. *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſque in æternum.* Jerem. XXX. 2. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus ſum ad te in libro.* Et XXXVI. 2. *Tolle volumen libri, & ſcribas in eo omnia verba, quæ locutus ſum tibi &c.* Joan. V. 39. *Scrutamini Scripturas &c.* Act. XVII 11. *Quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* II. Timoth. III. 16. 17. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus.* II. Petr. I. 20. 21. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Item Deuter. XXXII. 46. IV. Reg. XVII. 13. Pſalm. CXVIII. 2. 92. Iſa. XXXIV. 16. Daniel. X. 21. Roman. XV. 4. Hebr. I. 1. 2. &c.

Probari etiam facile poteſt, atque adeo debet aliis locis theologicis. De hoc enim univerſalis, & conſtans omnium ſæculorum traditio; de hoc firmiſſima totius Eccleſiæ perſuaſio, immo & Fides in C. P. Symbolo expreſſa, *Qui locutus eſt per Prophetas*; de hoc Patrum, & Doctorum ſumma conſenſio: quippe cum omnes vel ex Scriptura, vel pro Scriptura pugnaſint. Ut videre eſt primis ipſis ſæculis apud Juſtinum in dial. cum Tryphone, apud Irenæum lib. 2. cap. 28. n. 2. Tertullianum in Apolog. cap. 19. n. 273. Origenem lib. 3. cont. Celſum, ac cæteros. Accedit ratio: quia convenientiſſimum fuit, & hominum naturæ ſociabili, ac ſuavi erga illos Dei providentiæ maxime conſentaneum, extare credendi, ac vivendi regulam externam, ſtabilem, unam communem omnium, per quam doceri, commoneri, corrigi, judicari homines ab hominibus poſſent.

Neque dicas, non convenire, Deum ſcribere ad homines, cum ſit ipſis intime præſens, eoſque arcanis illuſtrationibus, & privato quem vocant ſpiritu regere poſſit. Hæc enim cum non appareant, errori, & fraudi eſſent; ac diſſenſioni & ſeparationi potius, quam ſocietati, & unitati apta. Certe Libertini, Phanatici, & quotquot agi ſe privato ſpiritu dictitant: neque alii cum aliis conſentiunt, nec ſibi ipſi conſtant. Illud II. Cor. III. 6. *Littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*; ut liquet ex orationis contextu, ipſis nullo modo ſuffragatur. Explicatum a nobis in Prolegom. diſp. 1. Conſule Interpretes. Legendi præcipue Lyranus, Paulus Burgenſis, Salmeron, Serrarius, ac cæteri ſacri Interpretes in ſuis prolegomenis, Driedo de S. Script. Melchior Canus de locis theol. lib. 2. Bellarminus Controv. lib. 1. Perez Pentat. Fid. par. 3. Dominicus a S. Trinit. Biblioth. theol. tom. 2. lib. 3. Tena Iſag. S. Script. lib. 1. difficult. 1. Rasler de Regul. externa Fidei art. 6. & 7. &c.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Scriptura hujuſmodi, ſunt illi libri, quos Teſtamenta Vetus, & Novum; vel antonomaſtice Biblia, aut Scripturam vulgo appellamus.

PRobatur. Deut. xviii. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui : & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* II. Eſdr. viii. 1. 3. 8. *& dixerunt Eſdræ ſcribæ, ut afferret librum legis Moyſis &c. Et legit in eo aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane uſque ad mediam diem, in conſpectu virorum, & mulierum, & ſapientum: & aures omnis populi erant erectæ ad Librum ..... Et legerunt in Libro legis Dei diſtincte, & aperte &c.* I. Mach. 1. 60. *& apud quemcunque inveniebantur libri Teſtamenti Domini ... ſecundum edictum regis trucidabant eum.* Luc. xxiv. 44. *quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripto ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Ad Galat. iv. 24. 26. *quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Unum in monte Sina, in ſervitutem generans &c. Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Ad Hebr. 1. 1. 2. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis : noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* II. Petr. iii. 15 16. *Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis &c. quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Item Exod. xvii. 14. xxxiv. 27. Deut. iv. 1. 2. xvii. 18. Pſalm. xviii. 8. xxxix. 8. Iſa. 1. 2. lii. 6. Jerem. 1. 4 xlv. 1. Baruch. 1. 3. 14. iv. 1. 2. Aggæ. ii. 6. 8. I. Mach. iii. 48. Matth. iv. 4 v. 17. 18. xxii. 31. 43. Luc. 1. 70. iv. 4. xvi. 29. xxiv. 27. 44 Joan. v. 39. x. 34. xix. 30. Act. iii. 18. x. 43. xv. 15. 21. xxvi. 22. Rom. 1. 2. iv. 17. I. Cor. ix. 9. x. 6. ii. xv. 3. Galat. iii. 17. Epheſ. ii. 20. Coloſ. ii. 17. Hebr. x. 10. II. Petr. 1. 19. 20. 21. Apocal. 1. 19. xxii. 6. 13. 19. &c.

Probari etiam poteſt ex Traditione, & Eccleſiæ judicio; cum Libri utriuſque Teſtamenti fere omnes, pro divinis ſemper recepti, atque habiti, nec aliter quam ut divini ab Eccleſia propoſiti, & uſurpati fuerint in conciliis ſuiſque omnibus decretis, atque ſanctionibus; quo facit illud Nicæni I. can. Arab. *Quorum omnium cognitio ex divinis Scripturis clare patet; & nos trecenti octodecim profitemur.* Ex Patribus, & Doctoribus; qui omnes hanc utramque Scripturam, vel interpretantur, vel citant: & alii quidem certos aliquos libros propugnant adverſus Marcioniſtas, Gnoſticos, Manichæos, Alogos &c. ut Irenæus lib. II. cap. 10. n. 2. & lib. III. cap. 12. n. 12. Tertullianus de carne Chriſti cap. 2. n. 18. in libris cont. Marcionem, & in Scorpiaco adverſus Gnoſticos, Cyrillus Hieroſoly. catech. 4. de decem dogm. n. 33. Baſilius in libris adv. Eunomium, Epiphanius Hæreſ. 51. n. 3. Hieronymus in epiſt. ad Paulinum & ubique paſſim, maxime in præfationibus, Auguſtinus in libris de Doctr. Chriſt. de Conſenſu Evangel. de Geneſi contra Manich. cont. Fauſtum, & cont. Adimantum Manichæos. Alii libros eos omnes propugnant adverſus ethnicos, ut Tertullianus in Apologetico, Clemens Alex. in libris Stromat. Origenes cont. Celſum, Euſebius Cæſar. in libris de Præpar. & Demonſtr. Evang. Auguſtinus in libris de Civit. Cyrillus Alex. in libris contr. Julian. Accedit ratio, cujuſmodi ſunt notæ, ſigna, ſive argumenta, quæ dicimus credibilitatis; tum communia, & vulgata, quibus probatur vera Eccleſia, quæ hæc volumina recipit, nobiſque proponit; ac vera religio, quæ his voluminibus potiſſimum ſtat. Nam pleraque eorum, quæ credimus, ibi traduntur; & ideo illa credimus, quia ibi loquitur Deus; & inter illa, quæ credimus, eſt ipſum hoc, ibi loqui Deum. Tum propria, & peculiaria,

quæ

quæ horum voluminum divinitatem proxime probant: qualia ſunt, Prophetiæ, quæ ſunt ibi plurimæ, ſuo quæque tempore, rerum eventu completæ. Doctrinæ ſanctitas, ſublimitas, conſenſio, Martyres, qui pro illis ſanguinem profuderunt, ut in perſecutionibus olim Antiochi, & poſtmodum Diocletiani, Miracula, quibus eadem vel illuſtravit, vel conſervavit, vel injurias ipſis illatas altus eſt Deus: ut apud Euſebium Præp. lib. 8. c. 1. &c. Et argumenta cætera, de quibus ſcriptum in Prolegom. par. 1. diſp. 1.

Neque dicas, hos libros alicubi peccare in Geographia, in Chronologia, in Hiſtoria; &, quod frequentius occurrit, diſcordare inter ſe: ut propterea in Deum auctorem referri nequeant. Etenim omnes iſtiuſmodi loci, in quibus ſpecies eſt aliqua erroris aut contradictionis; explicationes, ac defenſiones per quam commodas habent apud Interpretes. Legendi præcipue Menaſſeh ben Iſrael Conciliator, Tirinus, Magrius, Cumiranus, Fraſſen in peculiaribus tract. de antilogiis apparentibus S. Scripturæ. Item S. Franciſcus Saleſius in ſermonibus Polemic. Canus, Bellarminus, Corn. Janſenius Concord. Evangel. Sanderus Apol. Biblica, Lopes de Montoya concordia S. Scripturæ, Ludovicus Cappellus Crit. ſac. lib. 1. c. 1. 2. &c. Huetius demonſtr. Evangel. Bernardus Lamy Harmon. Evang. & Apparat. Biblic. Chronol. & Geograph. Annatus Appar. theol. lib. 2. art. 12. & 13. Ulloa in Regul. pro intellig. S. Scripturæ, Cherubinus a S. Joſeph. in Prolog. tom. 1. diſp. 6. art. 2. 3. 4.

PROPOSITIO III.

Hujus Scripturæ partes, ac Fidei regula ſunt, non ſolum Libri protocanonici; ſed etiam deuterocanonici: hoc eſt, illi, de quorum divinitate inter catholicos ipſos aliquando eſt dubitatum: nec niſi poſt aliqua ſæcula in canonem, ſive ordinem divinorum librorum ab Eccleſia relati ſunt. Cujuſmodi ſunt ex V. T. Tobias, Judith, Eſther, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, Danielis pars, I. & II. Machabæorum. Ex N. T. Epiſt. ad Hebræos, Epiſt. Jacobi, II. Petri, II. & III. Joannis, Epiſt. Judæ, Apocalypſis. Item caput ultimum Marci. Tum quæ ſunt Lucæ XXII. 43. 44. Joannis 3. & 1. Joannis V. 7.

PRobatur iis Scripturæ locis, quibus Eccleſiæ, & Pontifici tribuitur facultas paſcendi, oves præſertim; hoc eſt, magiſtros, doctoreſque ipſos Scripturis ſanctis. Ut Joan. XXI. 17. *Paſce oves meas*. & Jerem. III. 15. *Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina*. Nec non Malach. II. 7. *Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus* II. Paral. XIX. 10. Ezech. XLIV. 23. 24. Item quibus locis Eccleſiæ, & Pontifici tribuitur clavis in primis doctrinæ: ut Iſa. XXII. 22. *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Et Apocal. III. 7. de qua clavi Luc. XI. 52. *Væ vobis Legis peritis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ &c.* In his vero eſt illud primum, ſacrorum Librorum certum canonem condere; & alios quidem Fidelibus aperire, & proponere; alios vero ab eis removere, & occludere. Quod expreſſum eſt Iſa. VIII. 16. *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis*. Adde illud 1. ad Timoth. III. 15. *Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*. Porro veritas in ſacris maxime Literis; immo ſacræ ipſæ Literæ veritas ſæpiſſime nuncupantur. Vide Cornelium a Lapide, & Benedi-

Digitized by Google

nedictum Juſtinianum in hunc Pauli locum.

Probari etiam poteſt ex Traditione; cum memorati proxime Libri ab Innocentio I. in epiſt. ad Exuperium §. 7. numerentur inter canonicos, & ab Eccleſia ſaltem Romana receptos; quæ cæterarum magiſtra, & ut ait irenæus lib. 3. cap. 3. n. 2. & Ambroſius epiſt. 1. ad Siricium n. 5. Traditionum cuſtos eſt fideliſſima, & accuratiſſima. Deinde ex Conciliis, tum quæ Scripturas eas omnes, & ſolas recipi jubent, quas Eccleſia receperit; ut Concilium Toletanum 1. can. 12. Tum quæ canonicos Libros recenſent: hæc enim ſupraſcriptos omnes in eum numerum referunt, ut Cartaginenſe 111. can. 47. Romanum ſub Gelaſio 1. Tridentinum Seſ. 4. Ultimo ex Patribus, qui illud ipſum univerſe docent, quod Toletanum paulo antè citatum. Ita præſertim Irenæus lib. 3. cap. 2. 3. & 4. Cyprianus de Unit. Eccl. Vincentius Lirinenſis adver. prof. novit. cap. 2. maxime autem Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum cap. 4. & lib. 28. cap. 2. & 4. item lib. 1. cont. Creſconium Donatiſt. cap. 33. n. 39. & cont. Epiſt. Fundam. cap. 5. n. 6. ubi celebris illa ſententia. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas*, & lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 4. n. 12. & 13. ubi tanto ante Tridentinum ſacrorum librorum indicem texit cum hujus concilii canone penitus conſentientem. Accedit ratio; quia cum extituri eſſent homines impii, qui veras Scripturas odio haberent, ac perditas vellent; alias autem confingerent, atque ſupponerent, penes Eccleſiam, & Pontificem earum tutela, & judicium eſſe debuit. Adde argumenta credibilitatis communia. Ajunt Heterodoxi, hoc nimium eſſe, nec poſſe in hominem cadere, ut divinam auctoritatem Scripturis vel tribuat, vel adimat. Non ſolum jam ſupra cæteros homines, ſed ſupra Dei verbum tolli Pontificem, ſi de ipſo quoque judicat. Verum reſpondeo, judicium iſtud non eſſe juriſdictionis, & poteſtatis, quale eſt judicium principis in homines ſibi ſubditos; ſed diſcretionis tantum, quale eſt judicium principis in eas leges, quarum ſit duntaxat cuſtos, ac vindex. Neque Pontifex, & Eccleſia libros, qui ſint vere divini, authenticos faciunt ſed tantum declarant. Sive authenticos faciunt extrinſecus, & quoad nos; non vero intrinſecus, & ſecundum ſe. Neque dicas, aliquos ex his Libris an. 372. a Conc. Laodiceno prætermiſſos fuiſſe, & ſimiliter ab aliquot Patribus: hoc enim probat, quod initio diximus, hos libros deutero-canonicos eſſe; de illis intra ipſam Eccleſiam controverſiam fuiſſe. Difficultates vero peculiares, quæ contra quemque ex his Libris afferuntur, ſolutas invenies apud ipſorum Interpretes, quorum nomina habes apud Calmet, ſub initium dictionarii Biblici, apud Crovæum in Elencho, & apud Le Long Biblioth. S. Script. Præter hos vero, ac præter illos Scriptores quos ſub finem 1. Propoſitionis recenſui, legendi præcipue Joſeph de Voiſin in proœm. Pugion. Fid. Jodoc. Coccius Theſa. lib. 6. Sixtus Senen. Biblioth. S. lib. 1. Alphon. a Caſtro lib. 1. cap. 2. Bozius lib. 16. cap. 10. Julius Rogerius opuſc. de lib. Can. Stapletonus tom. 1. par. 1. Controv. 4. lib. 5. Gretſerus in Defenſ. Bellarm. lib. 1. Valentia 2. 2. diſp. 1. quæſt. 3. Serrarius Proleg. cap. 7. & 8. De la Haye in Prolegom. ſect. 11. Natalis Alex. hiſt. Eccl. ſæcul. 1. cap. 12. articul. 2. Gardeboſc hiſtor. Eccleſ. par. 5. diſſert. 3. Calmet diſſert. in 1. Joannis verſ. 7. Simonnet. tom. 2. tractat. 9. diſput. 5.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Horum omnium Librorum Deus non ſolum ſententias, ſed etiam ſingula verba dictavit.

PRobatur; quia frequentiſſimus eſt in ſacris Literis hic loquendi modus: *Hæc dicit Dominus*; vel, *Factus eſt ſermo Domini ad me dicens*: vel. *Factum eſt verbum Domini ad me dicens &c.* Quæ quidem videntur complecti etiam verba. Expreſſius Exod. IV. 12. *Ego ero in ore tuo*, II. Reg. XXIII. 2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam*. Pſalm. XLIV. 2. *Lingua mea calamus ſcribæ*. Iſa. I. 20. *Os Domini locutum eſt*. LI. 16. *Poſui verba mea in ore tuo*. & LII. 6. *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum*. Jer. I. 9. *Dedi verba mea in ore tuo*. XV. 19. *quaſi os meum eris*. XXXVI. 2. *ſcribes omnia verba quæ locutus ſum tibi*. Matt. V. 18. *Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*. Apocal. XIV. 13. *Et audivi vocem de Cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui &c.* & XIX. 9. *Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni &c.* Item Ezech. III. 14 17. Matth. X. 20. Luc. I. 7. Act. IV. 25. ad Theſ. II. 13. II. ad Tim. III. 16. II. Petr. I. 21. Apocal. XXII. 18. 19.

Probari præterea poteſt ex Patribus, qui hos Scripturæ locos in hanc ſententiam accipere, & id ipſum docere videntur unanimi ſenſu. Ajunt enim, *neque ſyllabam; neque apiculum eſſe in ſacris Literis, in cujus profundo non ſit grandis theſaurus*. Ita Chryſoſtomus hom. 3. 18. 21. 26. &c. in Geneſ. 49. in Joan. & alibi. *Singulos ſermones, ſyllabas, apices, puncta plena eſſe ſenſibus, & ſpirare cœleſtia ſacramenta*. Ita Hieronymus in c. 6. Matth. & 3. ad Epheſ. & epiſt. 13. & 103. ad Paulinum. Et ſic pariter Clemens Alex. lib. 2. Strom. Origenes homil. 2. in Jerem. cap. 2. Philocali. cap. 10. & lib. 5. cont. Celſum, Gregorius Thaumat. ſerm. 2. de Annunciat. B. M. V. Baſilius in Iſa, cap. 2. n. 70. & orat. 1. de ſtruct. homin. n. 19. Gregorius Nyſ. orat. 7. cont. Eunom. & Orat. 1. in ea verba *Faciamus hominem &c.* Epiph. hær. 76. Aug. ep. 137. ad Voluſianum cap. 2. n. 4. & cap. 5. num. 18. Bernardus ſerm. 72. in Cant. n. 6. Præterea magis expreſse, & directe, *ex quibus & litteris & ſyllabis compoſitæ ſunt ſcripturæ, eas omnes eſſe divinitus inſpiratas*. Ita Clemens Alex. in Admonit. ad Gent. Baſilius lib. de Spir. S. cap. 1. n 2. & in Pſalm. 37. n. 1. & ſimiliter Irenæus lib. 2. adv. hær. c. 28. n. 2. Tertullianus de habit. mulier. cap. 3. *Verba Scripturæ eſſe cæleſtia, ſtylum venerabilem Spiritus S.* Ita Hilarius lib. 2. de Trinit. n. 3. & in Pſalm. 118. litter. 6. n. 1. & Auguſtinus lib. 7. Conf. cap. 21. n. 27. Et tandem, *Prophetas eſſe os Domini*. Sacris ſcriptoribus *divinum Spiritum & res, & dicta miniſtraſſe*, Athanaſius in Pſalm. CXVIII. 88. Ambroſius in Lucam lib. 1. num. 3. Gregorius Magn. Præfat. in Job cap. 1. n. 2. Accedit ratio: quia, ut animadvertunt Clemens Alex. lib. 6. Strom. & Cyrillus Alex. ſeu verius Origenes homil. 6. in Levit. ſermonis, ac locutionis externæ ſunt partes duæ; ſententia, tanquam anima; ac verba veluti corpus. Cum igitur Scriptura, ut vidimus ex Scriptura ipſa, & Patribus, quam vere, & proprie eſſe poteſt, ſit verbum Dei, ſive ſermo, ac locutio externa Dei; ſequitur, ut ab illo ſit ſecundum utranque partem. Et confirmatur ex majori honore, ac reverentia, quæ habetur verbis ſacræ Scripturæ, quam verbis Conciliorum. Præterea divinæ Traditiones Evangelicæ, ut olim egreſſæ ſunt ex ore Chriſti Domini, profecto non minus proprie fuerunt verbum Dei, ſeu divina locutio, quam ſacra ipſa Scriptura. Eædem vero, ut modo extant in libris Conciliorum, & Patrum, verbum Dei, ac locutio divina non ſunt ita proprie. Certe ſacri Canones, ac dicta Patrum non ſunt eo dignitatis, & honoris gradu, quo divina Scriptura. Quare hoc? Sane vel hac una, vel hac maxime de cauſa, quia Traditiones ibi non ſunt iiſdem verbis expreſſæ, quibus profectæ, & prolatæ ſunt olim

olim a Chriſto Domino. Nam ſi certo conſtaret, ea eſſe verba ipſa Chriſti Domini; locis illis Conciliorum, & Patrum idem eſſet honor, ac reverentia, quæ ſacræ Scripturæ: nec eſſet aliquid ſolide diſpar, ac differens, quod ad rem præſentem afferri poſſet inter utrunque.

Neque dicas, epiſtolam ſcriptam ex mente, & ſententia regis, & nomine ipſius, eſſe proprie verbum regium. Eſſet enim magis proprie, nec ſolum vi, & auctoritate; ſed re quoque ipſa, & veritate, ſi ſcripta eſſet rege non ſolum res, ſed etiam verba dictante. Quod ſi addas, Scripturæ ſtylum eſſe diverſum; Græcanicum Pauli ſermonem, vehementem quidem eſſe, ſed rudem, nec a ſolæciſmo prorſus immunem; Scriptorem ſecundi Machabæorum 11. 27. prædicare ſcribendi laborem a ſe ſuſceptum; & ult. 39. veniam quodammodo a lectoribus petere; reſpondeam, ſatis his omnibus fieri una illa ratione, Spiritum S. hac in re attemperaſſe ſe Scriptorum illorum captui, peritiæ, diligentiæ quoque, ac ſtudio. Dictaſſe quidem iis omnibus omnia; ſed non uno modo. Non ſicut Prophetis, ſic & Hiſtoricis: & aliter, quæ non niſi divinitus; aliter, quæ humano modo, ac via noſſe poterant. Legendi præcipue Salmeron Proleg. 1. Suarez de Fide diſp. 5. ſect. 3. Bannes p. 1. qu. 1. Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 8. Tena lib. 1. Iſag. difficult. 10. Dominicus a S. Trinit. tom. 2. lib. 4. ſect. 1. cap. 5. Perez Pentateuch. Fid. part. 3. dub. 10. De la Haye Proleg. ſect. 23. De la Mothe de Inſpir. S. Libror. Calmet diſſert. ante epiſt. Canon. Annatus Appar. theol. lib. 2. art. 6. Rabaudus in Exercit. theolog. Ex. 2. cap. 1. Cherubinus a S. Joſeph Prolegom. tom. 4. diſp. 3. art. 3. qui pro hac ſententia plurimos citat.

PROPOSITIO V.

Præter ſenſum Externum, quem verba præſeferunt, quique etiam Litteralis, & Hiſtoricus dicitur; alius eſt divinæ Scripturæ ſenſus interior, quem Spiritualem, ac Myſticum vocant; ac dividitur in *Allegoricum*, qui eſt de Chriſto, de Eccleſia, ac reliquis, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent; *Tropologicum*, qui de moribus; & *Anagogicum*, qui de æterna beatitudine, ac divinis, ſuperniſque rebus.

PRobatur primum generaliter: Ezech. 11. 9. *manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus, & foris.* Et ſic pariter Apoc. VI. & Prov. XXII. 17. 20. *Appone cor ad doctrinam meam... Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & ſcientia.* Et pariter 1. Corin. XIV. 6. de quo adi Caſſianum Collat. 14. cap. 8. Tum deinde Hierem XV. 16. Ezech. III. 1. 2. Pſalm. CXVIII. 103. 1. Cor. 11. 7. 10. X. 2. 3. 11. XII. 10. 11. Tim. III. 16. 17. Hebr. X. 1. Deinde ſpecialiter; cum Spiritus S. ipſe quamplurima ex T. V. myſtice exponat in in T. N. Exponit allegorice, quod eſt Gen. XVI. 15. XXI. 2. de duobus Abrahæ filiis. per illud Galat. 14. 24. *quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo Teſtamenta.* Et quod Gen. 11. 24. de primis duobus Parentibus, per illud Eph. V. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, & ſic alia plurima. Exponit Tropologice locum Numer. XXVI. 64. 65. & plures alios per illud 1. Cor. X. 6. 7. 8. &c. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum &c.* & locum Gen. XXI. 9. per illud Gal. IV. 29. *Quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc &c.* Exponit Anagogice quod eſt Iſa. LIV. 1. de civitate Jeruſalem Galat. IV. 26. *Illa autem, quæ ſur-*

Digitized by Google

ſurſum eſt Jeruſalem, *libera eſt*, *quæ eſt mater noſtra*. Et Apoc. XXI. 2. 10. Item quæ propria Templi, & Sacerdotum veterum, Hebr. VIII. 5. *Qui exemplari*, & *umbræ deſerviunt cœleſtium*. Item nomina Sionis, & Eccleſiæ Hebr. XII. 22. 23. &c. 1. Cor. IX. 9.

Probari præterea poteſt ex ſcripto Hadriani pro Nicæna II. Synodo. Deinde ex Patribus, qui in ſuis interpretationibus hos omnes ſenſus ſequuntur. Inſiſtunt vero præcipue in ſenſu litterali Baſilius, Gregorius Naz. Hieronymus, Theodoretus, Beda, Haymo, Euthymius. In ſenſu Allegorico Athanaſius, Ambroſius, Cyrillus Alex. Rupertus. In ſenſu Tropologico Cyprianus, Gregorius Nyſ. Jo. Chryſoſtomus, Gregorius Magn. Bernardus. In ſenſu Anagogico Dionyſius Areop. Origenes, Hilarius, Auguſtinus, Anaſtaſius Syn. Anſelmus, Hugo, Richardus. Diſtinguunt autem hos ſenſus aperte Hieronymus epiſt. 150. ad Hedib. quæſt. 12. & Auguſtinus lib. 1. de Gen, ad lit. cap. 1. n. 1. Omnino expreſſe, & his ipſis nominibus Eucherius in præfat. libri ſpirit. form. & Caſſianus Collat. 14. cap. 8. Quibus ſubſcribunt S. Thomas p. 1. q. 1. a 10. & S. Bonaventura opuſc. de reduct. art. ad Theolog. Horum autem exemplo, omnes theologi, & ſacri interpretes.

Accedit ratio; quia cum Deus ſit Dominus, atque arbiter rerum, multo magis, quam nos verborum; & potuit, &, pro ipſius ſapientia, & bonitate, eum maxime decuit, ad nos utroque loqui; & verbis, & rebus ſignificatis per verba. Quod loquitur verbis, in eo ſenſus eſt Litteralis. Quod rebus ſignificatis per verba, in hoc ſenſus myſticus. Qui propterea in ſenſu litterali fundamentum habere dicitur; &, cum res illę, ad noſtram doctrinam figuræ eſſe poſſint horum potiſſimum trium; hoc eſt eorum, quæ ad Fidem, quæ ad actionem, quæ ad præmium, retributionemque pertinent; idcirco ſenſus myſticus trifariam dividitur. Sic vox iſta Jeruſalem civitatem ſignat, Palæſtinæ caput; in quo ſenſus litteralis. Civitas autem illa, figura eſt Eccleſiæ, in quo ſenſus Allegoricus; figura eſt Animæ hominis, in quo ſenſus Tropologicus; figura eſt patriæ cęleſtis, in quo ſenſus eſt Anagogicus.

Neque dicas, multiplicitatem ſenſuum confuſionem, erroremque facile inducere; Nam cum inter ſe optime cohæreant, timenda iſta non ſunt. Sic in uno, eodemque Scripturæ loco, ut vulgo interpretes docent, plures ſunt ſenſus litterales Gen. 1. 1. Iſa. LIII. 4. 8. &c. Nec tamen iſthuc incommodi habent. Neque addas, ſenſus myſticos, cum plerunque ſatis certi non ſint, repugnare Scripturæ, quæ eſt regula Fidei. Ut enim ſapienter notavit Joannes de Raguſio in Concilio Baſil. ac theologi docent, Scriptura non eſt regula Fidei, ſecundum ſenſum myſticum, niſi quando is certus ſit, vel concordi Patrum judicio, vel Eccleſiæ ſanctione, vel alio Scripturæ loco claro, & aperto.

Legendi præcipue Petrus Galatinus de arcan. cathol. verit. lib. 1. cap. 6. Lyranus in Prolog. Toſtatus in Matth. part. 4. quæſt. 28. Alphonſus a Caſtro lib. 1. cap. 3. Driedo lib. 2. de S. Script. cap. 2. Catherinus de clavib. Script. Sixtus Senenſis lib. 3. Biblioth. 1. Pagninus in Iſag. Adamus Prolog. in Iſa. Medina de vera Fide lib. 6. cap. 25. Vaſquez in 1. p. diſp. 15. & 16. Valentia diſp. 1. q. 1. puncto 5. Joannes a S. Thoma diſp. 2. art. 12. ac cæteri, qui ſcripſerunt in 1. partem. Prętęrea Julius Rogerius opuſc. de ſenſ. S. S. Cornelius a Lap. Proœm. n. 12. Serrarius in Proleg. cap. 21. Bonfrerius in Præloq. cap. 20. De la Haye in Proleg. ſect. 10. & 11. Novarinus in Elect. ſacr. Ulloa decad. 1. regul. 3.

Digitized by Google

PROPOSITIO VI.

Non eſt divina Scriptura, quemadmodum Lutherus, Brentius, & Novatores alii prædicant, clara, intellectu facilis, quæque doctore, & interprete opus non habeat.

PRobatur: Pſal. cxviii. 18. & 34. *Revela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Act. viii. 30. 31. *Putaſne intelligis, quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi.* ii. Petr. iii. 16. *In omnibus epiſtolis, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas &c.* Item Eccli. xxiv. 41. Daniel. xii. 4. 10. Luc. xxiv. 32. Joan. xx. 9. 45. 1. Cor. ii. 14 ii. Cor. iii. 14. &c.

Probari præterea poteſt ex Conciliis Chalcedonenſi act. 1. & Tridentino ſeſſ. 4. quæ veros ac reconditos Scripturæ ſenſus nos petere jubent ab Eccleſia, & Patribus. Tum ex Patribus ipſis. Ut enim hi docent, Scriptura eſt *liber ſignatus*, de quo Daniel. xii. 4. 9. 10. & Apoc. v. 1. 2. 3. Ita Origenes hom. 12. in Exod. & Hilarius prolog. in Pſalm. n. 5. & 6. Eſt *Porta clauſa*, de qua Ezech. xliv. 1. 2. &c. Ita Hieronymus in hunc Ezechielis locum, & Gregorius lib. 2. in Ezech. hom. 3. n. 2 & 4. Eſt *Aqua profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari*, de quo Ezech. xlvii. 3. 4. 5. Ita Gregorius lib. 22. Moral. cap. 20. n. 50. & Auctor expoſit. Apocal. xxii. 1. quæ inter opera Ambroſii. Eſt *theſaurus abſconditus*, de quo Matth. xiii. 44. Ita Irenæus lib. 4. cap. 26. n. 1. & Chryſoſtomus hom. 3. 18. 21. &c. in Gen. Et horum ſimilia plurima apud reliquos Patres, quę retuli Proleg. 1. diſp. 6.

Accedit experientia tot & locorum, & librorum S. Scripturæ, qui torſerunt hominum ſapientiſſimorum ingenia; tot commentarii, gloſſæ, ſcholia, quæ omnibus retro ſæculis prodierunt, & quotidie prodeunt ab ipſis etiam hæreticis, quos recenſet Calmet ſub initium Dict. Biblici. Adeſt & ratio, quantum conjicere fas eſt homini, cur Deus Scripturam multis in locis obſcuram, & intellectu difficilem eſſe voluerit. Primum, ut *inter homines idem ſervetur ordo, qui eſt inter Angelos; inferiores illuminentur, ac perficiantur a ſuperioribus.* Ita Chryſoſtomus homil. 44. in Matth. Deinde, ut quæ in illa ſunt, *quærantur ſtudioſius, inveniantur ſuavius, tenacius inhæreant.* Auguſtinus de vera Relig. cap. 17. n. 33. & Gregorius in Ezech. lib. 1. hom. 6. n. 1. Bernardus ſerm. 76. in Cant. n. 7. Præterea *Ne contemnatur a profanis hominibus, & facilitate vileſcat.* Dionyſius Areop. Eccl. Hier. cap. 1. n. 5. Baſilius de Spiritu S. cap. 27. n. 66. Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 6. n. 7. Gregorius Magnus loco proxime cit. & Gregorius VII. lib. 7. epiſt. 11. Denique, ut Scripturarum lectio, ac meditatio plurimarum virtutum exercitationem adjunctam haberet, Fidei, Charitatis, Humilitatis, ac vitæ integritatis. Ita ipſemet Spiritus Sanctus Prov. viii. 12. 17. 34. Sap. 1. 4. 5. 6. Eccli. viii. 9. Ezech. xliv. 23. 24. Matth. xi. 29.

Neque dicas, divinam Scripturam vocari lucernam, & lumen Pſalm. cxviii. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*: talis eſt utique; ſed poſtquam percepta, & cognita fuerit. Sic Theologia, ſic aliæ etiam diſciplinæ lucerna ſunt & lumen. Sapientia vero, ut eſt Sap. vii. 29. *luci comparata invenitur prior.* Num propterea iſtorum aſſecutio plana, & facilis eſt? Preterea non nego, eſſe aliqua in Scriptura valde clara, & perſpicua, ut præcepta Decalogi, conſilia Evangelica, & ſimilia. Hic vero de illa generatim, & univerſe loquimur.

Legendi præcipue, præter Doctores Biblicos, & Polemicos in ſuperioribus Propoſitionibus citatos, Petrus Simon Apolog. verit. cathol. cap. 123. 124. &c. Jodocus Coccius lib. 6. Theſaur. art. 31. Adrianus, & Pe-

Digitized by Google

& Petrus de VValenburch tract. 3. append. 2. cap. 5. Caniſius de corrupt. verb. Dei lib. 2. cap. 11. Cornelius a Lapide in Proœm. a n. 23. Becanus tract. de Script. quæſt. 7. & 8. Novarinus in Elect. ſacr. &c.

PROPOSITIO VII.

Factum ſapienter a S.S. P.P. Pio IV. & Clemente VIII. quod in quarta Indicis Regula S. Biblia, in vernaculam linguam converſa, legi, haberique ſine facultate, vetuerint. Et a Clemente XI. quod in Conſt. Unigenitus &c. Queſnelli Propoſitiones 79. 80. ac ſex deinceps proſcripſerit, quæ lectionem, ac ſtudium S. Scripturæ communia omnibus faciunt.

PRobatur: Dan. XII. 4. 10. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum &c. neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent*. 1. Cor. 11. 6. 14. *Sapientiam loquimur inter perfectos.... Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei &c.* Et XIV. 34. 35. 40. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.... Omnia.... ſecundum ordinem fiant*. 1. Tim. II. 11. 12. 14. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto... ſed eſſe in ſilentio.... Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. Item Ezech. XLIV. 24. Aggæ. II. 12. Mal. II. 7. Rom. XI. 25. 1. Cor. III. 1. 2. XII. 10. 29. 30. Hebr. V. 11. 12. 13. 14. II. Petr. III. 16. Tum figurate Exod. XIX. 12. Numer. IV. 15. 19. I. Reg. XXI. 4. &c. Quæ docendi, & diſcendi ordinem, & modum ſervandum eſſe ſignificant: in hoc etiam genere, non omnium eſſe omnia. Expreſſe autem a ſacris Libris arcentur indocti.

Probari præterea poteſt auctoritate Eccleſiæ, cujus is ſemper ſenſus, & prout ferebant tempora, etiam uſus fuit; ne Scriptura promiſcue tractaretur ab omnibus. Conſtat id ex cap. *Relatum nobis eſt* &c. par. 1. diſt. 37. Et confirmatur teſtimonio, & doctrina SS. Patrum, qui & perſonarum, & ſacrorum etiam librorum delectum haberi volebant; & magiſtros, atque interpretes adhiberi. Ita Dionyſius Areop. de Eccl. Hier. cap. 1. n. 4. Juſtinus dial. cum Tryph. Irenæus lib. 4. cap. 32. n. 1. Tertullianus de Pallio cap. 3. n. 51. lib. adver. hæreſ. cap. 39. n. 237. de Reſurrect. carn. cap. 40. n. 280. Clemens Alex. Strom. lib. 1. 5. 6. & lib. 3. Pedag. cap. 11. Origenes Prolog. in Cant. & homil. 27. in Numer. Cyprianus de Spectac. n. 6. 7. 8. Athanaſius de Incarn. Verbi n. 57. de decr. Nicæn. Synod. n. 10. de Synod. n. 40. Hilarius Pictav. in Pſalm. 118. prolog. n. 2. & lit. 1. num. 1. & lit. 16. n. 11. in Pſ. 134. n. 1. l. 1. de Trinit. n. 37. & 38. lib. 4. n. 14. Baſilius in Regul. brevius tract. interrog. 96. epiſt. 42. ad Chilonem n. 3. Proœm. in Iſa. n. 6. Gregorius Naz. orat. 1. apolog. & 26. nu. 56. Epiphanius hær. 44. n. 6. Ancorat. num. 22. Ambroſius lib. 3. in Lucam num. 50. & Prolog. in Luc. n. 6. Gregorius Nyſ. in Hexam. n. 1. in Eccle. hom. 1. & Proœm. in Cant. Hieronymus lib. 1. adv. Pelag. Prolog. in Ezech. cap. 12. in Dan. cap. 3. in Nahum, epiſt. ad Paulinum &c. Joannes Chryſoſtomus homil. 18. in cap. 7. Matth. & homil. 42. in cap. 22. hom 44. in cap. 23. Auguſtinus Prolog. de doctr. Chriſt. n. 4. 5. 6. &c. lib. 12. Confeſ. cap. 14. n. 17. in Pſalm. 10. n. 8. 9. 10. in Pſal. 103. ſerm. 1. n. 18. ſerm. 3. num. 3. in Pſalm. 140. num. 1. in Pſalm. 146. n. 12. & 15. Item ſerm. 4. cap. 28. num 31. ſerm. 23. cap. 1. 2. 3. &c. ſerm. 46. cap. 9. n. 20. & aliis plurimis in locis. Cyrillus Alex. lib. 9. cont. Julian. Fulgentius lib. 3. ad Monim. cap. 5. epiſt. 6. cap. 8. n. 12. lib. 2. de verit. Prædeſt. cap. 10. n. 16. Gregorius Magn. epiſt. ad Le-

Digitized by Google

Leandr. cap. 3. lib. 16. Moral. cap. 18. n. 23. 24. lib. 18. cap. 39. n. 60. lib. 1. in Ezech. homil. 5. n. 1. hom. 9. n. 29. lib. 2. in Ezech. homil. 5. nu. 3. 4. &c. Dial. lib. 4. cap. 42. lib. 5. in 1. Reg. c. 3. n. 3. Procem. in Cant. n. 5. Et ſic alii deinceps; donec extinctis penitus tribus Linguis principibus, in Chriſti Domini Cruce conſecratis, tolli ſacra Biblia ex imperitorum manibus facilius potuere, vernaculis interpretationibus interdictis. Quod ſub initium ſæculi XII. fecit Concilium Toloſanum can. 12. & deinceps inde aliis ſæculis alia Concilia, Oxonienſe, Cameracenſe, Mechlinenſe, Yprenſe, Gandenſe, Carnotenſe, Senonenſe, Burdigalenſe, Turonenſe, Bituricenſe, Narbonenſe, Mediolanenſia plura, Aquilejenſe, Hieroſolymitanum &c.

In promptu eſt ratio; & his duobus potiſſimum continetur. Quod experientia compertum ſit, divinarum Literarum tractationem, lectionemque promiſcuam plus detrimenti, quam utilitatis afferre. Quod, ſi alias unquam, his certe temporibus prorſus neceſſe non ſit, eas patere omnibus, ac per ſe proxime legi, & tractari: cum tanta copia ſit, & ſacrorum miniſtrorum, & piorum librorum, qui illarum myſteria, & doctrinam, quantum cuique convenit ad utilitatem, & ut cuique convenit ad captum, Fidelibus impertiant. Sic factum allis in rebus v. c. in Euchariſtia, quæ laicis, atque etiam fœminis tradebatur olim aſportanda, ac domi aſſervanda; tradebatur parvulis, & infantibus; tradebatur etiam ſub utraque ſpecie. Quæ ſimilibus, ac fere iiſdem de cauſis ſublata nunc ſunt. Nimirum Eccleſia ad hanc doctrinæ lucem, & diſciplinæ perfectionem, in qua eſt hodie, certis gradibus, atque progreſſibus a Spiritu ſancto perducta eſt. Præterea alia tempora, & circumſtantiæ aliud poſtulabunt.

Neque dicas a Concilio Tridentino nihil de re iſta ſancitum. Id enim fecerunt memorati Pontifices tum propria auctoritate, & munere, tum etiam de mente Concilii, ſcilicet ut eſt perſpicuum ex ipſius ſeſſ. 22. c. 8. can. 9. & ex Conſtit. Pii IV. *Dominici gregis*. Concilium ſcilicet ipſis hoc negotii, ſicut & Vulgatam Editionem corrigendam, & alia plura vel inſtituenda, vel perficienda reliquit. Dices, Patres aliquot, & maxime Chryſoſtomum ad Scripturæ lectionem hortari omnes. Reſpondeo, Patres illos, tanquam oratores aliquando locutos emphatice; locutos aliis temporibus, & circumſtantiis; & ita quidem locutos, ut tamen debitum modum & ordinem ſervari vellent. Quod de Chryſoſtomo ipſo videre facile poteris locis tum in hac, tum in ſuperiori Prop. citatis. Eccleſia etiam in pluribus Conciliis; immo Deus ipſe in ſacris Literis ad hoc ipſum omnes hortatur; ac verbo, doctrinaque ſua vult alii omnes. Sic tamen, ut alii accipiant per ſe; alii vero aliorum ope, ac miniſterio: nec omnibus tradantur omnia; nec uno modo: ſed ut explanentur, & quodammodo emolliantur multis: potus præbeatur, non eſca; & lac fiat ex ſolido cibo. 1. Cor. III. 2. Hebr. v. 12. 14. Moneo, pleraque iſtiuſmodi argumenta in Queſnellum, & alios ejuſdem factionis retorqueri poſſe, es iis, quæ de Euchariſtia dicta ſunt paulo ante.

Legendi præcipue Hoſius de Sacris vernac. Ledeſma de Scripturis vernac. Cochlæus de eod. argum. Albanus Pius in reſp. ad epiſt. 1. Eraſmi, Navarrus de orat. & Horis canon. cap. 22. num. 103. Sixtus Senenſis Biblioth. Sacr. lib. 6. annotat. 152. & lib. 8. hæreſi 13. Noguera de Eccleſ. Chriſt. lib. 1. Alph. a Caſtro de hæret. punit. lib. 3. cap. 6. Schultingus confeſ. Hieronym. tom. 1. cap. 7. art. 12. Coquæus in Antimornæo tom. 1. & 2. Stapletonus l. 9. XX. c. 7. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap 15. Sanderus de viſib. monarch. lib. 7. Gretſerus de nov. Tranſlat. Poſſevinus in Appar. verbo *Biblia*, Ferdinandus theſaur. prælud. 1. & 2. Caſtorienſis de Lectione Scriptur. Cherubinus a S. Joſeph Biblioth. crit. Sacr. tom. 1. diſſertat. 1. De la Fontaine Conſtit. Unigen. theolog. propugn. tom. 3.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

Inter omnes S. Scripturæ Textus, etiam Originales, quales tamen nunc extant, ſola Vulgata Editio Latina eſt certo, & practice authentica, ac Fidei regula.

PRobatur iiſdem primum Scripturæ locis, quibus III. Propoſito de Libris deuterocanonicis; Deinde Ezechiel. VII. 26. *lex peribit a Sacerdote* & XXXIV. 18. 19. &c. *reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: & cum puriſſimam aquam biberetis, reliquum pedibus veſtris turbabatis. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur. Et quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant.* Hæ paſcuæ, & aquæ, ut habet Gloſſa Ordin. & Hieronymus in hunc locum; ſunt Scripturæ ſanctæ, viciatæ, & corruptæ. Item Matth. XXI. 43. *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* In quo quidem venit Scriptura præcipue, ut notat etiam Hieronymus in hunc locum & alibi. Et I. Cor. XIV. 21. *in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic .... dicit Dominus.* Præterea Iſa. V. 5. & 6. Thren. II. 9 Matth. XXIII. 38. &c.

Probari præterea poteſt Eccleſiæ, & ſapientum judicio. Tum exercite, ut ſchola loquitur, tum etiam ſignate. Primo quidem modo, quia ab undecim ſeculis, eoque amplius omnia Concilia, Patres, Doctores, Scriptoreſque catholici hac una Editione uſi ſunt, aliis vel repudiatis, vel relictis. Altero autem modo, quod ea non ſolum utuntur, ſed maxime commendant Gregorius lib. 20. Moral. cap. 32. n. 62. Iſidorus lib. 6. Etymolog. cap. 5. & lib. I. de divin. Offic. cap. 16. ac reliqui deinceps. Tridentinum vero eam non modo authenticam declaravit, ſed ſacros omnes Libros, *prout in ipſa habentur, integros cum omnibus ſuis partibus pro canonicis ſuſcipi, eamque nullo prætextu rejici vult.* Ut proinde, ſi quo in loco uterque Textus ſimul teneri, & componi nequeat, Vulgatus ſcilicet, & Originalis, hunc præ illo rejici, & poſthaberi velle videatur.

Ratio eſt pro vulgata quidem, præter omnia argumenta credibilitatis, quibus extrinſecus, & quoad nos Eccleſiæ catholicæ, & Concilii œcumenici auctoritas nititur; illud etiam: quod maxime conveniens, immo & neceſſarium fuerit, Eccleſiæ Latinæ, in qua ſedes eſt Petri, & ſtabilis, atque integra Fides, nihil minus dari, quam Eccleſiæ Græcæ, & olim Synagogæ, quæ Scripturas, utraque lingua ſua propria authenticas habuere. Adverſus autem Textus Originales eſt probabilitas argumentorum, quibus ut extant hodie, oppugnantur a viris doctiſſimis. Quæ vide apud Salmeronem, qui Text tum Hebraicum; apud Bellarminum, qui Græcum; apud Canum, qui utrunque rejicit.

Neque dicas. Textus Originales ſaltem authenticos eſſe iis in locis, quibus cum Latina Interpretatione conſentiunt; hæc enim authentia eſt non primaria, & abſoluta, de qua hic agimus; ſed ſecundaria, conditionalis, & aliunde ſuſpenſa quam ipſis concedimus. Nec addas in Latina Vulgata plures eſſe Interpretis lapſus. Nam primo iſtud negatur. De quo vide præfationem Editionis Sixtinæ, & Clementinæ. Nos Proleg. I. diſp. 5. quibus in locis Vulgata eſt manifeſte contraria Textui Originali, non in illa vitium, ſed in hoc reſidere docuimus. Ubi vero duntaxat diverſa; id referendum oſtendimus in Deum ipſum, qui eo in loco Vulgatum Interpretem, ut olim Septuaginta, Textui Originali aliquid addere, vel detrahere voluerit. Deinde, fac ibi lapſum Interpretem: cum nihil eorum ad Fidem, & mores pertineat, non eſt cur authentica, & Fidei regula eſſe non poſſit.

Legendi præcipue Salmeron Prolog. 3. §. 12. Titelmannus, & Tiletanus in Apolog. Suarez diſp. 4. de Fide ſect. 3. n. 10. Becanus tract. I. de Script. cap. 3. Serrarius Proleg. cap. 19. qu. 8. Bonfrerius

Digitized by Google

rius Præloq. cap. 15. ſect. 3. Tirinus in Indice Controv. 2. n. 9. Lindanus lib. 1. de optimo genere interpretandi, & Huetius ſimiliter, Morinus lib. 1. Exercit. 6. cap. 12. Fraſſen diſq. Bibl. lib. 2. cap. 6. De Elizalde de forma ver. Relig. quæſt. 16. Pallavicinus hiſtor. Concil. Trid. lib. 6. capit. 17. Simonnet. tom. 2. tract. 9. diſp. 3. art. 1. 2. 3. 4. &c.

PROPOSITIO IX.

Dubiorum Scripturæ ſenſuum ſupremus interpres, & Controverſiarum Fidei judex item ſupremus, non eſt Scriptura ipſa, & privatus cujuſque ſpiritus, ut Heterodoxi vellent; ſed ſummus Pontifex, & Eccleſia.

PRobatur Deuter. XVII. 8. 9. &c. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris &c. aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore .... ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio .... morietur homo ille &c.* Eccl. XII. 11. 12. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.* Ezech. XIII. 3. *Væ prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum &c.* Matth. XVIII. 17. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Luc. XXII. 32. *Simon rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* 1. Tim. III. 15. *Eccleſia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis.* Præterea II. Paral. XIX. 10. 11. Jerem. III. 15. Ezech. XLIV. 24. Agg. II. 12. Malach. II. 7. Matth. XVI. 19. XVIII. 20. Joann. XXI. 17. Act. XV. 28. &c.

Probari etiam poterit ex praxi, & conſuetudine omnium, ſæculorum, quibus declarata, quæ dubia, & controverſiæ omnes ejuſmodi finitæ a ſummo Pontifice, vel ab Eccleſia una cum ipſo. Vide Bellarminum, qui lib. 3. de verbo Dei cap. 6. hæc accurate recenſet. Id ipſum docent diſertiſſime Patres: Dionyſius Areop. de Eccl. Hier. c. 4. ſ. 6. Irenæus lib. 3. cap. 3. num. 2. & cap. 4. nu. 1 lib. 4. cap. 26. n. 4. & 5. & cap. 32. n 1. Tertullianus libro integro Præſcript. adv. hæret. præſertim cap. 36. Cyprianus epiſt. 3. ad Rogatianum ſ. 3. & ep. 59. ad Cornelium ſ. 5. Athanaſius hiſt. Arrian. ad Monach. a num. 44. Baſilius epiſt. 69. ad Athan. num. 1. Gregorius Naz. orat. 1. & 17. Ambroſius epiſt. 21. ad Valentinianum num. 4. & 15. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum de nomine Hypoſtaſis, & epiſt. 11. ad Ageruchiam, Chryſoſtomus in duabus epiſt. ad Innocentium, Auguſtinus cont. ep. Fund. cap. 5. n. 6. cont. Creſcon. lib. 1. cap. 33. num. 39. epiſt. 186. ad Paulin. cap. 1. n. 2. lib. 2. Evang. quæſt. q. 40. nu. 3. in Pſalm. 25. n. 13. in Procem. de doctr. Chriſt. num. 4. 5. 6. Cyrillus Alex. apud S. Thomam opuſc. 1. cont. Græcos, Vincentius Lirin. Commonitor. 1. Theodoretus epiſt. ad Leonem Pontif. & epiſt. ad Renatum Presbyt. Rom. Sozomenus lib. 3. cap. 7. de Julio 1. Chryſolog. epiſt. ad Eutych. Proſper. lib. de Ingrat. cont. Collator. cap. 21. n. 6. & lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 6. Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 2. ad Joannem Pap. Gregorius Magn. lib. 20. Moral. cap. 2. n. 2. 3. 4. lib. 23. cap. 4. n. 11. lib. 26. cap. 42. nu. 77. lib. 2. in Evang. hom. 24. n. 4. lib. 3. epiſt. 57. lib. 5. ep. 20. lib. 7. ep. 39. Par. 1. Regul. Paſt. cap. 1. &c. Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 17. ſ. 2. orat. 1. de Imagin. n. 1. & 2. & orat. 2. n. 16. Anſelmus in Præfat. ad lib. de Fide Trinit. Bernardus in Præf. ep. 190. ad Innocent. epiſt. 191. ad eundem n. 1. & 2. lib. 2. de conſid. cap. 8. nu. 15. & 16. & lib. 3. c. 1. & 2. &c.

Acce-

Digitized by Google

Accedit ratio ex ipſa rerum natura. Duo enim ſunt diverſa inter ſe, lex, & judex; lex, & interpres. Et in omni bene conſtituta civitate, aut regimine habetur utrumque diverſe: neque lex eſſe cenſetur judex, & interpres ſui; nec ſtandum privati cujuslibet interpretatione, & judicio. Porro Scriptura eſt veluti lex; eſt norma quædam, ac regula, & quidem mortua. Opus fuit a Deo conſtitui judices, & interpretes; qui ſint regula viva: interrogati reſpondeant, examinent, æſtiment, ſententiam ferant.

Neque dicas, eſſe aliqua in ſacris Literis, quæ videantur in heterodoxorum ſententiam de ſpiritu privato poſſe explicari, ut illud 1. Cor. 11. 15. *ſpiritualis autem judicat omnia &c.* Nam primo loci iſtius, ac cæterorum omnino alius eſt intellectus. Quod de ſingulis oſtendunt Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 10. ac ne alios nominem, omnes catholici eorum locorum interpretes. Deinde, nuſquam certe in tota Scriptura pollicitus eſt Deus privatorum hominum judicio, & ſententiæ ſe ita affuturum, ut nequeant fallere, aut falli unquam. Quod tamen Eccleſiæ & Pontifici promiſiſſe, planum, ac certum eſt locis pro hac Propoſ. citatis: & valide probant doctores omnes, præſertim dogmatici. Illorum igitur eſt ſuprema judicatio, penes quos ex ſpeciali Spiritus ſancti præſentia, & auxilio, ſuprema eſt auctoritas, fallere, & falli neſcia.

Legendi præcipue, præter Hoſium, Driedo, Cochlæum, Petrum de Soto, Pereſium, Medinam &c. ex paulo recentioribus, Suarez de Fide diſput. 5. ſect. 5. & 8. Valentia de rebus Fidei controv. l. 5. cap. 3. 4. &c. Azorius Inſtit. moral. par. 2. lib. 5. cap. 8. Becanus tract. 1. de virt. theol. cap. 7. opuſc. 7. de Jud. Controv. & Manual. Controv. l. 1. c. 5. Perez Pentat. Fid. par. 3. dub. 15. Pichler de Concil. art. 3. & de Confeſ. Auguſtana art. 12. Thorndicius de poteſt. Eccl. cap. 5. 6. & ſequent. Petitdidier de auctor. Pontific. cap. 2. & ſequent. Elizalde de forma ver. Relig. quæſt. 21. 22. & 31. Aguirre de cath. Petri tractat. 1. & 2. Macedo Aſſertor Roman. Vindic. 3. cap. 2. Nicolaus Pallavicinus defenſ. Pontif. Rom. tom. 1. par. 1. lib. 1. & 2. Sfondrati de Regali ſacerdot. Rom. Pontif. lib. 3. Rasler de externa regula Fid. artic. 8. 9. 20. Simonnet tractat. 9. diſput. 9.

PROPOSITIO X.

Divina Scriptura partim aperte, partim abſcondite omnem ſcientiam & doctrinam, utque ait Cornelius a Lapide in Proœm. n. 13. ſcibile omne complectitur.

PRobatur: quia de Libris Moyſis ſcriptum eſt Deut. IV. 6. *Hæc enim eſt veſtra ſapientia, & intellectus, coram populis, ut audientes omnia præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens, & intelligens, gens magna &c.* Ac de tota S. Scriptura Eccl. XXIV. 32. *Hæc omnia liber vitæ, & Teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis.* Et I. 5. *Fons ſapientiæ verbum Dei.* XLII. 15. *In ſermonibus Domini opera ejus.* Joan. XVII. 17. *Sermo tuus veritas.* Et Coloſ. II. 3. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi.* Quod intelligendum eſſe etiam de verbo Dei ſcripto, docent Ambroſius in Luc. lib. 6. n. 32. & 33. & Auguſtinus lib. XI. Conf. cap. 2. nu. 3. Ad hæc Sap. VII. 14. 17. 18. 19. &c. & XVI. 20. 21. Baruch III. 32. 37. Matth. XIII. 44. II. Tim. III. 16. 17. Hebr. IV. 12. 13. &c.

Probari præterea poteſt ex Patribus, qui ſummo conſenſu, ut in VI. Prop. vidimus, in S. Scriptura nihil non plenum ſenſibus, non plenum myſteriis, & Sacramentis eſſe volunt; ingentes ibi theſauros ubique latere. Expreſſe autem aut quod poſſit facile colligi, in ea eſſe omnem ſcientiam, & doctrinam docent Irenæus lib. 2. cap. 28. n. 6. & 7. Tertullianus contra Hermog. cap. 22. Origenes in cap. 1. Joan. Hilarius in Pſal. CXIII. 50. Ambroſius loco ſup. cit. epiſt. 7. ad Ju-

Juſtum n. 3. lib. 2. de Cain, & Abel c. 6. n. 22. lib. 1. de Offici. cap. 32. num. 165. Hieronymus in Pſalm. xxii. 5. & cxviii. 14. Auguſtinus loco ſup. cit. & epiſt. 137. ad Voluſianum num. 3. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 16. num. 22. & lib. 56. cap. 15. n. 29. Eucherius Lugd. in Gen. ii. 6. Radulphus Flaviac. in Levit. lib. 10. cap. 1. Hugo a S. Caro in Eccli. xxiv. 35. 40. &c. Denique illi, qui quicquid bonarum artium, & diſciplinarum traditum eſt a priſcis ſapientibus, id omne e divinis Voluminibus depromptum fuiſſe contendunt: ut Juſtinus Mart. Clemens Alex. Euſebius Cæſar. Ambroſius, Auguſtinus; Cyrillus Alex. & alii plures.

Accedit ratio: quia eſt e dignitate verbi Dei ſcripti, quod, quantum fieri poteſt, ſimilitudinem aliquam referat Verbi æterni; quo Pater loquitur omnia; non divina ſolum, verum etiam creata. Eoque ſpectaſſe videtur Tertullianus loco ſup. cit. cum ſcripſit: *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi ſimul & Factorem manifeſtat, & facta*. Immo & reliqui Patres, qui Verbum æternum incarnatum, ſeu corporatum, & proprie, & analogice dicunt. Proprie quidem eo corpore, quod ipſi in utero Virginis fabricavit ſpiritus: analogice vero corpore Scripturarum, quod ei pariter aptatum, & conformatum a Spiritu S. qui Scripturas dictavit. Sic Origenes homil. 1. in Levit. Ambroſius lib. 6. in Luc. n. 33. Hieronymus in Pſalm. cxlvii. 14. & alii quamplures.

Neque dicas, non eſſe e ſanctitate Scripturæ, quod ibi tradantur Phyſica, Mathematica, & alia iſtiuſmodi. Quid enim ſanctius Verbo æterno? Atqui exprimit iſta etiam: ut docet Auguſtinus lib. 83. Quæſt. q. 63. Sed nimirum, ut diſtinguit S. Thomas qu. 4. de Verit. art. 5. *Patrem, & Divina repræſentat principaliter & per ſe; cætera de conſequenti, & quaſi per accidens*. Similiter in S. Scriptura primario & per ſe, Divina, & quæ ad noſtram ſalutem proxime pertinent: ſecundario autem, & quaſi per accidens, quæ ad ſalutem non pertinent, niſi remote.

Legendi præcipue Cornelius a Lapide in Proœm. n. 13. Pineda præfat. in Job. cap. 8. De Pinna in Eccli. etholog. 887. nu. 10, & ethol. 888. n. 1. Sherlogus in Cant. anteloq. 4. ſect. 13. nu. 10. 1. & anteloq. 11. ſect. 5. num. 36. De Mendoca in lib. Reg. Annot. 1. ſect. 2. Phelippæus in Oſeam 1. 10. Creſolius Myſtagog. lib. 2. cap. 15. ſect. 2. Novarinus Elect. ſacr. lib. 1. & 2. Alvarez in Iſa. xxxiii. 21. & in præfat. Nierimbergius de origin. S. Script. lib. 2. cap. 7. & lib. 7. cap. 9. & 10.

PROPOSITIO XI.

Habet Eccleſia, præter divinas Scripturas, etiam Traditiones divinas, alteram Fidei regulam.

PRobatur: Joan. xvi. 12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Act. 1. 3. *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. 1. Cor. xi. 2. 34. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis... Cætera autem cum venero diſponam*. ii. Theſ. ii. 14. *Itaque, fratres, ſtate: & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*. ii. Tim. 1. 13. 14. *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti... bonum depoſitum cuſtodi*. Item ii. 1. 2. & iii. 14. Necnon Joan. xxi. 25. & ii. epiſt. Joan. 12. & iii. 13. 14. Quibus addi poſſunt ex T. V. Deut. xxxii. 7. Job. viii. 8. Pſalm. xliii. 1. lxxvii. 5. 6. Eccli. viii. 11. Iſa. xxxvii. 19. Jerem. vi. 16. Malach. ii. 7. &c.

Probari præterea poteſt perpetuo Eccleſiæ uſu, quæ ut Scripturis, ſic & Traditionibus catholicam veritatem ſemper tutata eſt. Nec minus ex perpetuo bello, quod in eas fecerunt omnes omnium temporum hæretici. Quæ duo argumenta ex Eccleſiaſtica hiſtoria luculenter tractata repe-

Digitized by Google

reperies apud Scriptores, quos ſuo loco ad legendum proponam. Deinde expreſſis ipſius Eccleſiæ decretis, ut Fabiani Papæ & mart. epiſt. 2. n. 1. Stephani 1. epiſt. ad Epiſcop. Africæ, Innocentii 1. epiſt. ad Decentium, Leonis Magn. ſerm. de Quadrag. & ſerm. 2. de Jejun. Pentecoſt. Hadriani 1. epiſt. ad Conſt. & Iren. quæ extat Act. 2. Nicæni 2. Tum Decretis ipſius Nicænæ Synodi Act. 1. 6. 7. & Synodi octavæ Act. 8. & 9. denique Tridentini ſeſ. 4.

Ad hæc Patrum omnium teſtimoniis Ignatii mart. in ſuis epiſt. & apud Euſebium lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 36. Dionyſii Areop. de Eccl. Hier. cap. 1. §. 3. & 5. Polycarpi apud Irenæum lib. 3. cap. 3. n. 4. Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 20. Juſtini Apolog. 2. Egeſippi apud Euſeb. hiſt. lib. 4. cap. 8. Papiæ lib. 4. Expoſit. Irenæi lib. 3. cap. 2. n. 1. 2. 3. 4. cap. 4. n. 1. Tertulliani de coron. milit. cap. 4. Clementis Alex. apud Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 11. Origenis in cap. 6. Epiſt. ad Roman. Cypriani epiſt. 63. §. 1. & epiſt. 70. §. 2. Euſebii Cæſar. lib. 1. demonſ. Evang. cap. 8. Athanaſii epiſt. de Decret. Nicæn. Syn. n. 27. Baſilii homil. 24. cont. Sabel. Arium, & Anom. num. 6. lib. de Spir. S. cap. 9. n. 22. & cap. 27. n. 66. &c. Cyrilli Hieroſ. Catech. 5. n. 12. Gregorii Naz. orat. 3. Epiphanii lib. 2. Hæreſ. 41. n. 6. Her. 49. n. 71. Hæreſ. 56. n. 8. Chryſoſtomi homil. 4. in 11. ad Theſ. 11. 14. homil. 2. in Pſalm. cxvIII. 85. hom. 29. in epiſt. ad Rom. xv. 15. hom. 26. in 1. ad Cor. xI. 2. &c. Hieronymi epiſt. 54. ad Marcel. & dialog. adver. Lucifer. Auguſtini epiſt. 54. ad Januar. cap. 1. n. 1. lib. 2. cont. Donat. cap. 14. n. 19. lib. 4. cap. 6. n. 9. & cap. 24. n. 31. lib. 5. cap. 23. n. 31. cap. 26. n. 37. lib. 1. cont. Creſconium cap. 33. num. 39. lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. cap. 24. n. 34. lib. 2. cont. Julian. cap. 10. n. 34. &c. & ſic alii omnes ſequentibus ſæculis.

Accedit ratio: cum enim aliqua, & quidem non pauca, quæ ad Fidem, mores, diſciplinamque pertinent, in ſacra Scriptura vel non ſint ullo modo; vel, quod probabilius cenſemus, non ſint clare, & aperte; oportuit, vel eorum Scripturæ locorum, in quibus hæc latent, ſenſus recludi; vel certe clarius enunciari, & edici. Quod factum eſt per Traditionem; quæ Scripturæ clavis propterea dicitur; quod vel illam aperit, vel quæ in ipſa ſunt abſcondite, & involute, aperte, explicateque proponit. Hæc autem clavis ſicut olim a Deo tradita Moyſi, de eaque eſt illud Luc. xi. 52. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ &c.* ſic a Chriſto tradita Apoſtolis, ut eſt Luc. xxiv. 45. Act. 1. 3. & aliis ſup. cit.

Neque dicas, non eſſe veriſimile, voluiſſe Deum nos traditionibus regi; quippe quæ oblivioni, errori, fraudi expoſitæ ſunt. Hoc enim id tantum evincit, quod dictum eſt ſupra; opus fuiſſe ſupremum aliquod tribunal, ſive judicem ſtatui, qui ut Scripturas, ſic & Traditiones veras a falſis ſecernat; ac veræ quæ ſunt, tueatur, ac vindicet: *columna ſit, ac firmamentum veritatis*. Reliqua, quæ objici poſſunt vel per te facile ſolves; vel ſoluta reperies apud Doctores Catholicos.

Legendi præcipue, præter Canum, Pereſium, Tiletanum, & alios citatos a Bellarmino tom. 1. lib. 4. cap. 1. §. 2. S. Franciſcus Saleſius ſerm. Polem. Bloſius defenſ. Fid. par. 1. cap. 6. & par. 2. cap. 6. & 10. Caniſius lib. 1. de corrupt. verbi Dei cap. 8. & 10. Suarez de Fid. tract. 1. diſp. 5. ſect. 4. Bannes 2. 2. q. art. 10. dub. 6. concl. 6. Ayala de div. Trad. par. 3. Valentia de rebus Fidei controv. lib. 8. cap. 6. & 2. 2. diſp. 1. q. 1. punct. 7. Tannerus tom. 3. diſp. 1. q. 5. dub. 3. &c. Gretſerus defenſ. Bellarm. lib. 4. cap. 2. Becanus tract. 1. de Fid. cap. 4. Fevardentius in Irenæ. lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 3. Dominicus a S. Trinit. Biblioth. theolog. lib. lib. 3. ſect. 2. cap. 1. Perez Pentat. Fid. par. 4. Pichler controv. fundamental. art. 2. Thorndicius de poteſt. Eccl. cap. 8. & 14. Natalis Alexand. hiſt. Eccl. ſæcul. 2. diſſert. 16. Gravina de ſacr. Depoſit. cap. 1. 2. &c. Touttèe diſſert. 3. Cyril. n. 13. Maſſuet diſſert. 3. in S. Irenæ. art. 3. Simonnet tract. 9. diſp. 4. Raſler reg. Fid. art. 10. &c.

Digitized by Google

PROPOSITIO XII.

Præter Traditiones Divinas, ſunt etiam Traditiones duntaxat Apoſtolicę, & Eccleſiaſticæ. Ideſt, quæ, Deo non dictante, ſed tantum aſſiſtente, vel ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia primum prodiere.

PRobatur I. Cor. VII. 12. *Nam cateris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem &c.* Quod quamvis ab Apoſtolo ſcriptum ſit, argumentum eſt tamen aliorum, quæ eodem jure, & poteſtate, viva voce, vel facto ipſo, atque uſu, non ſcripto tradidit. Cujuſmodi ſunt illa, de quibus XI. 34. *Cætera autem, cum venero, diſponam.* Et ſimiliter illa Joan. epiſt. II. 12. & III. 13. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum: ſpero enim, me futurum apud vos, & os ad os loqui &c.* Quo pariter ſpectat illud Philip. III. 17. *Obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Tum generatim illa Matth. *Si Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus* Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Item Matth. XVI. 19. Joan. XXI. 16. 17. Act. XX. 28. 31. 35. I. Cor. XIV. 19. II. Cor. XIII. 10. I. Petr. V. 2. &c.

Probari præterea poteſt iiſdem fere omnibus locis, quibus Propoſitio præcedens. Siquidem ibi de Traditionibus non tantum divinis, ſed apoſtolicis etiam, & eccleſiaſticis ſermo eſt: & in iis maxime, quæ notata ſunt ex epiſtolis S. Pontificum; decretis conciliorum; ex Ignatio, Polycarpo, Ireneo, Tertulliano, Cypriano, Baſilio, Epiphanio, Hieronymo, Auguſtino, præcipue lib. 2. & 4. cont. Donat. ubi tria iſta Traditionum genera diſtinguit; & ad eas diſcernendas, proprias cujuſque generis notas, & caracteres exhibet.

Accedit ratio, tum a priori, ut loquuntur: quia certum eſt Apoſtolis, & Eccleſiæ a Chriſto Domino traditam fuiſſe facultatem, & poteſtatem docendi, ferendi leges, ritus, ac ceremonias ſtabiliendi, & ſimilium. Numquid ergo hac facultate, & poteſtate non uſi? vel uſi ſcripto ſemper; nunquam verbo tantum? cum occupatiſſimi eſſent in Evangelli promulgatione; cum pax, & quies Eccleſiæ tribus prioribus ſæculis vix ulla fuerit; cum res ejuſmodi eſſent, quas celatos ethnicos vellent, neque chartis mandari. Tum a poſteriori; quia multa ſunt, quæ non videntur originem ſuam poſſe altius repetere, quam vel ab Apoſtolis, ut Quadrageſimæ, & quatuor temporum inſtitutio; celebratio Paſchatis die Dominico poſt 14. Martii Lunam &c. vel ab Eccleſia, ut certa ratio & forma jejunandi, ac dies feſtos obſervandi, conſecrationes, ſeu benedictiones aquæ, cereorum, palmarum, & ſimilium &c.

Neque dicas hæc omnia ab Eccleſia jam eſſe litteris conſignata; ut Traditiones ſaltem Eccleſiaſticæ nullæ ſint. Ut enim aliquid, Traditio, ſive ex Traditione dicatur; ſatis eſt, ſi a ſuomet auctore, ſive a prima origine ſua ſcriptum non fuerit. Nam cæteroqui Traditiones nec Apoſtolicæ, nec Divinæ eſſent ullæ: cum apud Concilia, Patres, & in aliis Eccleſiæ libris extent jam omnia, quæ ſive ad credendum, ſive ad obſervandum nobis tradita ſunt.

Legendi præcipue, præter Scriptores in præcedenti Propoſit. citatos, Navarrus de red. Eccle. q. I. mon. 23. n. 6. & q. 3. mon. 2. n. 6. Pamelius in Tertullian. de coron. milit. cap. 3. n. 27. Vaſquez in 3. part. diſput. 211. & 212. Azorius Inſtit. Moral. tom. I. lib. 7. cap. 8. &c. & lib. 8. cap. 4. Petavius theol. dogm. tom. 4. lib. 4. Holſtenius Diurn. Pontif. Creſolius Myſtagog. lib. 3. cap. 20. Dandini Ethic. ſacr. lib. 38. cap. 7. Pirhing Prolegom. in Jus Canon. §. 4. VVagnereck lib. I. titul. 4. de conſuetud. not. 7. Dodvvellus diſſert. Cyprian. Menardus in notis ad ſacrament. S. Gregorii, Martene de antiq. Eccle. Ritib. lib. I. & ſequent. Thomaſini de vet. & no-

& nova Eccle. Diſcipl. p. 1. lib. 1. cap. 1. &c. Leurenius For. Eccl. lib. 1. q. 47. Annatus Appar. theol. lib. 3. VViestner diſſert. 1. Procemial. in Jus Canon. art. 4. Schmalzgrueber Judex Eccl. par. 1. titul. 2. Tournely prælect. theolog. diſput. præv. quæſt. 4. &c.

TRACTATUS SECUNDUS.

Loci ſacræ Scripturæ, qui ad Deum pertinent, ut eſt Unus, & Trinus, expoſiti.

PROPOSITIO I.

Quæ ſunt quatuor antibiblicæ Sectæ, ideſt Politicorum, Indifferentium, Naturaliſtarum, & Libertinorum, præſertim recentium; itemque totidem ſyſtemata, ſive tractatus, ex quibus hæ Sectæ vel natæ ſunt, vel confirmatæ, & auctæ, ſcilicet Nicolai Machiavelli de Principe, Thomæ Hobbeſii de Cive, Eduardi Herberti de Veritate, ut a Revelatione diſtinguitur, Benedicti Spinoſæ de libertate philoſophandi; hæc, inquam, religionem omnem funditus tollunt: ac Deum eſſe, quod videntur iſti & profiteri, & defendere, re vera negant; vel ſuſtinere, niſi ſi ſecum evidenter pugnant, non poſſunt.

PRobatur Pſalm. XIII. 1. & LII. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Dixit in corde; hoc eſt, in occulto, metu legum ut explicant Patres. Quo adumbrati, ac præſignificati videntur hi omnes, de quibus modo dicebam. Is certe illorum caracter, & agendi ratio. Cum Boudinus ipſe ex eorum grege teſtetur in ſuo dialogo, hoc eſſe illorum effatum: *Intus, ut lubet, foris, ut moris eſt.* Quod quidem, ſi recte conſideretur, athei eſt: eoque convincit vel ſolum. Sed de iſtiuſmodi hominibus, & quidem noſtri temporis prædictum eſt etiam 1. Tim. IV. 1. Judæ 18. II. Petr. III. 4. *In noviſſimis temporibus... venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus.... dicentes: Ubi eſt promiſſio, aut adventus eius?* Scilicet hi ſunt, qui nos ita deridunt; quique Chriſtum ipſum falſitatis, & impoſturæ per ſummum nefas arguere audent. Cujus rei fidem facit liber impius, qui ex ipſis prodiit eo titulo infando, atque execrabili, *de tribus magnis impoſtoribus &c.* Minus autem miror, eos ſic loqui, cum ſciam ipſos, ut eſt in vita Spinoſæ, eodem loco, & numero habere ſacram Scripturam, quo Talmudem, & Alcoranum. Iidem præterea deſcripti ſunt Sap. v. 6. XIII. 9. & Coloſ. II. 8. Nec ab illis alienum videtur, quod eſt Exod. v. 2. & Job. XXI. 15.

Probari etiam poteſt ex communi opinione, quæ de iſtis hominibus eſt apud omnes, cum quibus ſunt aliquando verſati. In primis vero judicio Eccleſiæ Romanæ, in librorum ab ipſis editorum proſcriptionibus, & cenſuris. Et tandem ex ipſis quoque Heterodoxis, qui ut videre eſt apud Hartnaccium hiſt. Eccl. tom. 2.

ſect.

Digitized by Google

ſect. 3. de Antiſcripturariis, illos impugnant, atque hæc eorum dogmata, & placita atheiſmi larvas, ac velamenta eſſe confirmant.

Accedit ratio: nam Politici, de quibus hic agimus, religionem habent, tanquam humanum inventum, ac rem mere politicam. Qui vero ſic opinantur, iis rem pariter mere politicam eſſe Deum neceſſe eſt. Nam ſi Deus eſt, ut veriſſime eſt, & eſt colendus, & coli velle debet. Quocirca impie quidem, ſed quod ex ipſius principiis ſequatur, ſcripſit Machiavellus, Dei nomen ad terrendos, & in officio continendos homines excogitatum fuiſſe. Indifferentes de religione vel ſentiunt idem; vel ſi illam eſſe credunt a Deo; cum religiones omnes admittant, & hę ſint oppoſitæ inter ſe, hæc duo ſequuntur; ut Deus teſtetur, ac præcipiat contraria; & contraria etiam de ipſo credenda ſint. Quibus ex Deo chimæram efficiunt. Naturaliſtæ, quæ propria ſunt Dei munera in rerum effectione, & conſervatione, rerum ipſarum naturæ tribuunt: illam unam conſiderant; Deum quodammodo ſemovent, & ablegant a mundo. Quibus autem Deus perinde eſt, ac ſi non eſſet, iis nec eſt: ſed hoc dicere metuunt. Certe ex ente neceſſario ens ſupervacaneum faciunt. Contrario autem recentibus Libertinis, ſeu libere philoſophantibus aut novarum opinionum fabricatoribus liberis illud magis placere videtur, Deum non diſtingui a mundo, ejuſque ornatu, ac pulchritudine. Ex his Spinoſa Deum quidem eſſe confitetur, eſſe rerum omnium cauſam, eſſe ens quo melius cogitari non poteſt. Idem vero Divinitatis attributa, & divinæ ſubſtantiæ modificationes ait eſſe res omnes creatas, a Deoque neceſſario manare. Quod quidem non philoſophari libere; ſed delirare, inſanire; Deum abnegare eſt. Reliqui vero hujus ejuſdem ſectæ qui poſſunt Deum revera credere Deum, cui minime credant; ac mentem, opinionemque ſuam ſubjectam nolint? Cujus auctoritatem non agnoſcunt, ejus divinitatem oppugnant. Confirmantur hęc ex fundamentis, quibus hæ ſectæ nituntur, quæ invenies apud Leſſium de Provid. lib. 1. cap. 1. hæc enim ſunt argumenta ipſa atheorum.

Neque dicas, hos omnes Antiſcripturarios communi nomine appellari Deiſtas: oppoſita vero eſſe inter ſe Deiſtam, & Atheum: ſunt enim oppoſita dumtaxat in ſpeciem. Atque hoc eſt, quod initio poſui: homines iſtos verbo quidem Deum retinere; re autem ipſa tollere. Inſtabis, fieri poſſe, ut aliquis eſſe Deum neque palam, neque in occulto neget; & tamen erret in eo, quod nihil, ſive per Scripturam, ſive alio modo, ab eo revelatum exiſtimet. Eſto fieri poſſit: veruntamen non iis quatuor modis, ac viis, quæ ſupra expoſitæ ſunt. At enim Pſeudopolitia, Indifferentiſmus, Naturaliſmus, Philoſophia libera, proprie & per ſe Atheiſmus non ſunt. Diſtinguendum eſt. Non ſunt Atheiſmus aperte, explicite, directe; conceditur: non ſunt abſcondite, implicite, indirecte; iterum diſtinguendum: non ſunt, prout exſtant in quatuor libris ſupra memoratis; ac vulgo intelliguntur, atque exercentur a ſuis; negatur: aliter; datur. At Hobbeſius, ut habet ipſius vita, & notant Freherus, Morerius, & Bayle, vir juſtus, & probus fuit: ſaltem non fuit inſigniter improbus; ut atheiſmi ſuſpicio in eum convenire videatur. Atqui non ſolum ſuſpectus, ſed ipſis Frehero, Morerio, & Bayle teſtibus, atheus habitus eſt a multis, quorum aliquos paulo poſt nominabo. Dices, hos facile Hobbeſii mores ignoraſſe. Verum nos etiam hic argumentati ſumus, non ex vita; ſed ex doctrina. De hac eſt quæſtio. De ſcriptis proprie; non de hominibus agimus: vel agimus de hominibus, quatenus apparet ex ſcriptis. Hobbeſii mores cuicuimodi fuerint; ejus profecto liber impius eſt, ac peſtilens: nec eſt fortaſſe ullus hac tempeſtate, qui majori hominum pernicie per manus feratur. Non ſolum enim Indifferentiſmum, & Naturaliſmum promovet; ſed Epicureorum ethicam docet. Hoc illi primum, omnia cuique ad ſe ipſum eſſe referenda. Ac quemadmodum Machiavellus pſeudopolitiam, ſeu rationem ſtatus, quam vocant; ita hic philautiam, amorem ſui ipſius pro Deo habere videtur. Enimvero cujus hæc doctrina, hæc ſcripta ſint, quæ juſtitia, & probitas eſſe potuerit, haud ſane video. Fortaſſe non alia, quam quæ in illis etiam, qui eſſe Deum, expreſſe, ac directe negarunt, quandoque eſt inventa. Eadem fere, aut ſimilia di-

cenda

Digitized by Google

cenda de Herberto; & ſi quorum aliorum ex iſtiuſmodi hominibus, vita, ac ſpecies aliqua, ſive umbra virtus, & naturalis honeſtatis nobis objicitur.

Legendi precipue Lindanus in Dubitant. Campanella in Atheiſm. triumphato, Duræus in Confut. Vvitakeri, Petrus Gregorius tom. 3. comment. Reſcius lib. 1. de Atheiſm. Evang. Boverius tom. 1. demonſtr. 1. art. 2. Gentilletus in Antimachiav. Maldonatus in cap. 36. Matth. Prateolus lib, 1. hæreſ. 77. Poſſevinus in Judic. Machiav. Recupitus lib. 1. de Deo q. 3. cap. 2. Cuperus in arcan. atheiſm. revelat. Pichler controv. fundament. art. 4. & 5. Raynaudus theol. natural. diſt. 5. q. 1. art. 8. Sianda Lex. Polem. &c.

Ex heterodoxis, qui pariter contra hos ſcripſerunt, ab iis qui facultatem habuerint, legi præcipue poterunt Pregnerus a Mansfeld. in Confut. Spinoſæ, Kortholtus de tribus impoſt. Herberto, Hobbeſio, & Spinoſa. Parker de Deo, Decker de Scriptor adeſpot. Eiſenhart inſtit. Jur. natur. cap. 2. Vogler de ſtudior. Corruptel. Conringius de prud. Civil. cap. 14. Tabor. in armament. Juſtinian. Forſtner in notis ad Tacit. lib. 12. Sturmius part. 3. Antipap. Struvius de doctis impoſtoribus &c.

PROPOSITIO II.

Adverſus hos omnes, ac reliquos cujuſcumquemodi atheos, argumenta in ſuo quæque genere evidentia, plurima ſunt; ac potiſſimum quindecim.

PRobatur, quia totidem ſacra ipſa Scriptura nobis aperte ſuppeditat; & quidem ſeorſim: quo unumquodque eſſe evidens, ac per ſe ſolum obtinendæ cauſæ par eſſe, videtur oſtendere. Primum eſt ex rerum, quæ factæ ſunt, & quotidie fiunt, contingentia ac dependentia: ut opus propterea ſit ente neceſſario, & a ſe. Pſ. xcix. 3. *ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. II. Mach. VII. 22. 23. *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego &c.* Exod. III. 14. *Ego ſum, Qui ſum &c.* Act. XVII. 24. 25. &c. *nec . . . indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia &c.* Secundum ex excellenti artificio, perfectione, ac pulchritudine mundi univerſi, ejuſque partium; quæ non niſi a ſumma mente, & ſapientia eſſe poſſunt Sap. XIII. 5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Rom. I. 19. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta; conſpiciuntur &c. ita ut ſint inexcuſabiles*. Job. XII. 7. 8. 9. & XXXVII. XXXVIII. XXXIX &c. Pſalm. XVIII. 2. 3. item CIII. CXLVIII. Prov. VIII. 27. 28. Eccl. XLIII. 1. 5. Tertium ex motu, & mutationibus rerum, quæ, ut demonſtrant Scholaſtici cum S. Thoma, neceſſe eſt referri in primum aliquem motorem omnino immobilem, & immutabilem. Sap. VII. 27. *in ſe permanens omnia innovat*. Pſalm. CI. 27. 28. *& ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es &c.* Dan. II. 21. Jac. I. 17. Quartum ex perfectionibus rerum tum quæ ſunt, tum quæ eſſe poſſunt; quas omnes, ut Scholaſtici pariter cum S. Thoma demonſtrant, neceſſe eſt in una aliqua prima, & ſumma cauſa, partim proprie, partim eminenter inveniri. Pſalm. XCIII. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Sap. XIII. 3. 4. *ſciant, quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator &c. aut ſi virtutem . . . mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis*. Iſa. LXVI. 9. Rom. XI. 36. Coloſ. I. 16. 17. &c. Quintum ex ordine, quem ad certum aliquem finem habent omnia; atque illa etiam, quæ propter finem ex ſe moveri, & agere nequeunt: quod ab aliqua univerſaliſſima cauſa, ſummaque providentia, & conſilio neceſſe eſt eſſe. Prov. VI. 6. *Vade ad formicam o piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam &c.* Eccl. I. 10. *effudit illam* (ſapientiam) *ſuper omnia opera ſua*. Pſalm. CIII. 19. CXLVIII. 8. 9. 10. Eccleſ. I. 5. 6. 7. Baruch

ruch III. 33. 34. 35. &c. Sextum ex rerum conſervatione, ac præſertim ex conſtanti in tanta multiplicitate, ac diverſitate motuum, Solis, ac reliquorum ſyderum curſu. Sap. XI. 26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod a te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Pſalm. CXVIII. 91. *ordinatione tua perſeverat dies*, Gen. VIII. 22. Eccle. I. 5. 6. 7. Job. XXXVIII. 32. 37. Eccli. XLIII. 5. 6. 11. &c. Septimum ex novis inventis, quibus humanum genus magis magiſque quotidie perficitur, aliiſque argumentis, quibus demonſtratur, mundum non eſſe ex æterno. Gen. I. I. *In principio creavit Deus Cælum, & terram*. Pſ. CI. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti &c.* LXXXIX. 2. Prov. VIII. 23. 24. &c. Octavum ex conſenſu, & confeſſione totius humani generis, ac præſertim proborum, atque doctorum. Job. XXXVI. 25. *Omnes homines vident eum*. Pſalm. IV. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine &c.* Act. XVII. 27. Rom. I. 21. Nonum ex abſurdis, quæ cæteroqui ſequerentur; cujuſmodi eſſent; quod prima veritas, qualis tunc foret atheiſmus, ſit origo, & fons omnium malorum Oſe. IV. 12. *non eſt ſcientia Dei in terra: maledictum, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt &c.* Pſalm. XIII. I. 2. *Dixit . . . Non eſt Deus: corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus.* Et quod virtus ſine præmio, vitium ſine ſupplicio plerunque foret; ac ſimilia Job. XXXIV. 11. *Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias ſingulorum reſtituet eis. &c.* Matth. VI. 4. 18. *qui vidit in abſcondito, reddet tibi*. Hebr. IV. 13. XI. 6. 26. &c. Decimum ex manifeſtis indiciis ſuperioris cujuſdam voluntatis, ac providentiæ, quæ quicquid efficaciter velit, ſemper obtineat: ut ex hiſtoriis Joſephi, Eſther, Judith &c. & maxime ex propagatione Chriſtianæ religionis inter tot adverſa, & infeſta. Eſth. XIII. 9. *in ditione enim tua cuncta ſunt poſita; & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael*. Sap. VIII. I. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Item Pſalm. II. I. 2. &c. CXXXIV. 6. Prov. XIX. 21. XXI. I. 30. Act. II. 27. 28. V. 39. Undecimum ex Spiritibus, quos eſſe ex antiquis oraculis, ex veneficiis, ex energumenis, ex ſpectris, ac multiformibus viſis perſpicuum eſt: neceſſe eſt autem & eſſe ab aliquo, & in eos aliquem dominari. Pſal. CIII. 4. *Qui facis angelos tuos, ſpiritus &c.* Dan. VII. 10. *Millia millium miniſtrabant ei; & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*. Job. IX. 13. Hebr. I. 4. 5. &c. Jacob. II. 19. Jud. 6. 9. Duodecimum ex Prophetiis. Iſa. XLI. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*. Dan. II. 22. 28. *ſed eſt Deus in Cælo revelans myſteria, qui indicavit tibi . . . quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus. Ipſe revelat profunda, & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta &c.* Gen. XLIX. I. Deuter. IV. 30. Hebr. IV. 13. Decimum tertium ex miraculis. Pſalm. LXXI. 18. *Qui facit mirabilia ſolus*. Eccl. XI. 4. *mirabilia opera Altiſſimi ſolius*. Exod. VIII. 18. 19. Luc. I. 37. XVIII. 27. Decimum quartum ex Doctorum ſapientia, fortitudine Martyrum & inſignibus omnis generis virtutibus hominum ſanctiſſimorum; quæ non poſſunt eſſe, niſi a Deo omnis ſanctitatis, & juſtitiæ fonte. Eccli. I. I. *Omnis ſapientia a Domino Deo eſt*. Jacob. I. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt &c.* Pſalm. XLVII. 36. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem*. Sap. VIII. 21. Luc. XXIV. 49. Joan. XV. 5. Act. I. 8. I. Cor. XII. 3. &c. Decimum quintum ex notiſſimis divinæ ultionis exemplis, in ſceleſtos, ac preſertim ſuperbos, perjuros, ſacrilegos, impios homines editis: verbi cauſa, ne a ſacris Litteris diſcedamus, in Gigantes Gen. VI. 4. & Sap. XIV. 6. Sodomitas Gen. XIX. 24. Pharaonem Exod. V. 2. & XIV. 28. Sennacheribum IV. Reg. XIX. 35. &c. Holofernem Judith. VI. 2. & XIII. 10. Amanum Eſth. VII. 10. Nabuchodonoſorem Dan. IV. 22. 30. Baltaſſarem Dan. V. 22. 30. Heliodorum II. Machab. III. 24. 25. Antiochum IX. 8. 28. Nicanorem XV. 5. 6. 32. 33. Herodem Agrippam Act. XII. 23. &c.

Probari poteſt etiam auctoritate Patrum, & Doctorum qui hæc eadem argumenta tractarunt; & ipſi pariter non uno in loco; nec omnes omnia. Citatos invenies apud Petavium theol. do-

gm.

gm. t. 1. l. 1. c. 1. & 2. & Thomaſſinum pariter t. 1. l. 1. c. 4. & ſequentibus.

Accedit ratio: in pluribus enim ex his quindecim argumentis, conſequentis cum antecedente connexio eſt metaphyſica; in aliis phyſica, in aliis moralis quidem, ſed primi ordinis. Aliis verbis: connexio eſt, de qua vel nullo modo; vel non niſi inſipienter, ac ſtulte dubitari poſſit. Atque idem fere dicendum de veritate antecedentis: de qua in pluribus unicuique conſtat ex ſe ipſo; in aliis ex teſtimonio ſenſuum, in aliis vero ex indubitabili aliorum fide. Neque dicas ſeptimum argumentum non eſſe evidens, quoniam ab omni æternitate mundum extitiſſe opinatus eſt Ariſtoteles. Nam hic, ſi Deum agnovit quod multi negant, non in eo ſolum erravit, quod mundum æternum, ſed quod a nullo factum exiſtimarit. Num propterea & primo, & ſecundo, & cæteris argumentis ſupra indicatis evidentiam detrahes? Nimirum philoſophus iſte, ut alii plures eorum temporum, eo præjudicio imbutus *ex nihilo nihil*, argumenta hæc noſtra parum advertit aut conſideravit. Cæterum argumentum ſeptimum evidentiam habet ſaltem moralem cum monumentis certiſſimis exploratum ſit, qui primum quaſque ſive artes invenerint, ſeu regiones incoluerint. Nec paucæ ex utriſque inventæ, ac detectæ ſint noſtris temporibus; aliæ vero adhuc nobis incognitæ.

Neque illud addas, jam penitus profligatum a multis, primo ipſi argumento ſtatim occurri, vel mutua duorum efficientia, vel productorum, & producentium æterna ſerie. Quod enim duo ſibi invicem conferant, ut ſint, & primo ſint; naturæ lumini omnino repugnat. Quemadmodum etiam plurimorum judicio repugnat infinitus ille generationum ordo, ſive proceſſus. Cæterum hoc etiam dato, contra nos tamen nihil proficies, Nam ſi partes ſingulæ ſunt contingentes, tota etiam collectio contingens eſt; ente neceſſario, & a ſe ipſo prorſus indiget. Quibus enim in rebus multitudo, ſive numerus nihil plus poteſt, aut ſecum affert, quam unitas; ibi perinde ſunt infinita & finita; unum quodlibet, & univerſa. Quod exemplo cæcorum, pauperum, & ſimilium explicari ſolet in metaphyſica. Unde ad hæc expedienda, ac retundenda vos ſatis inſtructos reor.

Legendi præcipue ex iis, qui ſcripſerunt in 1. part. D. Thomæ q. 2. art. 3. Vaſquez, Faſolus, Joannes a S. Thoma &c. Præterea Martinonus, Recupitus, Iſquierdo, Feu, Sanz in diſputationib. de exiſt. Dei. In primis vero Leſſius lib. 1. de Provid. cap. 2. & 3. Granata in Symb. par. 1. Raynaudus theol. natur. diſt. 5. q. 1. Segneri in Incredul. par. 1. Magalotti epiſt. 4. 5. &c. Marchetti in Deo veſtigat. Rogacci in Uno neceſ.

PROPOSITIO III.

Diſſenſio celebris, quæ videtur eſſe inter Patres, ac pleroſque ex Scholaſticis de proxima, & nobis innata Dei notitia, primis affirmantibus, negantibus vero alteris, ea poteſt ratione componi; ut eſſe Deum, ante omnem argumentationem ſit homini notum per ſe, quodam lumine practico: ſeu melius, ſupplente defectum luminis interiori quadam veluti voce, pulſu, inſtinctuque naturæ: eo ſcilicet modo, quo hominibus rudibus per ſe nota ſunt principia Syndereſis, & quæ in naturali lege prima ſunt.

PRobatur epiſt. ad Rom. 11. 14. 15. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſten-*

oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis &c. Hoc eſt: ipſa eadem præcepta, ſaltem primaria, quæ Hebræi acceperunt a Moyſe deſcripta in tabulis, impreſſa ſunt omnium hominum cordibus ab ipſa natura. Quo fit, ut legem Moſaicam non habentes, ipſi ſibi ſint lex: & naturaliter, ideſt, præcipiente ſeu monſtrante natura, ea, quæ legis ſunt, faciant. Hæc eſt interpretatio Origenis lib. 1. cont. Celſum n. 4. Ambroſii epiſt. 73. ad Irenæum n. 2. 3. 10. Hieronymi in comment. hujus loci, & lib. 14. in Iſa. c. 51. §. 4. Chryſoſtomi in com. hujus loci, Auguſtini lib. de Spir. & liter. cap. 28. n. 48. & aliorum. Conſule Pererium in epiſt. ad Rom. Atqui inter illa, quæ Iſraelitis promulgavit Moyſes, hoc eſt primum: *Ego ſum Dominus Deus tuus &c.* (Exod. xx. 2. 3. &c. Deut. v. 6. 7. &c.) ergo etiam inter illa, quæ unicuique intrinſecus denuntiat, atque edicit natura. Hoc autem eſſe inſtar vocis potius, quam luminis; ſive eſſe quoddam lumen practicum, ſignificat ibi ſtatim Apoſtolus, pergit enim: *teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum &c.* Ex quo Tertullianus lib. 1. cont. Marcion. c. 10. n. 61. *Animæ*, inquit, *a primordio conſcientia Dei, dos eſt*. Mitto quæ in hanc eandem ſententiam ſcripſerunt alii ad illud Job. XLII. 5. *Auditu auris audivi te*. Pſalm. LXIII. 7. *Accedet homo ad cor altum*. Iſ. XLVI. 8. *redite prævaricatores ad cor*. Luc. XVII. 21. *Regnum Dei intra vos eſt &c.*

Probari præterea poteſt utriuſque partis ſuffragio. Siquidem Patres non ſolum docent *Dei notitiam nobis eſſe naturaliter inſitam, congenitam, ineſſentiatam &c.* eamque a notitia Dei acquiſita aperte diſtinguant. Sed notitiæ hujus innatæ exemplum afferunt, *reliqua, quæ per ſe nota ſunt in diſciplina morali*. Sic expreſſe Origines lib. 1. cont. Celſum n. 5. & lib. 4. n. 30. & 31. & Chryſoſtomus homil. 12. & 13. ad Popul. Præterea notitiam hanc vocant *naturalem inſtinctum*. Ita Hilarius in Pſalm. 62. n. 3. vocant, *conſcientiam* ſive ſyndereſim, et *conſcientiæ*, ſive ſyndereſis *exhortationem, ac teſtimonium*. Ita Tertullianus loco ſup. cit. & lib. de Teſtimon. Animæ, Chryſoſtomus homil. 12. ad Popul. Auguſtinus lib. de utilit. credendi cap. 16. n. 34. & ſerm. 12. cap. 3. n. 3. & alii plures. Ex altera vero parte duo Scholæ principes S. Thomas, & Scotus, qui hac in re videntur a Patribus diſſentire, locum epiſtolæ ad Rom. quod hujus noſtræ ſententiæ fundamentum eſt; eodem prorſus modo explicant, quo ſupra eſt a nobis expoſitum. Primus vide quid ſcribat Lect. 3. §. 1. in epiſt. ad Rom. & 1. 2. q. 100. a. 1. ubi inter præcepta legis naturæ diſtinguit, quæ ſunt per ſe nota, ab iis quæ talia non ſunt. Nam inter priora manifeſte habet Dei cultum, ac proinde & notitiam. Alterius vero hæc ſunt in 3. Sent. diſt. XXXVII. quæſt. unica ex Reſolut. *Lex naturæ eſt notitia de Deo, & Dei voluntate, quæ conditis nobis menti noſtræ per Deum eſt indicta. De hac Apoſtolus ad Rom. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter &c.*

Accedit ratio: quia homini ad vitæ ſuæ regimen non minus neceſſe eſt noſſe Deum, quam alia, quæ in morali diſciplina per ſe nota eſſe cenſentur. Imperfecta eſſet hominis ratio, ac nimium ſibi defuiſſet natura, ſi homini ad finem ſuum agnoſcendum, inquiſitione, & argumentis opus foret.

Neque dicas, eodem modo eſſe per ſe nota principia Intellectus, quo principia Synderefis. Id enim prorſus nego. Ut enim apparet in hominibus valde rudibus, hæc ſunt certa, etiamſi non ſint ita clare propoſita. Neceſſe non eſt in his tam diſtincte, ac diligenter explicari terminos, quos vocant, ut aſſenſum extorqueant. Supplet vox ipſa naturæ. Neque addas, eſſe utique per ſe notum, colendum eſſe Deum; ſed hac conditione; ſi ſit. Iſta enim conditio in re maxime neceſſaria, inepta eſt, & abſurda, ac prorſus indigna, quæ tribuatur naturæ. Inſtabis: Deum eſſe colendum, eſt per ſe notum, ſed poſtea quam argumentando cognoveris, Deum eſſe. Reſpondeo veritates per ſe notas eſſe omnino priores, quam quæ demonſtratione acquiruntur. Legem naturæ ſimul cum ratione ſe nobis aperire, & exerere. Urgebis adhuc: S. Thomas, Scotus, ac cæteri Scholaſtici, hac ratione cum Patribus conciliari, minime ferunt: quippe qui illos omnino aliter explicant. Eſto: veruntamen, eos hac alia via conciliandos putavi. Nec ita quidem conciliandos, ut inter utroſque plane conveniat;

niat; ſed ne plane diſconveniat. At viæ hujus nullum habes ducem. Ita: hoc pariter. Sed ipſæmet ambæ partes hanc viam, ut vidimus, mihi ſatis aperiunt, atque commonſtrant. Immo ex illis, qui Deum per ſe notum defendunt, qui quidem ex Scholaſticis etiam plures ſunt; haud pauci ad hanc opinionem, cogitationemque meam quam proxime accedunt.

Legendi præcipue Liranus, & Toſtatus in Exod. v. 2. Guilelmus Antiſiodor. lib. 1. cap. 2. in præf. Albertus Mag. in Sum. tract. 3. q. 57. S. Bonaventura in 1. diſt. 8. a. 1. qu. 2. Ægidius in 1. diſt. 3. q. 2. Argentina diſt. 3. q. 1. art. 3. præterea Paſqualigo, Palatius, Averſa, Antonius Perez, Thomaſſinus, Feu, Tournely.

PROPOSITIO IV.

Ens a ſe, Ens neceſſarium, Actus purus, ipſum Eſſe, ipſum Intelligere, ipſum Velle, Ens ſimpliciter infinitum, Ens perfectiſſimum, & ſimilia, quæ expenduntur in ſcholis, tametſi Deum ſatis diſtinguunt, ac ſegregant a rebus creatis, nec ullo modo merentur notam illam atheiſmi, quam pluribus Dei notionibus affirmantibus inuſſit Harduinus in ſuo Opere poſthumo: ea tamen definitio, vel potius deſcriptio Dei his omnibus eſt præferenda, quæ remota metaphora aliquanto magis accedat ad vetuſtiſſimam, ac vulgatiſſimam illam: Deus eſt, ſphæra, cujus circumferentia nuſquam eſt, centrum vero eſt ubique.

PRobatur; nam hæc definitio e ſacris, ut creditur, eſt ducta Literis; vel certe cum illis plane conſentit. Etenim ſacræ Literæ hæc duo conſideratione diſtinguunt in Deo; & quod ſit infinitus, & quod ſit infinite. Siquidem duo ibi ſunt primaria nomina Dei, quæ ad ipſius naturam, ſive eſſentiam, omnium opinione, pertinent. Primum eſt *Jehova*; quod ſummus Sacerdos ter pronuntiabat in ſolemni benedictione, cujus formula eſt Numer. VI. 24. 25. 26. Alterum eſt *Eheie*; quo Deus ipſe ſe quodammodo definivit Exod. III. 14. Illud ſummam totius entis plenitudinem, hoc vero ſummum totius entis actum, ſive actualitatem ſignificant. Prius idem eſt, atque ens infinitum ſimpliciter, ens perfectiſſimum, ens ſummum. Symbolice autem eſt ſphæra extremo ambitu, ac determinatione carens. Poſterius vero idem valet, ac eſſe ſimpliciter infinite, eſſe perfectiſſime, eſſe ſumme: hoc eſt ita eſſe, ut non ſolum ſit infinities infinitum, quæ proprietas eſt ſane admirabilis infiniti in quantitate; ſed ut ſit infinities id ipſum omne, quod eſt. Quod quidem multo eſt admirabilius, atque præſtantius. Symbolice autem adumbratur in ſphæra, cujus centrum ſit ubique. Cum enim centrum ſit individua quædam radiorum omnium, quibus ſphæra continetur, ac proinde totius ſphæræ complexio: ſi qua ſphæra ſine termino fingitur, & in qualibet ipſius parte centrum poſſe conſtitui; ea ſphæra non modo eſt infinities infinita, ſed aliquo modo eſt infinities illud omne, quod ipſa eſt.

Probari præterea poteſt ex Patribus, qui cum ſummam totius entis, ſeu perfectionum omnium plenitudinem de Deo prædicent omnes; ſummam hanc pariter actualitatem, quam modo explicatam attigere non pauci. Ut Dionyſius Areop. de div. Nom. c. 5. §. 6. Gregorius Naz. orat. 38. & 42. Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. 11. 12. & lib. 8. cap. 1. n. 2. epiſt. 187. ad Dardan. cap. 4. nu. 14. & c. 5. nu. 17. Bohetius lib. 5. de Conſolat. proſ. 6. Bernardus lib. 5. de Conſider. cap. 6. n. 13. Maxime vero Anſelmus,

mus, qui Monol. cap. 17. docet, in Deo quamlibet perfectionem eſſe titulum, ſive rationem poſſidendi cæteras omnes: immo ſingulas eſſe poſſeſſionem, atque actum univerſarum. Ex quo ſequitur, ut eo prorſus modo, quo in Deo ſunt perfectiones, ſeu bona plane infinita; Deus totum illud, quod in ſe ipſo eſt, ſit infinities. A nobis eſt, aut certe non diſſidet S. Thomas p. 1. q. 13. a. 4. & in 1. diſt. 2. q. 2. ubi etiam Durandus, Richardus, Ocham, Gabriel, Capreolus, Gregorius diſt. 8. Marſilius qu. 12. Henricus quodlib. 5. q. 1. & alii Doctores Scholaſtici ſuo loco nominandi.

Accedit ratio: quia Dei definitio exigenda non eſt ad dialecticæ regulas: ſed, ut notat Gregorius Naz. orat. 36. *præſtantiſſimus theologus ille cenſendus eſt, qui ampliorem Dei ſpeciem mente conceperit, & auguſtius Veritatis ſimulacrum informarit*. Nullus autem videtur eſſe amplior mentis conceptus, quam hæc perfectionum omnium poſſeſſio, ſive actualitas, eademque tota ſimul in ſingulis ipſis infinities quodammodo iterata, ac repetita. Nullum pariter ſimulacrum auguſtius, quam ſphæra hæc hactenus expoſita. Adde, quod hac infinita quaſi iteratione, ac repetitione infiniti ſimpliciter talis; & hac ſphæræ iſtiuſmodi imagine, ac ſimilitudine Immenſitas, Æternitas, divina omnia melius explicantur: quemadmodum ſuo loco apparebit.

Neque dicas, particulam illam *infinities* male uſurpari de Deo; quippe quæ diſtinctionem, ac numerationem aliquam videatur exprimere. Nam ſi non placet, dici *infinities*, dicam *infinite*. Cæterum diſtinctio, numeratioque illa rationis eſt, & conſiderationis noſtræ duntaxat; vel tantum virtualis, quam vocant: quæ tamen in Deo nullo modo ponat aliud, & aliud; ſed id ipſum omne reponat aliter, & aliter, uti ſuo loco explicabitur. Neque addas, has duas notiones, ſeu mentis conceptus, Ens ſimpliciter infinitum, & Eſſe ſimpliciter infinite, ſeu noſtro intelligendi modo, ac virtualiter, infinities, reciprocari, ſe ſeque invicem conſequi: ac proinde alterutrum redundare. Nam niſi expreſſe adderetur, ſecundam notionem ex prima colligerent pauci: & prima ipſa ejuſmodi eſt, quæ videatur aliquanto melius explicanda. Quocirca hic eſſe poſt quaſi generis loco. Præterea reciprocantur, ſe ſeque invicem conſequuntur hæc quoque duo, Circumferentia nuſquam, ac Centrum ubique. Nimirum deſcriptiones Dei, non definitiones exactæ, ſunt iſtæ. Recole dictum Gregorii Nazianzeni paulo ante citatum. Quod ſi quæras, quænam ſit propria Dei deſcriptio, quæ ſymbolicam ſupraſcriptam adæquet, ipſique reſpondeat: ajo, hanc, aut ſimilem eſſe: Ens, in quo nulla perfectio non eſt; ac perfectio quælibet actus eſt omnium: hoc eſt, ratio, titulus, neceſſitas eſt, ut in eodem perfectiones omnes exiſtant. Cæterum ſi placet, hæc dividi; Ens ſimpliciter infinitum; ſive, ſumma totius puri entis plenitudo, erit mihi tanquam Eſſentia phyſica Dei. Eſſe autem ſimpliciter infinite; ſive, ſumma totius puri entis actualitas, erit velut eſſentia metaphyſica. Atque hoc, vel ſimili modo conformari poterit: Bonorum omnium pro diverſo eorum genere perfecta, & in ſingulis ipſis bonis perfecto modo repetita poſſeſſio. Notandum eſt, alia bona poſſideri perfecto modo per identitatem, & actualitatem, uti puras perfectiones; alia vero poſſideri perfecto modo per præſentiam, efficientiam, dominium, & ſimilia, uti bona creata, quæ bona externa ſunt, & a Deo diſtincta. Hoc vero eſt eſſe Deum, & noſtro intelligendi modo, & virtualiter etiam, uti ſuo loco explicabitur, eſt, inquam, eſſe Deum infinities illud omne, quod ipſe eſt. Quod in ejus deſcriptione omnino exprimendum videtur, & auctoritate, & ratione, ſupra allatis.

Reſtat adhuc, quo inſtare poſſis: videri plus eſſe, quod differat inter nomen *Jehova*, & *Eheie*; cum primum, eſſet Nomen ineffabile. Reſpondeo ex Petro Galatino, & aliis eruditis hanc eſſe cauſam, cur pronuntiari non poſſet, niſi a ſummo Sacerdote; quia ſignificat Trinitatis myſterium, quod Deus rudi illi populo occultum eſſe voluit. Eſt igitur Jehova, ſumma totius puri entis plenitudo tripliciter ſubſiſtens; hoc eſt, in tribus Perſonis. Eſt Eheie, ſumma eadem plenitudo ſimpliciter infinities exiſtens: quæ propterea a nobis ſumma actualitas dicitur; ſeu, bonorum omnium perfecta, & in ſingulis ipſis bonis plene repetita poſſeſſio. Dicitur,

citur, perfecta; quia quod pertinet ad puram pefectionem eorum bonorum, poſſeſſio eſt per identitatem, & actualitatem. Additur, plene repetita; quia quamvis hoc etiam pertineat ad perfectionem illius poſſeſſionis; tamen, niſi diſerte exprimatur, non facile colligitur, ex eo tantum, quod poſſeſſio perfecta dicatur. Dicitur ergo, plene repetita; quia Deus quadam quaſi iteratione, ac repetitione ſuæ totius perfectionis eſt in perfectionibus ſingulis; quæ inter ſe, & a natura, noſtro intelligendi modo diſtinguuntur ſecundum explicitum, & implicitum. Præterea, quia quadam quaſi iteratione, ac repetitione ſuæ totius energiæ, ſive operationis immanentis, eſt in ſingulis ſuis cognitionibus, & decretis; quæ inter ſe, & a natura diſtinguuntur virtuali diſtinctione, ſed multo aliter a nobis ſuo loco explicanda. Tandem, quia quadam quaſi iteratione, ac repræſentatione, ſeu repetitione ſuæ totius præſentiæ eſt ſingulis in locis, & temporibus; ſeu ſpatiis pertinentibus ad locum, & tempus: quæ ſpatia, quæ loca, quæ tempora cum inter ſe, tum a Deo diſtinguuntur re ipſa. Ex his autem omnibus, cum Deus ſit ſua ipſe & præſentia, & operatio, & perfectio, conſequens eſt, ut ſimpliciter infinita quadam quaſi iteratione, repetitione, repoſitione, ſeu ræpreſentatione ſui, ſimpliciter infinities exiſtat; ſeu ſit ſimpliciter infinities id ipſum omne, quod eſt; bona omnia omnifariam, ut ita dicam, poſſideat; ſit *omnia in omnibus*; ſitque adeo non ſolum ſimpliciter infinitus, ſed etiam ſimpliciter infinite: Sphæra, cujus circumferentia nuſquam, ubique centrum.

Legendi præcipue Suarez diſp. 30. metaph. ſect. 6. & lib. de Eſſent. & Attribut. cap. 11. Canarienſis p. 1. q. 28. ar. 2 diſput. 2. Bannes p. 1. qu. 28. Zumel diſp. 3. & 8. Molina diſp. 4. Montoya de Trinit. diſp. 8. ſect. 5. & diſp. 8. de ſcientia ſect. 8. Arrubal. diſp. 10. cap. 13. Granadus contr. 1. tract. 2. diſp. 7. Conink de Trinit. Ægydius Luſitan. l. 5. q. 3. Bugis lib. 3. de Deo cap. 5. Amicus tom. 1. diſp. 3. ſect. 3. Quiros tom. 1. in 1. part. Rodes diſp. 1. de Deo qu. 3. Munieſſa de Eſſent. & Attrib. diſp. 5. ſect. 6. Aranda diſp. 2. ſect. 1. & 4. Recupitus lib. 3. de Deo q. 10. & 13.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

De divina Immenſitate hæc quinque tenenda ſunt, & primum quidem Fide divina; Deum videlicet non eſſe duntaxat in Cælo, aut in alio certo tantum, ac definitio loco; ut Eugubinus, & Vvorſtius docuere; ſed eſſe ubique, in mundo univerſo. Secundum non eſſe ſolum, ubicunque eſt verus locus, ſed extra etiam, ubicunque eſt ſpatium veri loci capax; ſive in infinito illo inani, quod eſt extra mundum. Tertium, non eſſe tantum, ubicunque eſt locus, aut ſpatium, ſed ibi quoque, ubi iſta non ſunt, ut in hominis animo, in Angelis, in rebus cæteris incorporeis. Quartum, non eſſe utcunque in omnibus, ſed prorſus ſingulari, atque admirabili modo; ut ſcilicet ubivis ſit ubique, & in ſingulis præſentiſſimus ſit univerſis. Quintum, ut non ſolum præſentiſſimus ſit, ſed aliquo vero modo, cuique rei tam intimus, quam nulla res intima eſt ipſa ſibi.

PRobatur: nam de primo ſunt illa, Jerem. XXIII. 24. *Numquid non Cælum, & terram ego impleo?* Sap. I. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia*. Pſal. CXXXVIII. 7. 8. 9. 10. Iſa. LXVI. 1. &c. De ſecundo illa, III. Reg. VIII. 27. *Cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt*. Job. XXII. 12. *An non cogitas, quod Deus excelſior cælo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur?* II. Paral. II. 6. Iſa. XL. 12. &c. De tertio, quarto, & quinto ſimul ſunt, ut paulo poſt apparebit, hæc omnia. Sap. VII. 27. *in ſe permanens omnia innovat*. Act. XVII. 28. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Rom. XI. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. I. Cor. XII. 6. *qui operatur omnia in omnibus*. Coloſ. I. 16. 17. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt .... & omnia in ipſo conſtant*. Item Pſ. LXIII. 7. *Accedet homo ad cor altum*. Iſa. XLVI. 8. Luc. XVII. 21. Hebr. IV. 12. &c.

Probari præterea poteſt illud primum ex Conc. Lateranenſi IV. cap. *Firmiter* &c. & ex Symbolo Athanaſii. Et tum hoc, tum ſecundum doctrina eſt omnium Patrum, ut videre eſt apud Petavium tom. V. lib. 3. cap. 7. 8. 9. 10. & apud Thomaſſinum tom. I. lib. 5. cap. 1. 2. 3. Tertium defendit S. Thomas p. I. q. 8. a. I. ad 5. de quo vide ipſius interpretes. Quartum docent Dionyſius Areop. de divin. Nom. cap. 5. §. 10. & cap. 9. §. 4. & 8. Auguſt. epiſt. 187. ad Dardanum cap. 4. n. 14. & cap. 5. n. 17. Diſerte Maximus Mart. in ſchol. ad loc. cit. ex Dionyſio: *Deus*, inquit, *ita eſt in rebus, ut non in illis, ſed in ſe ipſo maneat, ſicuti antequam faceret res. In ſe ipſo autem manens præſens eſt exiſtentibus, præſentia individua, partibilibus impartibiliter, ubilibet omnibus, ſingulis pariter & univerſis*. Simile quidpiam invenies apud Anſelmum Monol. cap. 22. & 23. Quintum docet expreſſe Auguſtinus in Pſalm. 74. num. 9. *Deus corde tuo interior eſt; quocunque ergo fugeris, ibi eſt.... te ipſo interior eſt*, & lib. 8. de Gen. ad liter. cap. 26. n. 48. *Deus eſt interior omni re*. Quod ex ipſo deinde alii etiam dixere.

Accedit ratio, primi quidem, quod Dei potentia, virtus, energia, qua fecit, & conſervat omnia, & in omnibus operatur, eſt ipſe Deus. Secundi vero, quod ut mundum hunc condidit, ita & proxime

Digitized by Google

me potuit, & poteſt nunc etiam proxime, extra hunc mundum, condere alios innumeros: nec ita eſt in loco, ut in illo maneat; ſed locus, & res omnis manet in Deo; Deus autem manet in ſemet ipſo; & quidem, propter ſummam immutabilitatem ſuam, eodem prorſus modo, quo in ſemet ipſo maneret, ſive locos, ac res plane infinitas; ſive nihil condidiſſet. Ratio tertii; quia incorporalia non minus, quam corporalia a Deo ſumme dependent; ipſiuſque potentia, & virtute ſuſtentantur. Ratio quarti; quia Dei præſentia pariter eſt ipſe Deus: ac proinde eſt maxime una, & ſimplex; nec loco, aut rebus affixa, ſed plane abſoluta. Quod non habent ſpiritus cæteri: quorum quidem ſubſtantia individua, præſentia vero dividua eſt; nec aliquid omnino ſolutum a loco, ſed illi penitus illigatum. Sic idem hominis animus totus quidem eſt in capite, totus in pede; non vero tota, eademque præſentia. Contra, Deus quavis in re, aut loci, & ſpatii puncto, tota præſentia eſt, & immenſitate ſua. Ratio quinti; quia quamvis nihil ſit æque intimum, quam id quod eſt idem; res autem creatæ ſint omnino aliud a Deo; tamen ita ſunt in ſe ipſis, ut non inſiſtant, & innitantur ſibi, ſed Deo: qui in quaque re eſt, tanquam cauſa ejus effectrix, & conſervatrix; tanquam ens neceſſarium, & indefectibile in contingente, ac defectibili; quique adeo, re illa prorſus deficiente, ibi in ſe ipſo remanet omnino immobilis, & immutabilis; *in ſe permanens omnia innovat*: dicique propterea poteſt, præ illo, quod quæque res eſt, in ea eſſe intimus, ſeu re ipſa etiam interior.

Probari inſuper poſſunt hæc omnia ſimul, ex ſumma illa Dei actualitate, quæ in præcedente Propoſitione a nobis expoſita eſt. Nam profecto magis, ut ita dicam, infinite exiſteret, ac perfectius externa hujus generis bona poſſideret Deus, ſi haberet ea quinque, quæ hic modo aſſerimus, quam ſi non haberet. Quo definiri etiam poſſet divina Immenſitas hoc, vel ſimili modo: Rerum, ſpatiorumque omnium permanentium, in genere præſentiæ perfectiſſima, & ſingulis ipſis in rebus, aut ſpatiis perfectiſſimo modo repetita poſſeſſio.

Neque dicas, ſpiritus eſſe in loco, per operationem externam; cum igitur Deus nihil externe agat extra mundum, ibi non eſſe. Diſtinguimus enim antecedens; atque iſtud tibi damus de ſpiritibus cæteris; omnino negamus de Deo; qui proprie non eſt in loco: ſed locus eſt in Deo; Deus vero in ſe ipſo: & eodem quidem prorſus, ut diximus, modo, quo in ſe ipſo maneret, ſive infinitos mundos, ſive nullum condidiſſet. Quo fit, ut ita ſit extra mundum in ſpatiis immenſis, ut intra mundum. Cæterum externa operatio non præſtat, quod ſpiritus ſit in loco; ſed probat, & manifeſtat. Et qua ratione prius eſt eſſe, quam operari; eadem ratione prius eſt alicubi eſſe, vel re, vel virtute quam ibi quicquam agere. Deus autem, ut dixi, extra hunc mundum procreare alios innumeros proxime poteſt; neque aliud ab ipſo eſt ejus virtus, atque energia.

Neque iterum dicas contra quartum: quod Deus quovis in loco tota ſit præſentia, & immenſitate ſua; non ideo recte dici, eum ubilibet eſſe ubique: opus huc ſcilicet præterea fore, ut quovis in loco eſſet omnis locus, ſeu res omnes. Reſpondeo enim, rem eſſe perceptu facilem hoc exemplo. Fac non ſolum hominem aliquem divinitus poni duobus ſimul in locis, verbi cauſa Olyſippone, & Patavii; quod de S. Antonio factum ferunt: ſed præterea fingas, quoniam id fieri omnino non poteſt, præſentiam Olyſipponenſem, & præſentiam Patavinam eſſe unum, & idem prorſus. Ajo, fore, ut homo iſte ſit, ac dici poſſit, Olyſippone præſens Patavio; & viciſſim Patavii præſens Olyſipponi. Hoc vero nos intelligimus, cum Deum dicimus ubilibet eſſe ubique; cum ſcilicet ſingulis in locis, aut rebus præſentiſſimum eſſe univerſis, ſeu ubilibet ſpecificative, non reduplicative, ut in tali, & tali loco. Cum enim Deus in ſe tantummodo maneat, atque ejus præſentia non ſolum maxime una, & individua; ſed abſoluta etiam ſit a rebus creatis, nec ullo modo ſuſpenſa extrinſecus; ſequitur, ut voces omnes, quibus ſtatus in loco, ac præſertim diſcretio, ac determinatio locorum notatur, ut hic, ibi, ubivis, ubicunque & ſimilia, ex noſtro tantum loquendi, ac cogitandi more transferantur, & accomodentur ad Deum: & in-

Digitized by Google

& infinita illa, quaſi iteratio, ac repetitio divinæ totius Immenſitatis, tanquam centri omnium locorum, ubique exiſtentis, de qua alibi diximus; cogitatio ſit, ac mentis noſtræ conceptus, rei fortaſſe magis, quam alii congruens; ſed ab ipſa tamen longiſſime diſtans.

Legendi Suarez Metaph. diſp. 30. ſect. 7. n. 51. Molina par. 1. q. 8. a. 1. Valentia diſput. 11. q. 8. punct. 2. Leſſius de Perfect. div. lib. 2. Becanus tract. 1. de divin. Attribut. cap. 6. Del Bene diſp. 2. de Deo q. 7. Raynaudus theol. natural. diſt. 1. q. 1. a. 6. Martinonus par. 1. diſp. 3. ſect. 3. & 5. Ribas tom. 1. ſum. theolog. tract. 2. diſp. 4 cap. 4. Amicus diſp. 8. ſect 3. Alphonſus Rodriquez par. 1. tract. 6. Alvarez de Paz tom. 3. lib. 3. par. 3. decad. 1. contempl. 7. Drexelius in Niceta lib. 2. cap. 10. & de Rhetor. cæleſti lib. 1. cap. 7. Nierimbergius de Dei pulchritud. lib. 1. cap. 11. Rogacci in uno Neceſ. par. 1. cap. 19. &c.

PROPOSITIO VI.

De divina Æternitate tenenda ſunt hæc tria: & primum quidem hic pariter catholica Fide; hoc eſt, Deum eſſe æternum; ſeu, principio, & fine carere. Secundum, Æternitatis eſſe, quod Deus actu, ac re vera extiterit ante mundum, per infinitum ſpatium veri temporis vacuum: quemadmodum eſt Immenſitatis, quod Deus actu, ac re vera exiſtat extra mundum, in ſpatio veri loci vacuo pariter infinito. Tertium, quamvis omnino certum ſit, & in Lateranenſi IV. *Concilio definitum, hanc rerum omnium univerſitatem a Deo ex tempore conditam; haud tamen officere id, quominus omnia Deo ſemper præſentia, & fuerint, & futura ſint; nec ſolum objective, ut ajunt, ſed aliqua vera ratione etiam phyſice; ut explicabitur infra.*

PRobatur: de primo ſunt illa Deuter. XXXII. 40. *Vivo ego in æternum*. 1. Paral. XXIX. 10. *Benedictus es Domine Deus ..... ab æterno in æternum*. Pſalm. IX. 8. *Dominus in æternum permanet*. Item Gen. XXI. 33. Tob. XIII. 1. Pſalm. XCI. 9. Iſa. LVII. 15. & alia plurima. De ſecundo illa Job. XXXVI. 26. *Deus magnus vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum ejus inæſtimabilis*. Pſalm. LXXIII. 12. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula*. Mich. V. 2. *Egreſſus ejus a diebus æternitatis*. Habac. III. 6. *Ab itineribus æternitatis ejus*. Epheſ. 1. 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. 1. Tim. 1. 17. *Regi ſæculorum &c.* Hebr. XI. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. Tit. 1. 2. *Quam promiſit, qui non mentitur, Deus ante tempora ſæcularia*. Item Pſalm. LXXXIX. 2. Prov. VIII. 22. 23. &c. Eccl. XXIV. 5. Daniel. VII. 9. 1. Cor. 11. 7. Jud. 25. &c. Quæ quidem omnia clare ſignificant, Deum actu, ac re vera extitiſſe, ac duraſſe ante mundum, cum verum tempus adhuc non eſſet; eodem prorſus modo, quo actu, ac re vera exiſtit, ac durat, mundo ab annis jam fere ſex millibus condito, ac deinceps in æternum. De tertio tandem ſunt illa: Exod. III. 14. *Ego ſum, Qui ſum &c. Qui eſt &c.* Pſalm. II. 7. *Ego hodie genui te*. Et Pſalm. CI. 28. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Quæ Patres ſic explicant, ut Deo nihil præteritum, nihil futurum ſit. Adde illa Eccli. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Si-

Digitized by Google

Simul, habito reſpectu ad æternitatem: ſex diebus, ſi referantur ad tempus. Et Apoc. IV. 11. *Tu creaſti omnia.... erant, & creata ſunt.* Item Job. X. 5. Sap. VII. 27. Apoc. I. 4. &c.

Probari etiam poteſt ſacra omnis generis auctoritate. Primum, dogma Fidei eſt, ſancitum in Concilio Lateran. IV. Præterea eſt in Symbolo S. Athanaſii, & eſt doctrina omnium Sanctorum Patrum; immo & omnium Sapientium. Secundum eſt ita connexum cum primo, ut vulgo nec ſeparatim tractentur; ac pro uno, eodemque habeantur a Patribus, ut videre poteris, lectis eorum teſtimoniis, ſive apud duos Scriptores dogmaticos, ſub initium præcedentis Propoſitionis citatos; ſive etiam apud Faſolum, Recupitum, & Scholaſticos alios, qui de divina Æternitate fuſius diſputarunt. Tertium docent pariter Patres, qui rerum præſentia ſolum objectiva adeo contenti non ſunt, ut *nomen præſcientiæ in ſacris Literis figurate uſurpatum de Deo* velint, *ſicuti nomen pœnitentiæ*; atque illud expreſſe addant, Deo nunc ſimul præſentes adeſſe dies inter ſe maxime diſſitos, *& quo mundus ſumpſit originem; & quo eſt judicandus*. Patrum de hac re teſtimonia leges apud Montoyam de Scientia Dei diſput. 28. ſect. 4. Habenda ſemper ob oculos definitio æternitatis, tradita a Boethio lib. 5. de Conſol. proſ. 6. *Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. Quorum verborum ſenſum, minime quidem ambiguum, aut obſcurum, male adverſarii ad partes ſuas conantur adducere; cum Boethius ipſe ibidem ita illa declaret; ut dicat, Deum *totum ſimul infinitæ licet vitæ ſpatium comprehendere, atque complecti*; *futura, nondum tranſacta, jam habere*; *interminabilis vitæ totam pariter complexum eſſe præſentiam &c.* Id ipſum ſcilicet, quod de præſentia Dei pertinente ad locum, in ſuperiori Propoſitione diximus.

Accedit ratio. Nam ſumma actualitas ſumma exiſtendi neceſſitas eſt; immo & ipſum eſſe, ſive exiſtere: cujus autem hæc ſunt, principio, & fine careat neceſſe eſt. Brevius. Qui ſumme eſt, ſemper eſt. Quod erat primum. Quod vero pertinet ad ſecundum; ſi hoc concedis de Immenſitate, negas vero de Æternitate; cedo aliquid ſolide diſpar inter utramque. Invenies profecto nihil. Aut ſi quid eſt hac in re, quod differant Immenſitas, & Æternitas; id contra te facit. Facilius enim fortaſſe intelligas, eum proprie eſſe ubique, qui actu, ac re ipſa non ſit extra mundum, ubi non eſt locus verus; quam eum proprie eſſe ſemper, qui actu, ac re ipſa non fuerit ante mundum, cum verum tempus non erat. Quod ſi negas id de utraque, hoc eſt, tum de Immenſitate, tum de Æternitate; de prima quidem probatum eſt ſupra; & argumentis iiſdem probari poteſt de altera: ſcilicet ex poteſtate proxima condendi aliquid, ut extra, ſic ante mundum. Tum etiam ex modo, quo Deus præſens eſt, ut loco, ſic tempori; nimirum permanendo in ſe ipſo. Sic enim, propter ſummam immutabilitatem ſuam, in ſe ipſo permanet, uti prorſus permaneret, ſive nihil; ſive, ut extra, ita etiam ante mundum hunc alios, atque alios innumerabiles condidiſſet. Hoc vero ſi feciſſet; actu, ac re ipſa exiſteret, & exſtitiſſet extra, & ante hunc mundum: exiſtit igitur, atque extitit, etiamſi id non fecerit. Præterea ex ſumma actualitate: quæ eſt certe major, ſi Deus tota Immenſitate, & Æternitate ſua actu, ac re ipſa reſpondet, ac cohæret non ſolum omnibus locis, & temporibus; verum etiam omnibus ſpatiis loci, ac temporis vacuis quidem, ſed capacibus: major, inquam, eſt, quam ſi ad hæc utraque ſpatia eſſet duntaxat in potentia, ut ajunt, ab actu ſejuncta. Tandem hæc ipſa ſumma Actualitas & tertium probat. Propter hanc enim id nobis eſt veluti axioma; Quicquid divina Æternitas eſt ſemel; id ipſum eſt ſimpliciter infinities; ſemel eſt autem cuique rei phyſice præſens: igitur & ſimpliciter infinities. Rei hujus difficultas inde potiſſimum oritur, quod vulgo non ſatis apte æternitatem mente concipimus. Habetur enim tanquam ſcopulus, aut aliud quidvis immobile, in ripa fluminis poſitum; quod quidem aquis omnibus eſt phyſice præſens; ſed tunc ſolum, cum illac prætereunt. Atqui æternitas, interminabilis vitæ, & præſentiæ poſſeſſio eſt tota ſimul; ut ait Boethius: ac ſpeculæ, ſeu montis vertici comparatur a S. Thoma (p. 1. q. 14. a. 13. ad 3.) qui viæ in gyrum ſibi ſubjectæ undique, & æqualiter immineat. A S. autem Dionyſio

nyſio Areop. (cap. 5. de div. nom. §. 6.) comparatur centro, quod ſimul, & ex æquo lineas omnes complectitur. Ut propterea Deus vel nulli rei, tempore aliquo exiſtenti ſit phyſice præſens; vel ſit phyſice præſens ſimul, & æqualiter omnibus. Profecto cum ſit Deus ſua omnis præſentia, ſingulariſſimo modo præſens eſt omnibus, ut locis, ſic temporibus. Niſi autem pluſquam objective præſentem haberet v. c. Antichriſtum, eo modo illum præſentem haberet, quo eum præſentem habet Angelus Gabriel, & quicunque alii Antichriſtum, per Deum, & in Deo prænoſcunt, ac prævident.

Neque dicas, cum ſit vita, præſentia, æternitas Dei ipſe Deus; ac proinde maxime non modo individua, ac ſimplex; ſed abſoluta etiam, & a tempore exempta; eſſe quidem Deo res omnes phyſice præſentes, ſimul, & æqualiter in æternitate; non vero etiam in tempore: hoc eſt, Deo exiſtenti hodie non eſſe phyſice omnia præſentia, ſed ea ſolum, quæ exiſtunt hodie. Et pariter exiſtenti cras, ſolum quæ cras; exiſtenti heri, ſolum quæ heri. Ne, inquam, hoc dicas; nam nobis non officit; & hoc vel ſolo contenti ſumus. Deinde poteſt ita diſtingui: Deo exiſtenti hodie, cras, heri, non ſunt omnia prorſus phyſice præſentia; reduplicative, ut exiſtenti pro his temporis differentiis; permitto: ſpecificative, ſecundum ſe, ſeu permanenti in ſe ipſo; nego. Specificative enim, ſecundum ſe, & in ſe ipſo permanens, ſingulis quibuſque temporibus præſens eſt univerſis; ac momento quovis eſt ſemper. Quemadmodum ſic pariter ſingulis in locis præſens eſt univerſis; & ubivis eſt ubique. Omiſi primum, quia etiam ſub reduplicatione illa eſt ex parte falſum. Quamvis enim æternitas ſit a tempore maxime exempta, ſingulis tamen quibuſque temporis differentiis; & quidem non ſolum temporis veri, ſed etiam imaginarii, ut proxime vidimus, tota reſpondet, ac congruit: & in iis ſingulis totam ſimul exhibet interminabilem vitam, atque præſentiam; totamque ſimul poſſeſſionem omnium temporum, ac rerum exiſtentium in tempore; demum totum illud, quod ipſa eſt. Quo illam iterari, quodammodo, ac repeti dicimus; nec eſſe ſolum infinitam, ſed eſſe infinite: ac centro comparamus non qualicunque, ſed centro in quolibet ſphæræ ſuæ puncto exiſtenti: quod & radios infinitos, & eos omnes infinities complectitur.

Legendi præcipue Bellarminus lib. 1. de Chriſt. cap. 8. Molina 1. par. q. 4. a. 13. diſp. 13. & 14. Gillius lib. 2. de Eſſent. Dei tract. 10. a cap. 15. Fonſeca lib. 6. Metaph. cap. 2. q. 4. Quiros tom. 1. de Deo diſp. 48. ſect. 4. Ribadeneira de Scientia Dei diſp. 15. & 16. Thyrſus Gonzalez diſput. 4. de Deo ſect. 4. & 5. Ex Thomiſtis vero Cajetanus, Zumel, Bannes, Ferrarienſis, Alvarez, Navarrete. Ex Aſceticis Nierimbergius in ſtatera temporis lib. 1. Bartoli de duabus Æternitat. cap. 12. & alii ſub finem præcedentis Propoſitionis numerati.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Immutabilitas Dei ſumma eſt, & ab illo excludit hæc tria: primo mutationem proprie talem, qua aliquid perfectionis vel acquirat, vel amittat. Deinde mutationem minus proprie talem, quæ dicitur conſequens, & in eo præſertim poſita eſt, quod Deus voluntatem ſuam erga homines ex tempore mutet, pro diverſis ipſorum meritis, ſive bonis, ſive malis. Tertio mutationem minus, & minus etiam proprie talem, quæ dicitur antecedens, & in eo eſt poſita, quod propter actus ſuos omnes contingentes, ac liberos, alius ab eo, qui nunc eſt; ex æterno eſſe potuerit.

PRobatur primum Malach. III. 6. *Ego Dominus, & non mutor*. Jacob. I. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Item Num. XXIII. 19. Pſalm. CI. 13. 27. 28. Sap. VII. 27. Bar. III. 3. Secundum probatur iiſdem, ac præterea Pſalm. XXXII. 11. *Conſilium autem Domini in æternum manet*. Prov. XIX. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit*. Item 1. Reg. XV. 29. Iſa. XLVI. 10. Hebr. VI. 17. Tertium probatur Exod. III. 14. *Ego ſum, Qui ſum &c. Qui eſt &c.* 1. Reg. II. 2. *Neque eſt alius, extra te*. Job. XXIII. 13. *Ipſe enim ſolus eſt*. Quibus omnibus cum ſignificetur ſumma actualitas, ac proinde ſumma etiam exiſtendi neceſſitas; removetur a Deo ens omne contingens, quod ita in illo inſit, ut ab eodem abeſſe potuerit.

Probari præterea poteſt, quod primum eſt in Propoſitione, ex Concilio Lateran. ſæpe citato, quod hoc etiam expreſſe ſancivit. Itemque S. S. Patrum unanimi ſenſu. Quorum teſtimonia legere poteris non ſolum apud Dogmaticos, ſed etiam apud Scholaſticos, qui hæc luculentius tractarunt. His omnibus propugnari poteſt etiam ſecundum; quod propterea tanquam Fidei dogma habetur a multis, aut ab eo genere parum abeſſe creditur. Expreſſius autem id docuerunt Auguſtinus Confeſ. lib. 12. cap. 7. n. 7. & cap. 15. n. 18. ubi illa ſunt: *non eum modo velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult &c.* & lib. 13. cap. 16. n. 19. *Nam ſicut omnino tu es, tu ſcis ſolus, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et eſſentia tua ſcit, & vult incommutabiliter, & ſcientia tua eſt, & vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt, & ſcit incommutabiliter &c.* Rationem affert lib. 1. cap. 6. n. 10. quia hoc eſt Deus, *ſumme eſſe*. Ambroſius ſimiliter in Pſalm. 61. num. 18. Nyſſenus de Opific. homin. cap. 21. Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 12. Gregorius Magn. lib. 9. Moral. cap. 24. n. 72. lib. 12. cap. 33. n. 38. lib. 16. cap. 37. n. 46. lib. 20. cap. 32. n. 63. &c. Iſidorus lib. 1. de ſummo Bono cap. 1. Jo. Damaſcenus dial. cont. Manich. num. 6. Anſelmus de concord. præſc. cum lib. arbitr. cap. 1. Richardus Victor. lib. 2. de Trinit. cap. 24. Tertium tandem, qui ſupremus eſt immutabilitatis gradus, propugnant Patres, quorum dicta referam IX. Propoſ. ubi de actionibus immanentibus Dei contingentibus, ac liberis.

Accedit ratio: quia in primo mutationis genere, atque etiam in ſecundo, quantumvis licet hoc extenuent ipſius defenſores Delphinus, Major, Hurtado, Herice, Ribadeneyra, Quiros; eſt aliquis motus ſucceſſio, deceſſio, tranſitus: quæ æternitati, & immutabilitati ſummæ manifeſte repugnant: & ſunt ut notat Ariſtoteles lib. 3. Phyſic. cap. 1. & 2. & ex illo S. Thomas p. 1. q. 18. a. 3. ad 1. ſunt, inquam, *actus imperfecti; ſive exiſtentis in potentia, ut in potentia*. Quæ ſunt contraria,

traria ſummæ etiam & Plenitudini, & Actualitati; de quibus duo ſunt primaria Nomina Dei, ad ipſius Eſſentiam pertinentia, ut in IV. Propoſit. vidimus. Hæc ipſa duo a Deo repellunt tertium quoque mutationis genus, licet omnium minimum. Quod enim eſſentia ſua eſt plenitudo totius entis, in eo nihil entis ſic ineſſe poteſt, ut abeſſe potuerit. Et quod eſſentia ſua eſt actualitas ſumma, id eſſe omnem & ſciendi, & volendi actum, neceſſe eſt. Ut contingentia tantummodo ſit in denominatione, applicatione, terminatione, quæ vocant; non vero in actu ipſo. Porro hæc vel penitus extra Deum rejicienda ſunt inter res creatas; vel in Deo eatenus ſunt admittenda, ut nihil omnino perfectionis, atque entis illi ſuperaddant. Sunt enim; ut ajunt, & in IX. Propoſit. explicabitur, virtualitates, aut modalitates duntaxat quædam, quæ non ſunt ens, niſi ex ipſa Dei natura: ideoque non ſunt ens, niſi ſumme neceſſarium.

Neque dicas: Licet attribuere Deo mutabilitatem antecedentem; ſic tamen, ut virtualitas ſit contingens, ens vero non ſit, niſi ſumme neceſſarium: poterit igitur attribui Deo etiam mutabilitas conſequens; ſi virtualitas tantum ſit temporalis, ens vero non ſit, niſi prorſus æternum. Conceſſo enim antecedente, nego iſtud ſequi, quod dicis: cum multa ſint in utroque valde diſparia. Nam primo non adverſatur ſacra auctoritas, adverſatur ſecundo. In illo nullus eſt motus, aut tranſitus, ac vera mutatio, ne virtualitatis, aut modalitatis quidem. Contra vero in hoc. Tandem, miſſis aliis; primum eſt neceſſarium ad ſervandam contingentiam, ac libertatem actuum divinorum, quæ omnino ſervari debet. Secundi vero nulla neceſſitas eſt. Nam quod durum videtur, Deum nunc odio habere verbi cauſa Davidem, pro eo tempore, quo erat adulterii, & homicidii reus; ea eſt cauſa, quia naturam æternitatis non bene percipimus; aſſueti tempori ſumus, ac noſtrarum rerum imaginibus pleni. Leviora, ſeu faciliora cætera; quod Deus ex tempore & factus ſit Dominus, cum mundum condidit; & factus ſit homo, cum reparavit; apud alios explicata, ac ſoluta reperies. Immo & apud nos etiam in Centrochrono in Boethio diſput. I.

Legendi præcipue Leſſius de divin. Perfect. lib. 3. Petavius tom. I. lib. 3. cap. I. & 2. Becanus tom. I. tract. I. cap. 7. Maignanus Philoſoph. ſacræ cap. 8. Fraſſen in Scoto Academ. tract. I. diſput. 3. art. 5. Thomaſſinus tom. I. lib. 5. a cap. 6. Raynaudus theol. natural. diſp. 7. q. I. a. 5. Martinonus diſput. 6. de Deo ſect. I. & 2. Aguirre Theolog. S. Anſelmi tom. I. diſp. 33. Ex Myſticis, ſeu Contemplativis Rusbrochius de præcipuis quibuſdam virtutib. cap. 7. & lib. 2. Spiritual. Nupt. cap. 79. Dionyſius Carthuſianus de natura æterni, ac veri Dei art. 36. & 37. & de laudibus ſuperlaudabilis Dei Laud. 10. & 13. Bloſius in conclavi Animæ cap. 10. & lib. 3. Pſychacogiæ cap. 10. &c.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

Dei ſimplicitas ſumma eſt; & his octo gradibus continetur. Primus eſt, ne miſceatur, aut in compoſitionem veniat cum rebus aliis, ſive tanquam materia, ut volebat Petrus de Dinando, ſive tanquam forma, ut volebat Almericus, ſive tanquam communis omnium ſubſtantia, ut noviſſime deliravit Benedictus Spinoſa. Secundus, ne Deus ſit corpus, aut aliquid concretum, & conſtans ex partibus. Tertius; ne compoſitio in illo ſit ex ſubſtantia, & accidente. Quartus, nec compoſitio ex natura, & operatione. Quintus, nec compoſitio ex natura, & hypoſtaſi. Sextus, nec compoſitio vel tantum rationis ex Eſſentia, & Exiſtentia. Septimus, nec compoſitio ex genere, & differentia. Octavus, nec compoſitio ex Attributis, vel perfectionibus, ſive ut inter ſe, ſive ut ab Eſſentia diſtinctis.

Probatur primus II. Mach. VII. 28. *Peto, nate, ut aſpicias ad Cælum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus*. Iſa. XL. 17. *Quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei*. Secundus Joan. IV. 24. *Spiritus eſt Deus*. II. Cor. III. 17. *Dominus autem ſpiritus eſt*. Tertius Exod. XXXIII. 19. *Oſtendam tibi omne bonum*. Act. XVII. 25. *nec... indigens aliquo, cum ipſe det omnibus*. Bonorum omnium plenitudini, ac re nulla indigenti, nihil eſt, quod accidere, ac ſuperfundi poſſit. Quartus Exod. III. 14. *Qui eſt*. II. Cor. I. 18. 19. *Non eſt in illo Eſt, & Non .... ſed Eſt in illo*. Nam qui Eſſentia ſua eſt actus, & infinitus, idemque ſimpliciſſimus actus; in eo diſtingui Natura, & Operatio non queunt. Quintus Joan. X. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*. I. Joan. V. 7. *Hi tres unum ſunt*. Si tres unum; Hypoſtaſes nihil entis ſuperaddunt Naturæ, ac proinde nulla ex his compoſitio. Sextus probatur iiſdem, quibus quartus; ut eſt perſpicuum. Septimus Job. XIV. 4. *Qui ſolus es*. Pſalm. XXXVIII. 6. *Subſtantia mea, tanquam nihilum ante te*. Si nomen entis eſt proprium Dei; ac res cæteræ, cum ipſo comparatæ, non ſunt; nulla eſt notio, qua, tanquam genere, poſſit Deus cum aliis ſimul involvi, & confundi. Octavus iiſdem pariter, quibus Quartus, ac Sextus. Nam ſi Deus eſt ſimpliciſſimus, ac perfectiſſimus actus; in eoque non reperitur Eſt, & Non; ſed tantummodo Eſt; ſequitur ut in ipſo pariter nullo modo ſit aliud, & aliud: ac proinde, ne hujus quidem ultimi generis compoſitio; quod paulo poſt ratione planius faciam.

Probari præterea poteſt ex Conciliis, & Patribus. Notandum vero præſertim, quomodo Deum a cæteris omnibus & re, & genere ſegregent. Auguſtinus in Pſalm. 134. n. 4. *Ita ille eſt, ut in ejus comparatione, ea, quæ facta ſunt, non ſint. Illi non comparata, ſunt; quoniam ab illo ſunt: illi autem comparata, non ſunt; quia verum eſſe, incommutabile eſſe eſt; quod ille ſolus eſt, eſt enim Eſt &c. Eſſe verum, Eſſe ſincerum, Eſſe germanum, non habet, niſi qui non mutatur*, ait ſerm. 7. num. 7. Et apud Auguſtinum Auctor libri de cognit. veræ vitæ cap. 7. *Creatura Deo collata, quaſi falſitas ad veritatem eſt*. Et Anſelmus Monol. cap. 31. *eſt quaſi homo pictus ad hominem vivum*. Et cap. 65. *ſi quando de ſumma Eſſentia dicitur aliquid verbis, quæ communia ſunt aliis naturis, ſenſus nullatenus eſt communis*. Idem prorſus docet S. Thomas in I. ſent. diſt. 19. q. I.

Digitized by Google

q. 1. a. 2. diſt. 35. a. 4. ad 6. de Pot. q. 2. a. 1. &c. Præterea, ut ſit Deus omni alia ratione ſimpliciſſimus, habetur ex Lateranenſi IV. cap. *Firmiter &c. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino ..... Licet alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, eſt Spiritus Sanctus, idem omnino.* Quod ait, & inculcat, eſſe *idem omnino*; diſtingui aliud, & aliud vel tantum ratione, & conſideratione noſtra minime patitur. Anſelmus de divinis Attributis ita concludit Monol. cap. 17. *Idem igitur eſt quodlibet unum illorum, quod omnia, ſive ſimul, ſive ſingula.* Ubi expreſſe addit, ſe loqui etiam ſecundum conſiderationem noſtram: ut *non ſolum actu*, ſeu re ipſa; *ſed etiam intellectu disjungi, ac diſſolvi non poſſint*. Quod & repetit Proſolog. cap. 18. Tandem a Dionyſio Areop. cap. 5. de div. nom. §. 9. vocatur, ac propemodum definitur Deus, *ſuperſimplex Infinitas*. A Bernardo lib. 5. de Conſid. cap. 7. n. 16. & 17. *Merum ſimplex; mera ſimplicitas; quo ſimplicius cogitari nil poſſit.*

Accedit ratio univerſalis horum omnium. In Deo enim nec re, nec cogitatione noſtra eſt aliud, & aliud: nec igitur compoſitio prorſus ulla: cum omnis compoſitio ſit duorum ſaltem, aliquo modo diſtinctorum, copulatio, aut conjunctio. Probatur vero antecedens. Nam Deus eſt actus ſummus; ac proinde habet hæc duo, ut ſi de ipſo recte cogitetur, ac pro natura, ac merito rei; nec cogitari aliquid poſſit, quin cogitetur eſſe actu; nec cogitari aliquid poſſit, quin ſimul implicite cogitentur cætera omnia, quæ in eodem ſunt. Si enim alterutro ex his duobus careret, non eſſet Actus ſummus: quandoquidem Actus illo major cogitari poſſet; Actus ſcilicet, qui hæc ambo exigeret. Atque hæc eſt ratio, cur entis totius Actualitas ſumma, ſeu Dei nomen *Eheie* a nobis Prop. IV. expoſitum ſit: Bonorum omnium pro cujuſque genere perfectiſſima, & in ſingulis ipſis bonis perfectiſſimo modo repetita poſſeſſio. Dictum eſt, perfectiſſima poſſeſſio; quod nihil cogitari poſſit, quin cogitetur ſuo modo poſſideri actu. Dictum eſt, poſſeſſio in ſingulis perfectiſſimo modo repetita; quod cogitari nullius poſſeſſio queat, quin ſimul trahatur, & includatur poſſeſſio cæterorum.

Neque dicas, Concilia, & Patres in Deo, extrinſecus ſaltem, & ſola ratione diſtinguere Operationem, & Hypoſtaſes a Natura. Hoc enim concedo: immo, ſi placet, do tibi diſtingui hæc aliquo modo etiam intrinſecus, nec ſolum ratione, ſed etiam virtute: modo tamen hæc diſtinctio non afferat aliud, & aliud: ſed id ipſum aliter, & aliter; *idem omnino*, ut definitum eſt in Lateran. & explicamus loco nos ſuo. Neque addas, eſſe apud Græcos aliquos Patres, quod Dei juſtitia, ſapientia, potentia, atque adeo bonitas, ac veritas ipſa non ſint ejus Subſtantia, ſive Eſſentia; ſed ſint circa illam: ſiquidem hi Patres interdum loquuntur de quibuſdam Dei participationibus, de quibus in ſequenti Propoſitione. Cum vero loquuntur de Deo ipſo, iiſdem utrumque dicunt, & quod ſint circa Eſſentiam, & quod ſint Eſſentia ipſa: ut videre eſt apud Dionyſium de div. Nom. cap. XI. §. 6. & 7. Athanaſium de decr. Nicæn. Synodi num. 22. Cyrillum Alex. III. Theſaur. cap. 2. & XI. cap. 1. Nimirum ſunt circa Eſſentiam, & Attributi nomen habent, aut peculiaris perfectionis, ubi afferantur explicite. Sunt Eſſentia, ubi unico mentis conceptu involvantur omnes. Prorſus ut in ſphæra, aut circulo radii; qui diſcreti, ſunt peculiares ſphæræ, aut circuli partes; iidemque indiſcreti, & in unum coeuntes, ſunt centrum ipſum. Immo in ſphæra, cujus centrum ſit ubique, quamcumque partem deſignes; de illa poteſt utrunque dici, & quod ſit circa centrum, & quod ſit centrum ipſum.

Legendi præcipue de primo, & ſecundo ſimplicitatis gradibus dogmaticis, ac de tertio etiam, qui ad Fidei dogma proxime accedit, & eſt doctorum omnium conſenſu certiſſimus, Vaſquez in 1. par. diſp. 21. Petavius tom. 1. lib. 2. cap. 1. & 2. Thomaſſinus tom. 1. lib. 4. cap. 1. & 2. Tournely quæſt. 5. de Deo, & alii, etiam ſcholaſtici, qui majori eruditione, & copia egerunt de his. Præterea Natalis Alex. hiſtor. Eccl. 2. ſæcul diſſert. 9. art. 2. & alii hiſtorici, ac Critici de Tertulliano, de Melitone, de Antropomorphitis &c. Item Cherubinus a S. Joſeph

Bi-

Digitized by Google

Biblioth. Critic. ſacr. tom. 2. de Talmudiſtis, & Rabbinis, qui Deum corporeum faciunt. De quarto, & quinto legendus Card. Cienfuegos in ſuo Enigmate, & alii, quorum ſententias refert diſp. 2. ſect. 9. diſp. 5. ſect 4. diſp. 11. ſect. 2. De ſexto legendi Gillius lib. 2. tract. 1. cap. 5. Valentia diſp. 1. q. 3. & alii, quos ipſi citant. De ſeptimo Faſolus 1. p. q. 3. a. 5. dubit. 2. ubi quatuor, & viginti doctores pro hac ſententia memorat. De ſeptimo Suarez Metaph. diſp. 30. ſect. 6. Aguirre theol. S. Anſelmi diſp. 30. & alii ſub. IV. Propoſitionem nominati. Ex Myſticis vero, & Aſceticis Dionyſius Carthuſ. de lumine Chriſtianæ theoriæ lib. 1. art. 10. 11. 12. &c. & in element. Philoſophiæ de Deo Prop. 84. & 85. Henricus Suſo in Append. cap. 17. 18. Ludov. Granata de Perfect. amoris Dei conſid. 2. S. Franciſcus Saleſius lib. 2. cap. 1. & 2. Lancicius opuſc. 11. & 21. Creſolius Myſtag. lib. 3. cap. 9. & de ſelectis virtut. cap. 10. ſect. 2. Gaudier de natura, & ſtat. Perfect. par. 1. cap. 16. & 23. & par. 4. ſect. 9. Nicolaus Pallavicinus de Excellentiis Dei lib. 1. & alii, quorum meminimus in ſuperioribus, ut Alvarez de Paz, Nierimbergius, Rogaccius &c.

PROPOSITIO XI.

Quæſtio difficillima de Actibus contingentibus, ac liberis Dei ex Sacris Literis enodari poſſe videtur his tribus. Primum, quod ſicuti divinæ ſunt habitudines, ac Proceſſiones interiores, hoc eſt ad terminos intra Deum ipſum poſitos, divinarum Perſonarum propriæ; ſic etiam habitudines ſint, proceſſioneſque exteriores; hoc eſt, ad terminos extra Deum poſitos, ac toti Trinitati communes. Secundum, quod ſicut in Deo non eſt duplex ſcientia, & voluntas, una eſſentialis, altera notionalis; ſed ſcientia ipſa eſſentialis, ut in Patre, hoc eſt, ut affecta ptopria habitudine Patris; & voluntas pariter ipſa eſſentialis, ut in Patre, & Filio; hoc eſt, ut affecta propria habitudine Patris, & Filii, fiunt ſcientia, & voluntas notionales, ſeu Proceſſiones inferiores activæ, ſic neque ſit in Deo duplex ſcientia, & voluntas, una neceſſaria, altera contingens, ac libera; ſed ſcientia ipſa, & voluntas neceſſaria, quæ ex ſe ipſis ſunt omnis ſcientia, & omnis voluntas, ac Deus ipſe actus ſummus; ex habitudine contingenti, ac libera extra Deum ſpectante, denominationem ſumant ſcientiæ, & voluntatis contingentis, ac liberæ, & hoc potius, quam illud videntis; hoc potius, quam illud decernentis, aut permittentis quæ ſunt proceſſiones exteriores, itidem activæ. Tertium, quod hæ habitudines, ſive reſpectus ad terminos extra poſitos, ſi ponuntur in Deo, nihil entis ſuperaddant divinæ Naturæ: ſed ens ſint ſolum ex ipſa; ac ſicuti de divinis Relationibus ait Auguſtinus tract. 39. in Joannem num. 4. ſi quæritur, quid ſint, deficit numerus; ita de his ſi quæritur quid ſint,

deficiat

deficiat contingentia. Cæterum probabilius reponi extra Deum; atque eſſe aliquid medium inter ipſum, ac terminos ad quos ſpectant: cujuſmodi ſunt externæ illæ omnes actiones, atque motiones quibus Deus quaſque res facit, vel ſolus, vel una cum cauſis ſecundis neceſſariis, ac liberis.

PRobatur; quia quamvis aliqui Scripturæ loci vere pertineant, ut vulgo creditur, ad divinas Proceſſiones interiores; hoc eſt, ad conjunctum, ut diximus ex intelligentia eſſentiali, & propria habitudine Patris; itemque ex voluntate, ſeu volitione eſſentiali, & propria habitudine Patris, & Filii: alii tamen Scripturæ loci referendi ſunt ad proceſſiones exteriores; hoc eſt ad conjunctum ex intelligentia, & voluntate neceſſariis, & ex habitudine contingenti. De iſtiuſmodi conjunctu Græci Patres, quos citat Joannes Sapiens decad. 3. cap. 2. exponunt illud Prov. VIII. 22. *Dominus poſſedit* (Græce ἔκτισε *creavit, condidit, fecit*) *me in initio viarum ſuarum &c.* & pariter illud Eccli. 1. 4. *Prior omnium creata eſt*, inquiunt hi Patres, *ſecundum externam habitudinem; quam cum accepit, facta eſt initium viarum Dei*. Quam interpretationem confirmat quod ſequitur ver. 9, & 10. *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto . . . . & effudit illam ſuper omnia opera ſua &c.* Sic etiam facile intelliges. nec Platonicum tibi videbitur, ſed Chriſtianum, quo Patres aliqui & Græci, & Latini interpretantur illa Pauli ad Hebr. XI. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*, & Apoc. IV. 11. *Tu creaſti omnia. & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Necnon illud Iſa. XLV. 11. ſecundum LXX. Interpr. *Qui fecit, quæ futura ſunt*. Hæc enim exponunt de duplici mundo, intelligibili videlicet, ac ſenſibili: & ſic quidem, ut intelligibilem mundum quadamtenus extra Deum ponere videantur. Nimirum eſt intra Deum ſecundum ſcientiam, & voluntatem neceſſariam; eſt extra Deum ſecundum contingentes Deoque liberas habitudines, ſive reſpectus ad mundum ſenſibilem.

Probari præterea poteſt ex iis, quæ de divinis his proceſſionibus ad terminos extra Deum poſitos docent Dionyſius Areop. plurimis in locis; ac præſertim de div. Nom. cap. 2. §. 5. 7. 11. cap. 5. §. 2. & 5. cap. 11. §. 6. & alii Patres, ut Athanaſius, Baſilius, Gregorius Naz. Maximus Mart. Joannes Damaſ. quorum dicta refert Joannes Sapiens tota decad. 3. ſcilicet ut *duo ſint proceſſionum, ſive emanationum genera; unum quo Deus, & pater in ſe univoce motus eſt; alterum, quo ad creaturam æquivoce; illo naturaliter, hoc voluntarie*. Ut hæ habitudines, ex quibus Dei ſcientia, & voluntas, particulares denominationes ſuſcipiunt, eaſque contingentes, ac liberas, *ſint aliquid medium inter Deum, ac terminos creatos a Deo*. Ut *medium hoc ſequatur naturam termini, ac proinde ſit aliquid contingens, creatum, temporaneum*. Ut *ſit operatorius quidam veluti motus, ipſeque propemodum conatus voluntatis aliquo tendens, ac ſpectans &c.* & horum ſimilia, quæ laudatus ſcriptor accurate collegit.

Accedit ratio: quia inter has communicationes, & participationes, qua Bonum ſummum cum intra ſe ipſum, tum extra ſe fundit, valde conſentaneum eſt convenientiam, & ſimilitudinem aliquam intercedere. Præterea, quia ſic melius conſulitur ſummæ Actualitati, atque exiſtendi neceſſitati: in qua nihil admiſcetur contingens; aut ullo modo mutabile, ac defectibile; ne antecedenti quidem mutatione, aut defectu, ut in VIII. Propoſit. cautum eſt. Atque hæc ipſa eſt ratio, & cauſa, quamobrem, ſi hæ habitudines extra Deum ſpectantes admittendæ videantur in Deo ipſo; id eatenus fieri permittam, ut nihil entis ex ipſis accreſcere, aut adjici poſſit divinæ Naturæ: eo prorſus modo, quo infra ſuo loco de divinis Relationibus dicam. Ac ſicuti divinæ Perſonæ vere tres ſunt, & tamen id omne quod ſunt, eſt maxime unum; ſic hi reſpectus ad res creatas vere ſint contingentes, & tamen id omne quod ſunt, ſit maxime neceſſarium.

Neque dicas, Dei ſcientiam, & voluntatem, quæ actus immanentes ſunt, & dicun-

dicuntur, male confundi cum actione Dei externa; male enim confunduntur quoad entitatem, non vero quoad denominationes aliquas. Sic enim illas confundunt Græci Patres, ſupra memorati: præſertim vero Gregorius Naz. cujus illud eſt apud Joannem Sapientem loco ſup. cit. *Deum velle, facere eſt*. Confundit Gregorius Magnus, qui lib. 32. Moral. cap. 5. nu. 7. ſcripſit, *Deus videndo creat*. Confundit vir doctiſſimus ſexti Sæculi Junilius Affricanus Epiſc. in cujus dialog. de partibus divinæ Legis lib. 1. cap. 9. illa extant: *Deus eſſentialiter vult . . . & eſſentia facit: ideo autem voluntate facere dicitur, quia nihil operari compellitur*. Quo contingentiam prorſus omnem a Deo removet. Quod & Auguſtinus facit, ait enim Confeſ. lib. 13. cap. 16. n. 19. *Deum ſcire, & velle incommutabiliter, quia eſſentia ſcit, & vult*. Quare nihil eſt in Deo pertinens ad ſcientiam, & voluntatem, niſi, ſumme neceſſarium agnoſcit. Et S. Thomas ſimiliter in lib. Sent. diſt. 37. q. 4. art. 1. ad 1. *Deus uno, & eodem, ſcilicet eſſentia ſua, ſimul omnia videt, & ſimul ubique eſt*.

At, inquies, non bene explicantur, quomodo Deus velit unum eſſe propter aliud. Negatur: Nam hæc media, ſive habitudines non ſolum ſunt reſpectus aliqui rerum ad Deum; ſed rerum ipſarum inter ſe. Dices iterum: hæc Media, has habitudines Dionyſius locis ſup. cit. appellat, *virtutes beneficas, providentias largitrices, ipſum eſſe, ipſam vitam, ipſam ſapientiam*; quæ actioni externæ, ac motui convenire non poſſunt. Reſpondeo, Dionyſium ſic appellaſſe conjunctum ex ſcientia, & voluntate neceſſariis, & ex medio, ſive habitudine contingenti. Et modo quidem potuiſſe intra Deum, modo extra; modo æternum, & ſtabile, modo temporaneum, & tranſiens quiddam feciſſe, prout alterutrum reſpiciebat.

Inſtabis; quicquid ſint iſta Media, & habitudines, & quoquo ſigno teneantur; ſi tamen ſunt extra Deum, intelligi plane non poſſe, qui Deus dicatur, ex illis hoc potius & videre, & velle, quam aliud. Reſpondeo, utique id intelligi non poſſe; quia male de hac cujuſmodicunque externa re, ſive actione, aut ratione cogitas. Habes enim illam tanquam partem, & complementum divinæ viſionis, & volitionis. Eſt vero pars, & complementum denominationis tantummodo: niſi etiam melius dicatur, conditio mera; qua ſcilicet a Deo poſita, vel ponenda, tota illi denominatio conſtet ex ſe ipſo; externum hoc denominationis illius contingentiam ſuſtineat. Quæ contingentia, quomodocunque explicetur, in Deo locum habere, & auctoritate, & ratione videntur non poſſe.

Legendi præcipue Aureolus in 1. Sent. diſt. 40. art. 1. propoſ. 1. & 2. & diſt. 46. art. 2. propoſ. 2. & 3. &c. Suarez diſp. 30. Metaph. ſect. 9. Vaſquez in 1. par. diſp. 80. cap. 2. Turrianus opuſc. de Volunt. Dei diſp. 2. dub. 4. & in adnot. ad 3. decad. Joannis Sapient. Lynce lib. 7. metaph. tract. 9. cap. 10. Gillius lib. 2. tract. 8. cap. 9. Arrubal diſp. 54. cap. 3. & 5. Herice diſp. 16. cap. 10. Faſolus p. 1. q. 14. art. 3. num. 52. & 56. Alarcon tract. 3. de volunt. Dei diſp. 4. cap. 8. Granadus de volunt. tract. 3. diſp. 5. ſect. 3. Hemelmanus p. 1. tom. 1. titul. 7. diſp. 3. cap. 6. Averſa q. 19. ſect. 11. Amico p. 1. diſp. 14. ſect. 3. Recupitus tom. 2. tract. 2. q. 9. Paſqualigo de Deo diſp. 32. ſect. 9. & p. 1. Curſus theolog. diſp. 14. ſect. 3. Quiros tom. 1. de Deo diſp. 59. ſect. 5. & diſp. 60. Verenus de Deo diſp. 22. cap. 5. & diſp. 23. cap. 3. & alii, qui ab his ipſis nominantur. Legendus etiam Card. Pallavicinus lib. 8. Aſſert. theolog. cap. 37. & ſequent. qui ad hoc ipſum munus denominationis contingentis, ac liberæ, aliquid æternum extra Deum conſtituit, quod neque nihil, nec proprie res ſit.

Digitized by Google

PROPOSITIO X.

De Scientia Dei in ſacris Literis habemus hæc potiſſimum ſex: Primum, Deo notiſſima, & comprehenſa, & pluſquam comprehenſa eſſe omnia. Secundum, etiam futura. Tertium, eſſe in Deo ſcientiam illam futurorum conditionalium, quam defendit Societas. Quartum, Deum res omnes cognoſcere non in ſe ipſo tantum, ſed in ipſis quoque. Quintum, ſcientiam illam, quæ viſionis appellatur, non eſſe cauſam rerum, eo ſenſu, ſive ratione, qua id contra Noſtros contendunt Thomiſtæ. Sextum, eſſe tamen ipſarum cauſam alia quadam ratione, quæ libero naturæ intelligentis arbitrio, & doctrinæ Societatis nullo modo adverſatur,

QUæ duo priora ſunt in Propoſitione apud Scholarum omnium Doctores; quæ tria deinceps apud Doctores Societatis propugnata reperies, non ſolum ex ſacris Literis, ſed cæteris etiam omnibus theologicis locis. Præſertim vero apud Ruitz de Scientia Dei, Henao de ſcientia Media, Martinez de Deo Sciente, Franciſcum Annatum de Scientia med. Eleutherium hiſt. de Auxil. &c. Notandum tamen, hæc omnia in noſtro ſyſtemate aliter eſſe explicanda: quod brevitatis cauſa vobis faciendum relinquo.

Sextum probatur, & explicatur. Etenim proceſſionum externarum termini vere, & proprie creantur, ac fiunt. Et cum in iſtiuſmodi proceſſionibus diſtinguenda ſint duo, actus ſcilicet neceſſarius, qui eſt ipſe Deus, & habitudo contingens; primum eſt terminorum, ſeu rerum illarum cauſa, alterum vero eſt actio ipſarum effectrix, ſeu *motus operatorius tendens ad ea efficiendum*. Quamobrem in illis Scripturæ locis, quos de externis his proceſſionibus Græci Patres interpretantur, iiſdem ipſis proceſſionibus rerum omnium efficientia tribuitur. Sic Prov. VIII. 30. *cum eo eram cuncta componens &c.* & III. 19. *Sapientia fundavit terram*. Eccli. XXIV. 6. *Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens* &c. 8. *Gyrum cæli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi, in fluctibus maris ambulavi &c.* 40. *Ego ſapientia effudi flumina &c.* Et ſimiliter Pſalm. CIII. 24. & CXXXV. 5. &c. Id ipſum effici poteſt iis Scripturæ locis, quibus Deus dicitur, Veritas: ut Joan. XIV. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Nimirum ut adnotat Auguſtinus in Serm. ad Catechum. cap. 5. n. 7. *ſecundum humanitatem via; ſecundum divinitatem veritas, & vita*. Itemque lib. 1. de Trinit. cap. 12. num. 24. Præterea Pſalm. XXIV. 5. *dirige me in veritate tua*. Pſalm. XXXV. 6. & LVI. 11. CVII. 5. *veritas tua uſque ad nubes* LXXXV. 11. *ingrediar in veritate tua* LXXXVIII. 9. *veritas tua in circuitu tuo*. Joan. XVIII. 37. *qui eſt ex veritate audit vocem meam &c.* Quæ omnia Patres ſic exponunt, ut dicant, Deum, ejuſque ſcientiam eſſe ipſam rerum veritatem, Et quidem rerum etiam contingentium, ut talium: ut videre eſt apud Auguſtinum lib. 12. Confeſ. cap. 25. num. 35. lib. de Ord. c. 19. n. 51. & lib. 26. cont. Fauſt. Manich. cap. 25. & apud Anſelmum Monolog. cap. 18. & dial. de Verit. c. 7. Qui Patres ita ſunt intelligendi, ut ſcientia contingentium, ſeu ſcientia viſionis, ſit activa veritas rerum, ac proinde earum effectrix. In externa enim actione, ſive habitudine, ex qua Dei ſcientia, & voluntas, ut in præcedente Propoſit. oſtendimus, peculiares, & contingentes denominationes ſuſcipiunt, tres ſunt diſtinguendi reſpectus, quibus quæque res, ſeu terminus creatus pertinet ad Deum. Pertinet enim ad illum, tanquam ad cauſam efficientem, exemplarem, & tanquam ad cauſam efficientem. exem-

exemplarem, & finalem. Terminus primi reſpectus eſt eſſe; hoc eſt, extra cauſas poſitum eſſe. Terminus ſecundi eſt verum eſſe; quod eſt ideam ſummi Artificis, & omnino aliquam Dei ſimilitudinem referre. Terminus tertii eſt eſſe bonum; quod eſt eſſe aptum ad finem, ſive habere ordinem ad Deum. Jam vero actio illa, ut eſt ſimplex effectio rei, & ſimul ut eſt ejuſdem ordinatrix, affert eas denominationes contingentes, quæ pertinent ad voluntatem, ut quod libere decernatur, quod ametur, a Deo, quod illi complaceat, & ſimiles. Ut vero eſt aſſimilatrix, ſive ut eſt effectrix veritatis, quæ eſt in re illa, affert contingentem denominationem ſcientiæ propriam; ac proinde ſcientia viſionis dici poteſt activa veritas rerum; ſive activa communicatio, & participatio primæ veritatis, ac ſimilitudinem aliquam, licet remotiſſimam, habet æternæ Generationis activæ. Quo *rerum generatio* vocatur a Joanne Sapiente decad. 3. cap. 4. quamvis vera earum creatio, effectioque ſit proprie.

Probari præterea poteſt ex Patribus, apud quos utrumque invenitur; & quod *res ideo videantur a Deo*, *quia ſunt*; & quod *res ſint*, *quia videntur a Deo*. Explicatur autem utrumque commode in hac noſtra ſententia. Videntur, quia ſunt: nam cum medium illud, ſive habitudo, ex qua ſumitur denominatio propria ſcientiæ viſionis, ſit ipſa earum effectio, ac proinde ſit in eodem ſigno, ac res ipſæ; utique niſi eſſent, non viderentur: nec ratione noſtra prius eſt videri, quam eſſe, aut futuras eſſe. Brevius: videntur, quia ſunt; quia denominatio contingens videntis deſumitur ex actione illa per quam ſunt. Rurſus eædem ſunt, quia videntur: quia ex duobus illis, quæ ſunt in ſcientia viſionis, primum, quod eſt ſcientia neceſſaria, eſt idem ac Deus ipſe; ſecundum, quod eſt habitudo contingens, eſt idem ac rerum effectio. Proprie vero, & explicite, primum eſt cauſa exemplaris rerum; ſecundum vero eſt actio aſſimilans rem ſuo exemplari, ſive eſt actio, cujus terminus eſt res, ut vera, hoc eſt, ut repræſentans ſuam ideam, aut certe divinum aliquid. Quo ſpectat illud Gregorii Magni lib. 32. Moral. cap. 5. num. 7. *non exiſtentia videndo creat*, *& exiſtentia videndo continet*. Et illud Bernardi lib. 5. de Conſid. cap. 5. nu. 12. *Deus amat ut charitas*, *novit ut veritas*.

Accedit ratio: quia ſic aliquanto ſublimius, atque excellentius, Deoque dignius de divina ſcientia, ſeu viſione cogitamus. Quippe quam nullo modo ſubſequentem facimus res creatas; ſed ſigno eodem conſtituimus. Quod quidem libero naturæ intelligentis arbitrio, ac Societatis doctrinæ tam non officit, quam iiſdem non officit Dei concurſus ſimultaneus, & immediatus, quem vocant, & Societatis ſchola defendit; quique idem eſt re ipſa, atque illa habitudo, ſeu medium, ex quo Dei ſcientia denominationes contingentes ducit. Præterea, quod majoris pariter eſt dignitatis, atque excellentiæ, in hac ſententia, Scientia viſionis eſt, ut dixi, activa ipſa rerum veritas; neque illas veras invenit, ſed facit. Quemadmodum Dei amor, eſt activa rerum bonitas; ac bonas illas pariter facit, non invenit. Tandem & tertium illud adde, quod in hac eadem ſententia Deus *videndo creat*; ut ait Gregorius Magn. loco ſup. cit. & *volendo facit*, ut ait Gregorius Nazianz. apud laudatum Joannem Sapientem decad. 3. cap. 6.

Neque dicas, tolli ſcientiam futurorum mere conditionalium; cum nulla unquam futura ſit actio eorum effectrix; & omnino inter hos terminos, ac Deum nullum ſit medium. Eſto enim medium ſit nullum; eſſet tamen, certa aliqua conditione poſita: ac medium, ſive actio, quæ non eſt, ſed eſſet, contingentiam earum denominationum, quæ ad ſcientiam pertinent ſatis ſuſtinet. Quod ſi vis ex his actionibus, quæ nunquam ſunt, ſed eſſent, denominari ſcientiam conditionalem, ſecundum eſſe, quod habent, non in eſſe rei, ſed in eſſe veri, ut ajunt, haud repugno.

Inſtabis. Actus liberi hominum, & Angelorum, & actiones illæ, quibus hi actus eduntur, ſi ſunt ab actibus ipſis diſtinctæ, omnes ſunt effective, ac determinative, ut Schola loquitur, ab ipſis Angelis, & hominibus. Si ergo ex his actionibus denominatur Deus libere volens actus illos, erit in poteſtate hominum, & Angelorum, atque adeo propria ipſorum electio, & determinatio, quod Deus hoc, aut illud dicatur libere velle. Reſpondeo. Deum,

& volentem, & libere volentem non denominari extrinſecus, ſed ex ſua propria perfectione, & natura, quæ eſt omnis voluntas, & libera quidem voluntas rerum externarum. Quod Deus velit, ac libere velit hoc potius, quam illud; & omnino quidquid eſt contingens in denominationibus iſtis, extrinſecus petitur. Petitur autem, ut ait Baſilius Magnus in adnotatis a S. Maximo de Energia cont. Monothelitas, ex *motu quodam operatorio*, *ſeu conatu voluntatis ad operandum*. Hic autem motus operatorius in illis, quæ Deus efficit ſolus, idem eſt atque actio eorum effectrix; ex qua ut veri effectrice denominationes illæ trahuntur, quæ pertinent ad ſcientiam. In illis vero, quæ Deus efficit una cum cauſis ſecundis, motus operatorius ex quo denominationes pertinentes ad voluntatem, eſt primo, & potiſſimum motio, impulſioque illa, quam Deus libere imprimit cauſis ipſis ſecundis; quibus ſcilicet, tanquam inſtrumentis, utitur. Movet autem illas Deus pro diverſa earum conditione; cauſas ſecundas neceſſarias *motione determinata ad unum*, ut ait S. Thomas p. 1. q. 22. art. 2. ad 4. cauſas vero ſecundas liberas, quarum actus efficaciter vult, motione congrua; ut in Tractatu Biblico de divina Gratia explicabimus. Porro ex hac motione congrua, ut tali; nempe ut eſt adimpletio, ſeu purificatio, quam vocant, ejus hypotheſis, ſeu conditionis quam affert ſcientia illa conditionalis, qua in hujuſmodi decretis, ſeu voluntatibus dirigitur, ex hac, inquam, motione congrua ut tali denominationem accipit eam, quam dixi.

Legendi præcipue, præter Scriptores in præcedenti Propoſitione notatos, Fonſeca lib. 9. Metaph. cap. 2. quæſt. 7. ſect. 3. Conradus 1. 2. quæſt. 17. art. 1. Ruiz de Provid. diſp. 3. ſect. 9. Quiros tom. 1. de Deo quæſt. 14. art. 8. num. 70. &c. & alii ex Noſtris, qui omnes aliqua vera ratione, & quæ Scholæ noſtræ non adverſatur, ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum contendunt. Quorum ſententiam Suarez metaph. diſp. 19. ſect. 7. num. 12. & 13. & in 1. p. lib. 1. de Prædeſt. c. 16. num. 7. & 13. & cap. 17. num. 14. valde approbat. Et multo magis approbaſſet ſententiam noſtram: in qua ſcilicet ſcientia viſionis ut talis, hoc eſt ſecundum denominationem contingentem, res viſas non ſubſequitur quidem, ſed neque antecedit: nec tam cauſa, quam cauſatio eſt, ſive illarum effectio; & quidem in genere veri: denominatur enim ex actione effectrice, ut hæc actio rem aliquo modo aſſimilat Deo, ac propriæ ipſius ideæ, quæ eſt in mente Dei: ſic ut expoſitum eſt.

PRO-

PROPOSITIO XI.

De divina voluntate habemus in ſacris Literis hæc pariter potiſſimum ſex. Primum, quæ Deus vult extra ſe, ea prorſus libere velle. Secundum, nulla neceſſitate conſtringi, ut id exiſtere velit, quod optimum ſit, ac cæteris omnibus in ſuo genere excellat. Tertium, Dei voluntatem aliam proprie dici, ut voluntatem beneplaciti, ac voluntatem propoſiti; aliam minus proprie, ut voluntatem ſigni, ac voluntatem permiſſionis. Quartum, Dei voluntatem proprie talem, aliam efficacem eſſe, aliam inefficacem. Quintum, voluntatem efficacem eſſe connexam metaphyſice cum re ſibi propoſita; nec poſſe effectu carere. Sextum, Auxilia tamen, ſive motiones, quibus mediis obtinet a cauſis ſecundis liberis id, quod ſibi propoſuit, eſſe indifferentes; hoc eſt, non ita connexas, ut illis reſiſti non poſſit: nec cauſæ liberæ vim, aut neceſſitatem afferre.

PRobatur primum Pſalm. cxxxiv. 6. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit*. Rom. 12. 18. *Cujus vult, miſeretur; & quem vult, indurat*. Jacob. 1. 18. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis &c.* Secundum Sap. xi. 23. *tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani*. Iſa. xl. 17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei*. Iſa. xlv. 9. *numquid dicet lutum figulo ſuo. Quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt?* Similiter Jerem. xviii. 4. 6. Rom. ix. 20. 21. &c. Tertium, de voluntate beneplaciti, Eph. 1. 9. *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo &c.* De voluntate ſigni, ſeu qua præcipit, aut ſuadet. Matth. vi. 10. *Fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in terra &c.* De voluntate propoſiti, ſive intentionis, atque ſanctionis, Eph. 1. 11. *prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ &c.* De voluntate permiſſionis, ſeu qua mala non impedit, Roman. 1. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum &c.* Probatur Quartum de voluntate efficaci Prov. xxi. 1. *Cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud &c.* De inefficaci 1. Tim. ii. 4. *Omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Quintum probatur Eſth. xiii. 9. *in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati*. Et ſimiliter Gen. l. 19. 20. Iſa. xlvi. 10. Rom. ix. 19. Hebr. xiii. 20. 21. &c. Sextum Sap. viii. 1. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Et pariter Gen. iv. 7. Deut. xxx. 19. Joſ. xxiv. 15. Sapient. ix. 10. Eccli. xv. 17. 18. xxxi. 10. Luc. xvi. 19. 25. 1. Corint. iii. 9. vii. 37. vi. 10. &c.

Probari præterea poſſunt hæc ipſa ex Patribus, quorum teſtimonia, pro primo quidem habetis apud Petavium tom. 1. l. 5. pro ſecundo apud Aldrete diſp. 1. & 2. de Incarn. & apud Quiros diſp. 4. pariter de Incarn. ſect. 2. Pro tribus ſequentibus apud Becanum, & Ruiz de divina Voluntate. Pro ultimo apud Henao de Scientia Media, Moraine Antijanſen. diſp. 14. 22. 23. &c. Ripalda de Ente ſupern. tom. 3. lib. 2. Dechamps diſp. 2. & 3. librorum 1. 2. 3. Conſule Labbæum in Bibliotheca Antijanſeniana, Annatum de Incoacta libert.

Accedit ratio: tum quia perfectiſſima libertas arbitrii una eſt ex iis perfectionibus,

bus, quas Patres Deo dignas, ſimpliciter ſimplices Scholaſtici nuncupant; tum quia, niſi Deus eſſet perfectiſſime liber, eſſet aliquatenus nexus, ac ſuſpenſus extrinſecus, & in ſumma plenitudine, & poſſeſſione perfectiſſima omnium bonorum, pluribus tamen quodammodo indigeret; aut certe non eſſet omnino, & quam cogitare maxime poſſumus, a ſe ipſo. Quæ ratio valet pro duobus prioribus. Reliqua probantur; quia functiones, & exercitationes ſunt perfectiſſimæ libertatis: ſicuti etiam perfectiſſimæ gubernationis, ac providentiæ, tam naturalis, tum quæ ſupra naturam ac propterea, Deo ſunt tribuendæ.

Neque dicas, in ſummo Bono ſe ipſum communicare, & diffundere, non eſſe electionis, & arbitrii; eſſe proprietatem, aut certe inclinationem, & propenſionem naturæ. Id enim diſtinguitur; & ſi ſermo ſit de communicatione, & fuſione interiori, conceditur: negatur vero, ſi de exteriori. Nam ſummum Bonum in terminos extra ſe poſitos diffundens eſt ſui ipſius, non exigentia, ſed aptitudine, quæ arbitrii libertatem nec tollit, nec minuit. Naturali propenſioni, inclinationi, proprietati, quam in illo eſſe dicis ſe ſe impertiendi, ac fundendi, fit quam cumulatiſſime ſatis, Proceſſionibus internis, quin ulla neceſſitas ſit externarum.

Inſtabis: Dei proprium eſt benefacere; proprium eſt, ut ait Eccleſia, miſereri ſemper, & parcere. Hoc etiam diſtinguo: proprium eſt proprietate minuente æquilibrium, ſive indifferentiam perfectiſſimæ libertatis, nego: non minuente, concedo. Æquilibrium, & indifferentiam hanc minueret, vel etiam penitus auferret neceſſitas antecedens, prout hæc admittatur in Deo. Nos vero iſtam ab eo prorſus repellimus. Ipſique omnino ſolutum, ac liberum fuiſſe contendimus mundum condere, ac reparare per Chriſtum. His vero poſitis, ex iiſdem tum ſeorſim, tum conjunctim fatemur exiſtere multas, & diverſi generis neceſſitates duo hæc conſequentes. Ac certe illas, quas ſecum fert gubernatio, ſeu providentiæ ratio perfectiſſima: hæc enim non niſi perfectiſſima convenit Deo.

Legendi præcipue, præter illos decem, quos fere ſub initium Propoſitionis nominavi, Valentia, Faſolus, Amicus, Martinonus, Recupitus, Maignanus, Ulloa, Mayr in diſputationibus de div. Volunt. Atque ex Myſticis etiam Rusbrochius de regno Deum amant. cap. 23. ac de vera contempl. cap. 69. Thaulerus Serm. 1. Domin. 4. poſt Trinit. & Serm. 1. Domin. 15. Carthuſianus de natur. æterni, ac veri Dei art. 43. & 44. S. Franciſcus Saleſius tract. de Amore Dei par. 2. lib. 2. & 3. &c.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XII.

De Providentia Dei hæc præcipue quatuor ſacræ Literæ docent; Primum, quæ res caſu facta, eventuſque fortuiti nobis videntur, tales non eſſe apud Deum. Secundum, Dei Providentiam omnia complecti; ab eoque & conſtituta fuiſſe ex æterno, & curari tempore ſuo vel minima quæque. Tertium peccata etiam, tametſi Deus illorum auctor non ſit, eaque ſummopere averſetur, tamen intra Providentiæ ordinem contineri. Quartum, improborum res ſecundas, proborum autem adverſas; innocentiam, virtutemque opprimi, vitium triumphare; ac cætera, quibus Athei, aliique homines impii Dei providentiam, Deumque adeo ipſum oppugnaat, contra ipſos facere.

PRobatur: nam de primo ſunt illa Prov. XVI. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur*. Job. V. 6. *Nihil in terra ſine cauſa ſit*. Pſalm. CXLVIII. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus*. Epheſ. I. 11. *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Item Tob. II. 10. 11. &c. Eſth. VI. 1. Job. XXXVII. 12. Eccli. XXXIX. 25. 26. Baruch. VI. 61. 61. &c. De altero Sap. XI. 21. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti*. Pſalm. CXLVI. 9. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum: & pullis cervorum invocantibus eum*. Matth. X. 29. 30. *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*. Item Job. XXXVIII. 41. Pſalm. CIII. 27. 28. Prov. XXX. 24. Sap. VI. 8. XII. 13. Matth. VI. 30. Luc. XII. 24. 27. 28. I. Cor. XII. 6. &c. De tertio Gen. L. 20. *Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum &c*. II. Reg. XVI. 10. *dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David. &c*. Prov. XVI. 4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoque ad diem malum*. Actor. II. 23. *hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis*. Et IV. 27. 28. *Convenerunt... adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſrael, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*. Geneſ. XLV. 8. L. 19. Exod. IV. 21. Deut. II. 30. II. Reg. XXIV. 1. III. Reg. XXII. 20. 22. 23. Eccli. XI. 14. Item Iſa. XLV. 7. Amoſ. III. 6. Joan. XII. 39. 40. Act. I. 25. Rom. IX. 18. 21. 22. Jud. 4. &c. De quarto tandem Tob. II. 17. 18. *Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: Quoniam filii ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus &c*. Pſalm. LXXII. 12. 16. 17. 27. *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias.... labor eſt ante me: Donec intrem in Sanctuarium Dei; & intelligam in noviſſimis eorum &c. Quia ecce, qui elongant ſe a te, peribunt &c*. Sap. II. 10. 11. 21. 22. *Opprimamus pauperem, & juſtum, & non parcamus viduæ &c. ſit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ &c. Hæc cogitaverunt, & erraverunt &c. & neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum*. I. Cor. XV. 19. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Item Job. XXII. 14. 19. Eccle. IX. 2. 3. Sap. V. 3. 4. 5. &c. 16. 17. &c. Iſa. XLV. 9. Jerem. XII. 1. 2. 3. Habac. I. 13. Matth. XIII. 30. &c.

Probari præterea poteſt ex Patribus: nam

Digitized by Google

nam primum propugnant, & illuſtrant Gregorius Naz. orat. 3. num. 13. & orat. 15. n. 4. Auguſtinus lib. 5. de Geneſ. ad litter. cap. 21. n. 42. Enar. 2. in Pſalm. 31. n. 18. libr. 83. Quæſt. q. 24. lib. 3. de Trinit. cap. 2. n. 7. Proſper ſent. 281. Boethius lib. 5. de Conſol. Proſ. 1. De ſecundo vide Ambroſium in Luc. XII. 24. Hieronymum in Matth. X. 29. Auguſtinum lib. 5. de Gen. ad Lit. cap. 21. n. 42. lib. 10. de Civit. cap. 14. & lib. 11. cap. 22. Cyrillum Alex. lib. 5. Theſaur. cap. 2. Nemeſium de facult. Anim. cap. 44. Anaſtaſium Sinait. lib. 2. de rectis Fid. dogmat. &c. De tertio vide quid ſcribant Dionyſius Areop. de div. Nom. cap. 4. §. 33. Clemens Alex. Strom. lib. 4. Cyrillus Jeroſol. catecheſ. 8. n. 4. & 5. Ambroſius de Joſeph Patriarcha cap. 12. n. 69. & in Apolog. 1. David cap. 6. n. 30. Chryſoſtomus homil. 64. in Geneſ. & homil. 36. in Matth. Leo ſerm. 16. de Paſſione Dom. cap. 2. & 3. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 15. In primis vero Auguſtinus, qui non ſolum mala, & peccata intra Providentiæ ordinem ponit; ſed omnino melius fuiſſe contendit Deum *de malis bona facere*, *quam mala nulla eſſe permittere*. Ita in Enchir. cap. 27. n. 8. Vide pariter quæ ſcribat ibidem cap. 11. n. 3. lib. 3. de lib. arb. cap. 5. n. 12. & 13. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 7. & 8. in Pſalm. 7. n. 15. & in Pſalm. 9. n. 2. de Agon. Chriſt. cap. 7. n. 7. lib. 11. de Civit. cap. 18. lib. de Grat. & lib. Arbitr. cap. 20. n. 41. de Prædeſt. Sanct. cap. 16. n. 33. &c. Legendi etiam S. Thomas in 1. ſent. diſt. 39. q. 2. a. 2. de verit. q. 5. a. 4. &c. Bonaventura in 1. ſent. diſt. 46. a. 1. q. 5. Quartum denique luculentiſſime tractant Chryſoſtomus, & Auguſtinus plurimis in locis, Theodoretus, & Salvianus in orationibus, ac libris de Provid. Conſule Interpretes in ſchol. ad loca Script. ſup. cit.

Accedit ratio: Nihil enim omnino fit, niſi Deo vel volente, vel permittente, quod Auguſtinus docet in Enchiridio cap. 95. n. 4. & alibi, hic vero pro conceſſo habetur, & probari facile poſſet, cum ſumma Dei & ſcientia, & potentia ſit ſintque ipſius ditionis omnia. Porro Agentis eſt perfectiſſimi nihil eſſe velle, aut permittere, niſi propter finem. Cum igitur hoc ipſum ſit Providentia recta rerum diſpoſitio, ſive ordinatio, ſequitur, ut nihil prorſus ſit extra Dei providentiam; nec quæ nobis fortuita, nec quæ minima, nec ipſa quidem peccata. Quæ ſunt tres priores Propoſitionis partes. Jam vero impiorum felicitas, & contraria ſors piorum, ſi inde colligitur vita futura, & Animæ Immortalitas, contra adverſarios, & oppugnatores ipſos facit; quod erat quartum. Colligitur autem; & quidem quo plus abſurdi, & a recto, juſtoque abhorrentis his in rebus apparet, eo colligitur certius, & clarius, Etenim nec ſanctum, nec juſtum foret, nec omnino ejus potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, qua Deus hanc rerum univerſitatem, & hominem condidit, iſta vel tantum permittere; niſi juſtorum, injuſtorumque vices mutandæ aliquando eſſent; ac ſua ſceleribus ſupplicia, virtuti ſuus honor, ac præmia manerent. Immo credibile eſt, Deum hæc, quæ diximus, partim non impedire ut ſunt mala moralia, partim etiam omnino velle ut ſunt mala phyſica, eo conſilio, ne mortalis hujus vitæ bonis adjiciamus animum; utque illam, quæ de altera vita eſt, fidem, atque doctrinam & amplectamur facilius, & conſtantius teneamus.

Neque dicas contra ſecundum ſcriptum eſſe 1. Cor. IX. 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* & contra reliqua tria; eſſe multa ejuſmodi, quæ non appareat, qua cauſa, & conſilio fieri, vel tolerari, aut omnino quid boni ex iis elici queat; nec videantur ad Providentiæ ordinem ſpectare poſſe. Ad primum enim reſpondeo, ibi tantum ſignificari, legem illam (Deut. XXV. 4.) *Non alligabis os bovi trituranti*, cujus eo in loco meminit Paulus, latam non eſſe talem primario propter boves ipſos; ſed propter ſacerdotes, & agri Domini cultores, quibus bovis nomen metaphorice aptatur. Boves quidem etiam curat Deus; ſed non ita, & pro iis ſolis, aut primario tuliſſet hanc legem. Conſule ſuper hunc Pauli locum Ambroſium, Hieronymum, Chryſoſtomum, Theodoretum &c.

Ad ſecundum reſpondeo, divinæ gubernationis duplicem eſſe conſiderationem, & quaſi conſpectum: unum ſenſuum, & vitæ hujus mortalis; alterum Fidei, ac demum vitæ beatæ. Qui hac de re ſolum ex ſenſibus, aut ex præſentibus ſive commodis, ſive incommodis æſtimat, ſimiliter

ſit

facit atque ille, qui telam acu pictam, vel aliud ejuſdem generis opus averſa dumtaxat ex parte conſiderat: qua parte vix aliquid ordinatum offertur oculis. Fila tantum cernuntur fluentia, pendula, caſu dixeris potius, quam arte diſpoſita. Sane quo pertineant, & quid efficiant, niſi aliunde noris, intelligere nequeas. Sic pariter in hac Providentiæ veluti tela apparent multa mortalibus parum inter ſe cohærentia, male diſtributa, implicata, diſtorta. Sunt vero per Fidem noſtra corrigenda judicia; aut eo reſervanda, ubi Providentia ipſa opus admirabile ſuum beatis mentibus explicat, eodemque ſe ornat, atque diſtinguit. *Circumdata varietate*; *circumamicta varietatibus* (Pſalm. XLIV. 10. 15.) Vide Chryſoſtomum in Pſalm. cit. ver. 7. & Auguſtinum lib. 2. de Ord. cap. 19. n. 51.

Legendi præcipue Cajetanus, Ferrarienſis, Bannes, Raynerius de Piſis, Molina, Suarez, Vaſquez, Nazarius, Ruiz, Leſſius de Providentia, Pennottus lib. 5. Propugnaculi cap. 9. Sirenius lib. 4. & 5. de Fato. Becanus de Auctore peccati. Raynaudus Theol. natur. diſt. 8. q. 3. a. 2. Marſilius Ficinus alii Interpretes S. Dionyſii Areop. in ſchol. ad cap. 4. de div. Nom. Item Interpretes eorum Scripturæ locorum, quos initio dedimus. Scripſit inſignem de divina Providentia dialogum S. Catharina Senenſis quatuor tractatibus comprehenſum. Legendi etiam Granata Iſag. ad Symb. par. 1. Segneri in Incredulo par. 1. cap. 20. 21. 22. Nicolaus Pallavicinus de evid. credib. Fidei Cath. lib. 1. cap. 9. 10. 11. Bartoli in Oblect. Sapient. lib. 2. cap. 8. 10. & ſequent. Marchetti Deo veſtig. Rogacci Uno neceſ. par. 1. cap. 25. & 26. Magalotti epiſt. familiar. par. 2. Roſignolus de naturæ miraculis par. 1. & 2. &c.

PROPOSITIO XIII.

Ea de Prædeſtinatione, ac Reprobatione habemus in Sacris Literis, quibus & confutantur facile hæreticorum errores; & Catholicorum hac de re ſententiæ præcipuæ, quatenus huc pertinet, inter ſe optime conciliantur.

PRobatur prima pars Propoſitionis. Origeniſtarum error fuit, prædeſtinari homines, propter ea, quæ ipſorum Animæ recte fecerunt, ac promeritæ ſunt in ſtatu præexiſtentiæ quem vocant; hoc eſt antequam corporibus includerentur; immo antequam mundus hic corporeus conderetur. Contra hoc eſt illud Rom. IX. 11. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali... Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei &c.* Item II. Tim. I. 9. Tit. III. 4. &c. Pelagianorum in re quoque iſta error fuit, hominem, nulla interiori Gratia, ſed ſolis naturæ viribus mereri, & quidem condigne, etiam Prædeſtinationem ad vitam æternam. Errabant vero Semipelagiani, quod Prædeſtinationis ſaltem initium naturæ tribuerent. Contra utroſque illa Rom. II. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* I. Cor. IV. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?* Joan. XV. 5. Rom. IX. 15. 16. &c. Philip. I. 29. &c. Et quæ plura referam, ubi exponam rem Biblicam de divina Gratia. Error Prædeſtinatianorum is fuit, Nolle Deum omnes homines ſalvos eſſe; ſed antequam eorum merita ullo modo præviderit, prædeſtinaſſe alios quidem ad vitam æternam, alios vero ad æternam mortem; ſeu poſitive reprobaſſe. Contraria ſunt Ezech. XVIII. 23. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii? dicit Dominus Deus.* I. Tim. II. 4. *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Item Tob. III. 22. Oſe. XIII. 9. Matth. XI. 28. XVIII. 14. XXIII. 37. Rom. II. 4. II. Petr. III. 9. Apoc. III. 20. &c. Error huic ſimilis Calvinianorum. Addunt vero, Prædeſtinatis non imputari peccata; Reprobos non poſſe illa vitare. Liberi arbitrii neque rem, neque nomen ipſum retinent. Janſeniani vero libertatis nomen quidem retinent, rem

vero funditus tollunt. A Calvinianis, qui Poſtlapſarii dicuntur, in re præſenti minimum diſtant. Nam pro ſtatu naturæ lapſæ non modo Prædeſtinationem, ſed etiam Reprobationem in Deo arbitrium tantummodo referunt. Voluntatem ſalvandi omnes, non veram, & propriam, ſed metaphoricam eſſe ajunt; eſſe voluntatem ſigni, non beneplaciti. Gratiam, quæ ex hac Dei voluntate proficiſcitur, re vera ſufficientem non eſſe; & alia his affinia, & conſentanea. Repugnant utriſque illa I. Cor. IX. 24. 27. *Sic currite, ut comprehendatis... caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. II. Petri I. 10. *ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. II. Cor. V. 14. 15. I. Tim. II. 6. *Unus pro omnibus mortuus eſt.... pro omnibus mortuus eſt Chriſtus ... dedit redemptionem ſemet ipſum pro omnibus*. Item Iſa. XLV. 22. Ezech. XVIII. 20. 30. 31. 32. Matth. XXV. 35. 36. 41. 42. Rom. IV. 4. II. Tim. IV. 7. 8. Jacob. I. 25. II. 17. 26. & quæ plura pariter referam, ubi recenſebuntur illa, quæ pertinent ad divinam Gratiam.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis. Etenim duæ ſunt hac in re celebriores ſententiæ, una illorum, qui ante; altera eorum, qui poſt abſolutam præſcientiam meritorum prædeſtinationem ad vitam beatam conſtituunt. Ego vero ſic cenſeo, Deum ex æterno non ſolum uno, eodemdemque actu, ſed unico etiam, ut ſchola loquitur, ſigno, decreviſſe omnia: finem ſcilicet, & quæ ad finem; merita, ac præmium &c. Ita fieri, ut prædeſtinatio ad Gloriam, prædeſtinationem ad Gratiam, ſeu prædefinitionem meritorum nec antecedat, nec ſubſequatur; ac proinde hac ratione utramque ſententiam proxime memoratam eſſe falſam. Addo vero deinde, ſi ſermo ſit de divinis decretis accomodate ad hominum captum, & ut ſunt in mente noſtra, ſecundum propriam, & explicitam cujuſque notionem, ſive conceptum; addo, inquam, eſſe inter illa aliquem ordinem, duntaxat rationis; nec cujuſcunque rationis; ſed qualis ex noſtro ſyſtemate eſt in Deo inter cognitionem, & amorem; vel etiam inter ipſas divinas perfectiones v. c. potentiam, ſapientiam, bonitatem, ſanctitatem, miſericordiam, juſtitiam &c. Quo fiat, ut & Prædeſtinatio prior abſoluta meritorum præſcientia; & viciſſim hæc prior illa dici poſſit: nimirum pro diverſa rerum ipſarum natura, & habitudine; & prout illas conſiderare, aut ſignificare placuerit. Sic porro utranque ſententiam, de qua dixi ſupra, eſſe veram.

Probantur hæc: nam utraque illa ſententia ſe ſe tuetur ſacræ Scripturæ teſtimoniis valde equidem claris, & apertis. Pro prima ſententia, in qua Prædeſtinatio antegreditur præſcientiam, ſunt illa Act. XIII. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Rom. VIII. 28. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*. & IX. 11. 12. 15. 16 &c. *Ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei &c.* I. Joan. II. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent*. Et pariter Matth. XXIV. 22. Joan. VIII. 7. X. 26. XVII. 9. Act. I. 25. Rom. VI. 23. & alia plura. Pro ſecunda ſententia, in qua Præſcientia antecedit prædeſtinationem hæc ſunt; Rom. VIII. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*. I. Cor. II. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit &c. quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. II. Tim. II. 20. 21. *in magna domo ſunt vaſa.... quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem*. Et IV. 7. 8. *Bonum certamen certavi... repoſita eſt mihi corona juſtitiæ &c.* Itemque Matth. XXV. 34. 35. &c. 41. 42. &c. Luc. VI. 23. Rom. VIII. 17. Jacob. II. 5. II. Petr. I. 10. & alia itidem plura. Quibus omnibus recte mihi videtur concludi, utrumque anteire alteri, & Gloriam meritis, & merita Gloriæ. Id quod fieri non poteſt, niſi ordine illo rationis, quam proxime expoſui. Nam ſi divinorum decretorum & prædeſtinantium Gloriam, & præfinientium merita, vere eſſent ſigna duo; alterutrum tantum eſſet altero prius; non poſſent ſe antegredi, & conſequi mutuo. Eſt igitur eorum decretorum unicum ſignum. Ipſorumque termini ideo in ſacris Literis diverſo modo, & ordine inter ſe comparantur, ut a nobis conſiderentur

tur attentius, momentiſque ſuis omnibus res utraque ponderetur.

Probari idem poteſt etiam ex Patribus argumento eodem. Nam pro ſe utraque Sententia ex his quoque multos allegat: ut videre poteris apud earum patronos. Sententiam de Prædeſtinatione abſolutam meritorum præſcientiam præeunte defendunt Thomiſtæ, & quamplures ex Noſtris, ut Salmeron, Toletus, Bellarminus, Henriquez, Pereira, Juſtinianus, Lorinus, Ruiz, Faſolus; atque ex recentioribus Ulloa, Mayr, Simonnet &c. Sententiam vero de abſoluta meritorum præſcientia præeunte prędeſtinationem defendunt Fonſeca, Vaſquez, Leſſius, Turrianus, Becanus, Monceus, Alarcon, Hurtadus, Amicus, Mœratius, Martinonus, Herice, Arrubal, Petavius, Sfondrati, Tournely, Aravius. Ex Antiquis autem Alenſis, Albertus, Richardus, Bonaventura, Abulenſis, Vvaldenſis &c. Approbat hanc ſententiam S. Franciſcus Saleſius lib. 3. de Amore Dei cap. 5. Plura vero in utranque partem reperies apud Boucat tom. 1.

Accedit ratio: tanta enim eſt divinæ cognitionis, & voluntatis perfectio, ut nullo modo diviſim, nec aliud ex alio; ſed prorſus ſimul attingant finem, & ea quæ ſunt ad finem; cujuſvis generis cauſas, & facultates, ac proprios ipſarum effectus, ac terminos. Atque ut docet S. Thomas p. 1. q. 19. a. 5. *Deus vult hoc eſſe propter hoc; ſed non propter hoc vult hoc.* In qua cauſalitate, ut ſic loquar, aut quaſi cauſalitate eſſet illa diſtinctio, ſeries, & ordo ſignorum, quem nos a Deo repellimus: nec ſolum ab ipſius cognitionis, & voluntatis præſtantia, verum etiam a ſumma ejuſdem ſimplicitate, & actualitate alienum ducimus. Nam divinis decretis per iſtiuſmodi ſigna, inter ſe ita diſcluſis, atque disjunctis, hoc ipſo in Deum admittitur aliud, & aliud; prius, & poſtea; ſi minus re, at certe ratione, vel diſtinctione aliqua media. Quod contra ſtabilitum eſt in ſuperioribus. Quo circa ſic habendum: quemadmodum Deum ſingulis in locis, & temporibus præſentiſſimum eſſe diximus univerſis: ita in ſingulis & videt, & vult univerſa, quæ videt, & vult: ac proinde non aliud alio prius, aut poſtea.

Neque dicas, non officere ſummæ ſimplicitati, & actualitati, quod Deus diverſis ſignis diverſa velit: ſiquidem denominationes hæ contingentes petuntur extrinſecus, ex habitudine, quam res habent ipſæ inter ſe. Reſpondeo enim, a præſenti quæſtione præſcindi, ac dividi priorem illam de actionibus immanentibus Dei: ut undecunque earum denominationes ſumantur, hæc ſint, quæ proxime dixi, veriſſima. Deinde, fac denominationes contingentes extrinſecus peti, quod aliquanto probabilius reor; denominationes tamen iſtæ, quibus Deus diceretur, propter hoc velle illud; & unum prius, aliud poſt; in Deo ipſo aliquid minus perfectum arguerent, & quodammodo in eum refunderent: eaſque denominationes non patitur ſumma perfectio, & propria ratio entis a ſe, quæ eſt in divina ſcientia; & voluntate: quibus, ut ait S. Thomas loco ſup. cit. *nec intelligere cauſam, eſt cauſa intelligendi effectum; nec velle finem, eſt cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem.* Nec patitur eas denominationes ſumma ſimplicitas, & actualitas; quæ ſicuti reſpuit cujuſvis generis diſtinctionem, & ordinem, quæ quoquo modo ponant aliud, & aliud, prius, & poſtea, fuit, & erit in Dei eſſentia; ſic eadem reſpuit, ſi quoquo modo ponant hæc ipſa in immanente Dei operatione, quæ propria eſt ejus eſſentia.

Dices fortaſſe in hac ſententia Reprobationis poſitivæ cauſam non rejici in reprobos ipſos, quantum fieri debet, vel certe quantum fieri poteſt. Id vero negatur: & ratio eſt; quia licet ordinem illum, qui eſt ſecundum prius, & poſterius, & quo unum eſt propter aliud excludamus a Deo, ejuſque actibus, qui ſunt ipſe Deus; in rebus tamen ipſis omnino relinquimus. Itaque in noſtra etiam ſententia prior eſt utique culpa, quam pœna; nec pœna eſt, niſi propter culpam. Nec Deus ulli pœnam decernit, niſi culpa abſolute præviſa: præviſa, inquam, haud quidem prius, ſed ſimul, uno eodemque actu, atque ſigno. At, inquies, in hac ſententia, decernitur quidem pœna, præviſa culpa; non vero decernitur ex præviſa culpa. Diſtinguo id: & ſi hoc ſignificare velis, viſionem non eſſe cauſam, decreti, concedo: ſin vero hoc dicas, culpam non eſſe in hac ſententia cauſam pœnæ, iterum nego. Doctrina quidem eſt S. Thomæ lo-

Digitized by Google

co ſupra citato, quod viſio peccati non ſit cauſa Deo decernendi æterna ſupplicia; ſed eo modo, quo viſio peccati nec cauſa Deo eſt videndi æterna ſupplicia. Sic habendum: quemadmodum Deus non prius videt peccata, quam ſupplicia; & tamen videt, ſupplicia fore poſt peccata, & propter peccata: ita non prius permittit peccata, quam velit ſupplicia; & tamen non niſi poſt peccata, & propter peccata vult fore ſupplicia.

At, objiciunt aliqui, Deus quod ſcripſit, ſcripſit. Libro vitæ, ſive Electorum numero additur nemo; ſicuti nemo ex numero illo demitur: ut neque ſpes Reprobis, nec metus Electis eſſe jam poſſit. Hoc vero eſt aliud; nec difficultas eſt peculiaris noſtræ ſententiæ; communis eſt aliis, eamque explanatam invenies fere apud omnes Doctores ſupra nominatos; apud eos vero maxime, qui ſecundam ſententiam defendunt. Vide Sfondratum in Nodo Prędeſtinationis. Addo autem, in noſtro ſyſtemate hæc, & ſimilia aliquanto commodius, & ſuavius explicari. Quippe cum contingentiam prorſus omnem ablegemus a Deo, & in externas, creataſque rejiciamus ſive actiones, ſive habitudines alias: quæ in noſtra ſunt poteſtate, vel nobis præſto ſunt, & in promptu: & in quibus nihil eſt connexum cum uno facultatis liberæ termino, quod ſuperari, vel evitari non poſſit; nihil neceſſarium, quod nobis aliunde non adſit, aut a nobis acquiri nequeat.

Legendi præcipue adverſus Heterodoxos Becanus, & Valentia de Prædeſt. Peculiariter vero de Prædeſtinatianis Sirmundus in Prædeſtinato, Natalis Alex. hiſtor. Eccl. ſæcul. 5. cap. 3. art. 11. & iterum diſſert. 5. Stephanus de Champs lib. 1. diſp. 7. & Antonius Boucat tract. 4. diſſert. 3. De Prædeſtinatione, ac Reprobatione ex Janſeniſtarum decretis Moraine in Antijanſenio diſp. 8. & 9. & Ludovicus Fontaine Conſt. Unigen. Propoſ. 12. & 13. Pro noſtra vero ſententia legendi præcipue Molina 1. par. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. ſ. 7. Granadus de Prædeſt. tract. 3. diſp. 1. ſect. 4. Arrubal; Lombier, Eſparza, Maurus, Viva in diſputationibus pariter de Prædeſt. Præterea Raynaudus tom. 13. de vitæ, & mortis terminal. Recupitus de ſignis Prædeſtinat. Drexellius in Zodiaco Chriſtiano, Avendanus in Amphitheatro Miſericordiæ, Griſelius de Myſterii Hominis Dei, Roſignolus lib. 1. cap. 4. de diſciplina Chriſtian. Perfect. Bucellenus Aſcetic. conſiderat. tom. 4. Ludovicus a Ponte de voce divina cap. 1. De la Colombiere par. 2. ſermon. 5. Segneri Concion. Quadrageſ. 31. &c.

PROPOSITIO XIV.

Hæreſum omnium, quotquot adverſus Trinitatis myſterium quovis tempore exſtiterunt, prompta, & facilis ex ſacris Literis confutatio eſt.

PRobatur: nam omnes iſtiuſmodi hæreſes ad duo genera, ſeu claſſes revocari poſſunt; unam earum, quibus divinę Naturę unitas; alteram vero earum, quibus Perſonarum Trinitas oppugnatur. Ad priorem claſſem pertinent Tritheitæ, Tetraditæ, Tranſvaſantes, Arriani, Aætiani, Aëriani, Semiarriani omnis generis, & inter hos præcipue Macedoniani, & Marathoniani. Adde recentes Arrianos, ut Valentinum Gentilem, & Joannem Grammaticum; immo & Lutherum, Calvinum, Melanchtonem, Bezam, Zuinglium, Bullingerum, qui omnes, Eraſmo, ut videtur, duce, adverſus divinæ Naturæ unitatem aliquid impium docuere. Inter hos numerari etiam poſſunt Gilbertus Porretanus, Roſcelinus, Petrus Abaelardus, Abbas Joakimus. Poſterioris ordinis ſunt Praxeani, Noetiani, Hermogeniani, Sabelliani, vulgo appellati omnes Patripaſſiani. Quibus conſenſere Paulus Samoſatenus, Fauſtus Manichæus, Photiniani, Priſcillianiſtæ; nec multo ante noſtra tempora Michael Servetus, Blandrata, Franciſcus Davidis, Paulus Alciatus, Lælius, & Fau-

Digitized by Google

Fauſtus Socini, & alii quamplures, inter quos recentes Deiſtæ. Adde Judæos, & Mahummedanos, qui unam tantum in Deo perſonam agnoſcunt. Ad hanc claſſem referri poteſt error Græcorum negantium Spiritum Sanctum a Filio procedere, ac proinde tollentium oppoſitionem originis, qui eſt inter Filium, & Spiritum Sanctum quæ ſola oppoſitio veram efficit diſtinctionem in Divinis. Porro omnes Antitrinitariorum ſectas, & propria cujuſque dogmata, & diſcrimina accurate exponunt Jodocus Coccius theſ. cathol. lib. 1. Bellarminus in Præf. ad lib. de Chriſto, Vaſquez in 1. p. diſp. 109. Valentia controv. de Trinit. lib. 1. cap. 7. Ruiz de Trinit. diſp. 20. Petavius tom. 2. lib. 1. &c. Et omnes Hæreſeologi, ac Scriptores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Uti etiam poteris, ſi facultatem habeas univerſali Lexico Hofmanni.

Probatur vero adverſus primi generis hæreſes divinitas, & conſubſtantialitas Filii: Pſalm. cix. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis*. Iſa. xxxv. 4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos*. Joan. i. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. x. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*. Item Pſalm. ii. 7. Iſa. ix. 6. Baruch iii. 36. 37. 38. Matth. xvi. 16. Joan. v. 18. x. 38. xvi. 15. Rom. ix. 5. Philip. ii. 6. Coloſ. i. 16. & aliis quamplurimis, quæ referunt Scriptores proxime citati; præſertim vero Valentia in 1. p. diſput. 2. q. 1. punct. 1. Probatur divinitas, & conſubſtantialitas Spiritus Sancti ii. Reg. xxiii. 2. 3. *Spiritus Domini locutus eſt per me .... dixit Deus Iſrael mihi .... locutus eſt Dominator hominum*. Eccli. i. 9. *Ipſe creavit illam in Spiritu Sancto*. Matth. xxviii. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. 1. Joan. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt*. Item Judit. xvi. 17. Job. xxvi. 13. Sap. i. 7. Iſa. xi. 2. Joel. ii. 28. Joan. xiv. 16. 17. 26. xv. 26. Act. v. 3. 1. Cor. ii. 11. iii. 16. vi. 19. & aliis itidem pluribus, quæ apud Scriptores ſupra memoratos invenies.

Probatur Trinitas Perſonarum Pſalm. ii. 7. & cix. 1. *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ex utero ante Luciferum genui te.* Et xxxv. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Joan. iii. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*. & xiv. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis &c.* & xv. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Item Iſa. xlviii. 16. liii. 8. lxvi. 9. Matth. iii. 16. Marc. i. 10. Luc. i. 35. iii. 22. Act. ii. 33. Galat. iv. 6. Eph. iii. 14. 15. 16. 1. Petr. i. 2. 1. Joan. iv. 13. Apoc. iv. 8. & pluribus aliis, quæ pariter apud eoſdem. Probatur eadem Trinitas peculiariter adverſus Hebræos Geneſ. i. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. iii. 22. *Et dixit Deus: Ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt*. Iſa. iii. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Item Gen. xi. 7. xviii. 1. xix. 24. Pſalm. ii. 7. xxxii. 6. lx. 8. cix. 1. Prov. xxx. 4. Iſa. vii. 14. ix. 6. xii. 6. Jerem. xxxiii. 6. Baruch. iii. 38. Oſe. i. 7. Mich. v. 2. Zach. iii. 2. Quæ & alia plura & citata, & expoſita invenies apud Lyranum in libro quem ſcripſit adverſus Hebræos, apud Martinium in Pugione Fid. Galatinum de Arcanis cathol. veritatis, Finum Hadrianum in Flagel. Judæor. Pinamonti Synagoga ex errore deducta, Leytam in Append. de Hebr. convicto &c. Proceſſio Spiritus S. a Filio probatur Joan. xiv. 26. *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo*. xv. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam &c.* & xvi. 14. *Ille Spiritus me clarificabit, quia de meo accipiet &c.* Item Joan. xx. 22. Rom. viii. 9. Galat. iv. 6. ii. Theſ. ii. 8. Tit. iii. 6. 1. Petr. i. 11. 1. Joan. iv. 13. &c.

Probari præterea poteſt hæc Propoſitio eo, quod reliquum eſt auctoritatis ſacræ. Conſubſtantialitas Filii declarata, ſancitaque eſt ab an. 315. ad an. 589. in Conciliis duobus ſupra viginti. Inter quæ duo generalia, Nicænum primum an. 325. & Conſtantinopolitanum primum an. 381. Item aſſerta, propugnataque a Patribus, præſertim vero, & ex profeſſo ab Athanaſio, Hilario, Phœbadio, Baſilio, Gregorio Naz. Ambroſio, Auguſtino, Cyrillo Alex. Fulgentio &c. Pro conſubſtantialitate Spiritus Sancti, primum quatuor mino-

ra

Digitized by Google

ra Concilia. Alexandrinum an. 362. Illyricum an. 367. duo Romana ſub Damaſo an. 370. & ann. 379. Deinde quatuor Oecumenica, Conſtantinopolitanum primum an. 381. Epheſinum an. 431. Chalcedonenſe an. 451. Lateranenſe ſub Innocentio II. ann. 1136. Pro illa ſcripſerunt præcipue Athanaſius epiſt. ad Serapionem, Dydimus Alex. duobus libris, Baſilius l. 3. & 5. contra Eunom. Ambroſius tribus libris ad Gratianum &c. Cyrillus Alex. pluribus libris tum in Theſauro tum in Dialogo. Trinitatem Perſonarum adverſus Cataphryges, & Patripaſſianos aſſeruere Concilia Romanum an. 263. Alexandrinum ann. 319. Sirmienſe ann. 357. Præterea Tertullianus adver. Praxeam, Athanaſius contra Greg. Sabellii, Baſilius homil. 27. Epiphanius Hæreſ. 64. & 65. Theodoretus lib. 3. hæret. ſabul. cap. 3. Leo Magn. epiſtol. 71. ad Aſtorigenſem Epiſc. Totum vero Trinitatis myſterium aliquanto plenius, exactiuſque explicatum in Concilio Oecumenico Lateranenſi IV. in Concilio Remenſi ann. 1148. adverſus Gilbertum Porretanum, & in Symbolo Athanaſii. Scripſerunt de Trinitate ex Patribus omnium luculentiſſime Hilarius libros 12. Auguſtinus libros 15. Cyrillus Alex. Theſaurum libris 14. & Dialogum libris 9. comprehenſos, Boethius libros duos, Anſelmus Cantuar. librum unum Richardus Victor. libros ſex. Proceſſio Spiritus S. a Filio definita eſt in ſeptimo Synodo 7. ut conſtat, ex MS. Græco vetuſtiſſimo; ac præterea in tribus aliis Conciliis œcumenicis Lateranenſi ſub innoc. III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino ſub Eugenio IV. Præterea, quando opus fuit appoſita eſt Symbolo expreſſe. Mitto plura Concilia Provincialia, & alia dogmatica monumenta, de quibus vide Indices collectionum Labbejanæ, & Harduinianæ valde accuratos. Scripſit de hac Proceſſione adverſus Græcos librum egregium S. Anſelmus Cant. Ac præſto ſunt teſtimonia. Ex inſignoribus Patribus Græcis, & Latinis, quæ citata reperies apud ſcriptores, quos in fine hujus Propoſitionis nominabo.

Accedit ratio, contra primam hæreſum claſſem, tum ex ſumma Dei plenitudine, ſeu perfectione, quæ non poteſt eſſe, niſi ejus, qui ſit unus, & maxime unus, ut oſtendit S. Thomas in 1. p. q. 11. art. 3. & lib. 1. cont. Gent. cap. 42. &c. tum ex ſumma ejuſdem ſimplicitate, quæ ut oſtendimus Propoſ. VIII. compoſitionem diſtinctionemque omnem reſpuit; externam quoque, ſi aliud, & aliud quoquo modo ſtatuat, aut deſignet in Deo: nedum ſectiones, diviſioneſque illas pati poſſit, quas in Dei unitatem invehunt hujus generis hæreſes. Trinitas vero Perſonarum probatur ex vera duarum proceſſione, & origine. Quod vero Spiritus S. originem habeat ſive procedat etiam ex Filio, probatur ea ipſa ratione, quam ad hoc ipſum indicat Chriſtus Dominus Joan. XVI. 15. *Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt. Propterea dixi, quia* (Spiritus) *de meo accipiet*. Quia ipſa illa omnia quæ ſunt in Patre, ſunt etiam in Filio, excepta Relatione, ex qua oppoſitio originis cum ſpiratio activa non pertineat ad Relationem, ſeu oppoſitionem originis, quæ eſt inter Patrem & Filium, ſequitur, ut in utroque ſit eadem ſpiratio active quemadmodum in utroque eſt eadem potentia, æternitas, immenſitas, divinitas. Ut autem hæc cum ſumma Unitate conſentiat, ex noſtro ipſo ſyſtemate, paulo poſt declarabimus.

Neque nunc dicas, eſſe aliqua etiam in ſacris Literis, quæ huic myſterio videantur contraria, ut illud Joan. XIV. 28, *Pater major me eſt*. Præterea illud 1. Joan. V 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo &c.* quo catholica ſententia maxime nititur, inſititium eſſe, & intruſum; in vetuſtiſſimis exemplaribus non repriri; neque contra Arrianos, aut Macedonianos in ullo Concilio, aut ab ullo ex Patribus productum fuiſſe. Tertio, Trinitatis, & Conſubſtantialitatis nomina in ſacris Voluminibus non legi; immo nec audita fuiſſe, illud quidem ante Tertullianum, hoc vero ante Concilium Nicænum. Quarto, Patres priorum ſæculorum, ut Juſtinum, Athenagoram, Theophilum Antiochenum, Irenæum, Tertullianum, Clementem Alexandr. Origenem &c. ita de Trinitate locutos, ut Arrianiſmo quod deeſt ex Scriptura videatur Traditione ſuppleri. Quinto, *totum orbem*, ut teſtatur Hieronymus adver. Luciferianos, & Liberium ipſum Pontificem in Arrianorum partes conceſiſſe. Sexto ſcriptum Joan. XV. 26. *Spiritum*,

Digitized by Google

tum, qui a Patre procedit, non igitur procedere a Filio. Ne, inquam, hæc dicas; reſpondeo enim.

Ad primum, Chriſti Domini dictum, cum ibi loquatur de ſuo in Cœlum aſcenſu, accipiendum eſſe ſecundum humanam duntaxat ipſius naturam; qua ſola videlicet a Cœlo aberat. Conſule Maldonatum, Cornelium a Lapide, ac cæteros Interpretes.

Ad ſecundum, ſententiam catholicam ita niti eo loco epiſtolæ Joannis, ut etiam ſine illo nihilo minus conſiſtat, & defendi quam commode poſſit. Quod illi concedant, neceſſe eſt, qui nobis objiciunt, eo loco adverſus Arrianos, & Macedonianos uſos non eſſe Veteres. Uſi autem non ſunt, quia cum a multis exemplaribus eo tempore abeſſet, ſive hoc caſu aliquo, ſeu fraude factum fuerit; vel ipſis incognitus, vel ejus auctoritas ſatis adhuc certa non erat. Cæterum legi locum hunc, in vetuſtiſſimis etiam codicibus; citarique a Tertulliano, Cypriano, & aliis Patribus, & quidem etiam contra Arrianos, luculenter oſtendit Calmetius tom. 8, in diſſert. de tribus Teſtibus. Mitto alios, qui in Epiſtolam illam commentaria, & adnotationes ſcripſere. Inter quos etiam Harduinus Opere poſthumo.

Ad tertium, nomina illa e ſacris eſſe potiſſimum expreſſa Libris; ubi ſunt, non quoad vocem, & ſonum, ſed quoad ſententiam, & ſignificandi vim, cum ſit idem, *Trinitas*, *& hi Tres unum ſunt*, quod eſt 1. Joan. x. 30. *Conſubſtantialem Patri*, *& Ego*, *& Pater unum ſumus*, quod Joan. x. 30. Præterea nomen ipſum Trinitatis ante Tertullianum uſurpatum fuiſſe ab Achajæ Presbyteris in hiſtoria martyrii S, Andreæ, quam nos alibi genuinam defendimus. Filium præterea conſubſtantialem Patri *ὁμοούσιον* ante Nicænum Concilium dixerunt expreſſe Theognoſtus, & uterque Dionyſius Alexandrinus, & Romanus; & ab aliis antea dictum affirmarunt.

Ad quartum, omnino negandum, Traditionem Arrianis favere. Numquid enim, quod ante Pelagianam hæreſim Patres aliqui de divinæ Gratiæ auxiliis minus caſtigate locuti ſunt; Pelagianiſmo, aut Semipelagianiſmo patrocinatur Traditio? Recte animadvertit Auguſtinus in Pſalm. 54. n. 22. lib. 16. de Civit. cap. 2. & lib. de dono Perſever. cap. 20. num. 52. & 53. ex totaque Eccleſiaſtica hiſtoria res eſt apertiſſima, ex heterodoxorum oppugnationibus id inter cætera elicitum boni; ut catholica veritas illuſtraretur magis, & proponeretur exactius, & circumſpectius. Aliorum errores nos & doctiores, & cautiores fecerunt. His accedit, quod ſi qui Patres ante Arriana tempora de Filii divinitate aliquid minus recte ſcripſerunt; aliis nihil ſimile excidit. Immo, ut oſtendunt Doctores dogmatici, quos paulo poſt numerabo; ipſi illi, qui alicubi Arrianis non nihil conſentire videntur; alibi iiſdem aperte repugnant. Ut non omnino improbabilis ſit conjectura aliquorum, Patres illos explanationem myſterii, quod naturæ lumen longe ſuperat, aliquantulum attemperaſſe ad id, quod de eodem myſterio adumbratum eſt a Platone; ut ad eam Chriſtianæ doctrinæ partem accipiendam ethnicos minus difficiles, & alienos haberent. Vel certe, quod eſt probabilius, noluiſſe Patres illos rem ſumme difficilem totam ſtatim proponere; ſed prius eam ruditer informare; ac deinde integram, perfectamque exhibere.

Ad quintum, non eſſe hujus loci explicare dictum Hieronymi, aut Liberii factum defendere; utrumque alibi præſtiturum me eſſe opportunius.

Ad ſextum, in loco nobis objecto omittenda non fuiſſe, quæ proxime antecedunt, *Paraclitus, quem ego mittam vobis*: Nam a quo mittitur, ab eo etiam procedit, ut notant interpretes, & doctores. Præterea, cum Proceſſio activa, ſive activa ſpiratio, ut obſervatum eſt ſupra, non pertineat ad oppoſitionem originis, quæ intercedit inter Patrem, & Filium; ſi Spiritus Sanctus procedit a Patre, procedat etiam a Filio neceſſe eſt. Nominatur hic autem tantummodo Pater, quia ipſe fons eſt divinitatis, & interioris omnis communicationis principium. At, inquies, id eſt multiplicare myſteria, & ad myſterium Trinitatis addere myſterium etiam Dualitatis. Nam ſi eadem activa Spiratio eſt in Patre, & Filio; ita duæ Perſonæ erunt unus ſpirator, quemadmodum tres Perſonæ ſunt unus Deus. Reſpondeo, ita eſſe: ſi tamen hoc nomen *Spirator* ſubſtantive ſumatur, ut videatur vocis hujus

jus natura petere, vide S. Thomam p. 1. quæſt. 36. art. 4. & quæſt. 39. art. 3. & Petavium tom. 2. lib. 3. cap. 11. Neque hoc eſt multiplicare myſteria; ſed quæ de uno eodemque tenenda ſunt, integre tueri. Aut ſi duo myſteria, ſive arcana, & intellectu explicatuque difficillima hic eſſe dicis: nihil hic certe excogitatum a nobis; ſed quæ ex verbo Dei ſcripto, & tradito accepimus, fideliter expoſita.

Legendi præcipue Schultingus Confeſſ. Hieronym. tom. 1. Hoſius, Felicæus, Eſpencæus, Bellarminus, Valentia, Ruiz Petavius, Thomaſſinus, Boucat in libris, tractatibus, diſputationibus de Trinit. quæ ſtatim apud ipſos reperies. Præterea Calovius Scriptorum Antiſocianianorum tom. 1. Pamelius in Tertullianum, Maſſuet in Irenæum, Touttee in Cyrillum Hieroſolym. Halloix. de Scriptor. primi, & ſecundi ſæculi, Nourry in Appar. ad Bibliotheh. maximam Patr. tom. 1. & 2. Huetius Alnetan. quæſtion. lib. 2. c. 3. Baltus in defenſ. SS. Patrum. Horum omnium indices conſule verbo, *Trinitas*, *Arriani &c.* Uſui eſſe poterunt etiam Hiſtorici, ac Critici, ut Maimburgius in hiſtoria Arrianiſmi, Noris hiſtor. Controv. de uno ex Trinit. in carne paſſo, Battaglinus, & Berninus de Arrianis, & Macedonianis. Prætermittendus non eſt ſi tamen adſit eum legendi facultas Natalis Alex. hiſtor. Eccl. ſæcul. 4. diſſert. 42. & 43. Proficere etiam poteris ex Syſtemate intellectuali Cudvvorthi tom. 1. de Trinit. Platonica. Peculiariter autem de Proceſſione Spirit. S. a Filio Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 20. Petavius tom. 2. lib. 7. Archudius, Allatius in ſeparatis Opuſc. Natalis ipſe Alex. Hiſtor. Eccl. ſæcul. 9. & 10. diſſert. 18. Scripſerunt etiam de hoc accurate Simonnet, & Tournely.

PROPOSITIO XV.

Ad explanandum aliquo probabiliori, vel potius tolerabiliori modo Trinitatis myſterium, inſiſtendum eſt in noſtro ſyſtemate, de bonorum omnium poſſeſſione perfectiſſima in ſingulis ipſis, pro diverſo eorum genere, perfectiſſimo modo repetita. Quod eſt, ut diximus, eſſe infinite. Ac proinde, quod Deus vere, & proprie ter ſit, & ſubſiſtat; hoc eſt, quod ſit in tribus Perſonis, totus in ſingulis; ex eo ſequitur, quod ſit infinite, ſeu, quod ſit Actus ſummus. Quanquam id a nobis, ſecluſo Fidei lumine, cognoſci nequeat. Continetur autem hujus Myſterii explanatio potiſſimum quatuor, quæ nunc expono.

HOc primum eſt, & nobiſcum cæteris doctoribus catholicis commune eſt. Quod duæ ſint interiores proceſſiones in Deo; una ſecundum actionem intelligendi, cujus terminus eſt Verbum, & hæc dicitur generatio. Altera ſecundum actionem volendi, cujus terminus eſt Spiritus Sanctus, & hæc dicitur Spiratio, ſeu ſimpliciter Proceſſio. Quod quatuor ſint Relationes, ſive habitudines inter divinas Perſonas: ideſt, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio paſſiva; ſive Proceſſio activa, & Proceſſio paſſiva. Quod notiones, & characteres, divinarum Perſonarum; ſeu propriæ rationes diſcernendi divinas Perſonas, quinque potiſſimum ſint. Duæ propriæ Patris; ideſt, Innaſcibilitas, & Paternitas. Una propria Filii, ideſt, Filiatio. Quarta communis Patri, & Filio, videlicet Spiratio, ſive Proceſſio activa. Quinta Spiritus Sancti propria, ideſt, Spiratio, ſive Proceſſio paſſiva. Et tandem quod notiones, ſeu proprietates hypoſtaticæ, hoc eſt notiones, ſeu proprietates, quæ divinas Perſonas conſtituunt, tres ſint: Scilicet Paternitas, Filiatio, & Spiratio, ſive Proceſſio paſſiva; & quod pro his tribus & ſubſiſtentiæ pariter

ter

riter & Perſonæ tres ſint: ſeu tres ſunt Hypoſtaſes, quod nomen aliquando ſubſiſtentiam, aliquando Perſonam ſignificat. Jam vero de his omnibus hic nominatis, ſive eas appellare velis perfectiones relativas, ſive dumtaxat rationes, habitudines, ſtatus entis, exiſtendi modos; illud tenendum, eas non eſſe meras negationes; ſed eſſe aliquid affirmans, ſeu poſitivum; quemadmodum affirmantes, & poſitivæ ſunt rationes explicitæ ſanctitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, ac perfectionum cæterarum.

Secundum; talem eſſe in ſuo genere diſtinctionem realem, quæ intercedit inter divinas Perſonas, qualis eſt in genere ſuo diſtinctio illa rationis, quæ in noſtro Syſtemate intercedit inter divinas perfectiones abſolutas, ut neutra ponat, aut deſignet in Deo aliud, & aliud; ſed idem ipſum reponant, ac repetant, repoſitione ac propemodum replicatione, ut ſic loquar, hæc quidem intentionali, ac ſecundum explicitum; illa autem reali, ac ſecundum originem: ac proinde ut neutra diſtinguat ens, ac rem ipſam, quæ ſumme individua eſt, ſed ejus quodammodo ſtatum, ſive exiſtendi modum. Ex quibus hoc fiat, ut ſicut divina ſanctitas v. c. divina ſapientia ratione noſtra ſunt alia, atque alia perfectio; & tamen ne ratione quidem noſtra ſunt aliud, & aliud; ſed ſunt id ipſum alio, atque alio, ut ita dicam; exiſtendi modo intentionali, abſoluto, & explicito: ſic Pater, & Filius re vera ſint alia, atque alia Perſona, & tamen non ſint aliud, & aliud, ſed idem omnino, alio, atque alio exiſtendi modo reali, relativo, & hypoſtatico.

Tertium; corrigendum eſſe illum cæteroqui valde commune cogitandi morem, quo divinas Perſonas mente concipimus, & componimus, tanquam totidem concreta ex duabus quaſi partibus; ideſt, ex natura tanquam ſubjecto, & perſonalitate tanquam forma. Naturam, & perſonalitatem inter ſe quidem diſtingui vel ratione, vel etiam, ſi placet, alia quapiam ex minoribus diſtinctionibus; nullo autem modo diſtingui, tanquam aliqua duo. Et ſicuti rationes explicitæ ſanctitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, ac cæterarum perfectionum, quamvis rationes ſint poſitivæ, ſive affirmantes, non autem mere negantes; tamen nec re, nec ratione aliquid entis ſuperaddunt naturæ; ita nec Paternitatem, nec Filiationem, nec Spirationem paſſivam; quamvis hæ quoque rationes, ſive habitudines ſint non mere negantes, ſed affirmantes. Propterea ita ferme conſtitui in ſuo genere divinam Perſonam, uti divinam perfectionem in ſuo. Ut ſicuti ſumma totius puri entis plenitudo, hoc exiſtendi modo intentionali, ſive ſub hac expreſſa ratione v. g. *ſanctitas*, & proprie, & explicite una ex divinis perfectionibus; ſic ſumma eadem totius puri entis plenitudo, hoc exiſtendi modo reali, ſive notione hac hypoſtatica v. g. *Paternitas*, proprie, ac re ipſa ſit una ex divinis Perſonis. Hoc autem diſcrimine, quod cum rationes explicitæ ſanctitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, ac reliquarum perfectionum non ſint hypoſtaticæ, nec inter ſe opponantur; divinæ perfectiones diſtinguantur invicem noſtro tantum intelligendi modo, totiuſque entis plenitudo, atque actus in ſingulis ipſis cogitatione, & conſideratione tantum noſtra repetatur. Contra vero quia Paternitas, Filiatio, Spiratio paſſiva rationes, ſive habitudines ſunt hypoſtaticæ, & oppoſitionem originis habent invicem; idcirco divinæ Perſonæ realiter inter ſe diſtinguantur; ac ſumma eadem totius puri entis plenitudo, & actualitas in ſingulis ipſis tota re vera ſit, & ſubſiſtat.

Quartum denique; quia, ut dictum eſt nulla diſtinctio in Divinis afficit, aut partitur rem ipſam, quæ ſimpliciſſima eſt; ſed omnes cujuſvis generis diſtinctiones ſunt penes ejuſdem generis ſtatus, rationes, habitudines, exiſtendi modos; & quia hi, ut pariter dixi, nec re, nec cogitatione vel tantum noſtra aliquid entis ſuperaddunt naturæ; propterea nomina, & pronomina neutra, & abſoluta, quippe quibus ens, ac res ipſa ſignatur, non eſſe notas, & ſignificationes oppoſitionis, diſtinctionis, numeri; ſed ſummæ convenientiæ, unitatis, ac ſimplicitatis. Ut proinde totus Pater diſtinguatur a toto Filio; & Filius itidem totus a Patre toto: & tamen idem ipſum, atque idem omne, quod eſt Pater, ſit Filius; idem ipſum, atque idem omne, quod eſt Filius, ſit Pater. Item, ut totus Filius generetur; totus Spiritus ſanctus producatur, ſive procedat: & tamen res ipſa omnis,

ſive ſumma totius puri entis plenitudo, & actualitas, quæ eſt in Filio, quæque ipſa eadem eſt in Spiritu ſancto, nec generetur, nec ullo modo producatur, aut procedat. Omnino in Divinis, ſi quæritur, Quid? ut docet Auguſtinus tract. 39. in Joan. n. 4. ſi, inquam, quæritur, Quid? vel ſi adhibetur aliquod nomen, aut pronomen neutrum, & abſolutum; deficere omnem oppoſitionem, diſtinctionem, & numerum: conſtareque veritatem ſuam principio illi per ſe notiſſimo, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: ſiquidem tres divinæ Perſonæ ea omni ratione, qua aliquid ſunt, unum, atque idem ſunt; *idem omnino*, ut definit Concilium Lateranenſe IV.

Probantur hæc ex ſacra Scriptura. Nam quæ ibi de hoc Myſterio traduntur, his quatuor nunc expoſitis, ac toti huic explicationi noſtræ plane cohærent. Primum illa Joan. X. 30. *Ego & Pater unum ſumus*. & I. Joan. V. 7. *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt*, En alius, & alius, quin ſit aliud, & aliud. Quia quicquid in ipſis eſt, ac deſignari poteſt nota ſignificationis neutra & abſoluta, unum eſt. Ad oſtendendum numerum adhibetur ſignificatio maſculina. *Hi tres*, ſcriptum eſt, non hæc tria. Ubi uſurpatur ſignificatio neutra, deficit numerus: *unum ſunt*. Deinde illa Joan. X. 38. *Ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*, Et XIV. 9. 10. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem ..... Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* En hic iterum diſtinctio, quam ſolam ſuſcipit ſimplicitas, atque actualitas ſumma; diſtinctio, inquam, quæ non affert aliud, & aliud; ſed plane id ipſum reponit alia, atque alia ratione, habitudine, exiſtendi modo. En, ut hæc alia, atque alia ratio, habitudo, exiſtendi modus nihil entis ſuperaddant communi naturæ: nempe ut id omne, quod eſt Pater ſit in Filio; & id omne quod eſt Filius ſit in Patre. Quod habetur etiam Matth. XI. 26. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et expreſſio Joan. XVI. 15. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt*. Et XVII. 10. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*. Omnia prorſus: ſcilicet, ut Paternitas, Filiatio, Spiratio paſſiva, ut dictum jam ſæpe eſt, nec re, nec ratione quicquam entis ſuperaddant naturæ; ac proinde quicquid entis advehunt, & re ipſa, & noſtro etiam intelligendi modo; id totum re pariter ipſa, & ratione noſtra, tribus ipſis Perſonis commune ſit.

Probari præterea poſſunt hæc ipſa ex Conciliis, & Patribus, quorum ſunt illæ eædem ſententiæ, ac verba etiam ipſa, quibus continetur tota Propoſitio, atque explicatio noſtra: Concilium Epheſinum par. 2. Act. 1. hæc habet ex Gregorio Nazianz. *In Trinitate ita non eſt aliud, & aliud, ſed alius, & alius; ſicut e contrario in Chriſto non eſt alius, & alius, ſed aliud, & aliud*, Atqui in Chriſto nec re, nec ratione eſt alius, & alius; cum tamen re vera ſit aliud, & aliud: ergo in Trinitate nec re, nec ratione eſt aliud, & aliud; cum tamen re vera ſit alius, & alius. Concilium Lateranenſe IV. pariter generale ſententiam, explicationemque noſtram mire confirmat. Hæc enim cap. *Damnamus &c. una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſingulatim quælibet earumdem ..... & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed Pater eſt qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus qui procedit .... Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius, Spiritus ſanctus; non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; idem omnino*. Id ipſum totidem fere verbis Concilium Toletanum XI. Concilium vero Aurelianenſe an. 1017. Ita Trinitatem definit: *Trinitas eſt Veritas ter*. Idem ſcilicet omnino ipſum ter vere repoſitum. Ut cum Deus, noſtro intelligendi modo, atque etiam virtualiter, ſive eminenter ſit infinities illud omne, quod ipſe eſt; ſubſiſtat tamen, & proprie, ac re ipſa ſit illud omne, quod ipſe eſt, tantummodo ter; hoc eſt, in tribus veris Perſonis.

Ex Patribus vero Athanaſius orat. 3. cont. Ariran. num. 3. *Filium eſſe* ait *in Patre, quia totum, quod eſt Filius, hoc naturæ Patris proprium eſt.... adeo ut qui Filium videt, id quod Patris proprium eſt, videat*. Hilarius de Trinit. lib. 3. num. 4. *Quod in Patre eſt, hoc & in Filio eſt .... uterque unum, non duo unus; ſed alius in alio, quia non aliud in utroque. &c.* & n. 33. *Unum ſunt, quia Filius nihil habet, quod non ſit etiam*

etiam in eo, a quo eſt. Et lib. num. 26. *Omnia ei tradita ſunt: & in omnibus nihil intelligitur exceptum*. Gregorius Naz. orat. 15. *Nec enim Filio aliquid deeſt ad hoc, ut ſit Pater, & tamen non eſt Pater: ſicuti nec Patri aliquid deeſt ad hoc, ut ſit Filius, & tamen non eſt Filius*. Chryſoſtomus ſerm. de Trinit. & Cyrillus Alex. lib. 3. theſaur. cap. 1. ajunt, *nihil eſſe in Filio per productionem, quod non fuerit in Patre ſine productione*. Auguſtinus tract. 39. in Joan. num. 4. *Si tres, quid tres? Deficit numerus .... Quia tres ſunt, tanquam eſt numerus; ſi quæris; Quid tres? non eſt numerus*. Et lib. 7. de Trinit. cap. 6. num. 11. *non enim aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed idem omnino. quemadmodum hoc eſt illi eſſe, quod Perſonam eſſe*. Itemque lib. 6. de Trinit. cap. 7. num. 9 & lib. 3. cont. Maxim. Arr. num. 2 &c. Præterea Leo ſerm. 1. & 2. Pentec. Fulgentius epiſt. 14. ad Ferrand. numer. 28. & lib. cont. Arrian. object. 1. Iſidorus lib. 1. de ſum. Bono cap. 25. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 9. Petrus Damian. Opuſc. 1. de Fide cathol. cap. 1. Anſelmus Cant. Monol. cap. 38. 43. 44. 88. Bernardus de Conſid. lib. 5. cap. 17. num. 15. 16. 17. & tract. de error. Abaelardi cap. 2. num. 4. Richardus Victor. lib. 3. de Trinit. cap. 22. Bonaventura in 1. diſt. 8. q. 1. & diſt. 15. q. 1. & diſt. 25. q. 2.

Accedit ratio, atque illa primum, quam in hanc ipſam rem oſtendunt Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 12. n. 102. & Iſidorus lib. 7. ethymol. cap. 1. Deum tum ut eſt re ipſa in ſingulis Perſonis, tum etiam ut eſt in mente noſtra ſuo proprio intellectu, & notione, eſſe ſummam plenitudinem, atque ens undique perfectiſſimum: ac proinde ipſi ex Relationibus, ac triplici Hypoſtaſi, ſive exiſtendi ratione, nec re ipſa, nec noſtro intelligendi modo, ullam entis acceſſionem fieri poſſe. Eſſe igitur in Divinis aliter, & aliter, quin ſit aliud, & aliud; & quæ ex hoc conſequuntur, & ſupra expoſita ſunt.

Adeſt & ratio ſummæ ſimplicitatis, qua nititur Lateranenſe, Anſelmus, Bernardus, immo & reliqui fere omnes ſupra citati. Nam ſi divinæ Relationes res vere tres ſint; ut ſunt & inter ſe re ipſa, & a Natura aliquo modo diſtinctæ; rerum diſtinctarum conjunctio, ac proinde & compoſitio aliqua eſſet in Deo: nec Trinitas ſolum, ſed aliquatenus etiam quaternitas eſſet. Id quod, utcunque ſe habeat, a mente Concilii, prorſus eſt alienum, nec patitur ſimplicitas ſumma. Addi poteſt ratio, ut ſic loquar, negativa: quia ſcilicet explicatio hæc noſtra non pugnat cum principio per ſe notiſſimo. Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe. Quippe cum non ponamus niſi unam eamque ſimpliciſſimam rem, ut in quarta explanationis noſtræ parte notatum eſt.

Neque dicas, fuiſſe aliquos Patres, atque etiam Concilia quædam, quæ divinas Relationes, & *tria*, & *tres res* diſerte appellarint: Namque iſto modo locuti ſunt Veteres aliqui, ne illas tanquam meras negationes habere, & Sabellianis non ſatis repugnare viderentur. At, inquies, ſi meræ negationes non ſunt, aliquid ſunt. Ita quidem; veruntamen non ſunt aliquid ſuperadditum naturæ; quæ cum re, & ratione ſit plenitudo ſumma, ei nec re, nec ratione accreſcere quicquam entis poteſt.

Inſtabis: ſi nihil ſunt, præter naturam, quoniam hæc tota eſt in ſingulis Perſonis erunt & Relationes; ac proinde & Filiatio erit in Patre, & Paternitas erit in Filio. Hoc vero negatur; vel, ut planius fiat, ita diſtinguitur: Filiatio erit in Patre, & Paternitas in Filio, ſecundum ens, ſeu rem, quam utraque affert ex ſua ipſa propria notione; concedo: ſecundum rationem, ſeu modum afferendi, nego. Nempe, ut dictum eſt ſupra, in hoc noſtro Syſtemate ita ſe habet re ipſa divina Perſona; ſicuti ſe habet in mente noſtra divina perfectio. Quod ipſum diſerte docet Auguſtinus loco ſup. cit. *Quemadmodum Deo hoc eſt eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe; ita hoc eſt illi eſſe, quod Perſonam eſſe; idem omnino*. Jam vero ſicuti ratione noſtra divinæ perfectiones includunt, ſive involvunt ſe mutuo, verbi cauſa magnitudo eſt in bonitate, & bonitas in magnitudine: ita prorſus re ipſa includunt ſe mutuo divinæ Perſonæ; ideſt, Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. Nimirum ſecundum *ſummam illam, incomprehenſibilem, & ineffabilem rem, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſingulatim quælibet earumdem*. Non vero ſecundum exiſtendi modum, ſive hypoſta-

poſtaticam habitudinem. Eo pacto ſcilicet, quo, ratione noſtra, divina magnitudo v. c. eſt in divina bonitate ſecundum implicitum, hoc eſt, ſecundum ſummam illam totius puri entis plenitudinem, quam ſecum proprie, & formaliter advehit; non vero ſecundum explicitum; hoc eſt, non ſecundum hanc expreſſam notionem, ſive rationem, *magnitudo*.

At urgebis: hypoſtatica illa habitudo, ſive notio, *Paternitas*, quid tandem eſt? Hic vero jam quæritur, Quid? memento, Auguſtinus quid dicat. Verum peto ego viciſſim: magnitudo divina, noſtro intelligendi modo, quid divinum eſt proprie? quæ ipſius formalis, & propria ratio in Deo eſt, cogitatione noſtra? Nihil certe ſuperadditum plenitudini ſummæ. Nec ergo Paternitas. *Eſſentia illa nullo modo ſic eſt aliquid, ut illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit: quia quicquid aliquo modo eſt, hoc eſt totum, quod ipſa eſt.* Anſelmus Monolog. cap. 16.

Noto, me in quæſtionibus fuſius diſputatis alias præterea duas oſtendiſſe vias explicandi; quomodo hæ hypoſtaticæ rationes, ſive habitudines, atque exiſtendi modi non ſint aliquid mere negans, & tamen nihil entis ullo modo ſuperaddant naturæ; diſtinguantur inter ſe realiter, & tamen quicquid entis ſunt, tribus divinis Perſonis commune ſit. Vias illas non improbo, nec Syſtemati noſtro minus cohærere judico. Adlegi hanc, quæ ibi tertia fuit, quod mihi non ſatis clare, & diſtincte propoſita videbatur. Eſſet aliquid etiam, quod & duabus reliquis libenter adderem: ſed loci hujus non eſt; & facile poterit ingenii veſtri perſpicacitate ſuppleri.

Legendi præcipue Gregorius de Arimin. in 1. Sent. diſt. 27. q. 1. art. 2. concluſ. 3. & diſt. 33. & 34. q. 1. art. 3. Capreolus in 1. ſent. diſt. 29. qu. 1. Cuſanus l. 1. de docta ignoran. cap. 13. & 19. Cajetanus p. 1. q. 39. a. 1. Præterea Valentia, Vvaddingus, Koninch, Martinonus, Sfortia Pallavicinus in quæſt. de Trinitate. Præſertim vero Cienfuegos tom. 1. diſp. 3. 4. 5. &c. apud quem alios plures invenies, qui una cum ipſo ad noſtram ſententiam proxime accedunt. Suffragantur nobis etiam Myſtici, ut Hildegardes in epiſt. ad Eberardum Bamberg. Epiſc. & in explicat. Symboli S. Athanaſii, Thaulerus in Serm. de Trinit. Henricus Suſo in Append. c. 19. & 20. Laurentius Juſtinianus de Caſto Connub. Verbi, & Animæ cap. 19. Alvarez de Paz tom. 3. lib. 3. par. 3. decade 9. &c.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS.

Loci S. Scripturæ, qui ad Chriſtum Jeſum, & Virginem Deiparam pertinent, expoſiti.

PROPOSITIO I.

Ad propugnandum e proximo adverſus ethnicos Incarnationis myſterium, rejiciendi ſunt illi omnes, qui Sybillarum de hac re teſtimonium nobis eripiunt; uti ſunt in primis Sociniani, tum etiam Iſaacus Voſſius, Blondellus, Marckius, Mareſius, Gallæus, Dupinus, aliique recentes Critici: contra quos hæc tria potiſſimum tenenda: Primum, re vera extitiſſe fœminas quaſdam fatidicas, quæ vel Græco, vel potius Hebraico nomine, Sibyllæ ſunt appellatæ. Alterum, non fuiſſe a Chriſtianis conficta, quæ, pro Filii Dei in terras adventu, aliiſque ipſius vitæ, mortiſque myſteriis, ex Sibyllarum carminibus, allata feruntur a Patribus. Tertium, libros Sibyllinos, qui hodieque extant in Bibliotheca noviſſima Patrum, eſto non plane incorrupti, immo & interpolati ſint multis partibus, in iis tamen, quæ huc pertinent, non admodum differre ab illis, quibus uſi ſunt Patres.

DE Sibyllis in ſacris Literis nihil eſſe videtur expreſſe. Multa ſunt tamen, quæ primam Propoſitionis partem per quamprobabilem faciant: ut Num. XXIV. 16. 17. &c' Sap. VII. 27. VIII. 1. Act. X. 34. 35. 1. Timoth. II. 4. & horum ſimilia. Eſt vero omnino certa ex Traditione, quæ apud antiquos Scriptores, tum ſacros, ut Hermam, Juſtinum, Athenagoram, Theophilum Antioch. Clementem Alex. Origenem, Lactantium, Conſtantinum Magn. Euſebium Cæſar. Hieronymum, Auguſtinum &c. tum prophanos, ut Platonem, Ariſtotelem, Varronem, Ciceronem, Diodorum Sicul. Dionyſium Halicarnaſ. Strabonem, Livium, Plutarchum, Ælianum, Pauſaniam &c. Qui omnes Sibyllarum meminere. Adeſt & ratio: namque id maxime congruit ſuaviſſimæ erga omnes homines Dei providentiæ, quam ſacræ Literæ locis proxime notatis tantopere commendant.

Altera pars Propoſitionis eſt fere non minus certa. Num enim Patres illi, quos nominavi, aut decepti in re tali, aut deceptores? Num ethnici, cum quibus res erat, adeo cæci, aut rerum ſuarum tam parum ſolliciti, ut fraudem vel non adverterint, vel diſſimularint? Quid quod lib. 1. & 2. de divin. ſcripſit Cicero, Sibyllas prænunciaſſe Regem, ſine quo ſalus eſſe non poſſit. Quod ſcripſit etiam Svetonius in vita Veſpaſiani. Quid Virgilii ecloga quarta, nonne ex Cumææ Sibyllæ vaticinatione de Chriſto, antequam Chriſtus naſceretur, expreſſa eſt? Vide Auguſtinum epiſt. 258. ad Martian. n. 5.

De tertia parte ſimiliter dubitare non po-

Digitized by Google

poteris, ſi tantum conferas locos Sibyllarum, qui laudantur a Patribus, cum iis, qui extant in libris Sibyllinis. Quo te juvabunt Scriptores illi, quos infra de more legendos proponam.

Objici poteſt, in Sibyllarum carminibus quantum quidem partim videre, partim conjicere licet, eſſe ſacra, & profana; immo vera, & falſa, ſalutaria, & noxia: ut nec Dei, nec dæmonis afflatu, & inſtinctu edi potuiſſe videantur. Sunt igitur Sibyllarum libri ſuppoſititii, ipſæ vero prorſus fabuloſæ.

Reſpondeo, multarum rerum, quæ certæ, & perſpicuæ ſunt, cauſam, & modum plane ignorari. In re noſtra poſſe utrumlibet ſuſtineri. Agi enim Sibyllæ potuerunt a dæmone: qui quamvis ex ſe futura neſciat; ea tamen cognoſcere poteſt ex divinis oraculis, quæ vel in ſacris Libris, aut alibi ſcripta, vel alio modo expreſſa, & tradita extant. Ac licet infenſus hominibus, & ad nocendum ſemper intentus, a Deo tamen interdum cogitur, eos quæ ſunt opportuna, & ſalutaria monere. Deinde, quod eſt probabilius, ac de mente ſanctorum Patrum, agi Sibyllæ potuerunt a Deo. Neque enim hoc illum dedecuit, ſi præſertim ab idolorum cultu, ac vitiis alienæ, ſi Virgines erant: cum Dei inſtinctu loquuti ſunt Balaam, Saul, Caiphas homines nequam. Adde, hæc peragi Angelorum miniſterio; in quorum curam, atque cuſtodiam cum regna, & imperia ſint credita, haud inconveniens fuit, nuntiare per eos aliqua, etiam politica; quæ ad feliciorem pertinent reipublicæ ſtatum. Simile quidpiam Daniel. cap. VIII. XI. &c. Quæ vero eſſe dicuntur in libris Sibyllinis falſa & noxia; talia ſunt, aut videntur, quia vitiata, vel quia male intellecta.

Inſtabis: fuiſſent ergo vera Dei oracula, ac teſtimonia; fuiſſet Scriptura divina etiam apud ethnicos. Quod contra ſcriptum eſt Pſalm. CXLVII. 19. 20. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Item Deut. IV. 6. 7. &c. & Rom. III. 2.

Reſpondeo primo, iſtud non ſequi. Fieri enim potuit, ut Deus vel per Angelos, vel ſolus per ſe Sibyllis futura monſtrarit; ut eas ad vaticinandum impulerit; ab iiſdem vero receſſerit, cum vaticinia ſua poeticis illigarent numeris, ſcriptoqne evulgarent. Nam tria ſunt hic diſtinguenda. Primum eſt, Dei revelatione futura prænoſcere; alterum, Dei impulſu futura prædicere; tertium, quæ prænoveris, ac prędixeris, Deo ipſo dictante, vel ſaltem ſpecialiter aſſiſtente, literis conſignare. In Prophetis, quorum vaticinia prius ore prolata ſunt, quam ſcriptis mandata, hęc tria facta ſunt. Nam profecto ne ipſa quidem Evangelica hiſtoria eſſet ſcriptura vere, & proprie divina, ſi quę locutus eſt Chriſtus Dominus, ab Evangelicis Scriptoribus memorata non fuiſſent Deo dictante, aut ſpeciali aliquo modo aſſiſtente. In Sibyllis vero factum eſt primum tantum; vel, ſi placet, primum, & alterum. Tertium eis minime datum eſt. Ut, conſideratis ipſarum carminibus, notat etiam Cicero in ſecundo de divinat. Itaque in ſcribendo a Deo deſtitutæ, ac ſibi ipſis relictæ errare facile potuerunt, &, ſi ita vis, reapſe errarunt in multis. Quo etiam referri poteſt id quod objectum eſt ſupra: plura & falſa, & noxia, ſeu ſuperſtitioſa in Sibyllarum carminibus apparere.

Reſpondeo præterea, aliud eſſe loqui, & ſcribere Dei impulſu; aliud vero loqui, & ſcribere etiam Dei nomine. Eſto, Sibyllis, cum vaticinarentur, & loquentibus, & ſcribentibus affuerit Deus; & conſtanter quidem affuerit, ut nihil falſi, aut pravi iis vaticinationibus admiſceretur de ſuo; non ſic tamen eis aderat, neque illas ita movebat, ut loquerentur, aut ſcriberent nomine Dei, quod fecerunt Prophetæ. Loquutæ ſunt, & ſcripſerunt nomine proprio. Quod ſi eſt, earum locutio, ac ſcriptio, non eſt verbum Dei, nec vere, & proprie divina.

Reſpondeo tertio: etiamſi detur, apud ethnicos ſcriptum iſtiuſmodi aliquod extitiſſe vere, & proprie divinum, nihil iſthinc abſurdi ſequi, aut quod ſacrarum Literarum teſtimonio repugnet. Nam non continuo Hebræis æquiparari hoc in genere potuiſſent. Quippe quibus ſcripto tradita Lex; tradita ea omnia, quæ ad veri Dei cultum pertinent, de quibus ſcilicet eſt locus Pſalmi 147. nobis objectus: tradita præterea tam multa

ta

Digitized by Google

ta, & tot generum divina Volumina.
Reliqua, quæ poſſunt opponi, leviora ſunt, eaque apud alios facile invenietis. Legendi præcipue Baronius in Apar. num. 18. 19. &c. Spondanus in Appar. num. 11. & 12. Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 31. Tiraquellus in annotat. Genial. dierum Alexandri ab Alexan. Bulingerus de ratione divinationis lib. 6. cap. 1. Petrus Petitus de Sibylla, Panvinius de Sibyllis, & Sibyllarum carminib. Nourry tom. 1. Apparat. diſſert. 12. cap. 3. Garleboſc hiſt. Eccl. ſæcul. 1. par. 5. lib. 4. diſſert. 1. Graſſetius de Sibyllis &c. Honoratus a S. Maria Animadverſ. tom. 2. lib. 2. diſ. 2. Natalis Alex. hiſtor. Eccl. ſæcul. 1. diſſert. 1. ſi adſit facultas eum legendi. Quod dictum intelligi volo de aliis Auctoribus proſcriptis, ſi quando eos legendos propono.

PROPOSITIO II.

Refutandi etiam ſunt in hoc loco Van-dale, Bayle, Jaquelot, Clericus, Baſnagius, etiam Fontenelle, & qui alii Chriſtianæ Religioni argumentum pariter illud eripiunt, quod adverſus ethnicos ex ipſorummet oraculis petitur: dicendumque, hos Criticos falſo duo illa negare, & quod ethnicorum oracula a dæmone reddita fuerint; & quod ſub Chriſti adventum ceſſarint.

PRobatur prima pars Propoſitionis, & quidam potiſſimum ex ſacris Literis, quas de hac re penitus ſilere, falſo adverſarii jactant. Nam oraculum Belzebub, quod erat Accarone, erat utique a dæmone; non a myſtis, & ſacrificulis. Satis eſt legere quæ de illo Angelus ad Eliam IV. Reg. 1. 3. *Surge, & aſcende in occurſum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Belzebub deum Accaron?* Hæc ſane eſt interpretum omnium perſuaſio, & ſententia: & verba ipſa ſunt clara per ſe ſe. Nihil autem poteſt afferri; quod diſpar ſit, & interſit inter oraculum hoc, & cætera oracula, quæ reddebantur Delphis, Clarii, Didymi, Dodonæ &c. Huc præterea pertinent loci illi ſacræ Scripturæ, quibus exprobantur Hebræis ſacrificia facta dæmoniis ad exquirendas maxime ſortes: ut Deut. XXXII. 17. IV. Reg. XXII. 17. Pſalm. CV. 28. 29. &c. Et quibus expreſſe vocantur dæmonia dii omnes, qui colebantur, invocabantur, conſulebantur ab ethnicis: ut Deut. XXXII. 17. Pſalm. XCV. 5. CV. 37. 38. Baruch. IV. 7. 1. Cor. X. 20. In hanc ſententiam hos Scripturæ locos exponit Euſebius Præpar. Evangel. lib. 4. cap. 16. Conſentiunt reliqui Patres, præſertim Origenes lib. 7. cont. Celſum num. 5. 6. 7. &c. Athanaſius de Incarn. Verbi num. 47. & in Vita S. Antonii num. 33. Joannes Chryſoſtomus in cap. 12. 1. ad Cor. homil. 29. Auguſtinus lib. 8. de Civitat. Dei cap. 19. 21. 22. 24. &c. Theodoretus in Ezech. Daniel. Oſeam &c. Accedit ratio: ſic enim idola, ſeu Gentium deos definit Auguſtinus lib. 8. de Civit. cap. 26. quibus *pro anima eſt dæmon, pro corpore ſimulacrum.* Quod ſi ibi aderat dæmon, ipſe erat qui dabat reſponſa. Sive hoc faceret per ſimulacrum, quod imbuebat, & propemodum animabat; ſive quod erat ſaltem frequentius per miniſtros, & ſacerdotes, quos afflabat, & incitabat. Immo ad hoc præcipue erat ibi pro anima dæmon, ad edenda reſponſa. Adde his, quod ex Herodoto, & aliis antiquis hiſtoricis annotant Minutius, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, & Patres reliqui proxime laudati, oraculorum reſponſa ejuſmodi ſæpe fuiſſe, ex quibus, tanquam ex odore, & halitu dæmonem manifeſto indicio deprehendas. Præcipiebant res adeo obſcœnas, diras, execrabiles; ludebant verbis, ac dictis ambiguis tam prompte, tam apte, tam ſubtiliter; ut non poſſet id ſacerdotibus tribui.

Digitized by Google

bui. Eorum malitiam, & ingenium vincebat. Non eſt credibile, illos vel tanta immanitate voluiſſe nocere; vel tanto aſtu potuiſſe decipere.

Probatur altera pars Propoſitionis. Hæc enim Marc. I. 24. & Luc. IV. 34. *veniſti perdere nos? Scio te qui ſis, Sanctus Dei*. Et Matth. XII. 29. *quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem?* Hæc alligatio fortis alligatio dæmonis eſt. Ita omnes interpretes. Similiter Luc. XI. 21. 22. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat &c.* Arma externa dæmonis fortaſſe omnium validiſſima oracula hæc. Item Joan. XII. 31. *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Et epiſt. I. Joan. III. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*. Quæ intelligenda eſſe præcipue de ſilentio oraculis indicto, cum ratio illa ſuadet, quam poſt paulo exponam; tum auctores ſunt Euſebius lib. 5. eod. Præp. ac cæteri Patres: qui quotquot adverſus ethnicos pro Chriſtiana Religione pugnarunt. huius ſilentii meminere. Ita Juſtinus in Apolog. & in Dialogo, Tertullianus in Apologet. Minutius in Octav. Cyprianus de idolor. vanit. Lactantius lib. 2. divin Inſtit. Athanaſius orat. cont. idol. Prudentius in Apoth. Cyrillus Alex. cont. Julian & alii plures. Fidem etiam rei huius indubitabilem faciunt profani, atque ethnici ipſi ſcriptores. Lucanus Pharſal. 5.

non ullo ſæcula dono.
Noſtra carent majore Deum, quam Delphica ſedes
Quod ſiluit.

Juvenalis Satyr. 6.

Delphis oracula ceſſant.

Statius Theb. 8.

Mutiſque diu plorabere Delphis.

Diodorus Siculus, qui Auguſti ætate floruit, de feciſſe oracula ſcribit tempore ſuo. Strabo Geogr. lib. 7. *Dodonæum ſiluit, ſicut & cætera oracula*. Nec minus clare, & expreſſe, Dionyſius Halicarnaſſæus, Pauſanias, Suidas, & complures alii. Notandi maxime Plutarchus, & Porphyrius; quorum primus de hac re ſcripſit integrum tractatum eo titulo, *de Oraculorum defectu. Quod oracula expiraverint*. Alter defectum hunc non ſolum fatetur, ſed in Chriſtianos etiam refert: quorum odio factum eſſe ait a diis, qui edebant oracula, ut templa reliquerint, ac terris etiam exceſſerint.

Adeſt hic pariter ratio. Siquidem ethniciſmus, ſive idolorum cultus, quod erat dæmonis regnum, iſtiuſmodi oraculis maxime ſtabat. Sic enim Iſa. XLI. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dii eſtis vos*. Divinitatis character nullus eſt certior, quam futurorum prænotio. Cum igitur, ut eſt in Scripturæ locis paulo ante allatis, Chriſtus venerit, *ut diſſolveret opera diaboli*; & ipſius regnum everteret; hæc divini hujus characteris ſimulatio, hæc fraus, & impoſtura pernicioſiſſima tollenda ipſi penitus fuit. Sic factioſis, ac rebellibus, ne turbare, & decipere pergant, eripienda ſunt e manibus ſigillum regium, aut regia ſubſcriptio: etiamſi non vera, & genuina; ſed ab ipſis falſata, adulterataque ſint.

Objicies contra primam Propoſitionis partem: quemadmodum apud Daniel. XIV. 12. &c. Sacerdotes Beli, patefacto ſibi ſubterraneo, ocultoque aditu in templum, quæ appoſita erant idolo, clam comedebant; *fecerant ſub menſa abſconditum introitum, & per illum ingrediebantur &c.* ita Myſtas, & ſacrificulos idolorum, a quibus petebantur oracula, latitare ſub eorum ſtatuis, quæ excavatæ forſitan erant; &, adhibito, ſi ſuperis placet, tubo Morlandæo, vel alterius generis organo, quod vocem augeret, & humana majorem efficeret, pro diis ipſis oracula edere potuiſſe. Nimirum plenas iſtiuſmodi fraudum eſſe omnes hiſtorias. Reſpondeo, nihil cogitari poſſe magis inepte, & inerudite. Cum ex antiquis hiſtoriis, & monumentis, ut videre erit apud ſcriptores, quos infra legendos proponam, exploratum ſit, oraculorum veterum longe aliam fuiſſe rationem ab ea, quam ſibi adverſarii ad arbitrium confingunt; nec fuiſſe illi fraudi, quam ſomniant, expoſitam. Sacerdotes plerunque ipſi correpti a dæmone palam fundebant oracula: & tum ex reſponſis, tum ex modo dubitari non poterat, quin dæmonis actu, eo inſtinctu loquerentur. At enim fraudes plurimæ id genus in omnibus

bus hiſtoriis memorantur. Eſto: ſed ubi erat fraudi locus. Docui, in re noſtra ſubeſſe fraudem Myſtarum non potuiſſe. Tota fraus in dæmone fuit. Præterea telum hoc adverſarios ferit. Nam cæteræ fraudes detectæ, ac memoriæ proditæ ſunt. De hac ſilent omnes hiſtoriæ. Num in hac re cæca omnis Antiquitas, ſoli recentes Critici vident?

Objicies contra ſecundam Propoſitionis partem ex Jacobo Serry præſertim, qui hunc Oraculorum defectum, & alia quædam miracula, quæ in Chriſti Domini ortu facta perhibentur, vocat in ſuis Exercitationibus Criticis, *religioſa commenta*, *& pia vigilantium hominum ſomnia*. Sic autem diſſerit. Vel ſermo eſt de aliqua veterum oraculorum defectione, obſcuratione, remiſſione; vel de ceſſatione omnimoda, de univerſali, perpetuoque ſilentio. Primum contigit ante quam Chriſtus naſceretur: annis facile 60. cum defectionis ejuſmodi mentio ſit apud Ciceronem in primo, & ſecundo de Divinatione. Alterum vero non contigit, niſi quinto ſæculo poſt Chriſtum natum: neque in eo plus aliquid miraculi fuit, quam quod, ad Chriſti Fidem converſis ethnicis, non amplius conſulerentur oracula; hæc vero, conſulente, & interrogante nullo, nihil reſponſi dederint.

Reſpondeo primum; ſi commenta, ſi ſomnia ſunt iſta, fabulatores, & ſomniatores fuiſſe maxime Patres, qui ante nos idem ſcripſere; & eo quidem tempore, cum res in omnium oculis, atque auribus eſſet. Fuiſſet igitur Paganiſmi defenſoribus prompta illa reſponſio: Fabulantur, ſomniant Chriſtiani, qui oraculorum ſilentium nobis objiciunt. Cum autem neque a Porphyrio, neque ab Juliano Apoſtata, Chriſtiano nomini infenſiſſimis, auditum hoc ſit; a religioſo Critico noviſſime dictum, quam probari poſſit, non video. Venio ad dilemma: ac de illa oraculorum ceſſatione me loqui profiteor, quæ admirationi maximæ fuit toti Romano imperio, atque adeo gentibus omnibus; quam memorant tanto conſenſu, & cujus cauſas tam ſollicite exquirunt profani, atque ethnici Scriptores ſupra nominati. Quo poſito, ita concludo: Hæc oraculorum ceſſatio, quæcunque, & quantacunque fuit, nam certe ſub Chriſti ortum, horum omnium Scriptorum teſtimonio, fuit valde notabilis, non poteſt referri in diverſos terrarum anhelitus, aut temperaturas corporum, aut naturales alias cauſas, quibus aſcribitur a Plutarcho: nec in iram, indignationemque deorum, quo revocatur a Porphyrio. Sed nec dici poteſt, ſive quod volunt recentes Critici principio memorati, conticuiſſe oracula, templorum everſione, & Chriſtianorum imperatorum edictis; ſive quod addit Serry, deſiiſſe oracula, quia defuerunt idolorum cultores, qui illa peterent. Nihil, inquam, dici poteſt iſtorum. Tum quia non fuiſſet, cur illo oraculorum defectu adeo obſtupeſcerent ethnici, & in veſtiganda cauſa tantopere laborarent; tum quia ipſorum ſcriptores, quos hic teſtes, adducimus vel omnes, vel fere omnes primo Eccleſiæ ſæculo floruerunt, & aliqui etiam paulo poſt Chriſti ortum; cum nondum eſſent Chriſtiani, nec profecto deeſſent, qui deorum templis, & aris accederent. Cum igitur aliud non ſit, quo poſſit hoc oraculorum ſilentium referri; Chriſto ipſi eſt tribuendum: eoque probatur Filii Dei in terras adventus; veritas, & ſanctitas Chriſtianæ doctrinæ.

Nec refert, ante etiam, quam Chriſtus naſceretur, Tullio teſte, oracula deficere cæpiſſe. Quæ pars eſt prima dilemmatis. Detur hoc. Id ipſum ſcilicet tribuendum eſt Chriſto. Qualiſcunque illa oraculorum ceſſatio, infrequentia, raritas aurora quædam, ut ſic loquar, fuit, ſeu prima umbrarum depulſio & quaſi diluculum veritatis mox orituræ. Cæterum eſt quidem in eo Ciceronis dialogo, oraculum Delphicum minore, quam antea, gloria fuiſſe, verum hoc de illo dicitur, non quod taceret; ſed quod Deo digna non loqueretur; vel ut ait ibi diſerte Cicero, quod *verſus facere deſiiſſet*. Non de oraculorum ſilentio, ſed de novis reſponſis agitur ibi. Quæ quidem diſtinguenda, ac ſecernenda a Critico fuerant.

Nihilo magis nobis officit, aut negotium faceſſit pars altera dilemmatis. Quid enim ſi Plutarchus excipit tria oracula, ex quibus reſponſa adhuc aliqua elicerentur; cum ſcribat, cætera omnia prorſus obmutuiſſe? Quid ſi reſponſi alicujus primo, ſecundo, tertio, atque etiam quarto

to, & quinto, ſi placet, ſæculo ab oraculo redditi meminerint Scriptores alii? Nihil hæc contra nos: duabus his nempe de cauſis. Primum, quia non contendimus, nec Patres, quos duces, & auctores ſequimur, unquam ſcripſerunt, eo ipſo momento, vel anno, quo natus eſt Chriſtus, omnia prorſus oracula penitus defeciſſe. Ceſſarunt quidem eo tempore plurima: quod demirati ſunt, ut diximus, ethnici; ac literis prodiderunt. Exinde vero cætera paulatim, ea proportione, & fortaſſe etiam ordine, quo annunciatum eſt Chriſti nomen, ejuſque promulgata doctrina. Ut horum etiam ſilentium in eandem cauſam referre non dubites. Immo nec pugnandum dicimus contra Paganos ex univerſali oraculorum defectu, & interitu. Pugnandum eſt ex illo tantum, quem nobis ipſi deſcribunt, & cujus cauſam inquirunt.

Alterum, quod animadverti volo, illud eſt: dæmones, qui ad primas veritatis voces plane obmutuerant, poſtmodum ſæpe invocatos, Dei permiſſu in ſua & ſimulacra interdum rediiſſe, ac reſponſa aliqua reddidiſſe. Cujus aliquid ſimile factum legimus ſæculo tertio in vita Sancti Gregorii Thaumaturgi ſcripta a Sancto Gregorio Nyſſeno. Ut propterea hanc etiam ob cauſam exempla, teſtimoniaque illa, quæ contra nos proferuntur, nihil prorſus efficiant.

Legendi præcipue Baronius in Appar. n. 25. Spondanus in Appar. n. 13. Pamelius in adnot. ad Tertulliani Apolog. & lib. de Anim. Hervetus in Clementis Alex. Protrepticon, & lib. 5. Strom. Billius in Orat. 4. Gregorii Naz. Venereus de Oracul. Allatius de Engaſtrimytho, Nourry in Appar. tom. 1. lib. 3. Harduinus in notis ad 1. & 2. Plinii, Cudvvortus Syſt. intellect. tom. 2. ante omnes Balthus hiſtor. de Oracul. ſilentio & Honoratus a S. Maria Animadv. Critic. tom. 2. lib. 2. diſſert. 1.

PROPOSITIO III.

Evangelicæ hiſtoriæ cum Prophetarum vaticiniis eſt tanta conſenſio; ut etiam ſepoſitis aliis argumentis, demonſtratio certa ſit, atque in ſuo genere evidens, adverſus Hebræos, Jeſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam.

PRobatur: etenim Prophetiæ de Chriſto celebriores, atque illuſtriores ſunt hæ ſexaginta. Prima Gen. III. 15. Secunda Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. Tertia Gen. XLIX. 10. Quarta Exod. XII. 3. 4. 43. Quinta Numer. XXI. 9. Sexta Numer. XXIV. 17. Septima Deuter. XVIII. 15. Octava II. Reg. VII. 13. 16. I. Paral. XVII. 12. 14. & XXII. 10. Nona. Job. XIX. 25. &c. Decima Pſalm. II. 2. 6. 7. 8. Undecima Pſalm. III. 6. XV. 10. XXIX. 4. XL. 11. XLVIII. 16. &c. Duodecima Pſalm. XVIII. 5. 6. 7. &c. Decima tertia Pſalm. XXI. Decima quarta XXIII. 7. 8. &c. Decima quinta Pſalm. XXVI. 12. XXXIV. 11. 12. &c. XL. 8. 9. 10. LXIII. 3. 4. LXVIII. 2. 3. &c. CVIII. 1. 2. &c. CXLI. LXX. 10. 11. &c. Decima ſexta, Pſalm. XXXIX. 8. 9. 10. &c. Decima ſeptima Pſalm. XLIV. 3. 4. &c. Decima octava LIV. 13 14. LXVIII. 26. CVIII. 4. 8. Decima nona Pſalm. LXVIII. 22. LXXXVII. &c. Vigeſima Pſalm. LXXI. & LXXXVIII. 29. 30. CX. 9. CXXXI. 10. 11. &c. Vigeſima prima Pſalm. CIX. Vigeſima ſecunda Pſal. CXVII. 22. Vigeſima tertia Iſa. II. 3. 4. 5. &c. XVI. 1. XLV. 8. XLVI. 13. XLIX. 26. LIV. 5. LV. 4. 5. &c. LXII. 1. 2. &c. LXVI. 19. 20. Vigeſima quarta Iſa. VII. 14. 15. Vigeſima quinta Iſa. IX. 6. 7. &c. Vigeſima ſexta Iſa. XI. & XII. Vigeſima ſeptima Iſa. XXXV. XLII. 1. 2. 3. Vigeſima octava Iſa. XL. 1. 2. 3. &c. LI. 4. 5. LII. 1. 2. 3. &c. Vigeſima nona Iſa. L. 6. & LIII. Trigeſima Iſa. LX. & LXI Trigeſima prima Iſa. LXV. 1. 2. 3. &c. Trigeſima ſecunda Jer. III. 15. 16. &c. XVI. 14.

Digitized by Google

14. 15. 16. xxiii. 4. 5. 6. Trigeſima tertia Jerem. xi. 19. 20. 21. 22. Trigeſima quarta Jerem. xxx. 20. 21. 22. & xxxiii. 15. 16. &c. Trigeſima quinta Jerem. xxxi. 15. 22. 31. 32. &c. Trigeſima ſexta Thren. iv. 20. Trigeſima ſeptima Baruch. iii. 38. Trigeſima octava Ezech. ix. 4. 6. Trigeſima nona Ezech. xxxiv. 23. 24. 25. &c. xxxvii. 24. 25. 26. &c. Quadrageſima Ezech. xliv. 1. 2. 3. &c. Quadrageſima prima Daniel. ii. 44. 45. Quadrageſima ſecunda Daniel. vii. 27. Quadrageſima tertia Daniel. ix. Quadrageſima quarta Oſe. iii. 4. 5. x. 12. xi. 1. Quadrageſima quinta Joel. ii. 22. 28. 29. 32. Quadrageſima ſexta Joel. iii. 17. 18. Quadrageſima ſeptima Amos viii. 9. 11. & ix. 11. 12. &c. Quadrageſima octava Abdi. i. 17. Quadrageſima nona Jonæ ii. 1. Quinquageſima Mich. ii. 12. 13. iv. 1. 2. 3. &c. vii. 14. 15. &c. Quinquageſima prima Mich. iv. 8. v. 2. Qinquageſima ſecunda Habac. ii. 3. & iii. 12. 13. 18. Quinquageſima tertia Sophon. iii. 9. 10. 13. &c. Quinquageſima quar a Aggæ. ii. 7. 8. 10. Quinquageſima quinta Zach. ii. 10. 11. &c. Quinquageſima ſexta Zach. iii. 8. & vi. 12. Quinquageſima ſeptima Zach. ix. 9. Quinquageſima octava Zach. xi. 12. xii 10. & xiii. 7. Quinquageſima nona Malach. i. 11. Sexageſima Malach. iii. 1, 2. & iv. 2. ex Libris, quos Hebræi recipiunt, Hæ ſunt Prophetiæ, niſi qua me fugit, magis vulgatæ, & perſpicuæ deſumptæ: quas ſpectare ad Meſſiam; & quidem non ſecundario, & remote, ut vult Grotius; ſed earum quamplures primario, & proxime, cum Sanctorum Patrum, & Chriſtianorum interpretum; tum etiam Hebræorum ſententia eſt. Ut videre poteris apud Huetium Demonſtr. Evangel. Propoſ. 7. & 9. Quapropter in quem certo, & evidenter conveniant ea omnia, quæ vaticinationibus his prænuntiantur, eum verum eſſe Meſſiam certum, & evidens erit. Conveniunt autem certo, & evidenter in Jeſum Nazarenum: eſt igitur certum, & evidens Jeſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam. Probatur aſſumptio, non ſolum quia hæc de Jeſu Nazareno ſcripta ſunt fere ſimul a pluribus eiſque omni fide digniſſimis; ſed etiam quia ſcripta ſunt ſub ipſum idem tempus, quo facta ſunt, & dicuntur; & quia facta ſunt, & dicuntur luce, palam, in oculis omnium gentium, & maxime Hebræorum. Qui propterea negare nec poſſunt, nec audent, pleraque falſa iſtorum de Jeſu Nazareno in hiſtoria Evangelica ſcripta eſſe veriſſime. Ut tempus, & temporis circumſtantias, quibus natus dicitur; locum etiam in quo natus, ideſt Betlehem; & in quo habitavit, ideſt Nazaret; Progenitores, parentes, novam ſtellam in ejus ortu viſam, Magorum adventum, infantes ab Herode interfectos; Baptiſmum, prædicationem, teſtificationemque Joannis. Præterea quod diſcipulos ſibi piſcatores adjunxerit; quod docendo, exhortando, benefaciendo Judæam, & Galilæam obierit; quod venditus, ac proditus ab uno ex diſcipulis fuerit, a ceteris vero relictus; quod captus ab Judæis, & maximis contumeliis affectus; quod excruciatus crudeliſſime, & inter duos latrones cruci tandem ſuffixus. Immo ex Hebræis etiam fuere, qui Jeſum vera edidiſſe miracula, qui probum, & juſtum verumque Prophetam fuiſſe confeſſi ſunt, & literis prodiderunt. Ita in libro Thalmudico Avoda Zara, & in Midraſch Coheleth, aliiſque Hebræorum veterum libris, in primis vero Joſephi, & Philonis. Hæc quidem de illo pernegant alii; ſed contra veritatem, ac ſecum ipſi manifeſte pugnant. Siquidem tria hæc eandem habent evidentiæ lucem quam quæ, ut nuper vidimus, de ipſo concedunt. Immo cum nihil his tribus opponant, quod ullo modo probabile, aut veriſimile ſit, ex hac ipſa adverſariorum oppugnatione evidentius etiam quam cætera enitent. Jam vero ſi in Jeſu Nazareno cum Prophetarum oraculis tot, & tanta tam clare conſentiunt; certum, & evidens eſt reliqua omnia pariter conſentire. Probatur id facile, & quidem triplici via, & ratione. Prima eſt, quia evidentia moralis, etiam quæ ſit ex majoribus, veritatis characteres nec plures requirit, nec magis conſpicuos, quam quos in Jeſu Nazareno hactenus demonſtravi. Nam qui alii characteres non ſunt adeo manifeſti per ſe, ab his omnibus tamen tantum lucis accipiunt, quæ non ſolum prudentibus, ſed iis, qui plane ſtulti non ſint, nullum

relinquat dubitandi locum. Itaque in omni quæſtione, & judicio, ubi expendatur ἀυτότης, ταυτότης *identitas* perſonæ: V. C. dubium ſit, an Julius ſit idem, qui Cæſar: ſi oſtenſum fuerit Julio cum Cæſare convenire tam multis, quam multa ſunt, quibus convenire inter Jeſum ac verum Meſſiam hic proxime oſtendi: nec quicquam ſolidum, aut ſaltem probabile contra afferatur; qui dubitare pergat, non ſolum imprudens, ſed etiam ſtultus, & ad veritatem prorſus indocilis eſſe reputabitur. Secunda ratio, atque via illa eſt: quod Deus inſignire non potuit hominem aliquem tot, tamque illuſtribus, & ut ita dicam, authenticis notis veri Meſſiæ; niſi vel homo ille quamvis minus aperte, re vera tamen haberet cætera omnia quæ ſunt propria Meſſiæ, ac verus eſſet Meſſias; vel certis argumentis, aut Dei ſignificationibus conſtaret contrarium. Nam cæteroquin erroris fere omnium graviſſimi, qualis eſſet falſa religio, auctor dici poſſet ipſe Deus. Uſurpare liceret hic illud Richardi a S. Victor. lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine, ſi error eſt, a te decepti ſumus*. Tertia, quia inter illos characteres veri Meſſiæ, quos in Jeſu Nazareno agnoſcunt etiam Hebræi, aliqui ſunt ita connexi cum cæteris omnibus; ut vel iis ſolis characteribus inſpectis, nullus aliorum omnium denegari ipſi queat, atque evidens ſit ipſum eſſe Meſſiam. Etenim non ſolum ſi prodigiorum, admirandorumque facinorum vere potens, & patrator; non ſolum ſi verus Propheta, ſi ſapiens, juſtus, & ſanctus; ſed etiam ſi fuit dumtaxat vir probus, & ſanæ mentis; immo ſi non fuit maxime improbus, aut certe ſtultiſſimus, non falſo Dei Filium, & Patri æqualem ſe fecit; non eſt tam nefarie, tam impie mentitus. Quod ſi vero eſt Filius Dei, is eſt verus Emanuel natus ex Virgine, de quo Iſaias; is eſt Chriſtus, & ſanctus ſanctorum *poſt hebdomadas ſeptem, & ſexaginta duas occiſus* de quo Daniel; is eſt Rex gloriæ, is eſt Dominus qui non ſolum ſurrexit ex mortuis, ſed etiam ſedet ad dexteram Domini, de quo David; is denique eſt verus Meſſias, de quo omnes Prophetæ. Vide locos ſupra notatos.

Hæc demonſtratio longior, ex alio in aliud gradatim deducta. Nunc addo breviſſimam quæ tamen a vobis pro veſtro ingenio dilatari poſſit, & ad ſcholaſticam formam facile adduci: Illa eſt, Teſtamenti Veteris, ac Teſtamenti Novi tam perfectum, tamque admirabilem eſſe conſenſum; ut utrumque legentibus clariſſime appareat, primum eſſe figuram, ac præſignificationem alterius. Quo fit ut Vetus ſit verum ex Novo, ſeu Novum ſit veritas Veteris: ac proinde in hiſtoria Evangelica, ac libris omnibus Teſtamenti N. tam nihil eſſe poteſt a Chriſtianis confictum, aut omnino falſitas ulla; quam hiſtoriæ Teſtamenti V. & Prophetarum libris, Hebræorum etiam ſententia, deeſſe non poteſt ulla pars veritatis.

Objicies hæc duo; primum contra demonſtrationem longiorem: Hebræos noſtri temporis non habere pro veris ea omnia quæ ſub initium de ortu, vita, morte Chriſti Jeſu ex hiſtoria Evangelica ſummatim recenſui. Quod vero pertinet ad ejuſdem miracula, prophetias, ad quæ progreſſa eſt demonſtratio, non poſſe horum trium eandem eſſe evidentiam, quæ eſt cæterorum. Cum iſtorum veritas non cadere ſub ſenſus, & facile poſſint partim humano aſtu, partim dæmonis ope ſimulari. Alterum eſt contra demonſtrationem breviorem; in iis, quæ ſcripta ſunt de tempore, & temporis circumſtantiis, quibus natus eſt Jeſus, eſto ſit certa, & evidens veritas Evangelicæ hiſtoriæ; valde tamen incertum, & obſcurum eſſe conſenſum cum prædictionibus Teſtamenti Veteris. De adventu Meſſiæ longe aliam profecto eſſe perſuaſionem; expectationemque Hebræorum: qui contra nos facere contendunt prophetias Iſa. LXVI. 15. Joel. II. 2. 3. &c. & ſimiles alias a nobis omiſſas. Prophetias vero Jacobi, & Danielis, quæ apud nos ſunt tertia, & quadrageſima tertia, nobis favere negant.

Reſpondeo ad primum, Hebræis noſtrorum temporum poſſe inter cætera opponi Hebræos vetuſtiores, atque doctiores; qui cum eſſent æque increduli, ac pervicaces, & Chriſto Jeſu non minus infenſi; ii tamen ſunt, quot rebus adeo certis, & evidentibus inficias ire, nec potuiſſe, nec auſos eſſe, affirmavi. Quid quæſo ſi Romani noſtri temporis Cannenſem cladem,

aut

Digitized by Google

aut aliud, quod minus libenter audiant, negarent, de quo ad luculentiſſima exterorum teſtimonia accedat etiam veterum Romanorum confeſſio? In Hebræis valet id multo maxime, quos ea, quamvis reputarent veriſſima, non eſt credibile conceſſuros, aut nobis daturos fuiſſe, ſi inficiari, in dubium vocare quoquomodo potuiſſent. Inſtabis: de rebus iſtis, quas ſupra memoraſti, plures vel eorumdem, vel proximorum temporum ſcriptores tum Hebræi, tum Ethnici ſilent. Ita quidem; ſed illas confeſſi, teſtatique ſunt ex iiſdem pariter plures. Præterea, inimici cum ſint, ſatis eſt ab iis non eſſe reclamatum. Quod attinet ad miracula, & alia, de quibus primæ hujus oppugnationis pars ultima erat; eſt horum etiam veritas magna ex parte ſubjecta ſenſibus & qua parte effugit ſenſus, ſubeſt tamen prudentium, ſagaciumque judicio. Ut liquet ex inquiſitionibus, & animadverſionibus, quas in acta ſanctorum hominum facit Eccleſia Romana, antequam eos faſtis ſacris aſcribat. Nimirum de his quoquoque eſſe poteſt evidentia moralis etiam ſuperioris ordinis, ſive gradus: hoc eſt, tanta & ſecuritas, & perſpicuitas, ut nulla ſubeſſe poſſit ſuſpicio fraudis, aut errandi metus, niſi in homine maxime imprudente, aut parum compote ſui. Inſtabis hic pariter. Chriſti miracula ipſi etiam Judæi, qui præſentes aderant, viſi ſunt in dæmonem, & magicas artes referre. Itane? etiam quod viſum ab eo impetravit homo cæcus ab ortu? (Joan. IX. 7.) etiam quod Lazarum quatriduo, quo mortuus erat, ad vitam revocavit? (Joan. XI. 44.) Verum, quocumque ſpectarit cæca juxta, & impia calumnia, a Chriſto ipſo penitus obtrita, profligataque eſt. (Matth. XII. 25. 26: Luc. XI. 17. 18.) Moneo, me hic adverſus Hebræos non pugnare ex Chriſti miraculis, ut vera miracula ſunt, hoc eſt, ut ſunt opera, quæ naturæ vires vel modo, vel re etiam ipſa ſuperant; ſed ut opera ſunt, quæ cum Prophetarum vaticiniis conſentiant; ut characteres, & inſignia ſunt veri Meſſiæ, ab ipſis prænotata, & prædicta.

Nec minor eſt conſenſio temporis; de quo ſecunda oppugnatio. Id vero ut evidenter eluceat, ſatis eſt, ſi cum iis, quæ de Chriſti Domini ortu narrant Matthæus, & Lucas, & ſubinde Scriptores omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, conferantur ex vaticinationibus ſupra notatis tertia, vigeſima, vigeſima tertia, vigeſima ſexta, vigeſima octava, quadrageſima prima, quadrageſima tertia, quinquageſima quarta, quinquageſima ſexta, ſexageſima. Quocirca Hebræis, niſi penitus obcæcati eſſent, de tempore adventus Meſſiæ nego aliter perſuaſum fore. Immo ipſorum majoribus, qui rebus integris, & nondum in controverſiam adductis, hæc reputarunt, nego, aliter perſuaſum re vera fuiſſe. Alioquin quid eſt, quod Herodem ipſum Aſcalonitam Meſſiam fecere tam multi, qui ex illo dicti ſunt Herodiani? Quid eſt, quod ſub eadem tempora Chriſti nomen, ac dignitatem alii quidem Romanis imperatoribus detulerunt, ut Tito, ut Veſpaſiano, Hadriano, Neroni etiam ipſi; alii vero ſibi uſurparunt, ut Doſitheus, ut Simon, Bar-Cocheba, Bar-Cuziba, David Eldavid, & plures alii in Epiſtola Majemonidæ ad Rabbinos Maſſilienſes, & in libro Schebet Jehuda commemorati? Cum ante ea tempora nemo id attentarit. Tandem Meſſiæ tempus jamdiu elapſum, docuere Rabbini celebres Bechai, Saadias, Selomoh Jarchi, Levi ben Gherſon, Abraham Hannaſi, Moſes Gerundenſis, Abrabaniel &c. Quorum conjecturas, & argumenta reperies apud R. Gedeliam in Catena Cabalæ, & R. Azariam in Lumine oculorum. In eadem ſententia fuere Sanhedrin; idemque legitur in perveruſto, ac percelebri libro Zoar. At, inquiunt, eſto cum Prophetarum prædictionibus congruat Evangeliſtarum narratio, quoad tempus hujus adventus; diſſentiunt de modo. Hoc pariter nego. Ex vaticinationibus ſupra indicatis vide vigeſimam, vigeſimam tertiam, vigeſimam quintam, vigeſimam ſeptimam vigeſimam nonam, quinquageſimam ſextam. Quod autem addunt, locos illos Iſaiæ & Joelis, & alios quoſdam eorum ſimiles contra nos facere; allucinantur hic etiam in re maxime clara & perſpicua, *videntes non vident*, & *audientes non audiunt*, *neque intelligunt* &c. (Matth. XIII. 13. 14. &c.) Ut Evangeliſtæ, ſic etiam Prophetæ duplicem Chriſti adventum diſtingunt, nobiſque deſcribunt. In altero

ro paupertas, humilitas, manſuetudo, pax; in altero ſplendor, majeſtas, ſeveritas, indignatio. Ille fuit Redemptoris, erit hic Judicis. Extremum quod eſt in oppugnatione, non favere nobis vaticinia Jacobi, & Danielis, ipſis omnino notandum. Unde enim circiter illud tempus, quo natus eſt Jeſus, expectatio tanta Meſſiæ, de qua nuper vidimus; niſi ex duabus his potiſſimum prædictionibus? Sed quia hæ inter omnes illas, quæ humanæ reparationis tempus definiunt, ſunt maxime illuſtres; & quam eſt evidens eas, quocumque tolerabili modo accipiantur, pro Chriſtianis facere; tam inter Chriſtianos ipſos doctores non convenit, quæ ſit illarum explicatio verior, & probabilior; propterea hic mihi de utraque ſeorſim diſſerendum eſſe cenſui. Id quod duabus proxime inſequentibus propoſitionibus faciam. Interea vero.

Legendi præcipue, præter Huetium ſupra laudatum, Liranus lib. contra Judæos, S. Bernardinus Senenſ. in ſermonib. cont. eoſdem, Toſtatus in explicat. verborum Iſa. *Ecce virgo concipiet* &c. Finus Flagel. in Judæ. Joannes Baptiſta confut. Hebraicæ ſectæ, Martinus Pugion. Fidei, Galatinus de Arcan. Cathol. Verit. Suarez, & Vaſquez in tertiam part. S. Thomæ, Granata Iſagog. ad Symbol. Fidei par. 2. Nicolaus Pallavicinus de Fide Cath. evidenter credibili, & credenda lib. 5. & 6. Segneri in Incredulo par. 2. & Concion. quadrageſ. 20. Pinamonti Sinagog. ab errore deducta, Leytam. Hebræ. convict.

PROPOSITIO IV.

Jacobi vaticinium, quod eſt Geneſ. XLIX. 10. *hiſce verbis*: Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium: *qui duntaxat ad Judæ poſteros, ac veram & propriam ipſius progeniem exiſtimant pertinere, Origenes, Epiphanius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, Eucherius, & ſacri quam plures interpretes; eorum ſententiæ ſubſcribendum, cenſemus: eatenus tamen, ut adverſus ea, quæ ipſis objici ſolent, adhibenda videatur alia quædam, vel nova, vel haud non uſurpata defenſio.*

PRobatur: nam duæ reliquæ ſunt de hoc vaticinio Chriſtianorum doctorum ſententiæ præcipuæ. Prima illorum, qui putant hæc prædicta fuiſſe de tota Hebræorum gente; vel de Tribu Judæ, ut poſtmodum ideſt poſt Babylonicam captivitatem, aucta fuit admixtione cæterarum. Altera eſt eorum, qui in hoc Scripturæ loco particulam *donec* idem volunt ferme valere, ac particulam *quando*: ac proinde non finem Judaici regni, ſed continuationem, immo & perpetuitatem, æternitatemque ſignari; & id ipſum prædici, quod II. Reg. VII. 13. quod Pſalm. LXXXVIII. 30. 38. quod Luc. 1. 32. In hac utraque ſententia, ut nemo non videt, deſeritur ſacræ Scripturæ ſenſus planus, obvius, quem verba ipſa præſeferunt. Nam dux e femore Judæ, vere, & proprie ille eſt, qui ex ipſius ſtirpe, & ſanguine eſt. Et tum Hebraicum עד *nghad*; tum Latinum *donec* rei, de qua ſermo eſt continuationem, vel negat, vel ſi non negat, haud tamen affirmat, aut ullo modo ſignificat. Porro ex regula illa interpretandi Scripturam, quam lib. 3. doctr. Chriſt. cap. 10. n. 14. tradit Auguſtinus, & recepta eſt apud omnes retinenda eſt, quantum fieri poteſt, divinorum verborum proprietas: eamque

vel

Digitized by Google

vel tantum eo modo relinquere, quo ab iſtis factum eſſe videtis, niſi ſit neceſſarium, ne licet quidem. Manifeſta eſt hujus regulæ ratio. Quia, ubi id neceſſe non fuerit, quantum a propria verborum ſignificatione, & ſententia diſceditur, tantum de divini oraculi fide, & veritate detrahitur. Nihil vero eſſe hac in re, quod afferat ejuſmodi neceſſitatem, probatur confutatione objectorum; ſi minus illa, quæ pervulgata eſt, & communis apud eos, qui ſententiam noſtram defendunt; quorum reſponſiones mihi etiam videntur nimis interdum declinare, & deflectere ad adverſariorum ſententias, vel ipſis non ſatisfacere; at certe alia quadam ut dixi, quæ ſi aliquid det adverſariis, cauſæ non deſit noſtræ. Conſequens eſt igitur, quod initio poſitum eſt. Argumenta, quibus ab aliis oppugnantur hæ duæ nobis contrariæ ſententiæ, & propugnatur noſtra, apud ipſos reperietis. Recenſebimus eos infra de more.

Objicies, regnum, poteſtatemque omnem, etiam regia minorem, Judæ poſteris qui vere ejuſmodi erant, ademptum fuiſſe, annis ante quam Chriſtus naſceretur, fere ſexcentis. De Jechonia eſt illud Jerem. XXII. 30. *ſcribe virum iſtum ſterilem* &c *nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David*, & *poteſtatem habeat ultra in Juda*. Jechonię patruus Sedecias regum Judę ultimus fuit. Nec ſolum ex profanis hiſtoriis, ſed etiam ex ſacris Literis compertum eſt, Judęorum imperium poſteaquam libertati, & patrię a Perſarum regibus ſunt reſtituti, fuiſſe penes Pontifices. Qui Machabęi, & Aſſamonęi appellati; iidemque ſemper quidem Pontifices, & Sacerdotes magni; interdum vero etiam Reges vocati, & ſalutati fuere. Quod ſi Pontifices erant, erant ex tribu Levi paterno genere; vel certe non erant paterno genere ex tribu Judę: cum ex hac tribu ſacerdotio neminem functum diſerte teſtatur Apoſtolus ad Hebr. v21. 13. 14. In hoc igitur Jacobi vaticinio vel nomine Judę intelligendę ſunt etiam cęterę tribus, ac tota gens Hebręorum, qui omnes Judæi & nuncupantur hodie, & ab ipſis Babylonicæ ſervitutis temporibus nuncupari cæperunt; vel particula *donec* perinde accipienda, ac particula *quando* vel particula *propter*. Ut eorum verborum ſententia ſit: *Quando* adveniet Meſſias; vel, *propter* adventum Meſſiæ, regnum Judæ non amplius caſui, ac defectui erit obnoxium: ex caduco, & temporali; ſtabile, ac ſempiternum fiet.

Reſpondent ad hæc ſententiæ noſtræ defenſores, neceſſarium non eſſe vaticinium iſtud extendere ad totam gentem Hebræorum. Tribum Levi, ex qua Machabæi, & Aſſamonæi, poſt Babylonicam captivitatem, ita cum Tribu Juda conjunctam, permixtamque fuiſſe, ut una, atque eadem Tribus propemodnm cenſeretur. Immo, addunt aliqui ſic habitas fuiſſe etiam ante captivitatem; cum ſcriptum ſit IV. Reg. XVII. 18. *Iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraeli*, & *abſtulit eos a conſpectu ſuo*, & *non remanſit niſi tribus Juda tantummodo*. Cujus ſimile quiddam eſt etiam III. Reg. XII. 20. Porro his in locis ut optime notat Suarez diſp. 1. in 3. part. a Tribu Judæ non cenſetur excluſa Tribus Levi. Nam poſt decem Tribuum defectionem, duo tantum regna extitere: regnum Judæ, & regnum Iſrael. Ad primum pertinebant, præter Judæos, ac Beniamitas, etiam Levitæ, qui Roboamo adhæſerunt, ac Templo, & ſacris operam dabunt. Hæc quidem omnia veriſſime, & accomodatiſſime ad explicandam primam huius oraculi partem, *non deficiet ſceptrum de Juda* &c. Quid vero ad illud, quod ſequitur, & *dux de femore eius?* In hoc difficultas; hoc mihi ediſſeri velim. Dico igitur breviter duo.

Primum; duces illos, quos ante Chriſti adventum non defituros, prædixit Jacobus, eadem veritate, & proprietate fuiſſe de femore, ſive ex ſanguine Judæ, qua Chriſtus ipſe: hoc eſt, media muliere, ſeu per mulierem. Nam Chriſtus revera Judæ ſanguinem non accepit, niſi duntaxat a Matre. Neque hæc ex communi Doctorum ſententia, ad fabricandum Chriſti corpus plus contulit impenditque de ſuo quam quantum in filiorum ſuorum corpora matres cæteræ. Viri operam, quæ ad eam vim, facultatemque prolificam, quæ in fœmina eſt, fœcundandam neceſsario requiritur, quæque a Chriſti conceptu certiſſime abfuit, *Spiritus Sanctus ſuperveniens*, & *virtus Altiſſi-*

Digitized by Google

tiſſimi, ſine ullo Virginalis integritatis detrimento, mirabiliter, ſupplevere (Luc. I. 35.) Porro Machabæorum, & Aſsamonæorum matres vel plerumque, vel identidem ex Juda fuiſse, & quidem paterno genere, ut erat Virgo Deipara nec adverſarii negant; neque id teſtimonio Pauli ex Epiſtola ad Hebr. nobis obiecto contrarium cenſent. Fuerunt igitur ipſi etiam Judæ poſteri, ac vera, & propria Judæ progenies; uti fuit profecto Chriſtus, qui & Davidi, & Abrahæ toties promiſsus, qui eorum filius in Sacris Libris tam ſæpe appellatus; qui ex illorum ſemine, illorumque ſemen dictus non ſemel fuit, ut Rom. I. 3. Gal. III. 16. II. Tim. II. 8. Hebr. II. 16. Addo pręterea, quod ad hanc primam reſponſionem meam partim conſtabiliendam, partim illuſtrandam non parum credo valere, Machabæos, & Aſsamonæos *de ſemore* Judæ dici potuiſse dupliciter: nimirum non phyſice tantum, ut vidimus; verum etiam politice. Utrumque enim vox illa *femur* ſignificat, & generationem, & poteſtatem, ſive juriſditionem. Ut docte probant Pererius ad illud Geneſ. XXIV. 2. 9. *Poſuit ergo ſervus manus ſub femore Abraham domini ſui, & juravit* &c. & Lorinus ad illud Pſalm. XLIV. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*. Itaque ſicut de Chriſto ſcriptum eſt Apocal. XIX. 16. *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium*; ſic in Judæ femore inſcripti videri poſsunt non ſolum Judæi, & Beniamitæ, ſed & Levitæ etiam, ipſi ſubjecti: ac proinde Machabæi, & Aſsamonęi hac quoque ſignificatione dici *de femore* Iudæ.

Quod ſi in re noſtra materno ſanguine, quantumvis ex Judæ deducto contenti non ſunt adverſarii, duces proferam, qui etiam per patrem ab Juda originem traherent. Dico igitur ſecundo loco, nec ſolum ex Joſepho Antiquit. XI. ſed etiam ex I. & II. Eſdræ, ex Aggæo, ex Zacharia, Judæos Babylone Jeruſalem poſtliminio reverſos imperii ſui formam mutaſse; Ariſtocraticum feciſse ex Monarchico. Quod apud quoſdam cauſæ noſtrę patronos etiam invenio. Porro viri principes de ſtirpe Judæ, & quidem etiam ex patre, fuerunt Ariſtocratiæ hujus membra præcipua. Cujuſmodi ſunt in Polonię republica, qui Palatini appellantur; in aliis vero primarii ſenatores, aut belli duces item primarii. Probantur hæc; quia cum tribus Beniamin, & Levi in Judæ tribum ampliſſimam ita incluſæ, & quodammodo abſorptæ eo tempore fuerint, ut in ea fere nomen amiſerint; ac *tribus Juda ſola*; *tribus Juda tantummodo*, dicantur III. Reg. XII. 20., & IV. Reg. XVII. 18. non eſt veriſimile, eo, quem dixi, numero, & loco non fuiſse ullos, qui ad Davidem, aut ſaltem ad Judam paternum genus referrent. Hæc verò recte componi cum Jeremiæ loco contra nos allato, perſpicuum eſt Zorobabelis exemplo, qui cum eſset Jechoniæ nepos ex Salatiele, in hac tamen nova forma regiminis inter Optimates facile primas tenebat. Sic enim de illo Aggæ. II. 3. *Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Juda, & ad Jeſum filium Joſedech Sacerdotem magnum, & ad reliquos populi duces*. Vide etiam quod I. Eſdr. 5. 8. & quæ deinceps aliis plurimis in locis I. & II. Aio deinde, huius Ariſtocratiæ capita fuiſſe Pontifices, Levitas quidem paterno genere; qui tamen non imperarent nomine tribus Levi, ſed tantum nomine tribus Juda: & in res, quæ ſacræ non eſsent, uti ſunt civiles, & militares, id ſolum re vera poteſtatis haberent, quod ipſis ab Judæ ducibus, ſive optimatibus delatum fuiſſet. Probantur hæc pariter, cum ex Aggæi loco proxime dato; tum vero maxime, quia, ut legitur in I. & III. Numeror. & aliis deinceps Scripturæ locis, ubi præſertim de Palæſtina hercifcunda, tribus Levi Dei lege hæreditatis expers fuit: neque jus habuit ullum, præterquam ſacerdotii, & miniſteriorum ſacrorum. (Quibus non excludimus privatas aliquas poſſeſſiones. Vide, quæ in Severo Sulpitio notavit Bellarminus de Script. Eccle.) Confirmantur hæc omnia illuſtri Zachariæ loco. Cum enim toto ferme capite XII. vaticinatus ſit de Machabæorum præliis, ac victoriis, domus Judæ, ejuſque ducum duntaxat meminit. *In die illa ... ſuper domum Juda aperiam oculos meos* &c. *Et dicent duces Juda in corde ſuo* &c. *In illa die ponam duces Juda, ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno: & devorabunt ad dexteram, & ſiniſtram omnes populos in circuitu: & habita-*

bitur

Digitized by Google

bitur Jeruſalem rurſus &c. ſalvabit Dominus tabernacula Juda, ſicut in principio &c. Nulla ibi mentio de domo Levi, & ſacerdotibus. Nimirum, quia *ſceptrum*, quod gerebat imperator, & Pontifex Ariſtocratiæ caput, erat *de Juda*, & *duces* qui ipſi præſto erant imperii conſortes, atque adminiſtri præcipui, erant fere omnes, vel certe plures omnino *de femore*, ſeu de ſemine *Judæ*. Hi vero non defecerunt, niſi extremis Herodis Aſcalonitæ annis; cum tyranno illi tandem ceſſere: qui repugnante nullo, &, ut ita dicam, pacifice non multo ante regnare cœpit, quam vivere deſiit. Ita impletum eſt prorſus exacte, & ab omni parte Jacobi vaticinium.

Legendi præcipue S. Antoninus tom. I. cap 4. titul. 4. Lucidus de Emend. Tempor. Annius in Breviar. Tempor. Martinius in Pug. par. 2. cap. 4. &c. Galatinus lib. 4. de Arcanis Cathol. verit. Petrus Brutus de victoria verbi cont. Judæ. Barradius tom. I. lib. 3. cap. 2. Liranus, Paulus Burgenſis, Toſtatus, Dionyſius Carthuſianus, Joannes Mirandulanus, Eugubinus, Oleaſter, Acoſta, Cornelius a Lapide, Bonfrerius, Merſennus, Calmetius in hunc Geneſis locum. Profuerit etiam legere ex iis qui nobis contrarii ſunt, præſertim Pererium in Geneſ. Suarez diſput. I. in 3. part. Natalem Alex. hiſtor. Eccl. Vet. Teſt. diſput. 12. prop. 3. Graveſon de Myſter. & annis Chriſti diſſer. 7. Quibus ſemper in memoriam revocandum, & inculcandum eſt illud, *& dux de femore ejus*, a quo, niſi Textu Hebraico minus commode expoſito, ac relictis verſionibus Græca LXX. Interpretum, & Latina noſtra vulgata, ſe expedire non poſſunt.

PROPOSITIO V.

Quod pertinet ad vaticinium Danielis, quod eſt apud ipſum* IX. 24. 25. *bis verbis : Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum &c. ſcito ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt &c. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, &c. ***cum inter Doctores jam fere conveniat ea verba***, uſque ad Chriſtum ducem, ***intelligenda eſſe de anno, quo baptizatus eſt Chriſtus, & dux ad ſalutem nobis eſt publice datus a Patre; ac ſit controverſia potiſſimum de verbis illis:*** Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem: ***aliis ad*** VII. ***aliis ad*** XX. ***Artaxerxis Longimani annum, aliis ea referentibus alio; nos ſecundam ſententiam cæteris omnibus præferendam cenſemus: tamen, ut hujus etiam ſententiæ tuendæ alia videatur ineunda ratio; nec defenſionem illam probemus, quæ vel ex duplici Artaxerxis epocha, vel ex annis lunaribus petitur.***

PRobatur prima pars Propoſitionis. Quatuor enim de Judæorum reditu a Perſarum regibus facta ſunt decreta. Primum a Cyro regni ſui anno I. de quo I. Eſdr. I. 2. 3. &c. ſecundum a Dario Hyſtaſpide an. II., de quo in eodem libro VI. 6. II. Tertium ab Artaxerxe Longimano an. VII. de quo ibid. VII. 12. 13. Quartum ab eodem Artaxerxe an. XX. de quo II. Eſdr. II. 8. 18. 20. Hoc po-

Digitized by Google

ſtremo decreto, ſeu diplomate, aut reſcripto Nehemiæ dato facta tandem poteſtas iterum ædificandi Jeruſalem; de qua re nulla prorſus mentio in edictis ſuperioribus. Excipiunt hic adverſarii: eſto hæc facultas ante annum xx. non fuerit expreſſa verbis, re tamen ipſa conceſſa Eſdræ fuit, & in edicto præſertim anni VII. tacite, atque implicite continetur. Ego vero hoc primum nego. Nam ſi Eſdræ data vere eſt hæc facultas, quare uſus non eſt; cum reparari urbem, & cito quidem reparari, Judæorum tantopere intereſſet? Id vero factum non ab Eſdra, ſed a Nehemia, legitur in hujus elogio, quod eſt Eccli. XLIX. 15. *Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros everſos, & ſtare fecit portas, & ſeras &c.* Inſtant adhuc: Quibus permiſſum fuit redire, Templum extruere, ſimul eſſe, ſuis legibus uti; iiſdem permiſſum non fuerit & domos habere? Utique permiſſum. Iſtud non nego. Arcendi profecto erant imbres, æſtus, frigora; non agitandum ſub dio. Uno verbo: ſi licuit reſtituere civitatem, urbem quoque aliquo ſaltem modo reſtituere licuit. Verum diſtinguenda eſt duplex urbis reſtitutio: & qua ſcilicet privatæ tantum domus reponantur ad habitandum; & qua etiam publica ædificia, mœnia, munimenta iterum excitentur. Primum conceſſum fuit non modo ante annum xx. Artaxerxis; ſed etiam, prout opus erat, ante annum VII. ſub Dario, & ſub Cyro. Alterum vero duntaxat Artaxerxis anno xx. Porro non de primo illo, ſed de hoc ſecundo locutum eſſe Angelum, facile colligitur: tum quia hoc eſt vere, & proprie urbem reſtitui; tum etiam ex verbis ipſis, quæ ſtatim ſubjecit (Dan. IX. 25.) *& rurſum ædificabitur platea, & muri &c.* Præterea fac decreto anni ſeptimi implicite, ac re ipſa ab Artaxerxe conceſſum fuiſſe quod dicis. Verine ſimile eſt, Epocham adeo inſignem ab Angelo conſtitutam fuiſſe in re involuta, abſcondita, ac minime certa? Tertio denique; per ea verba, *ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, expreſſa fuiſſe videtur ab Angelo propria, ac peculiaris nota, inſcriptio, titulus illius ſermonis, ſive decreti. Ut autem libri, tractationeſque omnis generis, ſic etiam decreta, male denominantur, aut inſcribuntur ex ea re, quæ tantum implicite, oblique, ſecundario, & quaſi ex accidente ibi agitur. Denominanda, inſcribendaque ſunt ex eo, quod in ipſis agitur expreſſe, directe, primario, & per ſe. Cum igitur hæc noſtra ſententia cum divinæ Scripturæ verbis, ut vidimus, apprime cohæreat, ut mox planum fiet, & nihil aliunde incommodi habeat; de cæteris vero ſententiis, ut partim oſtenſum eſt, partim paulo poſt apparebit, idem dici non queat; ſequitur, ut iis omnibus ſit præferenda. Quod primum erat.

Explicatur, & approbatur Propoſitionis pars ſecunda. Sententiam noſtram ea ſolum de cauſa non amplectuntur omnes, quia quam plane conſentit cum ſacra Scriptura, tam parum videtur congruere cum recta temporum ratione. Ita vero videtur, quia hebdomades ſeptem, & ſexaginta duæ, hoc eſt, hebdomades ſexaginta novem ſunt anni 483. inter annum autem Artaxerſis xx. & annum quo baptizatus eſt Chriſtus, quantumvis baptiſmum hunc ad annum æræ communis 28. 29. aut etiam 30. protrahas anni medii ſunt ad ſummum 476. Ac proinde ad hebdomadas 69. anni deſunt, ut minimum ſeptem, ſolida hebdomada. Huic incommodo, quod eo magis augetur, quo magis anticipatur Chriſti Baptiſmus; ſententiæ noſtræ defenſores occurrunt duplici via. Alii enim reſpondent, *ab exitu ſermonis &c. uſque ad Chriſtum ducem* numerari annos 483. non quidem ſolares, ſed lunares. Quippe quia lunaris annus, cum diebus conſtet 354. eſt diebus 11. minor anno ſolari. Fuiſſe autem contendunt hebdomadas illas non ſolarium, ſed lunarium annorum. Reſpondent vero alii, duplicem fuiſſe Artaxerxis epocham; primam quidem eo anno, quo in regni ſocietatem aſcitus fuit a patre: alteram 10. 12. aut 13. poſt annis, quando, Xerxe vita functo, ſolus regnare cœpit. Propterea decretum anni VII. & decretum anni XX. vel eſſe idem, vel anni ejuſdem. Sed in primo Eſdræ ſignari Artaxerxis annos a ſecunda

da ipſius epocha ; a prima vero in ſecundo . Verum qui duabus his defenſionibus utuntur , & collidunt ſe mutuo , & oppugnantur ab aliis quam validiſſime . A nullo autem validius , atque efficacius , quam ab Jacobo Maria Ayroli in egregia , quam edidit , diſſertatione de lxx. Hebdomadis . Illum conſulite . Mihi ſecunda præſertim defenſio vel ea ſolum ratione probari non poteſt , quia videtur , epocham illam commentitiam non eſſe ; tamen non ut detur credibile , Spiritum Sanctum , qui primum , & ſecundum Eſdræ librum dictavit , ubi Artaxerxis annum annotare opus fuit , modo hanc , modo illam epocham ſecutum ; nec mutationis hujus lectorem admonuiſſe . Præterquam quod ſatis eſt librum utrunque legere , ut de rei , & temporis diverſitate dubitare non poſſis . Itaque tertiam , & aliquanto quidem , ut ſpero , commodiorem vobis aperio viam .

Scitote , & animadvertite , ut ipſis utar Angeli verbis : tametſi hebdomadæ 69. ſint anni 483. multum tamen intereſſe , utrum dicas ab hoc termino , ad illum futuras hebdomadas 69. an vero dicas futuros annos 483. Primum dixit Angelus , non ſecundum . Sic quamvis tres dies horæ ſint 72. multum pariter intereſt utrum dicas , Chriſtum fuiſſe in ſepulchro tres dies , an vero dicas fuiſſe in ſepulcro horas 72. Primum veriſſime dicitur , teſtatur Scriptura multis in locis , ac prædixit Chriſtus ipſe de ſe : ſecus vero ſecundum . Sic igitur ſtatuo ; quantum in triduo Chriſti demendum eſt de prima , & tertia die ; tantum , proportione ſervata , in hoc 69. hebdomadum numero detrahi poſſe de prima , ac de ultima hebdomada . Hac detractione lucrari poteris annos non ſolum 7. quot in noſtra ſententia deſiderant , qui Chriſti Nativitatem , & quod conſequens eſt , Chriſti Baptiſmum intra probabiles terminos maxime differunt ſed etiam 13. quot requirunt , qui Chriſti Nativitatem , & Baptiſmum intra eoſdem terminos maxime accelerant . Exemplum eſt etiam in annis . Sic Luc. III. 1. *Anno 15. imperii Tiberii Cæſaris* quamvis primus Tiberii annus , ſive primam , ſive alteram ejus epocham ſpectes , fuerit valde diminutus . Non ſolum autem exemplis , ſed his prætereæ argumentis nititur reſponſio noſtra . Primo , quia non ſine cauſa Angelus in toto eo vaticinio nunquam annos , ſemper vero hebdomadas nominat , eaſque ſolas enumerat . Laboratum fortaſſe fruſtra tanto tempore a multis , quia laboratum de annis : cum prædictio ſit de hebdomadis . Deinde , quia ob hanc etiam fortaſſe cauſam hebdomadas illas dicit *abbreviatas* ; ſive , ut vertunt lxx. Interpretes , *decurtatas* ; *συντμήθησαν decurtata ſunt* . Tertio , quia , ut in Prolegomenis oſtendit Salmeron , primum Artaxerxis decretum non exiit anno ipſius VII. ſed VI. immo ut Ayroli ſupra laudatus ultro concedit , etiam fortaſſe anno V. , aut IV. Hoc vero ſi eſt , prima hebdomada ex illis 69. non ſtatim cœpit : inita enim ratione ex anno ſabbatico , qui notatur 1. Mach. VI. 49. 53. primus ejus hebdomadæ annus concurrit cum Artaxerxis VIII. Addendi ſunt igitur ad hoc primum ſeptennium anni tres , aut quatuor , qui præceſſere . Magis autem conſentaneum Danielis deſiderio , & Angeli verbis hebdomadas 69. aliquot annis deminutas , quam redundantes dare . Quarto tandem , quia cum demonſtratum jam ſit aliunde , ſermonem de reædificanda Jeruſalem exiiſſe anno XX. ad calculos autem vocata re , compertum ſit , inter ejuſmodi decretum & Chriſti Baptiſmum non intercedere hebdomadas 69. plenas , & integras ; nihil planius , nihil ſolidius , nihil probabilius ſequi videtur , quam ut hebdomadæ prima , & ultima de quibus locutus eſt Angelus extra duos illos terminos extendantur , ac proinde intra illos non ſint plenæ , & integræ ; ſint *abbreviatæ* , ſint *decurtatæ* . Quod erat probandum ſecundo loco .

Objicies ; ex hoc vaticinio , ſi hebdomada 69. complenda non fuit , non potuiſſe cognoſci annum ipſum definite , & præciſe , quo Chriſtus baptiſmum ſuſcepturus erat ; nec annum , quo mortem obiturus . Telum rejicio in adverſarios . Si tertia dies complenda non fuit , non potuit ex prædictione Chriſti cognoſci hora ipſa definite , & præciſe , qua rediturus erat ad vitam . Dices ,

Digitized by Google

noluiſſe Chriſtum prædicere horam , ſed diem . Idem tibi repono : noluit Deus hoc in loco prædicere annum , ſed hebdomadam. Nimirum hæc ſatis, & plus ſatis fuere , ne aut Chriſti adventum negarent Hebræi , aut de ipſius reditu ad vitam addubitarent Diſcipuli .

Inſtabis , negari tamen non poſſe , annum VII. Artaxerxis exactius chronologorum rationibus reſpondere . Adhibenda diſtinctio ; & ſi de hebdomadis loqueris , negandum quod affirmas : ſi vero de annis , negandum quod ſumis . Non enim de annis , ſed de hebdomadis eſt prædictio Gabrielis : Quo demiror aliquos , qui ex annorum numero paulo magis, aut minus exacto ſententias has per quam ſcrupuloſe , & faſtidioſe probant ; & quod pati nequeo , magis, quam de Scripturæ verbis , ſolliciti videntur eſſe de ſupputationibus ſuis.

Objicies præterea ; ſi Chriſtus baptizatus eſt ante ultimum ſexageſimæ nonæ hebdomadæ annum , cum poſt baptiſmum , vitæ mortalis annos non plures egerit, quam tres aut quatuor; conſequens eſſe , ut mors ipſius non cadat in mediam ullam hebdomadam . Hoc vero abſurdum videri, cum Angelus ita prædixerit Dan. IX. 27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium*. Hæc vero de Chriſti morte eſſe accipienda.

Reſpondeo, utrunque eſſe falſum; & ſequi illud, quod dicis; & , ſi ſequeretur, in eo aliquid abſurdi fore. Falſum eſt primum: ſiquidem in noſtro ſyſtemate, ut vidimus , cuivis anno hebdomadæ ſexageſimæ nonæ conſignare licet Chriſti baptiſmum. Conſignetur igitur anno primo ; Chriſti mors in medium ipſum venit hebdomadæ annum . Neque obeſt quod Angelus uſus eſt particula , *poſt* : & poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus : ſiquidem particula eadem uſus eſt Chriſtus Matth. XXVII. 63. *Poſt tres dies reſurgam :* Itemque Matth. XXVI. 61. & Joan. II. 21. *poſt triduum reædificabo illud ... dicebat de templo corporis ſui.* Cum tamen tertia die vix inchoata ſurrexerit.

Cæterum , pro diverſa Chronologia , quam ſequi potes de anno baptiſmi, detur tibi in noſtro ſyſtemate Chriſti mortem quarto hebdomadis anno affigi non poſſe; nego id eſſe abſurdum, quod alterum dicebas . Nego autem tum quia moriente Chriſto, hoſtia, & ſacrificium re, factoque ipſo, quod hic debet attendi , vere non defecerunt ; tum etiam , & multo magis propter illa , quæ ibi ſtatim adjecit Angelus . Ait enim : *In dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium : & erit in templo abominatio deſolationis &c.* Quæ non eſſe accipienda de Chriſti morte, nec cum ea poſſe conjungi ; ſed ſpectare , remote quidem ad extremam mundi hebdomadam, proxime vero , & quaſi in typo , & figura , ad hebdomadam illam , qua profanatum eſt templum, ac terra ſancta quæ prope Hieruſalem, & Hieruſalem ipſa a Romanis everſa; aperte colligitur ex iis , quæ prædicta ſunt a Chriſto Domino Matth. XXIV. 15. 16. Marc. XIII. 14. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto &c. tunc qui in Judæa ſunt fugiant ad montes*. Hunc vero eſſe puto totius ejus loci intellectum . *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una &c.* Hoc eſt , quod Chriſtus partim per ſe, partim per Apoſtolos ſuos pactus, atque pollicitus fuerit, quod prædicet , quod promulgabit multis hebdomadis, ſeu per hebdomadas multas, una tandem hebdomada confirmabit, & palam faciet : hebdomada nempe illa & quæ Hieroſolymæ, id deinde quæ mundi noviſſima erit . Quod reliquum eſt , quoniam, qui ſunt in noſtra ſententia, alio modo illam defendunt ; eos vobis hic annumerabo, qui quæſtionem hanc accuratius, & majori eruditione, & doctrina pertractant.

Legendi ergo præcipue Salmeron, Jacobus, & Ludovicus Cappelli , Joannes Lucidus, Pererius, a Lapide, Sanctius, Salianus, Torniellus , Tirinus , Petavius , Nicolaus Lombardus , Mariana , Menochius, Grandamicus , Ricciolius , Huetius , Pellettier , Bonjour , Graveſon, Ayroli , Calmetius . locos ipſos , in quibus de re iſta ſcripſerunt , in ipſorum libris facile invenietis.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VI.

Confutatio omnium hæreſum, quotquot adverſus Incarnationis myſterium unquam extiterunt; & omnino quicquid de Chriſto catholicè creditur, ac prædicatur; id omne aliquo vero, & proprio modo continetur in hoc ſanctiſſimo, atque auguſtiſſimo nomine Jesus.

PRobatur: etenim omnis doctrina catholica de Chriſto, vel eſt de ipſius eſſentia, ſive de eo, quod eſt Chriſtus; vel eſt de ipſius operatione, ſive de actionibus tum internis, tum externis hominum bono, & ſaluti ab eo in omni genere editis. De eo, quod eſt Chriſtus hæc tenenda: unicam in eo eſſe Perſonam, eamque divinam; hoc eſt, Perſonam Filii Dei. Duas vero eſſe naturas perfectas, & integras, divinam ſcilicet, & humanam. In primo erravit Neſtorius, quod Chriſtum in duas perſonas divideret morali tantum ſpecialis inhabitationis, benevolentiæ, gubernationis, communicationis vinculo conjunctas: quarum altera eſſet Dei Filius, ſeu verus Deus ex Patre; altera vero Filius hominis, ſive homo merus ex matre: Quam proinde Dei Genitricem, ac Deiparam appellari noluit. Huc etiam ſpectat error Patripaſſianorum, qui cum unam tantum in Deo perſonam admitterent, Patrem quoque carnem ſumpſiſſe cenſebant. In altero erravit Eutyches, qui naturam in Chriſto unicam eſſe dicebat: ſive ille naturam divinam in humanam; ſive e contrario humanam in divinam converſam, abſorptamque eſſe vellet: nam utrum vellet ex his duobus certum non eſt. Errarunt item Acephali, quod ex naturis divina, & humana ſimul confuſis tertiam quandam conflavere, quam unam Chriſto tribuebant. Eodemque pertinent hæreſes antiquiores, tum eorum, qui Chriſtum divinitate penitus expoliabant: ut Cerinthus, Ebion, Nazareni, Elceſæi, Carpocrates, Theodotus, Artemon, Paulus Samoſatenus &c. Tum eorum, qui cum in ipſam Dei naturam, atque ſubſtantiam diſtinctionem, & inæqualitatem invexerint, Deum quidem Chriſtum faciebant; ſed Patre minorem, ut Tritheitæ, Tetraditæ, Tranſvaſantes, Arriani, Aætiani, Aæriani, Semiarriani &c. Similiter Hæreſes, quæ humanam Chriſto naturam vel detraxerunt penitus, ut Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Baſilidis, Valentini, &c. Vel detraxerunt ex parte, ut Arrianorum, & Apollinariſtarum qui corpus ſine anima, vel animam ſine mente Chriſto dederunt. Ut autem hæ omnes hæreſes priorum ſæculorum renovatæ ſint poſtremis hiſce ſæculis, & a quibus hoc factum ſit, diſces ex Bellarmino in Præfat. ad libros de Chriſto.

Jam vero de Chriſti operatione, atque energia hæc tenenda: duplicem volendi, efficiendique vim, atque actionem in Chriſto fuiſſe; divinam ſcilicet, & humanam. Contra Monothelitas, qui ei divinam tantum dedere: humanam in ipſo naturam cum facultatibus ſuis, tanquam merum organum, & inſtrumentum eſſe volebant; quæque ſe divinæ Hypoſtaſi, ſeu divinæ naturæ dumtaxat præberet; nec ageret, ſed pateretur: ſeu paſſive tantum ſe haberet. Ad hæc eum vere natum, paſſum, mortuum; contra Baſilidem, Marcionem, Cerdonem, Apellem, novos Manichæos, &c. vera edidiſſe miracula, ac ſurrexiſſe ex mortuis vere; contra eoſdem, & contra Celſum, Julianum Apoſtatam, Albanenſes, Anabaptiſtas, Valdenſes, &c. Verum fuiſſe humani generis Redemptorem; contra Alexandrum, Hymenæum, Menandrum, & plures ex recentioribus heterodoxis. Item mortuum eſſe pro omnibus; contra Zanchium, Aretium, Simonem Simonium, Calvinianos, Janſenianos &c. Tenendum præterea, Chriſtum, T. Veteri partim abrogato, partim ad per-

per-

Digitized by Google

perfectionem adducto, condidiſſe Novum; ſanctam, ſalutaremque doctrinam ab eo eſſe traditam; incruentum ſacrificium, ac ſeptem Sacramenta ab eo inſtituta; fundatam Eccleſiam; Vicarium, ſumma cum poteſtate, & auctoritate in terris relictum. Denique ex ipſo eſſe omnem Gratiam; ex ipſo vitam æternam; in eumque bona omnia eſſe referenda. Contra Libertinos, Deiſtas, Indifferentiſtas, Anabaptiſtas, Sacramentarios, recenteſque omnis generis hæreticos Romanæ Eccleſiæ, & ſummo Pontifici, Chriſtoque ipſi, ejuſque doctrinæ maxime infenſos.

His expoſitis, ita aſſumo: Sed hæc omnis doctrina de Chriſto continetur in nomine JESU; in eoque habemus argumentum efficax adverſus hæreſes commemoratas. Probatur aſſumptio dupliciter. Primum ex nota, & a multis Interpretibus, & Doctoribus illuſtrata nominis hujus ſignificatione. Nam *Jeſus* Latine, Hebraice vero יהושוע *Jehoſcunghab* eſt qui dat ſalutem, ſive *Salvator*; immo & *ſalus ipſa*. Nempe quia Chriſtus in ſe ipſo habuit, unde homines ſalvos faceret; eiſque ſalutem dedit perfectiſſimo, atque excellentiſſimo modo. Sic Deus Exod. III. 14. nomen ſibi eſſe dixit, *Qui eſt*; ſive, *Ens*, *ὁ ὢν*, ut vertunt Septuaginta, & ut Patres, Doctoreſque aliqui explicant, *ipſum eſſe*: quia a ſe ipſo habet, ut ſit; ac perfectiſſime, & præſtantiſſime eſt. Porro tum auctoritate Conciliorum, in quibus hæc definita, ut Epheſini, Chalcedonenſis, C. P. III. & Patrum a quibus hæc tractata fuerunt, ut Cyrilli Alex. Leonis Magni, Vincentii Lirinenſis, Maximi Marr. tum etiam ratione theologica. Nec Deus ſolus, nec ſolus homo in ſe ipſis habebant, unde humano generi ſalutem, prout opus erat, afferrent. Nam ſi tantum Deus; non potuit obſequium præſtare, & ſatisfacere offenſo. Si homo tantum; præſtare obſequium non potuit, quod par eſſet offenſæ, nec ſatisfacere ad æqualitatem. Quod argumentum redit, ſi ita fuiſſet Deus, & homo; ut re vera duæ eſſent Perſonæ, Filius Dei, & Filius hominis. Similiter, mereri, ſe ſeque Patri obedientem præbere, quod Chriſtus fecit uſque ad mortem, mortem autem crucis, actiones humanæ ſunt, & liberæ facultatis item humanæ: quæ propterea in Chriſto ita fuit inſtrumentum divinæ, ut tamen ſuum proprium motum; actumque obtineret. Nec minus ex nomine Jeſu evincuntur reliquæ partes doctrinæ catholicæ ſupra expoſitæ. Nam quæ modo dicebam, implent ea quidem nomen Redemptoris, non vero nomen Salvatoris, quod majus eſt, & multo plura complectitur; ſi præſertim accedat illa excellentia, quam dixi, nimirum ut ſit Salvator a ſe, Salvator perfectiſſimo modo. Oſtenditur facile. Siquidem hominum redemptio, non eſt tota hominum ſalus. Initium eſt, fundamentum eſt: ſuperextruendum, & conſummandum ædificium præterea fuit. Itaque Salvatori, poſteaquam divinæ juſtitiæ ſatisfecerat, atque e dæmonis ſervitute exemerat homines; adhuc plura reſtabant: ſi præſertim eorum ſaluti proviſum quam cumulatiſſime voluit. Hæc vero eſſe reliqua illa quæ ſupra recenſui, vobis ea ſingulatim reputantibus liquido apparebit. Legite Apoſtolum ad Rom. VIII. 30. 34. & Interpretes ſuper hos Apoſtoli locos, præſertim Oſorium in Conc. de Circumciſ. Domini. Sequitur igitur, quod initio affirmavi.

Idem ipſum conficitur ex ſignificatione arcana, & recondita. Fac enim nomine Jeſu ſignificari ſummum Bonum, ut ſe ſe tum intra, tum extra ſe ipſum diffundens: ſeu, divinæ communicationis tum interioris, tum exterioris plenam, perfectamque rationem. Hæc etiam ſignificatio affert ea omnia, quæ ſupra tenenda eſſe dixi de Chriſto. Siquidem omnia illa ad Boni ſummi communicationem, fuſionemque vel interiorem, vel exteriorem referuntur. Convenienter autem aptatur nomen hoc Filio; quia hæc ſignificatio deſignat vel proprie, vel maxime Filium. Quod enim ad communicationem illam, quæ intra Deum ipſum tenetur; Pater producit, ſed non producitur; Spiritus Sanctus producitur, ſed non producit; Filius & producitur, & producit: atque in hac una Perſona ſimul eſt paſſiva, & activa Proceſſio.

Quo

Digitized by Google

Quo ſit, ut in ea interior ſummi Boni participatio magis, ut ita dicam, explendeat, quæ Proceſſionibus tum activis, tum paſſivis tota peragitur. Quod vero ad communicationem illam, qua ſummum Bonum ſe fundit extra ſe ipſum; unionis Hypoſtaticæ, quæ externarum participationum maxima eſt, terminus eſt Filius. Cætera vero, ſive quæ in natura, ſive quæ ſupra naturam, per Filium, & propter Filium. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra*, & quæ ſequuntur Coloſ. I. 16. 17. 18. 19. 20.

Jam vero quod nominis Jeſu hæc ſit etiam ſignificatio, & ſententia; etſi forte novum, eſt tamen duobus his argumentis valde probabile. Primum argumentum eſt ex nomine ineffabili, quod Hebræorum fuit velut inſigne. Hujus enim nominis duplex eſt intellectus. Significat entis plenitudinem ſummam; ſive, ut eſt Exod. XXXIII. 19. *omne bonum*: idemque ſignificare creditur plura Divinitatis arcana, & maxime Trinitatis myſterium. Ita Vaſquez in I. P. diſp. 108. cap. 3. ex Galatino, & aliis. Vide etiam Bonfrerium in Exod. III. 14. Cum igitur Lex nova ſit multo perfectior, quam vetus; quæ ut eſt Hebr. VII. 19. *nihil ad perfectum adduxit*; nihil minus tribuendum videtur nomini Jeſu, quod in locum nominis ineffabilis ſucceſſit apud Chriſtianos. Argumentum per ſe non infirmum eo maxime roboratur, quod Apoſtolus ad Philip. II. 9. 10. nomen Jeſu abſolute, & ſimpliciter prætulit omni nomini, ac proinde etiam nomini ineffabili. *Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genuflectatur &c.*

Secundum argumentum ducitur ex propria natura, & conformatione nominis Jeſu; quod in Lingua ſancta, unde habet originem, ſex hiſce litteris conſtet. Duæ priores ſunt י *Jod*, & ה *He*. Hæ vero ambæ litteræ unum ſunt ex decem Dei nominibus, quæ recenſet, & explicat Hieronymus epiſt. 136. ad Marcel. Eſt autem omnium ſententia idem, ac nomen ineffabile contractum, ſive abbreviatum. Quadrat hoc ipſum; tum quia in Chriſto eſt natura divina, ut in Filio; ſive, ut Schola loquitur natura communis contracta ad Perſonam Filii: Tum quia de Chriſto ſcriptum eſt Iſa. X. 23. *Conſummationem, & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*. Sive ut vertunt LXX. *verbum abbreviatum*. Cæterum ſi eſt nomen ineffabile ſignificat, omne bonum; ſive ſummum bonum intra ſe ipſum ſeſe diffundens, & quidem ex dictis, maxime ut in Filio. Tertia litera eſt ו *Vau*; quæ apud Hebræos particula eſt conjunctionis, & copulat primam hujus dictionis, ſeu nominis partem cum ſecunda. Vel etiam poteſt addi primæ ſyllabæ, ut hæc prima pars hujus nominis ſit aphæreſis pariter ſanctiſſimi nominis ineffabilis, & pronuntietur יהו *Jeho*. Ad ſecundam partem hujus nominis pertinent tres reliquæ literæ ש *Scin*, ו *Vau*, & *Aiin*. Quæ, ut eſt Job. XXXVI. 19. & notatum video in Hebraicis Lexicis Buxtorfii, Opitii, Stokii, & aliorum, ſignificant opes, ſeu bona liberaliter impertita, & profuſa; hoc eſt, large, & libere. Quo ſignatur ea ſummi Boni communicatio, & diffuſio, quæ dicitur, *ad extra*. Hæc enim larga, & libera. Nam quæ dicitur, *ad intra*, neceſſaria, & omnimoda, ſeu pleniſſima eſt. Hæc igitur eſt, occultior quidem, ſed tamen valde propria, ac literis congruens ſignificatio nominis hujus יהושוע *Jeſus*: Summus Bonum, ut ſe ſe intra, & extra ſe ipſum diffundens. Seu centrum divinarum communicationum tum interiorum, tum exteriorum. Centrum, inquam, hac ratione, quia accipit, & dat. Accipit a Patre, & dat Spiritui Sancto: *de meo accipiet* Joan. XVI. 14. & quia extra divinitatis ſphæram dat etiam rebus omnibus creatis; quia, ut ſupra diximus ex Apoſtolo, per ipſum, & propter ipſum omnia. Quod erat probandum.

Objicies, nomen Jeſu impoſitum Chriſto a ſalute, quam daturus erat humano generi. Sic enim Angelus ad S. Joſephum Matth. I. 21. *vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Reſpondeo, Angelum alias hujus nominis cauſas, titulos, ſignificationes reticuiſſe, non reprobaſſe,

aut

Digitized by Google

aut negaſſe. Reticuiſſe autem fortaſſe, quia non erant ad communem populi captum. Nobis, quæ ab Angelo expreſſa eſt, omnino quidem tenenda eſt: alias exquirere, quæ cum illa cohæreant, non ſolum non prohibemur, ſed jubemur quoque *Scrutamini Scripturas*. Joan. v. 39. In uno eodemque Scripturæ loco plures eſſe ſenſus, etiam Literales, communis eſt Doctorum ſententia. Recole, quæ de Scripturæ ſenſu infinito, ſeu non definito diximus in Prolegom. diſp. 7. & hic in Tractat. 1. propoſit. *6.* præſertim ex S. Auguſtino Confeſſ. lib. 12. cap. 30. 31. & S. Thoma q. 4. de Pot. a. 1. Nobis in hac ipſa re præeunt exemplo Patres; qui cum profecto ſcirent Jeſum dictum a ſalvando; ſic etiam nuncupatum ſcripſerunt a medendo. Ita Cyrillus Hieroſol. Catech. 10. Epiphanius hær. 29. Bernardus Serm. *6.* in Vigil. Nativit. Aſtipulantur vero interpretationi noſtræ, qui in nomine Jeſu cætera omnia nomina aut præter hæc aliquid majus, ac novum reperire ſe, dicunt: ut Cyrillus Hier. Catech. 10. n. 5. Hieronymus lib. 2. Com. in ep. ad Eph. cap. 4. Cyrillus Alex. de recta Fide §. 13. Bernardus Serm. 2. in Circumciſ. Dom. n. 5. Serm. 15. in Cant. n. 4. 5. &c.

Neque dicas, has duas interpretationes puncta vocalia diverſa petere. Nam primo vix ulla eſſet punctorum diverſitas. Præſertim cum in noſtra etiam, ut dixi, poſſit prima hujus nominis ſyllaba legi יהו *Jehò*, quæ aphæreſis eſt nominis ineffabilis. Deinde quod de interpretationibus, idem ipſum dico de punctis: has litteras utraque ſuſcipere. Prima non poſſe excludi; altera poſſe admitti. Exemplum habes in plurimis Scripturæ locis, quos vulgatus Interpres, iiſdem plane literis, aliter tamen legit, ac LXX. & tamen, niſi diſcordent ſententiæ, utraque lectio recipitur, & probatur. Nimirum ad verbi Dei fœcunditatem, & amplitudinem hoc etiam pertinet.

Legendi præcipue de hæreſibus, quæ contra Incarn. Myſterium Bellarminus loco ſup. memor. Petavius tom. 1. de Incarn. Boucat, Tournely, & alii de Incarn. Quæ pariter invenies apud Hereſeologos, & hiſtor. Eccle. Scriptores.

De nomine Jeſu legendi præcipue S. Bernardinus Sen. in Sermonibus, & officio de Nom. Jeſu. Toſtatus q. 7. in cap. 20. Exod. Ludolphus Carthuſ. in vita Chriſt. par. 1. cap. 10. Salmeron tom. 3. tract. 37. Luc. cap. 2. Toletus in cap. 1. Joan. annot. 75. Caninius de nom. Jeſu, Carbajalus inſtit. theolog. cap. 36. Cornelius a Lapide, & Benedictus Juſtinianus in cap. 11. Epiſt. ad Philip. Bonfrerius in cap. 13. Numer. Serrarius in cap. 2. Joſue quæſt. 9. 10. &c. Lorinus in Act. Apoſt. XIX. 13. Florimundus Raymundus de Antichriſ. pag. 361. Coronus inſtitut. Cathol. pag. 783. Barradius de hiſtor. Evangel. lib. 9. cap. 3. Beurrier de nomine Jeſu pag. 209. Shernlogus de Antiquit. Hebra. lib. 1. Oſorius in Feſto Circumciſ. Colombiere, & Segneri in orat. panegyr. de Nom. Jeſu Cherubinus a S. Joſepho Biblioth. Crit. tom. 3. par. 2. art. 9. Houdry Biblioth. Concionator. par. 2. tom. 1.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VII.

Chriſtus natus eſt anno Juliano 40. *Olympiadis* 193. *an.* 3. *Urbis* 748. *Auguſti a nece Cæſaris* 39. *Regni Herodis* 35. *Coſſ. Lælio Balbo*, *& C. Antiſtio Vetere. Anno ante Æram vulgarem* 6. *Baptizatus eſt an. Juli.* 71. *Olymp.* 201. *an* 2. *Urbis* 779. *Æræ vulgaris* 26. *Tiberii a prima Epocha* 16. *a ſecunda Ep.* 13. *Coſſ. C. Cornelio Lentulo Getulico*, *& C. Calviſio Sabino. Mortuus eſt an. Jul.* 74. *Olymp.* 202 *an.* 1. *Urbis* 782. *Æræ vulg.* 29. *Tiberii a pr ma Ep.* 19. *a ſecunda* 16. *Coſſ. Cajo Rubellio Gemino*, *& C. Fuſio Gemino.*

PRopoſitionem probo; & ab eo initium facio, quod in illa ultimum eſt. Hoc enim ſtabilito; facile cætera conſequentur. Probo autem ex communi perſuaſione, & conſtanti traditione omnium veterum Patrum, & Eccleſiæ Scriptorum, qui clare, & expreſſe Chriſtum mortuum eſſe docent duobus Geminis Conſulibus; ac proinde anno Æræ Vulg. 29. Urbis 782. Jul. 74. & cætera, quæ ſequuntur. Sic Tertullianus in libro cont. Judæos cap. 8. *Chriſti paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Conſulibus Rebellio Gemino, & Rufio Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die* VIII. *Kalendarum Aprilium, die primo Azimorum, quo agnum ut occiderent ad Veſperam, a Moyſe fuerat præceptum.* Idem nec minus diſerte, & expreſſe confirmant Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 10. & lib. de mortibus perſecutor. Julius Africanus in Comment. S. Hieronymi in cap. 9. Daniel. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. n. 1. Severus Sulpitius hiſtor. ſacr. lib. 2. cap. 27. Victor Aquitanus, Faſti ſub nomine Idacii a Sirmundo, & Labbæo editi, antiquiſſimus catalogus Romanor. Pontif. Liberii tempore exaratus, antiqui Conſulum catalogi apud Cuſpinianum in Commentario, innumera Martyrologia, inter quæ vetuſtiſſimum S. Hieronymo attributum. Adde his ex poſterioribus ſæculis Scriptores illos duos ſupra triginta, inter quos plures ſunt primi nominis, & ſubſellii, quos pro hac ſententia adducit Henricus Philippi. Adde Scriptores Græcos, quos ſequitur Georgius Cedrenus: ex his omnibus hæc ſententia videtur fere plus quam probabilis. Evidentiam propemodum in ſuo genere obtinet. Illam oppugnare, temeritati proximum cenſet Mariana. Immo cum Toſtatus ſententiam quamdam de die mortis Chriſti, quæ cum hac, quæ eſt de anno, cohærere non poteſt, juvenis defendiſſet; ipſius theſes proſcriptæ ſunt; teſtimonio Joannis a Turrecremata apud Salmeronem tom. 1. Proleg. 38.

Jam vero ſi Chriſtus mortuus eſt Æræ vulg. an. 29. natus eſt anno ante Æram vulg. 6. hoc eſt Juliano 40. & Auguſti 39. Probatur id facile. Nam ſi dixeris natum eſſe ante; v. c. an. Julian. 39. & Auguſti 38. hæc tria ſequentur incommoda. Primum, incides in tempus belli: pacem illam haud reperies, quam fore naſcente Chriſto prædixerunt Prophetæ. Siquidem, ut oſtendunt Ryneus lib. 1. de Chriſti nat. cap. 4. Noriſius in Cenotaph. Piſ. cap. 8. Ant. Pagius in Appar. n. 129. & 130. Auguſtus Jani templum tertio, atque ultimo clauſit anno a nece Cæſaris 39. Secundum incommodum; terminos illos tranſilies, intra quos continentur ſententiæ probabiles de anno Chriſti natali. Nam qui Æram vulgarem plus quam ſexennio anticipet; invenies neminem. Tertium, ætatis, ſeu vitæ mortalis Chriſto plus dabis, quam ferat relicta ab Apoſtolis Eccleſiæ traditio. Sic enim eſt in Codice MS.

tempore Honorii I. qui aſſervatur in Bibliotheca Medicea: *Chriſtum ex Apoſtolorum traditione manſiſſe in hac vita annos triginta tres, ac tres menſes*. Idemque ſignificat Beda, qui de ratione temporum cap. 5. *Habet*, inquit, *ni fallor, Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos uſque ad ſua tempora Paſſionis vixiſſe*. Neque id ſolius eſt traditionis; ex Scriptura etiam colligitur; in qua Paſchata dumtaxat quatuor a Chriſto poſt Baptiſmum cum Diſcipulis celebrata memorantur. Primum Joan. II. 13. Secundum Joan. V. 1. Tertium Joan. VI. 4. Quartum pridie quam pateretur Matth. XXVI. 2. Marc. XIV. 1. Luc. XXII. 1. Joan. XIII. 1. Nec cœpit eſſe cum Diſcipulis diu poſt annum ætatis ſuæ 30. cum ſcriptum ſit Luc. III. 23. *Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*.

Quod ſi dixeris, Chriſtum natum eſſe poſt annum Auguſti 39. urgeberis incommodis fortaſſe gravioribus. Nam primum, quo magis Chriſti ortum ultra annum Auguſti 39. protraxeris, eo minus ætas ipſi conſtabit ſua. Porro inter eas theſes Toſtati, quas damnatas fuiſſe, teſtatur Turrecremata, una illa fuit: *Dominum Jeſum paſſum anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio currente*. Si de illo annorum numero, quem proxime dixi, ne unum quidem annum demere licuit; demere duos, aut tres, quanto minus licebit? Præterea ſi Chriſtum natum eſſe vis poſt annum Auguſti 39. vel natum dicis anno 40. vel 41. aut alio quovis ex ſequentibus. Si natus eſt anno Auguſti 41. aut alio quovis deinceps; natus eſt poſt obitum Herodis Aſcalonitæ cognomento infanticidæ. Hunc enim Herodem vita functum ante Decembrem anni illius 41. clare demonſtrant Decherius, Klepperus, Petavius, ac fere quotquot Chronologi magis inſignes a ſæculo, & eo amplius extiterunt. Demonſtrant autem non ſolum ex Joſepho, & Nicolao Damaſceno, qui de Herode ſcripſerunt; ſed ex aliis etiam monumentis, & maxime ex celebri nummo Herodis Antipæ, de quo Noriſius in Epiſt. ad Pagium. Ex hoc enim nummo liquet Herodem Antipam Ethnarchiæ ſuæ poſſeſſionem adiiſſe anno Auguſti a nece Cæſaris 41. Reſtat igitur, ut Chriſti ortum inſcribas anno Auguſti 40. Hoc vero ſi facis, cum ex Joſepho Antiquit. lib. 17. cap. 11. & ex iiſdem Chronologis, præſertim ex Seneſcallo Triad. Evang. quæſt. 1. cap. 15. Petavio lib. XI. cap. 1. & Bernardo Lamy in Apparat. Chronolog. par. 1. cap. 11. liquido conſtet, Infanticidam occubuiſſe menſe Martio ante Paſcha; inter Chriſti ortum, & Herodis obitum menſes vix tres medios relinquis. Porro intra hos terminos hæc comprehenduntur: Adventus inquiſitio, & adoratio Magorum; Purificatio Deiparæ in Templo Jeroſolymitano die quadrageſimo a partu: exinde fuga in Egyptum; infantium cædes, non utique ipſo die, ſed aliquanto poſt conſecuta & facta *a bimatu, & infra juxta tempus, quod* Herodes *exquiſierat a Magis* (Matth. II. 16.) præterea morbus Herodis qui maxime & gravis, & diuturnus fuit; mora Chriſti certe aliqua in eo Ægypti loco, in quem ultimo ſe recepit. Quibus omnibus ſoli tres menſes adeo ſatis non ſunt; ut menſes quindecim, qui his gerendis in noſtra ſententia aſſignantur, videri poſſint fortaſſe pauci. Tertio tandem eo anno quo natus eſt Chriſtus, ut teſtatur Tertullianus cont. Marcion. lib. 4. cap. 19. Syriæ Præſes fuit Sentius Saturninus (ordinarius ſcilicet; nam extraordinarius, & quoad cenſum fuit Quirinius.) Tum autem ex Joſepho Antiquit. lib. 17. cap. 7. tum autem ex tribus nummis, quos ex Toinardo, Noriſio, Vaillantio refert Ant. Pagius in Appar. n. 127. & memorantur etiam ab aliis, toto anno Auguſti 40. & duobus ſequentibus Syriæ præſes ordinarius, & Saturnini ſucceſſor fuit Quintilius Varus. Ut ob hanc cauſam Harduinus Chriſti ortum intra eundem annum 39. a decembri in ſeptembrem retraxerit. Quod nec fuit neceſſe, nec ſatis. Cum verum fuerit, anno illo Auguſti 39. Syriæ præfecturam geſſiſſe Saturninum; eamque ante menſem ſeptembrem acceperit Varus.

Supereſt, ut videamus de baptiſmo, de quo quid ſit tenendum ex dictis ſubito apparet. Nam ſi Chriſtus quartum, & ultimum Paſcha cum diſcipulis egit an-

anno Vulg. 29. menſe Martio; primum ex illis quatuor egit anno vulg. 26. menſe Martio; Nam eo pariter anno in menſem illum cecidit Paſcha. Quoniam vero, ut ex Joannis capite primo, & ſecundo videtur perſpicuum, Chriſti baptiſmus ab eo primo Paſchate non longe diſtat; ſequitur, ut Chriſtus baptizatus ſit, vel ipſo eodem Æræ vulgaris anno 26. ineunte; vel aliquo ex quatuor, aut quinque ultimis menſibus præcedentis anni 25. Equidem hoc ſecundum libenter amplecterer; tum quia verba illa, *& ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta* ſignificare potius videntur ipſius ætatis annum trigeſimum nondum fuiſſe completum; quam completum fuiſſe; etiamſi a duodecim, aut tredecim tantum diebus: tum quia magnus ille totius Palæſtinæ concurſus ad aquas Jordanis, qui deſcribitur Matth. III. 5. 6. &c. quando illuc acceſſit & Chriſtus, magis convenit æſtati, aut etiam autumno anni 25. quam hyemi anni 26. Verum, quoniam Chriſti baptiſmum die ſexto Januarii Eccleſia recolit; eoque die baptizatum re vera volunt permulti ex Sanctis Patribus, & ſacris Interpretibus; huic ſententię ſubſcripſi, & in Propoſitione, Æræ vulgaris annum 26. ac Tiberii a prima Epocha 16. cum Bollandiſtis, & aliis pluribus poſui.

Objicies, has tres ſententias, ſeu propoſitionis partes ita eſſe inter ſe aptas, & colligatas, ut contra eas omnes eſſe videatur, quod S. Lucas III. 1. 23. hæc duo ſimul componit, aut non admodum disjungit, annum ſcilicet Tiberii 15. & an. Chriſti circiter 30. ac proinde nulla ex iiſdem, ſine duplici Tiberii epocha poſſit defendi. Priorem vero Tiberii Epocham falſo adſtrui, & plane ad arbitrium. Deinde, etiam ſi vera fuerit, non fuiſſe in uſu. Tertio, eſto illam uſurparint Scriptores aliqui, id tamen non eſſe credibile de Evangeliſta.

Reſpondeo hæc omnia quæ ab adverſariis hic aſſumuntur a nobis negari. Negatur primum, quia imperii Tiberii duæ Epochæ, ſive initia vere fuerunt. Unum Auguſto adhuc ſuperſtite, a quo, ut extat in Ancyrana inſcriptione, apud Gruterum pag. 230. ac diſerte teſtantur Vellejus lib. 2. Tacitus Annal. lib. 1. Svetonius cap. 21. imperii non ſolum hæres, & ſucceſſor; ſed collega, & ſocius declaratus, & habitus eſt. Alterum vero tribus poſt annis, cum, Auguſto vita functo, ſolus imperare cœpit. Præterea negatur ſecundum. Nam Clemens Alex. lib. 1. ſtromat. imperii annos 22. ac menſes aliquot Tiberio tribuit; quantum re vera temporis ab Auguſti morte imperavit. Idem vero ſubjungit, *annos etiam 26. menſes ſex, dies novendecim* Tiberio dari: ſcilicet a prima epocha; quæ proinde ante Clementem Alex. erat in uſu. Et profecto cum rerum Romanarum ſcriptores Tiberio ætate ſuppares, eum imperaſſe dicant antequam Auguſtus e vita decederet, ac Tiberium ab eo tempore imperatorem appellare incipiant; valde probabile eſt, aliquem fuiſſe hujus etiam epochæ uſum. Tandem negatur tertium. Nam Tertullianus, & Euſebius a Schelſtratio citati diſſert. 1. cap. 3. art. 2. n. 6. *Chriſtum baptizatum ſcripſerunt Tiberii anno* 12. quod non feciſſent, ut ſcriberent, niſi credidiſſent, Evangeliſtam, cum ſcripſit, *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæſaris &c. factum eſt verbum Domini ſuper Joannem &c.* priore Tiberii Epocha uſum. Immo illi, qui, ut ſupra notavimus, Chriſtum cruci affixum ſcripſerunt duobus Geminis Coſſ. niſi qui putarunt, Chriſtum a Joanne baptizatum inter primos, & unicum dumtaxat annum a baptiſmo vixiſſe; omnes, inquam, perſuaſum habuiſſe videntur, annum Tiberii decimum quintum dixiſſe Lucam, a prima epocha. Id quod fit etiam credibilius, quod Evangeliſta, qui Græce ſcripſit, eadem voce τῆς ἡγεμονίας, qua in ipſo illo loco ſignificavit *procurationem*, ſive *adminiſtrationem* Pilati; uſus eſt ad ſignificandum etiam imperium Tiberii: non adhibuit nobiliorem vocem τῆς βασιλείας, vel τῆς ἀρχῆς. Quo ſatis indicaſſe videtur, ſe initium numerandi capere ab adminiſtratione imperii, qua Tiberius functus eſt ſub Auguſto.

Quæ præterea objici poſſunt, alia catholicas omnes ſententias, alia noſtram præcipue tangunt. De iis omnibus ſatisfacient vobis abunde Scriptores illi, ad quos infra vos allegabo. Quod apud

eos non eſt, vel non explicant ſatis; ac difficultatem vobis afferre maximam poteſt, illud eſt: ex traditione, & communi Eccleſiæ perſuaſione non minus certum, aut probabile eſſe, Chriſtum mortuum VIII. Kal. April. ſeu 25. Martii, quam mortuum duobus Geminis Coſſ. Patres, Scriptoreſque illos, quos initio teſtes produximus, utrumque affirmare. Hæc vero ſe mutuo elidere, diemque pugnare cum anno. Siquidem anno Æræ vulg. 29. Paſcha celebratum eſt menſe Aprili; vel ſi menſe Martio, celebratum eſt die 18. non 25. Porro teſtis duorum contrariorum, & quæ ſe mutuo infringunt, nullus eſt teſtis. Sive enim amittit hoc ipſo fidem, atque ejus verba auctoritatis pondus non habent, & jam nihil efficere queunt. Sive auctoritatem retinent; & cum æqualiter teſtetur utrumque, quantum ponderis afferunt ad inclinandum judicium, tanto etiam contra nituntur.

Reſpondeo, non ſatis probari, diem pugnare cum anno; hac ipſa nimirum de cauſa, quod Patres, & Eccleſiæ Scriptores ſupra laudati Chriſti mortem utrique conſignant. Demonſtratione opus eſt, ut neges inter ſe cohærere, quæ tot teſtes, & tales ſimul conjungunt. Id vero quam non demonſtretur, & quæ ſit ratio conciliandi diem mortis cum anno in ſequenti Propoſitione planum fiet. Interea de his tribus, quæ hìc aſſeruimus

Legendi præcipue Klepperus in Eclogis Chronicis, Antonius Cappellus de Cœna Chriſti, Henſchenius, & Papebrochius in diatriba prælimin. ad menſem Aprilem, & in Propylæo ad menſem Maji, Antonius Pagius in Appar. ad Critic. hiſtor. chron. Franciſcus Pagius in Breviario ad Vitas Pontif. A Schelſtrate de Antiquit. Eccl. tom. 1. diſſert. 1. Harduinus in Antirrhetico de Nummis antiq. & in diſſert. de nummis Herodiadum. Ayroli in Diſſert. de lxx. Hebdomad. cap. 9. Grammatici de Æra mundi conditi, & reparati cap. 5. 6. 8.

Præterea ex iis qui ſententiam noſtræ confinem defendunt de anno Chriſti natali; nobiſcum vero plerique conſentiunt de anno mortis, legendi Decherius, Petavius, Bucherius, Herwartus, Gherardus Voſſius, Uſſerius, Seneſcallus, Noriſius, Honoratus a S. Maria, Graveſon &c. Locos in ipſorum indicibus notatos invenies.

PROPOSITIO VIII.

Hæc duo inter ſe rectè cohærent, & quòd Chriſtus mortuus ſit duobus Geminis Coſſ. & quod mortuus ſit VIII. Kal. Aprilis, ſeu Martii die 25.

PRobatur. Quia Patres, & ſacri Scriptores, qui expreſſe, ut vidimus, teſtantur Primum; iidem, ac plerumque in eodem loco teſtantur ſecundum non minus expreſſe. Tertullianus, *Chriſti Paſſio perfecta eſt* VIII. *Calend. April* Lactantius, Julius Africanus, Hieronymus, Auguſtinus, Severus Sulpitius VIII. *Calend. April. Dominus Crucifixus eſt* pariter cæteri, quos in præcedente Propoſitione recenſui. Immo ſunt alii plures, quos ibi non retuli, quia ſilent de anno Mortis Chriſti, diſerte vero notant diem. Hippolytus in Canone Paſchali marmoreæ baſi inciſo, & in Bibliotheca Vaticana, una cum vetuſtiſſima S. hujus Epiſcopi, & Martyris ſtatua, aſſervato hæc habet. *Paſſio Domini* VIII. *Cal. April. fer.* VI. Calendarium Sacramentario Gregorii Magni, quod pariter eſt in eadem biblioth. præfixum, hæc VIII. *Cal. April. Annunciatio, Conceptio, & Paſſio Domini*. Martyrologium vero Hieronymi a Gregorio Magno deſcriptum ſic habet VIII. *Cal. April. Dominus Jeſus Chriſtus Crucifixus eſt*. Beda de ratione tempor. cap. 25. *quod* VIII. *Cal. April. crucifixus*, VI. *Cal. April. reſurrexerit*, *multorum*

late

Digitized by Google

late Doctorum ſententia conſtat. Idem habent Martyrologium ſub finem VIII. Sæculi charactere Anglico. Codex Cardinalis Caſanate MS. charactere Longobardico an. 811. Calendarium Atrebatenſe an. 816. Martyrologium Chriſtinæ Svecor. Reginæ medio nono ſæculo. Anaſtaſius bibliothecarius in hiſtor. &c. Plura reperies apud Henſchenium, & Schelſtratium. Sic autem concludo: eſſe plane incredibile, tot Patres, & Scriptores, totamque adeo antiquitatem, tot Sæculis hallucinatam fuiſſe in re non ſolum facili, & plana; ſed quæ & recolitur quotannis, &, propter celebres controverſias de Paſchate, a primis Eccleſiæ temporibus excuſſa, & expenſa diligentiſſime fuit. Nec Hippolytum, nec Julium Affricanum, nec Mathematicos Alexandrinos aſtrorum ſcientia, ac temporum peritia adeo inſignes, animadvertiſſe unquam, diem illum cui Chriſti mortem conſignabant, pugnare cum anno.

Argumentum hoc per ſe graviſſimum, & efficaciſſimum majorem etiam vim habet adverſus eruditos aliquos Recentiores, qui cum fateantur, atque adeo contendant, Chriſtum in Crucem actum fuiſſe duobus Geminis Coſſ. an. Æræ Vulg. 29. hoc factum volunt die Martii non 25. ſed 18. propterea quod in hanc diem eo anno incidit plenilunium & pro hoc die 18. pugnant acerrime. Sic autem hos ſeorſim aggredior. Vel apud vos in hac re valet tot Patrum, & Scriptorum auctoritas, vel non valet. Si valet, cur his auctoribus non recipitis diem 25. Si non valet, cur iiſdem auctoribus recipitis, ac defenditis annum 29.? Dies, inquiunt, non cohæret cum anno. Patrum autem auctoritas tanta nobis eſſe non poteſt, ut admittamus duo hæc contraria inter ſe. Ita: ſed tanta eſſe deberet, ut credatis hæc non eſſe contraria: cum a tot, & talibus viris ſimul jungantur; nec profecto ſit certum anno illo 29. non potuiſſe Paſcha die Martii 25. a Judæis eſſe celebratum. Quare ſic iterum inſto. Vel putatis diem 25. poſſe conciliari cum anno 29. vel ſecus exiſtimatis. Si poſſunt conciliari; utrunque eſt tenendum, cum Patrum traditio ſit de utroque. Si conciliari non poſſunt; tenendus eſt dies, rejiciendus eſt annus; quoniam, ut vidimus, traditio magis & univerſalis, & conſtans eſt de die, quam de anno. Ultimum addo; dubitari non poſſe, quin anno Vulg. 29. plenilunium Aprilis, ſpectatum per ſe, ad celebrationem Paſchatis multo aptius fuerit, quam plenilunium Martii, cum plenilunium Martii, ut ex calculis Joannis le Febure notat Bernardus Lamy Appar. chron. p. 2. c. 2. §. 2. quatuor ipſis diebus æquinoctium vernum præceſſerit; nec celebrare Paſcha ante æquinoctium vernum Hebræis liceret. Adde, quod plenilunium illud diebus quatuor antevertit æquinoctium aſtronomicum; æquinoctium vero civile, antevertit diebus ſeptem, aut octo, ut infra videbimus. Quid vero eſt, quod menſe tamen Martio peractum Paſcha volunt iſti anno illo? Quid eſt, quod Ricciolium, & Grandamicum notant, quod in Aprilem Chriſti mortem tranſtulerint? Hac, inquiunt, de cauſa: quia traditione majorum comperta, & fixa res eſt, Chriſtum cruci datum menſe Martio. Et Rogerius Bachonus, qui XIII. ſæculo primus id movit, & in Aprilem receſſit, male de hoc audiit non ſolum apud vulgus, ſed etiam apud ſapientes. Alphonſus vero Toſtatus, qui idem attentavit ſæculo XV. non impune tulit, nec ſine cenſura. Veriſſime: ſed majorum vox, & traditio illa eſt: *VIII. Cal. April. Dominus crucifixus eſt*. Ita ſcriptores ſub initium citati. Ex die comperimus menſem: vel certe menſis non prius, quam diei notitiam accepimus: nec ſeparatim. Hæc ab auctoritate; venio ad rationem, quam in confutatione objectorum vobis exponam.

Ergo ſic objiciunt. Diei, quo mortuus eſt Chriſtus, quatuor ſunt chronologici characteres. Fuit enim dies Martii; fuit feria 6. ſeu dies Veneris; fuit dies plenilunii; fuit poſt æquinoctium verum. Primus character eſt ex Traditione; ſecundus ex Evangelio, *erat Paraſceve*, *quod eſt ante ſabbatum* (Marc. XV. 42.) *ut non remanerent in cruce corpora ſabbato* (Joan. XIX. 31.) Tertius, & quartus characteres ſunt ex ritu celebrandi Paſcha, partim ex Scriptura, par-

partim aliunde notiſſimo. Porro dies 25. Martii anno æræ vulg. 29. habet primum, ſecundum, & quartum characterem; tertio penitus caret: cum in diem Martii 18. eo anno plenilunium inciderit. Falſo igitur poſitum eſt, duo illa cohærere inter ſe annum æræ vulg. 29. & diem Mart. 25.

Reſpondeo, primum characterem, quem ex Traditione adverſarius eſſe ait, non eſſe vage, & indiſcriminatim de die aliquo Martii; ſed definite de die 25. Hunc enim, ut vidimus, Patres expreſſe adnotant. Deinde, hoc prætermiſſo, argumentum in adverſarios retorqueo. Nam dies Martii 18. quem ipſi propugnant, habet, eſto, primum, ſecundum, & tertium characterem; quarto penitus caret; quippe cum anno vulg. æræ 29. dies Martii 18. Æquinoctium vernum quatuor ſolidis diebus anteceſſerit; immo, & octo diebus cum æquinoctium configuatum fuerit diei 25. Mart. Quocirca ipſis quoque fatendum eſt, quod Klepperus, quod Petavius, quod Salianus Henſchenius, Pagius, Schelſtratius, aliique viri docti contendunt, *rem hanc non ex aſtronomicis tabulis; ſed auctoritate, & traditione eſſe definiendam*. Ratio eſt: quia multa eo anno accidere potuerunt, quare Paſcha celebratum non ſit ea Luna, & Lunæ facie, ſeu phaſi, qua celebrandum fortaſſe fuerat. In primis vero quod Cyclo, ſive, ut ſic loquar, Kalendario mendoſiſſimo, & maxime corrupto eo tempore uterentur Hebræi. Quemadmodum docent, ac probant Klepperus, Petavius, & alii proxime nominati.

Itane dices, Cyclum ita vitioſum, qui a vero plenilunio ſeptem, vel ſi Paſcha velis imolatum die 24. Chriſtum mortuum 25. ſex ipſis diebus abludat, atque diſcedat? Itane, reponam ego, Cyclum ita vitioſum, qui pro plenilunio Paſchali illud habeat, quod æquinoctium vernum diebus ipſis quatuor aut octo antevertit? Enimvero neutrum iſtorum incredibile, aut mirum videri debet. Nonne Kalendarium, quo ante Gregorianam correctionem utebatur Eccleſia, a vero Solis ingreſſu in Arietem, ac cætera ſigna, diebus integris decem aberrabat? Et Kalendarium, quo ante Julii Cæſaris correctionem utebantur Romani, nonne in æquinoctiis, & ſolſtitiis multo etiam gravius peccabat? Vide, quæ de hoc ſcripſerint Plinius, Cenſorinus, Plutarchus, & alii plurimi. Neque dicas, in æquinoctiis, atque ſolſtitiis errare, facile eſſe; quippe quæ non uſurpantur oculis. Cœcine vero erant Hebræi, qui pro plenlunio Lunam habuerint jam ſeneſcentem, ac prope dichotomam? vigeſimam, aut vigeſimam primam, pro quintadecima? Ne, inquam, dixeris hoc. Ut enim magnis auctoribus poſui, & ſuadet hæc ipſa Traditio, quam defendimus; Hebræi eo tempore, non Cęli aſpectu regebantur, ſed Cyclo. Qui autem Cyclum condidit, aut quicquid ipſis erat Kalendarii loco, tam non vidit novilunia, ac plenilunia anni 29. quam non videntur æquinoctia, & ſolſtitia. Et fortaſſe, quia Cyclum nimis jam deerrantem viderunt, paulo poſt mutarunt, vel emendarunt. Itaque ad argumentum directe reſpondeo. dies 25. aut 24. Martii anno æræ vulg. 29. non fuit dies plenilunii; diſtinguo: non fuit dies plenilunii veri, & aſtronomici; concedo. Non fuit dies plenilunii civilis, ac cyclici, nego.

Præterea, quid ſi interdum eo præſertim tempore Judæi, ſeu quod obſervari Luna minime potuerit, ſeu Cycli defectu, ſive aliam ob cauſam, ex ſola frugum maturitate, & æquinoctio verno civili diem Paſchatis indixere? Hæc ex veriſimili, & ut res eſſe potuit: quod quidem ſententiæ noſtræ tuendæ ſatis eſſe debet. Niſi enim contrarium aperte demonſtres, Traditio hæc antiquari, atque e tot ſæculorum poſſeſſione deturbari non poteſt. Adde his quod exiſtimat Vir eruditiſſimus, & Chronologus magni nominis Samuel Petitus, ac pluribus argumentis pertendit in Eclog. Chronolog. lib. 1. cap. 12. non ſolum fieri potuiſſe, ſed re vera factum fuiſſe, ut, propter Cyclum, quo utebantur Hebræi, æræ communis anno 29. menſis Niſan inceperit die Martii XI. feria 6. ac proinde XIV. Niſan fuerit Martii dies XXV. pariter feria 6. Hanc Petiti ſententiam refert, atque confirmat Honoratus a S.

Ma-

Digitized by Google

Maria Animadverſ. in Regul. Critic. lib. 5. diſſert. 1. art. 7. Conſule utrumque. Illud etiam notandum, quod Julius Cæſar æquinoctium vernum conſtituit ad VIII. Kal. April. Quod anno æræ vulg. 29. cum XIV. menſis Niſan ex Petiti obſervatione; ac ſententia congrueret.

Legendi præcipue, præter Petitum, & Honoratum locis proxime notat. Klepperus in Eclog. Chron. epiſt. 16. 17. &c. Ludovicus Cappellus diſſert. adverſus Ægyptium pag. 3. Petavius de doctrina Tempor. lib. 12. cap. 11. Azorius Inſtit. Moral. par. 2. lib. 1. cap. 6. Francolinus de tempore Horar. Canonic. cap. 68. n. 18. Gerardus Voſſius diſſert. 2. de tempore Dominicæ Paſſion. n. 6. 7. &c. Henſchenius, & Papebrochius in Propylæo ad Acta Sanctor. Maji Exercit. 1. 2. &c. Antonius Pagius Critic. in Annal. Baronii an. Chriſti 32. n. 8. A Schelſtrate de Antiquit. Eccl. diſſert. 1. cap. 4. n. 8. & 9. Graveſon de Myſteriis, & annis vitæ Chriſti diſput. 15. §. 2.

PROPOSITIO IX.

Si, propter aſtronomicas rationes, & ritum celebrandi Paſchatis, ab Judæis eo etiam tempore ſervatum, diſcedendum eſſet a die 25. Martii; annus quoque Æræ vulgaris 29. eſſet relinquendus. Hoc vero ſi faciendum eſſet, nihil probabilius ſequeretur, quam ut Æra vulgaris vera eſſet, & Chriſti nativitas anno Auguſti a nece Cæſaris 44. Mors autem anno Æræ ejuſdem, & Chriſti ætatis 34. conſignandæ viderentur.

HUjus Propoſitionis duæ ſunt partes. Illa prior: Si propter aſtronomicas rationes, & ritum Paſchalem, retineri non poteſt dies 25. Martii; nec retinendus eſt annus Æræ vulgaris 29. Probatur id. Alterutro enim ex his duobus modis retineri poſſet annus: ſive dicamus Chriſtum mortuum die 18. Martii, qui fuit ipſe dies Plenilunii, ac feria ſexta; ſive illum mortuum dicamus die 22. Aprilis; nam hæc fuit feria ſexta poſt Plenilunium Paſchale, quod eo anno incidit in feriam ſecundam 18. Aprilis. Neutrum autem ſuſtineri poteſt. Et de hoc ſecundo quidem nemo non videt. Cum Traditioni prorſus repugnet; & illud etiam incommodi habeat, quod Paſcha ſic etiam nimis abeſt a Plenilunio. Nihilo verius, ac probabilius eſt primum. Cum enim id quoque contrarium eſt Traditioni; tum maxime pugnat cum Lege Paſchali. Siquidem Plenilunium Martii eo anno evidenter Paſchale non fuit; cum æquinoctio verno aſtronomico præiverit quatriduo, & eo amplius æquinoctio civili. Non eſt autem credibile, Judæos Hieroſolymitanos violaſſe tam aperte, tam publice leges tam ſacroſanctas. Et Chriſtum id approbaſſe, aut etiam exemplo præiviſſe. Si igitur, propter aſtronomicas rationes, & ritum celebrandi Paſchatis, diſcedendum videtur a die 25. Martii; ne annus quidem Æræ vulgaris 29. retineri poterit. Quæ fuit Propoſitionis pars prior.

Probatur pars poſterior, in qua cum poſita ſint hæc tria; veritas Æræ vulgaris, Chriſti Nativitas anno Auguſti a nece Cæſaris 44. Mors anno ejuſdem Æræ, & Chriſti ætatis 34. ab hoc tertio incipiendum; quo conſtituto, cætera ſua quaſi ſponte profluent. Id ergo ita conficitur. Inter eos annos, quibus Chriſti mors affigitur probabiliter, quo anno reperitur dies pluribus, & illuſtrioribus Chriſti mortis characteribus inſignis, illi anno Chriſti mors affigitur probabilius. Hujuſmodi vero eſt annus Æræ vulg. 34. Anno igitur Æræ vulg. 34. Chriſti mors affigitur probabilius. Probatur aſſumptio. Ejus enim diei, quo Chriſtus mortem oppetiit, hi ſunt characteres præcipui.

Fuit

Fuit dies Veneris, ſeu feria *6.* ex ſacra Scriptura. Fuit dies Martii ex communiſſima, ac receptiſſima Traditione. Plenilunium Paſchale, ſeu plenilunium, quod primo occurrit poſt æquinoctium vernum, ſubſequutus eſt quam proxime: hoc eſt, duorum vel ad ſummum trium dierum intervallo; ſive Judæi eo tempore menſium initia definirent ex phaſi, ſive ex cyclo non admodum mendoſo, & corrupto. Porro iis omnibus annis, quibus probabilitate aliqua Chriſto mors conſignatur, nullus eſt dies, in quem hæc omnia conveniant, niſi dies *26.* Martii anni vulgaris 34. Apparebit id manifeſte, exbitis Pleniluniis Paſchalibus eorum omnium annorum.

Anno 28. Plenilunium Paſch. die *29.* (horas, ac minuta prætereo) Martii Feria 2.

Anno *29.* Plenilun. Paſch. die 18. Aprilis Fer. 2.

Anno 30. Plenilun. Paſch. die 7. Aprilis Fer. *6.*

Anno 31. Plenilun. Paſch. die *26.* Martii Fer. 3.

Anno 32. Plenilun. Paſch. die 14. Aprilis Fer. 2.

Anno 33. Plenilun. Paſch. die 3. Aprilis Fer. *6.*

Anno 34. Plenilun. Paſch. die 24. Martii Feria 4.

Anno 35. Plenilun. Paſch. die 12. Aprilis Fer. 3.

Annum *36.* non addo, quia eo anno Pilatus Hieroſolyma jam diſceſſerat. Ut vides, ſextæ Feriæ vel ad menſem Martii non pertinent, vel a Plenilunio Paſchali longius diſtant, quam quæ incidit in diem 26. anni vulg. 34. Nec vero dicere poteris, Plenilunium diei 24. Martii non fuiſſe Paſchale, cum Paſchale reputes Plenilunium diei 18. menſis ejuſdem. Affixum jam quidem fuerat apud Romanos æquinoctium civile diei 25. Martii; ſed apud Hebræos ſatis erat, Plenilunium non anteire diem 23. Martii, ut ad celebrationem Paſchatis aptum haberetur. De quo videre poteris Scriptores, quos infra legendos proponam.

Jam vero hoc ſtabilito, conſequuntur, ut dixi, cætera ſponte ſua. Annis enim 33. & 3. menſibus vixiſſe Chriſtum, ſupra confecimus Propoſ. VII. Quod ſi a die *26.* Martii anni vulg. 34. retrocedas 33. annis, & 3. menſibus ab uno die jam exactis, incurres in diem 25. Decembris anni Auguſti a nece Cæſaris 44. anni vero Juliani 45. Porro Calendis ipſis Jan. anni Juliani *46.* exordium ſumit Æra vulgaris.

Facit huc pariter, quod defendimus Propoſ. V. initium lxx. hebdomadum ducendum eſſe a xx. Artaxerxis Longimani anno. Sic enim ſyſtema meum de duabus extremis hebdomadis non completis, ibi expoſitum, aliquanto laxius, atque commodius ſe habet, & quo poſſit perſuaderi facilius. Immo nec eo ſyſtemate opus eſſet; ſi verum eſt, quod ſatis probabili calculo contendunt aliqui, annum ſcilicet Artaxerxis xx. eſſe annum Urbis conditæ 300. Hinc enim ad initium Æræ vulgaris, hoc eſt ad annum Urbis 754. medii ſunt anni 453. Quibus ſi addas annos 30. æræ vulgaris, ac vitæ Chriſti, conficies annos 483. hoc eſt hebdomadas *69.* ac devenies ad annum Urbis 783. quo circiter anno Chriſtus Baptiſmum ſuſcepit. His iterum addito annos tres, ac totidem fere menſes, incurres in annum Urbis 787. quo anno ætatis ſuæ, atque æræ vulgaris 34. menſis Martii die *26.* feria *6.* mortuus eſt Chriſtus.

Confirmantur hæc: quia æra vulgaris ſi defendi poteſt, defendi debet. Id, qui reputet, a quo condita, & quibus probata, ac tot ſæculorum veluti poſſeſſionem, negabit nemo. Defendi autem poſſe, planum fiet depulſione objectorum.

Seligam duo argumenta graviſſima, unum de Chriſti ortu, alterum de morte. Primum ſumitur ex Herodis ætate, ac regni annis; quo ſi aliæ ſententiæ de anno Chriſti natali, oppugnatur maxime ſententia Dionyſii exigui, ac Bedæ; ideſt æra vulgaris. Herodes enim Aſcalonita, vulgo Infanticida, ut aperte conſtat ex Hiſtoria Joſephi, & inſcriptione celebris nummi Herodis Antipæ, vita functus anno Auguſti a nece Cæſaris 41. Juliano 42. Æra vulgaris autem cœpit Kalendis Januar. anni Juliani 46. Secundum argumentum ſumitur ex iis, quibus Chriſti mors aſſeritur diei 18. Martii anni æræ vulgar. *29.* Sic vero pro die il-

lo

lo pugnatum noviſſime eſt. Anno æræ vulgar. 29. die Martii 17. quando ſub veſperum celebrata eſt ab Judæis Luna 14. incidit Jeroſolymis æquinoctium vernum ſaltem apparens, ſeu latius acceptum. Hoc vero ſatis eſt, ut Plenilunium diei 18. haberetur pro Plenilunio Paſchali: ſic igitur habitum credi perquam probabiliter poteſt. Majorem propoſitionem approbant ea ratione, quod limbus Solis, qui ad ortum, & ad occaſum, ob refractionem, quam vocant, Antiquis incognitam, tunc Jeroſolymitanum Horizontem horis duodecim occuparit; ac proinde ibidem æquinoctium, ſeu diem nocti æqualem aliquo vero modo effecerit. Hoc vero tantum fuiſſe ſatis, quæ eſt propoſitio minor, perſuadere conantur; primum quia æquinoctium verum, & aſtronomicum neque in ſacris Literis memoratum eſt uſquam; nec ab Judæis attendi, aut cognoſci ſatis exacte potuit. Quippe quo opus fuiſſet accuratiſſimis obſervationibus, tabulis, & inſtrumentis idoneis: quorum defectu Ptolemeus ipſe, altero poſt Chriſtum ſæculo, non raro duobus gradibus in definiendo quorumdam aſtrorum ſitu, locorumque latitudine aberravit. Deinde, quia nimis imprudenter faceret, qui in definiendo æquinoctio verno ad Paſcha rite peragendum, majorem ab Judæis accurationem exigeret; quam quæ exigatur ſive a Patribus Concilii Nicæni, ſive a Reformatoribus Kalendarii Gregoriani. Ut autem facile demonſtratur, æquinoctium vernum diei 21. Martii ab his affixum, intra quatuor annorum millia, aliquoties ſolidum triduum ab æquinoctio vero aberrare poteſt. Immo anno æræ Chriſtianæ 11760. (ſi tamdiu hæc ſtarent) etiam diebus quinque alluderet, & in diem Martii caderet 26. Atqui Luna 14. quæ in Martii diem 21. incideret, nihilo ſecus reputaretur Paſchati apta; ac die Dominica, proxime inſequenti, Paſcha rite ageretur. Hæc diei 18. propugnatores noviſſimi.

Reſpondeo ad primum, mihi quidem in hac tota controverſia, abſolute nihil probabilius, quam quod Chriſtus natus ſit anno Auguſti a nece Cæſaris 39. vel ad ſummum 40. mortuus vero anno æræ vulgaris 29. die Martii 25. Quæ abſolute defendi duabus præcedentibus Propoſit. Sic autem & retinetur communior, atque conſtantior Patrum, & Eccleſiæ Traditio; & habetur etiam Joſephi ratio. Verum quemadmodum vidimus hic, ſi propter rationes aſtronomicas, ac leges Paſchales diſcedendum eſſet a die mortis, neque ſtandum eſſet anno. Ideſt, ſecundum illa, quæ defendimus ſuperioribus Propoſit. probabiliora mihi videntur, quæ proxime dixi. Ut ſi movendus ſit dies mortis, movendus ſit etiam annus; & rurſus ſi movendus ſit annus mortis, movendus ſit annus etiam Nativitatis. Hoc vero fieri non poteſt, quin protrahatur per aliquot annos mors Herodis Aſcalonitæ; ac de ipſius ætatis, ac regni annis repugnetur Joſepho. At, inquies, repugnetur uno vel altero anno, repugnetur etiam triennio; minime vero amplius. Eccleſia in Martyrologio Chriſti ortum conſignat anno Auguſti 42. quid neceſſe eſt illum detrudere in Auguſti annum 44.? Ajo; neceſſe eſſe, ut ſervetur Eccleſiæ Traditio de Chriſti ætate, ac proprii characteres diei Chriſti morte conſecrati: nec objici nobis poſſint aſtronomicæ tabulæ, aut leges ullæ Paſchales. Præterea hoc facimus Eccleſiæ ipſius auctoritate, & exemplo, quæ in Æra vulgari ſententiam de Chriſto nato an. 44. præ cæteris probaſſe videtur. Præfatiuncula illa, quæ in Martyrologio ad VIII. Calend. April. a quocunque præfixa, & aſſuta ibi ſit, deſumpta videtur ex Euſebii Chronico. In hoc vero mors Herodis notata reperitur anno Auguſti 47. Quo nobis licet Chriſti ortum affigere anno Auguſti 44. Itaque in hoc ſecundo ſyſtemate dicimus, in annorum computatione vel lapſum, vel mentitum eſſe Joſephum; vel mendum aliunde in ejus ſcripta irrepſiſſe. De nummo Herodis Antipæ videndum primo, an ſit genuinus; de quo ſubdubitare videtur ipſe Noriſius. Deinde hoc dato; non liquet, ex qua epocha ducendi ſint anni illi XLIII. qui ibi notantur: utrum ex Teſtamento patris ſæpe mutato; an vero ex confirmatione Auguſti. Ut ut res habeat; miror ſane, quod præ aſtronomicis tabu-

Digitized by Google

lis audiendos putes non eſſe tot Patres, ſcriptoreſque veteres, qui Chriſtum mortuum confirmant VIII. Calend. Apriles; idemque audiri velis Joſephum, & nummo iſti tantopere tribui. At enim contra eos Patres vere pugnant aſtronomicæ tabulæ; non pugnant contra Joſephum, inſcriptionemque illam. Diſtinguo non pugnant proxime, ac directe; concedo. Non pugnant remote, & ratiocinatione a nobis ſupra exhibita; nego.

Ad ſecundum, diſtinguo majorem propoſitionem: Sic tamen, ut æquinoctium illud apparens multum diſtaret ab aſtronomico, & civili; & alterum quidem præverteret quatuor ipſis diebus, alterum vero ſeptem, vel octo; damus hoc facile. Sic, ut æquinoctium illud apparens ab aſtronomico, & civili parum diſtaret; negamus. Propoſitio minor, & concluſio prorſus negantur. Tum enim a priori, tum a poſteriori, ſatis illud non fuit. Satis non fuit, a priori quidem, quia ab æquinoctio aſtronomico, & civili tam longe aberat: a poſteriori autem; quia ſi ſatis illud fuiſſet, idem ſæpe factum fuiſſet. Paſcha celebraſſent; immo & alios feſtos dies agitaſſent, plerunque ante tempus preſcriptum. Contrarium autem luculenter demonſtrat Ricciolius Chronol. reform. lib. 1. cap. 12. lib. 7. c. 10. & lib. 8. itidem cap. 10. Judæos nimirum, *quo ſecuriores eſſent de quartadecima luna non ante æquinoctium vernum computanda*, conſultius duxiſſe, aphaſi potius lunas æſtimare, vel in cyclo ita neomenias diſponere, ut nunquam, aut rariſſime plenilunium in diem ipſum æquinoctii caderet; ſed *ſemper, aut fere ſemper poſt æquinoctium*. Atque eſt apud eundem Ricciolium lib. 1. citato cap. 12. n. 5. ea Ariſtobuli ſententia. *In die Paſchæ celebrando non ſolum obſervandum Judæis fuit, ut ſol æquinoctium tranſcendat, verum & Luna (utpote quæ a diametro oppoſita) autumnale obtineat*. Quare ſi æquinoctium vernum vel unico die ſerius, nempe in lunam decimam ſextam incidiſſet; menſem integrum, ſeu *Ve-Adar*; hoc eſt ſecundum *Adar* intercalari oportuiſſet. Quæ ipſa Ricciolius idem magis etiam confirmat, quod ibidem oſtendit, *Judæos in celebrando Paſchate obſervaſſe vernum æquinoctium civile; idque intra diem* 23. 24. *vel* 25. *Martii fixum fuiſſe*.

Ad eam ratiocinationem aſtronomicam, ac vere aeream, & quod eorum, qui illa utuntur, pace dixerim levem, aliam repono, quæ mihi videtur ſolidior, ac firmior. Neomenia, ſeu novilunium, quod nos anno æræ vulg. 29. initium primi menſis lunaris apud Hebræos fuiſſe negamus, contigit quarta die Martii, hora tertia matutina, cum minutis quinquaginta duobus. Conſpicua eſſe non potuit luna, niſi poſtera die ſub noctem, tunc a Sole remota gradibus circiter ſeptemdecim. Ita quartadecima dies lunaris menſis incidit in decimam octavam diem Martii. Hoc autem anno æquinoctium vernum Jeroſolymis cecidit in diem Martii vigeſimam ſecundam hora quarta pomeridiana. Quare decimaquarta dies menſis lunaris diebus quatuor, & aliquanto amplius æquinoctium vernum anteceſſit. Non potuit igitur menſis ille primus, & Paſchalis haberi. At enim quartadecima dies potuit non anteceſſiſſe æquinoctium videri, propter refractiones, ex quibus dies nocti æqualis jam erat; nec refractiones Antiquis cognitæ erant. Primum, de his refractionibus multa hic ad arbitrium. Deinde refractiones non erant ita ignotæ, ut verum æquinoctium neſcirent ſapientes. Unde enim æquinoctium civile conſtitutum, niſi ex certa notitia æquinoctii aſtronomici? Præterea, eſto, refractiones res eſſent incognita; non erant res nova, aut ſingularis, ejuſque tantummodo anni. Quorſum igitur anno illo 29. tam præfeſtine Paſcha? Num, ſimiliter ut vobis, cordi erat Judæis dies Martii decimus octavus? O licentiam jocularem, ne falſa ſit ſententia de die 18. Martii; æquinoctio verno, dumtaxat apparenti ex refractionibus, eo anno contentos fuiſſe Judæos! At aliis etiam deinceps annis æquinoctium quandoque non expectarunt. Fortaſſe id verum ſit, eos interdum non expectaſſe æquinoctium, præſertim civile, exciſa Jeroſolyma, ac re omni ſacra, & publica penitus collapſa: ſecus vero Chriſti temporibus. Adi Ricciolium Chronolog. reform. lib. 8. cap. 10. n. 5.

Ad

Digitized by Google

Ad primum ex iis duobus, quibus probatur propoſitio minor, dicendum, potuiſſe Hebræos æquinoctium aſtronomicum ſaltem medium facile cognoſcere. Nonne apud ipſos traditiones majorum, ſynedria, obſervationes, annotationes, ephemerides quoque motuum aſtronomicorum ex finitimis gentibus? Legatur Petavius de doctrina tempor. lib. 2. a cap. 24. Illud eſt fere certum, eos, ut erant ſuorum rituum retinentiſſimi, in ſolemni præſertim omnium maximo, & totius anni ſacri capite, æquinoctium civile ſervaſſe, quod intra diem 23. & 25. Martii, quemadmodum ximus, fixum erat.

Ad alterum, quod minori illi propoſitioni probandæ ſubjungitur, dicendum primo, exemplum illud Kalendarii Gregoriani favere diei 25. Martii anni vulg. 29. quem diem præcedente Propoſitione defendimus. Nam ſi Kalendarium tanta cura, & ſtudio ab aſtronomis præſtantiſſimis emendatum, tamen, labentibus annis, a vero æquinoctio tot diebus aberraret; quidni Hebræorum cyclus a vero plenilunio? Vel igitur ad rem præſentem valet exemplum illud; vel non valet. Si valet; retinendus eſt dies 25. anni æræ vulg. 29. nobis traditus a Patribus. Si non valet; male defenditur dies ejus menſis, atque anni decimus octavus.

Dicendum vero deinde, exemplum illud minime valere; immo ad rem præſentem non facere. Illud enim tantummodo de Judæis proxime contendebam; eos facile cognoſcere potuiſſe æquinoctium aſtronomicum medium; ſervaſſe autem æquinoctium civile. Quo certe comparandi non ſunt cum Kalendarii emendatoribus, viris in eo genere ſummis. Nec idem profecto exigitur. Nam Kalendarium, quod ſolum poſt aliquot annorum millia a vero æquinoctio deerret; Kalendarium eſt valde exactum, atque perfectum. Poſſet hæc IX. Propoſitio illuſtrari, ac propugnari pluribus. Quod vobis de more faciendum relinquo. Multa, & gravia repenetis non ſolum apud eos, qui Æram vulgarem, ſed etiam qui confines ſententias tum de Chriſti ortu, tum de morte defendunt.

Legendi præcipue ex paulo antiquioribus Paulus Middelburgenſis, Petrus de Alliaco, Alexander Sculterus &c. Ex his, qui deinceps, Bellarminus, Azorius, Salianus, Labbæus, Brietius, Ricciolius, Schwartius &c.

PROPOSITIO X.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Luc. I. 26. *Et venit Nazareth, ubi erat nutritus.* Luc. IV. 16 *Quoniam titulorum omnium, ac decorum, quibus a Deo ornata eſt Virgo Maria, illud eſt primum, origo, & fons cæterorum, quod genitricem, matremque ſuam eam eſſe verè, & propriè voluerit: erit pietatis ac religionis erga illam noſtræ, loco ipſi, in quo id factum eſt, tuendo, vindicandoque ab intemperatioribus, ac pervicacioribus Criticis, aliquid ſtudii, atque operæ impendere. Dico igitur, Traditione, plus etiam quam moraliter, certa conſtare, Almam Domum Lauretanam eandem eſſe, ac Domum Nazarenam, in qua Virgo ab Angelo ſalutata, ac Verbum caro factum eſt, & habitavit.*

Traditionem hanc voco, quia ea omnia, quæ rei hujus fidem faciunt, e traditionis genere ſunt, vel ad traditionem pertinent, aut referuntur.

Digitized by Google

Affirmo, eam eſſe plus etiam quam moraliter certam, quia illa omnia ſimul ſumpta certitudinem faciunt, moralem quidem, ſed ſuperioris & gradus, & ordinis. Quod ſic oſtendo. Illud efficit certitudinem moralem ſuperioris gradus, quod rem efficit adeo certam, ut de illa dubitare, non qualiſcunque imprudentiæ, ſed imprudentiæ graviſſimæ, ac propemodum ſtultitiæ ſit. Et pariter, illud efficit certitudinem moralem ſuperioris ordinis, quod rem certam eo modo, eoque in genere efficit, ut eam negare temerarium ſit; vel alia ſimili nota, cenſurave non tantum philoſophica, ſed etiam theologica dignum. Porro ea omnia, quibus traditio hæc continetur, aut roboratur, ſumpta univerſe, præſtant hæc duo: efficiunt igitur certitudinem moralem ſuperioris, & gradus, & ordinis. Probatur aſſumptio, quod ad utramque partem. Hæc enim rei hujus ſunt argumenta. Primum eſt traditio ipſa proprie talis; hoc eſt, a parentibus in filios tranſmiſſa facti hujus notitia; perſuaſioque firmiſſima, & conſtantiſſima, non ſolum Picentium, ſed etiam Dalmatarum; qui quod memorant, cum ſit ipſis adeo acerbum, & luctuoſum, fictum eſſe non poteſt. Secundum eſt conſenſio omnium gentium, quæ eadem religione, ac fide, qua in Palæſtinam ad Chriſti ſepulchrum, ac Præſepe; ad ſacroſanctam hanc ædem, magno, nec poſt ipſa quatuor ſæcula, & eo amplius, imminuto concurſu, undique accedunt. Nec ſolum homines rudes, ac ſimplices, quibus facile imponitur; ſed etiam maxime culti, & judicio, literis, dignitate, ſanctitate præſtantes. Adde Scriptorum Catholicorum conſenſum, ex quibus cum de hac re loquantur pene innumeri, vix unum, aut alterum invenias, qui neget. Tertium, monumenta vetuſtiſſima omnis generis, hiſtoriæ, picturæ, cælaturæ, inſcriptiones, quæ accurate collecta reperies apud Turſelllnum, Martorellum, & alios plures infra numerandos. Huc pertinent S. Ludovici Galliarum Regis effigies, & alia quædam in interioribus Almæ Domus parietibus, cum adhuc Nazarethi eſſet, depicta; quæ ibi nunc quoque viſuntur. Sacra ædes Terſactenſis ad hujus ſimilitudinem, & in eo ipſo loco, quo ſteterat hæc, paulo poſt excitata. Marmor, quod adhuc Terſacti extat, eodem tempore inſcriptum grandibus notis hæc ipſa teſtantibus. Quodque ab aliis omiſſum video, celeberrima imago Deiparæ ſexaginta poſt annos ab Urbano V. miſſa Terſactum non alio nomine, quam ut eorum populorum deſiderium, mœroremque ſummum aliqua ex parte leniret. Quartum argumentum, fides publica, ſive authenticæ tabulæ, & inſtrumenta Terſactenſia, ac Fluminenſia prius, deinde Recinitenſia: in quibus tempus, & aliæ circumſtantiæ, ac tota rei geſtæ ſeries accurate notatur. Referuntur præterea repetitæ legationes in Galilæam; viſa Nazarethi recentia ſacræ Domus avulſæ veſtigia; recognita latitudo, longitudo, murorumque craſſities. Aſportati etiam ex iis fundamentis lapides, & cum Lauretanæ Domus lapidibus collati. Inventum, omnia prorſus, convenire, & congruere. Quintum rei veritas oſtenſa divinitus revelationibus, & miraculis; quæ videre, & expendere poteris apud Turſellinum, & Martorellum ſupra laudatos. Sextum denique Eccleſiæ auctoritas; primum propter Pontificia diplomata, Conſtitutiones, Bullas, præſertim Gregorii XI. Urbani VI. Martini V. Nicolai V. Pauli II. Innocentii VIII. Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Pii IV. Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. Innocentii XII. Qui omnes diſerte ſignificant, habere ſe Lauretanam Domum pro illa ipſa, in qua Verbum caro factum eſt, conceptus, atque enutritus eſt Chriſtus Jeſus. Deinde, quia Translationis hujus memoria inſerta eſt in Martyrologium Romanum, & quidem his verbis: *In Piceno Tranſlatio ſacræ Domus Dei Genitricis Mariæ, in qua Verbum caro factum eſt*. Eademque Translatio quotannis proprio feſto, & Officio celebratur. Quibus expoſitis, ita concludo. Unumquodque ex his argumentis ejuſmodi eſt, ut, qui illud recte conſideret, de rei hujus veritate dubitare prudenter non poſſit. Erit igitur ex his univerſis res ita certa, & explorata, ut de illa dubitare imprudentiſſi-

mum

Digitized by Google

mum ſit, ac propemodum ſtultum. Confirmatur id ex regulis Criticæ etiam ſeverioris, quas ex Carolo Leshio, & aliis refert Honoratus a S. Maria Animadverſ. ſuarum tom. 1. differt. 3. a. 1. Tunc, ſeveriorum etiam Criticorum judicio, de facto aliquo hiſtorico, quantumvis mirabili, nullus eſt dubitandi locus, quando concurrant hæc quatuor. I. *Res ſit in aperto poſita, ſenſibus patens, de qua aures, & oculi ipſi judicare poſſint*. II. *Publica item ſit, atque in orbis totius conſpectum venerit*. III. *Extent ejus rei monumenta publica, & cæremoniæ*, aut ſimilia quædam, pro diverſa rei natura *ad poſteritatis memoriam inſtituta ſint*. IV. *Hæc monumenta, hæ cæremoniæ, hæc alia jam inde, cum res accidit, exordium duxerint*. Atqui ſex argumentis ſupra propoſitis comprehenduntur hæc omnia, & alia etiam plura majoris ponderis. Ergo ex ſeverioris etiam Criticæ regulis eſt plane inſipientis, ac ſtulti de re hac dubitare. Hæc de prima aſſumpti parte. Conficio alteram: & primum ſic ſtatuo, eſſe auctoritatem Eccleſiæ, ex Spiritu Sancto, qui ei ſpecialiter adeſt, altioris generis, ſive ordinis. Deinde ita concludo. Repugnare ſine graviſſima cauſa, ſive momento vel auctoritatis, vel rationis, quo, ut mox videbimus, adverſarii carent; repugnare, inquam, tot gentium & Scriptorum perſuaſioni, & conſenſui; tot publicis, & authenticis tabulis; tot vetuſtiſſimis monumentis, temeritatis eſſet, ut minimum philoſophicæ, ſive ordinis inferioris. Ergo repugnare præterea tot, & tam claris Eccleſiæ ſignificationibus, ac decretis, temeritatis erit etiam theologicæ, atque ordinis ſuperioris. Confirmatur: nam ea omnia, quæ dicta ſunt in ſexto argumento, ſunt tacita quædam approbatio illorum, quæ dicta ſunt in reliquis quinque; quandoquidem illis nituntur. Immo ſunt aliquæ Bullæ Pontificum, quæ illa expreſſe approbant, & *fide digna* pronuntiant. Ex hac vero Eccleſiæ approbatione, ipſius etiam auctoritatem participant, & ad altiorem ordinem elevantur. Si igitur ab illis diſſentire vel ſolis, vel nude ſumptis, temerarium, intolerabile, pervicax, aut aliquid ſimile eſſet in genere ſaltem ethico; qui ab iiſdem diſſentiat, ut ſic elevatis, & communitis, in eaſdem notas incurret etiam theologice. Confirmatur iterum eo, quod ad rem aliam recte adnotat Raynaudus tom. 18. de Martyrio per peſtem par. 3. cap. 3. §. 1. *Eccleſia*, inquit, *cum ſit* columna, & firmamentum veritatis, *ejus non ſolum pronunciata, & ſcita; ſed qualiſcunque ſignificatio Eccleſiaſtici pro aliquo placito ſuffragii, omnibus aliis creatis ſuffragationibus longe eſt anteponenda*. Et §. 4. *Eccleſiaſticæ tabulæ, eo ipſo quod Eccleſiaſticæ ſunt, hoc eſt communiter in Eccleſia uſurpatæ, atque receptæ, ipſa Eccleſiæ auctoritate, quæ homini catholico ſumma eſt, perfunduntur*. Loquitur ibi de Martyrologio: atque eadem doctrina Theologi alii, qui de libris cæteris Eccleſiaſticis agunt, *temerarium* eſſe docent, *aliquid, quod in Romano vel Breviario, vel Miſſali, vel Martyrologio legitur, oppugnare, aut negare* ſine graviſſima cauſa; quam cauſam in re præſertim, quæ peculiari examine ab Eccleſia recognita, & approbata fuerit, eſſe omnino non poſſe, dicunt moraliter certum. Vide Franciſcum Dinum in Vindiciis Martyrol. & Breviar. Bordonum in ſacro Tribunali cap. 2. n. 50. Sauſſay in Panoplia Clericali lib. 2. cap. 4. & alios, quos citat Emanuel Souſa in Syntagmate de graviſſima auctor. Breviarii Romani. Illud concludo: ſi uni cuipiam ex libris Eccleſiaſticis repugnare eſt temerarium; quid omnibus ſimul, ut in re noſtra? Tandem ſententiam meam mirum in modum confirmat novæ Facultatis auctor, & illuſtrator Proſper Lambertinus, nunc Benedictus XIV. feliciter regnans: confirmat autem iis omnibus quæ lib. 1. de Serv. Dei Beatif. & Canoniz. cap. 41. & 42. doctiſſime & eruditiſſime diſſerit *de Canonizatione æquipollenti*, quam poſitam docet in *conceſſione Miſſæ, & Officii*. Quamvis enim non aſſentiat iis, qui hac in re Pontifici errorem tribuere, graviori cenſura dignum exiſtimant; habet tamen pro certo, id eſſe ſaltem temerarium. *Sed & certum eſt*, ait cap. 42. n. 9. *a nota temeritatis immunem eum non eſſe futurum, qui ipſum erraſſe contenderet in hoc*

aut illo caſu. Faciunt huc etiam quæ ſcripſit Joannes Baptiſta Ricciolus in tractatu, quem Clementi IX. dicavit eo titulo, *Immunitas ab errore tam ſpeculativo, quam practico S. Sedis Apoſtolicæ... in Eccleſiaſticorum feſtorum inſtitutione*. Animadvertendum vero, Feſtum ab Eccleſia inſtitutum non eſſe utcunque de Virgine Lauretana; ſed de Translatione Almæ Domus; atque hoc eſſe, quod Sacro, & Officio recolitur. Ut ſi hæc Translatio vera non ſit, erarit Innocentius XII. qui eam *in tota Piceni Provincia Miſſa, & Officio proprio celebrari præcepit*. (VI. Lect. Offic.) ac ſubinde errarint Clemens XI. qui Illyrico, & Hetruriæ idem conceſſit; & Benedictus XIII. qui id non ſolum extra Italiam, ſed etiam extra Europam extendit.

Objicies: Traditio hæc valide quidem & probatur, & defenditur; verumtamen non quantum neceſſe eſt, ut eam certitudinem obtineat, quam contendimus: ergo &c. Oſtenditur primum; hoc eſt, etſi valide, non ſatis tamen probari. Nam inter tot argumenta deſunt Auctores ſynchroni, & Teſtes idonei. Utrumque hoc autem in Facto hiſtorico adeo admirabili non modo ſeverior Critica, ſed juſta, & æqua videtur exigere. Oſtenditur alterum, hoc eſt, non ſatis defendi. Nam licet Almæ Domus defenſores, quos infra memorabimus, cætera adverſariorum argumenta penitus profligarint; tamen ad S. Antonini ſilentium, quod nobis opponitur, nondum ita reſponſum videtur, ut nobis prorſus quietis, & ab omni prudenti dubitatione, & formidine liberis eſſe liceat.

Reſpondeo, ambo hæc eſſe falſa. Et primo quidem falſum eſt, quod contendimus, non ſatis probari. Nego, deeſſe auctores ſynchronos. Ejuſdem temporis eſt Itinerarium Alexandri Parochi Terſacticenſis, ac deinde Madruſienſis Epiſcopi, quod incipit ab ipſo anno 1291. quo ſacra Domus Angelorum miniſterio advecta eſt in Illyricum. Ejuſdem temporis eſt hiſtoria Pauli de Sylva, viri ſancti ad Carolum II. Regem Neapolis ſcripta anno 1300. Item acta publica confecta Terſacti, ac recognita, & obſignata Flumine. Acta etiam Recinitenſia auctoritate pariter publica condita, & confirmata. Legenda ex utriſque his actis deprompta; & expreſſa anno ab ejuſdem Domus Ttranslatione in Picenum decimo; quam deinde Venerabilis Petrus Recinitenſis, & Maceratenſis Epiſcopus authenticam fecit anno ab ea Translatione undeviceſimo. Nego ſimiliter, deeſſe teſtes idoneos. Teſtes oculatos habemus, primum Alexandrum, & Paulum proxime nominatos. Deinde quatuor viros ſpectatæ fidei legatos in Galilæam a Nicolao Frangipanio; qui jurati teſtimonium dicunt in Actis Terſactenſibus. Deinde alios ſex viros nobiles Recinitenſes ab ea Civitate pariter miſſos in Galilæam. Accedunt alii eodem allegati a Clemente VII. Sunt etiam, qui teſtati ſint, ſe vidiſſe, aut audiſſe, qui viderint, Almam Domum per aerem ferri, & locum mutare. Quorum teſtimonia, & nomina extant in vetuſtiſſimis membranis, quæ aſſervantur Laureti.

Dices, nihil iſtorum typis vulgatum fuiſſe. Quid mirum? Nondum erat Ars typographica. Inventa fuit anno 1440. vel ut malunt alii, anno 1452. Porro anno 1440. de traslatione Domus Nazarenæ in Illyricum, & in Italiam mentionem fecit Flavius Blondus in hiſtoria Romana, quæ typis vulgata: uti etiam typis vulgata ſumma Teremani deſcriptio Baptiſtæ Mantuani, hiſtoria Angelitæ, & quæ eadem de re alii plures deinceps inde ſcripſerunt.

Inſtabis, quæ diximus, Acta non extant. Negatur. Extant Terſacti in Archivio S. Mariæ; extant in aliis Illyrici tabulariis. Diverſis tamen nominibus. Vocantur enim Annales Fluminenſes, Annales Frangipanici, Hiſtoria Terſactana, Memoriæ Medvidienſes; quia Medvidium belli tempore aſportata fuerunt. Cæterum etiamſi probari non poſſet, ea nunc extare, omnino certum eſt, extitiſſe; cum eorum ſemper meminerint, quicunque ab initio rem hanc attigerunt: ac Leonis X. juſſu, qui ea per ſe ipſum videre voluit, Romam delata fuiſſe conſtet: ac viſa etiam Clementi VII. qui, ne illorum, quæ ibi traduntur, memoria interiret; ea cælari in

ri in marmore juſſit, quo ſacram ædem conveſtiit. Adde his hiſtorias celebres ex ipſis plane tranſumptas, cujuſmodi ſunt legenda ſupra nominata; hiſtoria Terſactana Franciſci Glavenichii ex Ordine S. Franciſci, & aliæ plures. Novam de his conjecturam profero ex ſilentio impii Vergeri; qui cum Terſactenſis Epiſcopus antea fuiſſet; atque hæc acta videret cauſæ ſuæ maxime officere, nec poſſe rejici, conſultius habuit in oppugnatione Lauretanæ Domus de illis omnino ſilere.

Reſpondeo ad ſecundum, quod eſt de ſilentio S. Antonini. Primo argumentum negans, ubi præſto ſint e contrario argumenta affirmantia tam multa, & tam luculenta, nihil prorſus valere. Deinde nec qualemcunque vim, & rationem argumenti inficialis ineſſe ſilentio illi; niſi conſtent hæc ſaltem tria: debuiſſe ſcilicet Antoninum de hac re ſcribere, potuiſſe, nec tamen ullo modo feciſſe. Quid enim ſi faciendum ſibi eſſe non cenſuit, ut rem memoriæ mandaret, quæ celebrata jam erat omnium ſermone, ſcriptiſque multorum? Quid ſi ſeorſim, & copioſius hoc facere peculiari tractatione parabat; & quod in animo habuit, mortalitate interceptus, aut aliam ob cauſam effectum dare non potuit? Quid tandem, ſi hiſtoriali ſummæ factum hoc etiam intexuit, aut ſeorſim tractavit; & locum illum, aut librum caſus, vel fraus aliqua nobis invidit? Siquidem, ipſo longe ante vita functo, ejus ſcripta ſunt edita: nec fortaſſe ſunt aliis etiam de rebus edita omnia; Hæc communia; do aliud, quod mihi videtur vero ſimilius. Ut enim ſupra notavimus, uſus typorum iis temporibus nondum repertus. Paulo ante S. Antonini mortem cognoſci cœpit. Quare de Nazarena domo in Illyricum, & Picenum tranſlata divinitus, quæ documenta erant graviora, & clariora videre non potuit; quippe quæ apud Dalmatas, & Picentes tunc fortaſſe ſolos extabant. Rem tantam, ſingularem, inauditam, quæ ſibi ad liquidum explorata non eſſet, ac de qua forte ſubdubitabat, vel certe ſciebat addubitare eo tempore multos, mandare literis noluit. Adhuc aliquid expectabat, quo de illa ferret judicium certius, & ſcriberet pro dignitate. Idem ferme reſpondere adverſariis poteris de ſilentio Dantis, Petrarchæ, & aliorum, qui cum S. Antonino longe antiquiores fuerint, mirum non eſſet, ſi rem hanc plane negaſſent; nedum nobis negotium faceſſat, quod reticuerint. Inſtabis ultimo breviſſime: Quantumvis attollas certitudinem hanc, non eſſe hujus rei fidem pluſquam humanam. Reſpondeo, eſſe fidem rei hujus humanam quidem duntaxat; ſed ordinis ſuperioris: nempe non mere civilem, ſed Eccleſiaſticam. Scholaſtice: eſſe fidem, cujus objectum formale motivum ſit aut eſſe poſſit locutio, ſeu ſignificatio Eccleſiæ, ipſiuſque Eccleſiæ auctoritas: ut edi poſſit hic actus, ſeu mentis aſſenſio: Credo id, quia multis modis ſignificatum eſt ab Eccleſia. Ac diſſentire ab hoc, ſine novo aliquo documento graviſſimo, (quod adeſſe, eſt moraliter impoſſibile, & fortaſſe etiam phyſice, ac metaphyſice, ut ſequenti Propoſ. dicemus) theologicæ temeritatis culpa non vacet.

Quæres, quid ſit, quod moralem certitudinem hic ſemper dixerim; nunquam vero moralem evidentiam. Diſtinguuntur ne iſta? Sententia mea, diſtinguuntur: & ſi quid eſt, de quo prudenter dubitari non poſſit, propter argumenta ducta ab auctoritate, id voco moraliter certum. Si quid vero eſt, de quo prudenter dubitari non poſſit, propter argumenta ducta a ratione; id voco moraliter evidens. Jam vero cætera, quæ adverſarii nobis opponunt, ſunt multo etiam leviora; tricæ, cavilli, næniæ, nugæ ſunt potius, quam argumenta. Et quæ utcumque ſunt jam penitus depulſa, ut diximus, obtritaque ſunt. Ex innumeris, qui pro Lauretana Domo ſcripſerunt, vobis

Legendi præcipue Caniſius lib. 5. de Virg. Deipara cap. 25. Franciſcus Turrianus Apolog. cont. Vergerium, Benzonus de An. Jubilæi lib. 6. c. 9. Gretſerus de ſacris Peregrin. lib. 2. cap. 3. Quareſmius in Elucida. Terræ S. tom. 2. Mannus in celebr. orbis terræ mirac. Spondanus, & Rainaldus in Annal. an. 1291.

Digitized by Google

1291. Roeſtius, & Turſellinus hiſtor. Lauret. Henſchenius, & Papebrochius in Act. Sanct. tom. 3. 25. Martii §. 4. pag. 539. Centoflorenus in clypeo Lauret. Rainaudus in Antemurali cont. fort. ingenia Tom. 8. Waltier in Lexico Bail correcto, Renzolius in defenſ. Lauret. Domus, Honoratus a S. Maria Animadverſ. Crit. lib. 3. diſſert. 1. art. 2. Martorellus in Theatro Lauret. qui alios plures recenſet tom. 1. a pagina 545. uſque ad 591.

PROPOSITIO XI.

Ipſa conteret caput tuum. Gen. III. 15. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Prov. VIII. 22. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Cant. IV. 7. *Ave gratia plena... fecit mihi magna qui potens eſt*. Luc. I. 28. 49. *His, & aliis pluribus eodem ſpectantibus Scripturæ locis, ex mente ac ſenſu Eccleſiæ exponendis, defendimus hæc tria. Primum, quod Virgo Deipara ſine ulla peccati macula concepta fuerit; ſive ut eſt in Bulla Alexandri VII. quod anima B. Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione, Spiritus ſancti gratia donata, & a peccato originali præſervata fuerit; myſterium eſſe, quod ab Eccleſia definiri, & inter catholica dogmata referri proximè poſſit. Secundum, etiamſi myſterium hoc non definiatur, ei tamen tuendo honeſtum, & laudabile eſſe, ſanguinem ac vitam ipſam impendere; & ad defenſionem ejuſmodi jusjurandi etiam, & voti religioni ſe obſtringere. Tertium, quod eſt merè ſcholaſticum, & probabilitatis fines non ſupergreditur; ita immunem ab originis labe fuiſſe Deiparam, ut neque obnoxia illi proximè fuerit: ſingulari nempe Dei beneficio, ac Redemptoris gratia, exemptam fuiſſe non ſolum a culpa, ſed etiam, ut ajunt, a debito; ſive ab ea lege, vel pacto, quo primi Parentis delictum ad unumquemque ex ipſius poſteris manat, ac pertinet.*

PRobatur prima pars Propoſitionis. Ideo Eccleſia non poſſet proxime myſterium hoc definire; vel quia de illo nulla eſt ſive ſcripta, ſive tradita Dei revelatio; vel quia hæc revelatio non eſt ſatis adhuc comperta; vel quia hæc definitio non eſt opportuna. Nihil vero ex tribus his dici poteſt: poteſt igitur proxime Eccleſia myſterium hoc definire. Præſumptio, ſeu major hujus ſyllogiſmi propoſitio ab adverſariis conceditur: ſiquidem ad tria illa revocantur, quæ in hac prima aſſertionis parte nobis objiciunt. Probatur minor: & primo quidem, non deeſſe divinam revelationem, qua Fides noſtra nitatur. Nam revelatio ſcripta eſt in iis omnibus Scripturæ locis, quos initio dedi, & aliis pluribus, quos notant Scriptores ſub finem allegandi de more; præſertim vero Velaſquez de Immaculata B. V. conceptione, & Nierimbergius de omnimoda puritate Matris Dei. A quibus etiam Sanctorum Patrum, ſacrorum Interpretum,

Digitized by Google

tum, & quod majus eſt Eccleſiæ explicationem accipies omnino in noſtram ſententiam. Idem dicendum de revelatione tradita, quam iidem Scriptores repetunt ab Apoſtolis, ac nominatim a S. Andrea in ejus actis extat, & pro qua citant plurimos Patres præſertim vero Origenem, Chryſoſtomum, Amphilochium, Hieronymum, Auguſtinum, Proclum Conſtantinopolitanum, Fauſtum, Regienſem, Fulgentium, Ildephonſum, Andream Cretenſem, Joannem Damaſcenum, Paſchaſium Ratbertum, Idiotam, Fulbertum, Petrum Damiani, Anſelmum Cantuarienſem, Laurentium Juſtinianum. Item locum illuſtrem VII. Synodi Act. III. ex Epiſt. Synodica Theodori Patriarchæ Hieroſolym. Præterea Patres Baſileenſes, & Tridentinos tum ex verbis, tum ex actis utriuſque Concilii. De quibus omnibus præſertim Lancitius tom. 2. opuſc. 11. cap. 13. Nierimbergius ſupra laudatus in Exceptis Concilii Tridentini, Faſſarus in Trutina theologica, Salazar in defenſione Concept. Immacul. & alii, quos referam loco ſuo.

Deinde vero probatur quod in ea minori propoſitione erat ſecundum, revelationem ſatis eſſe compertam, immo etiam plus lucis habere, quam quantum neceſſe ſit, ut definiri res hæc proxime poſſit. Probatur autem ex miraculis certis, & evidentibus; ex privatis revelationibus, præſertim S. Birgittæ a Turrecremata, Catherino, & aliis ex Dominicana Familia approbatis; ex conſenſu Doctorum, & Academiarum; ex multis, & luculentis Eccleſiæ ſignificationibus, ſcitis, pronuntiatis, ac præcipue ex Bullis Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. Clementis XI. Quæ omnia, niſi legere vacet, aut liceat Thomam Strozzi, qui ea duplici volumine expoſuit, paucis comprehenſa reperies etiam apud Platelium par. 2. cap. 4. Hæc vero vel cenſenda ſunt, nova quædam revelatio, locutio, teſtificatio Dei, ut multis, & valde gravibus theologis placet; vel revelationem ſcripto, aut ſaltem voce primitus factam, & ad nos per Patres tranſmiſſam ſupra nominatos maxime illuſtrant. His accedit, quod Suarez, Vaſquez, Valentia, & plures alii notant; cum Eccleſiæ, & ſummo Pontifici interiori lumine ſpecialiter adſit Spiritus Sanctus; opus non eſſe, ut eorum quæ definiunt, ac nobis credenda proponunt, revelatio, vel per ſe, vel ex adjunctis, ac ſuperadditis, etiam extrinſecus, ſit ipſis plane comperta. Poſtulat quidem hoc Fides divina, ut rei, quæ creditur, revelationem exiſtere ſit nobis moraliter certum; de quo vide Propoſitionem 21. confixam ab Innocentio XI. Neceſſe vero non eſt, ut ſit id nobis moraliter certum ante definitionem, ac propoſitionem Eccleſiæ.

Probatur quod tertium, & ultimum erat de opportunitate. Nam certe hæc definitio importuna non eſſet, quia præfeſtine, & immature facta. Hæc enim ab Alexandro VII. in celebri Bulla, *Sollicitudo omnium Eccleſiarum &c.* jam ſunt declarata, ac definita. Primum eſt, id, quod ab Eccleſia celebratur, ac de quo feſtum agitur; ſive, objectum, ut ajunt, religioſi cultus, quem B. Virgini exhibet Eccleſia, non eſſe, quod concepta fuerit; neque quod ſtatim, aut paulo poſt ſanctificata, ſive expiata ab originali peccato; ſed quod *præſervata* fuerit, ſive ab eo fuerit prorſus immunis. Uno verbo; non expiationem, ſed immunitatem coli Deiparæ. Secundum eſt; id ipſum quod celebratur modo, celebratum fuiſſe antea, etiam tempore Sixti IV. *cultu nunquam immutato*. Tertium; Eccleſiam eſſe pro pia ſententia; Illam *Academias*; illam *fere omnes Catholicos amplexos fuiſſe* Alexandri VII. tempore. Nec ſolius hujus Pontificis Bullam ſed ſuperiorum etiam Pontificum piæ ſententiæ favere; nec tolerare, ut impugnetur, aut *directe*, *vel indirecte revocetur in dubium*. Hæc tria cum veritate myſterii ſunt ita connexa, ut Pontificio oraculo jam tunc definiri potuerit; nedum poſt annos centum ex illis præmiſſis, quæ hanc efficiunt plus quam moraliter certam; factum videri poſſit ante tempus. Sed neque eſt inopportunum aliis de cauſis; ut propter diſſidia, turbas, ac cætera incommoda, quæ ſecutura, adverſarii utrum minitentur, an ſolum prædicant, ignoro. Illud eſt certum; opportunitatem, quam iſti requi-

runt, optandam quidem, ſed non omnino expectandam. Nam cæteroquin vix eſſet aliquid de quo Pontificia ulla id generis ſanctio, ſupremumque Eccleſiæ judicium exiſtere vel potuiſſet antea unquam, vel poſſet in poſterum. Illud addo, & contendo, quibus de cauſis Adverſarii volunt, ultimam hanc Eccleſiæ ſententiam non expedire; iiſdem probari perneceſſariam. Hoc eſt, inquiunt, auctoritatem Pontificis in diſcrimen adducere. Immo aliter coerceri non poſſe videntur, qui recentis ſcriptoris exemplo labefactare, & convellere pergant, quæ conſtituta ſunt, ſive ab Alexandro VII. quando declaravit objectum, ut diximus, Eccleſiaſtici cultus; ſive a Clemente XI. quando Conceptionis feſtum, ſeu cultum illum præcepit, & amplificavit. Periclitabitur, inquiunt, Eccleſiæ unitas; aut certe pax. Immo Eccleſiæ unitati, & paci nunquam videtur fore certius, ſtabiliuſque conſultum. Documento eſt recens hic ipſe Scriptor, contentiones, lites, diſſidia, non poſſe, niſi hoc ſupremo Eccleſiæ actu finiri.

Hæc pro prima aſſertionis noſtræ parte eo argumentationis genere, quod dicitur a priori. Nunc eo breviſſime, nec minus valide, quod a poſteriori. Multa enim, non ita pridem Eccleſiæ decreto, & præſcripto inter catholica dogmata numerari, ac Fide divina credi cęperunt; quæ ſive a verbo Dei ſcripto, & tradito; ſive ab iis omnibus, quæ verbi Dei vel ſupplementa quædam, vel argumenta eſſe diximus; plus nihil habebant; quam Conceptio innoxia Deiparæ, quo poſſet de illis Eccleſia ultimo pronunciare, & decidere. Quot ſacri libri a Concilio Tridentino in canonem relati ſunt, quorum divinitas in dubium vocata fuit, atque adeo aperte negata a pluribus Patribus, & Eccleſiæ doctoribus? Sanctorum Animas in cœlum recipi, & ad apertam Dei viſionem admitti ante Benedictum XII. a quo eſt definitum, pernegabant viri doctiſſimi, & quidem aliqui etiam ex Patribus. Angelos non eſſe plane incorporeos docuerunt quamplures ex Patribus Græcis, & Latinis, ut videre eſt apud Suarez lib. 1. de Angelis cap. 6. & quod majus eſt, hanc ſententiam non reprobavit Eccleſia, quando in VII. Synodo Act. V. ab Joanne Theſſalonicenſi propoſita fuit, & Methodio, Athanaſio, Baſilio auctoribus confirmata. Contrarium tamen definitum videtur in Concilio Lateran. IV. ſub Innocentio III. Capite, *Firmiter de ſum. Trinit.* Quid multa, & longinqua? Satis eſt argumentum, quod a proximo petitur. Omni vel leviſſima culpa, quæ propria actione, & voluntate committitur, Dei matrem caruiſſe, definiri certe proxime potuit; namque id fecit re ipſa Tridentinum Seſ. VI. can. XXIII. Fecit autem, quamvis de hoc nullus eſſet Scripturæ locus expreſſus; ac valde incerta videretur traditio; repugnantibus ſcilicet, & aliquod veniale peccatum Deiparę objicientibus Irenæo lib. 3. cap. 18. nunc 16. num. 7. Tertulliano de carne Chriſti cap. 7. & lib. 4. cont. Marc. c. 19. Origene homil. 1. in Gen. & 17. in Luc. Ammonio in Evang. Joan. Cypriano ſer. de Paſſion. Domin. Athanaſio orat. 4. cont. Arrian. n. 28. Gregorio Nyſ. orat. in illud 1. Cor. XV. 28. *quando ſibi ſubjecerit omnia* Joanne Chryſoſtomo homil. 4. in Matth. 20. in Joan. & in Pſalm. 63. Beda *ſuper, Miſſus eſt &c.* Theophylacto, & Euthymio in 1. Luc. Quin igitur definiri ſimiliter poteſt, originalis etiam culpæ immunem fuiſſe Virginem: cum ſit id nihil minus in Sacra Scriptura; & ex Patribus nullus aperte inficietur; confirment vero diſerte, ut vidimus, bene multi. Nimirum eo redeundum, quod a priori dictum, ac notatum eſt ſupra: Eccleſiam in ſuis præſertim id genus judiciis, ac deciſionibus regi interiori lumine Spiritus Sancti: non vero ſemper æquali illuſtratione exteriori. Idem dicas a poſteriori de opportunitate, quæ quidem non major fuit in iis fere omnibus quæ a Conciliis, & ſummis Pontificibus omnibus retro ſæculis definita fuerunt. Ut hic etiam eo redeam quod eſt a priori. Cum incommodis quæ adverſarius exaggerat, comparanda ſunt & bona, quæ definita re ſperari poſſunt, & mala, quæ definitione omiſſa, poſſunt juſte, & prudenter timeri.

His poſitis, alteram Propoſitionis partem expedio breviter, partim communi, &

& trita pluribus, partim alia etiam via. Quod ad primam viam; multa nuper prodierunt a viris doctiſſimis pro noſtra ſententia ſcripta præclare. In quibus nihil eſt, quod deſideres: niſi quod fortaſſe aliquanto clarius diſtinguere, ac ſeparare potuerint cultum, quem Virgini ſine labe conceptæ, ex mente, ac præcepto Eccleſiæ deferimus; & veritatem ejus, quod colitur. Pro veritate myſterii hujus vitam profundere, eoque ſe jusjurando, ac voto obligare, hoc eſt, quod adverſarius nec laudabile eſſe, nec prorſus licere, arbitratur. Id ipſum autem fieri etiam tuendo, retinendoque cultui, fortaſſe non improbet. Multo minus eum reprehendat, qui cultum hunc eſſe pium, & laudabilem, & periculo, & capite defendat ſuo; vel ita ſe defenſurum juret, ac voveat. Cum pietas, & laudabilitas hujuſce cultus aſſerta fuerit ab Alexandro VII. Cæterum nec adverſarius de his admodum diſtincte, & enucleate loquitur. Quod ſi feciſſet, non fuiſſent illi exempla quædam objecta; quæ niſi admodum contorqueantur, rem non videntur ipſam ſatis attingere. Hujus modi eſt illud de paupere ab inopia ſublevando. Laudabile eſt, inquiunt mendicanti ſtipem porrigere, etiamſi plane compertum tibi non ſit, ſeu ſit tantum probabile, eum re vera indigere. Item laudabile eſt, hoc te facturum, jurare, & vovere. Item laudabile, actionis hujus honeſtatem, ſi opus ſit, vita etiam aſtruere, & propugnare. Idque pariter te facturum, jusjurando, & Voto confirmare. Conceduntur hæc omnia. Sed quid proinde? Eum, qui tibi pauper videtur, talem eſſe re vera, ſimili modo aſtruere, & propugnare, non eſſet, profecto laudabile. Contra vero in re noſtra. Recte, & laudabiliter feceris, non modo ſi Virginis immaculatum Conceptum colueris; ſi cultum hunc te præſtiturum juramento & voto profeſſus fueris; ſi quidvis pati, & mortem etiam oppetere malis, quam cultum hunc & laudabilem, & pium eſſe, inficiari; ſi præterea id ipſum te facturum jures, & voveas: verum etiam laudi tibi pariter erit, ac merito ſi perpeſſus eadem fueris, ſi eaſdem religiones, obligationeſque ſuſceperis pro myſterii hujus, quod colitur, veritate. Oſtenditur hoc ultimum. Nam cætera, quamvis de illis etiam interdum minus recte ſentire videatur adverſarius, tamen clare, & aperte non oppugnat.

Oſtenditur autem ſic. Ideo hoc juramentum, & votum per ſe laudanda non eſſent, quia pia ſententia eſſet dumtaxat probabilis; nec ſupra humanæ opinionis terminos aſſurgeret: id porro eſt falſum; ſunt igitur laudanda per ſe. Major propoſitio ab adverſario negari non poteſt. Illuc enim tandem revocantur ea omnia, quæ contra nos hac ex parte diſputat. Cum enim Virgini Matri Dei, & noſtræ, cui innumerabilibus, & maxime inſignibus beneficiis devincti ſumus, omnis prorſus maculæ expertem fuiſſe; glorioſiſſimum ſit, ea ſolum ratione, quod hæc res ſit incerta, nec abſit a prudenti ſuſpicione, & formidine falſitatis; dari poſſet adverſario, honeſtum non fore, nec boni omnino melioris, præ illa vitam ipſam poſthabere, & contemnere. Adde, quod hoc Virginis decus ac titulum a nobis ita defendi, intereſt etiam Eccleſiæ, cui profecto minus honorificum eſſet, in re tanti momenti deceptam putari. Quare, modo certa ſit res, nec poſſit prudenter timeri falſitas; videri non debet imprudenter, ac temere profuſum, quantuncunque illud ſit, quod utriuſque hujus matris noſtræ honori aſſerendo fuerit impenſum: nec dici poterit hic honor Deiparæ, & Eccleſiæ, nimis care, & pluris juſto redemptus, etiamſi nobis ſanguine, ac vita ſteterit.

Supereſt igitur, ut probetur propoſitio minor. Quod planum, & facile. Nam pia ſententia certiſſima eſt. Vel enim certa eſt metaphyſice; ut volunt Card. Nidardus, Thyrſus Gonzalez, Joannes de Cardenas, & alii plures, quos recenſet, ac ſequitur Loſcada; Qui omnes exiſtimant, quæ de hujus myſterii cultu definita, ac Fidelibus omnibus præcepta ſunt ab Eccleſia cum myſterii ejuſdem falſitate nullo prorſus modo poſſe componi. Vel ſaltem certitudinem habet, moralem quidem, ſed ſuperioris & gradus, & ordinis. Quod

ea reputantibus, quæ in præcedente Propoſitione & in hac etiam pro prima parte diximus, facile apparebit. Hæc ad rem noſtram plus ſatis, qui nihil opus habemus, niſi tantum certitudine morali, quæ talis ſimpliciter ſit, & prudentem dubitationem tantummodo excludat. Sic enim non erit hujus rei veritas a genere opinabilium, quo adverſarius potiſſimum nititur. Extremum illud ſit: myſterium, cujus teſtificationi, & honori Eccleſia ſacrificio Chriſti incruento litandum cenſuit; idque faciendum toto terrarum orbe præcepit; ita verum, ac certum, & omnino ejuſmodi eſſe; ut ejuſdem teſtificationi, & honori, ſi opus ſit, nos ad necem, & ſacrificium cruentum tyranno dare, convenientiſſimum ſit. Quod ſi convenientiſſimum; jurari, quoque, & voveri, ſine controverſia poterit. Addi poteſt hic pariter argumentatio a poſteriori; ſive, ab auctoritate eorum Doctorum & Academiarum, quæ hujuſcemodi voto ſe obſtrinxere. De his Candidus Parthenotimus diſſert. 2. cap. 5.

Hactenus communi via; nunc alia. Priore illa via jusjurandum illud, & Votum laudem, ac meritum habent, quia ſunt de meliori bono obtinendo. Hac poſteriore, ſunt pariter laudi, ac merito, propterea quod ad fugam pertinent mali pejoris. Fac enim eo me eſſe adductum, ut mihi vel moriendum ſit, vel pia ſententia abneganda. Nunquid alterum dices mihi eſſe faciendum? Non poſſet id omnino eximi a culpa. Deiparæ originis maculam, Eccleſiæ in hac ipſa re errorem tribuerem; quæ quam ſunt ipſis parum decora, & honorifica; tam certo ſcio, & perſuaſiſſimum habeo, iiſdem non convenire. Simulatio, & mendacium eſſet ſaltem in hoc; & quidem eo tempore, ac rerum periſtaſi, qua Deiparæ, & Eccleſiæ honor poſtularet, ne loquerer contra mentem. Detur autem adverſario in hac defectione mea a pia ſententia, quamvis aliquid irreverentiæ adverſus Deiparam, & Eccleſiam utique haberet; quamvis a vero, certoque abhorreret; peccatum tamen non fore, niſi tantum veniale; pejus tamen foret id committere, quam vita exui. Quod erat probandum.

Quod pertinet ad tertiam Propoſitionis partem; debitum, ut Schola loquitur, contrahendi peccatum originale, triplex diſtinguo: remotum, medium, & proximum. Remotum in eo eſt, quod ex Adamo naturali propagatione ducamus originem. Medium, quod in Adami voluntatem peculiari Dei lege, vel pacto incluſa voluntas noſtra fuerit. Sive, quod ipſi ſubjecti, adnexique ſimus, non ſolum tanquam capiti phyſico, verum etiam tanquam capiti morali. Proximum, quod Deus jus illud acceptet, quod ex hac lege, vel pacto in eum competit, imputandi, & aſcribendi etiam nobis delictum, quod ab Adamo, cum nondum eſſemus, perpetratum fuit. His ita diſtinctis, hæc tria defendo: primum, non caruiſſe Deiparam debito remoto. Secundum, caruiſſe tamen debito medio, & quod conſequens eſt, debito proximo. Tertium, ab his duobus poſterioribus debitis exemptam fuiſſe gratia Redemptoris. Fuiſſe in Virgine debitum remotum, certiſſimum eſt. Probatur ſecundum. Non videtur enim æquum, aut ſaltem conveniens ex voluntate & arbitrio Adam nexam, ſuſpenſamque fuiſſe innocentiam Virginis, quæ ipſo tanto præſtantior fuit propter dignitatem; &, ut aliunde evincitur, tanto ſemper valentior, ac fortior ex gratia. Adde illa Prov. VIII. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum &c.* Eccli. XXIV. 5. *ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*. Et alia ejuſdemmodi, quæ de Virgine etiam intelligit; vel certe ad Virginem aptat Eccleſia; eoque ſatis clare ſignificat, cum Chriſto, & propter Chriſtum eſſe Matrem; & omnino altiori ordine poſitam, quam ut Adamo tanquam morali capiti ſubjecta cenſeri queat.

Confirmantur hæc, & ſimul conficitur tertium. Etſi enim Deus non ſolum unico actu, ſed, ut viſum Molinæ, & aliis pluribus, quorum memini in præcedente Tract. Prop. XIII. forte etiam unico ſigno, omnia ex æterno decrevit; rerum tamen ipſarum diſcretio eſt, & ordo; diverſique reſpectus, & habitudines; ſuntque aliæ propter alias; ac bono totius, & gloriæ Conditoris, pro ſuo quæque

que

Digitized by Google

que captu, & natura ſerviunt omnes. Licet vero hanc Dei voluntatem, quamvis ex ſe una maxime ſimplex, & individua ſit, ex eo tamen ordine, atque habitudine, quam extra Deum in res ipſas inducit, ad humanarum voluntatum ſimilitudinem ita explicare; ut in decernenda Incarnatione duo potiſſimum ſpectarit Deus, ſcilicet excellentiam myſterii, & humani Generis redemptionem. Sic quidem, ut noſtro intelligendi modo utrumque fuerit ſolida, ſive adæquata ratio rei hujus faciendæ; & primum quidem in Deo logice, ac ſecundum explicitum, fuerit altero prius. Itaque poteſt decretum hoc ita ferme a nobis exponi, & efferri. Volo, Verbum hominem fieri, atque huic Humanitati hypoſtaticæ uniri. Ipſius præterea merito, exiſtere volo Virginem hanc integerrimam, ab omni labe puriſſimam, atque ſanctiſſimam, ex qua carnem ſumat. Item merito ejuſdem exiſtere hos Angelos, hos homines, hanc rerum univerſitatem. Et Angelos quidem, ac primos homines ornari Gratia: in primi autem hominis voluntate voluntates poſterorum ita includi, ut ſi ille mihi obediens non fuerit, ipſius peccatum ad eos omnes pertineat, in eoſque transfundi, & tranſcribi a me jure poſſit. Excipio tamen ab hac lege Chriſti merito Virginem matrem; quam quidem volo ex primo homine originem trahere; in reliquis autem ex ipſo pendere, atque ei ſubjici, nolo. Quoniam vero primum hominem, & cum illo univerſum hominum genus caſurum eſſe video, eos omnes per Chriſtum, & propter Chriſtum relevari, ac redimi volo &c. Hæc ſumma præſentis decreti capita, & quod ad rem noſtram ſatis. Hæc ipſa fuiſſe videtur ſententia S. Franciſci Saleſii lib. 2. de divino Amore cap. 4. 5. 6. Quam ſententiam, quoniam duas præcipuas inter ſe contrarias, alteram quæ pro excellentia Myſterii, alteram vero, quæ pro humani generis redemptione pugnat, optime conciliat; & quæ in utramque partem ex Scriptura, & Patribus afferuntur quam commodiſſime explicat; cæteris præferendam eſſe judico. Poteſt tamen hæc ultima aſſertionis noſtræ pars aliter etiam defendi; & quod debitum medium diximus, vocari etiam debitum proximum. Lege Thyrſum Gonzalez tract. theolog. de Immacul. Concept. diſp. 6. & 7.

Porro quæ adverſus piam ſententiam objici ſolent profligarunt jam multi. Ex iis, quos vobis infra legendos proponam, ſatis erit unum, vel alterum videre, ac præſertim ex recentioribus. Objiciam tantum hic aliqua, de quibus adverſariis ſatisfacere, ex eorum Scriptorum lectione vobis fortaſſe non erit ita promptum, & facile. Sic ergo contra primam Propoſitionis partem. Argumenta, quibus probavimus, piam Sententiam definiri proxime poſſe ab Eccleſia, quo ſunt clariora, & graviora, eo minus efficiunt, quod nobis propoſitum fuit. Quin etiam in nos retorqueri facile poſſunt. Nam ſi pia ſententia tum ex Dei revelatione ſcripta, & tradita; tum ex utriuſque plus etiam quam ſufficienti notitia; tum ex opportunitate, jamdiu definiri proxime potuit; quid eſt, quod tamen adhuc definita non eſt? Nulla in hoc certe cauſa probabilior apparet, quam quod Spiritus Sanctus, qui præſentiſſimus adeſt Eccleſiæ, interiori illuſtratione, & admonitu illam ab hoc judicio retrahat, ac ſpeciali providentia, & cura eam errare non ſinat. Confirmantur hæc eo maxime, quod Eccleſia adeo non eſt progreſſa ultra eos terminos, quo centum fere ab hinc annis piam Sententiam perduxit Alexandri VII. favor; ut pedem potius referre, ac retrocedere cœperit. Nam Clemens XI. quantum Myſterio iſti adjecit ad cultum, tantum detraxit ad fidem. Conſtitutionem edidit eo titulo: *Ut Feſtum Conceptionis B. M Virginis Immaculatæ de præcepto ubique in poſterum obſervetur*. Non *Conceptionem*, ſed *Virginem* appellat *Immaculatam*.

Contra ſecundam Partem. Si licet Myſterii hujus veritatem tanto periculo, & impendio defendere, dummodo non ſit tantum probabilis, ſed aliquem ſaltem nacta ſit moralis certitudinis gradum; multo magis licebit tueri ſimili modo veritates alias certiores, ſive hiſtoricas, ut olim fuiſſe Carthaginem &c.

ſeu

Digitized by Google

ſeu Geometricas, ut omnis trianguli majorem angulum majori lateri &c. Addi etiam illud poteſt, profiteri quidem Eccleſiam ſe piæ ſententiæ favere; eatenus tamen, ut nolit eos, qui contradicunt peccati argui, aut notari. Quo favor ille ſic circumſcribitur, ut contrariæ ſententiæ probabilitatem non adimat, ac proinde nec certitudinem afferat noſtræ.

Contra tertiam denique Propoſitionis partem. Si Virgo Deipara non ſolum dignitate, atque excellentia, ſed etiam Dei propoſito, & conſilio *primogenita* fuit; hoc eſt, ante alias res omnes, ſecundum Chriſtum, decreta; falſo Patres ſcripſerunt hæc duo: Filium Dei ad nos venturum non fuiſſe, ſi Adam non peccaſſet; Mariam Evæ ſubſtitutam fuiſſe, ac longe meliorem humani Generis Matrem ejus loco conſtitutam. Ad hæc: Virgo Deipara ſecundum communem hominum conditionem concepta, nata, mortua eſt: vel igitur communis quoque delicti particeps fuit; vel ſaltem communi debito, ſeu lege comprehenſa.

Reſpondeo ad primum, falſa eſſe, quæ aſſumuntur. Præterea concluſionem pugnare cum præmiſſis. Nam cujuſmodi eſt argumentatio illa. Præſto ſunt ea omnia, quæ ad Myſterium hoc definiendum ſunt neceſſaria: differtur hæc definitio tamen; deeſt igitur Myſterio veritas. Liceret ſimili modo concludere: Præſto ſunt ea omnia, quæ ad convivium ſunt neceſſaria: differtur id tamen; deſunt igitur convivio, quæ ad cibum, & potum. Melius colligeres: deeſt igitur aliquis numero convivarum, habetur hic honor alicui viro primario, ut quamvis omnia ſint in promptu, ſine ipſo tamen initium epulandi non fiat. Et fortaſſe in re noſtra id ipſum honoris aliquibus habet Eccleſia. Parata ſunt omnia; hora etiam convivii eſt. Quorſum igitur hæc Eccleſiæ cunctatio, & mora? Aliquorum præſtolatur adventum. Cæterum hic tantum contendimus, poſſe Eccleſiam Myſterium hoc definire; & poſſe quidem proxime. Utrum autem etiam omnino debeat; & cum proxime poſſit id facere, cur non faciat, haud inquirimus. *Noſtrum non eſt noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. (Act. 1. 7.) Multæ eſſe poſſunt hoc differendi, aut etiam omnino omittendi cauſæ nobis incognitæ. Ea certe nullo modo probabilis, quæ affertur in oppugnatione. Nam ſi Spiritus Sanctus Eccleſiam ab hac definitione idcirco retrahit, ne myſterium falſum nobis credendum proponat; quin illam retraxit, ne myſterio falſo adeo impenſe faveret? ne myſterii falſi cultum inſtitueret, commendaret, proveheret, ac demum toti terrarum orbi præciperet? Numquid Spiritui Sancto curæ non eſt, ne erret Eccleſia in iis, quæ moris, quæ diſciplinæ ſunt, religioſique cultus? *Quid deteſtabilius*, inquit Catherinus diſput. pro Immacul. Conc. lib. 2. pag. 62. *quam in Eccleſia Dei celebrari cultu divino mendacia?* Adjunge his argumenta cætera, quæ ſupra attigimus, ex miraculis, ex revelationibus, ex Doctorum, *Academiarum*, *& Catholicorum fere omnium*, ut eſt in Alexandri VII. Bulla, conſenſu. Nihilo magis ſolidum, atque probabile, quod in Oppugnatione additur ad hæc confirmanda. Dici enim non poteſt, exiſtimaſſe Clemens XI. Objectum Eccleſiaſtici cultus, non immunitatem, ſed expiationem eſſe Deiparæ: cum Alexander VII. contrarium definierit. Nec dici illud poteſt, Clementem XI. mutato Objecto, veterem abrogaſſe cultum, inſtituiſſe, ac præcepiſſe novum: cum profiteatur diſerte, ſe *venerationem*, *& cultum* erga Conceptionem Deiparæ tantummodo *ampliare*. At enim quid eſt, quod immaculatam non dixit Conceptionem, ſed Virginem? Satis hìc nobis, hujus rei cauſam illam eſſe non poſſe, quam vellent adverſarii; quod quidem nunc oſtendi. Fortaſſe hoc ideo fecit, ne, cum Myſterii cultum toti Eccleſiæ præciperet; etiam Myſterii veritatem definire, aut ex præcepto credendam, tenendamve edicere videretur. Quocunque id conſilio fecerit, de mente hujus etiam Pontificis eſt, Conceptionem quoque appellari immaculatam: eaque appellatio legitur, & commendatur in ipſius Conſtitutione *Ex injunctis &c.* 7. Maii 1720. Invenies plura de hoc in iis diſſertationibus, & opuſculis,

Digitized by Google

ſculis, quæ piæ ſententiæ defenſores noviſſime ediderunt.

Ad ſecundum reſpondeo, magnum eſſe diſcrimen inter veritates hiſtoricas, vel geometricas, quarum exempla afferuntur; & veritatem, de qua nunc agimus. Hæc pia, & quod ſupra notatum eſt, & ante oculos ſemper habendum, tum Deiparæ, tum Eccleſiæ perquam honorifica eſt. Non ſic autem illæ. Ajo deinde, veritatem omnem, quæcunque illa ſit, ut veritas eſt, ſpeciali ordine in Deum referri; qui eſt veritas prima, &, ut Anſelmus loquitur in dialogo de verit. cap. ult. eſt *veritas per ſe ſubſiſtens*. Quo veritas omnis, ut veritas eſt, nobis maxime cordi, ſacroqueſancta, & vita ipſa potior eſſe debet. Id ipſum paulo aliter docet S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 5. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod veritas aliarum ſcientiarum non pertinet ad cultum divinitatis: & ideo non dicitur veritas ſecundum pietatem; unde nec ejus confeſſio poteſt eſſe directe martyrii cauſa. Sed quia omne mendacium peccatum eſt, ut ſupra habitum eſt, vitatio mendacii, contra quamcunque veritatem ſit, in quantum mendacium eſt divinæ legi contrarium, poteſt eſſe martyrii cauſa.* Quæ viam alteram, quam ſupra oſtendi, cauſæ noſtræ tuendæ mire comprobant. Quod alterum habet ſecunda hæc oppugnatio, nihilo difficilius refellitur. Hæ ſunt cenſuræ, quas contrariæ ſententiæ inurere prohibemur, *hæreſis*, *impietatis*, *peccati lethalis*. Cautum id ſapientiſſime. Atque etiam do adverſariis libenter, hoc etiam tempore non licere ipſos ita notare, poſteaquam Eccleſia ampliore ritu, atque cultu myſterii, quod ab ipſis negatur, feſtum celebrari toto terrarum orbe juſſit. Verumtamen diſtinguendum reor. Aliud eſt enim prohibere, ne dicantur peccare graviter, qui myſterium hoc falſum reputant; aliud vero declarare, & ſancire, eos graviter non peccare. Primum fecerunt Pontifices, non vero ſecundum. Gravem eſſe culpam in ſententia contraria, vetitum eſt dicere. Vetitum tamen non eſt id metuere; vetitum non eſt animo ſecum ita putare; non quidem de hominibus, ſed de ſententia; non de peccato formali, ſed de materiali, quæ vocant. Sed eſto, de adverſariorum ſententia non ſolum loquendum, ſed etiam ſentiendum ſit mitius; eſto, quod Eccleſia tanto ſtudio, tanta pietate, ac religione colit, & colendum edicit, ac præcipit, id falſum, etiam nunc dicere, nec temeritas, nec irreverentia ſit erga illam plus quam venialis; eſt certe ejuſmodi, quod vel unum argumentis contrariæ ſententiæ vim omnem, & pondus, ſi quod antea retinebant, prorſus eripiat: ut nec probari ſolide, nec prudenter perſuaderi queat. Quod quidem eſt probabilitate carere. Illud accedit; quamvis Eccleſia hac ex parte adverſariis pepercerit, & ad tuendam charitatem, & pacem, non ſinat in eos graviores ferri cenſuras; iiſdem tamen interdixit, non ſolum ne nos viciſſim notent; ſed etiam ne ſententiam noſtram *directe*, *vel indirecte*, *quocunque modo*, *aut prætextu oppugnent;* nec propugnent ſuam. Quo magis, magiſque ſententiam hanc exauctoravit, exarmavit, veritatis inſignibus, ac probabilitate ſpoliavit.

Dicam magis clare, & præciſe. Quod contraria ſententia Pontificum interdicto notari non poſſit cenſuris gravioribus, non ideo retinet veram, & ſolidam probabilitatem. Primum quia Pontifices has cenſuras ab ea ſententia prohibuerunt, ratione habita, non tam ipſius ſententiæ, quam aliquorum, qui ab illa nondum diſceſſere. Pepercerunt non tam ſententiæ, quam defenſoribus. Deinde, quia propter id ipſum, ne ſcilicet videantur Pontifices ſecum ipſi pugnare, & altera manu deſtruere, quod altera ædificabant; quod cenſuras has interdixerint, factum dici debet ad tuendam pacem, atque concordiam, quam inter Fideles, ac præſertim inter religioſas Familias eſſe maximam, neceſſe eſt. Tertio adeſt etiam alia cauſa. Fecerunt hoc Pontifices, ne, cum piam ſententiam tot decretis ornarint, in eumque locum evexerint, quem ſupra expoſuimus, viderentur inter catholica dogmata eam haberi velle; & graviter præcepiſſe mentis aſſenſum; vel ſaltem graviter vetuiſſe diſſenſum. Quarto denique, quia nobis interdictum quidem

cen-

Digitized by Google

cenſuris; adverſariis autem non eo tantum eſt interdictum; ſed præterea, ut dixi, ne ſententiam noſtram *directe*, *vel indirecte*, *quocunque modo*, *aut prætextu* oppugnent, aut in dubium revocent; ne propugnent, aut doceant publice ſuam.

Inſtabis: ſententiæ moraliter certæ non repugnant tam multi, & tam docti. Primum; falſum eſt, quod ſumis, eſſe multos qui vere ſcilicet, & ex animo decus hoc immaculati conceptus Dei parenti denegent. Deinde falſum eſt, quod affirmas. Nec pauci ſane, nec indocti pernegant, Attritionem eſſe ſatis ad obtinendam Pœnitentiæ Sacramento Juſtificationis gratiam. Atqui ſententia illa, ut conſtat ex uſu ipſo & praxi Fidelium, eſt moraliter certa. Adde, quod in re noſtra non eſſet adeo mirum, repugnare nobis multos, & doctos. Nota ſunt ſtudia partium; & quam ſint præoccupati animi; & ab anteceptis opinionibus, ac præjudiciis parum liberi.

Ad tertium: Patres non quæſierunt, quid futurum fuiſſet, alio rerum ordine, ſive alia providentia, aliove decreto. Itaque quod negarint, Chriſtum venturum fuiſſe, ſi non futurus erat Redemptor; perinde eſt accipiendum, ac ſi dixiſſent, hunc rerum ordinem, hanc providentiam, ſive decretum ad humani generis redemptionem ſpectare præcipue; cum eaque inſeparabiliter necti. At quid eſt, quod de excellentia myſterii nihil dixerunt? Primum, negatur hoc. Legantur Scholaſtici in tertiam partem S. Thomæ, ac præſertim Suarez diſput. 5. ſect. 5. Meminerunt Redemptionis, eamque inculcarunt, quia accomodatius id erat ad communem hominum captum, & ad offenſæ gravitatem, indignitatemque, ac Dei erga nos amorem, & miſericordiam declarandam magis valebat. Quod addunt, Mariam pro Eva datam humano generi matrem, eodem modo explicandum, ac *ſecundi Adami* nomen, quod apud eoſdem invenies dictum de Chriſto. Pertinent hæc ſcilicet ad Redemptionem; id quod in divino decreto logice, & ſecundum explicitum, dixi eſſe poſterius. Tandem quod concepta, nata, mortua, ut cæteri omnes; ad naturalem pertinet hominis conditionem. In genere autem phyſico, Adamo, ut capiti, jungi, & cohærere Deiparam, ultro concedo. Immo in hac naturali propagatione, originalis maculæ contrahendæ debitum, quod vocant, pono remotum; a quo illam minime excipio. Adamum nego Dei matris fuiſſe caput morale; in quo debitum medium, vel etiam, ſi ita loqui placet, debitum proximum foret. Ab utroque eam Filii merito, ſeu Chriſti gratia exemptam oſtendi. Ad præſentem hujus controverſiæ ſtatum hæc ſatis. Pertractata eſt plenius, & explicatius a multis, tum in 3. part. D. Thomæ, tum ſingularibus diſſertationibus, vel alterius generis lucubrationibus, & operibus.

Legendi præcipue Ambroſius Catherinus, Franciſcus Suarez, Waddingus, Vaſquez, Valentia, Frances, Ægidius de Præſentatione, Salazar, Nierimbergius, Velaſquez, Pennaloſa, Vega, Mendo, Caſtillo, Velaſco, Savreda, Calderon, Franciſcus Felix, Manriq. Soſa, Laurentius a Ponte, Cardinales Nidardus, & Sfrondati, Thyrſus Gonzalez, Garnizzo, Strozza (prohibit.) Segneri, &c. Legendi etiam qui contra Lamindum, & Lampridium noviſſime ſcripſerunt.

Scriptores hi noviſſimi ſecundam Propoſitionis noſtræ partem, quæ a nonnullis hodie oppugnatur acerrime, alia etiam via defendunt. Namque ita diſſerunt. Detur adverſariis, veritatem directam Myſterii non eſſe moraliter certam, nec humanæ opinationis fines ſupergredi. Ille tamen voluntatis actus, quo nobis imperamus mentis aſſenſum, licet veritas directa ſit tantum probabilis, eſt certo pius: & ipſemet actus imperatus, ſeu mentis aſſenſus eſt pariter certo pius, quamvis non ſit certo verus. Honeſtum eſt autem, & laudabile pietati, quæ certo ineſt, proprie quidem in actu imperante, denominative autem in actu imperato vitam poſtponere. Hæc illi: quibus ut concedatur, eum voluntatis actum, quo tanto impendio imperatur mentis aſſenſus dumtaxat probabilis, eſſe conſentaneum pietati, nec a prudentia alienum, & eſſe undique honeſtum, & laudabi-

dabi-

Digitized by Google

dabilem ; eos tamen dico , hac ratione nec proxime , nec directe Myſterii veritatem defendere . Pro pietate tantum, non etiam pro veritate mortem oppeterent iſti . Ut igitur utrique ſimul , & pietati ſcilicet , & veritati , vitam tutiſſime poſſis impendere , ne contentus ſis majori dumtaxat probabilitate piæ ſententiæ : eam eſſe moraliter certam teneto . Quod quidem erit eo facilius , quod ad Voti , vel jusjurandi , quod in controverſiam vocatur , religionem ſuſcipiendam , ſatis eſt certitudo moralis directa, ac reſpectiva , quam vocant ; opus non eſt reflexa , & abſoluta . Conſule Scriptores proxime laudatos .

TRACTATUS IV.

Meditationes Biblicæ de Divina Gratia:

Et potiſſimum de concordia liberi hominum , & Angelorum arbitrii cum divinorum auxiliorum efficacia.

TRACTATUS hic breviſſimus erit. Propoſitionibus eum circumſcripſi non amplius quinque. Prioribus quatuor afferam e ſacris potiſſimum Literis quatuor nova ſyſtemata , ſeu novos modos conciliandi divinorum auxiliorum efficaciam cum hominum, & Angelorum libera facultate. Qui omnes etſi mihi videntur ad id , quod agitur non parum apti , & per ſe quidem valde probabiles ; eos tamen oppugnationis dumtaxat loco eſſe volo; & accipi a vobis tanquam totidem argumenta contra noſtram doctrinam e ſacris Libris deprompta , & in hoc tractatu , ſeu diſputatione eo conſilio præmiſſa , ut ejuſdem doctrinæ veritas novarum difficultatum oppoſita magis, & magis adhuc eniteat. In quinta enim propoſitione longe aptius, ac probabilius eſſe oſtendam ſyſtema Societatis ; idemque cum his quatuor, tum cæteris omnibus, quæ quidem hactenus inventa ſunt , præferendum. Hæc porro tractabo non ſcholaſtice , aut polemice; ſed ut divinarum Literarum interpres: quinque ſcilicet non tam propoſitionibus , quam meditationibus, & commentationibus eorum ſacræ Scripturæ locorum, quæ huc pertinere judicavero. Eaque tractabo breviter , & compendio : de more tamen, inſtitutoque noſtro; potius ſcilicet ut nihil redundet, quam ut aliquid deſit. Immo vero , quoniam in quinta propoſitione ea tantum dicam, quæ ad ſyſtematis noſtri præſtantiam demonſtrandam neceſſaria eſſe arbitrabor; tradam deinde per manus Appendicem veluti quamdam, niſi melius , pars ſecunda hujus tractatus , dicenda videbitur; quam cuique veſtrum accipere, ſibique per otium deſcribere liberum erit. In hac vero cum ea fuſius, & explicatius proponam, quæ ſunt in noſtra ſententia; tum præcipue adverſarios refellam: & recentes maxime quoſdam Scriptores, qui quæ nobis objicere pergunt, quamvis vetera ſint, & profligata jamdiu,

diu; quod tamen ipſis ſaltem ad ſpeciem nonnihil fortaſſe addiderunt; iterum contra nos in aciem educta, videntur iterum propulſanda. Tandem quod ultimum in hac Appendice, totiuſque hujus tractationis complementum, ac perfectio erit, dabo vobis Enchiridion adverſus Janſenianos breviſſimum, & perutile.

PROPOSITIO I.

ET PRIMUM SYSTEMA.

Gratia, & liberum arbitrium rectè conciliantur per ſupernorum auxiliorum congruitatem, aliter, quam fiat in Schola Societatis, explicatam.

REm clarius expono. Primum hujus concordiæ ſyſtema in ſupernorum auxiliorum congruitate poſitum eſt, quemadmodum etiam ſyſtema Societatis. Id vero inter utrumque intereſt, quod hoc ſyſtema congruitate nititur, quæ talis eſt, ut ita dicam, a priori; & a Deo cognoſcitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua nimirum cognoſcuntur rerum naturæ, habitudines, convenientiæ; ac proinde quid cuique ſit aptum, & congruens. Contrario autem congruitas, qua nititur ſyſtema Societatis, talis eſt quaſi a poſteriori; & a Deo cognoſcitur ſcientia media, qua in ſe ipſis cognoſcuntur effectus, ſive ſucceſſus, quos quæque auxilia in quoque homine, & Angelo ſint habitura, ſi conferantur. Itaque in ſchola Societatis auxilium efficax eſt illud, quod datur a Deo ex intentione, ut ajunt, & prævisione ſeu ſcientia media ſalutaris aſſenſus, ſive operis boni inde conſequuturi. In hac vero ſententia auxilium efficax eſt illud, quod datur ex intentione pariter boni operis, ſive ſalutaris aſſenſus; & ſimul accomodate ad præſentem ejus, qui adjuvandus eſt, ſtatum, affectiones, propenſiones, indolem; ſpectata etiam natura, & difficultate operis faciendi; expenſiſque omnibus circumſtantiis. Quamobrem apud Societatis Theologos Deus in impertiendis Gratiæ ſuæ opibus, ſive auxiliis ſuis dirigitur ſcientia media; apud eos vero, qui hoc ſyſtema defenderent, dirigeretur ſcientia, & quodammodo peritia, atque arte gubernandi, tractandique hominum corda, ac creatas voluntates; quæ revocatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; quam, *Dei artem*, appellare licet ex Auguſtino tract. 1. in Joan. num. 17. & lib. 6. de Trinit. c. 10. n. 11. &c. & Thoma p. 1. q. 14. a. 8. &c. Eſt quidem ejus ſcientiæ, quæ dicitur viſionis, quod Deus pervideat hujus, & illius hominis cor, ac præſentem animorum ſtatum; at cognoſcere, quid in quaque rerum periſtaſi, ſeu circumſtantiis illi cordi, illi animo permovendo ſit opportunum, & efficax, in hoc ſyſtemate eſt, ut dicebam, ejus ſcientiæ, quam vocant ſimplicis intelligentiæ. Immo hæc ipſa cognitio verbi cauſa, *Si exiſtet libertas A, conſentiet*, quæ in Schola Societatis pertinet ad ſcientiam mediam; apud defenſores hujus ſyſtematis pertineret ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſic exponeretur. Si concurrant hæc ſimul; nempe talis cauſa, & facultas libera, tale auxilium ſupernum, talibus circumſtantiis; ex ipſa rerum iſtarum omnium natura, quæ mihi perſpectiſſima eſt, ex habitudine animi, ſeu cordis hujus, quod mihi eſt intime notum; certo exiſtet ſalutaris aſſenſio: cauſa hæc libera vocationem hanc meam non reſpuet; bonum eliget potius, quam malum: quamvis ſit juris ſui, eique ſolutum reliquerim, ex his duobus, utrum malit, amplecti, vel repudiare.

Hoc ſyſtema fundamentum habet, ut mihi videtur valde grave, & ſolidum in ſacra Scriptura. Ibi enim quibus in locis ſermo eſt de illa divinæ guberna-

tio-

Digitized by Google

tionis, ſeu providentiæ parte, quæ eſt ſupra naturam; hoc eſt, qua ſupernaturalibus auxiliis ad æternam, beatamque vitam perducimur, iis in locis de Deo maxime prædicantur hæc duo: ſumma, quæ in eo eſt, ſcientia, ſive cognitio humanorum cordium; & ſumma item illorum, quocunque voluerit, inclinandorum poteſtas. Nempe alterum ex altero eſt. Sic Prov. XXII. I. *cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*. Et Pſalm. CXVIII. 36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua*. Similiter I. Reg. X. 26. III. Reg. XVIII. 37. I. Eſdr. VI. 22. Eſth. XV. II. Pſalm. LXXIX. 4. 8. &c. Iſa. LV. II. Jerem. XXXI. 18. Thren. V. 21. &c. Unde autem hoc? Docent aperte Jeremias XVII. 9. 10. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes &c.* Joannes I. Epiſtol. III. 20. *Major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia*. Et Paulus Apoſt. ad Hebræos IV. 12. *Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum; & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis*. Sectio hæc eſt, & inſpectio, ſive anatomes ſubtiliſſima cordis humani in genere morali. Adde illa quibus id ipſum prædicatur de Deo III. Reg. VIII. 39 & 2. Paral. VI. 30. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*. Item I. Paral. XXVIII. 9. Pſalm. VII. 10. X.. II. 22. CXXXVIII. 3. 4. Eccli. XXIII. 28. XXXIX. 25. 26. Sap. IX. 9. Jerem. XII. 3. &c. Quorſum autem hic tam multa de cognitione cauſæ, & illorum, quæ ad cauſam pertinent, uti ſunt diverſæ animorum affectiones, inclinationes, ſtudia; nihil vero de prænotione effectus in effectu ipſo; ſi hac, & non illa dirigitur Deus ad cauſam ipſam apte, & congruenter movendam? Si medicus eſſet, qui ægrotos curaret non ex arte, ſed ex præſenſione aliqua, vel hac, aut ſimili conditionali notitia accepta divinitus: Si Cajo remedium hoc adhibitum fuerit, valetudinem recipiet; ſi Sempronio adhibitum fuerit hoc aliud, pariter convaleſcet: quis hæc memorans, & expendens in eo totus eſſet, ut oſtenderet, hominem illum optime noſſe morborum cauſas, medicamentorum vires, diverſas humani corporis temperationes, & habitudines, quæque abditiſſima, & abſtruſiſſima intra hominem ſunt; de prænotione autem illa, qua is eſſet uſus in medicina facienda, omnino ſileret? Ex cognitione igitur humani cordis, eorumque omnium, quæ illuc pertinent, ipſius inclinandi poteſtas. Res hæc planior paulo poſt fiet, interpretatione, & doctrina Auguſtini.

Interea illud etiam hoc ſyſtema confirmat, quod Deus in ſacris Literis cauſas etiam liberas, tanquam diverſarum artium inſtrumenta, tractare, agitare, verſare dicitur. Quod cum non poſſit intelligi; ut afferatur ipſis agendi neceſſitas, intelligendum eſt ſaltem, ut moveantur quodammodo ex arte. Iſa. X. 15. *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur &c.?* Et XLIX. 2. *& poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me*. Similiter Pſal. XLIV. 2. Eccli. XXXIX. 20. Iſa. I. 25. VII. 20. X. 5. LXVIII. I. Jerem. XVIII. 6. Oſe. VIII. I. Zach. III. 9. &c. Sunt igitur hominum corda in manu Dei, tanquam ſecuris, aut ſcalprum in manu artificis; tanquam cythara in manu cytharedi. Tractantur, pulſanturque vel uti ex præſcripto, ac regulis artis. Inſtrumenta quidem libera ſunt; veruntamen Deus, qui ea temperavit, atque compoſuit, optime novit, ut eſt Pſalm. XXXII. 15. &c. hæc ſecuris, hoc ſcalprum, quo pacto adhibita, quid operis exhibitura ſint: novit, quo pulſu, tactuve quem ſonum hæc cythara ſit redditura. Idque, ut dicebam, novit ex arte. Nam ſicut in locutionibus ſacræ Scripturæ verborum proprietas; ita in comparationibus convenientia, & proportio rerum, quantum quidem fieri poteſt, ſervanda eſt. Ex regula interpretandi Scripturas tradita ab Auguſtino lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 10. n. 14.

Tandem videtur rem prorſus evincere, quod eædem ſacræ Literæ docent, auxilio efficaci, ſive animorum motione, atque excitatione congrua probari, & commendari maxime ſummam Dei ſapientiam; eaque in re apparere & ex-

Digitized by Google

plendeſcere magiſterium, atque artem docendi, ſuadendique admirabilem, ac vere divinam. Admiſſa autem ſcientia media ipſiuſque uſu, non eſſet id ita mirabile. Huc ſpectat illud Pſalm. cxliv. 4. *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Miſerationis nomine ſignantur præcipue divinæ Gratiæ auxilia efficacia. De his ad Rom. ix. 15. 16. &c. *Miſerebor, cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor ... Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei... in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam...cujus vult miſeretur, & quem vult indurat &c.* Cæteris Dei operibus anteſtare dicuntur, non ſolum propter bonitatem, ſed etiam propter ſapientiam, quæ in ipſis apparet. Hinc Pſalm. cxxxviii. 6. *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me:* hoc eſt, ex iis, quæ in me perfeciſti auxiliis Gratiæ tuæ. Quod ipſum ſignificant Pſalm. lxvii. 36. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*. Sap. x. 17. *deduxit illos in via mirabili*. Et vii. 12. *antecedebat me iſta ſapientia* 22. & 23. *Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis &c.* 27. *cum ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innovat &c. Sapientiam autem non vincit malitia*. Eos, qui ad bonum magis indociles ſunt, docere, ac perſuadere facile poteſt. Hoc divinæ Gratiæ, & Sapientiæ magiſterium expendit Bellarminus tom. 4. lib. 1. de Grat. & lib. Arbitr. cap. 12. ac de his Scripturæ locis Pſalm. xciii. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine*. Iſa. liv. 13. *& ponam...univerſos filios tuos doctos a Domino*. Joan. vi. 45. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me;* & ſimilibus aliis hæc habet. Hi loci *ſatis perſpicue docent, in quo ſita ſit efficacitas Gratiæ; illi enim infallibiliter veniunt ad Fidem Chriſti, ſive per Fidem ad Chriſtum, qui Patrem cæleſtem habent doctorem; ita ut infallibilitas effectus non habeat pro cauſa ſtudium diſcipuli, ſed excellentiam magiſtri*. Hæc excellentia Magiſtri, ex qua Bellarminus petendam dicit infallibilitatem effectus, non eſt ſcientia media. Nam ſi eſſet; non negaret infallibilitatem, ſeu certitudinem hanc petendam ex ſtudio audituve diſcipuli: cum ſcientia media alterutrum dumtaxat enunciet; auditurum ſcilicet, ſi doceatur, vel non auditurum eſſe diſcipulum. Itaque excellentia Magiſtri eſt ſumma ipſius ſapientia, atque ars; eſt utique notitia futuri ſucceſſus; verum non a poſteriori, & ex conſequenti, ſive ex effectu ipſo; ſed a priori, ut ſupra expoſitum eſt. Denique perinde eſt dicere. Infallibilitas non ex ſtudio, auditu, & ut ita dicam cooperatione diſcipuli; ſed ex excellentia magiſtri; ac infallibilitas, non a poſteriori, ſed a priori. Quamobrem hanc ſcientiam Bellarminus diſerte vocat, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Sic enim lib. 2. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 17. ubi Calvino dicenti, *Deum præſciviſſe hominem caſurum, quia jam decreverat, & prædeſtinaverat ejus lapſum;* ita reſpondet: *Deum cognitione ſimplicis intelligentiæ cognoviſſe hominem caſurum, ſi conderetur: non ſolum antequam eum conderet; ſed etiam antequam condere decerneret*. Bellarminus igitur eſt a nobis; ſed juxta hoc primum ſyſtema. Immo quibus placuerit hoc ſyſtema defendere, profiteri poterunt, Bellarminum ſe ducem ſequi.

Ita etiam opinati, & hos Scripturæ locos interpretati ſunt Patres. Inſtar omnium hac in re Auguſtinus. Hic vero ubicunque loquitur de Gratia, ſeu de Vocatione congrua, intelligi velle videtur de congruitate, quæ talis ſit a priori: hoc eſt, ex Dei Auxilio attemperato ad hominis ingenium, præſentemque animi habitum, ac cæteras circumſtantias. Percurramus locum celeberrimum libri 1. ad Simplicianum quæſt. 2. n. 13. *An forte*, inquit, *illi qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accomodare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit*, Multi vocati, pauci electi: *ut quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei: & illud non minus verum ſit*, Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem?* Hactenus de vocationis congruitate non judicat, aut definit Auguſtinus,

niſi,

niſi ex diverſa animorum affectione, & aptitudine, quæ congruitas eſt a priori, ſcilicet ex habitudine cauſæ. Pergit vero. *Ad alios autem vocatio quidem pervenit: ſed quia talis fuit, qua moveri non poſſent, nec eam capere apti eſſent; vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi; & non jam ſimiliter verum eſt, Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis: quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit: quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur. Verum eſt ergo*, Multi vocati, pauci vero electi. *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati. Item verum eſt*, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: *quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur &c.* Plura adhuc ſubjicit in eandem prorſus ſententiam; quam etiam exemplis confirmat. Ubique autem inſiſtit in ſola aptitudine cauſæ, eorumque, quæ una cum illa concurrunt, atque conſpirant: nunquam vero attingit effectum, niſi tantum ut in cauſa ipſa a Deo pro ſua ſapientia, excellentique magiſterio præcognitum. Sic pariter lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 15. n. 32. *Cum enim*, inquit, *de unaquaque re, quæ ſecundum fidem, dilectionemque tractanda ſunt, multa ſint, quæ dicantur; & multis modis dicantur ab eis, qui hæc ſciunt; quis novit, quid ad præſens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium videt?* Refert in congnitionem cauſæ, ſeu cordis humani, quæ ſumma eſt in Deo; non in prænotionem effectus ſecuturi. Nec minus in libro de dono Perſever. cap. 14. n. 35. *Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Externa quoque auxilia, quæ in verbis, & ſignis, tribui docet attemperate, & apposite ad hominis ingenium. Idem ipſum, ſi recte conſiderentur, illa ſignificant, quæ de vocatione congrua ſcripſit in libro de Gratia Chriſti cap. 14. n. 15. de Prædeſt. Sanct. cap. 20. n. 42. epiſt. 217. ad Vital. cap. 2. n. 5. & alibi paſſim; ubi eam vocat, *divinum docendi modum; modum mirabilem, & ineffabilem; vocationem altam, atque ſecretam, quæ ſic agit hominis ſenſum, ut Legi, atque doctrinæ accomodet aſſenſum.* Quæ ſapientiæ potius, & divinæ cujuſdam quaſi artis, & magiſterii videntur eſſe; quam conditionalis ejus notitiæ, qua ipſemet effectus in ſe ipſo prænoſcitur. Hæc enim ratio, & via docendi, perſuadendique quaſi a poſteriori, ut ſupra monui adeo miſſa non eſſet: nihil aliud admirabilitatis haberet, quam quod futura etiam conditionalia Deo, ante omne illius decretum, voluntatemque, præviſa ſint in ſe ipſis. Quod quidem multis abſurdum potius, quam admirabile eſt. Ex his igitur auctoritati

Accedit & ratio. Primum quia videtur eſſe majoris ſapientiæ, ac prima Cauſa, ſupremoque Artifice, Magiſtro, Moderatore omnino dignius futura iſtiuſmodi conditionalia prænoſſe a priori; ſive ex ipſa facultate proxima agendi, ac tota rerum periſtaſi, a ſe apte, ac *mirabili, & ineffabili modo* temperata, & diſpoſita; quam dumtaxat ex eventu; ut quodammodo expectanda illi ſit deliberatio, & aſſenſio cauſæ ſecundariæ, ipſiuſque inſtrumenti. Et quidem hic loquimur de prænotione prorſus certa, & falli neſcia; hæc enim major eſt, ac Deo dignior. Quamobrem poteſt argumentum hoc ita refingi. Supremus Moderator, & Magiſter ejuſmodi ſcientia fungi debet munere ſuo, qua nulla poſſit cogitari major: poſſet autem major cogitari, ſi in ipſa hypotheſi non prænoſſet certiſſime futurum illud conditionale, quo ea hypotheſis pertinet, atque conducit. Ita igitur illud prænoſcit.

Deinde, quo quis melius aliquem noverit, eo probabilius pronunciare poteſt, quid in hoc, aut illo difficultatum occurſu, ac rerum articulo facturus ſit. Immo qui ſe bene atque intime norit, hac notitia ſui, poterit id pronunciare de

Digitized by Google

de ſe fere certo. Quoniam Scientia Dei infinito præſtat cognitioni illi, qua quiſque compertus eſt ſibi; neque ſolum comprehenſos, ſed longe pluſquam comprehenſos homines habet; præſcit Deus, ac pronunciare poteſt illud, quod dixi, certiſſime.

Tertio; controverſia graviſſima, & implicatiſſima de Gratia, & libero Arbitrio, ea re non bene componi videtur, quæ ſit ipſa maxime controverſa. Talis autem eſt ſcientia media, ſi tamen ita explicetur, quemadmodum nunc vulgo facimus, ut per illam futura conditionalia libera in ſe ipſis præcognoſci dicamus. Immo ex hoc ita diſſero, & concludo. Futura conditionalia libera, quale eſt exempli gratia, quid deliberatura, & optatura foret hæc cauſa libera, ſi hoc, aut illo modo excitaretur, & adjuvaretur a Deo; futura hæc, inquam, a Deo prænoſcuntur; & quidem tam certo, quantum neceſſe eſt, ut de vocationibus, & auxilii ſuis tuto, & ut eſt Deo dignum, decernat. Porro futura iſta non prænoſcuntur a Deo in decreto prædeterminante Thomiſtico, neque in decreto concomitante Scotiſtico; nec denique in ſe ipſis. Prænoſcuntur igitur in cauſa, & circumſtantiis, ſive in tota hypotheſi, vel in aliis iſtiuſmodi antecedentibus, nullam afferentibus inſuperabilem neceſſitatem: & quidem prænoſcuntur ſcientia tam certa, quam opus eſſe, nunc monui. Præſumptio, ſeu major propoſitio eſt certa, & plana. Aſſumptionis pars prima, & altera ſumuntur hic ex tractatu ſcholaſtico. Non poſſe autem hæc futura a Deo prænoſci in ſe ipſis, quæ aſſumptionis fuit pars tertia, contendunt non ſolum adverſarii; ſed plures etiam ex Noſtris, quorum nomina ſub finem Propoſitionis de more notabimus. Id vero conficitur non ea ſolum communi, ac pervagata ratione, quod futura ejuſmodi ante omnem Dei voluntatem, ſive decretum, veritatem non habeant, qua poſſint in ſe ipſis cognoſci, ſed alia etiam, quæ mihi videtur oppido gravior. Etenim Patrum omnium ſententia, & maxime Auguſtini multis in locis; imo ex ipſo etiam, ut videtur, naturæ lumine; illorum omnium, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe, & contingentia vocantur, nihil exiſtit ſine ulla prorſus Dei voluntate; nihil exiſtit, quin aliquo modo Deus velit, & annuat; hoc eſt, vel decernendo, vel permittendo. Porro inter contingentia, immo primum contingens eſſet ipſemet ſcientia media; ſi eſt a poſteriori, & ex effectu; hoc eſt, ſi ita explicatur, ut per illam futura conditionalia libera attingantur, prævideanturque in ſe ipſis. Infinita igitur contingentia, ſive infinitæ hujus generis cognitiones, ac ſcientiæ re ipſa; & abſolute exiſterent in mente Dei: de quibus, ſicut olim Machabæorum Mater ad filios ſuos (Machab. VII. 22.) *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis*; ſic pariter profiteri poſſe videretur Deus, Neſcio qualiter apparuiſtis in mente mea. Factum fuiſſet id ſcilicet ſine ulla voluntate, ſive, ut ajunt, determinatione divina; & factum voluntate, ac determinatione creata. Extrinſecus quidem, & conditionaliter; ſed tamen quæ vera voluntas, ac determinatio ſit. Quæ quidem dura videntur, & in quinta Propoſitione emollienda nobis erunt, & explananda. Objicies, cognitionem illam, Si dedero huic cauſæ liberæ hoc auxilium, his circumſtantiis, mihi conſentiet; quomodocunque exponatur, pertinere non poſſe ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: cum ſcientia hæc ſit tantum de rebus neceſſariis; ille autem voluntatis aſſenſus contingens ſit, & liber. Præterea eſſe plures etiam Scripturæ locos, quibus diſerte traditur Scientia media, ut I. Reg. XXIII. 10. 11. Sap. IV. 11. Matth. XI. 21. Luc. X. 13. &c. Tandem actionis liberæ notitiam omnino certam a priori, ſive ex cauſa, & cauſæ adjunctis haberi non poſſe: cum inter facultatem liberam, ejuſque actum connexio eſſe nequeat, niſi moralis: quæ quidem ab eo, qui libere agit, & bene, aut male meretur vinci difficile poteſt; ſed tamen vinci ſimpliciter poteſt. In hoc igitur ſyſtemate Deum in adminiſtratione auxiliorum ſuorum, etſi non prorſus temere, & futuri cæcum, at minus caute, & prudenter ſtatuere. Dei ſcientiam conditionalem expoſitam eſſe falſitati, & errori; voluntatem vero,

ſeu

Digitized by Google

ſeu propoſitum efficax, prædefinitionem, prædeſtinationemque ipſam, quæ meritorum viſionem abſolutam præcurrat, expoſita fruſtrationi. Hoc ſyſtema qui velit defendere, reſpondere poterit.

Ad primum, cognitionem illam a nobis revocari ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; quia quamvis id, quod enunciat, ſit contingens, ac liberum; enunciatur tamen, ut principio dixi, ſpectata rerum natura, habitudine, convenientia; de quibus cognoſcere, pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Quare tametſi effectus ille re vera, proprie ſit contingens, ac liber; hac tamen ratione iis æquiparatur, quos eſſe neceſſe eſt. Illud addo; poſſe etiam hanc ſcientiam vocari mediam; ſed a priori: quemadmodum congruitatem, in qua hic inſiſtimus, eſſe diximus a priori. Ex quibus etiam appellari convenienter poterunt, qui hoc ſyſtema defendant, Mediſtæ, & Congruiſtæ, ſed pariter a priori. Rem habetis; illam teneto. De nomine, ut cuique libuerit.

Ad ſecundum dices, illis in locis tradi quidem ſcientiam mediam, ſed quæ a priori. Id vero liquere cum generatim argumentis omnibus, quibus hactenus hoc ſyſtema propugnavimus; tum peculiariter aliquot Scripturæ locis, qui hoc ipſum valde aperte declarant. Hujuſmodi eſt illud 1. Joan. III. 20. *major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* Hoc eſt, ex corde hominis ſcientia ſumma pluſquam comprehenſio novit omnia, illa etiam quæ facturus quiſque eſſet quavis rerum hypotheſi. Item illud Pſalm. XXXII. 15. *Qui finxit ſingillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.* Quaſi dicat, alterum ex altero conſequi; ut qui humani cordis fabricator fuit, ac proinde illud funditus, atque intime novit; omnia etiam hominum opera noſcat. Expendite locos cæteros ſupra notatos.

Ad tertium reſpondere poteris primo nos non metiri, aut omnino deſumere certitudinem illam ex aliqua connexione, quæ intercedat inter facultatem proximam, ejuſque exercitationem liberam. Quanquam ſæpiſſime, quæ apud homines nullo ejuſmodi vinculo, aut neceſſitudine inter ſe necti videntur; de iis aliter judicat Deus, qui cernit longe ſubtilius; momentaque etiam minima pendit, quæque aciem omnem effugiant. Petitur tamen ea certitudo potiſſimum ex ſumma altitudine, atque præſtantia divinæ cognitionis. Ita docet Ludovicus Molina; qui cum ſcientiæ mediæ habeatur veluti parens, multum tamen huic ſyſtemati favet. Hæc enim in ſua Concordia quæſt. 14. art. 13. diſp. 50. totidem verbis: *ſcientia divina certo ſcitur, quod in ſe eſt incertum, certitudine proveniente, non ex objecto, ſed ex Dei eminentia, & nobilitate.* Ipſius itidem verba illa ſunt ibidem: *non ſolum ex comprehenſione cauſæ liberæ; ſed ex altiſſima, & eminentiſſima comprehenſione; ex infinito exceſſu divinæ comprehenſionis &c.*

Reſpondebis deinde; argumentis ſupra allatis alterutrum ſaltem ex his duobus evinci; nempe vel ex cauſa libera, & circumſtantiis altiſſimo, ac præſtantiſſimo modo mente comprehenſis, certum fieri Deum certitudine pluſquam morali, quid cauſa illa, quovis auxilio eſſet factura; vel certitudinem morali majorem neutiquam requiri, ut poſſit Deus de auxiliis ſuis ſtatuere ut eum decet. Si ibi opus eſt certitudine metaphyſica, ſequitur, ut ſcientia media, quæ eſt a priori certitudinem afferat metaphyſicam. Si ſcientia media, quæ eſt a priori, non affert certitudinem metaphyſicam; ſequitur, ut certitudine metaphyſica ibi opus non ſit. Effecta, & ſtabilita ſunt hæc tertio præſertim argumento ſupra propoſito. Cæterum, detur adverſariis, quoniam id modo contendunt, detur, in ea ſcientia media, quæ a priori, non ineſſe certitudinem, niſi tantum moralem. Quid tum? Certitudo moralis prudentem omnem dubitationem excludit. Non igitur minus caute, & prudenter ageret Deus, ſi pro illo ſtatu, ſive, ut ſchola loquitur, pro illo ſigno, quo non poſſunt futura ulla a Deo in ſe ipſis cognoſci; ea ſcientia, & notitia de auxiliis ſuis decerneret, quæ de futuro illorum uſu, ex ipſa rerum natura non ſinat prudenter dubitari. Neque nos aliquid imperfecti tribuimus Deo, qui

Digitized by Google

qui in eo ſigno ſcientiam neceſſariam, ac ſcientiam mediam a priori, quæ neceſſariæ æquiparatur, dumtaxat admittimus; cum hoc, ex ſumma Dei excellentia, ſupremoque dominio approbemus; & aliis argumentis omiſſis, ideo ita putemus, quia videtur abſurdum, aliquid plane contingens, quale eſt ſcientia media, quæ eſt a poſteriori, abſolute, ac reapſe, ante omne prorſus Dei decretum, & voluntatem exiſtere. At, inquiunt, poſſet, difficile quidem, ſed enim poſſet errare, ac decipi Deus. Negatur. Scientia illa, & cognitio a priori hoc ipſum enunciat, atque aperit Deo, quæ, & quanta ſit certitudo, quam ſecum advehit. At Deus non ſemper poſſet illuc pervenire, quo vult; cogeretur interdum conſilii irritus incępto deſiſtere. Negatur id quoque, ſi de voluntate Dei efficaci ſermo ſit. Eſto enim veritas non ſit Deo ipſi a priori omnino certa, & explorata, fore, ut hæc cauſa libera, huic auxilio cederet, ſi conferretur; veritas eſt tamen a priori certiſſima, & exploratiſſima, ceſſuram alicui ex infinitis, quæ poſſunt ipſi conferri. Hac veritate, ſeu ſcientia voluntates Dei efficaces, prædefinitio, prædeſtinatioque nituntur in hoc ſyſtemate. Quare ſemper aſſequitur, ac perficit Deus quod ſibi propoſuit: neque hominum fruſtrationibus, in iis, quæ vult efficaciter, a nobis ſubjicitur. Ita demum concludo: Argumenta, quibus probatur, moralem certitudinem non eſſe ſatis; vel id non evincunt; vel ſimul evincunt futura conditionalia libera a Deo in ipſa hypotheſi pluſquam comprehenſa certiſſime prævideri.

Multi ſunt, iique doctiſſimi, & acutiſſimi viri, quos cogitationibus, ac meditationibus hiſce meis non parum favere, & his affinia, aut conſentanea ſcripſiſſe reperio. Legendi præcipue Bellarminus, & Molina locis ſup. notat. Vaſquez in 1. part. diſp. 67. cap. 3. & 4. Henriquez in Sum. lib. ult. cap. 4. 6. 14. Maſcarenas diſput. 3. punct. 4. Præterea Aloyſius Legionenſis, Gonzalez de Avelda, Joannes Vincentius, Poncius, Aravius, Gibbonius, Xedeler, Hambertus, Henricus a S. Ignatio in diſputationibus de Scientia Dei, & de Gratia. Favent nobis præterea, qui futura conditionalia libera prænoſci volunt a Deo in ideis, in ſua bonitate, & eſſentia. Quorum meminit Ruiz Montoya de Scientia Dei diſp. 73. ſect. 1. & 2. Item qui res creatas a Deo cognoſci negant in ſe ipſis; quibus propterea ſuccenſet Izquierdo tract. 9. de Deo diſp. 28. propoſ. 4. Sed inter hos numerantur Suarez lib. 2. de Attribut. cap. 2. Ruiz de Scientia Dei diſput. 10. ſect. 2. Valentia punct. 3. concluſ. 1. præter alios ſupra nominatos. Denique ſuffragantur nobis etiam Scotiſtæ, qui ad decreta concomitantia opus eſſe cenſent rerum etiam opportunitates, & congruitates a Deo prænoſci, & attendi. Legendus Angelus a Monte Piloro tom. 2. par. 1. diſp. 47. art. 7.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Ac ſecundum Syſtema, ſeu Biblica Meditatio.

Nodus hic implicatiſſimus de Gratia, & libero arbitrio valde probabiliter ſolvitur, per auxilia compoſita; quorum quælibet pars libertatem indifferentiæ indemnem relinquat, & integram; totum verò auxilium neceſſitatem inſuperabilem, & indeclinabilem afferat, quam mox explicabimus.

TRibus modis poteſt hoc ſyſtema proponi, & accipi; ſive in tres hypotheſes tribui; de quibus breviſſime; Hæc prima. Aliud eſt Auxilium efficax, aliud vero *Adjutorium, quo*, de quo ſcripſit Auguſtinus in libro de Corrept. & Grat. cap. 12. n. 31. 32. 33. 34. &c. Auxilium efficax eſt ſimplex auxilium, quod præbet Deus ex voluntate, & conditionali prænotione ſalutaris aſſenſus: ſive hæc conditionalis prænotio ſit a priori, ut in præcedenti ſyſtemate; ſive ſit a poſteriori; qualem vulgo defendunt, & ad hoc ipſum prorſus neceſſariam Noſtri reputant. Simplex eſſe dixi, non quod illud in ſola Spiritus Sancti vel illuſtratione, vel inſpiratione poſitum arbitrer. Ex utraque conſtat: & tum mentem, tum cor hominis, plus minuſve, prout opus eſt, immutat, ac perficit. Simplex dixi, quia unum, ſeu particulare eſt; & ad unicam hominis actionem a Deo præſtitum. Secus vero, Adjutorium quo, eſt auxilium compoſitum, ac generale. Sive eſt collectio, ac ſeries plurimorum auxiliorum; quæ vel integro mortalis vitæ curſui reſpondent; vel pertinent ad vitæ partes præcipuas, ut *ad converſionem, ad prælium, & coronam, ſeu perſeverantiam uſque in finem*. Quæ diſerte Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. 13. n. 40. Quare adjutorium hujus generis alii unum, alii duo, aut tria, vel fortaſſe plura etiam accipiant; pro diverſo nimirum vitæ curſu, & itinere, quo ad coronam perducit Electos, qui *deducit illos in via mirabili*. (Sap. x. 17.) Nam ſolis Electis datur hoc adjutorium; cum perſeverantiæ donum ſecum ſemper afferat. Quamobrem Auguſtinus ex ſacra Scriptura hoc adjutorium, ſive hanc auxiliorum ſeriem & ordinem appellat etiam auxilium, & vocationem *ſecundum propoſitum; ac ſecundum Dei electionem*. Ita lib. 1. Retract. cap. 23. n. 3. epiſt. 149. ad Paulinum cap. 2. n. 22. lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 10. n. 22. lib. de Corrept. & Grat. c. 9. n. 21. 22. 23. de Præd. Sanct. c. 3. n. 7. &c. Porro auxilia, quibus continentur hæ ſeries, ſive ſint omnia efficacia, quod paucis Electis conceditur; ſive ſint partim efficacia, partim dumtaxat ſufficientia, quod eſt frequentius, & communius; ſunt tot, & talia; ſunt tali ordine, contextuque diſpoſita; ut quamvis inter ea nullum certum, ac definitum auxilium ſit, cui non poſſit reſiſti; alicui tamen cedendum ſit neceſſario: neceſſitate vaga illa quidem, quam vocant; attamen inſuperabili, & antecedente; ac proinde indeclinabili, ſive inevitabili. Quocirca inter auxilium efficax, & adjutorium quo illud etiam intereſt, quod ſi nomine efficaciæ ſignificatur connexio auxilii cum voluntatis aſſenſu; auxilium efficax tale eſt, non plane ex ſe ipſo; ſed partim ſaltem extrinſecus; ex ſcientia nimirum illa conditionali, qua prælucente, Deus auxilium illud decrevit. Contra vero adjutorium quo, efficax eſt plane ex ſe, & intrinſecus. Immo ob id ipſum appellatur, adjutorium *quo*, ut explicat Auguſtinus loco cit. n. 34. quia hoc adjutorio tam *fit id, propter quod datur, quam* *lea-*

Digitized by Google

beatitudine, *cum data fuerit*, *fit homo beatus*. Quod quidem beatitudo affert intrinſecus, & ex ſe. Jam vero finis, ſive effectus ille, cui obtinendo, hæc quaſi machina potentiſſima plurimis auxiliis conſerta adhibetur a Deo, uti ſunt Electorum converſio, pœnitentia, perſeverantia, & ſimilia; hi, inquam, effectus ſub conditione futuri prænoſcuntur a Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu neceſſariorum; quæ quidem ſit proprie talis. Effectus autem auxiliorum particularium, futuri pariter ſub conditione, prænoſcuntur per ſcientiam mediam; ſive illa ſit a priori, quæ facile revocatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ut dictum eſt in primo ſyſtemate; ſive ſit a poſteriori, quæ magis proprie eſt ſcientia media, & a nobis in quinta Propoſitione propugnabitur. Huic enim hypotheſi non repugnat, quod Deus aliquo modo expectet, aut certe attendat deliberationem cauſæ creatæ, ut certo prænoſcat quis futurus eſſet uſus ſingularis cujuſque auxilii: dummodo finis, ac fructus auxilii generalis certiſſimus ſit omnino a priori; & in Dei voluntatem, & altiſſima ipſius judicia, eo modo quo explicatum eſt, unice referatur.

His prænotatis, ſecunda hypotheſis paucis comprehenditur. In hac hypotheſi auxilium compoſitum, ſive Adjutorium quo Auguſtini, & auxilium efficax idem ſunt. Hoc vero ita eſt explicandum. Velit efficaciter Deu[illegible]c homine hanc ſalutarem actionem[illegible]ſcientia partim ſimplicis intelligentiæ, partim viſionis agnoſcit, quæ ſint auxilia per ſe, atque ex ſua natura magis attemperata, & convenientia ad hominis illius ingenium, & circumſtantias, in quibus eſt poſitus. Agnoſcit præterea, quæ collectio, ſeu quæ ſeries, & ordo auxiliorum iſtiuſmodi adducat ejus ſalutaris actionis neceſſitatem illam vagam, ſeu non definitam, quam ſupra expoſui. Et quidem cum effectus hic ſit, vage quidem, ſed tamen habito reſpectu ad totam ſeriem ſit re vera neceſſarius, agnoſcit id ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Ergo hac ſcientia inſtructus ſecum conſtituat, eam ſeriem auxiliorum, ſive illud adjutorium quo, ex pluribus illis auxiliis prætereuntibus, & aliis alia excipientibus compoſitum, homini illi impertire. Habeat vero, ex noſtro intelligendi more, hoc, aut ſimile decretum. Volo ex hac auxiliorum ſerie illi homini eatenus impertire, quoad actionem ſalutarem hanc edat. Decretum hoc ſtatim ſubſequitur ſcientia viſionis de actione illa abſolute futura. Immo etiam futura ſub primo auxilio; cum dixerim auxilia illa eſſe maxime attemperata, & appoſita, & quidem Dei ipſius judicio, & delectu. Cæterum neceſſe non eſt, hoc fieri ſub primo auxilio. Sub quoquo fiat, illud efficax erit; eoque terminabitur executio hujus primi decreti; ſeu collatio pertinens ad hanc primam ſeriem. Itaque in hac hypotheſi auxilium efficax eſt in actu primo, ut ita dicam, ſeu præſto, & in promptu totum adjutorium quo; re ipſa vero, ſive in actu ſecundo, uſuque ipſo, eſt unum aliquod ſingulare auxilium. Ac proinde in hac hypotheſi tota ſalutis noſtræ ratio, & œconomia adminiſtratur, ac regitur ſcientia dumtaxat ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: & cum ſit prorſus in poteſtate, ac voluntate Dei, ſitque eadem certiſſima, & efficaciſſima; humanæ tamen libertati non officit.

Tertia hypotheſis non admodum differt a ſecunda. Tantum Dei decretum proxime expoſitum ita refingit. Volo iſtius hominis menti tantum ſupernæ lucis affundere; ſuperiorem vero appetitum tanta charitate inflammare; in eoque delectationem cœleſtem uſque eo augere, & intendere, dum mihi conſentiat, & obſequatur; vel libere, & ut ipſi ſit laudi, ac merito; vel etiam, pro hac vice, non libere; ſine merito quidem, at non ſine utilitate. Sub hoc autem decretum, exiſtente jam ſcientia viſionis, ſtatim alterum addat: Et quia futurum abſolute prævideo, ut certæ iſti, ac definitæ menſuræ luminis, & charitatis, ſeu cœleſtis delectationis libere cedat; non addam reliquos gradus, qui ipſi neceſſitatem inferrent. In hac etiam hypotheſi auxilium efficax majus eſt, & latius patet præparatione, quam uſu. Sed in ſecunda hypotheſi, etiam in illis

lis

Digitized by Google

lis quæ tantum parata, & prompta eſſent; ſi conferrentur, ſervaretur libertas: ſecus vero in hac. Quocirca poteſt hoc admitti, tanquam adjutorii genus minus frequens, & ordinarium. Cæterum hæ tres hypotheſes, diverſæ quædam explicationes ſunt unius, ejuſdemque ſyſtematis, quod initio propoſitum eſt, & his potiſſimum Scripturæ locis ita probatur.

Hæc ad Rom. VIII. 28. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*. En adjutorium quo Auguſtini, ſupra deſcriptum; contextum ſcilicet ex plurimis, diverſiſque auxiliis, quorum aliis alia ſuccedant; eodem vero ſpectent, atque conſpirent omnia: *Omnia cooperantur in bonum*. Ut ſi uni repugnes, facile aſſentias alteri; omnino autem aſſentiendum tibi ſit alicui. Id ipſum traditur Sap. VIII. 1. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Fortiter intentione, ſive propoſito. Suaviter executione. Intentio, ſive propoſitum Dei nititur adjutorio quo, hoc eſt, auxilio illo compoſito ex pluribus, quod apportat per ſe, & intrinſecus inſuperabilem, & indeclinabilem conſentiendi neceſſitatem. Executio vero divini propoſiti, ſive decreti fit diſtribute, per partes, aliam poſt aliam, illius auxilii; inter quas nulla eſt, cui non poſſit reſiſti. Quid vero illa? Oſe. XI. 4. *traham eos in vinculis charitatis*. Ezech. IV. 8. *Ecce circumdedi te vinculis; & non te convertes a latere tuo in latus aliud*. Pſ. XXXI. 9. *In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te*. Eccli. VI. 31. *Vincula illius alligatura ſalutaris &c.* His omnibus ſignatur adjutorium quo; ſive auxilium compoſitum; ideſt auxiliorum ſeries, & quidam contextus, quo tanquam vinculo, modo amoris, modo timoris ad rectam, & ſalutarem vivendi rationem pertrahuntur homines; vel in ea retinentur. Idem non admodum diverſa metaphora exprimitur Iſa. XXIX. 3. *Et circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & jaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam*. Job. XIX. 8. *Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum*. Thren. III. 7. *Circumædificavit adverſum me, ut non egrediar*. Eſt adjutorium quo, quædam Animæ obſidio, mira divinorum auxiliorum quaſi collocatione, & diſpoſitu. Eſt ſeptum quoddam, & ædificatio in gyrum, ut ex re nota exemplum capiam, labyrintho ſimilis; in quo cum centum ſint oſtia, neque ullum ſit, quod fugæ non pateat; ſunt tamen ita diſpoſita, ut fugere, & liberum tibi ſit, & omnino non poſſis. Januæ te apertiſſimæ retinent. Sic in adjutorio quo quamvis indifferentia ſint auxilia ſingula; iiſdem tamen penitus illigamur, atque concludimur, *Miſericordia circumdati*. Pſalm. XXXI. 10.

De mente Auguſtini videtur non poſſe dubitari. In hoc enim præcipue erravit Janſenius, quod cum Auguſtinus videatur interdum in hominis facultatem liberam neceſſitatem antecedentem, eamque inſuperabilem invehere; opinatus eſt, ea duo poſſe ſimul conſiſtere; & in ſtatu naturæ lapſæ ad bene, & male merendum non requiri libertatem indifferentem, ſatis eſſe incoactam. De quo tertia ipſius propoſitio toties confixa. Jam vero hoc ſecundum ſyſtema in eo eſt totum, ut neceſſitatem illam cum libertate indifferentiæ ſano aliquo, & catholico ſenſu, ſive ratione componat. Ac tres hypotheſes ſupra propoſitæ tres ſunt explicationes eorum locorum, quibus ex Auguſtino maxime pugnant, & triumphare ſibi videntur Janſeniani. Quos pariter locos uſurpant, ſed alio intellectu, aliaque ratione multi etiam doctores catholici, qui propugnant divinæ Gratiæ auxilia per ſe intrinſecus efficacia; ideſt, cum ſalutari actione connexa. Habetis igitur in hoc ſyſtemate, quomodo intelligendum videatur, quod in libro de Corrept. & Grat. cap. 11. n. 31. *Primo eſt enim* (hoc eſt Gratia primo homini data) *qua fit, ut homo habeat juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua fit etiam, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat*. Et cap. 12. n. 38. *ſubventum eſt igitur infirmati voluntatis humanæ, ut divina Gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur*. Et quod cap. 14.

P 2 n. 45.

Digitized by Google

n. 45. *Deus tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates; ſine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandorum, omnipotentiſſimam poteſtatem.* Quæque horum ſimilia ſunt in Enchirid. cap. 98. n. 25. lib. de geſt. Pelag. cap. 3. n. 5. lib. 1. cont. duas Epiſtol. Pelag. cap. 19. n. 37. de Prædeſt. Sanct. cap. 19. n. 39. &c. Item quod Adjutorium quo, ut ſupra notavimus cum beatitudine comparat; qua quidem qui donatur a Deo, beatus efficitur prorſus neceſſario. Tandem quo tantopere exultant, ac fidunt Janſeniani; & quo vel uno doctrinam ſuam omnem de Gratia contineri, profeſſus eſt Janſenius tom. 3. lib. 4. cap. 6. locum Auguſtini celeberrimum in Expoſit. Epiſt. ad Galat. cap. 5. n. 49. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Quem locum alii explicant de neceſſitate conſequente voluntatis aſſenſum, quo delectationem in nobis regnare, ac dominari, libere ſinimus; alii de neceſſitate etiam antecedente, ſed tantum morali, quæ ſcilicet vinci queat; ego, ſi ſermo ſit de particulari quolibet actu certò, ac definite explicationes has probo; cæterum, propter illa omnia, quæ dicta ſunt, locum accipiendum reor etiam de neceſſitate & antecedente, & inſuperabili, ſed vaga: hoc eſt, quæ non uno certo, & particulari caſu, ſeu rerum articulo teneatur; ſed pluribus: ac ſeriem, tractum, ſucceſſionemque aliquam poſcat, & rerum, & temporis. Uno verbo; ut operari ſecundum id, quod nos amplius delectat, tam ſit neceſſe; quam neceſſe eſt, ſine extraordinaria gratia, ac privilegio, hominem labi in aliquod veniale peccatum. De quo nonnihil paulo infra. Interea etiam S. Thomas habet locum illuſtrem, & maxime expreſſum, quo poteſt hoc ſyſtema conſtabiliri. Sic enim q. 6. de Verit. a. 3. in corp. *Sicut videmus, quod omnia ſingularia unius ſpeciei ſunt corruptibilia, & tamen per ſucceſſionem unius ad alterum poteſt in eis ſecundum numerum ſalvari perpetuitas ſpeciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente. Et hoc modo eſt in Prædeſtinatione. Liberum enim arbitrium deficere poteſt a ſalute; tamen in eo, quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel ſi cadat, quod reſurgat; ſicut exhortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.*

Accedit ratio; quia cum Deus ſit omnino a ſe; atque adeo multorum ſententia, ejus hæc ſit propria notio, ac definitio, Ens a ſe; propterea cavendum maxime, ne in illo adſtruamus aliquid, quod ei non penitus aptum ſit ex ſe ipſo; ſed ſit ſuſpenſum extrinſecus; & potiſſimum ne ullo modo Dei voluntatem voluntati hominum ſubjiciamus. Quapropter huc etiam optime facerent ea omnia quæ Scriptura, & Patres de divinæ voluntatis ſumma libertate, ſupremoque dominatu prædicant. Sed cum daturus ſim illuſtriora in tertio inſequenti ſyſtemate; illis hic ſuperſedendum cenſui. Interea vero quin hoc ſyſtema aliquanto melius huic rei conſulat, non video qui poſſit dubitari. Siquidem in Schola noſtra Deus de auxiliis Gratiæ ſuæ nihil conſtituit, niſi Scientia media præeunte, eumque dirigente; & ſcientia quidem media, quæ ſit proprie talis; ideſt, qua aliquo modo expectatur, & in ſe ipſa præcognoſcitur cauſæ creatæ liberæ electio. Id quod Nicolao Martinez homini peracuto, ac ſcientiæ Mediæ defenſori egregio, a ſumma Dei, ut ipſe loquitur, independentia viſum eſt adeo alienum; ut propterea divinas prædefinitiones ſcientiæ Mediæ anteire, & ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ regi poſſe putaverit. Quæ opinio ab hoc ſecundo Syſtemate non longe diſtat; & cum prima ipſius hypotheſi facile poteſt penitus cohærere.

Addi poteſt ratio a poſteriori etiam; ſive, ab experientia; qua compertum eſt, aliquibus ex numero electorum, in quos Deus totam illam auxiliorum ſeriem, ac copiam, re ipſa, &, ut diximus, in actu ſecundo effundere voluit; ita liberum fuiſſe diſſentire ſingulis; ut tamen aſſentire alicui nec certo, nec definito, neceſſe fuerit. Videtur id confiteri de ſe Auguſtinus præſertim lib. 3. Confeſ. cap. 3. n. 5. ab iis maxime verbis. *Et circumvolabat ſuper me fidelis a longe*

Mi-

Digitized by Google

Miſericordia tua; hoc eſt, Gratia tua. Metaphora, & quaſi ſimilitudo ducta eſt ab accipitre, aliove ejuſdem generis alite ad aucupium condocto; qui ut domini non ſolum palato, ſed etiam oculis ferviat, emiſſus in prædam, in eam non ſubito involat: ſed illi, quocunque ſe ferat, ac verſet, vel occurrit ex adverſo, vel inſtat a tergo. Interdum altius evectus ita illi ſuperſtat, atque imminet; ut nuſquam vertere, ac movere ſe poſſit. Nondum capta, tenetur; & adhuc libera in alterius eſt poteſtate. *Circumvolabat ſuper me &c.* Quod Auguſtinus hic translate, & oratorie, deſcripſit proprie, & ſcholaſtice S. Thomas loco ſup. cit. utique ex experientia multorum.

Objicies hæc duo. Primum, non poſſe intelligi, quomodo ſeries auxiliorum, quibus ſingulis poſſit reſiſti, cum non ſimul omnia, ſed aliud detur poſt aliud, neceſſitatem conſentiendi afferant pluſquam moralem: &, hoc prætermiſſo, non poſſe intelligi, quomodo neceſſitas antecedens, ſi eſt pluſquam moralis, poſſit cum vera arbitrii libertate componi; ex illo nimirum ſcholæ noſtræ principio, Connexum, & inevitabile inimica libertati. Alterum eſt, auxilium compoſitum, ſive adjutorium quo in prima Syſtematis hujus hypotheſi neceſſarium eſſe ad ſalutem; cum ſit idem, ac vocatio, ſive auxilium ſecundum propoſitum, quo donatur perſeverantia: in ſecunda vero eſſe neceſſarium etiam ad ſingulos actus ſalutares; cum ſit idem quod auxilium efficax; & auxilium efficax in hoc ſyſtemate tale ſit per ſe, & intrinſecus; ac proinde tam ſine auxilio efficaci non poſſit eſſe actus ſalutaris; quam cum auxilio efficaci non poteſt non eſſe. Quare tollitur Gratia ſufficiens, & ſimul etiam arbitrii libertas ex alio Scholæ noſtræ principio, Quod eſt neceſſarium, nec poteſt acquiri, quibus deeſt, deeſt etiam libera agendi facultas.

Reſpondere poteris ad primum; contrariorum eamdem eſſe vim, ac poteſtatem. Utrumque illud facile intelligi, & planum fieri a contrario. Nam ſub ſimili prorſus neceſſitate vere, & proprie peccatur. Hoc eſt, ſub neceſſitate vaga, quemadmodum dixi; antecedenti, & inſuperabili. Utrum autem hæc dicenda videatur neceſſitas quædam moralis ſupremo gradu: an vero etiam morali major, immo & metaphyſica de hoc non laboro; modo talem eſſe concedas, quæ vinci plane non queat, quæ dicatur, & ſit prorſus inſuperabilis. Id vero probatur auctoritate Tridentini, quod Seſ. 6. can. 23. de peccato præſertim veniali ſic ſtatuit: *Si quis dixerit hominem poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Immo Doctor eximius lib. 1. de Grat. cap. 23 24. &c. Et complures alii docent, non poſſe hominem, ſine Gratia, vitare omnia peccata lethalia, quæ contra legem naturæ. En igitur ſeries tot, & talium tentationum, ſive occaſionum, quarum ſingulis reſiſti poteſt, caveri ſingulæ poſſunt; quæ tamen efficit inſuperabilem peccandi neceſſitatem. Neque hæc neceſſitas, vaga, & indefinita cum ſit, pugnat cum libertate indifferentiæ. Nam cæteroqui non peccaretur: quoniam ad peccatum vel dumtaxat veniale, ea libertate opus eſt. Quanquam locus Tridentini eo maxime pertinet, ut planum fiat, quod primum dicebatur, non poſſe intelligi, eſſe neceſſitatem etiam inſuperabilem, in ſerie, ac ſucceſſione tota, quæ non ſit in ſingulis partibus. Id ipſum clariſſime S. Thomas q. 24. de Verit. a. 1. ubi cum ſibi duodecimo loco objeciſſet ex Auguſtino, *hominem reſpectu peccatorum habere neceſſitatem, ante reparationem peccandi mortaliter, poſt reparationem peccandi ſaltem venialiter;* reſpondet, *id non officere libertati, quia habet neceſſe peccare hoc, vel illo peccato.* Principii illius, *Connexum, & inevitabile &c.* multæ ſunt exceptiones. Hæc ex dictis non ultima: libertati non officit, ſi connexio ſit indefinita, & vaga. Conſule Ulloam in Prodromo diſp. 5. cap. 13. n. 235.

Ad ſecundum, dices primo generatim, in neutra illa hypotheſi tolli Gratiam ſufficientem, aut lædi ullo modo libertatem arbitrii. Propterea quod in neutra hypotheſi cuiquam denegantur auxilia particularia, ex quibus facultas pleniſſima ſalutarium actionum, & quantum

tum

tum ad ſalutem æternam neceſſe eſt. Cum ex adultis reprobetur, & condemnetur nemo, niſi propter proprias, & particulares actiones; propter certa, & particularia peccata. Immo poteris huc facile accomodare ea omnia, quæ in celebri controverſia de Prædeſtinatione, & Reprobatione in Schola noſtra reſpondere ſolent, qui Deum prædeſtinaſſe homines ad vitam beatam, ac certum, fixum, & immutabilem electorum numerum conſtituiſſe volunt ante quam eorum merita abſolute futura præviderit. Immo etiam, ut aliqui volunt, ante ſcientiam Mediam. Ex ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Ideo quod exiſtimant cum libertate indifferentiæ ad ſingula auxilia ſuperna poſſe componi; atque adeo componi re ipſa, & conſiſtere neceſſitatem vagam conſentiendi alicui ex ſupernis ipſis auxiliis, quodcunque illud ſit. Et quidem neceſſitatem non qualemcunque, ſed plane inſuperabilem; qua Deus prudentiſſime, ac tutiſſime faciat, ſi ea vel ſola notitia hominem ad vitam beatam, tanquam mercedem, & coronam prædeſtinet.

Jam vero qui Prædeſtinationem non utcunque ante præviſa merita, ſed hoc etiam modo defendant, ab oppugnatione ſimiliter ducta ex noto illo axiomate, vel principio, *Quod eſt neceſſarium &c.* ita ſe facile expedient, ut negent hæc tria. Negabunt, Prædeſtinationem eſſe prorſus neceſſariam; negabunt, eam prorſus deeſſe; negabunt, eam prorſus acquiri non poſſe. In unoquoque ex his tribus capitibus, ſeu partibus, quibus ſtat principium illud, invenient, quod in re præſenti excipiant, quod labefactent, atque convellant. Nam primo, dicent, Prædeſtinatio aliqua vera ratione non eſt neceſſaria: cum Prædeſtinatio ſit aliquid externum; nec certe ſit neceſſaria tanquam principium, ſeu facultas agendi recte; & ſalutaliter, quo homo promeretur vitam æternam. Siquidem hæc facultas, Dei dono, eſt intra hominem ipſum; nec denegatur iis etiam, qui prædeſtinati non ſunt. Quibus nec verum omnino eſt eam deeſſe, quod erat ſecundum. Nam etſi deſit formaliter, ut ſic loquar, non deeſt æquivalenter. Cum præſto ipſis etiam ſit Gratia. Quibus autem datur proxima bene merendi facultas, aliquo vero modo in promptu etiam eſt retributio. Tandem vero pariter aliquo modo poteſt acquiri; indirecte ſcilicet, ac negative; cum impedire, & a ſe prohibere, & avertere condemnationem, reprobationemque ſuam tam ſit cuique liberum, quam liberum eſt non peccare. Immo etiam directe, & poſitive: ea tamen diſtinctione adhibita, qua uſus eſt Faſolus tom. 2. in 1. par. quæſt. 23. art. 5. dub. 2. n. 19. &c. ait enim, *prædeſtinationem formaliter ſumptam, pro benevolo affectu Dei, non eſſe in noſtra poteſtate; eſſe vero in noſtra poteſtate ſumptam terminative: hoc eſt in ordine ad executionem*, ſeu remunerationem, quæ ſequitur meritum. Legendi pariter Aldrete in 1. par. tom. 2. diſp. 23. ſect. 4. n. 15. &c. Haunoldus lib. 1. tract. 1. n. 553. Gormaz de Deo n. 9. 64. qui alios præterea citant, ut Molinam, Valentiam, Arrubal, Lugo, Granado Eſparza, Pallavicinum &c. Hæc ipſa tria dici poſſunt de divinis prædefinitionibus, etiamſi ſcientiam Mediam antegredi putentur. Item de Perſeverantiæ dono, ſeu gratia finali, quam vocant. Et tandem accomodari poſſunt ad auxilium compoſitum, quod hic modo defendimus: uti etiam ad auxilia efficacia, non quidem intrinſecus, & per ſe; neque per phyſicam Præmotionem, aut aliquid creatum ipſis ſuperadditum; neque per ſcientiam Mediam, ut decreta ſcientiam hanc ſubſequentia; neque per decreta concomitantia; ſed per divinam voluntatem omnino antecedentem. In quo erit tertium Syſtema. Hæc omnia iis tribus, quæ proxime dixi, quod ſcilicet aliquo vero modo, & non ſint neceſſaria, & non deſint, & poſſint acquiri, ſatis commode defenduntur ab ea oppugnatione, quæ ducitur ex illo principio: *Quod eſt neceſſarium, nec poteſt acquiri &c.* Cujus exacta explicatio peti poteſt ex Ulloa in Prodromo diſp. 5. cap. 14. n. 269.

Quoniam vero in oppugnatione attinguntur aliqua, quæ vobis obſcura, & ambigua poſſunt accidere; rem planius, & diſtinctius declaro, ſtatuantur duæ divinorum auxiliorum ſeries. Una contex-

tex-

Digitized by Google

texta ſit ex auxiliis ſupernis, a priori congruentibus; de qua ſcilicet Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſeu neceſſariorum illud certiſſime cognoſcat: ex illa ſerie neceſſitate vaga quidem, ſed inſuperabili, & indeclinabili, conſequi ſalutarem aſſenſum. Conſtet altera ex auxiliis non congruentibus; ex qua Deus eadem ſcientia, eademque certitudine cognoſcat, non ſequi idem, aut ſi vis etiam cognoſcat, ſequi vage, & indefinite contrarium. Hac cognitione prævia, in ea, quæ vult eſſe ultima, mortalis vitæ tempora, priorem ſeriem decernat electo; poſteriorem vero ei, qui in numero electorum non eſt. In Deo ipſo ſtatim, ac ſub illud, ut ajunt, ſignum, exoritur ſcientia viſionis de futuro illinc quidem voluntatis aſſenſu, hinc vero diſſenſu. Et ſub hanc viſionem; vel mortem, vel rationalis vitæ ultimum terminum utrique præfinit. Itaque eadem libertate, & facultate; immo & eadem interdum Gratiæ excitatione, atque motione, alius recte agit, ac perſeverat; alius non item.

Jam quod attinet ad ſecundam hypotheſim hujus ſyſtematis; decretum illud, quo Deus confert auxilium efficax, ſic, uti ſupra dicebam, exponitur. Ex hac ſerie auxiliorum, quæ ſingula ſunt accomodata, & congruentia ad hominis hujus ingenium, habitudinem, & circumſtantias, catenas ipſi impertire volo, quoad mihi aſſentientem ſe præbeat. Decretum hoc, quemadmodum ſupra notavi; illico ſequitur ſcientia viſionis de aſſenſu abſolute futuro; & ita quidem ſemper, aut fere ſemper (ſiquidem ad præſentem difficultatem hoc nihil refert) ut primo auxilio, ex ipſo illo Dei decreto, non addatur ſecundum. Itaque in hac hypotheſi auxilium efficax, ſi accipiatur copulate, hoc eſt, una cum tota ſerie, ac ſecundum præparationem divinæ voluntatis, ſive ut eſt in actu primo; idem eſt atque auxilium compoſitum, & eſt efficax, ſive connexum cum actione ſalutari intrinſecus, & per ſe. Si vero accipiatur diſtribute, per partes, ſecundum divinæ voluntatis executionem, ac voluntatis creatæ uſum; eſt, ut jam monui, ſingulare quoddam auxilium, intrinſecus, & per ſe indifferens; hoc eſt minime connexum cum actione ſalutari. Hæc vobis indicaſſe, & tantummodo informaſſe ſatis.

Ex pluribus, qui neceſſitatem hanc vagam, & indefinitam conſentiendi alicui ex divinis auxiliis admittunt, ac propugnant, tametſi nemo eſt, quem vobis poſſim legendum proponere ad confirmandas, & illuſtrandas præcipue hypotheſes ſecundam, & tertiam; a prima tamen hypotheſi, & generatim ab hoc ſyſtemate non longe abſunt Soncinas, Capreolus, Ferrarienſis, Pererius, Mariana, Deza, Verdu, Tiphanius, Joſephus de Vita, Ludovicus Thomaſſin in tractatibus de Scientia Dei, & divinæ Gratiæ Auxiliis.

PRO-

PROPOSITIO III.

Ac tertium Syſtema, ſeu Meditatio Biblica.

Gratia, & liberum arbitrium rectè etiam, & valde probabiliter conciliantur ea, quam veram, & genuinam arbitror S. Thomæ ſententiam, ac mox exponam; modo tamen huic ſententiæ, de mente ipſius Angelici Doctoris addatur aliquid, longè diverſum ab eo, quod illi addendum exiſtimant recentes Thomiſtæ, ſeu Prædeterminantes.

EXponitur, & probatur ſyſtema. Duo in rem præſentem docet S. Thomas. Primum eſt eam eſſe divinæ voluntatis efficaciam, ſive energiam, atque virtutem; ut non ſolum rem, ſed etiam rei modum attingat, & aſſequatur. Ac proinde non ſolum ut fiant quæcunque Deus ſimpliciter vult, ſed eo loco, tempore, circumſtantiis omnibus fiant, quibus ipſe vult. Fiant neceſſario, quæ vult fieri neceſſario; fiant libere, quæ vult fieri libere; & ita quidem fiant, quia ita fieri vult. Hæc verba ipſa ex par. 1. 19. a. 8. *Cum aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantum ſecundum id quod fit; ſed etiam ſecundum modum fiendi, vel eſſendi..... Cum igitur voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri. Vult autem quædam fieri neceſſario, quædam contingenter* (quod in hoc loco idem valet, ac libere) *ut ſit ordo in rebus, ac complementum univerſi*. Idem ipſum docet q. 22. a. 4. q. 23. a. 6. item 1. 2. q. 10. a. 4. lib. 3. cont. Gent. cap. 94. & aliis pluribus in locis, in quibus præſertim quæſtiones redeunt de Providentia, ac de Prædeſtinatione.

Hæc prima hujus ſyſtematis pars, ſive hæc Angelici magiſtri ſententia fundamentum habet in ſacris Literis, quæ ubique efficacitatem hanc divinæ voluntatis mirifice extollunt, ac prædicant. Qualia ſunt illa Job. XXXIII. 13. *Quodcunque voluit, hoc fecit* Pſalm. CXIII. 13. & CXXXIV. 6. *Omnia quæcunque voluit, fecit &c.* Prov. XIX. 21. *Multa cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit*. Et XXI. 1. *cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*. Iſa. XLVI. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Itemque LV. 11. 11. *verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum: ſed faciet quæcunque volui*. Eſth. XIII. 9. *Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati*. Quod eſt etiam Gen. L. 19. nec non Rom. IX. 19. ubi illud quoque 18. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Et pariter Eph. 1. 11. *prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ &c.*

Eadem ſuper his ſcripturæ locis mens eſt, & doctrina ſanctorum Patrum. Omnes arcanam hanc, &, ut iidem loquuntur, *omnipotentiſſimam, & invictiſſimam* vim divinæ voluntatis agnoſcunt; in eamque non tantum res omnes, ſed modos etiam quibus quæque fiunt, quemadmodum ſupra diximus, referunt. Ita præſertim Auguſtinus lib. 1. de Ordine cap. 10. n. 28. & lib. 2. cap. 19. n. 51. In Enchir. cap. 95. n. 24. & cap. 101. n. 26. lib. 5. de Civit. cap. 9. n. 4. lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. 20. n. 38. de Grat. & lib. Arbitr. cap. 20. n. 41. de Corrept. & Grat. cap. 14. n. 45. de Prædeſt. ſanct. cap. 20 n. 42. lib. 3. Oper. imperf. cont. Julian.

Julian. cap. 166. &c. Et tandem ſententia 58. ex collectione Proſperi. *Voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium, ſpiritaliumque motionum.*

Accedit ratio, tum generalis; quod hoc ad majorem Dei excellentiam multimodis pertinere videtur: ut ſcilicet eſt primus motor; ut prima cauſa; ſupremus proviſor, ac rector; rerum omnium principium, & finis. Tum peculiaris, quam attigit S. Thomas loco ſup. cit. nempe *ex debilitate virtutis activæ contingere, ut cauſam non ſemper conſequatur effectus, & re, & modo.* Imbecillitatis, ac defectus eſſe non aſſequi utrumque. Uno verbo; fruſtrationis prorſus omnis neſcia eſt efficacitas ſumma. Haud ſane minus, quam perſpicacitas itidem ſumma ſit expers omnis erroris.

Alterum, quod ad præſentem controverſiam docet S. Thomas, illud eſt, Dei voluntatem rebus, quas libere fieri vult, neceſſitatem minime imponere. Actionibus liberis aptaſſe cauſas proximas prorſus liberas, nulli eorum terminorum, ſive extremorum, inter quæ verſantur, affixas, aut alligatas. Ita diſertiſſime locis omnibus ſupra notatis. Itaque 1. 2. q. 10. a. 4. cum ſibi primo loco objeciſſet, *Deo, cum ſit infinitæ virtutis, reſiſti non poſſe; ideoque videri, quod voluntas ex neceſſitate moveatur a Deo*; ad hoc ita reſpondet: *Ad primum ergo dicendum, quod voluntas divina non ſolum ſe extendit, ut aliquid fiat, per rem quam movet, ſed etiam ut eo modo fiat, quo congruit naturæ ipſius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moveretur quod ſuæ naturæ non competit; quam ſi moveretur libere, prout competit ſuæ naturæ.* Quid ſit autem hæc motio libera luculenter declarat p. 1. q. 22. a. 2. ubi hominem moveri libere, ait, *quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum quaſi ab altero directæ in finem; non autem ſe ipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem; ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur, & eligunt.* Ac ne quis eo ſe recipiat, ut dicat, recte agendi neceſſitatem, ſi quam Deus infert ex Gratia, catenam quidem, & compedem eſſe, ſed auream, & libertati minime repugnantem; rurſus declarat Doctor Angelicus, quam velit eſſe hac etiam ex parte ſolutam, & nullo prorſus neceſſitatis vinculo conſtrictam Angelorum, & hominum facultatem. Sic enim p. 1. q. 62. a. 3. ad 2. *Inclinatio gratiæ non imponit neceſſitatem, ſed habens gratiam poteſt ea non uti.* Et q. 63. a. 7. ad 3. *Quantocunque inclinatio ad bonum fuerit in primo Angelo, tamen ei neceſſitatem non inducebat unde poterat per liberum arbitrium eam non ſequi.* Et q. 6. de malo art. unico: *Deus voluntatem movet, ſecundum ejus conditionem, non ut ex neceſſitate, ſed ut indeterminate ſe habentem ad multa.* Similiter in 2. Sent. diſt. 25. q. 1. a. 1. & 2. diſt. 39. q. 1. a. 1. q. 3. de Pot. a. 7. ad 12. & 13. Quodlib. 1. a. 7. ad 2. lib. 1. cont. Gent. c. 68. &c.

Porro hæc quoque ſecunda ſyſtematis pars habet ſua momenta, & ab auctoritate, & a ratione graviſſima; immo quod pertinet ad tuendam contra Calvinianos, & Janſenianos veram indifferentiæ libertatem, omnino certa, & indubitata. Quæ tamen hic omnia brevitatis cauſa prætermitto. Cum præſertim notiſſima ſint, & a vobis reperiri nullo negotio queant apud eos omnes, qui divinæ Gratiæ auxilia intrinſecus indifferentia, cumque actione ſalutari minime connexa defendunt.

Jam vero in hoc ſyſtemate, ſive in has duplici S. Thomæ ſententia, & doctrina auxilium efficax ex ſe, ſive, ut ajunt, ſpecificative acceptum, ac ſecundum entitatem, idem eſt, vel eſſe poteſt, quod auxilium ſufficiens. Differt autem extrinſecus ob eam rem, quod auxilium efficax eſt a Deo ſimpliciter, volente actum liberum ſalutarem; ad eumque obtinendum, auxilium illud aptante, atque ordinante. Quare Gratia, quæ alias ſufficiens, ſub hac Dei voluntate in hoc ſyſtemate efficax eſt. Dixi, a Deo ſimpliciter volente. Nam ſimpliciter velle apud S. Thomam idem eſt, ac efficaciter velle. Voluntas ineſficax apud ipſum, eſt *voluntas ſecundum quid; quæ magis poteſt dici velleitas, quam abſoluta voluntas.* Ita p. 1. q. 19. a. 6. ad 1.

Digitized by Google

Hoc ſyſtema planiſſimum, atque expeditiſſimum foret: ſed vere illi aliquid deeſt, quod a S. Thoma expreſſum non eſt. Nam præter aliqua, quæ afferemus in oppugnatione, omnino non poteſt intelligi, quomodo divina voluntas, mediis auxiliis indifferentibus; quibus reſiſti proxime poſſit; quæque nullam ſecum advehant inſuperabilem neceſſitatem; ſemper tamen obtineat, quod ſibi propoſuit; nec fruſtrationi ulli expoſita ſit.

Præmotio phyſica, quam addiderunt recentes Thomiſtæ præterquam quod videtur officere ſanctitati divinæ; vel non ſatis cohæret cum doctrina S. Thomæ expoſita in ſecunda ſyſtematis parte; vel difficultatem non expedit. Nam vel habet illa duo, quæ ipſi videntur tribuere; nimirum, ut ſit abſolute metaphyſice, per ſe, determinate connexa cum actione voluntatis creatæ, & non ſit ab ipſa vitabilis: vel hæc non habet. Si habet hæc duo, eo ipſo cauſas proximas uni extremorum devincit; quas prorſus ſolutas eſſe vult S. Thomas locis ſupra partim exſcriptis, partim duntaxat notatis. Neque S. Thomas ſolum, verum etiam ſacra omnis auctoritas, & ratio tum theologica, tum naturalis id ipſum omnino exigunt. Si vero phyſica Præmotio duo illa non habet; ea admiſſa, ac liberæ hominum, & Angelorum facultati ſuperinjecta, nihil proficitur. Fac enim qualitatem, remque iſtam, cujuſmodicunque eſſe velint, non eſſe illo modo connexam; vel eſſe in noſtra poteſtate illam a nobis arcere, aut excutere; fruſtrationi obnoxia erit nihilo ſecus divina voluntas &, quod conſequens eſt, incerta erit prædeſtinatio, ac tota ferme divinæ providentiæ ratio nutabit. Quippe quæ omnia in hoc ſyſtemate in Dei voluntatem referuntur, in eaque nituntur.

Recentiores Thomiſtæ hæc reputantes in diverſas abiere ſententias, quas refert Thomiſta, & ſcriptor recentiſſimus Antonius Boucat tom. 1. tract. 3. diſert. 4. Alii enim & ſane plures phyſicam præmotionem reſidere volunt *penes actum ſecundum*. Immo, ut ipſe adnotat, *aliqui eam non diſtinguunt a concurſu Dei ſimultaneo in actu ſecundo*; hoc eſt, ab actione, ſive opere ipſo a Deo ſimul, & a cauſa ſecunda libera edito. Quam actionem, ſive opus, ut a Deo proficiſcitur, vocant *prædeterminationem*, *præmotionemque phyſicam Dei*; ut vero proficiſcitur a cauſa ſecunda libera, vocant *deliberationem*, *electionem*, *determinationemque voluntatis creatæ*. Atque etiam illud addit, inter hos duos reſpectus, ſive habitudines unius ejuſdemque actus alios ita diſtinguere, ut velint, primam *ratione*, & *cauſalitate* eſſe priorem altera: alios vero eas velle omnino ſimul & re, & ratione. Hæc Boucat loco citato ex Didaco Alvarez; & aliis pluribus Thomiſtis, quos ibi nominat.

Ego vero in eodem perſiſto. Vel phyſica Præmotio ſic explicata habet duo illa quæ diximus, ut ſit connexa, & ſit inevitabilis; vel non habet. Si habet; quocunque eam loco, ſive momento, aut ſigno eſſe velit; officit libertati indifferentiæ: non poteſt intelligi, quomodo cauſa ſecunda prorſus ſolute, ac libere agat. Hoc eſt, ſic agat, ut ſuopte nutu, propriaque electione, & arbitrio proxime poſſit non agere. Si vero caret iis duobus, non poteſt intelligi, quomodo divina voluntas, media ejuſmodi re, ſemper aſſequatur, quod ſibi propoſuit, neque poſſit non aſſequi. Deinde peculiariter adverſus illos, qui Præmotionem non diſtinguunt ab actu ſecundo, ſive ab ipſa actione creatæ voluntatis. Quoniam Præmotio non ſolum connexa eſt cum actione, ſed ut iſti volunt, eſt re ipſa idem; quæro, an ſit etiam inevitabilis. Si eſt inevitabilis; cauſa ſecunda non erit actionum ſuarum domina, nec poterit illas omittere; ita nec libera erit. Si vero eſt evitabilis, nec admittatur ſcientia media; cauſa ſecunda libera Dei voluntatem interdum fruſtrabitur, vel fruſtrari ſaltem poterit.

Præterea cum duo ſimul phyſice, & efficienter concurrant in actum ſecundum, ſive ad hanc actionem; Deus ſcilicet, & cauſa ſecunda, vel Dei ſolius vere, & proprie eſt electio, ſeu determinatio, vel Dei ſimul, & cauſæ ſecundæ; vel ſolius cauſæ ſecundæ. Si primum dicant; reci-

Digitized by Google

recidunt in ſententiam Thomiſtarum rigidiorum, vel certe ad eoſdem ſcopulos offendunt. Nam cauſa, quæ vere, & proprie non eligit, nec vere, & proprie libera eſt. Si vero ajunt ſecundum, incidunt in ſententiam Scotiſtarum; neque in illum Dei concurſum proprie convenirent *prædeterminandi*, *ac præmovendi* nomina; ſed *condeterminandi*, *& concomitandi*, quæ uſurpant Scotiſtæ; quocirca hæc explicatio iiſdem etiam argumentis oppugnari poteſt. Nimirum quod hæc perpetua harmonia ſive conſenſio duarum voluntatum divinæ ſcilicet, & humanæ, nova ſit, & inſolens; neque auctoritate, aut ratione probetur; quod Deum dedecere videatur, ipſiuſque ſanctitatem offendere; immo etiam quod lædat libertatem creatam, nec cauſa ſecunda proprie eligat, ſi concurſus ille vitari non poteſt: vitari vero ſi poteſt, non valeat ad id, quod opus habemus, ac quærimus hic.

Jam tandem ſi dicunt tertium; hoc eſt Deum phyſice quidem, & efficienter concurrere; & ſi actio eſt ſalutaris, etiam prævenire, excitare, adjuvare voluntatem auxiliis ſupernis; &, ſi ita loqui placet, illam prædeterminare, ac præmovere; ſic tamen, ut ea proxime poſſit reſiſtere; denominationem vero eligentis, ac determinantis cadere in ſolam ipſam cauſam ſecundam, ad ſuperna quidem elevatam, & adjutam a Deo ſed tamen ſolutam, ac liberam; ſi, inquam, hæc dicunt, ad Societatis ſententiam accedunt. Quæ quidem ſententia ad Gratiam, & liberum arbitrium ſimul concilianda videtur omnium aptiſſima, ut in quinta Propoſitione planum faciam: veruntamen ab hoc tertio ſyſtemate eſt valde diverſa.

Siquidem in hoc tertio ſyſtemate, quod divina voluntas ad irritum cadere nequeat; neque poſſit effectum non dari, quod Deus ſimpliciter vult; in ſummam ipſius divinæ voluntatis energiam, efficacitatemque revocatur. In ſententia vero Societatis id ſcientiæ mediæ potiſſimum aſcribitur. Quæ quidem valde differunt. Nam etiamſi divina voluntas non eſſet tantæ virtutis, vel ea virtute in hanc rem non uteretur, neque totam, ut ita dicam, exereret; tamen cum Deus prævideat, ac certiſſime ſciat, fore, ut ſi hoc auxilium, his circumſtantiis, huic homini præbeat, illum aſſentientem habeat; hac ſcientia prælucente, poterit aſſenſum illum omnino velle, ac præfinire; quin afferat vel homini illi neceſſitatem, vel ſibi fruſtrationis periculum. Neque dicas, energiam hanc, & virtutem divinæ voluntatis, quod ad Deum ipſum pertinet, in ea ſcientia conſiſtere. Nam ſi proprie, ſive, ut ajunt, formaliter loqui volumus; aliud eſt efficacia, & vis voluntatis, aliud vero perſpicacia, & vis cognitionis. Et S. Thomas cum locis ſupra citatis Dei voluntatem efficaciſſimam, S. Auguſtinus autem invictiſſimam, & omnipotentiſſimam dixere, aliud, opinor, a ſcientia intelligi voluere. Itaque neque a Thomiſtis, neque a Scotiſtis, neque hic modo a Noſtris petendum videtur, quod huic tertio ſyſtemati deeſt. Excogitandum eſt aliud: & mihi quidem videtur huic rei ſatisfacere poſſe unum ex his tribus, quæ nunc breviſſime dicam.

Primum ducitur ex primo ſyſtemate, in quo diximus eſſe quædam auxilia, ſeu vocationes divinas, ita attemperatas hominis ingenio, & circumſtantiis; ut Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſeu certe a priori fore ſciat, ut, ſi homo ille ita vocetur, vocantem non reſpuat. Objectum fuit illi ſyſtemati; ſpectata dumtaxat rerum natura, ſive a priori, ne a Deo quidem haberi poſſe ea de re certitudinem pluſquam moralem; talem quidem, ſub qua nunquam, vel fere nunquam contrarium accidat; ſed tamen ſimpliciter poſſit accidere. Eſto ita ſit: detur id modo adverſariis. Tamen ſub ea tantum certitudine poteſt prudentiſſime Deus hoc, aut ſimili pacto decernere. Volo huic homini hoc auxilium conferre; & ab illo volo omnino hanc actionem; nempe vel libere, vel neceſſario: omnipotentia nimirum mea ita ad concurrendum parata, ut, niſi mihi conſentiat libere, conſentiat neceſſario. Prima pars ejus disjuncti, *vel libere*, *vel neceſſario*, cum a priori, ut diximus, habeat certitudinem moralem, & quidem ſupremi gradus, quam

Digitized by Google

Deo, perſpecta, & pluſquam comprehenſa auxilii natura, & hominis indole, adverſarii etiam concedunt; vel nunquam, vel fere nunquam opus erit, ut Deus ad obtinendam aliquam peculiarem actionem, inferat neceſſitatem. Quin etiam, cum neceſſitas illa decreta ſit a Deo, ea conditione, *niſi mihi conſentiat libere*, & hæc conditio in hominis ipſius ſit poteſtate; in ejuſdem pariter poteſtate erit neceſſitas illa; evitari poterit; non erit neceſſitas antecedens, ſed conſequens. Staret ſaltem, ſi adhiberetur ea neceſſitas, quod nunquam, aut fere nunqum fiet; ſtaret inquam, libertas ea ſaltem, quam vocant mediatam. Cæterum, ſi non reſiſtet, actio bona erit libera libertate proxima, ſive immediata. Fac enim, Deus hoc pacto decernat. Volo illi homini hoc auxilium ipſi attemperatum præbere; nulla illata neceſſitate, ſi mihi non reſiſtat; illata vero ſi reſiſtat. Ex dictis, vel nunquam, vel fere nunquam continget, hominem ſub auxilio attemperato, & a priori congruente reſiſtere. Quare non intervenient ibi duo actus ſecundi, unus immediate, alter mediate liber, pendens ex primo. Nam conditio illa, *ſi mihi non reſiſtet*, non præit actionem ſalutarem, ſed eſt omnino ſimul: & etiamſi eſſet aliquid prævium, non eſſet tamen aliquis actus, ſed potius negatio actus. Quare actus ſecundus unicus erit, nempe opus ipſum ſalutare, proxime liberum. Quin immo ſi vultis, Deum ſine ulla controverſia eſſe metaphyſice certum de ipſa illa conditione cauſæ ſcilicet ſecundæ non reſtituræ; adhibere licebit ſcientiam mediam, cujus conditionatum, quod vocant; ſeu quod ab ipſa conditionaliter enunciatur, ſit actus dumtaxat negativus non reſiſtendi. Nimirum ſic: Video fore, ut ſi dem illi homini hoc auxilium, ille mihi non ſit reſtiturus: volo dare; & una cum illo actionem hanc poſitivam efficere. Quo ſatis ſervabitur diverſitas hujus ſyſtematis a ſyſtemate Societatis. Cum in exercitio libero ſalutari diſtinguatur actus ſecundus recte agendi, a conditione vel prævia, vel ſimul tamen non reſiſtendi; & de hac ſit ſcientia media.

Secundum ducitur ex ſecundo ſyſtemate, in quo diximus, eſſe collectiones, ac ſeries tot, & talium auxiliorum, quæ afferant neceſſitatem, vagam illam quidem, & non definitam; ſed tamen prorſus inſuperabilem conſentiendi alicui ex ipſis. Objectum fuit; non poſſe intelligi, quomodo auxilia, quorum ſingulis poſſit reſiſti, univerſe afferant neceſſitatem pluſquam moralem; & quidem quæ vinci difficile poſſit, ſed tamen vinci ſimpliciter poſſit. Uno verbo; neceſſitatem illam non fore prorſus inſuperabilem; & qua Deus de futuro eventu certiſſimus ſit. Detur hic adverſariis, id eſſe verum, præſertim ſi auxilia illa non ſint magno numero. Detur, inquam, auxilia illa hoc non habere ex propria tantum natura: at id habere poſſunt ex divina voluntate. Seu propter hoc ſuperaddatur illis nova aliqua virtus, ſeu, pro hac nova virtute, ſit iiſdem ipſamet Dei voluntas; quæ defectum numeri ſuppleat, & ad immutandum, & emolliendum cor hominis in illis ſic agat; ut, quamvis inter ea nullum certum ſit auxilium, cui non poſſit reſiſti, alicui tamen vage, nec definite ſumpto cedendum omnino ſit. Omnino, inquam; ideſt, neceſſitate prorſus inſuperabili: ſic quidem, ut quæ ex rerum natura eſſet neceſſitas ſolum moralis, nec fortaſſe in eo genere maxima; ex voluntate divina ad ſupremum genus aſcendat; ac neceſſitas prorſus metaphyſica fiat.

Tertium mihi quidem videtur magis ad mentem S. Thomæ; ſed, quod magna cum reverentia dictum velim, neſcio, an ſit æque probabile. Illud igitur locis ſup. cit. docere videtur Doctor Angelicus, Deum ſatis conſulere libertati indifferentiæ cauſarum ſecundarum, ſi eas pro ipſarum captu, & natura moveat; nimirum illuſtrationibus, & inſpirationibus indifferentibus; ideſt, quibus reſiſtere proxime poſſint: nec quicquam illis ſuperaddat, quod eas uni contrariorum affigat. At, inquies; actio cauſæ ſecundæ vel poteſt ab illa omitti; vel non poteſt. Si poteſt omitti, nec admittitur ſcientia media, quæ Deum ea de re certum faciat; fieri poteſt, ut

Deus

Deus actionem illam fruſtra velit. Si vero non poteſt omitti; nec libere fit. Qui hoc ſyſtema hac tertia via defendere velit, hoc poſterius ita diſtinguere poterit: ſi non poteſt omitti, vel ex natura ipſa cauſæ ſecundæ; vel ex modo, quo movetur; vel certe ex aliqua re creata ipſi ſuperaddita; concedatur non fieri libere. Si non poteſt omitti, dumtaxat propter voluntatem divinam; negari poterit, actionem illam non fore liberam. Ratio negandi aliqua eſt; primum quidem, quod Dei voluntas externa eſt, & modum ipſum illum agendi, quem pro ſua natura facultas libera poſtulat, prorſus integrum, & immutatum ipſi relinquit. Deinde quia hæc eſt natura, & eſſentia rerum creatarum, ut ex Dei voluntate ſuſpenſa ſint omnia; ac nihil eſſe poſſit ullo modo, niſi Deus eo ipſiſſimo modo illud eſſe, aut velit, ſi bonum eſt; aut, ſi malum, permittat. Et pariter hæc natura, & eſſentia voluntatis divinæ, ut quicquid Deus fieri vult, aut permittit, illud fiat; & fiat eo prorſus modo, quo fieri vult, aut permittit. Ultra naturas vero, ſive eſſentias rerum inquirendum non eſt; eo contenti eſſe debemus.

Inſtabis; at hæc etiam eſt natura, & eſſentia actionis liberæ, ut liberæ, omitti eam poſſe. Quibus hæc tertia via placeat, ita diſtinguent, omitti poſſe; ſi ſpectes divinam voluntatem, ſive æternam Dei ſanctionem, permiſſionemve; negabunt. Si vero ſpectes cauſas proximas, ac temporalem rei illius executionem, effectionemque; concedent. At enim hoc eſt, quod nullo modo poteſt intelligi, quomodo, ſi executio, & effectio rei eſt vere ſoluta, ac libera; intentio, ſeu propoſitum Dei non ſit fruſtrabile, nec poſſit effectu carere. Aut vice verſa; ſic hoc non poteſt effectu carere; executio illa, ſive effectus ipſe ſit vere liber. Miror, hæc non intelligi ab eis, qui prædeſtinationem ante abſolutam meritorum prænotionem; &, quod majus eſt, cum prædeſtinationem ipſam, tum divinas prædefinitiones ante ipſam ſcientiam mediam conſtituunt. Nonne in ea ſententia eadem, aut ſimilis adhibenda diſtinctio inter æternam Dei intentionem, & temporalem rei executionem? Nempe ibi etiam, ſi primam ſpectes, non poteſt omitti ſalutaris aſſenſus, ne fruſtrationi exponatur divina voluntas; ſi vero alteram ſpectes, poteſt aſſenſus ille omitti, ne voluntati humanæ imponatur neceſſitas. Porro ut hæc magis eluceant,

Objicies duo. Primum, quæcunque ex tribus proxime propoſitis ineatur hujus Syſtematis ſuplendi, ac tuendi ratio; in illo non minus lædi facultatem liberam creatam, & ſanctitatem divinam, quam hoc ipſum fieri videatur in ſententia recentium Thomiſtarum. Id vero eodem argumento concludi. Siquidem in hoc Syſtemate divina voluntas efficax non eſt minus connexa cum actione bona cauſæ ſecundæ; nec magis ab ipſa vitabilis, quam Præmotio phyſica: & ſimiliter divina permiſſio non minus connectitur cum actione quæ mala eſt; nec poteſt vitari magis. Alterum eſt, in hoc Syſtemate vel tolli Gratiam ſufficientem; vel certe qui peccant, & condemnantur, nonnihil queri poſſe, vel aliquam excuſationem habere; quippe cum Deus erga illos eandem voluntatem non habuerit, quam habuit erga alios; ac multa ipſis negarit, quæ aliis conceſſit: nec quod ipſis negarit, iiſdem imputari poſſit. Quæ contra duo præcedentia Syſtemata pariter faciunt.

Reſpondeo ad primum, falſam eſſe utramque partem antecedentis; ad argumentum vero, quo id concludi putatur, ajo multum intereſſe inter Dei voluntatem, ſeu decernentem, ſeu permittentem, & phyſicam Præmotionem. Nam quod pertinet ad connexionem; Dei voluntas eſt ita connexa cum actione creata, ut media ſit tamen divinæ ipſius voluntatis executio, ſeu indifferentium auxiliorum adminiſtratio prorſus ſoluta, ac libera, hoc eſt, nihil illis auxilii admiſcens, quod vinci, & cui reſiſti non poſſit: quemadmodum tribus modis paulo ante expoſuimus. Inter Præmotionem autem, & actionem adeo nihil medium, ut aliquorum Thomiſtarum ſententia re ipſa idem ſit. Deinde, hæc Dei voluntas externa eſt, & agendi modum facultatis liberæ proprium nihil immu-

mu-

mutat ; ſecus vero Præmotio , quæ in ipſam recipitur, eique intrinſecus ineſt : & , ut apud ipſius defenſores invenio , eſt virtus , ſeu vis aliqua agendi ; eſt , & quidem per ſe, & ex rei natura, & eſſentia, unum ex iis, quæ vocant prærequiſita ad agendum . Tandem quod erat alterum, hæc divina voluntas quantumvis efficax , non eſt plane inevitabilis ; ut Præmotio . Etſi enim in hoc ſyſtemate fieri non poteſt a nobis, ne Deus hanc ; aut illam actionem , ſeu voluntatis aſſenſum ſimpliciter velit , fieri tamen poteſt , ne hæc Dei voluntas nos afficiat, & urgeat . Inevitabilis eſt , ut ſcholaſtice loquar, in exiſtendo ; non vero in alligando , & adſtringendo . Hac diſtinctione ſe ſe tutantur , qui Prædefinitiones Scientiam Mediam antecedentes propugnant . Hæ namque hoc tantum exigunt eſſentia ſua ; ſcilicet inter divina auxilia eſſe vage , & indefinite aliqua , quæ prævideantur congrua ; & unum aliquod ex his conferri . Quo libertas creata, ſoluta remanet, neque ullo modo conſtringitur. Eadem diſtinctione utuntur, qui , quod Chriſtus peccare non potuerit , ipſiuſque Humanitas vere , & proprie libera fuerit ad obediendum præcepto , ea ſimul ratione componunt ; quod ſcilicet Unio hypoſtatica ex ſua natura, & eſſentia reſpuat auxilia indifferentia , quæ prævideantur incongrua ; & poſtulet alia, quæ prævideantur congrua ; vage tamen , & indeterminate , hæc nimirum , vel illa. Quæ facile poſſunt ad rem præſentem traduci . In ea enim ſententia, quamvis Unio hypoſtatica ſit metaphyſice connexa cum actu obediendi, & in exiſtendo ſit inevitabilis ; eſt tamen vitabilis in afficiendo, & ligando ; nimirum Chriſti Humanitatem nulla premit antecedenti neceſſitate . Breviſſime : quicquid reſponderi ſolet , aut poteſt ab iis , qui prædefinitiones , aut prædeſtinationem omnino antecedentes defendunt , quando illis objicitur , eas eſſe aliquid ſeu neceſſarium, & quod acquiri nequeat ; ſeu connexum , & quod evitari non poſſit : eo ipſo refelli poterunt , qui de divina voluntate omnino antecedente eadem vobis objecerint . Et de primo quidem dictum eſt ſatis in præcedente Propoſ. de ſecundo autem hæc vobis aliquanto copioſius tradenda eſſe cenſui.

Inſtabis , ac dices , exempla hæc ad rem, de qua agitur, non ſatis convenire. Nam quamvis , Recentiorum quorundam ſententia , & Prædeſtinatio, & ipſæ divinæ Prædefinitiones Scientiam Mediam antevertant ; ipſarum tamen executio eam ſubſequitur , & ab illa regitur : quemadmodum eadem ſcientia regebatur particularium auxiliorum collatio , quæ Chriſti Humanitati ſubminiſtrabantur. In hoc autem ſyſtemate nullus eſt uſus ſcientiæ Mediæ; vel is certe non eſt , qui apud hos Recentiores , & omnino intra Scholam Societatis . Reſpondeo, exempla illa a me eſſe allata ad declarandam diſtinctionem proxime adhibitam . Quo quidem maxime faciunt, & congruunt. Siquidem ibi etiam inter Dei propoſitum efficax , & executionem eodem modo diſtinguitur : & executionis beneficio Cauſarum ſecundarum libertati ſatis cautum putatur. Poſſunt vero hæc ipſa paulo aliter exponi. Si voluntas duplex diſtinguatur in Deo ; & ſibi quidpiam proponens, & exequens. Seu melius ; ſi in una eademque Dei voluntate diſtinguantur hæc duo : & quo aliquid ſibi proponit ; ſeu, more noſtro , ut eſt intentio finis ; & quo fertur ad illud perficiendum ; ſive, ut eſt electio , ac præparatio quaſi mediorum . In quo ſecundo cum habeatur libertatis noſtræ ratio, deturque ipſius exercitationi , ac functioni liberæ locus ; divinam voluntatem non prorſus, & ex omni parte & connexam cum humanis actionibus , & inevitabilem, propterea dicimus . Cæterum quod Deus quæ ex ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſibi propoſuit, ad ea exequenda ſcientiam mediam velut in conſilium adhibeat , eſt quidem libertatis noſtræ tuendæ , immo & aſſequendi & re, & modo propoſitum ſuum optima ratio; ſed non eſt unica. Atque ego pertentari plures a vobis antea volui : ut ad illam tandem vos planius , ac ſuavius adducerem ; animoque, & eruditione melius paratos. Sive etiam ut hujus anni Tractatu, tanquam in aliqua pinacotheca , aut muſeo , quæ meliora ſunt , non ſtatim vobis oſtenderem : ſed quodam

dam

dam doctrinæ proceſſu veſtræ vel diſcendi cupiditati, vel curioſitati ſatisfacerem. Ergo quamvis in hoc ſyſtemate ad exequenda divina decreta uſus non ſit Scientiæ Mediæ; tria tamen invenimus, quæ idem conficiant; &, ut videtur, ſatis appoſite, & convenienter ad cauſas liberas permovendas.

Primum ſcilicet ex primo ſyſtemate, mediis auxiliis maxime quidem attemperatis, ſed plane indifferentibus. Secundum ex ſecundo ſyſtemate, per auxilia compoſita; ſed cum nobis dentur ſingulatim, ac per partes, ſimiliter indifferentia. Tertium eodem pariter indifferentium auxiliorum genere; qualia prorſus deſcribuntur in Schola noſtra. Niſi quod externa eorum efficacitas ſive connexio cum actione creata in hoc ſyſtemate non deſumitur ex Dei ſcientia, ſed ex Dei voluntate. Ex hâc nimirum accipiunt, non quidem ut eis non poſſit reſiſti; ſed ut ne reſiſtatur. At quomodo accipiunt, ut ipſis non reſiſtatur, niſi ſimul accipiant, ne poſſit ipſis reſiſti? Quia actionis ſalutaris, ac liberæ, ut liberæ, hæc eſt eſſentia, ita eſſe ex Gratia, ut ei repugnari potuerit; ſed tamen repugnatum non ſit. Eſſentiæ autem rerum omnium, non quidem formaliter, ut ſcholaſtice loquar, ſed efficienter ex Dei voluntate omnino, & quam cogitari poteſt maxime pendent. Nec divina voluntas, ſi auxiliis illis plus daret, quam ut ipſis non reſiſtatur; cauſas liberas ſatis apte moveret, aut obtineret & re, & modo, quod ſibi propoſuit. Uno verbo; hoc ipſum vult Deus, nimirum ut facultas libera proxime potens reſiſtere non reſiſtat, & ut vult ita fit. Quod poteſt ſic etiam concludi. Ita ſunt res omnes ſuſpenſæ ex voluntate divina, ut quicquid quoquo modo aliquando eſt, arguat, Deum ab omni æternitate voluiſſe, ipſum illud aliquando eſſe, & ipſo illo modo, quo eſt. Actio autem hæc ſalutaris, eſt ex Gratia; & ita eſt, ut cum poſſit Gratiæ reſiſti, ei non reſiſtatur. Deus igitur ab omni æternitate voluit, actionem hanc ſalutarem aliquando eſſe ex Gratia, & ita eſſe, ut cum poſſit Gratiæ reſiſti, ei tamen non reſiſtatur.

Quod ſi nondum acquieſcitis, ac ſine ſcientia Media non putatis, hæc recte componi; vobis, & mihi ipſi tandem ſatisfaciam. Detur Scientiæ Mediæ in hoc ſyſtemate locus. Licebit hac etiam ſcientia ad divinarum voluntatum executionem admiſſa, proprium Syſtematis hujus characterem ſervare; ut a Societatis doctrina ſic quoque differat. Quo tandem pacto? Si in Dei voluntatem referatis, & ab illa proficiſci concedatis neceſſitatem vagam, nec tantum moralem, ſed metaphyſicam conſentiendi alicui auxilio, non quidem ex parvo numero, aut certa ſerie auxiliorum, ut in ſecundo ſyſtemate; ſed ex infinitis qualem neceſſitatem adſtruunt in Schola etiam noſtra illi omnes, qui divinas prædifinitiones Scientiæ Mediæ præeuntes defendunt. Nam qui divinæ voluntati hoc attribuat; quamvis deinde ad exequenda decreta ſcientiæ mediæ locum eſſe velit, ejuſque directionem adhibeat, uti re vera adhibent noſtri illi doctores; ab iiſdem tamen eo ſaltem diſſentiet, quod illi neceſſitatem, quam diximus, revocant in rerum ipſarum naturam, nempe in naturam ſupernorum auxiliorum, & voluntatis humanæ; hic vero illam revocaret in efficaciam, & energiam voluntatis divinæ. Immo in voluntate ipſa divina neceſſitatem hanc vagam, & methaphyſicam conſtitueret; quæ cæteroquin in rebus ipſis eſt fortaſſe tantum moralis. In hoc autem adhuc remanet propria differentia, & diverſitas, ſeu nota, & character Syſtematis hujus. Hæc enim eſt ſumma illa virtus, & energia divinæ voluntatis, de qua initio dictum eſt; quod ea ſit metaphyſica neceſſitas, vel definita; vel, ſi hoc non probatur, indefinita conſentiendi divinis auxiliis.

Sed hic iterum inſtabis. Prædefinitio, qua Deus ante ſcientiam mediam ita decernat: Volo efficaciter aſſenſum Petri, ſub aliqua vocatione, quam congruam videro; eſto relinquat libertatem indifferentiæ quod ad modum, eam tamen non ſervat quod ad rem, ſive ſubſtantiam. Si igitur exemplum hoc facit ad id, de quo agitur, in hoc etiam ſyſtemate, ſervatur libertatis modus; res, & ſu-

ſubſtantia tollitur. Probatur antecedens. Quia, quamvis executio dirigatur ſcientia media; tamen voluntatis aſſenſus, ut aſſenſus eſt a Deo prædefinitur, & prorſus neceſſarius, & inevitabilis: neque cum divina illa prædefinitione poteſt componi negatio aſſenſus, ſive aliquis omnino diſſenſus. Exemplis id illuſtratur. Nam ſi Petro per phyſicam præmotionem, aut aliud, adhibeatur ſcribendi neceſſitas, & ſolum liberum relinquatur, quo malit calamo uti; hoc nempe, vel illo: ſcriptio profecto illa nec eſſet, nec dici poſſet ſimpliciter libera, & quoad ſubſtantiam; ſed tantum ſecundum quid, & quoad modum. Similiter, ſi cogatur aliquis ſe interficere; & ipſi optio tantummodo detur eligendi mortis genus, vel inſtrumentum; is quod ſe interficiet, haud faciet ſimpliciter libere. Item, die feſto præceptum eſt audiendi Sacrum; non quidem hoc, vel illud definite, ſed indefinite: nihilo tamen minus auditio Sacri dicitur abſolute, & ſimpliciter obligata; & in genere morali non eſt, niſi ſecundum quid, libera. Horum autem omnium cauſa illa eſſe videtur, quam dicebam; actiones nimirum noſtras ea ratione neceſſarias eſſe, & non liberas, qua ratione afficiuntur neceſſitate antecedenti, ſeu quæ a nobis nec vinci, nec vitari queat. Ea vero prædefinitione poſita, quæcunque ipſius ſit executio, aſſenſus voluntatis noſtræ, ſecundum rem, & ſubſtantiam aſſenſus, afficitur iſtiuſmodi neceſſitate. Non eſt igitur ſecundum rem, & ſubſtantiam vere, & proprie liber.

Reſpondeo, totum hoc argumentum, & ſimilitudines, quibus illuſtratur ad aliam quæſtionem pertinere; quam hic præſcindere jure poſſem. Verum, quoniam illi quæſtioni non erit fortaſſe apud me alibi locus; ejuſque cognitionem ad hæc duo ſyſtemata, tertium, & ſecundum, melius percipienda, & tuenda apprime facere arbitror; ad hæc omnia, quæ objiciuntur dicam aliquid breviter. Sed, cum rei aſperitas, & ſubtilitas aliud dicendi genus non facile admittat; ſcholaſtice loqui pergam, quod hic dudum cœpi; & in hoc Tractatu neceſſe eſt ſæpiuſcule facere.

Diſtinguo igitur quod primum erat. Non ſervatur libertas aſſenſus, quoad ſubſtantiam, aliqua peculiari ratione, ſeu genere libertatis pertinentis ad ſubſtantiam aſſenſus; concedo antecedens: nulla ratione, ſeu nullo genere libertatis pertinentis ad ſubſtantiam aſſenſus; nego antecedens. Ac proinde etiam quod inde concluditur. Facile factu eſt, ut res hæc inter Noſtros cæteroqui maxime controverſa redigatur ad quæſtionem fere de voce. Nam ſi conveniat inter nos, quod hæc ſingularis, ſive individua Petri libertas, ſeu facultas libere ponat aſſenſum potius, quam diſſenſum: num proinde aſſenſus ille dicendus ſit liber quoad ſubſtantiam; an vero tantum quoad modum; multum in hoc erit de modo loquendi. Cæterum de re ipſa ita diſſero. Quod cauſa ſecunda libera diſſentire poſſit omnibus auxiliis, ſine ulla neceſſitate conſentiendi aliquibus vage, & indefinite ſumptis, eſt procul dubio peculiaris aliqua ratio, ac genus aliquod libertatis, & quidem pertinentis ad ſubſtantiam conſenſus, & diſſenſus. Hoc autem libertatis genere profecto careret cauſa ſecunda libera, iſtiuſmodi prædefinitione poſita. Item eſt aliquod genus libertatis pertinentis ad ſubſtantiam conſenſus, poſſe impedire omnem prædefinitionem de conſenſu ab ipſa præbendo, ita ut nullus ſit abſolute futurus. Hæc vero libertas pariter Cauſæ illi deeſſet. Quæ quamvis ita ſe habeant, ſupereſt tamen adhuc vera aliqua libertas ad rem ipſam conſenſus, ut ab hac cauſa, ſub hoc auxilio, ſeu ſub hac libertate exhibendi. Ratio eſt; quia hæc libertas eſt expeditiſsima ad aſſenſum, & diſſenſum hic, & nunc eligendum, ac producendum: & ſub ea prædefinitione ita vocationi conſentit, ut etiam ſine ejuſmodi prædefinitione eidem vocationi nihilo ſecus conſentiret. Quare integer ipſius actus primus proximus, ſeu proxima agendi facultas nihil habet, quo ita permoveatur ad ponendum aſſenſum, ut ei reſiſtere nequeat. Nam quæ modo ultro conceſſimus, & confeſſi ſumus, non ſunt certe aliquid ejuſmodi, neque illud inducunt. Siquidem neceſſitas vaga alicujus aſſenſus

ſus ſub aliqua libertate, non exigit aſſenſum ab hac definite libertate; & ſine tali ipſius aſſenſu optime poteſt conſiſtere. Prædeſinitio pariter non poſtulat ab hac ipſa ſingulari libertate conſenſum; & ſine illo ſimiliter ſtaret. Præterea neque illa neceſſitas, neque hæc prædefinitio efficiunt, atque componunt hunc actum primum proximum, ſeu proximam hanc facultatem; quæ ſcilicet non conſtat ex aliis, quam ex iis omnibus, & ſolis, quæ per ſcientiam mediam ex parte hypotheſis prævidentur. Neceſſitas illa vaga alicujus auxilii congrui conflatur per multitudinem auxiliorum infinitam. Hæc ſane multitudo non eſt pars, ſeu conſtitutivum, quod vocant, hujus proximæ facultatis. Præterea hæc ipſa proxima facultas, ſive actus primus proximus ea prædefinitione non indiget: quippe quæ nec phyſice agit in ejus aſſenſum, neque moraliter, alliciendo ſcilicet, ſuadendove. Immo eſt ab illo remotior, quam ſit prædefinitio pendens a ſcientia media: quæ per ſe, atque eſſentia ſua definite, atque efficienter hanc libertatem adducit. Prædefinitio autem ſcientiam mediam prævertens non habet hoc.

Neque dicas, opus eſſe, hanc libertatem, ut intelligatur recte conſtituta, & expedita ad conſenſum, & diſſenſum, conſtare, præter cætera, ex negatione, ſive amotione, & abſentia tum vagæ illius neceſſitatis, tum antecedentis hujus prædefinitionis. Namque id quam facile ajunt multi, tam conſtanter pernegant alii; & contrarium probant. Ideo enim hic actus primus proximus ea negatione conſtare deberet; quia quilibet actus primus proximus libertatis excludere debet quicquid immediate, ut loquuntur, & irreſiſtibiliter determinat voluntatem ad unum. Verum neque illa neceſſitas vaga, neque hæc prædefinitio, quæ in ea neceſſitate nititur, ſunt hujuſmodi: quoniam, ut diximus, neutrum petit ab hac definite libertate ipſius aſſenſum: utrumque contentum eſt aſſenſu libertatis alicujus, quæcunque illa fuerit, quæ prævideatur aſſenſura.

Urgebis adhuc: Tametſi ea prædefinitio poteſt eſſe ſine conſenſu hujus libertatis; tamen, ſi ſimul componantur, & coeant; hoc eſt, ſi hæc prædefinitio exiſtat una cum ea libertate, ut ſic conjuncta ipſius aſſenſum omnino exigit: ſive hæc ipſarum conjunctio ſine aſſenſu illo eſſe non poteſt. Reſpondeo, id eſſe verum de impotentia, quam vocant, conſequenti; non vero de impotentia antecedenti. Ratio illa eſt: quia hæc conjunctio evitabilis eſt ab hac libertate; quæ licet non poſſit efficere, ne hæc prædefinitio exiſtat; potuit tamen intentionaliter, ut ajunt, & indirecte hoc obtinere, ne in ejus prædefinitionis conſortium veniret ipſa; potuit obtinere, ne cum illa conjungeretur; ſive potuit obtinere, ut ab illa reſpueretur, excluderetur que. Potuit enim prævideri diſſenſura; quod ſi de hac libertate prævifum fuiſſet; Deus hanc libertatem non dediſſet; ſed aliam, de qua aliud prævidiſſet. Atque hoc illud eſt, quod initio dixi, has prædefinitiones evitabiles eſſe, non quidem in exiſtendo, ſed in afficiendo, & alligando.

Simili ratiocinatione utimur ad expediendam aliam difficultatem, quæ petitur ex ſcientia media, quam vocant reflexam. Fac enim eſſe in Deo hanc ſcientiam de ſe ipſo, quæ id enunciet; ſeu, ſic exponenda videatur. Si ego haberem libertatem conſtitutam per ſcientiam mediam directam de malo uſu, ſeu de diſſenſu libertatis *A*, eam non conferrem, v.g. Deiparæ: ſive (admiſſa ea ſententia, de qua ſupra indicavi) Chriſti Humanitati. Hæc ſcientia cum ſit inevitabilis a libertate creata, & ſit abſolute, determinate, ac metaphyſice oppoſita diſſenſui ejus libertatis; ex ſcholæ noſtræ principiis, videtur cum vera libertate conciliari non poſſe. Porro ita diſſero. Ea ſcientia certe non eſt oppoſita diſſenſui, ut conditionaliter prævifo ſub libertate *A* non exiſtente: id eſt manifeſtum. Si vero ſermo ſit de libertate *A* exiſtente; ſcientia illa ita eſt oppoſita ipſius diſſenſui, ut illum non excludat per ſe ipſam; ſed inveniat excluſum aliunde; nimirum per eamdem libertatem, quæ non exiſteret, niſi prævifum fuiſſet, eam pro ſuo arbitrio, & electione excluſura diſſenſum. Quo qui-

Digitized by Google

dem ſit, ut ea ſcientia non afferat huic libertati neceſſitatem conſentiendi prorſus inevitabilem. Neceſſitas, quæ afferretur, ex utroque eſſet conflata, ex ea ſcientia, & ex hac libertate; ac proinde eſſet conjunctio utriuſque. Atqui hæc libertas impedire poteſt hanc conjunctionem; nempe impediendo intentionaliter, ut dictum eſt, & indirecte ſe ipſam. Nam ſi Deus prævidiſſet, eam eſſe diſſenſuram; non illam, ſed aliam libertatem cum ea ſcientia reflexa ſupra expoſita conjunxiſſet. Ex quo illud etiam ſequitur, ut hæc libertas ſit proxime potens, utrum voluerit, facere; vel diſſentire ſcilicet, vel conſentire: ſed conſequenti neceſſitate hoc ſecundum ei faciendum ſit; quia hoc ſecundum de illa prænovit Deus per ſcientiam mediam directam, ab ea ſcientia media reflexa nullo modo dependentem. Sed hæc alio ſpectant.

Hic illud tantum notatum volo; de communi ſententia Noſtrorum, per hanc ſcientiam mediam reflexam minime tolli, aut lædi rem ipſam, ſive ſubſtantiam conſenſus liberi; licet facultas libera ſub ea ſit antecedenti neceſſitate vel conſentiendi, vel non exiſtendi. Quo planum ſit, non omnem ſpecialem neceſſitatem, quæ disjunctive afficiat ſubſtantiam ipſam conſenſus, lædere libertatem ejuſdem conſenſus quoad ſubſtantiam; dummodo retineatur actus primus proximus quoad ſubſtantiam indifferens.

Præterea, cum res ſit hic mihi cum Noſtris, qui ſub prædefinitionibus ſcientiam mediam antegreſſis putant non remanere libertatem indifferentiæ vere, & proprie, & quantum ſatis eſt ad promerendam vitam beatam; qui, inquam, ſic opinantur, iidem vulgo nobis concedunt, vel ſaltem dant, libertatem hanc remanere, etiamſi neceſſe ſit, & quidem neceſſitate prorſus inſuperabili, ac metaphyſica, ut cauſa libera prævideatur auxiliis aliquibus vage, & indefinite aſſenſura. Porro admiſſa neceſſitate illa, tanquam libertati non inimica; argumentum a pari, aut ſimili efficaciſſimum mihi videtur enaſci. Nam ſicuti per ſcientiam mediam conſenſus conditionaliter futurus prævidetur liber abſolute, & quoad ſubſtantiam, & omnino vim meriti obtinens, ſub hac definite libertate *A*, quanquam ſit metaphyſice neceſſarium, eum prævideri futurum ſub aliqua indefinite libertate: ſic pariter erit conſenſus abſolute, & quoad ſubſtantiam liber, obtinebitque vim meriti, ſub hac definite libertate; etiamſi ex prædefinitione ſcientiam mediam antegreſſa adſit metaphyſica, & inevitabilis neceſſitas, ut conſenſus abſolute futurus ſit, & exiſtat ſub libertate aliqua indefinite. Quod enim hic præſtat præſens, ſive actualis prædefinitio; idem ipſum præſtat ibi præſens, ſive actualis Dei excellentia, ac dominium, vel rerum ipſarum natura, aut quicquid illud ſit, in quo poſitam volunt metaphyſicam neceſſitatem alicujus ſcientiæ mediæ affirmantis, ſeu alicujus ſcientiæ mediæ de alicujus libertatis congruitate.

Quamobrem triplici potiſſimum ratione mihi videtur ſatis valide confici, conſenſum illum, de quo dudum hic loquimur, licet eo modo prædefinitum, eſſe tamen vere liberum, ac præmio dignum, ſub libertate hac definite. Primum ex ipſa hypotheſis hujus natura; ſeu, ſpectatis iis, quæ ſunt intrinſecus in ipſa re. Quia ſcilicet conſenſus proficiſcitur ex actu primo proximo indifferente, in quo vera, & proxima diſſentiendi poteſtas. Ut de homine ita conſentiente poſſit vere uſurpari illud Eccli. XXXI. 10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit*. Etenim ex hoc actu primo proximo ita prodit ille conſenſus, uti prorſus inde prodiret, ea prædefinitione amota, & nunquam poſita. Siquidem homo ille de ea prædefinitione nihil ſcit, aut cogitat; nec major inde facilitas, vel difficultas ſive aſſentiendi, ſive diſſentiendi. Sed omnia eodem prorſus modo ſe habent in homine, quo ſe haberent, ſi prædefinitio illa non eſſet in Deo. Nam quod, propter prædefinitionem illam, aliud auxilium, ſive alia libertas conferenda homini eſſet; ſi hac male uſurus prævideretur; hoc enimvero quid facit ad hunc actum primum proximum, ipſiuſque exercitationem? Quid addit? Quid detrahit? Nihil ſane. Neque Deus hunc volun-

tatis

tatis aſſenſum ideo remuneraretur, quod ſub aliis auxiliis, ſeu libertatibus eſſet futurus, ſi futurus non eſſet ſub hac. Sed ſolum ſpectaret aſſenſum illum, ut ab hac facultate libere præſtitum, & ut talem præmio afficeret.

Secunda ratio eſt a pari, ſive ab exemplo conſenſus conditionaliter futuri, ſub hac definite libertate; qui, ut paulo ante animadvertimus, communi Noſtrorum ſententia, putatur vere, & proprie liber, etiamſi adſit vaga neceſſitas alicujus conſenſus conditionaliter futuri.

Tertia ratio eſt pariter ab exemplo ſcientiæ mediæ reflexæ, quod itidem paulo ante protulimus.

Iſtorum autem omnium illa communis eſt ratio, quam in hac Propoſitione, & ſyſtemate non ſemel attigimus. Quia nempe aſſenſus ſub hoc auxilio, ſeu ſub libertate hac definite, non elicitur vi neceſſitatum illarum; ſed aliunde oritur, nimirum ex ipſo voluntatis arbitrio. Hæc cauſa proxima: neceſſitates illæ ſunt valde remotæ; & quæ media ſunt, & in hunc aſſenſum phyſice, ac moraliter agunt, ſunt indifferentia, ſeu prorſus ſoluta.

Quod pertinet ad exempla contraria, ad primum dico duplex eſſe diſcrimen. Phyſica præmotio in eo facto, ſive in eo caſu, quo Petrus per illam adigeretur ad ſcribendum, conſtitueret actum primum proximum ad ſcribendum, & ſimul eſſet neceſſitas antecedens ſcribendi, quæ nec vinci, nec vitari queat. Deinde de ſcriptione verbi cauſa per calamum A non prævifum fuiſſet, eam aliunde futuram fuiſſe, etiam phyſica præmotione ſepoſita. Neutrum contingit in re noſtra; ut ex dictis planum eſt. Si vis, exemplum congruere; finge aliud genus phyſicæ præmotionis: dic eſſe aliquid phyſicum, quod ſit antecedens neceſſitas, non ut Petrus ſcribat, ſed ut exiſtat in Petro aliqua libertas de hoc, aliunde prævifa ut congrua. Si exemplum ita refinxeris, idem de phyſica iſtiuſmodi præmotione dicemus, quæ de prædefinitione ſcientiam mediam prævertente.

Ad ſecundum reſpondeo idem. Vel enim vis hominem illum ſic cogi, urgenve; ut ea vis, aut neceſſitas inſuperabilis conſtituat actum primum proximum ad mortem ſibi inferendam; vel aliter vis. Deinde; vel ponis, hominem illum aliunde, hoc eſt, ex ſua propria libertate, & arbitrio ſe occiſurum fore tali mortis genere, talive inſtrumento; neceſſitatemque illam dumtaxat eam libertatem adducere: vel aliter rem iſtam conſtituis. Exinde habebis, quid in hoc exemplo vel ſimile, vel diſſimile ſit; vel par, vel diſpar.

Ad tertium ſimiliter; neceſſitas illa audiendi ſacrum, ut in hoc genere neceſſitas eſt, & hominem urget; eſt ipſa proxima obligatio audiendi ſacrum: ſeu potius eſt cognitio talis obligationis. Nam ſine hac cognitione, homini illi prorſus ſolutum, ac liberum foret, non ſolum huic, aut illi ſacro, ſed omnino ulli ſacro intereſſe. Porro ea cognitio conſtituit actum primum proximum; & conſcientiam allicientem ad audiendum ſacrum, & a contrario retrahentem inducit. In quo primum diſcrimen. Alterum eſt; quia homo ille, qui hic, & nunc rei ſacræ operam dat, non ponitur aliunde facturus idem. Sive, non ponitur, per ſcientiam mediam de illo prævifum fore, ut audiret ex ſua propria electione ſacrum, ea etiam obligatione ſemota. Hæc duo in omnibus iſtiuſmodi exemplis diligenter notanda, & ante oculos ſemper habenda. Primum, quod neceſſitas illa conſtituat actum primum proximum; vel ſaltem non relinquat eum indemnem, ac prorſus eumdem: ſeu, non ſit mere externa; ſed agendi facultatem afficiat intrinſecus, & agendi modum nonnihil immutet. Secundum, quod prævifum non ſit, fore ut homo ille aliunde id ipſum faceret: ſive, ex ſuo libero arbitrio ita ſe exerceret.

Addendum videri poſſet, quid ſit præcipue, quo præmotionem Thomiſticam Dei ſanctitatem lædere opinemur. Ut ex hac etiam diſſimilitudine poſſet hoc Syſtema ab eo, quod ipſi objecimus, vindicari. Verum cum res hæc notiſſima ſit, & apud noſtros Scriptores poſſit a vobis nullo negotio reperiri; eo ſuperſedendum cenſui.

Digitized by Google

Ad ſecundum, nego, in hoc Syſtemate tolli Gratiam ſufficientem: querelam, expoſtulationemque illam fore dico prorſus injuſtam; excuſationem vero vanam, & futilem. Exemplum habes in prædeſtinatione, in prædefinitionibus, in dono perſeverantiæ, quæ, ſecundum præſentis providentiæ rationes, apud omnes ſunt ad ſalutem neceſſaria, nec tamen omnibus conceduntur. Nempe externa ſunt illa omnia; & ſive adſint, ſive non adſint; cauſæ proximæ, totaque adeo agendi facultas proxima eodem prorſus modo ſe habet; nec gratia magis, aut minus invitat, & allicit ad conſenſum; nec vires præbet majores, aut minores.

At enim ſi teneatur tertia via tuendi hujus ſyſtematis; quod ſub hac Dei voluntate gratiæ non reſiſtatur, refertur in arcanam, inviĉtiſſimam, & omnipotentiſſimam vim divinæ ipſius voluntatis; quæ tandem, ut ibi eſt explicatum, eſt ipſa divinæ voluntatis, ac rerum omnium, ex illa ſummopere dependentium, eſſentia, & natura. Quod autem fit ex eſſentia, & natura, ſolutum non eſt; ita fit, ut non poſſit non fieri. Reſpondeo primum, ideo oſtenſas alias vias tuendi hoc ſyſtema; quia tertia illa viſa minus probabilis eſt. Cæterum diſtinguo antecedens: quod gratiæ non reſiſtatur, refertur in arcanam &c. quod gratiæ non reſiſtatur, & ſimul proxime poſſit reſiſti; refertur in arcanam &c. concedo ant. Solum quod gratiæ non reſiſtatur; nego ant. Deus non utcunque vult gratiæ non reſiſti; ſed non reſiſti libere. Atque hoc agit arcana illa virtus, ut non reſiſtatur, & proxime poſſit reſiſti: agit utrumque; atque hoc ipſo adeo mirabilis eſt. Diſtinguo ſimiliter conſequens. Quod fit ex eſſentia, & natura, ſolutum non eſt, non poteſt non fieri; quod fit ex eſſentia, & natura aĉtionis liberæ, & voluntatis divinæ petentis aĉtionem liberam; nego. Quod fit utcunque ex eſſentia, & natura; concedo.

Urgebis: eſto qui peccant, & condemnantur, nihil juſte, ac ſolide poſſint obtendere; dubium non eſt tamen, quin in Societatis ſyſtemate Deus multo magis æqualiter agat cum omnibus hominibus; quam in hoc tertio Syſtemate, vel etiam in duobus præcedentibus. Ita ſit. Equidem Societatis Syſtema cæteris omnibus anteferendum, oſtendam Prop. v. verumtamen non iſta de cauſa. Neque noſtri doĉtores æqualitatem iſtam plus nimio affeĉtant, aut prædicant. Auxilia etiam intrinſecus inæqualia, & majoris, minoriſque efficacitatis, ſive energiæ, ac virtutis admittunt: modo tamen cum aĉtione ſalutari intrinſecus connexa non ſint. Quod quidem prudentiſſime faciunt: eique arbitror, qui aliquod rei hujus Syſtema conſtruit, non magis æqualitatem, quam inæqualitatem divinæ voluntatis, supernorumque auxiliorum, ac munerum cordi eſſe debere. Hanc enim paſſim ſacræ Literæ tradunt. Sic ad Rom. ix. 12. 13. *Non ex operibus, ſed ex vocante diĉtum eſt ei: Quia major ſerviet minori.* Et 18. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Itemque 20. 21. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Mitto alia plurima ejuſdemmodi.

At enim ſcriptum quoque: *qui omnes homines vult ſalvos fieri.* (1. Tim. II. 4.) Ita quidem; ſed non eadem voluntate: neque enim de omnibus id efficaciter, ſive (ut loquitur S. Thomas) ſimpliciter vult. Neque paria omnibus confert ad ſalutem præſidia. Neque quod aliis aliqua neget, quæ illuc maxime conducerent, & large aliis conceſſit; ipſis ſemper eſt imputandum. Huc facit illud Auguſtini de Prædeſt. Sanĉt. cap. 8. n. 16. *Cur autem non omnibus detur* (hoc donum) *fidelem movere non debet, qui credit, ex uno omnes iſſe in condemnationem, ſine dubitatione juſtiſſimam: ita ut nulla Dei eſſet juſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur... Cur autem iſtum potius, quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.* Ac ſimiliter illud, quod ſcripſit de dono Perſever. cap. 14. n. 37. *Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant: hoc eſt, cur illis datum ſit a Patre, ut veniant ad Filium, illis autem non ſit datum; quis cognovit ſenſum Domi-*

mi-

mini, aut quis ejus conſiliarius fuit? Quid magis quam hoc, dandum videretur æqualiter omnibus; & quibus negatur, quod ipſis negetur, iiſdem eſſe imputandum? Atqui Auguſtinus hoc etiam refert in judicia Dei. Nec propterea locum eſſe putat ulli hominum excuſationi, aut querelæ. Illuſtrius eſt quod in eandem ſententiam ſcripſit in libro de Spir. & Lit. cap. 34. n. 60. *Jam* inquit, *ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadetur, ut perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat:* O altitudo divitiarum! (Rom. xi. 33.) & Numquid iniquitas apud Deum? (Rom. ix. 14.) *Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores; ſed caveat, ne inveniat præſumtores.* In quem Auguſtini locum Bellarminus lib. 1. de Grat. & liber. Arb. cap. 12. Illud animadvertit, *potuiſſe S. Auguſtinum reſpondere: uni perſuaderi, alteri non ita; quia unus vult aſſentiri, alter non vult. Sed quoniam noverat, poſſe Deum etiam nolenti aſſentiri facile perſuadere, & ex nolente facere volentem, ſi vellet ei proponere, quæ ſcit menti ejus, & ingenio congruere; ideo ad arcanum divini conſilii retulit dicens.* O altitudo divitiarum &c. Loquitur hic Bellarminus de congruitate a priori, ut apparet cum ex his ipſis verbis, tum ex ſuperioribus, quæ a nobis citata ſunt pro primo ſyſtemate noſtro. Accomodari autem poteſt hæc Bellarmini animadverſio ad duo reliqua Syſtemata noſtra: & Auguſtini, atque adeo Pauli Apoſtoli auctoritate refelli, qui Deum in hoc triplici ſyſtemate noſtro, cum hominibus non ſatis æqualiter agere, nobis objiciant.

Legendi præcipue vetuſtiores S. Thomæ interpretes, ut Capreolus, Cajetanus, Ferrarienſis, Deza, Medina, Zumel &c. Item Dionyſius Carthuſianus, & Michael de Palatio in 1. Sent. de Voluntate Dei. Maxime vero Henriquez ex Noſtris Summ. lib. ult. cap. 5. & 6.

PROPOSITIO IV.

Seu quarta Meditatio mea, ac Syſtema vobis promiſſum.

Gratia, & liberum arbitrium rectè admodum conciliari videntur per hæc quatuor. Primò, per duplicem rerum omnium ſtatum, æternum ſcilicet, & temporalem; ſeu per duplicem mundum, intelligibilem quem vocant, atque ſenſibilem, non Platonicè, ſed catholicè, atque adeo Scholaſticè expoſitos. Deinde per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ac ſcientiam viſionis, accomodatè ad ſtatum, ſeu mundum hunc duplicem explicatas. Tertiò, per duplex ſignum, ſeu gradum, aut motum, quo in exercitatione liberæ facultatis, ex Auguſtino, & Apoſtolo, diſtinguendum putamus, quod velit, & faciat; ſeu voluntatem, & actionem. Noviſſimè, per auxilia, & indifferentia, & per ſe intrinſecus efficacia, ſimul conjuncta, & pro hoc duplici ſigno, ſeu voluntatis motu diſpoſita.

De-

Digitized by Google

DEclarantur, & approbantur hæc quatuor ; ſeu verius duo . Nam ſecundum, quod eſt de ſcientia Dei, omnino ſequitur ex primo . Et quartum , quod eſt de divinis auxiliis , eſt valde conſentaneum tertio. Quod igitur ad primum pertinet ; duplex rerum omnium ſtatus, ſeu duplex mundus in hoc ſyſtemate nihil eſt aliud, quam duplex illud Eſſe, veri ſcilicet, & rei, quod, exceptis Nominalibus, Scholaſtici fere omnes admittunt ; deſignantque ea celebri diſtinctione, *ſecundum Eſſe veri*, & *ſecundum Eſſe rei*, quam uſurpant ſæpiſſime. Acceperunt id vero non a Platone, qui ipſis videtur de hoc duplici rerum ſtatu vel perperam opinatus , vel loquutus ambigue. Sequuti ſunt Ariſtotelem, qui 6. Metaphyſ. cap. 2. inter *ens actu* , & *ens dumtaxat veritate*, diſerte diſtinguit. Hoc auctore, illorum omnium, quæ vere enuntiari poſſunt , æternas veritates adſtruunt: ſive, ut ipſi loquuntur , Eſſe quoddam mere objectivum, & intentionale, exemptum tempori , & loco ; & a rerum ipſarum, quæ enunciari poſſunt actualitate , tanquam mundum intelligibilem a mundo ſenſibili ſeparatum. Ego vero non Platonis , & Ariſtotelis , ſed Sacrarum Literarum auctoritate, in eandem aut ſimilem , ut mox apparebit , ſententiam adducor. Hæc enim ad Hebr. XI. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. *Secula*, ideſt , hanc rerum univerſitatem ; una cum tempore procreatam : ut quæ ſola mente percipi poterat , etiam ſenſibus ſubjiceretur . Item Apocal. IV. 11. *Tu creaſti omnia* , *& propter voluntatem tuam erant* , *& creata ſunt*. *Erant*; ſecundum Eſſe veri ; ſive, ſecundum æternas, & objectivas ipſorum veritates: *creata ſunt* , ſecundum Eſſe rei, ſeu, facta ſunt, *ens actu*, quæ erant *ens ſolum veritate* . Additur , *propter voluntatem tuam* ; quia inter has veritates objectivas , & æternas , infinitæ ſunt contingentes, quæ pendent ex voluntate divina . Ex hoc vero lucem accipit illud Iſa. XLV. 11. ſecundum Septuaginta , *fecit* , *quæ futura ſunt* . De quo vide Hieronymum lib. 1. Comment. in cap. 1. epiſt. ad Galat. Et pariter lib. 1. Comment. in cap. 1. Epiſt. ad Epheſ. Itemque Auguſtinum tract. 68. in Joan. n. 1. in Pſalm. 105. n. 35. lib. 2. de Ord. cap. 19. n. 51. In hanc eandem fere ſententiam etiam reliqui Patres interpretati ſunt hos Scripturæ locos ; immo & ſimiles alios: ut Joan. 1. 3. *quod factum eſt* , *in ipſo vita erat*. Et Rom. XI. 36. *in ipſo ſunt omnia* . Item , quibus ea quæ ſunt apud nos, dicuntur umbræ, & imagines cœleſtium: ut Hebr. VIII. 5. *qui exemplari , & umbræ deſerviunt cœleſtium* . Et IX. 24. *exemplaria verorum* . Similiter , quibus Deus dicitur veritas, ſive in Deo , aut circa Deum veritas omnium : ut Joan. XIV. 6. *Ego ſum veritas*. Pſalm. XXIV. 5. *dirige me in veritate tua* , Pſalm. LXXXVIII. 9. *veritas tua in circuitu tuo*. Pſal. CXVIII. 151. *omnes viæ tuæ veritas* . De quibus omnibus conſulendi Dionyſius Areop. de divin. Nom. cap. 5. §. 4. & 8. cap. 7. §. 4. cap. 8. §. 6. Juſtinus in admonit. ad Gent. Athanaſius in epiſt. ad Monach. n. 2. tom. 1. Gregorius Nazianz. orat. 13. Ambroſius lib. 2. de Fide Reſur. n. 109. in Pſalm. 118. n. 19. de bono mortis cap. 3. n. 10. Gregorius Nyſ. in Vita Moyſis, Joannes Chryſoſtomus homil. 1. in Pſalm. 24. item homil 1. in Pſalm. 118. Joannes Damaſcenus orat. 2. de Imaginib. n. 23. & orat. 3. n. 19. maxime vero Auguſtinus lib. 7. Confeſ. c. 10. n. 16. lib. 13. cap. 38. n. 53. lib. 5. de Geneſ. ad lit. a cap. 12. ad 20. tract. 1. in Joan. cap. 1. n. 16. 17. 18. lib. 10. de Civit. cap. 12. lib. 11. cap. 21. lib. 15. cap. 25. lib. 15. de Trinit. cap. 13. n. 22. &c.

Præter has Scripturarum interpretationes, multa ſunt apud Patres pro hac prima Syſtematis parte . Pauca ſeligam ex Auguſtino, & Anſelmo , qui inter omnes ad Scholaſticos maxime accedunt. Ergo Auguſtinus in Pſalm. 49. n. 18. ſic ait . *ante quam crearet* , *noverat* : & ſtatim rationem illam ſubjicit : quia *apud ipſum erant quodam ineffabili modo* , *antequam creata eſſent*. Et in 1. quæſt. ex 83. *Omne verum* , inquit , *a veritate verum eſt : eſt autem veritas Deus* . Et lib. 26. cont. Fauſtum Manich. cap. 5. ita ſcribit : *Sententia* , *qua dicimus aliquid fuiſſe* , *ideo vera eſt* , *quia illud* , *de quo dicimus* , *jam non eſt*... *Quod ſi quæras* ,

ubi

ubi ſit hæc vera ſententia : prius invenitur in animo noſtro ; cum id verum ſcimus , & dicimus . Sed , ſi & de animo noſtro ablata fuerit , cum id , quod ſcimus , obliti fuerimus ; manebit in ipſa veritate . Semper enim verum erit , fuiſſe illud , quod erat , & non eſt : & ibi verum erit , jam fuiſſe , quod erat , ubi verum erat , ante quam fieret , futurum eſſe , quod non erat . Nec minus luculenter id tradit aliis in locis , ut Confeſ. lib. 12. cap. 25. n. 35. lib. 2. de lib. arbitr. cap. 12. n. 34. lib. 15. de Trinit. cap. 13. n. 22. &c. Idem aliquanto etiam expreſſius docet Anſelmus . Sic enim in Monologio cap. 9. *priuſquam fierent univerſa , erant in ratione ſummæ naturæ , quid , aut qualia , aut quomodo futura eſſent &c.*

Neque dicas, eſſe utique res omnes in Deo ; ſed eſſe tantum in ipſius potentia , in ipſius ſapientia, ac ſcientia, in ipſius voluntate : nam ſunt præterea in Deo hoc etiam ſpeciali, ſive, ut Auguſtinus loquitur, *ineffabili modo* , tanquam ipſa veritate . Siquidem , ut ait Anſelmus idem in dialogo de Verit. cap. ult. Deus, ſicuti eſt ſumma potentia , ſumma ſapientia , ſumma bonitas ; ſic eſt *ſumma veritas per ſe ſubſiſtens* . Verum loci alii plures ſunt , ubi Anſelmus multo etiam clarius mentem patefacit ſuam . Sic Monolog. cap. 18. Deum probat principio , & fine carere ; quia enunciationes , ſeu propoſitiones , etiam contingentis , quæ veræ ſunt, ſemper veræ ſunt . *Cogitet* , inquit , *qui poteſt , quando incepit , aut quando non fuit hoc verum , ſcilicet , quia futurum erit aliquid . Quod ſi neutrum horum cogitari poteſt , & utrumque hoc verum ſine veritate eſſe non poteſt ; impoſſibile eſt cogitare , quod veritas vel principium , vel finem habeat . Denique , ſi veritas habuit principium , vel habebit finem ; ante quam ipſa inciperet , verum erat tunc , quia non erat veritas : & poſtquam finita erit , verum erit , quia non erit veritas . Atqui verum non poteſt eſſe ſine veritate : erat igitur veritas , antequam eſſet veritas ; & erit veritas , poſtquam finita erit veritas : quod inconvenientiſſimum eſt . Sive igitur dicatur veritas habere , ſive intelligatur non habere principium , vel finem ; nullo claudi poteſt veritas principio , vel fine . Quare idem ſequitur de ſumma Natura , quia ipſa ſumma Veritas eſt .*

Quod ſi dixeris , propoſitionem contingentem eſſe poſſe ſemper veram , etiamſi non ſit ſemper illud , per quod eſt vera ; ita diſtinguam : etiamſi non ſit ſemper , ſecundum Eſſe rei ; concedo . (Immo ſi ea propoſitio ſit de aliquo vel præterito , vel futuro ; vera non eſſet , ſi illud re ipſa ſemper eſſet) Secundum Eſſe veri , ſive ſecundum objectivam ipſius veritatem ; iterum diſtinguo : eſſe poterit ſemper vera , judicio Nominalium ; concedo : judicio cæterorum fere omnium , & nominatim Auguſtini , & Anſelmi ; prorſus nego . Confirmat id ipſum Anſelmus Proſolog. cap. 14 lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. apertiſſime vero in dialogo de Veritate cap. 7. & 10. Hic ultimus Anſelmi locus , quam illuſtris , tam eſt quoque longus . Illum expoſui in Anſelmo , qui dialogus eſt Platonis Chriſtiani diſput. 2. de veritate per ſe ſubſiſtente . Et in Clemente Alexandrino ; qui alius dialogus eſt ejuſdem Operis mei , in Syſtemate Metaphyſico , quod more Platonico Scholæ Zeteticæ affinxi , part. 1. num. 17. Syſtema hoc , ut erat adhuc rude , & impolitum , ab Auditoribus meis ſeorſum editum fuit , an. 1725. Legere etiam poteris , quæ ibi ſcripta ſunt par. 2. propoſ. 7. n. 36. 37. &c. & propoſ. 8. n. 42. ac præſertim ſimilitudinem hominis ejuſdem , ſive etiam ejuſdem mundi duobus ſimul in locis divinitus poſiti . In quibus occurrent interdum tibi aliqua, quæ, ſi præcipue accipiantur ſeorſim , videbuntur dicta duriter . Sed primo , eadem cum aliis collata , & compoſita non parum emolleſcent . Deinde opus illud caſtigatum , ac recognitum ab auctore non fuit . Præterea iſtud ipſum auctor de induſtria, & affectate fecit . Nec enim ibi loquitur ex proprio ſenſu , aut præſenti Scholæ uſu . Sed accomodate ad Scholæ illius vetuſtiſſimæ diſciplinam , & indolem ; cui Syſtema illud attribuit , imitatione Platonis, qui aliis , atque aliis antiquis philoſophis dialogos aptavit , & inſcripſit ſuos .

Sed ad rem noſtram revertamur . Accedit

Digitized by Google

cedit & ratio; nempe illa, quam paulo ante attigi. Nam Deus eſt ipſa Veritas. Ita ſe ipſe nuncupat Joan. XIV. 6. de quo vide Auguſtinum tract. 34. in Joan. n. 9. tract. 69. n. 2. & 3. Serm. 141. cap. 1. n. 1. lib. 1. de Trinit. cap. 12. n. 24. Immo etiam ita ſe nominat Exod. III. 14. ut interpretantur Auguſtinus lib. 7. Confeſ. cap. 10. n. 16. tract. 38. in Joan. a num. 10. lib. 8. de Trinit. cap. 1. n. 2. &c. Et Anſelmus Proſolog. cap. 14. & 22. Homil. 3. in Evang. Matth. §. 6. &c. Et ſic etiam cæteri Patres, quorum teſtimonia reperies in duobus proxime memoratis Platonis Chriſtiani dialogis, ideſt in Clemente Alex. & in Anſelmo Cantuar. Quod ſi Deus eſt ipſa veritas, ſunt in illo res omnes, non ſolum ut in Cauſa prima, ſupremoque earum architecto, & artifice; verum etiam ſingulari alio, atque excellenti modo, quem nos principio deſcripſimus; ac definivit Doctor ſubtilis in Report. Pariſienſ. lib. 1. diſt. 36. q. 2. iis verbis: *Mundus intelligibilis eſt ipſe mundus ſenſibilis, ut eſt objective in mente divina:* notetur particula illa, *objective*. Idem vero in 1. Sent. diſt. 3. q. 4. docet, mentem divinam ideo ab Auguſtino in 83. quæſt. q. 46. appellari, librum lucis æternæ, non tantum quia continet omnem ſcientiam, ſeu cognitionem; ſed *quia continet omnis ſcientiæ, ſeu cognitionis objectum; ſeu, quia continet omnes veritates in eſſe intelligibili*.

His autem poſitis, & auctoritate, & ratione firmatis; ſequitur, ut in Deo duplex ſit ſcientia, eaque aliquanto aliter, quam fieri hodie ſoleat, ſit explicanda; quæ erat pars ſecunda Syſtematis. Etenim in illo veri ſtatu, aut, ſi ita loqui fas eſt, in eo intelligibili mundo, non minus abſolute, & ab omni æternitate, ſuo modo extiterunt futura conditionalia libera, ut pœnitentia Tyriorum, & proditio Ceilitarum; quam futura conditionalia abſoluta; ut pœnitentia S. Petri, & proditio Judæ. De utriſque igitur, tanquam de re ſecundum eſſe objectivum, & intelligibile ſibi æqualiter præſentiſſima, eſt una, eademque ſcientia viſionis. Neque aliud eſt in eo veri ſtatu, ſive intelligibili mundo, notabile diſcrimen; niſi quod aliquæ veritates ibi ſunt neceſſario, aliæ vero contingenter. Nempe quæ potuerunt non eſſe, vel aliter eſſe. Quare duplex eſt Dei ſcientia, neceſſariorum ſcilicet, & contingentium. Atque hoc illud eſt, quod, ut oſtendo in Idiota, qui dialogus eſt Platonis Chriſtiani de ſcientia Dei, diſput. 3. n. 13. & 45. & in Joanne Sapiente, qui eſt de divina voluntate, ſeu de divinis Emanationibus diſput. 3. n. 29. hoc, inquam, illud eſt, quod Patres, ac præſertim Auguſtinus non diſtinguunt inter ſcientiam futurorum conditionalium, & ſcientiam abſolutorum: utramque præſcientiæ nomine, ſimpliciter, & nulla addita differentiæ nota, deſignant: & pro eadem prorſus ſcientia videntur habere; quod Deus Angelos, & homines peccaturos præviderit, antequam eos condere decreverit; & quod idem de illis præviderit, poſt ejuſmodi decretum. Itaque in hoc Syſtemate Scientia media locum retinet, nomen amittit.

Sed & tota divinæ ſcientiæ ratio exponitur aliter. Nam ſententia multorum, præſertim ex Noſtris, Dei ſcientia habet extra Deum in rebus ipſis, quæ cognoſcuntur, eam rationem, atque momentum, quod cognitionem movet. Sive, ut iidem loquuntur, habet extra Deum in rebus ipſis determinativum, non quidem phyſicum, nam hoc enti perfectiſſimo repugnaret; ſed objectivum, & intentionale. In hoc autem ſyſtemate res in ſe ipſis ſunt meri, ac nudi termini divinæ cognitionis. Determinativum, ſeu cognoſcendi ratio, tum ſubjectiva, tum objectiva, eſt intra Deum. Prior in excellentia divinæ mentis; poſterior in illis veritatibus, de quibus dictum eſt ſupra.

Quo facile intelliguntur nota illa Patrum dicta: Dionyſii cap. 7. de divin. Nom. §. 3. *Non enim ex iis, quæ ſunt ea quæ ſunt addiſcens novit divina mens; ſed ex ſe ipſa, & in ſe ipſa habet prius & cognitionem, & eſſe rerum*. Ambroſii c. 1. in Symb. *Licet omnia cæleſtia, & terreſtria ac minima quæque perſpiciat Deus; nihil tamen extra ſe intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur*. Auguſtini lib. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 15. n. 33. *Vidit omnia, quando fecit; & ſicut vidit, ita fecit*

Digitized by Google

cit: *non præter ſe ipſum videns; ſed ... omnia primitus habens*. Et lib. 83. Quæſt. q. 46. n. 2. *Non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, ut ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat. Nam hoc opinari ſacrilegum eſt*. Quod mirifice ad rem noſtram expoſuit S. Thomas p. 1. q. 14. a. 5. ad 1. *dicendum, quod verbum Auguſtini dicentis, quod Deus nihil extra ſe intuetur, non eſt ſic intelligendum, quaſi nihil, quod ſit extra ſe intueatur; ſed quia id, quod eſt extra ſe ipſum, non intueatur, niſi in ſe ipſo*.

Sed de ſcientia Dei eſt in hoc ſyſtemate aliud longe admirabilius, quod Deum ſummopere deceat, ac vobis accidet fortaſſe novum. Nempe, ut futurorum prænotio, quæ ipſis præit tempore, ſive æternitate, eadem futura nulla ratione ſubſequatur: ſed Dei viſio, & res viſæ eodem prorſus ſigno, ſive ordine teneantur. In hoc quippe ſyſtemate veritates illæ objectivæ, de quibus diximus, non tam pro determinativo, quam pro complemento ſcientiæ divinæ haberi poſſunt. Ut quæ ex ſe eſt omnes viſio, ac penitus neceſſaria; ab iis veritatibus peculiares, ac contingentes denominationes accipiat, quibus dicatur hoc potius videre, quam aliud. Porro ſtatus veri, & ſtatus rei, quamvis alter ſit ex æterno, alter dumtaxat ex tempore ſunt tamen eodem ſigno, & ordine. *Uti ſecundum eſſe unumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem*, ait Ariſtoteles lib. 2. Metaph. text. 4. Congruit his mirum in modum, & intelligitur facile in hoc ſyſtemate illud Bernardi lib. 5. de Conſid. cap. 5. n. 12. *Deus amat; ut Charitas, novit, ut Veritas*. Quod ſi *novit, ut Veritas*; Dei notitia nullo modo ſequitur res. Simul ſunt. Huc ſpectavit Anſelmus de concord. Præſcient. Dei cum libero Arbitr. c. 7. q. 1. cum ſcripſit, non poſſe refelli, qui dicat, *Præſcientiam Dei, & liberum arbitrium*, ſeu liberam electionem, ac deliberationem, *ſimul eſſe*.

Hæc de ſcientia Dei; nunc, eadem brevitate, de facultatis liberæ actu; qui pariter in hoc ſyſtemate paulo aliter explicatur, & duplici ſigno, ſeu voluntatis motu diſtinguitur; quemadmodum tertio loco propoſui. Quod autem in eo diſtinguenda ſint illa duo, & velle, & agere, expreſſa eſt Auguſtini ſententia; quam in libro de Gratia Chriſti cap. 5. n. 6. probat Apoſtoli teſtimonio ad Phil. 11. 13. *Deus enim eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere*. Nam, ut ibidem animadvertit Auguſtinus, *in aliis, & maxime Græcis codicibus legitur; & velle, & operari: τὸ ἐνεργεῖν, to energhin*. Præterea cum Pelagius in eo, qui ſalutariter operatur, hæc tria diſtingueret, poſſe, velle, agere; quorum primum pertinet ad facultatem, ſive ad actum primum; reliqua duo ad ejus facultatis exercitationem, ſive ad actum ſecundum; Auguſtinus diviſionem hanc probat, & *valde ſubtilem*, appellat in eodem ipſo loco ſup. notato. Reprehendit vero Pelagium, quod ex iis tribus primum tantummodo aſcriberet Gratiæ; & Gratiæ quidem ſolius legis, atque doctrinæ. Lege caput 7. n. 8. ac cætera deinceps.

Velle, & Agere cum ſint diſtinguenda; videndum modo, quid differant. Mihi quidem valde probabilia videntur hæc duo. Primum, quod Velle, ſit quidam voluntatis motus intermedius, quo homo Deo vocanti, atque excitanti aſſentientem ſe præbet; & eſt quaſi conditio prævia, ac neceſſaria ad actum ſecundum, Agere vero, ſit ipſe actus ſecundus; hoc eſt, opus illud, ad quod Deus nos vocat, & excitat, ac nobiſcum operatur: ex. gr. actus Fidei, actus Spei, actus Charitatis, pœnitentiæ, miſericordiæ, ac cæterarum virtutum; iſque tum internus, tum externus, ut res poſtulat; namque id totum, agere, operari, perficere eſt.

Huic doctrinæ conſentaneum videtur, quod quarto loco propoſui: nempe ad prævium illum voluntatis motum, nutumve, qui electio, determinatio, voluntatis aſſenſio recte dicitur, dari auxilia indifferentia; vel etiam, ſi ita velis, phyſicam præmotionem; ſed quæ cum eo voluntatis motu, ſive aſſenſu connexa non ſit. Ad actionem vero, ſive opus ipſum dari auxilia per ſe intrinſecus efficacia, vel etiam præmotionem phyſicam, quæ ſit connexa cum opere

ſive cum actu ſecundo; & per ipſummet actum ſecundum vitari non poſſit: vitari autem potuerit pro ſigno illo intermedio: quippe cum non detur, niſi acceptanti, & conſentienti; vel ſaltem non repugnanti.

Hæc prima explicatio mihi valde probabilis eſt, primum auctoritate Auguſtini, qui multis in locis voluntatis aſſenſum medium facere videtur inter facultatem, & actionem; & quaſi præviam aliquam conditionem, omnino neceſſariam illum habere. Ita in libro de Spir. & litter. cap. 34. n. 60. *conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt ... Accipere quippe & habere anima non poteſt dona ... niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem, & habere, utique accipientis, & habentis eſt.* Idem ſcribit lib. 2. Quæſt. in Exod. q. 9. & lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. n. 20. & 21. in illud Pſalm. lxxx. 11. *dilata os tuum, & implebo illud.* Item tract. 57. in Joan. n. 4. in illud Cant. v. 2. *Aperi mihi ſoror mea &c.* Præterea lib. 1. ad Simplicianum q. 2. n. 10. Enchirid. cap. 32. n. 9. lib. 1. ad Bonifacium cap. 18. n. 3. de Gratia Chriſti cap. 14. n. 15. &c. Deinde probantur hæc mihi etiam ratione: atque ea potiſſimum, quod duas nobiliſſimas Scholas inter ſe, hac in re maxime diſſidentes, aliquo modo conciliant; duplici nimirum auxiliorum genere, indifferentium, ac per ſe intrinſecus efficacium, altero quidem ad voluntatem, altero vero ad actionem admiſſo. Sic porro, ut Deus, antequam de utroque hoc auxiliorum genere conſtituerit, inſpexerit prius hunc veri ſtatum, ſive hunc, ut ſic loquar, intelligibilem mundum, quem apud ſemet ipſum ab æternitate præſentiſſimum habuit. Itaque auxilium ex. gr. *A* indifferens decretum fuit, inſpecta æterna veritate objectiva hujus propoſitionis conditionalis vel affirmantis, vel negantis, fore bonam voluntatem, ſive conſenſum, ſi detur auxilium *A*. Auxilium vero ex. gr. *B* per ſe intrinſecus efficax decretum fuit, ſub duplici ejuſmodi veritate. Nimirum ſub veritate contingenti hujus propoſitionis: Exiſtet auxilium *A*, & ſub illo conſenſus, ſeu bona voluntas. Et ſub veritate neceſſaria hujus alterius propoſitionis: Auxilium B eſt inſuperabiliter, & indeclinabiliter connexum; & omnino conjungendum cum hac actione, ſive opere ſalutari; verbi cauſa cum actu Fidei, cum actu Spei &c.

Hæc prima explicatio quamvis ſit, ut ſpero vos etiam exiſtimare, valde probabilis; longe tamen probabilior, & omnino tenenda mihi videtur hæc altera. Sinite me, pro ea benignitate, attentione, & ſtudio, quo mihi operam datis, atque hæc ſcripto excipitis, rem iſtam paulo altius repetere. Quemadmodum humanæ mentis duo ſunt præcipui actus, intelligere, & ratiocinari, ex iiſque duobus actibus una eademque Animæ vis, & facultas denominatur dupliciter, vocaturque Intelligentia, ſive Intellectus ex primo, ratio autem ex altero: ſic pariter duo ſunt actus præcipui ſuperioris appetitus, velle, & eligere: ex quibus, unus, ac ſimplex cum ſit, duplex nomen accipit; & Voluntas, quia vult; quia vero eligit, Arbitrium liberum, nuncupatur. Tradit id expreſſe S. Thomas p. 1. q. 83. a. 4. ubi illud anquiritur, *Utrum liberum arbitrium ſit alia potentia a voluntate*. Sic autem ibi reſpondet: *Dicendum, quod potentias appetitivas oportet eſſe proportionatas potentiis apprehenſivis, ut ſupra dictum eſt. Sicut autem ex parte apprehenſionis intellectivæ, ſe habet intellectus, & ratio: ita ex parte appetitus intellectivi ſe habet voluntas, & liberum arbitrium, quod nihil aliud eſt, quam vis electiva. Et hoc patet ex habitudine objectorum, & actuum. Nam intelligere importat ſimplicem acceptionem alicujus rei: unde intelligi dicuntur proprie principia, quæ ſine collatione per ſe ipſa cognoſcuntur. Ratiocinari autem proprie eſt devenire ex uno in cognitionem alterius: Unde proprie de concluſionibus ratiocinamur, quæ ex principiis innoteſcunt. Similiter ex parte appetitus, velle importat ſimplicem appetitum alicujus rei: unde voluntas dicitur eſſe de fine, qui propter ſe appetitur. Eligere eſt appetere aliquid, propter alterum conſequendum: unde proprie eſt eorum, quæ ſunt ad finem. Sicut autem ſe habet in*

cogno-

Digitized by Google

cognoſcitivis principium ad concluſionem, cui propter principia aſſentimus; ita in appetitivis ſe habet finis ad ea, quæ ſunt ad finem, quæ propter finem appetuntur, Unde manifeſtum eſt, quod ſicut ſe habet intellectus ad rationem; ita ſe habet voluntas ad vim electivam; ideſt, ad liberum arbitrium. Oſtenſum eſt autem ſupra &c.

Itaque, ut docet S. Thomas, qui optimus eſt Auguſtini, & Apoſtoli interpres, velle eſt, ſimpliciter appetere; ac prævius quidam voluntatis motus, qui nempe electionem, deliberationemque antecedit. Porro in poteſtate libera primi hominis fortaſſe fuerunt ſimplices etiam rerum appetitiones; ex quibus cum volentes nos, tum appetitus rationalis noſter, voluntas dicitur. Nam quamvis ejus voluntas non poſſet aliquo ferri, niſi ſub ratione boni; ſolutum tamen ipſi erat, quibus particularibus bonis afficeretur, delectareturque: neque ullus forſitan motus, ſeu volendi actus in hoc genere exiſtebat, niſi liber, ſeu deliberatus. Ac ſicut imperio non ſolum politico, ſed etiam diſpotico (ut oſtendimus in Auguſtino minore, qui dialogus eſt, & controverſia ipſi ſubjecta, & adnexa, de ſtatu puræ Naturæ, ſeorſim edita an. 1724.) regebat inferiorem appetitum, ut neque ante, neque contra ipſius præſcriptum, ac nutum, ullis incitaretur cupiditatibus: non abſimili gubernationis genere imperitabat ſibi ipſi, ſuorumque omnium actuum, ac motuum domina erat. Ut non modo voluntarii, ac violentiæ, & coactionis omnis expertes; ſed prorſus etiam liberi forent, ſolutique ab omni antecedente neceſſitate. Breviter; neuter appetitus movebatur injuſſus. Sine ipſius nutu, & imperio nulla ſimplex affectio, nulla cupiditas, nulla delectatio in eo appetitu, qui ſequitur ſenſum; & ſic nulla pariter in eo, qui ſequitur mentem. Quod quidem ipſi datum ſupra naturam ſingulari Dei dono. Non obſcure tradit id Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. 11. a num. 31. *Nec ipſum*, inquit, *Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio ... Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam. Sed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua fit etiam ut velit; & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat... Tunc ergo dederat homini Deus adjutorium, ſine quo in bona voluntate non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio.* Scilicet non ſolum agere, ſed etiam velle in primi hominis arbitrio, atque electione poſitum: non ſine gratia quidem; ſed gratia indifferenti, hoc eſt, quæ deſeri poſſet. Quod contra in hac ſecunda explicatione fieri dico in ſtatu naturæ lapſæ; nimirum bonæ voluntatis gratiam eſſe per ſe intrinſecus efficacem, ac, ſi vis etiam, præmotione Thomiſtica. Gratiam vero bonæ actionis, ſive electionis eſſe indifferentem; hoc eſt, cum ea actione, & electione minime connexam; qualem Schola noſtra defendit. Quæ vice verſa in priori explicatione ſunt a me paulo ante diſpoſita. Pergit vero Auguſtinus in eandem ſententiam ibid. cap. 12. n. 38. *Ac per hoc nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſent perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle. Et quoniam non perſeverabunt, niſi poſſint, & velint; perſeverandi eis & poſſibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Quam bonam voluntatem primo homini initio quidem dederat; ſed ei ſolutum reliquerat in ea voluntate, etiam ut ab actione diſtinguitur, permanere. Nempe, ut adnotatum eſt ſupra, in eo, qui ſalutariter operatur, tria diſtinguit Auguſtinus, poſſe, velle, agere: ſeu poteſtatem, voluntatem, actionem denique ipſam, ſive opus ſalutare, Fidei, Spei, Charitatis, ac reliquarum virtutum. Quæ quidem diſtin-

Digitized by Google

guebat etiam Pelagius, teſtimonio ipſius Auguſtini de Grat. Chriſti cap. 3. n. 4. *Cum tria conſtituat, atque diſtinguat, poſſibilitatem, voluntatem, actionem: poſſibilitatem ſcilicet, qua poteſt homo eſſe juſtus; voluntatem, qua vult eſſe juſtus; actionem, qua juſtus eſt;* ſive Chriſtianæ, univerſaliſque juſtitiæ actus, atque opera edit. Et cap. 5. n. 6. *tria iſta, unum quod eſt poſſe, alterum quod eſt velle, tertium quod eſt eſſe. Ideſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem, tanta curavit ſubtilitate diſtinguere &c.* Errabat porro Pelagius, non quod ita diſtingueret; ſed quod ex his tribus primum tantum gratiæ daret, reliqua autem duo libero arbitrio. Quod contra validiſſime pugnat Auguſtinus: & primo quidem in illo ipſo, quod gratiæ tribuere videbatur Pelagius, docet ab eo peccatum, quod gratiæ nomine *non aliud accipi vellet, quam legem, atque doctrinam:* in eaque poſſibilitate, ſeu poteſtate, facultateque, quam unam Dei donum eſſe fatebatur, *unam eamdemque radicem conſtitueret bonorum, & malorum*. Deinde partite contendit, reliqua duo pariter ex Deo eſſe, ipſiuſque gratia ſpeciali, atque interiori. Nam quod attinet ad ſecundum, ideſt, ad voluntatem, ſeu, velle, quod primo homini ſolutum, in ejuſque arbitrio relictum, ſcripſit locis ſupra exhibitis, hæc habet præterea cap. 24. hujus libri de Grat. Chriſti n. 25. *Sed vellem, ut iſte diceret, utrum Rex ille Aſſyrius, cujus Eſther ſancta mulier exerrabatur cubile, quando conſidebat in throno regni ſui, & omni ſtola illuſtrationis ſuæ indutus erat, totus auro variatus, lapidibuſque pretioſis, & erat formidoloſus valde, & elevata facie ſua inflammata in claritate intuitus eſt eam, tanquam taurus in impetu indignationis ſuæ; & timuit regina, & converſus eſt color ejus per diſſolutionem, & inclinavit ſe ſuper caput delicatæ ſuæ, quæ præcedebat eam: vellem ergo, diceret iſte nobis, utrum rex ille ad Dominum jam cucurrerat, & ab eo ſe regi cupiverat, ſuamque voluntatem ex ejus voluntate ſuſpenderat; & ei jugiter inhærendo unus cum illo ſpiritus factus erat, non niſi de arbitrii libertate? Utrum ſe totum Deo tradiderat, omnemque ſuam mortificaverat voluntatem, & cor ſuum in manu Dei poſuerat? Puto non deſipere, ſed inſanire hominem, quiſquis de illo rege, qualis tunc erat, hæc ſenſerit. Et tamen convertit Deus, & tranſtulit indignationem ejus in lenitatem. Quis autem non videat, multo majus eſſe indignationem a contrario in lenitatem convertere, atque transferre, quam cor neutra affectione præoccupatum, ſed inter utramque medium in aliquid declinare? Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina inſonante forinſecus; ſed interna, & occulta, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates.* En quid ſit velle, ſive voluntas: primum eſt etiam quædam facultatis liberæ affectio, ſive inclinatio manens. Deinde, ut eſt affectio, ſive inclinatio movens, & tranſiens; eſt ſimplex dumtaxat appetitio, quæ facultatis ejuſdem aſſenſum præit. Bona voluntas eſt ex gratia per ſe intrinſecus efficaci: ſecus vero aſſenſus.

Eſt quidem ex Deo non minus facere, quam velle: verum non eodem prorſus modo Deus in nobis utrumque efficit. Inter utriuſque effectionem quid interſit accurate deſcripſit Auguſtinus lib. de Grat. & liber. Arbitr. cap. 17. n. 33. his verbis: *Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus,* (Philip. I. 6.) Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum eſt* (Philip. II. 13.) Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle. *De cooperante autem cum jam volumus, & volendo facimus;* Scimus (inquit Rom. VIII. 28.) quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Huic doctrinæ adſtipulatur S. Thomas; nam 1. 2. q. 111. a. 3. *Sunt autem, inquit, quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus eſt,*

ut

Digitized by Google

ut anima ſanetur; ſecundus, ut bonum velit; tertius eſt, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur; quartus &c. Quod ad primum, & ſecundum pertinet, gratiam *operantem* eſſe dixit in ſuperiore articulo; quod ad reliquos, *cooperantem*. Cum enim bona voluntas, ut a ſalutari ipſa actione, ſive opere diſtinguitur, non pertineat ad ſuperiorem hominis appetitum, ut is eſt facultas eligens, & liberum arbitrium appellatur; propterea ſcripſit Auguſtinus, Deum illam in nobis operari ſine nobis; hoc eſt, ſine nobis libere concurrentibus. Nobiſcum autem operari, ſeu cooperari ait Deum, cum jam volumus, & volendo facimus. Quo certe actionem, non externam, ſed internam, ac ſalutarem; ipſumque adeo facultatis liberæ, ut talis, exercitium ſignificat. Id quod omnino expreſſerat cap. 10. n. 22. iis verbis: *Itaque, fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona. Hoc enim nobis Lex Dei præcipit.* Hæ ſunt nimirum ſalutares actiones, de quibus loquimur, a voluntatibus diſtinctæ. Quocirca ubicunque Auguſtinus antecedentem, eamque inſuperabilem neceſſitatem in hominum voluntatem videtur inducere, de voluntate illa intelligi debet, quæ ab interiori, & ſalutari opere, ſive actione diſtinguitur; intelligi, inquam, debet de actu illo, atque motu, ex quo rationalis appetitus, voluntas; non de illo, ex quo liberum arbitrium, denominatur. Hic enim poſterior motus, & actus neceſſitate non ſtringitur, niſi conſequenti, quam nobis ipſi facimus: ac vel eſt ipſamet electio, & aſſenſio noſtra; vel certe non fit, niſi nobis aſſentientibus: nec ſolum vim, coactionemque reſpuit, quæ pugnat cum ſpontaneo, & voluntario; ſed etiam neceſſitatem, quæ pugnat cum libero.

Ad voluntatem igitur, ut ſecundum obtinet locum in tripartita, ac ſupra memorata diviſione, & tum a poteſtate, tum ab actione, ſeu ſalutari opere diſtinguitur; ea primo, & præcipue ſpectant Auguſtini dicta, quæ gratiæ per ſe intrinſecus efficacis propugnatores objicere Scholæ noſtræ ſolent. Ejuſmodi eſt illud, quod legitur lib. 1. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 19. n. 37. in hæc verba: *cum etiam nunc obluctetur, non mihi, ſed illi qui clamat* (Joan. VI. 44.) nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum. *Non enim ait*, duxerit, *ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Item quod in lib. de Grat. Chriſti cap. 21. n. 22. *Iſte audiens*, (1. Joan. III. 16.) Deus charitas eſt; *quare adhuc uſque contendit, quod ex illis tribus tantummodo poſſibilitatem habeamus ex Deo; bonam vero voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quaſi alind ſit bona voluntas, quam charitas:* hoc eſt, affectio animi manens, aut movens facultatem liberam inclinans in Deum. Similiter in libro de Grat. & lib. Arb. cap. 17. n. 37. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt magna charitate fecerunt..... Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit.* Timor enim non eſt in charitate, *ſicut ait Joannes Evangeliſta in epiſtola ſua; ſed* perfecta charitas foras mittit timorem (1. Joan. IV. 18.) *Et tamen quamvis parva, & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino*, Animam meam pro te ponam: (Joan. XIII. 37.) *putabat enim, ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem; & cooperando perficit, quod operando incipit?* Præterea cap. 20. n. 41. *Scriptura divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & a ſe factas bonas, in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; verum etiam illas, quæ conſervant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel*

ad

Digitized by Google

ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas &c. cæteraſque actiones humanas civilis, ac politici generis, quæ ſunt intra naturæ fines. Tum cap. 21. n. 42. *Numquid tamen Philiſtiim, & Arabes in terram Judæam diſſipandam ſine ſua voluntate venerunt, aut ſic venerunt ſua voluntate, ut mendaciter ſcriptum ſit* (II. Paral. XXI. 16.) *quod Dominus ad hoc faciendum eorum ſpiritum ſuſcitavit? Immo utrumque verum eſt, & quia ſua voluntate venerunt, & tamen ſpiritum eorum Dominus ſuſcitavit. Quod etiam ſic dici poteſt: & eorum Spiritum Dominus ſuſcitavit, & tamen ſua voluntate venerunt. Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſte aliquid velle non poteſt.* Sic pariter lib. 2. Operis imperf. cont. Julian. n. 11. *Quomodo levat Deus ruinas malarum voluntatum, niſi bonas voluntates operando in cordibus hominum.* Item num. 157. ubi ait, *operari Deum voluntates in mentibus hominum; non ut nolentes credant, quod abſurdiſſime dicitur; ſed ut volentes ex nolentibus fiant. Non ſicut facit doctor homo, docendo, & hortando, minando, & promittendo in ſermone Dei: quod fruſtra, niſi Deus intus operetur & velle.* Hoc eſt, niſi operetur, ut res illa nobis placeat, noſque delectet; eamque amemus, ſeu ſimpliciter appetamus. Sic lib. 5. n. 4. *Cogitate quæſo iſtud, ait, atque retinete, tandemque fatemini, operari omnipotentem Deum in cordibus hominum voluntates, averſaſque convertere.* Denique illa ex libro de Corrept. & Grat. cap. 12. n. 38. *Subventum eſt igitur infirmati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis, & ſana in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii;* (hoc eſt habens in poteſtate libera non ſolum agere internum, externumque opus virtutis; ſed & ſimpliciter velle, & appetere particulare aliquod bonum, eoque affici, ac delectari) *quamvis non de futuro adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare, ſi vellet: non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet.* Nempe pro ſtatu naturæ innocentis, auxilia indifferentia tum ad voluntatem, tum ad actionem, quam diximus: pro ſtatu autem naturæ lapſæ, auxilia per ſe intrinſecus efficacia ad voluntatem, indifferentia ad actionem; ſeu, non connexa cum illa. Item cap. 14. n. 45. allato prius exemplo Saulis, & in hanc ſententiam expoſito, quod eſt 1. Reg. x. 26. *& abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda*, mox de Davide agens, ut id ipſum comprobet, affert illud 1. Paral. XII. 18. *Spiritus vero induit Amaſai principem inter triginta, & ait: Tui ſumus, o David, & tecum &c.* quod explicat eodem modo. Ait enim: *Numquid iſte poſſet adverſari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus eſt, per ſpiritum ſuum, quo indutus eſt, ut hoc vellet dicere, & facere?* Deinde affert quod eſt ver. 38. *Omnes iſti viri bellatores, expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron &c.* Quod ſic pariter explicat: *ſua voluntate utique iſti conſtituerunt Regem David. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico. Et tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. Propter quod ſcriptum &c.* Doctrinam eandem multis illuſtrat. Et tandem locum concludit eo celebri effato: *Deus magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Quod quidem veriſſimum eſt; non ſolum quia in poteſtate noſtra non eſt, quid nobis occurrat, atque omnino ex Deo eſt ſancti, opportunaque cogitatio; verum etiam quia noſtræ electionis, arbitriique liberi amplius non eſt, quid nobis placeat, noſque delectet. Quod præclare expreſſit in lib. de ſpir. & lit. cap. 3. n. 5. his verbis: *Nos autem dicimus humanam voluntatem ſic divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut præter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque* do-

Digitized by Google

doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque ſummi illius, atque incommutabilis boni &c. Nam neque liberum arbitrium quicquam, niſi ad peccandum valet, ſi latet veritatis via: &, cum id quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur; (qui actus pertinet ad ſuperiorem appetitum, ut denominatur Voluntas) *non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur.* (Qui actus ad eundem appetitum pertinet, ut denominatur liberum arbitrium.) *Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Similiter in libro 83. quæſt. q. 68. n. 5. & in ſecundo de peccat. merit. & remiſ. cap. 18. n. 30. & cap. 19. n. 32. de Grat. Chriſti cap. 47. n. 52. de Corrept. & Grat. cap. 2. n. 3. lib. 1. Oper. imperf. cont. Jul. num. 97. lib. 6. num. 10. Hæc omnia, & alia plura horum ſimilia; uti ſunt ea omnia quæ ſcribit de cœleſti delectatione, de quibus Indicem conſule, verbo, *Delectatio &c.* pertinent ad voluntatem, ut ab actione diſtinguitur: ſeu, motus, atque actus illos rationalis appetitus deſignant, non quibus arbitrium liberum, aut eligendi facultas; ſed quibus voluntas nominatur. Hi vero actus, & motus, cum ſoli coactioni opponantur; eoſque ut præciſe tales, teſte Auguſtino, Deus operetur in nobis ſine nobis; nec facultatis eligentis, ſed tantum volentis, ſeu appetentis exercitationes ſint, ut docet S. Thomas; non eſt, quod admodum laboremus in explicandis locis hic modo citatis, aliiſque ſimilibus, quibus volendi neceſſitas nobis imponitur: nec opus eſt, ut ea interpretemur de neceſſitate vel conſequente, quam vocant; vel tantum morali. Eſt in hoc ſyſtemate, pro ſtatu naturæ lapſæ, antecedens eaque prorſus inſuperabilis neceſſitas eorum actuum, motuum, affectionum, delectationum, quæ nomine voluntatis appellat ſæpe Auguſtinus; ut velle, ſive, ut voluntas diſtinguitur a libero hominis aſſenſu: in quo aſſenſu cum quædam ſit conſummatio humani actus, & ſalutare promeritum; eo ſignificatur, quod dicit Apoſtolus, *perficere*, ſeu *operari*, *τὸ ἐνεργεῖν*: de quo, ut docet Auguſtinus, gratia non tantum *operans*, ſed & *cooperans* eſt. Atque hæc duo illa ſunt, quæ tertio, & quarto loco propoſui; & ſunt ſyſtematis hujus partes præcipuæ. His enim duplex auxiliorum genus ſimul componimus, indifferentium, ac per ſe intrinſecus efficacium; in quo propria nota, & character quarti hujuſce Syſtematis.

Objicies duo. Primum contra priores duas Syſtematis partes. Nam veritates objectivæ, & æternæ, ſupra deſcriptæ, vel ponuntur in Deo; vel extra Deum. Primum contrarium eſt Concilio Remenſi anni 1148. ſub Eugenio III. ibi enim in profeſſione, ſeu formula Fidei oblata a S. Bernardo, & Epiſcopis Galliæ, habentur hæc: *nullas omnino res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, vel alia hujuſmodi, adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus*. Alterum contrarium eſt Concilio Lateranenſi anni 1215. ſub Innocentio III. in quo cap. 1. definitum; *ab initio temporis utramque de nihilo conditam creaturam, ſpiritualem, & corporalem &c.* ac proinde nihil ex æterno extra Deum.

Deinde contra duas poſteriores partes ſyſtematis. Nam ſi Velle, & Agere explicentur primo modo; ſcholæ Thomiſticæ nimis concedi videtur; & actus Fidei, Spei, Charitatis, ac virtutum reliquarum, editi ſub phyſica præmotione, ſive ſub gratia per ſe intrinſecus efficaci; quæ vitari potuerit quidem antea, tunc autem vitari non poſſit; non erunt proxime liberi; &, cum tales non ſint, ſuo proprio, ac peculiari merito carebunt. Si vero Velle, & Agere, explicentur altero modo; nimis conceditur Scholæ noſtræ. Siquidem voluntates, appetitioneſque illas ſimplices, ſeu non deliberatas Noſtri etiam agnoſcunt, & approbant; in eiſque gratiam inſpirationis ſanctæ reponunt. Immo vix erit, quo differat hoc quartum ſyſtema a communi ſyſtemate noſtro, præterquam modo loqendi. Quare nec ſervaretur, quæ pro-

Digitized by Google

propria eſt quarti hujus ſyſtematis ratio, conciliandi ſententias contrarias. Male enim ſequeſtrum agit, qui omnia adjudicat uni; vel uni dat res, alteri tantummodo verba.

Reſpondeo breviſſime ad primum, veritates illas probabilius poni intra Deum. Ita enim velle videntur Patres citati; quibus maxime auctoribus, veritates illas, ſive æternum illum veri ſtatum, & quaſi intelligibilem mundum, admittimus. Neque nobis contrarium eſt concilium Remenſe; primum, quia ſcriptum illud Bernardi; & aliquorum Epiſcoporum adeo a Concilio approbatum non fuit; ut profeſſi ſint Patres, maxime Cardinales, qui Concilio illi interfuere & Pontifex ipſe, qui Concilio præfuit, *ſcriptum illud auctoritatis pondere carere &c.* vide Acta concilii a Binio ex diverſis collecta. Deinde non agebatur ibi de æternis his veritatibus, quas paſſim philoſophi, ac theologi admittunt; neque de actibus contingentibus, ac liberis Dei; ſed de ipſius prædicatis, ut ajunt, neceſſariis, in quibus Gilbertus Porretanus abſtracta a concretis perperam diſtinguebat. Tertio hæ veritates ſubjective, & entitative, ut ſic loquar, ſunt ipſe Deus; Ideſt, ſi quæras, *Quid*; ſunt ens prorſus immutabile, & indefectibile. De quo vide, quæ ſcripſimus in quæſtionibus de Actibus Dei contingentibus, ac liberis in Prolegomen. Cæterum, detur hoc Eſſe veri, hunc veri ſtatum, veritates has objectivas locum in Deo habere non poſſe: ſtabunt tamen nihilo ſecus priores duæ ſyſtematis partes; neque id refragabitur Concilio Lateranenſi, aut ulli Eccleſiæ decreto. Quoniam hæ veritates extra Deum poſitæ, ut notat Card. Sfortia Pallavicinus lib. 8. theolog. Aſſert. cap. 3. & 40. *carent actualitate, ſive exiſtentia;* & defenduntur, ut dixi, paſſim a doctoribus orthodoxis, quibus mens, & verba Concilii notiſſima ſunt.

Ad ſecundum reſpondeo primum prima via, ſeu primo explicandi modo: quamvis velle, & agere diſtinguantur, unum tamen cenſeri; ſive, eſſe unum moraliter. Et primum quidem, ideſt, velle, eſſe tanquam initium actus; ſeu, tanquam conditionem, ſine qua Deus non infert phyſicam præmotionem, ſeu gratiam per ſe intrinſecus efficacem ad alterum, quod eſt agere, & eſt quaſi complementum, ac perfectio actus. Cum igitur initium actus, ſive ſit aliquid negativum, ut non reſiſtere gratiæ excitanti, non diſſentire, non nolle; ſive ſit aliquid poſitivum, ut conſentire, obſequi, ac vere, & proprie velle; cum, inquam, initium actus ſit nobis proxime liberum, ex eo totus actus denominabitur vere, & proprie liber: & habebit etiam proprium, ac peculiare meritum; ea tamen conditione, quod, nobis ſeu conſentientibus, ſeu non diſſentientibus, fiat.

Nunc altera via, quam dixi multo probabiliorem mihi videri. Nego vero hac via Scholæ nimium noſtræ dari. Nam etiamſi plus daretur, non tamen nimium daretur. Nec qui ſequeſtrum agit, partibus, quas ad concordiam adducit, ſemper detrahere, aut concedere debet æqualiter; ſed pro cujuſque jure. Nego deinde in hoc ſyſtemate ſcholæ noſtræ plus dari. Nam cum duæ ſint, ut ex SS. Auguſtino, & Thoma oſtendimus, ſuperioris appetitus operationes, velle, & eligere; primam omnino in ſententiam Thomiſtarum explicamus. Dicimus enim Deum phyſica præmotione, ſeu gratia per ſe intrinſecus efficaci in nobis efficere, ut velimus. Dicimus poſt Adæ peccatum non amplius in hominis libera poteſtate relictos affectus, amores, appetituſque ſimplices, ſeu quibus bonis affici, tangi, delectarique velit. Subventum dicimus infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; hoc eſt, non deficeret, ſed perſeveraret in homine bona voluntas, ſive delectatio, & appetitio ſimplex ſummi & incommutabilis boni. Quæ ſane non ſunt mera verba, ſed res; & magni quidem momenti, & valde ſolidæ res.

Jam vero quod ſpectat ad ſecundam rationalis appetitus operationem, qua nempe bonum non ſolum ſimpliciter appetit, ſed eligit, & amplectitur; qua non ſolum bene vult, ſed etiam bene agit; & cum ſibi ipſi, tum etiam facultatibus ſibi ſubjectis bene imperat; quod in-

inquam, ad ſecundam operationem hanc ſpectat; ea in hoc ſyſtemate non quidem exponitur in ſententiam Thomiſtarum; ſed neque omnino in ſententiam Noſtrorum. Deum enim a nobis operationem hanc obtinere proxime, dicimus, auxiliis indifferentibus, ſeu quibus poſſit reſiſti, ſed congruis. Hic vero liberum cuique relinquimus, congruitatem hanc explicare, ſive a priori, ut in primo ſyſtemate; ſeu per auxilia compoſita, ut in ſecundo; ſeu per energiam divinæ voluntatis, ut in tertio; ſive a poſteriori, ideſt ex effectu ipſo per ſcientiam mediam præcognito, quæ communis ſententia Noſtrorum. Quemadmodum igitur hoc quartum ſyſtema pluſquam ſolo loquendi modo differt a ſuperioribus tribus; ita etiam a communi ſyſtemate noſtro. His accedit, quod hoc ſyſtema locum quidem dat ſcientiæ Mediæ, eique munus permittit dirigendi adminiſtrationem auxiliorum indifferentium: verum non modò ipſi adimit nomen; ſed omnem fere ipſius rationem immutat. Siquidem ſcientia Dei duplex eſt, & utraque, quemadmodum ſupra ex Auguſtino, & Anſelmo præſertim oſtendimus, eſt de aliquo vero ſibi ex æternitate abſolute præſentiſſimo, ſibique ſuo modo, ut ſic loquar, coexiſtente. Quæ pariter diverſitas eſt non verborum tantum, ſed rerum. At enim Noſtri etiam bonas voluntates prævias, ac non deliberatas admittunt. Quaſi vero dixerim, huic quarto ſyſtemati cum noſtro nulla re convenire. Convenit utique, nec paucis: ac poterunt certe aliqua ex iis præſertim, quæ ultimo dicebantur, ſaltem ad explicandos aliquanto, ut videtur, commodius plures Auguſtini locos, in noſtro etiam ſyſtemate retineri.

Illud videtur his poſſe addi; cum, qui bene velit, & bene agere neceſſe eſſe. Sic enim Auguſt. in Exp. Epiſt. ad Gal. c. 5. n. 49. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt*. Quod ſi voluntatem neceſſario ſequitur actio; diſtinctio, ac diſcrimen illud, quod intercedit inter Velle, & Agere, primo potius modo, quam ſecundo, eſt explicandum. Reſpondeo, utrovis modo id explicandum cenſeas, hoc ſyſtema conſiſtere: quippe cujus illa eſt propria, & præcipua ratio, auxilia indifferentia, ac per ſe intrinſecus efficacia ſimul componere, beneficio ejus duplicis ſigni, ſive gradus, quo voluntas, & actio tenentur, & invicem diſtinguuntur. Cæterum dico, fieri ſimpliciter poſſe, ut homo pro ſua libertate eligat, & amplectatur id quod cæteroqui minus placet, minus delectat, appetitur ab ipſo minus. Nomen vero neceſſitatis, quod in hoc loco uſurpat Auguſtinus, accipiendum vel de neceſſitate conſequente; ſi nimirum majori illi delectationi adjungamus aſſenſum, quo eam ſinamus in nobis libere dominari. Vel accipiendum de neceſſitate quidem antecedente, ſed aut tantum morali, qua contrarium valde difficile ſit, & nunquam, vel fere nunquam fiat; aut tantum vaga, & indefinita, ſi nimirum major illa delectatio diu nos afficere, invitare, impellere pergat; ut in ſecundo ſyſtemate declaratum eſt. Recolendum hic, ac ſedulo reputandum illud Auguſtini de Grat. & lib. Arb. cap. 17. n. 33. *Ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, ſine nobis operatur* (ſine; nobis libere concurrentibus, ſine aſſenſu noſtro) *cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur* (hoc eſt, nobiſcum libere concurrentibus; non ſine electione, & aſſenſione noſtra.) Atque hic illud adnota; *cum volumus, & ſic volumus, ut faciamus &c.* Non igitur voluntatem neceſſario, ac ſemper ſequitur actio.

Tametſi, quod dictum eſt in aliis tribus præcedentibus, in hoc etiam ſyſtemate vobis legendum proponere neminem poſſum, qui hæc ante tradiderit; tamen cum hanc ſecundam præcipue viam explicandi Auguſtinum inierim auctore, ac duce S. Thoma p. 1. q. 83. a. 4. conſulendi vobis ejus loci interpretes: atque ex externis ii legendi præcipue, quos ſub finem præcedentis propoſitionis nominavimus; ex noſtris vero Vaſquez, Valentia, Faſolus &c. Proderit etiam videre diverſas hac de re recentiorum Thomiſtar. ſententias, quas collegit, & expoſuit Didac. Alvar. l. 3. de Aux. diſp. 19. & ex illo, aliiſque pluribus Ant. Boucat t. 1. diſ. 4. ſec. 7. a p. 122.

PROPOSITIO V.

Syſtema Societatis, tum his quatuor, quæ hic modo exhibui; tum reliquis omnibus, quæ quidem hactenus prodierunt, anteſerendum eſt.

SYſtema noſtrum, præter complures alios, breviter, & dilucide exponit Nicolaus Martinez in egregio tractatu *de Deo ſciente*. Si vobis hac in re ſatisfactum non eſt duobus tractatibus ſcholaſticis de Deo, ac de Gratia; illum conſulite controv. 4. ſect. 5. & 6. Ego enim, quod de ſe ſcripſit Apoſtolus ad Rom. xv. 20. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem;* in hoc etiam dicendi genere locum habere arbitror: mihique ea ratione ad imitandum propoſui, ut vobis vel afferam aliquid novum; vel afferam ſelectiora quædam, minuſque vulgata. Primum feci in ſuperioribus quatuor Propoſitionibus; in quarum ſingulis fundamenta poſui, quibus inædificare vobis facile ſit tempore ſuo. Alterum faciam in hac quinta Propoſitione, in qua dabo operam, ut quoniam aliena ſunt fundamenta, ſit id ſaltem, quod ſuper extruitur, meum.

Itaque ad rem ipſam ſic ſtatim aggredior. Concordiæ, quæ inter Gratiam, & liberum Arbitrium nobis propoſita eſt, illa eſt optima ratio, ac cæteris omnibus præferenda, qua melius ſervantur hæc quatuor, quæ nunc perſtringo breviſſime.

Primum, ut par eſt, ad Deum pertinet; cujus non modo ſanctitatis, ſed & libertatis, ac poteſtatis, ſupremique dominii, ac reliquorum, quæ de ipſo prædicantur, ante omnia eſt habenda ratio. Nempe ut in Deo poteſtas ſit in omnes actiones liberas hominum, & angelorum, ſive bonas, ſive malas: & ea quidem poteſtas, ut pro ſua voluntate, & arbitrio, permittere poſſit actiones malas, quin ſit earum auctor, aut inde aliquid notæ, aut maculæ contrahat; quamvis ad eaſdem proxime, ſive ut ajunt, immediate concurrat. Et poſſit idem actiones bonas ab illis obtinere non ſolum certiſſime, ſed ita etiam, ut earum actionum ſit ipſe principalis, ac ſpecialiſſimus auctor, atque largitor: quamvis illas non tantum quoad modum, ſed etiam quoad rem, & ſubſtantiam, nec una tantum ratione, ſed prorſus ab omni parte ſolutas, ac liberas ipſis relinquat. Demum, quod animadverti, & notari maxime velim, ut nihil ſive decernat, ſive tantum permittat, niſi ex pleniſſima perfectiſſimaque notitia omnium prorſus eventuum, ac rerum, quæ aliæ, ex aliis illinc conſequi, aut illuc quovis modo ſpectare poſſunt. Hic enim providentiæ modus eſt præſtantiſſimus; hæc decernendi ratio Deo digna, & qua nequeat cogitari melior.

Secundum pertinet ad cauſas ipſas ſecundas liberas; in quibus hæc ſimul jungenda, & componenda. Nimirum libertas indifferentiæ, ſeu dominatus in proprias actiones, tum a coactione, tum etiam a ſimplici neceſſitate, & modo, & re, quemadmodum diximus, undique liber; & ſubjectio, ac ſervitus Deo, ut naturæ, & Gratiæ auctori, & conſervatori debita. Quæ quidem ejuſmodi eſt, ut ex ejus voluntate, & nutu omnino pendeat, non ſolum quod ſint, & conſiſtant; ſed etiam quod agere proxime poſſint, & agant re ipſa. Sic vero, ut ſi male agunt, id nullo modo imputent Deo, ſed ſibi tantum; nec quicquam adverſus illum excuſationis habeant, aut prætendere poſſint. Contrario autem, ſi recte agunt, adſcribant id potiſſimum Deo, a quo naturalem facultatem acceperunt, & ſupra naturam elevatæ, excitatæ, motæ, adjutæ ſunt; ipſamque adeo cooperationem, aſſenſionem-

nem-

Digitized by Google

nemque ſuam in eundem referant, ac beneficium ſpecialiſſimum reputent.

Tertio ſervanda eſt ſacra Auctoritas, ut ita dicam, negativa. Hoc eſt, vitanda ea omnia, quæ in re de Gratia, & libero Arbitrio damnata, confixaque ſunt Eccleſiæ decretis, aut ſanctorum Patrum, & Doctorum communi ſententia. Cujusmodi ſunt ex una parte hæreſes Pelagianorum, ac Semipelagianorum, qui, ut audiſtis jam, aut tempore ſuo audietis in tractatu de Gratia, nimium tribuebant libero Arbitrio: ſeu melius, nimium tribuebant naturalibus viribus liberæ facultatis. Ex altera vero parte hæreſes Lutheri, & Calvini, qui liberum Arbitrium funditus ſuſtulerunt, & primi Parentis culpa amiſſum, extinctumque dixerunt. Itemque hæreſis Bajanorum, & Janſenianorum, qui Libertatis, & Arbitrii nomina quidem retinent, rem vero pariter tollunt: & ad bene, & male merendum, pro ſtatu naturæ lapſæ, ſatis habent, ſi abſit vis, & coactio; neceſſitatem, quantumvis antecedentem, & inſuperabilem officere negant. De quibus pariter omnibus abunde in tractatu de Gratia, & apud nos etiam in Appendice.

Quarto denique ſervanda eſt ſacra Auctoritas affirmans, ſeu poſitiva. Hoc eſt videndum, ut ſyſtema de Gratia, & libero Arbitrio omni ex parte cohæreat cum locutionibus, & doctrina Scripturarum, Conciliorum, & Patrum; inter hos autem maxime Auguſtini, qui ſecundum Paulum Apoſtolum, Gratiæ doctor habetur, de eaque re peculiariter commendatus, & approbatus eſt ab Eccleſia.

His quatuor expoſitis, & ſtabilitis, ſic aſſumo, & concludo: In Scholæ autem noſtræ ſyſtemate optime ſervantur hæc omnia; nec ita ſervantur in aliis: Scholæ igitur noſtræ ſyſtema cæteris omnibus eſt præferendum. Aſſumptionis hujus, ſeu minoris propoſitionis duæ ſunt partes: ſervari hæc optime in noſtra ſententia; ſecus in aliis. Probatur prior, & primo quidem generatim paucis verbis.

Etenim ſyſtema Societatis in eo poſitum eſt, quod Deus per media indifferentia, ſub auxiliis minime connexis cum actione liberæ facultatis, poſſit, arbitrio, judicioque ſuo, tutiſſime, & ſine ullo fruſtrationis periculo, decernere actiones bonas cauſarum ſecundarum, & permittere malas; nimirum Scientia Media prælucente: hoc eſt, ea ſcientia, qua Deus certo prævidet, quid quæque cauſa ſecunda libera factura ſit, ſi ipſi detur hoc vel illud auxilium; hæc, vel illa libertas, ſive agendi facultas libera: prævidet hoc autem, non in decretis, ſeu prædeterminante Thomiſtico, ſeu concomitante Scotiſtico; ſed, ut Noſtri vulgo defendunt, in ipſamet actione conditionaliter futura, quæ quamvis non ſit, ſed eſſet; jam tunc tamen *nuda, & aperta eſt oculis ejus*. (Hebr. IV. 13. Eccli. XV. 20.) Hæc omnis noſtra doctrina. Quæ, ut facilius teneatur a vobis, poterit hac breviſſima definitione comprehendi. Syſtema Societatis eſt, ſummæ poteſtatis, quam Deus habet in actiones liberas, ut liberas cauſarum ſecundarum explicatio per auxilia indifferentia, ac certam ſcientiam de creatæ voluntatis aſſenſu, vel diſſenſu conditionaliter futuris ac præcognitis in ſe ipſis. Quare noſtra ſententia ante omnia reſpicit Deum, ipſiuſque poteſtatem, & dominium; deinde vero conſulit etiam libertati creatæ, ac cæteris omnibus ſupra expoſitis, ut ſingula relegenti, eaque cum hac definitione conferenti facile apparebit.

Idem probatur diviſim, ſive per partes. Apud nos enim optime ſe videntur habere, quæ primo ſervanda eſſe diximus. Siquidem in noſtro Syſtemate præſto ſunt Deo, ac per ſcientiam mediam divinæ menti exhibentur innumeræ libertates, ſive agendi, & non agendi proximæ facultates, quæ huic homini, verbi cauſa, Petro conferri poſſint, innumeræ vocationes, auxilia innumera; quorum alia prævidentur congrua, & efficacia; contra vero alia incongrua, & inefficacia. Præterea volumus, eſſe omnino in poteſtate libera Dei, ex iis omnibus vocationibus, auxiliis, libertatibus, ſeu plenis, & proximis agendi facultatibus aliam potius, quam aliam Petro decernere; ac proinde ab illo obtinere, & elicere voluntatis aſſenſum; vel permittere diſſenſum. Tuemur etiam Dei con-

Digitized by Google

curſum proximum, & immediatum non ſolum ad bonas, ſed ad malas etiam actiones. Sic vero, ut illud maxime caveamus, ne quo affectu, ac ſtudio, ſive directo, ſive non directo videatur proſequi Deus actiones malas; aut ullo modo poſſint hæ Deo imputari, &, qui gratiæ reſiſtunt, excuſari. Ad ſalutares autem actiones eum non ſolum concurrere dicimus, ſed tot, & tanta conferre; ut non modo earum principalis auctor habendus ſit; verum etiam longe pluribus, ac nobilioribus titulis, ſive nominibus tribuendæ ſint Deo, quam cauſæ ſecundæ. Quot vero, & quæ ſint hæc nomina, hi tituli, exponam in Appendice diſput. 1. par. 4. n. 40. His illud accedit, quod Deus non ſolum de his, aut illis auxiliis impertiendis nihil conſtituit, niſi ex directione ſcientiæ Mediæ; ſed communiori Noſtrorum ſententia rejiciuntur prædefinitiones actionum ſalutarium, quæ ſcientiam mediam antevertant. Quo fit ut in ſchola noſtra ſervetur ea perfectiſſima decernendi, ac providendi ratio, quam ſupra dicebam.

Nec minus ſervantur, quæ ſecundo loco poſita ſunt, nimirum cauſarum ſecundarum libertas, ac ſervitus, ſive ſubjectio. Quippe in hominibus, etiam poſt Adæ peccatum, liberum Arbitrium ineſſe defendimus: eiſdemque actum primum proximum, ſeu proximam agendi, & non agendi facultatem tribuimus indifferentem, & expeditam; ut actio, quæ inde exiſtit, ſit vere libera, ac vera ipſorum electio, ſeu determinatio. Quanquam, ſi hæc actio, electio, determinatio eſt ſalutaris, ipſa eadem ſimul ſit Dei donum, ac beneficium, non ſolum ſpeciale; ſed, pro præſenti ipſiuſmet providentia, etiam ſpecialiſſimum, & novo titulo cumulatius, & auctius: nimirum propter prædefinitionem; hoc eſt, propter eximiam illam benevolentiam, qua Deus utilitati noſtræ, & ſaluti eam efficaciter vult, ac decernit. Sic autem eos ſubjici Deo, ab eoque moveri, ac regi dicimus; ut cum ſibi tantum imputare debeant, quod illi reſiſtunt, ac peccant; de ſe tamen gloriari non poſſint, quod ei obſequuntur, ac recte faciunt. Quin etiam & ſentire eos ſemper perquam demiſſe, & abjecte de ſe, & *cum metu, & tremore ſalutem ſuam operari*, debere (Philip. 11. 12.) Cum ſcilicet norint, eſſe omnino in Dei poteſtate, & arbitrio, quid ipſi cognoſcant, ac cogitent; & ſupernis bonis quam afficiantur, ac delectentur: & tandem vel permittere, ut peccent; vel efficaciter velle, ne peccent: ipſiſque auxilia vel congruentia, & efficacia; vel non congruentia, nec efficacia conferre.

Præterea, quod tertium erat, nihil prorſus in noſtra ſententia, quod ullo modo repugnet iis Eccleſiæ decretis, quibus notati, & proſcripti qui male ſive de Gratia, ſive de hominis libertate opinati ſunt. Inter duo illa extrema, ſive errores oppoſitos, tanquam inter duos ſcopulos hinc, & inde prætentos, medii, tutique, Eccleſia duce, provehimur; Et æque utrumque effugimus, ac declinamus. Hinc enim adverſus omnes recentes hæreticos, ac novatores libertatem indifferentiæ ſancte tuemur, ac propugnamus. Inde vero contra Pelagianos ad ſingulas ſalutares actiones neceſſarium eſſe contendimus principium ſupra naturam ſive interioris gratiæ auxilium. Et contra Semipelagianos eandem gratiam requirimus etiam ad initium Fidei; nec modo ad omne ſalutare promeritum; ſed ad ſalutarem quemque conatum, atque paratum, ſive ut ajunt, poſitivam diſpoſitionem.

Quarto denique cum ſacra Auctoritate affirmante nihil magis conſentiens, quam noſtra ſententia. Etenim Scripturæ, Concilia, & Patres de Gratia auxiliante loquuntur, tanquam de re, in qua quidem ſit vis, ſeu virtus effectrix operis ſalutaris, & tota in ipſa intrinſecus inſit; veruntamen tanquam de re indifferenti. Gratiam indifferentem cum dico, non intelligo Gratiam, cui æque ſatisfiat, & bono, & malo: non intelligo Gratiam verſatilem, quæ æque adjutet actiones bonas, & malas. Gratiam intelligo, quæ nos ad agendum recte, & ſalutariter elevet, excitet, moveat; & ſi ita etiam loqui placet, determinet, ac prædeterminet; ſic vero, ut ei proxime poſſit reſiſti. Hujuſmodi Gratiam nos docent, nobiſque deſcribunt

Scri-

Digitized by Google

Scripturæ, Concilia, & Patres locis quamplurimis. Illuſtriora recenſeo in Appendice, præſertim diſp.2. par.2. a num.3. Auguſtinus vero, ut ibidem adnoto, non ſolum ſæpiſſime docet id ipſum plane, & perſpicue; ſed etiam Gratiæ ſeu vocationis congruæ diſerte meminit, eamque multis propugnat lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. n. 3. in Enchirid. cap. 104. n. 28. de Corrept. & Grat. c. 12. n. 37. de Prædeſt. Sanctor. cap. 16. n. 32. &c. Mitto alia plura, quæ ibi pariter notata reperies. Illud poſtremo animadverto; quamvis Auguſtinus interdum aliqua ſcripſerit, quæ videntur aliis etiam ſententiis favere; ſunt ea tamen obſcura, ambigua, varia, ſibi invicem propemodum adverſantia, ac proinde ab omnibus explicanda. Hac de re nihil ſcripſit apertius, frequentius, conſtantius, quam quibus hic modo dicebam ſententiam noſtram maxime cohærere.

Neque vero, cum Gratiam vocationemve congruam nominat Auguſtinus, eum negamus intelligi poſſe etiam de divinorum auxiliorum congruitate ut ita dicam a priori; quæ poſita eſt in peculiari quodam rerum concurſu, attemperatione, habitudine; & partim per ſcientiam viſionis, partim per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcitur; niſi etiam dicere placeat, per ſcientiam mediam, quæ talis ſit minus proprie. Contendimus autem, Auguſtinum intelligendum pariter de divinorum auxiliorum congruitate quaſi a poſteriori: hoc eſt, de qua conſtat ex effectu, per ſcientiam conditionalem præcognito in ſe ipſo. Quæ proprie eſt ſcientia media, communi Noſtrorum explicatione, & ſententia. Sic autem Auguſtinum accipere, neceſſe eſt, propterea quod actionis liberæ nulla eſſe poteſt a priori ſatis certa prænotio. Atque hæc eſt primi ſyſtematis a me ſupra propoſiti labes. Cui quamvis mederi, & occurrere omni ope, atque opera ſtuduerim, quantum ibi profecerim, neſcio.

Secundum ſyſtema illud peccat, quod in eo nihil niſi magna mole, & machinationibus agitur. Explicantur operoſiſſime omnia. Multo ſimplicior, atque expeditior, & ab omni parte felicior ſententia videtur noſtra. Præterea in eo ſyſtemate, videntur, qui male agunt, vel conqueri de Deo, vel excuſare male agendi neceſſitatem, vagam quidem, & indefinitam, ſed tamen inſuperabilem, & indeclinabilem poſſe. De quo pariter, ut ibi ſatisfecerim, vereor.

Tertio Syſtemate, ſi primam, aut ſecundam explicationem ſequaris, multum quidem roboris addes duobus præcedentibus ad divinæ ſcientiæ certitudinem, ſed nimium fortaſſe detrahes libertati creatæ. Sin vero tertiam ineas viam, quæ propria, & peculiaris eſt hujus ſyſtematis; eidem libertati magis etiam officies. Vereor ne cauſas liberas antecedenti neceſſitate conſtringas. Nec proinde conſules Dei dominio. Hoc enim poteſtas eſt in actiones liberas, ut liberas. Tales autem hac tertia via obtineri videntur non poſſe. Quarta autem via, quæ ibi oſtenditur, cum ad ſententiam de divinis prædefinitionibus ſcientiam mediam præeuntibus maxime accedat; idem peccare videtur: nempe quod libertatem creatam nimis imminuat, & circumſcribat; & quod Deum humano more, nec ſatis ſe digne decernentem inducat; ut prius ſtatuat de re; deinde videat de modo.

Quarto ſyſtemati fortaſſe nil gravius objici poteſt, quam quod minus apte, &, communiori Noſtrorum judicio, minus probabiliter explicet ſeu ſcientiam Dei, propter æternas illas veritates, quas vel extra, vel intra Deum ipſum admittit: ſive facultatis liberæ exercitium, propter duo illa ſigna, quæ in eo diſtinguit. Quæ tamen ambo, ut mihi videor, ſatis ſolide communivi, & firmavi: & ſi quid habent labis, ac vitii, id philoſophicum potius, quam theologicum eſt. Hypotheſis illa de appetitionibus, ac delectationibus hominis adhuc innocentis, quibuſdam paulo diſtinctius expoſitis, commode poteſt defendi. Et cum hoc, tum alia, quæ ibi dicta ſunt, mihi videntur ejuſmodi eſſe, quæ pluribus, ac perdifficilibus Auguſtini locis explicandis, nobis etiam uſui eſſe poſſint, & a Schola noſtra adoptari.

Denique ſyſtemata Thomiſticum, & Scotiſticum contra hæc quatuor rerum capita, quæ proxime ſunt expoſita; quid pec-

peccare videantur, habetis in tertio ſyſtemate. Illud hic tantum animadverto, ſummæ Dei poteſtati, & dominio, quæ nobis tam ſæpe objectant Thomiſtæ, minus in ipſorum ſententia conſultum videri, quam in noſtra, aut in ulla ex iis quatuor, quas ſupra propoſui. Nam ſi Deus a cauſis ſecundis actionem liberam obtinere non poteſt, niſi ſi intrinſecus ipſis injiciat aliquid prorſus indeclinabile, & inſuperabile, quod eas uni extremorum affigat; non videtur Deus a cauſis ſecundis actionem vere liberam poſſe ſimpliciter obtinere.

Jam vero quoniam in noſtro ſyſtemate ſarta, & tecta ſervantur ea omnia, quæ dixi; ſecus autem in aliis; conſequens eſt, ut ſyſtema noſtrum cæteris omnibus anteferendum videatur. Quod erat propoſitum.

Objicies quatuor. Primum, eſſe aliqua, quæ noſtrum etiam ſyſtema non ſatis tuetur. Atque hæc potiſſimum duo: ſummam Dei independentiam, ſic enim loqui neceſſe eſt; & dependentiam rerum creatarum itidem ſummam. Contra alteram facere, quod Deus in hoc ſyſtemate nihil de auxiliis ſuis ſtatuere poſſit, antequam exploratum habeat, quis eorum futurus ſit uſus, ſi conferantur. Deliberationem cauſæ ſecundæ Deo expectandam. Contra alteram vero, quod ante omnem Dei voluntatem vel ſancientem, vel permittentem abſolute exiſterent infinita contingentia; nimirum ſcientiæ mediæ infinitæ de totidem futuris conditionalibus liberis. His autem fieri, ut hac in re, non voluntates creatæ ex voluntate divina; ſed contra divina potius voluntas ex creatis voluntatibus pendeat.

Deinde, Semipelagianorum ſcopulos non ſatis caveri. Illi enim initium ſalutis a nobis eſſe dicebant. In noſtro autem ſyſtemate Deus non prædefinit ſalutarem aſſenſum, nec ad eum obtinendum certa auxilia decernit, niſi ipſi præluceat, ac præmonſtret ſe prius ipſemet ſalutaris aſſenſus conditionaliter futurus. Ex hoc igitur noſtra ſalus videtur incipere. Præterea ſcientiam mediam etiam Semipelagiani admiſere: cum Deum dicerent aliquando vitam pueris ante Baptiſmum eripere, propter peccata, quæ prævidet ab ipſis patratum iri, ſi vivant. Hæc autem eſt ipſa illa ſcientia conditionalis, quæ a nobis defenditur.

Tertio, quoniam communi Noſtrorum ſententia omnes actiones bonæ prædefiniuntur a Deo; qui male agunt, in noſtro etiam ſyſtemate habere, quo excuſare ſe poſſint, & culpam prope rejicere in Deum, qui ipſorum actiones non prædefinivit. Saltem hoc peccare noſtrum ſyſtema, quod in eo non explicatur, quid ſit, quod aliorum quidem actiones prædefinit, ac recte eos agere, vult efficaciter; aliorum vero non prædefinit, ac recte eos agere ſolum inefficaciter vult. Illis auxilia congrua, his incongrua parat, ac ſubminiſtrat. Qui ſane videtur controverſiæ hujus nodus præcipuus.

Poſtremo in noſtra ſententia non ineſſe voluntati divinæ eam vim, atque energiam, quam, ut oſtendimus in tertio ſyſtemate, illi tribuunt Scripturæ, & Patres: præſertim vero Auguſtinus. Locus ipſius celebris eſt in Enchir. c. 95. n. 24. Siquidem ad illud Pſal. cxiii. 3. *Omnia quæcunque voluit, fecit*, ita ſcribit: *Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit; & quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit; vel ſinendo, ut fiat, vel ipſe faciendo.* Non videtur autem cum his cohærere quod Noſtri docent, poſſe prædefinitionem divinam humana voluntate impediri. Præterea Auguſtinus lib. 1. de Prædeſt. Sanct. c. 10. n. 19. & cap. 17. n. 34. Deum prædeſtinaſſe ait omnia futura, exceptis peccatis. Quo S. Doctor videtur divinorum auxiliorum congruitatem deſumere ex decreto prædeterminante Thomiſtico vel certe ex Dei voluntate, non ex ipſo ſucceſſu, ſive humanæ voluntatis aſſenſu, per ſcientiam mediam in ſe ipſo præcognito.

Reſpondeo ad primum, in noſtro ſyſtemate ſervari rectum naturæ ordinem, & optimam providendi rationem; ut cognitio præeat voluntati, ac ſcientia regantur decreta. Utroque illo, quod hic nobis objicitur, commendari noſtram doctri-

Digitized by Google

ctrinam. Nam quod Deus ante ſcientiam mediam de auxiliis ſuis nihil conſtituat; eo non expectat deliberationem cauſæ ſecundæ, ſed agit ut dignum eſt cauſa prima: dirigitur, non a voluntate creata, ſed a ſcientia ſua. Conſulit ſemet ipſum; qui cum ſit ipſa veritas, non conveniret, aliquid ab eo decerni, non ante proviſis, & pluſquam comprehenſis iis omnibus, quæ quocunque modo ex ea re conſequentur. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*. (1. Jo: 1. 5.) Plura de hoc in Appendice diſp. 1. n. 37.

Alterum vero, quod in hac prima oppugnatione additur, idem probat, doctrinamque noſtram non minus commendat. Nam quod infinitæ ſcientiæ mediæ abſolute exiſtant in Deo ante omnem ipſius ſanctionem, permiſſionemve; hoc tandem eſt, quod dicebam, cognitionem præire voluntati, ac ſcientiam prælucere decretis. Id poſtulat rectus ordo; eſt id e natura tum veritatis, quæ eſt ipſe Deus; tum libertatis, quæ in nobis eſt dono Dei. Atque hoc ipſum pertinet ad ſummam Dei excellentiam. Neque enim hoc eſt dependere; ſed eſt agere magis ſapienter, ac provide; immo & magis libere. Nam ſi Deus ante ſcientiam mediam præfiniat actionem cauſæ ſecundæ; non ei tantum, ſed ſibi etiam vinculum aliquod, neceſſitatemque circumdabit: & quod deinde faciet, ut illi auxilium congruum deſtinet, haud libere faciet.

Additum fuit in primo ſyſtemate, ubi hæc difficultas primum nobis objecta; infinitas illas ſcientias, ſive infinita illa contingentia exiſtere in mente Dei, non modo ante omnem ipſius voluntatem, ſed ex ſola voluntate, ac determinatione cauſæ ſecundæ. Id quod eſt oppido falſum: nam voluntas, ſeu determinatio illa cauſæ ſecundæ non eſt, ſed eſſet; ſi autem eſſet, eſſet pariter, atque adeo illam præiret determinatio, ſive decretum Dei, a quo cauſa ſecunda acciperet, ut velle poſſet, & ita velle. Idem autem ordo rerum pro ſtatu abſoluto, quem vocant, ac pro ſtatu conditionali. Ut determinatio cauſæ ſecundæ abſoluta ſubſequitur determinationem cauſæ primæ pariter abſolutam; ſic determinatio cauſæ ſecundæ conditionalis ſubſequitur determinationem cauſæ primæ pariter conditionalem. Hoc enim demum ſignificat ſcientia illa media: *Si exiſteret libertas A, conſentiret*: ſi ego me determinarem ad conferendum hoc auxilium cauſæ ſecundæ, ea per illud auxilium determinaret ſe ad conſentiendum ipſimet auxilio. Quare exercitium libertatis divinæ ſemper præit exercitium libertatis creatæ. Ac proinde hac etiam de cauſa non poteſt dici voluntatem divinam expectare voluntatem creatam. Sed de hoc pariter in Appendice diſp. 1. n. 40. 41. &c.

Ad ſecundum reſpondeo, hanc oppugnationem vel eſſe hominis ineruditi, & indocti; vel ad invidiam apud ineruditos, & indoctos nobis conflandam ſpectare. Ajo breviſſime multum intereſſe inter noſtram doctrinam, & doctrinam Semipelagianorum. Illi enim initium ſalutis vere conſtituebant in aliqua hominis actione, primove conatu, qui re ipſa extitiſſet; & ſolis extitiſſet naturæ viribus. Contra vero conditionalis ille aſſenſus, qui ex noſtra doctrina hic nobis objicitur, primum non eſt, ſed eſſet; deinde non eſſet ex ſolis naturæ viribus, ſed eſſet ex vera, & interiori gratia, & quidem ex illa potiſſimum; tertio non ponimus in eo initium ſalutis. Neque enim in aſſenſu conditionali, ſive in aſſenſu qui eſſet, eſſe dicimus meritum, aut quod inſtar ſit meriti; neque in noſtra ſententia ſcientia media divinam voluntatem movet, ſed tantum dirigit.

At enim etiam Semipelagiani ſcientiam mediam admiſere. Negatur. In hoc etiam diſcrimen ingens, atque evidens eſt. Nam ſcientia conditionalis Semipelagianorum falſa erat, & illa peſſime utebantur. Falſa erat, ideo quod primum hominis conatum ex ſolis naturæ viribus fore enunciaret. Peſſime illa utebantur, cum dicerent, actiones bonas conditionaliter futuras; & actiones malas itidem futuras conditionaliter; hoc eſt, actiones, quæ nec ſint, re ipſa nec abſolute futuræ ſint; ſed tantummodo eſſent, ſi homo diutius viveret; a Deo tamen per eam ſcientiam præviſas & præmio affici, & pœna; & ea quidem pœna,

na, quæ in oppugnatione notatur. A quibus longiſſime abhorret noſtra ſententia; iiſdemque Auguſtinus, Eccleſia, & lumen ipſorum naturæ repugnat. Quæ oſtendimus in Appendice diſp. 1. ad 4. & 5. hoc eſt par. 4. n. 35. & 43.

Ad tertium reſpondeo, nihil eſſe, quod noſtro ſyſtemati minus objici poſſit. Nullius ponderis foret excuſatio illa, ac prorſus injuſta. Primum, quia in noſtro ſyſtemate prædefinitio non eſt neceſſaria: ac proinde, ſi abſit, qui Gratiæ reſiſtit, nullo modo a culpa eximitur. Deinde, quia nullam addit majorem vim, poteſtatem, facilitatemve conſentiendi. Quare proxima agendi facultas omnino ſimilis in conſentiente, ac diſſentiente eſſe poteſt. Tertio, quia qui gratiæ diſſentit, ipſe fecit, ne potuerit proxime habere prædefinitionem aſſenſus ſub ea libertate, ſive auxilio: quapropter in ipſo culpa tota reſidet. Mitto alia, quæ ex iis, quæ in ſuperioribus Propoſitionibus dicta ſunt, unuſquiſque per ſe animadvertere, ac reputare poterit.

Nec minus ex præcedentibus refelli poteſt, quod additur. Ut enim ſupra notavimus, Auguſtinus de Prædeſt. ſanct. cap. 8. n. 16. de nodo illo ita concludit: *Cur autem iſtum potius, quam illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus .... occultum eſſe voluit, qui aliquid injuſtum velle non potuit*. Et ſimiliter in libro de dono Perſever. cap. 14. n. 37. *Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant; hoc eſt, cur illis datum ſit a Patre, ut veniant ad Filium; illis autem non ſit datum*. Sive, ut ipſemet S. Doctor alibi explicat (lib. 1. ad Simplician. q. 2. n. 13.) cur illi *congruenter vocati*, alii non ita; *quis cognovit ſenſum Domini, aut quis ejus conſiliarius fuit?* Et paſſim hæc aut ſimilia repetit: ac plerunque uſurpat illud Apoſtoli ad Rom. XI. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Cum igitur Auguſtini judicio Deus id occultum eſſe velit; & ad ea pertineat, quæ ſcrutari, ac veſtigare nos ſacræ Literæ prohibent; vitio dari non poteſt ſyſtemati de Gratia, & libero Arbitrio, quod difficultatem hanc non expediat. Peccaret, ac rejiciendum omnino eſſet, ſi id attentaret. Hic nodus adeo non eſt hujus quæſtionis, ut ne ſit quidem hujus vitæ mortalis.

Ad quartum idem dicendum de divinæ voluntatis energia, quod ſupra dictum eſt de ſumma Dei poteſtate, & dominio: hæc nimirum ab illis potius imminui, qui Deum vel prædefinientem inducunt modo parum ſe digno; vel prædeterminantem, ac præmoventem decretis, ac motionibus ad cauſas ſecundas liberas parum accomodatis. Quod voluntas humana impedire poſſit, ne ſit aliqua voluntas divina, abſurdum non eſt; cum hæc ipſa poteſtas, ſeu facultas libera hominis in Dei voluntatem referatur. Abſurdum foret, ſi voluntas humana fruſtraretur divinam; hoc eſt, ſi *impediret, ne fiat id quod vult* Omnipotens; *ſi voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impediretur effectus*. Poſterius hoc ait Auguſtinus in loco nobis objecto; non prius illud. Quo in loco illud etiam notandum, Auguſtinum non loqui de qualibet voluntate divina, ſed tantum de efficaci. Quod ipſemet paulo poſt animadvertit ex iis Chriſti Domini verbis, quæ ſunt Matth. XXV. 37. *Quotiens volui colligere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti?* Hoc enim loco ita recitato, & pluribus interpoſitis omnino in noſtram ſententiam, ita concludit cap. 100. n. 26. *Propterea namque* magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus: (Pſalm. CX. 2.) *ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens & de malo facere poſſet bene*.

Itaque prædefinitiones divinæ, quæ voluntas efficax ſunt, ſunt per ſe intrinſecus metaphyſice connexæ cum actione ſalutari; nec poſſunt ulla vi effectu privari. Qua interiori, ac metaphyſica connexione divinæ voluntatis virtutem, atque energiam tuemur quam qui maxime. Et ſimul, ut par eſt, conſulimus libertati creatæ: immo, ut ante dixi, etiam divino dominio; quod eſt poteſtas

in

Digitized by Google

in actiones liberas, ut liberas cauſarum ſecundarum. Nimirum, quia, cum communi Noſtrorum ſententia prædefinitiones ſcientiam mediam ſubſequantur, impediri, ſeu vitari ab homine poſſunt: & quantumvis connexæ cum actione; ſunt tamen extra hominem, atque extra proximam agendi facultatem, eamque nihil prorſus immutant. Quæ ſunt omnia tenenda; ut ſervetur hypotheſis ſcientiæ mediæ, & ſua homini conſtet libertas proxima, ſive immediata.

Ad alterum Auguſtini locum reſpondeo, eum loqui de futuris abſolutis, non vero de futuris conditionalibus. Hæc enim, ut talia abſolute, & ſimpliciter non ſunt futura. Docet id expreſſe ipſemet S. Doctor in primo ad Proſperum, & Hilarium, qui eſt de Prædeſt. ſanct. c. 12. n. 24. his verbis: *Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit neſcio, ut futura, quæ non ſunt futura puniantur, aut honorentur merita parvulorum*. Eos reprehendit, qui docebant, pueros ante baptiſmum morte multari propter peccata, quæ ſi vixiſſent, admiſſuri fuiſſent. Et iterum paulo poſt: *Judicari autem quemquam ſecundum merita, quæ fuerat habiturus, ſi diutius vixiſſet in corpore, unde opinari potuerint.... mirans, & ſtupens reperire non poſſum*. Et c. 13. n. 25. *Sed quia hominum futura, quæ non ſunt futura, procul dubio nulla ſunt merita &c.* Atque hic illud animadverte, apud S. Auguſtinum nullam eſſe mentionem, aut veſtigium divinæ ullius voluntatis decernentis futura conditionalia libera, ut talia; hoc eſt, ut futura ſub conditione. Cujuſmodi eſſet hæc: Volo, Tyrios, & Sidonios, ſi viderint Chriſti miracula, habere phyſicam præmotionem, ut credant, & convertantur. Quæ Dei voluntas a Thomiſtis adſtruitur, & ipſorum doctrinæ primum eſt fundamentum, appellaturque decretum ſubjective abſolutum, & objective conditionatum: eſtque illud veluti medium, in quo Deus, ipſorum ſententia, videt eam converſionem conditionaliter futuram. Quin immo videtur S. Doctor contrarium tradere. Sic enim cap. 10. de Prædeſt. ſanct. n. 19. *Prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.... Præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit; ſicut quæcunque peccata*. Jam ergo, futura, quæ ſunt vere futura; hoc eſt, quæ futura ſunt abſolute, omnia, exceptis peccatis, prædeſtinantur, ſeu decernuntur a Deo. Porro congruitas auxiliorum illorum, ſub quibus prædeſtinantur, ſeu prædefiniuntur actiones ſalutares vere futuræ, hoc eſt, abſolute futuræ, non ſolum non deſumitur ex decreto prædeterminante Thomiſtico, quod nullum eſt; ſed neque ex decreto prædefiniente noſtro; cum ſit jam ante prævisa per ſcientiam mediam, quæ communi Noſtrorum ſententia prædefinitionem præit, ac dirigit. Atque hæc intelligentibus, ſatis. Quæ ſi teneatis, ſpero nihil fore de concordia Gratiæ, & liberi Arbitrii, quod vobis propoſitum, vel novum accidat, vel de illo promptum non ſit, ferre judicium.

Legendi præcipue S. Franciſcus Saleſius lib. 2. de divino Amore cap. 4. ad 13. Suarez lib. 3. 4. & 5. de divina Gratia. Item in Opuſculis Theologicis lib. 1. 2. 3. &c. Et in Opere poſthumo de Auxilio efficaci. Leſſius de Gratia efficaci, ac de Prædeſtin. & Reprobat. De Valentia in Commentar. in 1. par. & 1. 2. &c. Ruiz de Scientia Dei lib. 4. ac de divina voluntate a diſput. 27. de Henao in ſcientia Media theologice defenſata par. 1. & 2. Gaſpar Ribadeneira in Tract. de Prædeſt. ac de ſcient. & Volunt Dei. Junius de Provid. & Prædeſt. Ripalda de Ente ſupernat. tom. 2. lib. 5. Maignanus Philoſoph. ſacr. cap. 10. 14. 31. &c. Theodorus Eleutherius, ſeu proprio nomine Levinus de Meyer Hiſtor. Controver. de Auxiliis, & in ejuſdem Vindic. Nicol. Martinez de Deo ſciente Controv. 4. Ulloa in Prodromo diſputat. 5. & in Tractat. de Deo, & de Grat. Ramirez de Scientia Dei tom. 1. & 2. & Recentiores alii ex Noſtris, qui hac de re accurate ſcripſerunt.

Tandem legi a vobis non inutiliter poterunt ea quæ ex his ipſis Scriptoribus, quos modo percenſui, cum juvenis

Digitized by Google

nis eſſem, excerpſi, ac diſputationibus duabus comprehendi. Quas, cum alia ratione, & ſtylo interdum mere ſcholaſtico ſcriptæ ſint, nec operæ pretium duxerim eas recudere, & ad hanc & loquendi, & diſputandi formam aptare; in partem alteram hujus Tractatus, & tanquam in Appendicem, ſive auctarium rejeci. His attexui Enchiridium breve adverſus Janſenianos; quod ſpero vobis perutile, acceptumque fore.

Finis Tractatus Quarti.

Digitized by Google

APPENDIX

AD

TRACTATUM IV.

Ubi de Concordia Divinæ Gratiæ, & Liberi Arbitrii fuſius agitur.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS
De Concordia Divinæ Gratiæ, & liberi Arbitrii
APPENDIX.

QUoniam duo illa, quæ inhac Appendice quæruntur, ad propriam pertinent Scholæ Noſtræ Doctrinam; eaque propterea copioſius, atque explicatius tractanda eſſe cenſui; quamvis maxime planum, & uſitatum diſputandi ordinem ſervarim, ipſumque adeo illum, quo in duobus prioribus Prolegomenis uſus ſum; tamen, ne rerum copia, & multiplicitas confuſionem, & obſcuritatem afferat; viſum eſt duplicis hujus diſputationis, ſive articuli corpus diſtinguere numeris, ac præcipuis quatuor utriuſque partibus titulos ſuos præponere.

DISPUTATIO PRIMA.

Utrum Scientia Dei de futuris conditionalibus liberis, quam defendit Societas, Auctoritati, & rationi cohæreat; & potiſſimum, an in Sacris Literis reperiatur.

PARS PRIMA.
OPPUGNATIO.

NOn videtur: Primo, quia quod eſt Gen. VI. 5. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſset in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus &c.* Etſi de vera, & propria pœnitentia intelligendum non ſit; nec ſic tamen explicari poteſt, ut dicatur, prævisum fuiſſe Deo, cum homines condere decrevit, quo iniquitatis, ac ſcelerum proceſſuri forent, ſi conderentur. Sed neque præceptum primis parentibus datum, tentationis permiſſio, mulier comes, & adiutrix viro addita, paradiſi locus omnibus deliciis circumfluens, ejuſmodi ſunt, ut credibile ſit, Deum ante etiam, noſtro ſcilicet intelligendi modo, quam hæc apud ſe conſtitueret, certo, atque evidenter prænoviſſe, quonam, ſi hæc primis hominibus apponerentur, porrecturi manus forent: bonine, ac vitæ; an vero potius mali, atque mortis (Eccli. XV. 17. 18.) futura eſſet ipſorum electio.

Secundo, quia in ſacris iiſdem Literis anceps quaſi, ac tentabundus, experimentoque ipſo diſcens conditionales even-

tus, Spiritus Sancti ſcilicet afflatu, & magiſterio, multis in locis nobis exprimitur, ac deſcribitur Deus. Sic Gen. XXII. 1. *Tentavit Deus Abraham &c.* & 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*. Sic Deuter. 8. 2. *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent* (Hebræus legit, לדעת *ladanghath, ad ſciendum*: Septuaginta vero Interpretes ſimiliter ὅπως &c. διαγνωσθῇ *opos &c. diagnoſthi, ut ſciat*: quam lectionem ſequuti ſunt Cyprianus, Auguſtinus, & alii Patres) *quæ in tuo animo verſabantur, utrum cuſtodires mandata illius, an non*. Sic pariter Deut. XIII. 3. *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum &c.* Quod Hebræus, ac ſeptuaginta Interpretes legunt, ut proxime expoſui; iiſque adhærent Patres iidem. Ita etiam Jud. XI. 22. *Ut in ipſis experiar Iſrael, utrum &c.* Item Pſ. CXXXVIII. 1. *Probaſti me, & cognoviſti me*. Et Pſal. XXIV. 2. *Proba me Domine, & tenta me*. Tentationem autem hujuſmodi in hunc ipſum ſcribens Pſalmi locum ita definit S. Thomas: *Tentatio eſt acceptio experimenti de eo, quis neſcit*. Porro futurorum abſolutorum neſciens, aut de iis dubitans, vel conjectans, & probabiliter æſtimans cum nequeat dici Deus; ſequitur, ut hæc & ſimilia plura Scripturarum loca de futuris intelligenda ſint conditionalibus.

Tertio, quia in ſacris iiſdem Paginis, ubi Deus enunciat ea, quæ aut ipſe, aut cauſæ aliæ liberæ, opem ferente, & concurrente ipſo, facturæ eſſent, certa aliqua hypotheſi conſtituta, has, aut ſimiles particulas non ſemel apponit: *forte, forſitan &c.* Ut Gen. III. 22. *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ &c.* Et Deut. XXXII. 27. *Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent &c.* Item Pſalm. II. 12. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus &c.* Item Pſalm. LIV. 13. *Abſcondiſſem me forſitan ab eo*. Jerem. V. 4. *Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti.* Et 26. 3. *Si forte audiant, & convertantur unuſquiſque a via ſua mala*. Ezech. XI. 5. *Si forte vel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant*. Item Matth. XI. 23. *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem*. Et Luc. XVIII. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Necnon XX. 13. *Mittam Filium meum dilectum: forſitan, cum hunc viderint, verebuntur*. Tandem miſſis aliis Joan. IV. 10. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt &c. tu forſitan petiſſes ab eo*. Et VII. 19. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis &c.* Ex quibus apparet, ea omnia Scripturæ utriuſque loca, quibus ſcientia Media, tum quæ directa, tum quæ reflexa dicitur, propugnari ſolet, aut notitiam ſignificare non plus quam probabilem, ſi per ea enunciantur effectus ipſi liberi conditionaliter futuri; aut ſi quicquam certi afferunt, ad præſentem cauſarum ſtatum, habitudinem, propenſionemque referenda eſſe. Quod pluribus contendit Ludovicus Thomaſſinus, tom. 1. lib. 7. cap. 23.

Quarto, quia hæc conditionalis præſcientia parum differt, ab illa, quam contra Auguſtinum defendebant Semipelagiani. Sive quod nos etiam in opere bono, ut eſt dumtaxat in ſtatu conditionali, vim, ac meritum prope aliquod agnoſcere videamur, quo Deum alliciat, atque permoveat ad ea auxilia homini, aut Angelo decernenda, quibus decretis, ad ſtatum tranſeat abſolutum. Sive quod apud nos etiam Deus aliquo modo creaturam expectet; & antequam quicquam de ipſa deliberet, ejus voluntatem quodammodo exploret: nec ſatis fidens ei *poteſtati inclinandorum cordium*, quam *omnipotentiſſimam* vocat Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. 14. n. 45. ex Prov. XXI. 1. Iſ. XLVI. 10. Philip. XI. 13. &c. ac voluntati ipſi ſuæ, in qua eſt ſumma illa efficacitas, de qua S. Thom. p. 1. q. 19. ar. 8. &c. Ex Eſth. XIII. 9. Pſ. CXIII. 3. Job XIII. 13. &c. Quidnam ſi vocemur, reſponſuri ſimus, cogitet prius, quam vocare nos ſtatuat, aut omnino velit ad ſe venire, ſibique aſſentientes habere. Quod quidem ſi eſt, gloriari nec immerito homines poſſent; quippe qui ſe ipſos aliquo modo diſcernant; & prius eligant, quam eligantur: contra Apoſt. 1. ad Cor. IV. 7. *Quis enim te diſcernit?* Et contra id, quod eſt Joan. XV. 16. *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos &c.*

Quin-

Digitized by Google

Quinto, quia Auguſtinus Semipelagianorum præſcientiam eo etiam nomine rejiciebat, quod exiſtimaret, quæ nunquam futura ſunt, non poſſe cognoſci. Conſtat id ex iis, quæ ſcripſit in libro de Anima, & ejus origine ad Renatum cap. 12. n. 15. *Quidquod ipſa*, inquit, *exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur non erit? Quomodo enim recte dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata?* Colligitur etiam ex iis, quæ ſunt in libro de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. n. 26. Ubi in illud Sapient. IV. 2. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ita diſſerit: *Dictum eſt enim ſecundùm pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat; non quod futurum non erat*. Item ex Libro de dono Perſever. cap. 12. n. 31. ex epiſt. ad Sixtum 204. cap. 9. n. 41. ex aliiſque locis non paucis. Auguſtini mentem declarat Fulgentius in primo de verit. Prædeſt. præſertim cap. 8. n. 16. Ubi ſic concludit: *Abſurde itaque dicitur, quod præſcivit parvulum, ſi viveret, impium futurum; quem profecto non pluſquam vix, præſcivit eſſe facturum*. Idemque conficitur ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarii ad Auguſtinum.

Sexto quia conditionalem hanc ipſam præſcientiam, quam nos defendimus, & in Sacra Scriptura a Deo ipſo traditam dicimus, a S. Thoma rejectam fuiſſe, multis argumentis oſtenditur. Primo quidem, quod ei locus non eſt in celebri illa diviſione divinæ ſcientiæ, quam facit p. 1. q. 14. ar. 9. & p. 3. q. 10. ar. 2. ad 2. & ar. 3. in corp. tum q. 13. ar. 1. ad 2. & cont. Gent. lib. 1. cap. 66. & 69. aliiſque pluribus in locis. Deinde, quod p. 1. q. 14. ar. 13. & alibi etiam: *Quicunque cognoſcit effectum in ſua cauſa tantum*, eum docet, *non habere de illo, niſi conjecturalem cognitionem*. Præterea, quia, ſi cognitio eſt certa, eatenus talem eſſe docet, ut in præſenti cauſarum modo, atque affectione dumtaxat inſiſtit, non ut ad ipſum etiam effectum refertur. Dicendum eſt, inquit p. 1. q. 19. ar. 7. ad 2. *Quod Deus aliquando pronuntiat, aliquid futurum, ſecundum quod continetur in ordine cauſarum inferiorum &c.* Sicuti cum prædixit Ezechiæ: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*: ut Iſ. XXXVIII. 1. Tandem, quod iſtiuſmodi præſcientiæ non meminit: atque ubi eſt explicandum, qui fiat, *ut prædeſtinatio certiſſime, & infallibiliter conſequatur ſuum effectum; nec tamen imponat neceſſitatem, ut ſcilicet effectus ejus ex neceſſitate proveniat*; & quæ ſunt his ſimilia, & affinia; iſtinc nodi ſolutionem non petit, neque ad ſcientiam conditionalem revocat hæc ullo modo; ſed natura, & conditione ipſa nititur *cauſarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit*; ac divina voluntate, *quæ, cum ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult..... Atque ex hoc ipſo, quod nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur, quod non ſolum fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quod fiant contingenter, vel neceſſario, quæ ſic fieri vult*. Hæc ipſa totidem verbis, & ſimilia plura reperies in omnibus quæſtionibus de Prædeſtinatione, de Providentia, de Voluntate Dei.

Septimo, quia quod Deus videat, quid futurum eſſet a cauſa libera, ſi poneretur conditio aliqua, quæ nunquam ponetur, non bene cohæret cum iis quæ de actionibus contingentibus, ac liberis Dei in ſecundo Prolegomeno tradidimus, præſertim ſecunda, & tertia via. Quod enim attinet ad Imenſitatis, & Æternitatis exemplum, in quo eſt ſecunda via; ſicuti ſi terminus omnino deficit, ei Deus nec loco, nec tempore præſens eſt, aut dici poteſt; quantumvis licet penes Deum ipſum reſidere dicatur tota formalis ratio, qua præſens eſt rebus; ſitque ipſemet præſentia ſua tota, loci, & temporis differentias omnes impartibiliter, atque indiviſim attingens; & in ſingulis quibuſque locis, & temporibus univerſa complectens, ut centri, ac ſpheræ infinitæ ſimilitudine quæſt. 1. diſp. 2. eſt explicatum: ſic pariter, ubi terminus omnino deficit, eum, neque hoc alio præſentiæ genere, quod intentionale, ſeu mentale ſchola vocat, præſentem habeat Deus, aut

dici poſſit eum intueri; quantumvis licet apud ipſum pariter eſse dicatur tota illa formalis ratio, qua res hoc præſentiæ genere præſentes habet, eaſque intuetur; ſitque ipſemet ſua ipſa viſio, ac proinde omnis viſio, ac ſcientia ſua tota, quæ itidem impartibiliter, atque indiviſim verorum omnium differentias ſuo modo attingit; & in ſingulis quibuſque veris univerſa ſuo pariter modo complectitur; quod eadem centri, ac ſphæræ infinitæ ſimilitudine poteſt explicari. Idem porro dicendum de divinarum Proceſſionum exemplo, in quo eſt tertia via. Nam Græci Patres, quos ibi potiſſimum ſequimur, nullam habitudinem, ſive emanationem activam mediam ponunt inter Deum, ac terminos illos, qui nunquam exiſtunt, ſed tantum exiſterent conditione aliqua poſita. Ex habitudine autem, ſive emanatione, quæ nulla ſit, nulla videtur poſse denominatio certa deſumi. Vel ſi ex non exiſtente ſeu medio, ſeu termino denominari poteſt ſcientia, ſeu viſio conditionalis; quidni denominari illinc pariter poſſint, conditionalis voluntas, ſeu conditionale decretum? Hoc vero qui concedat, ad decreta Thomiſtica, *ſubiective abſoluta, ac terminative conditionata*, quæ vocant, aliquanto propius accedere videbitur, quam ferat doctrina Societatis; quæ non ſolum aliena a Dei ſanctitate, & naturæ intelligentis libertate contraria decreta illa reputat; verum etiam tanquam penitus otioſa, ac ſupervacua reſpuit.

DISPUTATIONIS

PARS SECUNDA

Auctoritatis contra poſitus.

II.

SED CONTRA ſunt quamplurima utriuſque Scripturæ loca. Aliqua ſeligam; & primo illa, quæ generatim divinæ ſcientiæ infinitam amplitudinem, & ad omne veri genus pertinentem oſtendunt. Sic Pſ. CXXXVIII. 3. 4. *Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti*. Cogitationes, quæ erunt, Deo ſunt præſentiſſimæ ab omni æternitate, ut eſt declaratum ſuo loco: quamobrem particula illa *de longe* ſpectare videtur ad cogitationes illas, quæ eſſent. Notat autem Auguſtinus in Pſal. hunc n. 6. *non dixiſſe*, vidiſti, *ſed* prævidiſti; *antequam eas irem, antequam eas ambularem, prævidiſti eas; & permiſiſti, in labore ire vias meas, ut ſi nollem laborare, redirem in vias tuas*. Præviſio permiſſionem antecedit: quod ſi antecedit, conditionalis eſt, atque ea eſt, quæ a Schola Societatis defenditur. Sequuntur illa: Prov. XVI. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus*. Et XXIV. 12. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit*. Eccli. XXII. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes*. Et XXXIX. 24 25 26. *Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis ejus &c. & nihil eſt mirabile in conſpectu ejus. Non eſt dicere: Quid eſt hoc?* Scilicet ipſi nihil novum, improviſumque accidit; de quibus eſt admiratio, ac voces illæ: *Quid eſt hoc?* Cauſas enim liberas, quas adhibet Deus, non adhibet neſciens, quid facturæ ſint, ſi adhibeantur. Hinc Auguſtinus in primo de Geneſ. cont. Manich. c. 8. n. 14. exponens illud Matth. VIII. 10 Audiens autem Jeſus miratus eſt, ita ſcribit: *Quis autem in illis fecerat ipſam fidem, niſi ipſe, qui eam mirabatur? Quod ſi alius feciſſet eam, ut quid miraretur, qui præſcius erat?* Concludit autem; ad-

admirationi locum non eſſe in Deo: *quod mirabatur Dominus noſter*, *nobis mirandum eſſe ſignificare*. Siquidem, ut ibidem paulo ante ſcripſit: *Admiratio re vera de rebus inſperatis naſci ſolet*. Sequuntur alia: Hierem. XVII. 9. *Pravum eſt cor hominis: & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus &c.* Hebr. IV. 12. 13. *diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus*. 1. Joan. III. 20. *Major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia*. Major eſt corde noſtro; & quia major, de nobis plus novit, quam nos ipſi. *Plus noverat artifex, quid eſſet in opere ſuo, quam ipſum opus quid eſſet in ſemet ipſo. Creator hominis noverat quid eſſet in homine, quod ipſe creatus homo non noverat*: Auguſtinus tract. 2. in Joan. num 2. Significatur his voluntatis noſtræ comprehenſio, immo & ſupercomprehenſio; major eſt enim corde noſtro ſecundum omnem rationem; nec qualitercunque major, ſed eo exceſſu, de quo in ſuperioribus actum eſt.

III.

Nunc loca illa ſingulatim excutienda, quibus ſcientia Media potiſſimum exprimitur, aut continetur. Prior locus occurrit Gen. XI. 6. *cœperuntque hoc facere nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant*: Quæ ſi plane, atque ut jacent, intelligantur, ſignificant, homines illos, niſi divinitus impediti fuiſſent, ut ait Pererius *niſi fuiſſent virtute ſuperiore prohibiti*, ut ait Lyranus, perfecturos fuiſſe, quod inchoaverant, atque in animo habebant. Eadem vis in eo quod eſt Deut. VII. 2. 3. &c. *Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus; nec filiam eius accipiet filio tuo: quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat diis alienis &c.* Ne quis autem dicat, ſeductionem hanc enunciari ſolum probabiliter, nec omnino certa, ſed valde prudenti aſſertione, optimus ſui interpres Spiritus Sanctus ipſum hunc locum, & alium ſimilem Exod. XXXIV. 15. &c. ſic explanat III. Regum XI. 2. *de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini deos earum*.

IV.

Expreſſius eſt quod legitur 1. Reg. XXIII. 10. 11. &c. *Et ait David. Domine Deus Iſrael, audivit famam ſervus tuus, quod diſponat Saul venire in Ceilam ut evertat urbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus? Dominus Deus Iſrael indica ſervo tuo. Et ait Dominus: Deſcendet. Dixitque David: ſi tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. Surrexit ergo David, & viri eius &c.* Nec vero dici poteſt, eo reſponſo, atque enunciatione, *Tradent*, affirmari præſentem duntaxat Ceilitarum deliberationem. Obſtat enim primo Vulgatæ Interpretationis, ac Textus etiam originalis auctoritas: quæ ſic contrahere, & aſtringere, immo & detorquere in alium ſenſum ab eo, quem verba præſeferunt, niſi ſi graviſſima ratio, vel auctoritas ita fieri poſtulet, & iis regulis, quas tradit Auguſtinus in libris de doctrina Chriſtiana, atque adeo ex ipſius Eccleſiæ conſuetudine, præſcriptoque, non licet. Hieronymus certe, quem Deus Eccleſiæ ſuæ in exponendis ſacris Scripturis Doctorem maximum dedit, locum hunc primi Regum in ſuis Hebraicis Traditionibus ita explanat: *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, & ſi deſcendet Saul &c. Et ait Dominus; deſcendet. Ac ſi diceret: ſi hic ſteterit, deſcendet. Et quod ait: ſi tradent me viri Ceilæ: & Dominus ait: Tradent. Iſte eſt ſenſus: ſi deſcenderit Saul, & hic te invenerit, tradent*. Similiter legimus apud ſeptuaginta: *Deſcendet*, *Tradent*: καταβήσεται, παραδώσουσιν, *Katavisete*, *paradoſuſin*. Quare Theodoretus in primum Regum quæſt. 14. *Siſcitatus eſt*, inquit, *num eum eſſent dedituri, & cum ex Deo didiciſſet, eos eſſe dedituros, migravit in alium locum*. Deinde David non interrogabat Dominum, an tunc Ceilenſes ipſum Sauli dedere cogitarent; ſed an dedituri re

ipſa

ipſa forent, ſi apud eos ſubſiſteret. Sed nec recte poterat Dominum conſulere de præſenti in ſe Ceilenſium animo, & voluntate: quibus ſciebat compertum non eſſe, quo re vera ſpectaret Saulis adventus. Cum Rex, non minus ſtudioſe conſilium ſuum antea celarit, ne ſe David illinc proriperet; quam poſtea diſſimularit, quando de ipſius fuga cognovit. Utrumque Scriptura non obſcure ſignificat. *Cum David reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum*: ver. 9. verſu autem 13. *nunciatumque eſt Sauli, quod fugiſſet David de Ceila, & ſalvatus eſſet: quamobrem diſſimulavit exire*. Ex his autem duo illa conficimus: primum perſuaſum fuiſſe Davidi, eſſe in Deo ſcientiam eorum, quæ a cauſis liberis futura, non quidem ſunt, ſed eſſent, ſi certa aliqua conditio poneretur: quoniam de re ſic futura ſciſcitatus eſt Domini oraculum. Secundum, hac ipſa de cauſa, quod de futuro ejuſmodi eventu interrogatio erat; verbum illud, *Tradent*, quo Deus interroganti ſatisfacere voluit, male detorqueri ad ſignificationem rei præſentis. Quod ſi dicas, verbum quidem illud rei futuræ ſignificationem, ut præſefert, habere; eoque enunciari, fore ut Sauli dederetur a Ceilenſibus David, ſi apud eos diutius maneret: veruntamen enunciationem hanc, quæ quidem de re præſenti non eſt, rei præſentis notitia unice niti: Hoc, inquam, ſi dixeris, refelli facile poteris. Siquidem, ut jam obſervavimus, de Davidis deditione nondum cogitare potuerant Ceilenſes. Ac licet jam cogitaſſent, comparatique ita animo eſſent, ut magis apud eos eſſet valiturus Saulis metus; quam amor erga Davidem tribulem ſuum, ac recentis beneficii memoria; tamen cum ipſos, tum etiam Saulem mutari animo, poſsibile erat: & ſic deceptioni, & falſitati expoſita erat enunciatio illa; & quatenus tendens in futurum, eatenus etiam tendens in incertum. Utrumque autem Dei oraculo indignum eſt: ſive enim enunciatur aliquid præſens, quæſtionis propoſitæ difficultatem declinat reſponſio, atque extra rem quodammodo eſt. Sive enunciatur futurum, reſponſio non ſatis declinat erroris periculum, neque eſt extra omnem falſi formidinem. Nec te hinc expedias, ſi dixeris, enunciationem illam ex iis eſſe, aut iis certe æquiparari, quæ reflexæ vocantur in Schola: ut nihil aliud eo in loco ſignificetur, niſi magna probabilitas futuræ deditionis, ſi David ibi remaneret. Sed enim neque hoc dici poteſt: quia Deus in eo loco aſſeverantiſsime directoque affirmat: *Tradent*. Eaque aſſeveratio, ac directa, & definita reſponſio, propria divini oraculi eſt. Imperfectumque adeo foret, ac Deo prorſus indignum, in quibus tute conſiteris, propriam eſſe rationem veri, & cognoſcibilis, quoniam de iis judicium perquamprobabile fieri poſse concedis; eadem non cognoſci a Deo directe, ac definite: adeoque aperta, & nuda non eſse oculis ejus, ut neque certius, neque clarius ea affirmare poſsit, quam angeli, quam dæmones, quam homines ipſi. Qui ſi in animo habebant, ut dicis, Sauli Davidem prodere, rogati, num id eſsent facturi, idem in eandem ſententiam, qua tu locum hunc interpretaris, de ſe reſpondere potuiſsent. Sed de probabili, aut non omnino certa futurorum conditionalium notitia plura infra dicemus.

V.

Luculentiſſimum illud etiam eſt, quod legitur Sapient. IV. 2. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. Quo ex loco non periculum modo, ut aliqui volunt, quos ſuo loco refellemus; verum etiam conditionalem ſcientiam certiſſimam mutationis, ac deceptionis colligunt Patres, præſertim vero Auguſtinus, qui in libro de corrept. & grat. cap. 8. nu. 19. ita ſcribit: *Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cum fideliter, & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in poteſtate non habuit, an eorum futura mala neſcivit? Nempe nihil horum, niſi perverſiſſime, atque inſaniſſime dicitur*. Auguſtini ſententia, nonniſi perverſiſſime, atque inſaniſſime dicitur, Deus eorum futura mala neſciſſe. At de qua ſcientia loquitur hic Au-

Digitized by Google

Auguſtinus ? Profecto de ſcientia illa, qua poſita, Deo integrum foret, ea mala impedire. Quæ eſt ſcientia mali conditionaliter futuri; ſcientia enim mali futuri abſolute, ſejungi non poteſt a permiſſione, quæ voluntas eſt non impediendi. Ajunt, Auguſtinum argumentari ad hominem: nec ex ſuomet, ſed ex Semipelagianorum ſenſu conditionalem hanc ſcientiam inducere. Nempe, ſi non ex ſuomet, & Catholico ſenſu ſcientiam illam aſtrueret, eam denegare Deo, *perverſiſſimum, atque inſaniſſimum* diceret? Quid quod ſcribit in libro de dono Perſev. cap. 9. n. 22. *Certe poterat illos Deus præſciens eſſe lapſuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Num loquitur hic de ſcientia illa, qua futurum abſolute videbat, ut & viverent, & laberentur? Si de ſcientia illa loqueretur, non diceret, certe id poſſe Deum. Nam certe Deus non poteſt cum voluntate nec præripiendæ vitæ, nec impediendi lapſus, ſine qua ſcientia illa eſſe non poteſt, contrariam voluntatem conjungere, quam oporteret Deum habere, & quidem ex æterno, ut *antequam laberentur, auferrentur de hac vita.* Loquitur igitur, de illa ſcientia, qua, ut ipſe mox dicit, *præſcivit eos Deus perpetraturos hæc peccata, ſi viverent.* At enim de iſtiuſmodi ſcientia loquitur ex ſenſu Semipelagianorum. Ex ſenſu Semipelagianorum erat, &, ut ipſe ſtatim ſubjungit, *abhorret a ſenſibus Chriſtianis, aut prorſus humanis, judicari homines etiam de his peccatis, quæ præſcivit eos Deus perpetraturos fuiſſe, ſi viverent*; non autem ea peccata præſciri. Quam autem ex ſuo, & Scripturarum ſentu iſtiuſmodi ſcientiam admittat, qua Deus certus ſit, quid quiſque facturus ſit, ſi diutius vivat, conſtat ex toto ſequenti capite, atque ex aliis pluribus ejus teſtimoniis, quorum quæ clariora videbuntur, ſuo loco referemus. In eandem ſententiam hoc Sapientis effatum interpretatus eſt Gregorius Nyſſenus: ſiquidem in oratione de infantibus dicit, *eum, qui id quod futurum eſt, æque, atque præteritum cognovit, progreſſum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præſcia malum animadverſum eſt, in eo, qui ita victurus fuiſſet, perficiatur, atque ei, qui ea voluntate, & arbitrio victurus fuiſſet, vitiis, nequitiæque materia vita fiat.* Nota, ſcientiam, de qua ſermonem hic habet Nyſſenus, ejus ſententia, uſque adeo certam, definitamque eſſe, ut ſcientiæ illi, quæ de præterito eſt, ab eo comparetur. Sermo autem illi eſt de ſcientia futurorum, non abſolutorum, quæ vocant, ſed conditionalium. Nam qui in infantia moriuntur, boni quidem, aut mali futuri eſſent, ſi adoleſcerent: ſed quia non adoleſcent, neque boni, neque mali futuri ſunt. Iterum, nec minus clare, poſt pauca Gregorius: *Hanc*, inquit, *opinionem etiam de morte infantium modo natorum habemus, quod is, qui ratione omnia facit, humanitate adductus, vitii materiam aufert, ſpatium temporis non dans voluntati, per vim præſciam notatæ, & animadverſæ.* Non ſpectatis hujus vitæ periculis, aut præſenti cauſarum habitudine, ſed voluntate ipſa per vim præſciam notata, & animadverſa, videt Deus, cujuſmodi futuri eſſent infantes illi, niſi vitam iis auferret. Id ipſum eleganter dicit, ſeu Nyſſenus ipſe, ſeu quiſquis ille eſt, qui ſcripſit octo libros de philoſophia: ſic enim eſt lib. nlt. c.ult. hominem *aliquando utiliter occidi, quod occupet providentia futura illius maleficia.* Alia plura in hanc ſententiam invenies apud omnes Patres, & interpretes, qui hunc Sapientiæ locum pertractant.

VI.

Sed & in Sacris Paginis alia plura ſunt, ex quibus idem confici poſſit. Hierem. XXXVII. 9. *Sed & ſi percuſſeritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur adverſum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati; ſinguli de tentorio ſuo conſurgent, & incendent civitatem hanc igni*; Etenim multa quæ hic enunciantur futura, ea poſita conditione, in eorum Chaldæorum, qui reliqui eſſent pauci, ac debilitati vulneribus, electione, & arbitrio poſita eſſent. Item Hier. XXXVIII. 15. *ſi conſilium dedero tibi, non me audies.* Et 19. *dixit Rex Sedecias ad Hieremiam: ſollicitus ſum propter Judæos, qui tranſfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi.* 20. *Reſpondit autem*

Digitized by Google

tem Hieremias: Non te tradent &c. Præterea Ezechiel. III. 5.6. *Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ, tu mitteris ... & ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te.* In quem locum Gregorius lib. 1. homil. 10. n. 15. *Apte*, inquit, *declaratur obedientia Gentium, quæ quandoque prædicatorum voces eſſent ſine tarditate ſequuturæ.* Simile eſt quod legitur Matth. XI. 21. & Luc X. 13. *Væ tibi Corozain, væ Bethſaida: quia, ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Fuſe, & omnino e re noſtra locum hunc exponit Auguſtinus in libro de bono Perſev. cap. 9. n. 23. ubi, ſcientia futurorum conditionalium, non tantum ut ad hominem diſſerat, ſed ex ſuomet, ac Scripturarum ſenſu, ut diximus, ultro admiſſa, illud contra adverſarios pugnat, ſicuti quod apud Tyrios, & Sidonios factæ non ſint eæ virtutes, quæ apud Judæos, referri non poteſt in id quod de ills prævisum eſt a Chriſto Domino futurum conditionaliter; ſic quod infantes alii ad baptiſma perveniant, alii pereant ſine baptiſmate; & omnino quod hi pœna illi præmio afficiantur, in ea opera bona, aut mala, quæ quiſque facturus fuiſſet, ſi vixiſſet, aut ſi qua conditio alia poſita fuiſſet, quæ nunquam poſita eſt, non eſſe referendum. Auguſtini verba hæc ſunt: *Hæc certe de Tyro, & Sidone non poſſumus dicere*, (hoc eſt, *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*; quod ſcripſit ad Deogratias epiſtol. 102. quæſt. 2. num. 15. & male intellectum a Semipelagianis, explicat ipſemet in lib. de Prædeſt. cap. 9. n. 18. &c. ut ſuo loco dicemus, & hic, ut dicere pergimus) *& in eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium præjudicio, tunc iſta reſpondere me dixi: Facile eſt quippe, ut infidelitatem accuſemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quod & Dominus increpans arguit, & dicit:* Væ tibi Corozain &c. *Sed nunquid poſſumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent? Cum eis ipſe Dominns* (vide, ut conditionalem præſcientiam, non ex adverſariorum, ſed ex ſcripturarum ſenſu, non ſolum admittat, ſed & propugnet) *adteſtetur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum. Et tamen in die judicii punientur, quamvis minori ſupplicio, quam illæ civitates, quæ apud ſe virtutibus factis, credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait:* Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die judicii, quam vobis. *Severius ergo punientur iſti, illi remiſſius; ſed tamen punientur. Porro ſi etiam ſecundum facta, quæ facturi eſſent, ſi viverent, mortui judicantur; profecto quia fideles futuri erant iſti, ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet Evangelium prædicatum, non ſunt utique puniendi: punientur autem: falſum eſt igitur & ſecundum ea mortuos judicari, quæ facturi eſſent, ſi ad viventes Evangelium perveniret. Et ſi hoc falſum eſt, non eſt cur dicatur de infantibus, qui pereunt ſine baptiſmate morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præſcivit eos Deus, ſi viverent, prædicatumque illis fuiſſet Evangelium, infideliter audituros.* In his omnibus, ut vides, ſcientiam tenet conditionalem, eaque niti declarat hunc Evangelii locum; rejicit autem, atque convellit, quod huic ſcientiæ, ſuperadſtruebant Semipelagiani; propter ea, quæ ſcientia hujuſmodi cognita ſint, pœna dignum, aut præmio quemquam judicari. Atque in hanc eandem ſententiam diſſerit ſequentibus capitibus, aitque num. 25. non ſolum ad parvulos pertinere, quod ſcripſit Apoſtolus ad Rom. IX. 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; ſed & majoribus*, inquit, *etiam his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit; de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem, ſed juſte aliud judicavit.* Idem tradit aliis pluribus in locis maxime vero in Enchirid. cap. 95. num. 24. ubi dicit, Tyrios, & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi apud eos factæ fuiſſent illæ virtutes, quæ factæ ſunt apud Judæos, ex allato Evangelii loco apertiſſimum eſſe. *Tunc*, inquit, *non latebit quod nunc latet, cur apud quoſdam non factæ ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, eiſ-*

Digitized by Google

egiſſent illi homines pœnitentiam; & factæ ſint apud eos, qui non fuerant credituri. Aptiſſime namque Dominus dicit Væ tibi Corozaim &c. Quibus apparet, Auguſtinum ab iis eſſe, qui dicunt, Deo nec ambiguum, nec utcunque notum, ſed plane perſpectum, manifeſtumque eſſe, quid quæque cauſa libera, ſub quaque conditione ageret, aut non ageret. Idem ex S. Doctore acceptum tradit Proſper ad excerpta Genuenſ. reſponſ. 8. Sic enim de Tyriis, & Sidoniis: *Quos etiam credituros fuiſſe ipſa Veritas dicit, ſi talia, qualia apud non credentes facta ſunt, virtutum ſigna vidiſſent.* Quod Deus ſit ipſa Veritas, ambiguitatem, obſcuritatemque omnem ab hac conditionali ſcientia repellit. Conſule reliquos Patres, & Interpretes, quorum teſtimonia citat Ruiz de Montoya diſput. 62. de ſcient. Dei ſect. 1. Addo duo Scholæ lumina, Thomam, & Bonaventuram. Prior. 3. p. q. 1. a 5. ad 2. refert Auguſtini locum de dono Perſever. ſup. cit. ex eoque ait: *Deus his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus voluit ſubvenit; aliis autem non ſubvenis.* Scientiam aſſerit; negat id, quod ea ſcientia præviſum ſit, eſse rationem ſubveniendi. Idem confirmat in Catena ſuper Matth. & Luc. & in proprio Commentario ſuper Matth. Lucam vero ſic exponit S. Bonaventura: *Si in Tyro, & Sidone &c.* ideſt, *ſi Dominus eis tanta miracula oſtendiſſet ante ſui ſubverſionem, quam comminatus eſt per Ezechielem, adhuc non eſſent ſubverſæ: & hoc, quia pœnitentiam egiſſent.* Non tanquam aliquid opinabile, ac minus certum, ſed omnino affirmate, ex ipſius ſcilicet Chriſti Domini oraculo, pronunciat: Tyrios, & Sidonios pœnitentiam acturos fuiſse, ſi miracula illa vidiſsent. Nec vero ſcientia hæc conditionalis, & ipſum Chriſti Domini oraculum, ideo eſt omnino certum, nec deceptioni, & falſitati expoſitum ullo modo; quod Deus æterno quodam decreto, quod ſubjective abſolutum, ac terminative conditionatum vocant, ſtatuerit, Tyrios, Sidonioſque, ſi iis Chriſti miracula oſtenderet, interioribus ſimul, ac longe majoribus auxiliis, phyſicaque ipſa præmotione, ad pœnitentiam perducere. Mitto hic enim decretum iſtud ſupervacaneum, otioſumque eſse; atque ut affert in tempore interiora auxilia, quamvis ea futura eſſent longe majora, ſi tamen homines illos ſui Juris, ac vere liberos relinquerent, eo non ſatis certam, nec omnino indubitabilem reddi conditionalem ipſorum pœnitentiam. Ut autem phyſicam ipſam præmotionem invehit, nec creatæ libertati ſatis, atque ubi ſermo ſit de actionibus malis, uti fuiſset verbi cauſa, dedito Davidis facienda a Ceilenſibus, non ſatis cavere ſanctitati Divinæ. Mitto, inquam, hæc omnia, quibus non minus ſolide, quam ſubtiliter impugnatur a Schola Societatis, & apud omnes ejus theologos inveniri facile poſsunt: ipſumque hunc, qui modo in manibus eſt, Evangelii locum decreto iſti interea oppono. Sive enim defuiſse dicis Judæis auxilia illa, quibus opitulatus fuiſset Deus Tyriis, & Sidoniis, ſi vidiſsent Chriſti miracula; ſive phyſicam præmotionem, ſi hanc defendis; utrolibet apud Chriſtum Dominum exſcuſare ſe potuiſsent: ac Tyrios, Sidonioſque objicienti reponere: ſe iis vel adjumentis, vel motione carere, quæ neceſsaria ad fidem, ac pœnitentiam ſint, nec poſſint acquiri: carituros iis non fuiſse Tyrios, & Sidonios, ſi eadem portenta vidiſsent. De illis aliter ſtatutum eſse a Deo conditionaliter, ac de ipſis ſtatutum ſit abſolute. Quæ ſi pro ſe dicere potuiſsent, objurgatio, & comminatio illa Chriſti ſine ſua vi, & pondere eſset: nec comparatio illa Tyriorum, & Sidonorium eſset in loco. Hæc autem cum dicere nefas ſit, ſtatuendum eſt, omnino inexcuſabiles fuiſse Judæos, ut aliis etiam in locis teſtantur ſacræ ipſæ Literæ, & apertiſſime docent Patres, & interpretes. Affero locum inſignem Chryſoſtomi, qui homil. 38. in Matth. id quam aptiſſime ad rem præſentem ediſserit. Sic enim legitur Matth. XI. 16. 17. &c. *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non planxiſtis. Venit enim Johannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator*

vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis. Tunc cœpit exprobare civitatibus &c. Similia leguntur Luc. X. 31. 32. &c. Ad hæc autem Chryſoſtomus: *Probat, nihil ſpectare ad ſalutem ipſorum, quod jam diligenter adhibitum non ſit: & in medium illud quaſi adducit propheticum: Quid oportebat facere huic vineæ meæ, & non feci?* (Iſa. V. 4.) Tum paucis interjectis: *Oppoſitis quibuſdam itineribus Ego, & Joannes ad vos venimus; idque fecimus, quod venatores ſolent facere. Qui, quando fugaciſſima, captuque difficillima inſectantur animalia, non una via, ſed diverſis, & per contraria plerunque aggrediuntur; ut ſi alterum effugerint, in alterum incidant.* Et tandem concludit: *Qua ergo excuſatione uti poteritis? Et juſtificata eſt*, inquit, *Sapientia a filiis ſuis, ideſt, nulla vos potui attrahere via: quare jure me jam incuſare nunquam poteritis; quod & de Patre pariter dixit Propheta: ut juſtificeris in ſermonibus tuis* (Pſalm. L. 6.) *Deus enim, quamvis ſciat nihil boni vos facturos, cura tamen, ac providentia ſumma erga vos utitur, ita ut etiam iis, qui impudentiſſimi ſunt, neque umbra quidem dubiæ, atque ingratæ dubitationis relinquat.* Ne umbra quidem excuſationis, vel iis ipſis qui impudentiſſimi erant, relicta fuit: nedum Chriſto Domino reſpondere omnes potuerint, quæ ſupra indicavimus. Eadem ſuper hunc ipſum Matthæi locum ſcribit Thomas in ſuo Commentario: *Sicut aliquid*, inquit, *quando alicui fecit quidquid boni potuit, & ipſe eſt ingratus, neſcit cui comparare eum; ſic Dominus omnia bona fecerat generationi huic. Unde* Iſa. V. 4. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? cui ergo potero comparare tantam malitiam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro &c.* His igitur de cauſis remoto eo decreto, quod ſupra memoravimus, quid ſit, quo ſcientia conditionalis omnino certa, & plane infallibilis ſit, cum ex iis quæ diximus in fine ſuperioris articuli colligi poteſt; tum melius infra videbimus.

VII.

Interea hanc ipſam ſcientiam aliis Scripturæ locis propugno. Matth. XXIII. 30. 32. hæc ſunt: *dicitis, ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum ... Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum.* Videtur affirmare, futurum fuiſſe, ut ſocii eſſent Patrum ſuorum in perſequendis, atque occidendis Prophetis, ſi illorum æquales tempore fuiſſent. Enunciatio etiam proditoris, quæ eſt Matth. XXVI. 25. & apud alios Evangeliſtas, quatenus eo directa erat, ut illum ab eo ſcelere averteret, nitebatur ſcientia conditionali. Quod autem illuc ſpectaret, auctores ſunt Chryſoſtomus ſerm. 2. de fer. V. in Paſſione Domini, Hieronymus in eum Matthæi locum, Cyrillus Alex. lib. 9. & 11. in Joan. Leo Magnus ſerm. 7. de Paſ. cap. 2. & alii Patres: ex quorum apertis ſententiis Theophylactus in Matth. *manifeſte*, inquit, *proditorem reprehendit Chriſtus Dominus, quoniam, cum clam reprehenderetur, non emendabatur; propterea manifeſtat illum, ut vel ſic corrigatur.* Illud etiam a nobis eſt, quod legitur Luc. XVI. 31. *Si Moyſen, & prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Dictum eſt enim, non ex ipſa tantum rei natura, aut ex præſenti ipſorum animo; ſed Deo id oſtendente, qui ita futurum, ſi ea conditio poſita eſſet, certo, & aperte videbat. Quare ita Chryſoſtomus in concione 4. de Lazaro: *Si noviſſet Deus, quod mortui excitati viventibus eſſent profuturi, nequaquam omiſiſſet, nec tantum lucrum præteriiſſet, qui cuncta nobis utilia procurat.* Theophylactus ſimiliter: *Siquidem illud profuiſſet nobis ad fidem, etiam hoc ſæpe feciſſet Deus.* Omnino clarum eſt, quod apud eundem XXII. 57. & 68. *Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.* Item quod apud Johan. II. 24. *Ipſe autem Jeſus non credebat ſemet ipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes; & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine:* nec ſolum in præ-

Digitized by Google

præſens, ſed etiam in futurum, ſi iis ſe credidiſſet. Recte propterea Chryſoſtomus in hunc ipſum locum hom. 23. *Homines*, inquit, *utpote qui neque præſentia, neque futura intelligant, cum fraudolentis, & inſtabilibus ſæpe numero res ſuas ſine ſuſpicione communicant*. Secus autem, *qui in ipſos animos ingreditur, qui in humanas cogitationes irrumpit, qui cognoſcebat fore, ut eorum fervor mox infrigeſceret*. Item Bernardus in tract. de gratia, & lib. arbitr. cap. 12. num. 38. *Nam Chriſtus ante ſciebat, quid eſſet in homine*. Simile eſt, ex eademque conditionali ſcientia profectum, quod VII. 8. *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt*. Æqualis efficaciæ, ac roboris eſt quod legitur VI. 15. *Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem &c.* Quod Maldonatus, de Patrum, ac priorum interpretum ſententia, ita exponit: *cognoviſſe Chriſtum, fore ut venirent, & facerent eum regem, ſi expectaret*. Tandem I. Cor. II. 7. 8. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio . . . quam nemo principum hujus ſæculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Et Apoc. III. 2. *Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant &c.*

VIII.

Audiendi Patres, qui quod de hac ſcientia ſcripſerunt, dubium non eſt, quin ex Sacris Literis expreſſerint. Primus, quod quidem extet, & ſit omnino clarum, eam tradidit Irenæus. Sic enim lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 29. num. 2. *Si igitur & nunc, quotquot ſcit non credituros Deus, cum ſit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab hujuſmodi, relinquens eos tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt; quid mirum, ſi & tunc nunquam crediturum Pharaonem, cum his qui cum eo erant, tradidit eos ſuæ infidelitati?* Loqui videtur de prænotione illa, quæ antecedit permiſſionem infidelitatis: quæ utique conditionalis eſt; idque etiam apparet ex eo, quem ſtatim ſubjicit Exodi loco III. 19. *Ego autem ſcio, quoniam non dimittet vos Pharao Rex Ægypti abire, niſi in manu valida*. Ad ejuſmodi prænotionem referenda pariter quæ ſequuntur: *Dominus in parabolis loquebatur, & cæcitatem faciebat Iſrael, ut videntes non viderent, ſciens incredulitatem eorum: eodem ratione & cor Pharaonis indurabat, ut videns quoniam digitus Dei eſt, qui educit populum non crederet*. Clarum eſt etiam quod ſcribit in eodem libro cap. 38. num, 4. his verbis: *Secundum benignitatem ſuam bene dedit bonum, & ſimiles ſibi ſuæ poteſtatis homines fecit: ſecundum autem providentiam ſcivit hominum infirmitatem, & quæ ventura eſſent ex ea: ſecundum autem dilectionem, & virtutem &c.* Quo in loco cum refellat hæreticos, qui auſi ſunt accuſare Deum, aut ignorantiæ, ſi hominem, quem liberum condidit, non prævidit lapſurum, ſi liber conderetur; aut malitiæ, ſi lapſurum prævidit, & tamen liberum condidit; hæc quæ dicit, Deum ſecundum providentiam ſuam prænoſſe quo lapſuri homines forent, de ſcientia illa ſunt accipienda, quæ decreto de condendis hominibus, iiſque ſui juris, & poteſtatis, præivit. Ac præire etiam cenſeo & conceſſioni liberæ facultatis, & permiſſioni peccati ſcientiam illam, de qua cap. 39. num. 3. & 4. *Qui igitur abſtiterunt a paterno lumine, & tranſgreſſi ſunt legem libertatis; per ſuam abſtiterunt culpam, liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis facti. Deus autem omnia præſciens, utriſque aptas præparavit habitationes*. Nemini vero decretum ſupplicium, aut præmium ex ſcientia conditionali. Ad ſcientiam conditionalem procul dubio pertinet quod eſt lib. 5. cap. 28. num. 2. ubi de Antichriſto ſcribit: *illo enim veniente, & ſua voluntate, & arbitrio operante quæcunque operabitur*; & mox: *Deo ſecundum ſuam providentiam præſciente omnia, & apto tempore eum, qui talis futurus erat, (ſi immitteretur) immittente, ut &c.* Ad eandem pariter ſcientiam pertinere videtur, quod de præcepto primis parentibus tradito in oratione contra Græcos ſcripſit Tatianus Aſſyrius his verbis. *Verbi potentia, cum ſecum prænoſſet, quid eventurum eſſet, non ex neceſſitate, & fato, ſed libero eligentium propoſito; rerum futurarum exitus prædicebat, & malitiam interdictis vetabat.*

tabat. Peccatum itidem primorum Parentum, Deo conditionaliter prævifum docet Tertullianus in fecundo adver. Marcionem cap. 5. hæc enim ibi hæreticum objicientem inducit: *Si Deus bonus, & præſcius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem, & ſimilitudinem ſuam, immo & ſubſtantiam ſuam, per animæ ſcilicet cenſum paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem, circum ventum a diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet, & præſcius qui eventurum non ignoraret, & potens qui depellere valeret, nullo modo eveniſſet, quod ſub his tribus conditionibus divinæ majeſtatis evenire non poſſet. Quod ſi evenit, ab ſolutum eſt e contrario, Deum neque bonum credendum, neque præſcium, neque potentem*. Ad hæc Tertullianus fingulatim refpondet; illud vero ad rem præfentem; *omnium Auctor præſcientia univerſa utique diſponendo præſciit, & præſciendo diſpoſuit. Certe ipſam tranſgreſſionem; quam niſi præſciſſet* (conditionaliter futuram) *nec cautionem ejus delegaſſet ſub metu mortis*. In feptimo autem capite rationem affert, cur ea præfcientia pofita, Deus noluerit impedire peccatum. *Si enim*, inquit, *ſemel homini permiſerat arbitrii libertatem, & poteſtatem, & digne permiſerat, ſicut oſtendimus, utique fruendas eas ex ipſa inſtitutionis auctoritate permiſerat &c. igitur conſequens erat, uti Deus ſecederet a libertate ſemel conceſſa homini, ideſt; contineret in ſemetipſo & præſcientiam, & potentiam ſuam, per quas intercedere potuiſſet, quominus homo male libertate ſua frui aggreſſus, in periculum laberetur*. Scientia illa, qua Deus intercedere potuiffet, aut facultatem liberam homini omnino adimens, aut ipfum tentari vetans, voluntati illi, qua Deus non intercedere flatuit, præire utique debuit: conditionalis eft igitur. Et talis magis apparet ex iis, quæ paulo poft fubjungit: *Nonne tunc magis deceptus ex impræſcientia futuri videretur, cum obſtitiſſet? & quod quaſi ignorans, quomodo evaſurum eſſet, induſſerat, quis non diceret?* Vix apertius, & expreffius fignari poteft fcientia, quam propugnamus. Non obfcure etiam Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap 9. *Maximum autem ſignum eſt ejus benignitatis, quod licet aperte ſciret impudentiam populi, qui recalcitrabat & reſiliebat, aperte tamen adhortatur ad pœnitentiam &c.* Ac, ne dicatur præfentis dumtaxat impudentiæ fcientiam his verbis fignificari, flatim adjicit: *Quin etiam Moyſi dicit: Vade, & dic Pharaoni, ut emittat populum: ego autem novi, quod non emittet ipſos. Utrumque enim aperte oſtendit, & Deum præſciviſſe futurum*, (non folum abfolute, fed etiam conditionaliter, ut liquet ex fæpe notatis) *& ejus benignitatem libero animi arbitrio largiri occaſionem pœnitentiæ*. Clarius Origenes lib. 1. Comment. in Epift. ad Roman. cap. 1. §. 2. *In Paulo*, inquit, *non ſola generalis vocatio ad Apoſtolatum deſignatur, ſed electio protinus ſecundum Dei præſcientiam ſubſequuta, per hoc quod ſegregatus dicitur in Evangelium Dei. Quod tamen hæretici ad calumniam vocant, dicentes, eum ſegregatum eſſe ab utero matris ſuæ ob hoc, quod in eo naturæ bonitas erat, ſicut e contrario de his, qui malæ naturæ ſunt, dicitur in Pſalmis, quia ſegregati ſunt peccatores ex utero. Nos autem dicimus, quod neque Paulus fortuito, aut naturali differentia electus eſt &c. quod Paulus ſegregatus in Evangelium dicitur, & ſegregatus a ventre matris ſuæ, cauſas in eo, & merita, quibus in hoc ſegregari debuerit, vidit ille quem non latet mens. Prævidit enim, quod abundantius, quam cœteri omnes laboraturus eſſet in Evangelio, quod in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, periculis latronum, periculis fluminum, periculis maris, prædicaturus eſſet Evangelium Chriſti &c. Hæc ergo, & his ſimilia, & alia multa in eo de ventre matris prævidens Jeſus, pro his* (ideft, ut abfolute exifterent, quæ videbat conditionaliter futura) *ſegregavit eum in Evangelium.... Quia quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, evidenter oſtendens, quod eos, quos præſcivit Deus tales futuros, ut Chriſto ſe in paſſionibus conformarent; ipſos etiam conformes, ac ſimiles imaginis ejus prædeſtinavit, & gloriæ. Præcedit ergo præſcientia Dei* (utique conditionalis) *per quam noſcuntur, qui in ſe labores, & virtutes habituri ſint, & ita prædeſtinatio ſequitur: nec tamen rurſus prædeſtinationis cauſa putabitur præſcientia*. Notetur poftremum

hoc,

Digitized by Google

hoc, ne quid Semipelagiani ſenſus, ac dogmatis, cui aliis in locis patrocinatur Origenes, tribuatur verbis antecedentibus: quæ quidem alicubi ambigua ſunt; ſed illud apertiſſime oſtendunt: manifeſtum Deo, quid Paulus eſſet facturus, ſi ſegregaretur in Evangelium Dei; quoniam, ea ſcientia prælucente, ſegregatus eſt. Eandem ſcientiam deſignat Lactantius Firm. lib. 4. divin. inſt. cap. 26. cum dicit, Chriſtum Dominum *veniſſe in manus impiæ nationis, cum & vitare potuiſſet ſcientia futuri, quam gerebat, & repellere eadem virtute, qua mirabilia faciebat*.

IX.

Idem confirmatur auctoritate Alexandri Epiſcopi Alexandrini qui in epiſtola prima, quæ extat inter acta Concilii Nicæni collectionis Labbeianæ tom. 2. pag. 7. ſcribens contra Arrianos, qui, ut adverſarii contendunt, conditionali præſcientia abutebantur ad impii dogmatis defenſionem, *omni*, inquit, *exuta erga Deum pietate, ac reverentia, ajunt Deum, cum eum præſcientia, & præſenſione prænoviſſet, neutiquam ipſum aſpernaturum, idcirco ex omnibus elegiſſe*. Atque hunc quidem errorem undique impetit, conditionali vero præſcientiæ omnino parcit; & fundamentum prorſus intactum relinquens, quod ſuper illud impie ſtruebant hæretici, omnibus modis labefactat, atque convellit. Idemque facit Arrianæ pariter hæreſeos oppugnator acerrimus Athanaſius in ſua epiſtola Encyclica ad Epiſcopos Ægypti & Lybi. a num. 12. & in prima contra Arianos oratione a numer. 5. Scilicet hoc habent hæretici, falſa, ne facile agnoſcantur, veris immiſcent: & quadam doctrinæ hypocriſi, non minus noxia, quam quæ in moribus eſt, catholicas opiniones prætendunt erroribus ſuis. Quanquam, ſi legas Athanaſii loca hic indicata, ex eo diſces, Arrianos ad ſuum dogma tuendum abuſos abſoluta potius futurorum operum Chriſti præſcientia, quam conditionali. Eſt autem apud Athanaſium, ubi conditionalis præſcientia per ſe; nec obſcure tradatur; primo in Sermone de Paſſione & Cruce Domini num. 7. deinde in quæſt. 36. ad Antiochum. Sed opera hæc ab Athanaſio multis argumentis abjudicant eruditi. Germanæ, ac genuinæ ſunt Literæ S. Anaſtaſiæ ad Chryſogon. quas refert Nicephorus lib. 14. & Suidas 10. *Rogo te*, ſcribit illa, *o homo Dei, ut inſtanter Dominum depreceris, ut, aut ad fidem ſuam ſi venturum prævidet, maritum Publium, ſinat vivere; aut ſi eum in hac incredulitatis perverſitate ſcit manſurum, jubeat eum locum dare ſuis cultoribus. Melius eſt enim ſpiritum exhalare, quam Dei filium denegare, & eum confitentes impedire. Ipſe enim teſtis eſt Chriſtus, quoniam, ſi liberata fuero, ſanctorum veſtigiis adhærebo, & curam eorum ſolicite exercebo, ut cœperam*. Perſimile eſt quod ſcribit Baſilius in primo capite Conſt. Monaſtic. *Si Dominus*, inquit *intellexiſſet, te, ſi minus celeriter impetraſſes, id nequaquam eſſe amiſſurum, ſine dubio, quæ ejus eſt bonitas, ultro ipſe tibi nullo tuo rogatu detuliſſet. Nunc autem tibi proſpiciens hoc facit*. Non minus clare Gregorius Nazianz. orat. 42. in Paſch. *Mandatum*, inquit, *accepimus, ut eo ſervato gloriam aſſequeremur: non quod Deus id, quod futurum erat, ignoraret; ſed quod arbitrii libertatem lege ſanciret*. Clariſſime, diſertiſſimeque Gregorius Nyſſenus: & primo quidem in Oratione de infantibus, qui præmature abripiuntur: ubi locum Sapientiæ ſupra cit. ita exponit, ut dicat, *perfectæ providentiæ eſſe, non modo morbos contractos curare; verum etiam, ne omnino quiſpiam in illicitis verſetur, proſpicere*. Tum rei hujus rationem reddens, Deum ait tam certo ſcire, quæ quiſque facturus eſſet, ſi longius ætatem duceret, quam certus de iis eſt, que quiſque fecit. *Eſt enim*, inquit, *conſentaneum, ab illo, qui, quod futurum eſt peræque novit, ac præteritum, prohiberi parvulos, ne ad perfectam ætatem progrediantur: ut malum illud, quod præſcia illa vis, & facultas cognorit, in eo, qui victurus ita eſſet, non perficiatur: nec materia nequitiæ vita ſit illi, qui ea voluntate, & arbitrio victurus eſſet*. Idque declarat ſumpta ſimilitudine a magiſtro convivii; qui quos prævidet crapula, & ebrietate lædendos eſſe, eos a convivio arcet. Et ſic tandem concludit: *Hoc ipſum eſt, quod dico, perfectæ,*

atque

atque abſolutæ providentiæ opus eſſe, ut non ſolum conflatæ jam affectiones curentur; ſed etiam antequam ſunt conflatæ, prohibeantur. Quam adeo opinionem etiam de morte infantium modo natorum habemus: nempe illum, qui ratione omnia gubernat, pro ſua benignitate materiam improbitati ſubtrahere: dum ei voluntati, quam præſciente omnia vi ſua cognovit, tempus non tribuit, ut re ipſa, factiſque ſuis in ſumma illa improbitate ſeſe monſtraret. Illuſtre etiam Nyſſeni teſtimonium habet conditionalis præſcientia ex magna Oratione Catechetica: primo quidem quod in exordio ſeptimi capitis hæc ſibi ita objicit: *Nemo vero interroget, an Deus, cum prævidiſſet calamitatem, in quam homo venturus erat, ad eum creandum acceſſerit ex malo conſilio.* Deinde, quod his ita reſpondet, ut non ſolum Deo prævifum non neget, quid hômo, ſi conderetur, facturus eſſet, *non neceſſitate, ſed libera arbitrii electione, extra quam nullum malum per ſe ſitum eſt*; verum etiam, ut hanc ipſam prævifionem expreſſe confirmet: Sic enim cap. 8. *Si quiſquam ergo ad finem intueatur ſapientiæ, quæ adminiſtrat univerſitatem, non utique hominum Opificem, malorum auctorem nominaverit. Nec vero fas eſt dicere, eum, aut ignoraſſe, quid eſſet futurum; aut ſcientem a malo alienum non eſſe. Sciebat futurum, & non prohibuit &c. Quod homo a bono avertendus eſſet, non ignoravit, qui omnia ſuo dominatu continet, ſuaque prævidendi virtute quod futurum eſt æque intuetur, ut id quod eſt præteritum. Sed quomodo vidit averſionem; ita etiam rurſus excogitavit ejus ad bonum revocationem. Quid ergo erat melius, an noſtram naturam non omnino ad ortum deducere, quoniam videbat futurum, ut a bono aberraret, ſi ad ortum deduceretur; an cum aberraſſet, & morbo laboraſſet revocare ad gratiam, quam habuit ab initio?* Illud quoque conditionali ſcientia regitur, & ad eam tandem revocari neceſſe eſt, quod de effectione mulieris, humanique ſexus diſcrimine differit in libro de homin. opificio cap. 22. his verbis: *Cumque & illud in nobis futurum animadverteret, ut ad ſtatum deteriorem noſmet demitteremus, atque deperdito ſponte noſtræ dignitatis gradu, quo pares angelis eramus ad humilioris ſortis, & conditionis res nos adjungeremus; etiam brutum aliquid imagini admiſcuit ſuæ.* Immo vero omnino quod corpus homini aptarit ex ſuamet naturali conditione morbis, ac morti obnoxium, ex eadem conditionali præſcientia profectum; dicere videtur in Orat. Catech. cap. 8. Gregorium Nyſſenum imitatus Nemeſius Chriſtianus philoſophus in libro de natura hominis cap. 44. Providentiam Dei vindicans ab impiorum calumniis, cauſamque explicans, cur in ærumnis interdum boni viri ſint, & egeſtate, atque aliis premantur incommodis, ait, ſcire Deum bonis quidem illis opes, & fortunas, ſi eas obtinerent, obfuturas: ideoque ſinere ipſos paupertate utiliter confici, aliiſque urgeri calamitatibus. Contra vero, *qui opulentus eſt, ſæpe importuniorem fore videns, ſi egeat (ad latrocinandum enim, aut trucidandos homines, aut ad alia quædam gravia facinora animum adjungeret) potiri illum opibus permittit.* Atque hanc ſcientiam certiſſimam eſſe dicit, & pariter ut Nyſſenus, ei ſcientiæ ſimilem, qua res præteritæ cognoſcuntur. *Nos enim, inquit, futurorum nihil omnino ſcientes, & in præſentia dumtaxat intuentes perperam eventa diu dicamus. Deo vero etiam futura perinde ſunt, ac præſentia.* Similia pariter eorum, quæ de Adamo prodidit Nyſſenus proxime citatus, ex aliis antiquioribus exſcripſit Epiphanius hæreſ. 64. Sic autem num. 23. *Quod ſi nonnulla veluti pœnitentia ductum iſtud egiſſe Deum adverſarius objiciat, imbecilla ea ratio eſt pœnitentem Deum, conſiliumque mutantem inducens. Neque enim ignarus futuri Deus; ſed ut ſumme bonus, & quod futurum eſſet prænoſcens &c.*

X.

Similia pariter ſcribit Ambroſius in Libro de Paradiſo, quæque ſcientia conditionali partim nituntur, partim eam expreſſe præferunt. Sic cap. 5. n. 26. *De omni ligno guſtandum Adæ ſoli præcepit, quem ſervaturum ſciebat: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali non eſſe guſtandum, jam non ſingulariter, ſed pluraliter dicit. Sciebat enim prævaricaturam mulierem, & ideo per pluralitetem oſtendit non ſervaturos, quia plurium diſcreta ſententia eſt.* Quæ

Quæ hic facta perhibentur & tempore, traducenda, & accomodanda ſunt ad Divinas ſciendi, volendique actiones, quæ ex æterno. Luculentius cap. 8. n. 38. *Iterum quæſtio: Sciebat prævaricaturum Deus Adam mandata ſua, an neſciebat? Si neſciebat, non eſt ita divinæ poteſtatis adſertio: ſi autem ſciebat, & nihilominus ſciens negligenda mandavit, non eſt Dei aliquid ſuperfluum præcipere &c. Verum hi ſua ſententia, & opinione vincendi ſunt. Cum enim novi Teſtamenti non refutant fidem, exemplo ſunt arguendi, ut vetus credant.... Nam & ipſe Dominus Jeſus elegit Judam, quem proditorem* fore, ſi inter Apoſtolos adſciſceretur, *ſciebat. Quem ſi per imprudentiam electum putant, divinæ derogant poteſtati*. Et paulo poſt num. 39. *Nec tamen dico quia prævaricationem neſciebat futuram; immo quia ſciebat adſero: ſed non ideo pereuntis proditoris invidiam in ſe debuit derivare, ut adſcriberetur Deo, quod uterque ſit lapſus. Nunc autem uterque redarguitur, atque revincitur; quia & ille mandatum ne laberetur accepit, & hic etiam in Apoſtolatus munus adſcitus eſt, ut vel beneficio Dei revocaretur a proditionis affectu; ſimul ut dum alii revincuntur, prodeſſet omnibus. Non enim conſiſteret peccatum, ſi interdictio non fuiſſet. Quid enim eſt peccatum, niſi prævaricatio legis divinæ &c.* Iterum huic affinem quæſtionem proponit num. 40. his verbis: *Noverat, inquiunt, hominem peccaturum, qui creavit eum, & has opiniones boni, & mali impreſſit, an non noverat? Ut, ſi dixeris, quia non noverat, alienum a majeſtate Dei ſentias: ſi autem dixeris, quia ſciens Deus peccaturum hominem, communes tamen opiniones ei boni, & mali impreſſit; ut propter admixtionem malorum vitæ perpetuitatem ſervare non poſſet, ſicut in illo non præſagum futuri, ita in hoc non bonum Deum ſignificare videaris*. Quibus ita reſpondet, ut dicat Deum, quid futurum eſſet, ſcientem inſiviſſe homini opiniones boni, & mali; eumque *tentari permiſiſſe, ut fœneratior poſtea gratia per pœnitentiam delictorum in hominis rediret affectum, & fragilitatis ſuæ conſcius, quod tam facile a divinorum mandatorum ſerie deviando trepidaverit, tanquam clavum animæ fluctuantis mandata cæleſtia timeret amittere &c.* Eadem ſcientia manifeſte elucet in iis, quæ cap. 10. n. 47. differit de conditione mulieris. Item in iis, quæ ſcribit in Lucam lib. 7. num. 65. Omitti non debent quæ ſunt in Commentariis Epiſt. Pauli Apoſt. Ambroſio inſcriptis, &, jam inde a nono ſæculo, a multis, & graviſſimis Scriptoribus, a Lugdunenſi Eccleſia, & Aquiſgranenſi Concilio tertio, ſub Ambroſii nomine, citatis. Ibi igitur in Epiſt. ad Roman. cap. 8. verſ. 29. *Iſtos*, inquit, *quos præſcivit futuros ſibi devotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda*. Et verſ. 30. *quos præſcivit Deus, ipſos & juſtificavit: ac per hoc & magnificavit illos, ut ſimiles fiant Filio Dei.* Item in cap. 9. verſ. 11. *Sciendo*, inquit, *quid unuſquiſque illorum futurus eſſet, dixit: Hic erit dignus, qui erit minor; & qui major, erit indignus. Unum elegit præſcientia, & alterum ſprevit: & in illo, quem elegit, propoſitum Dei manet; quia aliud non poteſt evenire, quam quod ſcivit, & propoſuit in illo, ut ſalute dignus ſit*. Loquitur de ſcientia, quæ prælucet electioni, ac propoſito Dei, ac propter quam hæc fruſtrari non poſſunt. Et ſic paulo poſt de reprobis. *Præſcius*, inquit, *Deus malæ illos voluntatis futuros, non illos habuit in numero bonorum*. Tum verſ. 15. *Ejus miſerebor*, inquit, *cui præſcius eram, quod miſericordiam daturus eſſem, ſciens converſurum illum, & permanſurum apud me: Et miſericordiam præſtabo illi, cui miſericordiam præſtitero: ideſt, ei miſericordiam dabo, quem præſcivi poſt errorem recto corde reverſurum ad me. Hoc eſt dare illi, cui dandum eſt: & non dare illi, cui dandum non eſt; ut eum vocet, quem ſciat obaudire*: (hoc eſt, obauditurum, ſi vocetur) *illum autem non vocet, quem ſciat minime obaudire*. (Non obauditurum, ſi vocetur) Hic tamen interea nihil aliud defendo quam conditionalem præſcientiam. Quam diſerte pariter tradi ajo ab eorundem Commentariorum Auctore in Epiſt. ad Galat. cap. 1. verſ. 15. ubi *Apoſtolum*, inquit, *Paulum ſciens quis eſſet futurus, prævenit eum; ut antequam converteretur, vocaret eum*. Item in Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. verſ. 4. ubi *Præſcius*, inquit, om-

omnium Deus ſcit, qui credituri eſſent in Chriſtum, ſicut dicit ad Romanos: Quos præſciit &c. Tandem in ſecundam Epiſt. ad Timoth. cap. 1. verſ. 9. quo in loco: *Quoniam*, inquit, *dignatione ſua Deus olim decrevit peccatores ſalvos facere (præſcius enim fuit Deus, quid futurus eſſet in homine, antequam faceret eum, & peccaret) quomodo redintegraretur prædeſtinavit, quo tempore, & per quos, & qua ratione ſalvari poſſint; ut neque merito ſuo qui ſalvantur &c.*

XI.

Longe plura ſunt quæ afferri poſſunt ex Johanne Chryſoſtomo: atque in iis aliqua tam clara, & perſpicua, ut dubia eſſe non poſſit ſignificatio reliquorum. Initium faciam ab iis, quæ ſcribit in Geneſ. homil. 14. *Deus*, inquit, *præſcius, quid non multo poſt eventurum eſſet, oſtendit nobis quantum ſapientiam condito a ſe homini dedit, ut cum prævaricatio mandati a Deo dati contingat, non putetur per ignorantiam peccaſſe.* Videtur ſignificari ſcientia conditionalis, quæ præivit decreto condendi hominem, conferendæ in eum ſapientiæ, ac cæterorum bonorum. Eandem ſcientiam ſignificare videtur homil. ſequ. ubi diſſerit de formatione mulieris. *Unde ſciebat*, inquit, *futura, & quod multiplicandum eſſet humanum genus, & quod hoc viri, mulieriſque congreſſu futurum, unde noſcebat? Peccato enim, & prævaricatione nondum præſente, gloria, quæ ſuperne venerat, veſtiti erant &c.* Eandem pariter ſcientiam tradit, & quidem, ut a ſchola Societatis defenditur, nullo ſubnixam decreto ſubjective abſoluto, ac terminative conditionato, nec futura ulla conditionaliter phyſica præmotione; homil. 19. *Quia ergo*, inquit, *liberi arbitrii eſſe noſtram naturam fecit omnium Dominus, ipſe quidem quæ ſua ſunt, omnia pro ſua miſericordia ſemper exhibet: & ſciens abſcondita in profundo mentis, & arcana, hortatur, conſulit, conatuſque noſtros malos reprimit. Et neceſſitatem utique non imponit; ſed, congruis remediis appoſitis, totum in ægrotantis ſententia ſitum eſſe dimittit.* Item homil. 21. *Quoniam enim præſcientia ſua prævidebat futura, ut vidit malitiam hominum in dies magis, atque magis increſcere, prædicit per appellationem pueri mala, quæ totum humanum genus invaſura eſſent, ut vel timore caſtigati, abducerentur a vitiis, & amplexarentur virtutem.* Conſilium iſtud, ut tale, non abſoluta, ſed conditionali ſcientia regitur. Atque his pariter addit ſub initium ſequentis homiliæ, quod decretum illud, præmotionemque, de quibus modo diximus, penitus reſpuere, atque excludere videatur. Alia plura ejuſdem generis paſſim occurrent percurrenti reliquas homil. ſuper Geneſim. Sic homil. 24. *Quia video ulcera eorum incurabilia, ſiſtere volo malitiæ fluenta, ut ne gravioribus pœnis obnoxios ſe faciant. Neque enim reſpiciens ad ea, quæ peccaverant, vel quæ meruerant: ſed prævidens futura* (nimirum futura quæ eſſent) *& in hos congrua pœna animadvertens, & poſteros ne ab his offendantur liberare volo.* Et aliquanto poſt: *Ideo prædicit, ne ea quæ dicit, ſuper eos inducat.* Et homil. 25. *prædicit, quas pœnas ſit illaturus, ob hanc tantum cauſam ne inferat &c.* Et quæ referre nimis longum foret, nec ut in præſenti re neceſſarium. Affero locum clariſſimum ex homilia de Adam, & Heva, quæ inter Opera Chryſoſtomi legitur edit. Latinæ Pariſ. an. 1556 tom. 1. *Deus*, inquit, *præſcius futurorum, dedit præceptum, ut ex omni ligno paradiſi manducarent, ex arbore dignoſcentiæ boni, & mali ne tangerent: & in qua die tetigiſſent, morte morerentur.* Et aliquanto poſt: *Et forte dicturus eſt aliquis: Ergo Deus non eſt præſcius futurorum?* Reſpondet: *undique confitetur univerſa lingua Deum præſagum eſſe futurorum; antequam eſſent univerſa, quæ in mundo ſunt, præſcivit prævaricaturum primum angelum, & ipſum hominem. Angelos ergo fecit in ſpiritu ſine carne, præceptum dedit eis nullum.* Tum, quamvis præceptum iis nullum dederit, cecidiſſe tamen eos dicit; atque ita cecidiſſe, ut non reſtitueretur. Poſthæc autem iterum objicit. *Sed æque dicturus eſt adverſarius fidei Catholicæ. Et in ipſo angelo præſcius non erat, qui hanc præſumptionem aſſumere habebat?* Scilicet affectandi ſolium, & ſimili-

Digitized by Google

ſimilitudinem Dei. His ille: *Nos nunc reſpondemus ei. Omni ratione ſcivit futurum irreparabilem caſum ejus*: Et tamen hoc ſciens, angelum creare decrevit, & labi permiſit, quia *ſcivit quanta bona facturus eſſet de malo ejus. Nam tolle perſequuturos, & non erunt martyres &c.* Non minus aperte ipſe utique Chryſoſtomus in prima homil. de Prophetiarum obſcurit. *Judæos*, inquit, *interfecturos fuiſſe prophetas, ſi quid tale manifeſte prædixiſſent, teſtimoniis allatis oſtendimus, ex ipſo B. Hieremia, ac protomart. Stephano &c. ipſos autem propheticos etiam libros combuſturos eos fuiſſe, ſi quæ dicta fuerant cognoviſſent, hoc quoque per hiſtoriam quamdam probare conabor &c.* Refert hic quod geſtum narratur Jerem. XXXVI. Tum, quod facit ad rem præſentem, ea quæ ſunt verſ. 3. *Si forte audiente domo Juda univerſa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur unuſquiſque a via ſua peſſima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum*; ſic expendit: *Forte, dicit Deus? Num igitur, quæſo, futura ignorat? Non novit, an audituri ſint*, ſi Jeremias, aut alius propheta volumen, quod ibi memoratur, ad eos perferat, *is qui novit omnia antequam fiant? qui corda ſcrutatur, & renes, &c. cujus oculis nuda, & aperta ſunt omnia? Cur autem dixit, Forte &c.* Interrogationi huic hoc pacto ſatisfacit: *Si dixiſſet, Audient, abſque forte, falſum fuiſſet: non enim erant audituri. Si verum dixiſſet, Non audient, fruſtra minime auditurıs prophetam miſiſſet. Neque vero idcirco tantum, ſed ne ad vim, ac neceſſitatem aliquam ad nos parendum afferre ipſius præſcientia putaretur.* Atque his alia addit, quæ quidquid connexum ſit cum utralibet liberæ facultatis exercitatione, nec evitabile eidem ſit, ab ea præſcientia prorſus removeat. Cujuſmodi fore videtur decretum ſubjective abſolutum, ac terminative conditionatum ex æterno; ac phyſica præmotio ex tempore, de quibus ſupra. Sequuntur Commentarii in Matthæum. In his homil. 31. *Sed cujus*, inquit, *rei gratia non cum Petro, ſimul ac Johanne, & aliis diſcipulis ipſum vocavit? Certe quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocavitque quando obtemperaturos ſciebat; ſic Matthæum quoque nunc vocavit, quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat. Qua de cauſa etiam Paulum poſt reſurrectionem piſcatus eſt. Nam qui corda ſcrutatur &c. is etiam quando unuſquiſque obediturus erat, non ignoravit.* Auxilium, vocatioque congruens, conditionali ſcientia prælucente. In eandem ſententiam hom. 65. *Omnes*, loquitur de operariis Matth. XX. *Ille quidem ab initio conduxiſſe voluiſſet; ſi vero non omnes eodem tempore paruerunt, a voluntate vocatorum hæc differentia reſultavit. Idcirco alii mane, alii tertia, alii ſexta, alii nona, alii undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant: quod & Paulus aperte ſignificavit dicens: Quando autem viſum eſt Deo, me ſegregavit ex utero matris meæ.* (Gal. 1. 15.) *Quando autem ei viſum eſt? quando certe obtemperaturus erat. Nam ipſe a primis etiam incunabulis voluiſſet. Sed quia illum renixurum ſciebat, tunc voluit cum animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & latronem cum poſtea vocavit, potuiſſet antea ipſum vocaſſe, ſed vocatus ille non paruiſſet.* In ipſum autem illum Matthæi locum XI. 21. quo Societatis ſententia ſe maxime tuetur, hæc habet: *Deus enim, quamvis ſciat nihil boni non facturos, cura tamen, ac providentia ſumma erga nos utitur; ita ut etiam his, qui impudentiſſimi ſunt, ne umbram quidem inſipientis dubitationis relinquat.* Eundemque locum in homil. ſuper Pſalm. 95. ita proponit: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, manſiſſent ad hunc uſque diem.* Illud etiam ſententiam Societatis maxime confirmat, quod ſcribit homil. 4. de laudibus S. Pauli Apoſt. Quærentibus enim, cur Paulus antea vocatus non ſit, idem reſpondet, quod de Matthæo, deque Operariis, ut paulo ante vidimus. *Ne quæras iſtud*, inquit, *neque velis eſſe curioſior, ſed concede incomprehenſibili Dei providentiæ ſalutes hominum notis ſibi temporum opportunitatibus ordinare*: ordinare, prælucente ſcientia conditionali, eaque nulli rei nixa, quæ cum humani arbitrii electione connexa ſit, nec evitabilis. Quocirca ſubjungit: *Tu vero hæc audiens noli vocationem iſtam, neceſſitatem* put-

putare. *Non enim Deus neceſſitatem affert vocando; ſed poſt vocationem quoque permittit eos propriarum eſſe dominos voluntatum.* Tum affert exemplum Judæorum, qui vocati abnuerunt, & Chriſtum Dominum *ſe illis revelantem, ultroque offerentem ſuſcipere noluerunt.* Eandem ſententiam fuſius perſequitur in tertiodecimo ſermone de ferendis reprehenſionibus. Lege autem una cum his Sermonem 49. in illud I. Cor. I. 1. *Paulus vocatus.* Conditionali pariter ſcientiæ favet, quod eſt in Sermone 60. adverſus eos, qui dicunt Dæmones gubernare res humanas. *Quæ omnia*, inquit de Babilonicæ turris extructoribus, *cum prævidiſſet Deus, quandoquidem linguæ concordia, ut oportuit, uſi non erant, diſſidio linguarum, ut oportuit, illos dividit.... Atque ut intelligas, eum non tam quod factum fuerat punire; quam quod futurum erat præveniendo corrigere, audi, quid adjungat: Et nunc non deficient &c.* Et multis interjectis referens quod eſt Luc. XIII. 4. *Atqui*, ait, *ſi meliores illos per pœnitentiam evaſuros ſciviſſet, nequaquam illos Deus puniviſſet. Si enim cum prævideat multis ſuam longanimitatem nihil profuturam, tamen eos multa cum patientia tolerat &c. quomodo eos, qui cæterorum ſupplicio meliores evaſuri erant, eo fructu privaret qui ex pœnitentia percipitur?* Horum ſimilia ſcribit in Libro de S. Babyla contra Gent. *Quod ſi dixeris*, inquit; *quid? Nonne prævideraт Deus fore, ut tyrannus hic nunquam emendaretur? Huic ita reſpondebimus: prævideraт quidem, ſed tamen ob id, quod malitiam noſtram prænoſcat, officium ille ſuum non intermittit &c.* Ad eandem etiam ſcientiam revocatur quod in homil. 51. de SS. Berenice, & Proſdoce: *ne quis adverſariorum hæc, eo neſciente, vel ob imbecillitatem ſinente, fieri dicat. Qui enim multo ante prævidit, potuitque ea prævidens impedire; ut inſigniores fierent coronæ, non impedivit.* Et quæ in primo de Providentia: *Si quis curioſius inquirat, cujus rei gratia veterarum illum ſeductorem non continuo deleverit, ii quoque pro ſumma in nos cura factum cognoſcet.* Rei hujus rationem adducit,, & mox addit: *Ad hæc, ſi illum ſciens nequaquaquam ſuperatum iri; ſed futurum, ut omnes homines vinceret, ne ſic quidem dubitatio iſta locum haberet. Nam tum quoque quod ille obtineret, quod vinceret non reluctantes, ſed ſponte ſibi cedentes, & ſuccumbentes, ipſis qui cederent, & ſuccumberent imputandum foret &c. Idcirco vero illud dimiſit, ut eum dejiciant, qui fuerant ab eo prius ſuperati.* Pergit in hanc ſententiam multis; & tandem hac quæſtione finita, aliam inſtituit: *Sunt*, inquit, *plurimi, qui diabolo omiſſo, ad mandatum tranſeunt, dicentes: Quid enim eis præceptum dabat, quos peccatores noverat?* Concedit, noſſe Deum, ſi præceptum hominibus traderet, ab iis violatum iri; ſed ait, noſſe etiam Deum, eos gravius peccaturos, ſi non traderet. Quodque de primis parentibus, idem fere dicit de Cain. *Quid non feciſſet Cain in Paradiſo degens, tantiſque deliciis fruens, quando his omnibus privatus, patriſque ſupplicium ante oculos habens, nec ſic quidem emendatus eſt, in tantumque nequitiæ prorupit.* Et paulo poſt: *Idcirco dicit ad illum Deus. Quieſce. Hoc autem cum diceret, ſciebat quidem, quo progreſſurum eſt malum.* Et iterum: *Sin vero poſt ſcelus homicidii manſiſſet impunitus, etiam ad aliud, majuſque flagitium progreſſus eſſet.* Poſt multa vero ad alias quæſtiones delapſus, ex hac vita multos a Deo præpropere ſublatos dicit, *antequam bona, vel mala poſſent per ætatem diſcernere; quod præſciverit futuros nequam*; & ſic, ne peccarent coercitos. Et tandem: „Quod ſi quæras, *inquit*, ex me, quamobrem, cum in deliciis ageres, ac mundi rebus omnino intentus eſſes, non tunc tibi dæmonem iſtum inſtar fræni immiſerit Deus? Illud ego reſpondebo, hoc quoque ſingulari illius actum eſſe providentia. Sciebat enim, tunc te imbecillum ſuperandum facile, ac mature periturum. Atque ideo, ne tunc quidem ſtatim ad hanc luctam vocavit, cum ad Monachorum vitam acceſſiſſes; ſed exerceri prius te permiſit, ac prolixo temporis ſpatio durare &c. Prætereo alia plura ejuſdem generis, quæ ſunt in libris de Providentia, ac reliquis S. Doctoris Operibus; & pauca quædam ſeligo ex Commentariis

riis in Epiſtolas Pauli. In Epiſt. ad Rom. cap. 9. homil. 16. hæc habet: *Hoc enim præſcientiæ erat, quod ex eorum partu electionem fecerit, ut appareret, electionem eſſe factam ſecundum præſcientiam. A primo namque ſtatim die, & eum qui bonus erat futurus, & eum, qui non item, cognovit, & pronunciavit*. Scientia, quam electio ſequitur, conditionalis eſt. Pergit in eandem ſententiam; eademque ſcientia præeunte, vocatos dicit, publicanum, latronem, meretricem: de qua tamen ſcientia ibi ſic diſſerit, ut ei interdum plus juſto tribuere videatur. Quod quidem non feciſſet, ſi Pelagianorum, aut Semipelagianorum tempore ſcripſiſſet. Sed nimirum, iis nondum in controverſiam adductis, ut ſecurius, ſic aliquando etiam minus caute loquutus eſt. In cap. 1. Epiſt. ad Epheſ. hom. 1. ea pariter ſcribit, in quibus manifeſte venit conditionalis præſcientia; ea ſcilicet, quæ eligentis judicium, & propoſitum dirigit. *Si autem*, inquit, *omnes eligentes quæ ſunt optima, & pulcherrima eligunt, multo magis Deus. Electos quoque eſſe, eſt & Dei benignitatis, ac clementiæ, & ipſorum virtutis indicium. Omnino enim ſi probos elegit, ipſe nos fecit ſanctos ..... Qui autem elegit, ſcit quid eligat*. Ne vero illud, *& ipſorum virtutis indicium*, Semipelagiani a ſe eſſe putent: additur enim: *fuiſſe bonos, & virtute præditos, & credidiſſe, & acceſſiſſe, fuit hoc quoque ejus qui vocavit ...... Nihil ſine Chriſto, nihil ſine Patre &c.* Et mox in ſequenti homilia expreſſius pro re præſenti: *ſibi electos deſtinavit, ac ſepoſuit ut puta, vidit nos, priuſquam eſſemus ſorte vocati: eſt enim admiranda Dei præſcientia &c.* Duas haſce homilias integras lege. Item homil. 4. in cap. 1. ad Coloſ. & hom. 22. in cap. 11. ad Hebræ.

XII.

Audiendus jam eſt Hieronymus, cujus erit major etiam hac in re auctoritas, quod ſciamus eum Pelagianorum erroribus ſummopere infenſum. Is igitur in illis ipſis libris, in quibus contra Pelagianos adeo acriter pugnat, conditionalem ſcientiam eam, quam Societatis ſchola amplexa eſt, maxime tuetur. In tertio enim libro, Critobolus, qui in iis dialogis Pelagianorum partes ſuſtinet, cum §. 7. objeciſſet: *ſi non fecimus quod præcepit; aut voluit nos adjuvare Deus; aut noluit? Si voluit, & adjuvit; & tamen non fecimus quod voluimus, non nos; ſed ille ſuperatus eſt. Sin autem noluit adjuvare, non eſt culpa ejus, qui voluit facere; ſed illius, qui adjuvare potuit, & noluit facere*. Ad hæc ibi Atticus, quæ altera Perſona dialogi eſt, & Catholicum agit; *Non intelligis*, inquit, *dilemmaton tuum in grande blaſphemiarum deciδiſſe barathrum: ut ex utraque parte, aut invalidus ſit Deus, aut invidus: & non tantum ei laudis ſit, quod bonorum auctor eſt, & adjutor; quantum vituperationis, quod mala non coercuit. Detrahatur ergo illi, cur diabolum eſſe permiſerit, cur paſſus ſit, & huc uſque patiatur, quotidie aliquid in mundo mali fieri. Quærit hoc Marcion, & omnes hæreticorum canes, qui vetus laniant teſtamentum, & hujuſcemodi ſyllogiſmum texere conſueverunt. Aut ſcivit Deus, hominem in paradiſo poſitum, prævaricaturum eſſe mandatum illius; aut neſcivit. Si ſcivit non eſt in culpa is, qui præſcientiam Dei vitare non potuit; ſed ille, qui talem condidit, ut Dei non poſſet ſcientiam devitare. Si neſcivit, cui præſcientiam tollis, aufers & divinitatem*. Fatetur ultro Hieronymus ſub Attici nomine, præſcientia illa ſublata, auferri a Deo divinitatem: atque hac ſyllogiſmi parte conceſſa, alteram negat: &, quod Deus ſciret hominem peccaturum, ſi conderetur, & præcepto adſtringeretur; & tamen condiderit, eique præceptum adjecerit, oſtendit ex eo non ſequi, quod Marcion utrumque volebat, peccati auctorem Deum, hominem vero extra culpam. Sic autem Hieronymus ad hominem diſſerit: *Hoc enim genere in culpa erit, qui elegit Saul futurum poſtea regem impiiſſimum. Et Salvator aut ignorantiæ, aut injuſtitiæ tenebitur reus, cur in Evangelio ſit loquutus* (Johan. VIII. 71.) Nonne vos duodecim ego elegi Apoſtolos, & unus de vobi diabolus eſt? *Interroga eum, cur Judam elegerit proditorem? Cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat*. Mox docet univerſim ex ea præſcientia nihil abſurdi conſequens eſſe, ni-

ſi dicatur ex illa Deus judicare homines, eoſque præmio, aut pœna afficere. Quo Semipelagianorum, qui poſtea ſuborti ſunt, errori occurrit, atque aditum præcludit. *Vis*, inquit, *audire rationem*: *Deus præſentia judicat*, *non futura*. *Nec condemnat ex præſcientia*, *quem noverit*, *talem fore*, *qui ſibi poſtea diſpliceat &c.* Lege integrum hunc paragraphum: ac præterea quæ lib. 1. Comment. in Ezech. cap. 2. §. 5. in cap. 1. Epiſtola ad Ephe. ſ. Epiſtola XXI. ad Marcellam §. 2. lib. 1. Apolog. adverſus Rufin. §. 19. quæ omnia quam ſimillima ſunt inter ſe. Cum Hieronymo jungimus Auguſtinum, qui quanto copioſius, atque efficacius ſcripſit adverſus Pelagianos, & eorum reliquias; tanto plura, & clariora pro ſcientia, quam Mediam nuncupamus, ex eo referre poſſumus: ut mirum oppido ſit, inventos eſſe aliquos, qui ſcientiam illam Semipelagianiſmi inſimulare, & accerſere auſi ſint; cum tam luculenter tradatur ab illo, qui eam hæreſim profligavit. Quoniam vero, ut dixi, hæc Auguſtini teſtimonia multa ſunt, ut ordinate procedamus, ea primum dabo, quæ ſcientiam illam aperte præſeferunt; tum deinde quæ minus quidem expreſſe, ſed non minus certe eam continent, & facili argumentatione adhibita, ſtatim oſtendunt. Ante tamen videndum eſt, an quæ alicubi docet de ſcientia conditionali revocata ab illo ſint in libris Retractationum. Etenim lib. 1. cap. 23. n. 2. hæc habet: *Item diſputans quid elegerit Deus in nondum nato*, *cui dixit ſerviturum eſſe majorem*: *& quid in eodem majore ſimiliter nondum nato reprobaverit*; *de quibus propter hoc commemoratur*, *quamvis longe poſtea prolatum propheticum teſtimonium* (Rom. IX. 13. Mal. I. 3.) Jacob dilexi, Eſau autem odio habui: *ad hoc perduxi ratiocinationem*, *ut dicerem*: in Expoſ. propoſit. ex Epiſt. ad Roman. prop. 60. Non ergo elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt; ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegerit, cui Spiritum ſanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur. *Nondum diligentius quæſieram*, *nec adhuc inveneram*, *qualis ſit electio gratiæ*: *de qua idem dicit Apoſtolus*: (Rom. XI. 5.) Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt: *quæ utique non eſt gratia*, *ſi eam merita ulla præcedant*, *ne jam quod datur*, *non ſecundum gratiam*, *ſed ſecundum debitum reddatur potius meritis*, *quam donetur*. *Proinde quod continuo dixi*, Dicit enim idem Apoſtolus: Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nuſquam autem dictum eſt: Deus credit omnia in omnibus. *Ac deinde ſubjunxi*: Quod ergo credimus noſtrum eſt; quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum ſanctum, *profecto non dicerem*, *ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri*, *quæ dantur in eodem Spiritu*. *Utrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis*; *& utrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei*, *& charitatis*. *Neque enim ſola charitas*, *ſed ſicut ſcriptum eſt*, (Eph. VI. 23.) Charitas cum fide a Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto. Hæc ibi Auguſtinus. In his vero nihil eſt, quod ei ſcientiæ quam modo defendimus, & Auguſtini potiſſimum auctoritate approbamus ullo modo repugnet. Negat hic S. Doctor, Deum, quos eligit, eos ſolis naturæ viribus credituros, prænoſſe: quod quidem Schola etiam Societatis univerſa negat, & tanquam Semipelagianum averſatur, ac reprobat. Et quod hic, & alibi ſæpe S. Doctor affirmat, Deum, non Charitatem tantum, ejuſque opera; ſed fidem quoque in nobis operari; præparareque voluntates noſtras, ut non magis noſtrum ſit quod credimus, quam cætera omnia, quæ, ut oportet, & ſalutariter agimus; id Schola pariter Societatis catholice tenet; & qui aliter eam ſentire dicunt, ac Semipelagianiſmum nobis objiciunt, ii doctrinam noſtram vel non intelligunt, vel calumniantur. Accipe locum ſimilem ex libro de Prædeſtinatione ſanctorum, quo manifeſtius fiat, quid in ea ſententia, quam retulit in primo Retract. loco proxime cit. Auguſtino diſpliceat. *Hæc eſt*, inquit cap. 17. num. 34. *immobilis veritas prædeſtinationis*, *& gratiæ*. *Nam quid eſt*, *quod ait Apoſtolus* (Epheſ. 1. 4.) Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem? *Quod profecto ſi propterea dictum eſt*, *quia præſcivit Deus credituros*

dituros, (ſuis ſcilicet viribus, non ope Gratiæ; ſiquidem ſtatim addit) *non quia facturus fuerat ipſe credentes: contra iſtam præſcientiam loquitur Filius, dicens* (Johan. XV. 16.) Non vos me elegitis, ſed ego vos elegi: *cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi*. Hæc igitur eſt illa præſcientia, contra quam loqui Filium dicit; ea nimirum, quo Deus præviderit eos ſolis naturæ viribus credituros: atque hæc eſt præſcientia Semipelagiana; non vero illa, qua Deus præviderit, eos credituros fore, ſi illos præveniat, atque adjuvet Spiritus Sancti gratia; &, ut ſic credant, eos eligat, donetque ejuſmodi gratia. Quod contra adeo loqui Filium non dicit, ut ſtatim addat: *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit: electi ſunt autem de mundo ea vocatione; qua Deus id quod prædeſtinavit, implevit. Quos enim prædeſtinavit, implevit. Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit: illa ſcilicet vocatione ſecundum propoſitum &c. Elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant*. Lege etiam caput 18. ex quo, & ex aliis, quæ afferemus in confutatione quinti argumenti, hæc omnia magis eniteſcent. Nunc eo ſtabilito, quod Auguſtinus nihil revocaverit ex iis quæ ſcripſit de ſcientia conditionali, niſi quæ fidem, aut aliquod initium ſalutis in natura conſtituunt, ejus Opera, ut in aliis Patribus factum eſt, percurremus, & quæ magis illuſtria videbuntur in iis primo, quæ ſcientiam illam aperte præferunt, aut exſcribemus, aut adnotabimus.

XIII.

Hujus generis eſt quod legitur in tertio de lib. arb. cap. 5. n. 14. *Si bonitatem Conditor præbuit ad eam creaturam condendam, cujus prævidit futura peccata; nullo modo non præberet eam bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non eſſe præſcivit*. Apertiſſimum eſt, hic loqui Auguſtinum de illa præſcientia, quæ decretum condendi tum homines, qui peccarunt, tum Angelos, quorum multi non peccarunt, antecedit. Similiter num. 15. „ Nam neque ab illa creatura, quam „ præſcivit Deus, non ſolum peccaturam, ſed etiam in peccandi voluntate „ manſuram, abſtinuit largitatem bonitatis ſuæ, ut eam non conderet. *Iterum num.* 16. Cur ergo non laudetur „ Deus, & ineffabili prædicatione laudetur, qui cum fecerit eas, quæ in „ legibus eſſent juſtitiæ permanſuræ, fecit etiam alias animas, quas vel peccaturas, vel in peccatis etiam perſeveraturas eſſe prævidebat? „ Rationem autem reddit in ſecundo de Geneſi contra Manich. cur creaturas, quas, ſi conderentur, peccaturas, in peccatoque perſtituras, ſciebat, condidiſſe, bonitatis fuerit: ſic enim cap. 28. nu. 42. Manichæis quærentibus: *Quare fecit Deus hominem, quem peccaturum ſciebat?* reſpondet: *Quia & de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum ſecundum moderamen juſtitiæ ſuæ &c.* Et rurſus, iiſdem inſtantibus: *vel ipſum* (diabolum) *non faceret Deus, ſi eum peccaturum eſſe ſciebat; immo*, ait, *quare non faceret, cum per ſuam juſtitiam, & providentiam multos de malitia diaboli corrigat?* In Epiſtola 102. ad Deogratias quæſt. 2. num. 14. locus inſignis eſt pro ſcientia conditionali, quem ſupra indicavimus: *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri*. Quod ſe dicere monet, *ſine præjudicio aliarum cauſarum, conſiliique divini longe ſecretius latentis*. Certe quinam eſſent credituri, ſi iis promulgaretur Evangelium, præſciiſſe Deum, hic expreſſe docet: neque id eſt quod Auguſtinus ſignificare ſe noluiſſe declarat in lib. de Prædeſt. Sanctorum; ſed quod ab Auguſtino ſignificatum putabant Semipelagiani; præſciſſe Deum, fore qui crederent propriis viribus, & *a ſe fidem haberent*: & quos ſic credituros fore præſcivit, elegiſſe, & ad ſe vocari decreviſſe: ex quo ſequeretur, Deum prædeſtinatione ſua, quæ non fuerat ipſe facturus præſciviſſe; hoc eſt, quæ ex nobis dumtaxat futura erant, ſine præveniente, & adjuvante Spiritus Sancti gratia, quod a recta Fide alienum dicit, & nos etiam catholice confitemur. Per-

Digitized by Google

Pergit igitur in ea quæſtione Auguſtinus. *His enim temporibus, & his locis, quibus Evangelium ejus non eſt prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros eſſe, præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in ejus corporali præſentia fuerunt, qui in eum, nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, cum tanta manifeſtatione* &c. & num. 15. *ab initio generis humani, alias occultius, alias evidentius, ſicut congruere temporibus divinitus viſum eſt, nec prophetari deſtitit &c.* Huc etiam commode revocatur, quod in epiſt. 190. ad Optatum cap. 3. n. 9. *Cur autem creentur etiam illi, quos Creator præſcivit ad damnationem, non ad gratiam pertinere &c.* Item num. 12. *Tam multos autem creando naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere præſcivit &c.* Item quod in epiſt. 194. ad Sixtum cap. 3. n. 12. ubi adeo verba Johan. VI. 65. Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. *Et ne quiſquam*, ait, *exiſtimaret credentes ſic ad ejus præſcientiam pertinere, quomodo non credentes*; quaſi Deus tam credituros a ſe ipſis, propriiſque viribus alios præviderit; quam a ſe ipſis, propriiſque viribus prævidit alios non credituros. Sic enim ipſe ſe explicat: *id eſt*, inquit, *ut non eis fides ipſa deſuper daretur, ſed tantummodo voluntas eorum* ſupernaturalibus auxiliis deſtituta, *prænoſceretur &c.* Deinde cap. 9. Semipelagianos, qui conditionali præſcientia abutebantur, non ſolum quod dicerent fidem conditionaliter prævisſam fore a ſolo, nudoque hominis arbitrio, ſed quod dicerent etiam, opera conditionaliter prævisſa, habere rationem meriti, a Deoque remunerari, & puniri; ita repugnat, ut conditionalem præſcientiam evidenter admittat, eaque ipſa illos coarguat. Sic num. 42. *Si eis ad percipiendum baptiſmatis conſulitur Sacramentum, quos novit Deus ſi viverent bene fuiſſe victuros, cur non omnes tenentur in vita, quam bonis operibus ornaturi ſunt?* Et ne dicatur loqui ex ſenſu adverſariorum, ita inſtar utique ex proprio, & catholico ſenſu, ut liquet ex ſuperioribus: *Cur ipſum primum conjugium peccatorum, quos utique noverat Deus peccaturos, non de paradiſo ante projecit, ne ibi committerent, quod tam ſancto loco eſſet indignum &c. Quid denique præſtatur ei, qui rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, & ne fictio decipiat animam ejus, ſi juſte etiam illa puniuntur, quæ licet non fecerit, fuerat tamen vivendo facturus? Poſtremo cur non ad percipiendum regenerationis lavacrum, ei magis conſulitur morituro, qui male fuerat victurus ſi viveret, ut ei peccata quæ fuerat commiſſurus, remittantur in baptiſmo? Quis enim eſt tam vecors, qui ea neget per baptiſmum poſſe dimitti, quæ ſine baptiſmo dicit poſſe puniri?* In his omnibus illud certum, fixumque habet, ea prævisſa, quæ committenda forent: pugnat autem, ea, ut ſic prævisſa neque ſupplicio, neque præmio digna cenſeri. Quod contendit etiam in epiſt. 217. ad Vitalem cap. 4. n. 5. ſcribit enim: *Sed de hac re, id eſt, cur quidam non permanſuri in fide, & ſanctitate Chriſtiana, tamen accipiant ad tempus hanc gratiam, & dimittantur hic vivere, donec cadant, cum poſſint rapi de hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum, quod de ſancto immatura morte defuncto ſcriptum eſt &c.* Et iterum cap. 6. n. 22. „ Quomodo dicitur propterea quibuſdam non dari, quibuſdam morituris parvulis Dei gratia dari, quia eorum futuras prævidet voluntates, quas habituri eſſent, ſi viverent, cum ſecundum ea, quæ per corpus geſſit, non ſecundum ea, quæ geſturus eſſet, ſi diutius fuiſſet in corpore, unuſquiſque recipiat ſive bonum, ſive malum, ſicut Apoſtolus definit? Quomodo ſecundum voluntates ſuas futuras homines judicantur, quas habituri fuiſse dicuntur, ſi diutius tenerentur in carne, cum dicat Scriptura (Apocal. XIV. 13.) *Felices mortui, qui in Domino moriuntur?* quorum ſine dubio certa, & ſicura felicitas non eſt, ſi & ea, quæ non egerunt, ſed acturi fuerant, ſi eſset eis hæc vita prolixior, judicabit Deus &c. „ Pergit in eandem ſententiam multis; in iiſque conditionalem ſcientiam evidenter retinet; ejus autem abuſum demonſtrat, ac rejicit. Idem in undecimo de Gen. ad lit. idem ferme repetit, quod ſupra etiam vidimus. *Si*

quæ.

Digitized by Google

quæritur, inquit cap. 4. n. 6. *cur Deus tentari permiſerit hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat; altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum &c.* Reddit aliquam rationem ejus permiſſionis, quantum Deus illi *vel donat ſapere, vel ſinit dicere*, ut ipſe loquitur; & tandem ita concludit: „ Cur itaque „ tentari non fineret, quem conſenſu- „ rum eſse præſciebat, cum id factu- „ rus eſset propria voluntate per cul- „ pam, & ordinandus eſset illius æqui- „ tate per pœnam &c. *Et cap. 6. n. 8.* „ Cum ergo etiam per injuſtos, ac per „ impios pii proficiant, fruſtra dicitur, „ Non crearet Deus, quos præſciebat „ malos futuros. Cur enim non crearet, „ quos præſciebat bonis profuturos &c. *Et cap. 8. n. 10.* „ Quis autem ſobria „ conſideratione dicat, Melius non crea- „ ret, quem præſciebat ex alterius ini- „ quitate poſſe corrigi, quam crearet „ etiam quem præſciebat pro ſua ini- „ quitate debere damnari? Hoc eſt „ enim dicere, melius non eſse, qui al- „ terius malo bene utendo miſericordi- „ ter coronaretur, quam eſse etiam ma- „ lum, qui pro ſuo merito juſte punire- „ tur „. Clarius etiam, ſi clarius ea ſcientia exprimi poteſt, & aſseverantius cap. 9. n. 12. *Sed præſciebat, quid eorum factura eſſet*, ſive, ut in MSS. & in nova editione, *quod eorum futura eſſet voluntas mala*. Reſpondet id objicientibus: „ Præſciebat ſane, & quia falli „ non poteſt ejus præſcientia, ideo non „ ipſius, ſed eorum eſt voluntas mala. „ Cur ergo eos creavit, quos tales fu- „ turos eſse præſciebat? Quia ſicut „ prævidit, quod mali eſsent facturi, „ ſic etiam prævidit de malis factis eo- „ rum, quid boni eſset ipſe facturus. *Tum cap. 2. num. 14.* „ Num enim ma- „ litiæ eorum, vel nequitiæ auctor eſt „ &c. Non utique: ſed cum eos vitiis „ propriis malos futuros eſſe præſciret, „ non eos tamen creare deſtitit. *Item num. 15.* „ Magna opera Domini, & „ exquiſita in omnes voluntates ejus: „ prævidet bonos futuros, & creat; „ prævidet malos futuros, & creat &c. Eadem poſtea de diabolo cap. 22. n. 29. „ quod præſciens eum propria voluntate „ malum futurum, fecit eum tamen, „ non abſtinens bonitatem ſuam in præ- „ benda vita, atque ſubſtantia futuræ „ etiam noxiæ voluntati; ſimul prævi- „ dens quanta de illo bona eſſet ſua mi- „ rabili bonitate, ac poteſtate factu- „ rus..... cum ſciret eum ad hoc pro- „ pria voluntate malum futurum, ut „ bonis noceret, creavit eum ad hoc, „ ut de illo bonis ipſe prodeſſet.....& „ mali homines vaſa ejuſdem diaboli, „ & tanquam capitis corpus, quos nihi- „ lominus Deus malos futuros prævi- „ dens, creavit tamen ad utilitatem „ ſanctorum &c. „ Quod autem Auguſtinus hic non loquatur de ſcientia abſoluta, manifeſtum eſt; quia quæ abſoluta eſt, non antecedit decretum condendi quos ea ſcientia peccaturos vidit; nec Deo ſolutum relinquit eos non condere. Jam quod ea ſcientia, de qua loquitur, non innitatur decreto ſubjectivè abſoluto, & terminative conditionato, quod adſtruunt recentes Thomiſtæ, ſi cui non ſatis clarum videtur ex verbis ipſis Auguſtini; ſatis efficaciter quidem probatur ex re, de qua agitur. Cum enim contendat hic Auguſtinus, in Deum angelorum, atque hominum conditorem, ex peccati præſcientia nihil redundare, quod ſummam ipſius ſanctitatem inquinet, aut infuſcet; nequaquam æternum quiddam poſuiſſet, cum peccato connexum, & ipſis inevitabile; aut contra removiſſet, quod ad fugiendum peccatum neceſſarium fuiſſet, nec ab ipſis potuiſſet acquiri: aut ſi id feciſſet, quod neutrum a ſumma Dei ſanctitate exiſtimaſset alienum; cum tamen rationes multæ, eæque, non ſane improbabiles ſint, cur alienum videri utrumque poſſit; eas oppido diſsolvere, ac rem totam melius declarare debuiſset. Sequuntur Quæſtiones in Exodum. Ibi etiam conditionalis hujus præſcientiæ documentum illuſtre eſt; & quam certa ſit, atque evidens, liquido apparet. Sic enim lib. 2. quæſt. 13. *Quæritur, quomodo populo dicatur, quod mandavit Deus ejecturum ſe eos de Ægypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicatur, quod trium dierum iter exire vellent in deſertum immolare Deo ſuo ex mandato ejus.*

Sed

Sed intelligendum eſt, quamvis Deus ſciret quid eſſet facturus, quoniam præſciebat non conſenſurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primo dictum eſſe, quod etiam primitus fieret, ſi ille dimitteret. Ut enim ſic fierent omnia, quemadmodum conſequens ſcriptura teſtatur, Pharaonis contumacia meruit & ſuorum. Neque enim mendaciter Deus jubet, quod ſcit facturum cui jubetur, ut juſtum judicium conſequatur. Hanc ipſam quæſtionem ex ſententia Auguſtini enodat Abulenſis in comment. ad Exod. V. 1. locumque hunc ſancti Doctoris tam clare in rem noſtram ediſſerit, ut magis appoſite a nobis exponi non poſſit. *Licet*, inquit, *Deus intenderet educere populum ſuum de Ægypto, & introducere in terram Chanaan, tamen ſolum petebat a Pharaone per Moyſem, ut permitteret, eum ire ad ſacrificandum, quia ſciebat Deus, quod Pharao dimittere nollet, & ipſe eum acriter puniturus eſſet. Et ut punitio juſtior appareret, petivit Moyſes loco Dei a Pharaone id, quod modicum erat, ſcilicet dimittere populum ire ad ſacrificandum in deſertum, quia non acquieſcens in modico, juſtius puniretur, quam ſi non acquieſceret in magno.* Sed redeamus ad Auguſtinum. Scientiam eandem ſignificat apertiſſime quod ſcribit Ser. 87. de verbis Evang. Matth. 20. cap. 10. nu. 12. *Sciebat*, inquit, *quia, ſi eligeret ſenatorem, diceret ſenator*, *Dignitas mea electa eſt. Si prius eligeret divitem, diceret dives*, *Opulentia mea electa eſt. Si prius eligeret imperatorem, diceret imperator*, *Poteſtas mea electa eſt &c.* Et ne dicas ea probabiliter tantum præcognita Chriſto Domino: accipe quæ in Serm. 100. de verbis Evang. Luc. IX. cap. 1. num. 1. *Quid eſt hoc*, inquit, *quod magiſtro bono Domino Jeſu Chriſto invitanti diſcipulos, quibus daret regnum cœlorum, diſplicuit tam paratus? Sed quia talis magiſter erat, qui futura prævideret, intelligimus, Fratres, iſtum hominem, ſi ſequeretur Chriſtum, ſua quæſiturum fuiſſe, non quæ Jeſu Chriſti.* Lege præterea quæ cap. 2. num. 3. quæ rite intelliges ex iis, quæ paulo fuſius ſcribit in primo de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum quæſt. 2. num. 6. his verbis: *Nemo*, inquit, *eligitur, niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum eſt* (Epheſ. I. 4.) Quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem; *non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientia. Hic autem quod ait*, (Rom. IX. 13.) Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, Quia major ſerviet minori: *non electione meritorum, quæ poſt juſtificationem gratiæ proveniunt, ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Auguſtini ſententia, electio dirigitur præſcientia; non abſoluta; igitur conditionali; non quidem afferente, tanquam conditionem, ſolam, nudamque naturam, ſed *liberalitate donorum Dei inſtructam*. Illud vero longe clarius, doctrinæque noſtræ maxime conſentaneum, quod in eadem quæſtione num. 13. *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur. Verum eſt ergo*, Multi vocati, pauci electi. *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſequuti, quamvis vocati. Item verum eſt*, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: *quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem, ſi quis dicit, Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis: quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. Sic*, inquit, *eum vocat, quomodo ſciet ei congruere &c.* Qua vero ſcientia ſcit? Num ea tantum quæ de poſſibilibus eſt? Hæc una ſatis non eſſet, nec Dei propoſitum, quod ea unice niteretur, fruſtrari non poſſet. Quod enim poſſibile ſit, vocantem non reſpui, non propterea certum eſt, fore, ut non reſpuatur. Num ſcientia illa, quæ de futuris abſolutis? Hæc vero divinæ electioni non prælucet; & tam non eſt abſolute futurum, ut vocans non reſpuatur, antequam ſit abſolute futurum, ut vocet; quam re ipſa non præit vocationem reſponſio. Supereſt igitur, ut id ſciat ſcientia conditionali; eaque ejuſmodi ſit, ut a nobis paulo poſt explicabitur; ne, aut non ſatis certus ſit Deus, quo pacto reſponſurus

rus

Digitized by Google

rus ſit homo , ſi ita vocetur , talique gratia intrinſecus pulſetur, ac roboretur; aut homo ipſe ſit antecedenti aliqua neceſſitate conſtrictus . Lege proximum Enchir. cap. 94. num. 24. & cap. 103. num. 28. & librum de Catechiz. rudib. cap. 18. num. 30. Item lib. 11. de Civit. cap. 17. & 18. & lib. 22. cap. 1. num. 2. Præterea lib. 1. contra Adverſar. Legis , & Proph. cap. 6. nu. 9. cap. 14. num. 21. cap. 16. num. 27. lib. cont. Adimantum cap. 17. num. 6. & lib. 22. cont. Fauſtum . Manich. cap. 14. Placet exſcribere quod in libro primo contra Creſconium grammat. cap. 8. num. 10. *Nunquid* , ait , *cum ſolis diſcipulis , vel turbis , qui in eum crediderunt; an non etiam cum inimicis tentantibus , obtrectantibus , interrogantibus , reſiſtentibus , maledicentibus, habuit de veritate ſermonem? Nunquid eum etiam cum una muliere de quæſtione orationis contra opinionem , vel hæreſim Samaritanorum piguit diſputare ? Sed illam , inquit , credituram eſſe præſciebat . Quid totiens adverſus Judæos , Phariſæos , Sadducæos , non ſolum minime credituros , verum etiam maxime contradicturos , & perſequuturos , coram in os eorum quam multa loquutus eſt ? &c. Quod cum faceret , nullus ex his legitur ad eum ſequendum fuiſſe converſus . Et utique noverat , quia præſcius erat , nihil ſe ad eorum ſalutem , cum hæc ad eos , vel in eos , vel adverſus eos diceret , profuturum .* Quæ , propter eaſdem rationes, quas proxime notavimus, dubium eſſe non poteſt , quin pertineant ad ſcientiam conditionalem : uti etiam quæ in primo contra Gaudentium cap. 25. num. 28. & quæ in ſecundo de peccat. merit. & remiſ. quæ quia contra Pelagianos dicta ſunt , placet referre . Ibi igitur cap. 16. num. 23. prius recitat, quod ipſi objiciebant : *Cur ergo jubet Deus , quod ſcit nullum hominum eſſe facturum ?* ut ſcilicet ſine omni prorſus peccato ſint . Et mox eos ita redarguit: *Hoc modo etiam dici poteſt , cur primis illis hominibus juſſerit , qui duo ſoli erant , quod ſciebat eos non eſſe facturos ?* Et paucis interjectis : *Hoc enim non niſi ſolis illis Deus juſſit : quia ſicut ſciebat, quid juſtitiæ facturi non erant , ita etiam ſciebat , quid juſtitiæ de illis erat ipſe facturus .* Similiter de diabolo in ſecundo de Nupt. & Concupiſ. cap. 16. num. 31. *Nec eum propterea creare noluit Deus , quia malum futurum eſſe præſcivit &c.* Et in primo de Anim. & ejus origine cap. 12. num. 15. *Hoc enim reſpondit , cum tractaret quæſtionem adverſus eos , qui dicunt , Cur Deus hominem faciebat , quem , utpote præſcius , ſciebat futurum non bonum ? Non natum enim judicaret , ſi propterea creare noluiſſet , quia non bonum futurum eſſe præſciſſet . Et utique , ſicut & huic viſum eſt , de perfectis ejus operibus debuiſſet hominem judicare , non de præcognitis , nec fieri aliquando permiſſis . Nam ſi peccata , quæ ſi homo viveret commiſſurus eſſet , etiam non commiſſa damnantur in mortuo , nullum beneficium collatum eſt illi , qui raptus eſt , ne malitia mutaret intellectum ejus : quandoquidem judicabitur ſecundum eam , quæ in illo fuerat futura , malitiam ; non ſecundum eam , quæ in illo inventa eſt , innocentiam : & de nullo mortuo baptizato poterit eſſe ſecuritas &c.* In his omnibus , ut ſupra etiam diximus , præſcientiam retinet; ejus abuſum damnat . Nam quod ipſum præſcientiæ nomen improbare videtur ; negatque , *recte dici præſciri futurum , quod non eſt futurum*, nobis non adverſatur , qui rem aſſerimus , de nomine non laboramus . Quod ſi inſtes , rem ipſam non ſatis hic probari Auguſtino, cum dicit : *Quid quod ipſa exinanitur omnino præſcientia , ſi quod præſcitur non erit &c.* hoc etiam nobis nihil officere , ajo ; ſed contra Semipelagianos eſſe dictum , qui ſecum pugnantes , cum præſcientiam illam verbo tenus conditionalem facerent , re tamen & uſu tanquam plane abſolutam habebant contra quos cum illud facit , quod non de futuris , ſed de jam perfectis operibus judicantur homines ; tum etiam illud , quod quæ futura eſſent , certa conditione poſita , quæ nunquam ponetur , re vera futura non ſunt : ut etiamſi ex certa peccati aliquando futuri notitia , non ſolum decerni , ſed etiam infligi pœna poſſet ; multari tamen non poſſent homines propter ea quæ commiſſuri eſſent , ſi diutius viverent . Sed hæc infra reputabimus in Confutatione . Idem Auguſtinus in tertio, cap. 10. n. 13. Victorem ſic urget : *& prædeſtina-*

ſtinaret Deus quod futurum non fuiſſe præſcivit, aut hoc futurum non fuiſſe neſcivit, ut ejus aut prædeſtinatio fruſtraretur, aut præſcientia falleretur? Et lib. 2. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. 7. n. 16. *Quomodo enim præſcivit, ea futura, quæ, illis in infantia morituris, quia præſcientia ejus falli non poteſt, præſcivit potius non futura?* Hic etiam intellige negari ſcientiæ conditionali vim illam, quam ipſi tribuebant Semipelagiani, ut tanquam vere, & proprie futurum haberetur, quod, quia futurum eſſet, ſub certa dumtaxat conditione, quæ nunquam exiſtet, ſimpliciter, atque abſolute non eſt futurum. Cæterum ſcientiam conditionalem evidenter etiam tradit in ſexto cont. Julian. cap. 9. n. 25. his verbis: „ eos quos novit, non ad tempus ſub diabolo futuros, ſed cum illo ſemper arſuros, non deſinit creare, nutrire, veſtire, eiſque pertinaciſſima iniquitate peccantibus vitam, ſalutemque ſubminiſtrare. Sed facit hoc Deus quomodo ſciens bene uti, & bonis, & malis; &c. *Item in libro de grat. & lib. arb. cap.* 23. *n.* 45. Ad occulta Dei judicia revocate, quando videritis, illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præſcivit Deus impium futurum; iſtum vero baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectum ejus &c. & quod huic ſimile eſt, *in lib. de Corrept. & Grat. cap.* 7. *n.* 13. Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto; non quomodo electus eſt Judas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus eſt, qui novit bene uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile &c. & *num.* 16. Qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic a fide Chriſtiana, & converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; procul dubio nec illo tempore, quo bene, pieque vivunt, in iſtorum numero computandi ſunt. Non enim ſunt a maſſa illa perditionis præſcientia Dei, & prædeſtinatione diſcreti; & ideo nec ſecundum propoſitum vocati; ac per hoc nec electi &c. Et ſic etiam *cap.* 9. *num.* 20. &c. Sed clarius cap. 8. n. 19. Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cum fideliter, & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio &c. Utrum hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſcivit? Nempe nihil horum niſi perverſiſſime, atque inſaniſſime dicitur: *cap.* 10. *n.* 27. ſaluberrime confitemur; quod rectiſſime credimus, Deum, Dominumque rerum omnium, quia creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala eſſe non ſinere; „ de ſcientia loquitur conditionali, quæ una cum ſcientia ſuæ omnipotentiſſimæ bonitatis Deo præluxit ſancienti bona, ac permittenti mala. Lege integrum caput. In libro autem de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 9. ad examen revocans quæ contra Porphyrium ſcripſerat Epiſtol. 102. queſt. 2. n. 14. pro conditionali ſcientia, ut a nobis defenditur, clariſſime dicit num. 18. *Cernitiſne, me ſine præjudicio latentis conſilii Dei aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quam præciſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato ſibi Chriſto a ſe ipſis habituri eſſent fidem an Deo donante &c. quærere, atque diſſerere tunc neceſſarium non putavi.* Deinde toto capite 12. & 13. de conditionali præſcientia diſſerens, alterum quod in ea peccabant Semipelagiani, ut futura, quæ re vera futura non ſunt, inſtar, & vim meriti habere docerent; ratione, & auctoritate refellit; cætera retinet. Ad ea quæ ſubjungit cap. 14. n. 26. aliqua paulo ante, plura vero dicemus in Confutationibus. Cæterum concludit ibi Auguſtinus num. 29. *Si judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, ſed habituri eſſent, ſi viverent; nihil prodeſſet eis, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus nihil prodeſſet eis, qui lapſi moriuntur, ſi ante morerentur: quod nullus dicere Chriſtianus audebit.* Ibi pariter ſcientiam conditionalem manifeſte docet: lib. de Dono Perſev. cap. 9. n. 22. *Ut enim non dicam, quam*

quam ſit poſſibile Deo, averſas, & adverſas in fidem ſuam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adverſitatibus cedant, nec ab illo aliqua ſuperati tentatione diſcedant; cum poſſit & quod ait Apoſtolus (1. Cor. X. 13.) *facere, ut non eos permittat tentari ſuper id quod poſſunt: ut ergo id non dicam, certe poterat illos Deus præſciens eſſe lapſuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Utrumque regitur ſcientia conditionali, & quantum eos permittat tentari, & quantum eos vivere velit. Luculentiſſimum illud, quod paulo poſt, & n. 23. *Si judicari poterant homines, etiam non audito Evangelio, ſecundum contumaciam, vel obedientiam, quam præſcivit Deus habituros fuiſſe, ſi audiſſent; nec damnarentur Tyrus, & Sidon, quamvis remiſſius quam illæ civitates, in quibus non credentibus a Domino Chriſto mirabilia ſigna ſunt facta: quoniam ſi apud illos facta eſſent, in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent; ſicut ſe habent eloquia veritatis &c.* En ut futura etiam iſta, quæ futura non ſunt, non incognita Deo ſint, Auguſtini ſententia, ſiquidem ea teſtata eſſe dicit in divinis eloquiis. Pergit autem omnino ad rem noſtram: „ Si enim quæratur a nobis, „ cur apud eos tanta miracula facta ſint, „ qui videntes ea non fuerant credituri; „ & apud eos facta non ſint, qui cre- „ derent, ſi viderent; quid reſpondebi- „ mus? Nunquid dicturi ſumus, quod „ in libro illo dixi, ubi ſex quibuſ- „ dam quæſtionibus Paganorum, ſine „ præjudicio tamen aliarum cauſarum, „ quas prudentes poſſunt veſtigare, reſ- „ pondi? Hoc quippe, ut ſcitis, cum „ Chriſtus quare poſt tam longa tempo- „ ra venerit, quæreretur, dixi (Epiſt. „ 102. quæſt. 2. n. 14.) quod his tempori- „ bus, & his locis, quibus Evangelium „ ejus non eſt prædicatum, tales omnes in „ ejus prædicatione futuros eſſe præſciebat, „ quales multi in ejus corporali præſentia „ fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo „ mortuis credere voluerunt. *Item paulo* „ *poſt in eodem libro, atque in eadem quæſtio-* „ *ne*: Quid mirum, inquam, ſi tam infi- „ delibus plenum orbem terrarum Chriſtus „ prioribus ſæculis noverat, ut eis prædi- „ cari merito nollet, quos nec verbis, nec „ miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat? Hæc certe de Tyro, & Sidone non poſſumus dicere &c. Nota quid ſit, quod dici non poſſit de Tyro, & Sidone, non quod Deus neſciret, quid eſſent facturi, ſi apud eos prædicaretur Evangelium, ac miracula fierent; ſed quod Deus prædicari apud eos Evangelium noluerit, quod eos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros præſciret. *Cum eis*, ut dicere pergit Auguſtinus, *ipſe Dominus atteſtetur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum. Porro ſi etiam ſecundum facta, quæ facturi eſſent, ſi viverent, mortui judicantur; profecto quia fideles futuri erant iſti, ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet Evangelium prædicatum, non ſunt utique puniendi: punientur autem: falſum eſt igitur* (non quod Deus præſciat, ſeu ſciat, quid quiſque facturus conditionaliter ſit, ſed) *& ſecundum ea mortuos judicari, quæ facturi eſſent, ſi ad viventes Evangelium perveniret. Et ſi hoc falſum eſt, non eſt cur dicatur de infantibus, qui pereunt ſine baptiſmate morientes, hoc in eis merito fieri, quia præſcivit eos Deus, ſi viverent, prædicatumque illis fuiſſet Evangelium, infideliter audituros .... Quoniam nullus mortuus judicatur ex bonis, ſeu malis, quæ fuerat, ſi non moreretur, acturus: alioquin Tyrii, & Sidonii non ſecundum ea, quæ geſſerunt pœnas luerent; ſed potius ſecundum ea quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam, & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem.* Ejuſdem roboris eſt quod ſtatim adtexit cap. 10. n. 24 ſed quia eorum quæ modo attulimus perſimile eſt, illud ſatis eſt indicaſſe. Prætereri non debet quod cap. 11. num. 25. in hæc verba: *Proinde ſicut Apoſtolus ait* (Rom. IX. 16.) Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: *qui & parvulis, quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus ſubvenit, quos ante conſtitutionem mundi elegit in Chriſto, daturus eis gratiam gratis, hoc eſt, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: & majoribus etiam his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit; de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem,*

Digitized by Google

ctem, ſed juſte aliud judicavit. Adeo non negat, noſſe Deum futura iſtiuſmodi, quæ futura non ſunt, ſed eſſent; ut id hic ultro ſtatuat, & propugnet. Lege numerum integrum hunc. Sic cap. 12. num. 31. *Hoc autem ſi non dicatur, de mortuorum ſcilicet operibus, quæ facturi fuerant, ſi viverent, bonis, aut malis, ac per hoc nullis, & in ipſa Dei præſcientia non futuris*. Non quod de iis etiam non ſit ſcientia in Deo; ſed quia ea ſcientia eſt, quam Deus ſcit, ea nunquam futura eſſe, quoniam futura ſolum eſſent, ſi poneretur conditio aliqua, quæ nunquam ponetur. Nunc aliqua etiam ex Opere imperfecto contra Julianum, quæ ſuperiora confirment. Hæc lib. 1. num. 48. *Ut quid creat, quos impios futuros, & damnandos eſſe præſcivit? Ut quid eos poſtremo, donec ad impietatem damnabilem perveniant, facit vivere, quos ante quam tales, ex hac vita poſſet auferre &c.* Et numer. 93. *Abſit, ut impediantur ab homine omnipotentis, & cuncta præſcientis intentio*. De intentione loquitur, quæ quia a præſcientia dirigitur, fruſtrari non poteſt: quocirca de ſcientia loquitur conditionali. Clarius num. 119. *Hæc eſt de præſcientia Dei dici poteſt ..... Aut negare Deum præſcium multos ſe damnaturum eſſe quos creat, ne videatur creare quos damnet: & quod eſt mirabilius, & inſcrutabilius, multos, ne malitia mutet eorum intellectum, de hac vita non rapere* (ſeu, *rapere*, ſine particula negante, ut habent aliæ editiones) *quos malos futuros non poteſt ignorare*. Item num. 130. *Non abſtinet Deus bonum formationis ſuæ etiam ab ſtirpe damnata: ſed ſi tibi diſplicet, Deum creare quos damnet; contradic ei, ſi potes, ne creet eos, quos malos futuros, & in malignitate uſque in finem perſeveraturos: & ob hoc ſine dubitatione damnandos eſſe præſcivit: aut ei ſuggere, ſi videtur, ut tot millia parvulorum non baptizatorum, quos novit perdite eſſe victuros, & in æternum ignem, damnante ipſo, cum diabolo ituros, rapiat ex hac vita, dum ſunt innocentes, & boni &c. Habes adhuc quod ſuggeras conſiliarius Dei, pro filiis ejus, quos regeneravit, quos adoptavit, & tamen malos, atque damnandos futuros eſſe prævidit; ut, antequam veniant in regni vitam, vitæ ipſius productione priventur, & ad regnum ejus, non ad ſupplicia æterna pertinent*. In ſecundo autem Libro num. 142. *Poſſet autem omnipotens non creare, quos omnium rerum præſcius malos futuros ignorare non poſſet, niſi uti etiam malis pluribus optime optimus poſſet*. Lib. 4. num. 131. *Quare Deus, cum ſit præſcius omnium futurorum, tempus, & locum per quem poſſit mutari malitia, dederit etiam eis, de quibus dictum erat*, quod eorum cogitatio non poterat mutari in perpetuum, *ſatis oſtendit, ubi ait*: Bonæ ſpei feciſti filios tuos. (Sapient. XII. 19.) quoniam judicans das in peccatis locum pœnitentiæ. *Ad hoc ergo datur tempus, & locus pœnitentiæ etiam filiis iræ deditis mortis, & pœnitentiam non acturis, quia ſunt inter illos, vel exorturi ſunt de illis filii miſericordiæ, quibus hoc proſit, quod illis non profuit*. Horum omnium ſcientia conditionalis præmonſtratrix, directrixque eſt providentiæ cuncta ordinantis, alia quidem ſanciendo, alia vero permittendo. Sic pariter lib 5. num. 64. „ Quid igitur te adjuvat, quod „ eos mihi objeciſti, quos expectat Dei „ patientia per pœnitentiam corrigen„ dos, & ideo ſuper eos oriri ſolem „ ſuum facit, & pluit: cum ego tibi „ hædos ſiniſtræ partis objecerim, quos „ uſque in finem ſine pœnitentia victu„ ros in impietate, & ſceleribus ſuis, „ ac per hoc æterno ſupplicio punien„ dos, ignorare non poteſt præſcius om„ nium futurorum? Nec ab eis abſti„ net bonum creationis ſuæ, quibus „ nec naſci expediret &c. Quid deinde „ illud eſt, quod in his ſiniſtræ partis „ hædis, in Dei præſcientia, quæ falli „ non poteſt, igni perpetuo deſtinatis, „ multi ſunt, qui lavacro regeneratio„ nis abluti, poſtea vel apoſtaſia pe„ reunt, vel tam facinoroſe, flagitio„ ſeque vivunt, ut eidem ſiniſtræ ſine „ dubio deputentur; nec rapiuntur; ſi„ cut quidam, ne malitia mutet intel„ lectum eorum. Hic etiam prælucet conditionalis ſcientia directrix. Quod ſi ea ſcientia non diſerte exprimitur, non minus certo tamen ſignificatur.

XIV.

XIV.

Atque hæc poſtrema ex iis locis ſunt ex quibus ea ſcientia, niſi ultro ſe prodit, facile tamen elicitur. Nam ſi verum eſt quod ait Montoya diſput. 66. Sect. 5. n. 1. Dubitari non poſſe, quin Auguſtinus prædeſtinationem, electionemque hominum ante abſolutam præſcientiam poſuerit; ubicunque prædeſtinationis, & electionis, immo univerſe eorum, quæ eſt ipſe facturus, donaturuſve homini præſcientiam, quaſi rectricem, gubernatricemque facit, diviniſque ſanctionibus, ac permiſſionibus prælucere vult; conſequens eſt, ut ibi præſcientiam conditionalem intelligi velit. Sic in Sermone 100. de verbis Evangelii Lucæ 9. cap. 2. n. 3. *In hoc*, inquit, *capitulo dicimus*, *quoniam quos voluit Dominus*, *hos elegit*. *Elegit autem*, *ſicut Apoſtolus*, *& ſecundum ſuam gratiam*, *& ſecundum illorum juſtitiam*: utique non abſolute, ſed conditionaliter prævisam; nec ut volebant Semipelagiani, ſed ut defendit Societas. Lege hujus Sermonis initium, quod ſupra citavimus. Sic pariter in ſecunda quæſtione Lib. 1. ad Simplic. num. 6. *Nemo enim eligitur*, *niſi jam diſtans ab illo*, *qui rejicitur*. *Unde quod dictum eſt*, *quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem*; *non video*, *quomodo ſit dictum*, *niſi præſcientia*. Sic tandem in Libro de Dono Perſev. cap. 17. n. 42. *An forte nec ipſa dicuntur prædeſtinata? Ergo nec dantur a Deo*, *aut ea ſe daturum eſſe neſcivit*. *Quod ſi dantur*, *& ea ſe daturum eſſe præſcivit*, *profecto prædeſtinavit*. In his omnibus, & aliis pluribus ſimilibus, quæ in eo Libro leguntur prædeſtinatio per præſcientiam dirigitur, non quidem eorum, quæ facturi eſſent homines a ſe ipſo, ſed adjutorio Dei. Quod autem ita intelligendus ſit Auguſtinus, viſum eſt Societatis Theologis aperte colligi etiam ex Auguſtini diſcipulis, aliiſque, qui ejus Doctrinæ ſtudioſiores fuerunt. In Sexto Hypognoſticon contra Pelagianos, & Cœleſtianos hæc ſunt cap. 2. *Prædeſtinatio quippe a prævidendo*, *& præveniendo*, *vel præordinando futurum aliquid dicitur*: *& ideo Deus*, *cui præſcientia non accidens eſt*, *ſed eſſentia fuit ſemper*, *& eſt*, *quidquid antequam ſit præſcit*, *prædeſtinat*; *& propterea prædeſtinat*, *quia*, *quale futurum ſit*, *præſcit*. *Ideo & Apoſtolus*, *Nam quos præſcivit*, inquit, *& prædeſtinavit*. *Sed non omne quod præſcit*, *prædeſtinat*. *Mala enim tantum præſcit*, *bona vero & præſcit & prædeſtinat*. In quibus utique venit ſcientia conditionalis electioni prælucens. Qua niti electionem, prædeſtinationemque, ne fruſtrari poſſint, certiſſimeque liberentur, quicunqae liberantur; docere videtur Scriptor etiam Librorum de Vocatione Gentium Lib. 2. qui, præter ea, quæ de Caino tradit Cap. 13. ad rem præſentem ſcribit cap. 29. his verbis: „Qui ſicut præſcivit ante ſæcula, quanta totius Mundi hominum multitudo, vel communibus uſa donis, vel ſpecialibus adjuta præſidiis, declinans tamen ab itinere veritatis, & vitæ ingreſſura eſſet latitudinem erroris, & mortis; ita ſemper præcognitum habuit, quantum piorum numerus per opem gratiæ, & per ſervitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: ut nullo excidente de plenitudine promiſſorum, qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus, quos elegit ex omnibus. *Item Libri ejuſdem cap. 33. ubi*. Omnes, *inquit*, varietatum compugnantiæ, & univerſæ diſſimilium eventuum cauſæ, quas inveſtigare, & diſcernere non valemus, in illa æterna ſcientia ſimul notæ, ſimulque divinæ ſunt. De plenitudine quippe membrorum Corporis Chriſti, præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, nihil perdit, & nullo detrimento minui poteſt ſumma præcognita, atque in Chriſto ante ſæcula æterna prælecta. Clarius Proſper, qui in Epiſtola ad Auguſtinum, cum perſuaſum haberet, communem eam fuiſſe vetuſtiorum Patrum ſententiam, præſcientiam aliquam prædeſtinationi præire, non hoc refelli poſtulat ab Auguſtino, ſed quæ illi pæſcientiæ ſuperaddebant Maſſilienſes quorum opinionibus expoſitis, ſic tandem ſcribit num. 8. *Quæſumus*, *patien-*

tienter inſipientiam noſtram ferendo, demonſtres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur, & una ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio in qua futurus eſſet voluntate, & actione præſcierit. Idem colligitur ex reſponſione ad 3. cap. Gallorum: ait enim: *Quod ergo hujuſmodi in hæc prolapſi mala, ſine correctione pænitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri voluntaria prævaricatione præſciti ſunt*. Conditionalis ſcientia eſt, ſi prædeſtinationi præit. Similiter ad cap. 7. *Gratia Dei non prius eos deſeruit, quam ab eis deſereretur. Et quia hoc ipſo voluntaria facturos defectione prævideo, ideo in prædeſtinationis electione illos non habuit*. Ad cap 12. ſimiliter: *Vires obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinavit: ſed quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe prævidit, ideo eum non prædeſtinavit*. In eandem ſententiam ad obiect. 12. Vincent. *Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: &, quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate, ac veritate manſuri. Ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini eſt cauſa labendi*. In Reſponſione autem ad 8. Gallorum excerptum, quid primum peccarent Semipelagiani in conditionali præſcientia diſertiſſime exponit: *In hac*, inquit, *ſententia poſiti, conſequenter ſapiunt, eos eſſe prædeſtinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præſcierit Deus; ut ipſa electorum prædeſtinatio non ſit, niſi retributio: atque ita in his, qui prædeſtinati ſunt, ſecundum propoſitum e us qui univerſa operatur, non operetur Deus fidem*. Sic autem præſcientiam illam corrigit §. 2. *Agnoſcamus itaque ſapienter, pieque fateamur, præſciſſe incommutabiliter Deum, quibus eſſet daturus, ut crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam: &, ſi hæc præſcivit, beneficia ſua illum, quibus non dignatur liberare, præſciſſe: & hanc eſſe prædeſtinationem ſanctorum, præſcientiam ſcilicet, & præparationem gratiæ Dei, qua certiſſime liberantur &c*. Et ne quis exiſtimet eum loqui tantum de ſcientia abſoluta, audiamus, quid de Tyriis, & Sidoniis in ſequenti paragrapho. „ De Tyriis,
„ *inquit*, & Sydoniis quid aliud poſſu-
„ mus dicere, quam non eſſe eis da-
„ tum, ut crederent, quos etiam cre-
„ dituros fuiſſe ipſa Veritas dicit, ſi
„ talia, qualia apud non credentes fa-
„ cta ſunt, virtutum ſigna vidiſſent?
„ Quare autem hoc eis negatum fue-
„ rint, dicant, ſi poſſunt, qui calu-
„ mniantur: & oſtendant, cur apud
„ eos Dominus mirabilia, quibus pro-
„ futura non erant, fecerit, & apud
„ eos, quibus non erant profutura,
„ non fecerit. Nos etiam ſi rationem
„ facti, & profunditatem judicii ejus
„ penetrare non poſſumus, manifeſtiſſi-
„ me tamen ſcimus, & verum eſſe
„ quod dixit, & juſtum eſſe quod fecit.
Eadem Semipelagianos peccare in ſcientia conditionali in ſua Epiſtola ad Auguſtinum ſignificat Hilarius: legatur num. 4.

XV.

Nunc inſtituto temporum ordine pergimus. Auguſtini æqualis Gaudentius Brixienſ. allato Matthæi, & Lucæ loco, in quo Chriſtus Dominus affirmat Tyrios, Sidonioſque pœnitentiam acturos fuiſſe, ſi ejus miracula vidiſſent, ait: *Præſcientia Dei non fallitur, ſed nec conceſſa ſemel homini libertas aufertur*. Tum alia adjungit ejuſdem generis. Cyrillus Alex. Lib. 9. in Johan. cap. 10. *Dubitare poteſt aliquis*, inquit, *& nobis objiciet dicens, ſi omnia ſcire Chriſtum credimus, cur Judam elegit, & cur aliis immiſcuit diſcipulis, cum non ignoraret, proditorem fore, & avaritiæ laqueis implicitum iri?* Tum addit, de aliis plurimis Dei operibus eandem quæſtionem moveri poſſe: *Cur Deus Saulem elegit, & in Regem unxit ſuper Iſrael, quem gratiam omnino ſpreturum ſciebat? Cur primum hominem formavit de terra, qui omnia novit? Nec enim ignorabat, caſurum illum,*

Digitized by Google

illum , ſpreto , quod acceperat , mandato . Cur angelorum condidit naturam , cum non ignoraret , ut Deus , futuram aliquorum defectionem . Ad hæc autem reſpondet , Deum quidem bona facere , liberæ autem hominum ; & angelorum facultati ſolutum relinquere, utrum bonum tenere , an ad malum declinare , & deficere malit . Concludit porro : *Nihil ergo in eum poſſumus dicere , qui probum elegit : qui ſi voluiſſet , non cecidiſſet , qui poterat totam mentem , & animum ſuum in charitatem Chriſti collocare* . Similia invenies Lib. 4. cap. 30. Item Lib. 1. Glaph. in Geneſ. *Quæret aliquis* , inquit , *cur homo creatus ſit , qui in tantam calamitatem erat venturus ? qui fieri poteſt , ut non ei ſatius eſſet nunquam in lucem prodiiſſe ? Splendidum vero adeo, atque admirabilem conſtituit eum , qui haud multo poſt eſſet futurus miſerabilis , execrationique , & pœnæ obnoxius . Atqui nequaquam ignarus erat futurorum Deus , natura exiſtens Creator . Cum vero prudens , ac ſciens operatus fuerit , quo pacto non nocuiſſe potius , quam juviſſe deprehendetur ?* Hic Cyrillus præſcientiam amplectitur , tueturque : quæſtionem aut ita ſolvit , ut dicat , Deum mala eſſe permittere , ut majus inde bonum eliciat . Sic aliquanto poſt : *Num igitur* , inquit , *quoniam ſtatum ſuum neglecturus erat ſatan , ſponteque ductus , ut Deum offenderet ; creatorem omnium oporteret divinos angelos nequaquam producere , tamque ſplendidam . admirabilemque ſpernere creaturam ?* Et infra : *Quo homo corruptioni ſubjiceretur , creator omnium minime ignoravit . Immo vero id certo ſciebat , & quo pacto peccatum ſolveret &c.* Conditionali pariter ſcientiæ militant , quæ diſputat contra Julianum lib. 3. ab initio ad medium . Item quæ toto cap. 8. libri 5. theſaur. Idem ſcientiam illam prælucere electioni , docet in Comment. ſuper duodecim Proph. minor. Sic enim Malachiæ I. ſub initium . „ Non eſt , *inquit* , injuſtus Deus , nec iniquam , aut ancipitem , ſeu variabilem fert ſententiam in unumquemque mortalem , ſed cum tanquam Deus amborum futuras actiones , & utriuſque mores prænoſſet , meliorem , & ſanctiorem complexus eſt ; ut exempli cauſa , etiam beatum Hieremiam , priuſquam eum formaret in utero , noviſſe ſe dicit , & ſanctificaſſe , antequam de vulva exiret . Sciebat utique , ſciebat eum prophetam futurum , & ad futura prænuntianda legatum idoneum „ . Idem prorſus docet Theodoretus , quod enim eſt Roman. VIII. 30. „ Quos autem prædeſtinavit &c. *ſic exponit* : Quorum propoſitum præſcivit , eos ab initio prædeſtinavit ; prædeſtinatos autem , ac præfinitos etiam vocavit . *Et paulo poſt* . Cæterum nemo præſcientiam horum cauſam eſſe dicat : non enim præſcientia eos tales effecit ; ſed Deus , ut Deus , quæ futura erant procul proſpexit . Neque enim ſi ferocem equum videns frænum mordentem , & ſeſſorem minime tolerantem , dixerim , eum præcipitio appropinquantem caſurum ; deinde id quod dixi evenerit ; ego equum injeci in præcipitium , ſed quod futurum erat prædixi , ex equi ferocia conjecturam faciens . Deus autem univerſorum omnia (*non conjectando , argumentandove , ſed*) procul videt , ut Deus . Similiter quod eſt in Epiſtola eundem IX. 11. „ Cum nondum nati fuiſſent &c. *exponit ſic :* Sed tamen hic quidem Deo charus , ille vero fuit indignus , cujus Deus curam gereret . Et non expectavit Deus experientiam , ſed dum adhuc utero gererentur , eorum differentiam prædixit . Prædixit autem , cum eorum propoſitum præſciviſſet (præſciviſſet autem ſcientia electionem præeunte , ſtatim enim ſubjungit *:)* „ Non enim eſt injuſta electio , ſed quæ hominum propoſito convenit . Item , quod in Epiſt. ad Epheſ. I. 4. „ Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem &c. *ſcribit enim* . Ab initio ante conſtitutionem mundi ea , quæ ad nos pertinebant , præſcivit , & prædefinivit . Docet autem etiam quanam de cauſa elegerit , ut eſſemus ſancti , & immaculati in conſpectu ejus &c. „ Alibi Theodoretus eaſdem quæſtiones movet , quas proxime Cyrillus , & quas alii Patres antiquiores . Quæſt. 24. in Gen. „ Qua de cauſa , *inquit* , Deus plantavit paradiſum , mox expulſurus

„ in-

„ inde Adam propter peccatum? In primis Deus non ſolet condemnare ex „ præſcientia: Si de conditionali ſcientia loquitur, parum eſt quod dicit, Deus non ſolet; & tamen de illa loqui videtur, ſtatim enim ſubjungit:) „ quapropter tranſgreſſionem Adæ prævidens, „ bona illi conceſſit: „ paradiſum ſcilicet, & arborem ſcientiæ boni & mali, ſine qua peccatum illud non fuiſset commiſsum. *Idem Quæſt.* 35. Quare, inquit; Deus ſerpentem creavit, cum „ prænoſset illum futurum organum nequitiæ? *Quibus ita reſpondet*: hoc ipſum & de homine quiſpiam dicere poſſit. Præviderat enim Deus, quod ille „ præceptum tranſgreſsurus eſset &c. *Item Quæſt.* 36. Cur Deus creavit „ Diabolum, cum ſciret illum talem „ futurum &c. *Et Quæſt.* 37. Deus, inquit, quæ nondum facta ſunt, perinde novit, ac ſi jam facta eſsent. „ Quapropter prævidens, & præſcius ipſum Adamum mortalem futurum ob „ violatum mandatum, talem ejus naturam jam ante compoſuit, & in maſculeum, & fæmineum corpus formavit. „ Melius Quæſt. 50. ubi illud Gen. VI. 7. „ Pœnitet enim me feciſse „ eos &c. *ſic explicat*: „ Non, ut quidam ferunt, ira quadam, & pœnitentia ductus Deus hæc egit: Hæ „ ſunt enim humanæ paſſiones, a quibus natura divina prorſus eſt libera: „ maxime cum pœnitentia conveniat „ eis, qui periculo facto, rerum conditionem didicerunt. Ignorantes enim „ quod futurum eſt, antea conſultant, „ tum periculo facto, diſcentes, quod „ non bene deliberaverint, pœnitentia „ ducuntur, Deus autem perinde videt „ ea, quæ poſt multas generationes futura ſunt, ac ſi jam eveniſſent. Hinc „ fit, ut tanquam prævidens, & præſcius omnia diſpenſet. Quomodo ergo „ pœnitentia cadat in eum, qui ſua „ præſcientia regit univerſa? Quare pœnitentia Dei nihil aliud eſt, quam mutatio diſpenſationis ejus „. Si ut eſt primus loci hujus aſpectus, de illo æſtimes, dices, Theodoretum loqui de præſcientia abſoluta: ſecus autem, ſi conſideres, ſcientiam, quæ ratio eſt non pœnitendi, nec revocandi decretum, eſſe non poſſe, niſi quæ decreto ipſi præeat. Conditionalem ſcientiam non ſolum ſignificat, ſed etiam præſefert quod ſcribit ad illud Ezechiel. III. 5. & 6. *Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris &c. &, ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te*. Eſt autem hujuſmodi: *Per hæc autem oſtendit gentium obedientiam, & ipſius Iſrael contumaciam, & interpretatus eſt etiam illud*, Si forte audiant (II. 5.) *aperte docens non ignorare ſe, ſed optime noſſe ipſorum* (Iſraelitarum) *pervicaciam*; *ſimulque ſignificat, eam a voluntate, non a natura profectam*. *Domus enim Iſrael*, inquit, *nolunt audire te, quia nolunt audire me: hoc eſt, ne ægre tuleris, cum tibi non obediunt; mihi enim reſiſtentes, verbis a te prolatis repugnant. Cauſa vero cur repugnent, a voluntate contentionum ſtudioſa, & corde averſandi cupido, & mentis temeritate proficiſcitur*.

XVI.

Sedulius exciderat, Auguſtini temporibus ſuppar, qui præſcientiæ electioni præeuntis pariter meminit. Sic enim in illud Epiſt. ad Roman. VIII. 28. *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ſcriptum reliquit: *Quos præſcivit futuros devotos ſibi, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda*. Et paulo poſt: *Quos præſcivit credituros, hos vocavit: vocatio enim volentes colligit*. Et iterum: *Quos præſcivit de gentibus credituros, elegit, & ex Iſrael rejecit incredulos*. Idem ſcribit Fulgentius ab Auguſtino ætate quidem remotior, doctrina vero conjunctiſſimus. Sic autem in primo de duplici Prædeſtin. ad Monimum cap. 24. *Deus itaque omnia hominum opera, ſive bona, ſeu mala præſcivit, quia eum latere nihil potuit, ſed ſola bona prædeſtinavit, quæ ſe in filiis gratiæ facturum eſſe præſcivit: mala vero futura opera illorum, quos non prædeſtinavit ad regnum, ſed ad interitum præſcivit potentiſſima deitate, & ordinavit provida bonitate: & quia præſcius fuit, quod eadem mala, non ſolum ipſe facturus non eſſet, ſed nec homo in quantum ei humiliter adhæſiſſet, in eo nobis inſuperabilem potentiam præſcientiæ ſuæ magis oſtendit, quia nec in malis prædeſti-*

Digitized by Google

deſtinationem juſtitiæ ſuæ vacare permiſit. Oſtenſurus itaque Deus, quid reddendum præſciverit, & quid donandum; prædeſtinavit illos ad ſupplicium, quos a ſe præſcivit voluntatis malæ vitio diſceſſuros, & prædeſtinavit ad regnum, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio, eſſe manſuros. Quod ſupra diximus num. 14. ad plura Auguſtini loca, ejuſque diſcipulorum, hic confirmamus, iſtiuſmodi Patrum dictis præſcientiam utranque ſignificari, conditionalem electioni præeuntem, & abſolutam, quæ ſi de iis eſt, quæ in filiis gratiæ eſt ipſe facturus, fortaſſe ne cogitatione quidem ea ab electione diſtinguitur. Lege pariter caput primum libri ſecundi. Loca vero, quibus ſcientiæ conditionali adverſari videtur, infra dabimus, & expendemus. Scientia illa nituntur quæ diſputat in ſuo Theophraſto Æneas Gazæus. *Non in eas ſolum*, inquit, *quæ modo ante pedes ſunt res, providentiæ lex animadvertit, verum etiam ea, quæ longo poſt tempore eveniunt, proſpicit: tum quæ quibuſque convenientia ſunt, atque digna, ut eveniant, decernit. Hinc quidem, quoniam durus in ſervos herus futurus eſſe videbatur, ſervum fieri permiſit; illum vero, quod male uſurus eſſet opibus, pauperem reliquit, atque egenum. Ille, quia decepturus, & adulaturus, ac falſos ſtatim damno affecturus erat, capite, in quo animæ ſedes, ac vis eſt, læſus, atque ictus eſt, unde eum ipſum ratio defecit, ipſeque ſtolidus, atque imprudens evaſit &c. Sed prodeat in medium cæcus ille puer, qui ratione duce alias uti ſolet, quo de nobis antea ſermo quoque fuit. Hic ſi ſuorum haberet oculorum uſum ullum, certe haberet laſcivum, atque impudicum. Quare ei providentia oculos clauſit, hacque plaga ipſum affectum coercuit; eſtque hic cæcus factus lynceo ipſo felicior, quando ſimul etiam juſtior evaſit*. Exempla ſunt hæc futurorum mere conditionalium, quæ futura re ipſa non ſunt, & tamen a Deo certo noſcuntur, ac, ne exiſtant, conditio illa, ſub qua ipſa etiam ponerentur, non ponitur. Apertiſſime, ipſorum etiam adverſariorum confeſſione Gregorius Magnus. Referam prius, quod mihi in ejus libris primum occurrit, ubi & ſcientiam hanc Deo tribuit, & ab ea omnem formidinem, ac dubitationem prorſus ablegat. *Nec obſtat*, inquit lib. 1. Moral. c. 23. n. 31. *ab omnimoda Mediatoris ſcientia quod dicitur*: Ne forte. *Nam cuncta ſciens, ſed in locutione ſua ignorantiam noſtram ſuſcipiens, atque dum ſuſcipit docens, nonnunquam quaſi noſtra dubitatione loquitur, ſicut dicit*: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem ſuper terram? Luc. XVIII. 8. Eadem ſcientia Deum ſecurum facit de Jobi conſtantia, antequam eam a diabolo attentari permitteret. *Diabolus*, inquit lib. 2. cap. 8. n. 13. *non contra Job, ſed contra Deum certamen propoſuit, materia vero certaminis beatus Job in medio fuit. Et, ſi in ſermonibus ſuis dicimus Job inter flagella deliquiſſe, quod ſentire nefas eſt, Deum dicimus in ſua propoſitione perdidiſſe . . . niſi Dominus in ſua juſtitia permanſurum noſſet, non utique pro illo proponeret. Nec periturum in tentatione concederet, de quo ante tentationem, ex Dei laudibus, in tentatoris mente, invidiæ fuerant faces excitatæ*. Simile quiddam ſcribit lib. 12. cap. 2. n. 2. „ Nulla, quæ in hoc mundo hominibus
„ fiunt, abſque omnipotentis Dei occul-
„ to conſilio veniunt. Nam cuncta Deus
„ ſecutura præſciens, ante ſæcula decre-
„ vit, qualiter per ſæcula diſponantur.
„ Statutum quippe jam homini eſt, vel
„ quantum hunc mundi proſperitas ſe-
„ quatur, vel quantum adverſitas feriat:
„ ne electos ejus aut immoderata pro-
„ ſperitas elevet, aut nimia adverſitas
„ gravet. Statutum quoque eſt, quan-
„ tum in ipſa vita mortali temporaliter
„ viva &c. „ Simile pariter eſt, quod ſcribit lib. 24. cap. 11. n. 31. his verbis: *miſericors Deus probari nos permittit tentationibus, non reprobari, ſicut ſcriptum eſt*: (I. Cor. X. 13.) Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere: *citius nobis conſolationis ope ſuccurrit, & ſurgentes tentationum ſtimulos mitigat, impugnanteſque ſe cogitationum motus interna pace tranquillat*. Cum iis pluribus, quæ ſupra retulimus ex Auguſtino illud concinit, quod his verbis ſcriptum reperitur lib. 27. cap. 4. num. 7. *Sed fortaſſe aliquis di-*

dicat, quod hunc Deus acturum prave etiam poſt baptiſma noverat, & idcirco eum ad baptiſmatis gratiam non perducat. Quod ſi ita eſt, peccata quorumdam procul dubio priuſquam ſint perpetrata, puniuntur. Et quis iſta recte ſentiens dixerit, quia omnipotens Deus, qui alios a perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnet? Iterum de tentationibus lib. 29. cap. 22. num. 46. *Alta quippe, atque incomprehenſibilis Spiritus Sancti gratia cum luce ſua noſtras mentes irradiat, etiam tentationes adverſarii diſpenſando modificat, ut ſimul multæ non veniant, aut ipſæ tantummodo, quæ ferri poſſunt, illuſtratam jam a Deo animam tangant; ut cum tactus ſui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant &c.* Et lib. 33. cap. 19. num. 35. *Alta diſpenſatio judiciorum Dei idcirco ſæpe benemerentes famulos vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibuſdam ſuperimpoſitis oneribus gravat, vel laborioſis occupationibus implicat: quia mira potentia prævidet, quod ſi quieti, ac liberi in tranquillitate perſiſterent, tentationes ferre adverſarii non valentes mentis proſtrati vulneribus jacerent.* Tandem lib. 35. cap. 7. num. 9. *beatus Job damnis, orbitate, vulneribus, & verborum ſcandalis tangi permittitur: quia videlicet certus, qui eum laudaverat, extitit, quod nequaquam juxta aſſertionem diaboli ſanctus vir in maledictionis culpam laberetur .... Et quamvis Dominus ad diabolum loquens, bona illius præſentia prætulit, non autem ejus perſeverantiam ſpopondit; ſciendum tamen eſt, quia nequaquam ejus juſtitiam permittendo tentari prætuliſſet, ſi eum juſtum in tentatione perſiſtere non poſſe prævideret* (quod ait, *perſiſtere non poſſe*, intellige, *non perſtiturum*, hoc enim antecedentia, & conſequentia exigunt; ſtatim enim ſubjicit:) *Permiſſo itaque divinitus in ejus tentatione diabolo, quiſquis eum in tentatione ſuccubuiſſe exiſtimat, ignorantiam permittentis accuſat.* Excludit pariter a conditionali ſcientia Dei ignorationem, dubitationemque omnem quod dicit in Ezechiel. II. 5. homil. 9. num. 8. *Dum conſtat*, inquit, *quod omnipotens Deus omnia ſciat, mirandum valde eſt, cur dicatur:* Si forte audiant, & ſi forte quieſcant. *Quapropter ſciendum nobis eſt, quia iſta dubitatio locutionis Dei non ex ignorantia, ſed ex aliqua ſignificatione deſcendit. Nam quis neſciat, quod qui fecit, & videt omnia, omnia ſciat?* Probat id autem exemplo præſcientiæ abſolute, quod nimirum *per ſemet ipſam in Evangelio Veritas de Antichriſti prædicatoribus dicit* (Matth. XXIV. 24.) Dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. *Cur hoc*, inquit, *ſub dubitatione dicitur, cum quid futurum ſit, a Domino præſciatur?* Rationem affert, cur ita dicatur, & ad rem præſentem poſtea concludit: *Unde hic quoque dicitur:* Si forte audiant, & ſi forte quieſcant. *Per hoc enim, quod dicitur*, ſi forte, *quia ex magna multitudine pauci audituri ſint, demonſtratur. Per dubitationem ergo ſermonum Dei quid ſignificatur aliud, niſi paucitas auditorum?* Idem lib. 5. in I. Regum ad illud XIV. 46. Porro Philiſthiim abierunt in loca ſua, dicit, *eos qui prædeſtinati non ſunt, in nequitia fuiſſe ante conſtitutionem mundi* (hoc eſt, antequam Deus ſtatueret condere mundum) *præcognitos*. Denique ad ſcientiam pariter conditionalem ſpectare videtur quod ſcribit lib. 1. Indict. 11. Epiſt. 29. cap. 68. *Orationibus proſequor electionem veſtram, ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum noſtrorum ſemper eſt præſcius, talem vobis Paſtorem præbeat, in cujus lingua, & moribus exhortationis Divinæ paſcua valeatis invenire; in cujus mente &c.* hoc eſt, de quo prævidet, fore ut, ſi vobis præſit, ejus verbis, & exemplis ad ſalutem veſtram proficiatis.

XVII.

Eodem ſæculo ſeptimo ſcripſit Anaſtaſius Nicænus, qui in quæſtione 59. ſuper Scripturam, de præſcientia, & prædeſtinatione ita diſſerit: *Cum ergo dixiſſet Apoſtolus*, quos præſcivit, & prædeſtinavit; *ſolvit quod quæritur, utpote; Præſcivit Deus fore, ut non pœniteret Pharaonem, & induravit cor ejus dilatione, & lenitate, quæ eum ad tantum deduxit contemptum, & audaciam, ut etiam aquis fuerit obrutus. Similiter præſcivit Hieremiæ rectitudinem, & prædeſtinavit eum exiſtere vas electionis.* Quod tamen cave ne intelligas ex Maſſilienſium ſenſu; ut quod

de

Digitized by Google

de Hieremia prævifum conditionaliter eſt, an non eſſet ex gratia, aut vim meriti, pro eo conditionali ſtatu, obtineret. Intelligendus ſimiliter Beda lib. variarum quæſtionum q. 13. in qua reprobationem, prædeſtinationemque conditionalis ſcientiæ ope cum libertate conciliat. Scribit autem: *Si ergo in conſpectu ejus ſemper fuimus, & præſentialiter nos videt, quales aut ex ipſo futuri eſſemus in bonum; aut non ex ipſo, ſed ex nobis futuri eſſemus in malum, non inconveniens fecit &c.* Significari tamen hic, uti in aliis ſimilibus Patrum locis, viſionem quoque abſolutam, adeo non diffiteor, ut infra propugnaturus ſim; ſic vero, ut Dei voluntatem, neque ſancientem, neque permittentem ſubſequatur, ſed eodem ſigno cenſeatur; immo & idem formaliter, conſiderationeque, atque intelligentia noſtra ſit. Pegit Beda, & ſic prius de reprobatione: *Pravitas noſtra ab æterno mala in conſpectu Dei ex ſua nequitia præſentavit:* *Deus illam ad mortem deſtinavit. Quid ergo? coegit nos Deus, ut mali ſibi videremur ab æterno? abſit. Nam potius nos coegimus eum, ut nos malos videret*, ipſi reſiſtendo, nec ponendo una cum illo debitum bonum, in quo bono, vel in ejus effectrice actione, ſi ab eo diſtinguitur, ſtaret ultima, completaque denominatio ſcientiæ de bono; ut contra in horum privatione, & abſentia denominatio ſita eſt ſcientiæ de malo. De prædeſtinatione autem hæc Beda ſubjungit: *Sicut ergo prædeſtinatio ad mortem non cogit malos, ut pereant; ita etiam prædeſtinatio ad vitam non coegit bonos, ut ſalventur: ſed cum Dominus bonos ad vitam prædeſtinavit, ita eos prædeſtinavit, ut ipſa ſua prædeſtinatio meritis, & precibus noſtris obtineatur.* Rurſus, & paulo melius ad illud Roman. XI. 2. Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſcivit; *in hac electione*, inquit, *& in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ, ſalvæ factæ ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſcivit.* Et paulo poſt: *Nullus ergo, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apoſtolus:* Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit, *prædeſtinationem ſignificare voluiſſe. Præſcivit enim eorum reliquias, quas ſecundum electionem gratiæ fuerat ipſe facturus.* Quod cum ex Auguſtino deſcripſerit, ad Auguſtini mentem eſt intelligendum: hanc vero magis infra declarabimus. Illud procul dubio de ſcientia conditionali, quod ſcribit in Lucam X. 13. *Sed quare non olim his, qui credere potuerunt, verum Judæis, qui credere noluerunt, ſit evangelizatum, ipſius eſt ſcire, cujus univerſæ viæ miſericordia, & veritas.* Quod dicit, *credere potuerunt*, idem eſt, *ac crederent*, ſeu *credere vellent*; ut ſit quod ſequenti membro, *credere noluerunt*, ex adverſo reſpondeat, & cum Evangelii textu cohæreat. Sic idem in Lucam XXII. 31. *Oſtendit Dominus eos, ſi non juvantis ſe Domini eſſent opitulatione protecti; eadem procella cum cæteris potuiſſe conteri*, hoc eſt, fore ut contererentur. Modus hic autem loquendi expreſſus ex Auguſtino lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. aliiſque Patribus. Illud pariter, tanquam certo, definitoque cognitum, eſt accipiendum quod ſcribit in Act. XVI. 6. *Deus*, inquit, *beneficii gratia Doctorem* (gentium) *ab Aſia removit, ne ſi ſanctum canibus detur, error cordis iniqui gravius de contempta prædicatione judicetur.* In quo imitatus locum Originis homil. 6. in Levitic. & Gregorii Magn. homil. 4. in Evangel. Legatur præterea quod ait in Geneſ. II. 25. de tentatione primorum parentum; quod exſcripſit ex Auguſtino.

XVIII.

Sub idem ferme tempus ſcripſit Johannes Damaſcenus: ex quo primum, quod ait lib. 1. de Fid. cap. 13. §. 7. *Deus*, inquit, *omnino immutabilis, & invariabilis eſt. Omnia enim, quæ in arbitrio, ac poteſtate noſtra poſita non ſunt præſciendo præfinivit; ſingula videlicet ſuo, & convenienti tempore, & loco futura.* Ubi venit utraque ſcientia conditionalis, & abſoluta, ut ſuo loco dicemus. Unice vero, aut certe potiſſimum ſcientia conditionalis lib. 2. cap. 30. §. 1. „ Illud ſcire intereſt, Deum omnia quidem præſcire, „ ſed non omnia præfinire. Præſcit enim „ ea, quæ in noſtra poteſtate ſunt: at „ non item ea præfinit. Nec etiam malitiam patrari vult; nec rurſus virtuti vim affert. Quocirca divina juſſio „ cum præſcientia conjuncta præfinitio-

„ nem efficit. Deus porro ea, quæ noſtri arbitrii non ſunt, pro ſua præſcientia præfinit. Etenim juxta ipſam, „ omnia jam pro eo, atque bonitatem, „ & juſtitiam ſuam decet, ante definivit.„ Quod autem hic loquatur aut ſolum, aut potiſſimum de ſcientia conditionali, perſpicuum eſt cum ex eo, quod eam ſtatuit ante divina decreta; tum etiam ex iis, quæ de primo homine ſcribit §. 4. „ Quoniam autem Deus „ præſcientia ſua noverat, fore, ut ille impoſitam ſibi legem violaret, atque in corruptionem laberetur, idcirco fœminam ipſi ſimilem, adjutricemque ex ipſo procreavit: adjutricem, „ inquam, ad hoc ut genus humanum per „ generationem ex ſucceſſione conſervaretur, *Et lib.* 4. *cap.* 24. §. 2. Deus alio „ quoque modo genus noſtrum propagare poterat, ſi integrum ipſius mandatum, ad extremum ſervaſſent. At cum „ pro ſua præſcientia, ut cui omnia ante quam fiant nota ſunt, perſpectum „ haberet, fore, ut illi contra quam imperatum erat, facerent, ac morte multarentur; hoc ipſe avertens maſculum, „ & fœminam creavit, & creſcere, ac „ multiplicari juſſit. „ Item ſcientiam conditionalem potiſſimum ſignat quod cap. 21. §. 1. Sic enim de primis hominibus: „ niſi extituri eſſent, ne mali quidem „ futuri eſſent, nec prænoſcerentur .... „ Quod ſi cum propter Dei bonitatem „ extituri eſſent, idcirco eorum ortus; „ impeditus fuiſſet, quod propria voluntate mali futuri erant, malum certe „ Dei bonitatem vinceret &c. „ Præſertim vero quod in dialog. cont. Manich. num. 34. ubi *Manichæus*, altera ex duabus dialogi hujus perſonis, ſic interrogat: *At vero, cur Deus, cum diabolum malum fore prænoſſet, eum creavit?* ſic autem *Orthodoxus* reſpondet: *Eximia, ac ſingularis bonitas in cauſa fuit, cur ipſum crearet. Sic enim ſecum loquutus eſt: Quandoquidem iſte malus futurus eſt, omniaque quibus eum afficio, bona perditurus; egone quoque ipſum bono prorſus ſpoliabo, ac delebo? Minime: verum quamvis ipſe improbus ſit futurus, ego tamen a mei participatione non excludam; ſed bonum unum ei largiar, ut mei per hoc ipſum particeps ſit, quod exiſtat, hocque nomine quod ſit, in mei, qui bonus ſum, partem veniat &c.* Scientia hæc conditionalis eſt, quia, ut ſæpe diximus, decretum condendi diabolum antecedit. Illa item, de qua *Orthodoxus* num. 36. „ Crimini nobis, o Manichæi, vertitis, ac quæritis, Eccur „ Deus cum diabolum malum fore proſpiceret, eum fecerit. At pluribus „ oſtendi, ſi naturalis juris ratio ſpectetur, recte eum conditum fuiſſe. Secundum enim naturæ ſeriem præſtat, „ vel tantummodo eſſe &c. „ *Et paulo poſt*: „ Quod ſi ſatius futurum fuiſſe dicitis, ut non exiſteret., quam factum „ quidem eſſe, ac ſempiternis pœnis „ multari, hoc a nobis reſponſi feretis „ &c. „ Ea etiam ſcientia decreto præire videtur de qua num. 37. „ Deus eum, „ qui futurus erat, tanquam jam ortum „ intuens, ut extaret decrevit, utque ſi „ malus evaderet, ipſe ſibi pœnarum „ auctor fieret. Unde etiam eum condidit, & bonum condidit. Verum ille „ propria electione malus factus eſt, ſibique ipſi ſupplicium accerſivit &c. „ Quod autem Dei præſcientia diabolo „ cauſa non fuerit, ut malus fieret, „ hinc conſtat: Nam nec medicus &c. „ Tum etiam illa, de qua num. 45. & num. 68. Quod autem hic dicit; *ejus quod omnino futurum non ſit, præſcientiam non eſſe, ſed ignorantiam, & errorem*; intelligi debet, ut ignoratio, & error ſit, ſi tale quippiam putetur omnino futurum; non autem ſi noſcatur futurum mere conditionaliter, atque ita nunquam re ipſa futurum. Quo pacto intelligendi ſunt Auguſtinus, Fulgentius, & alii, ubi futurorum non futurorum præſcientiam eſſe negant. Cæterum quærere pergit in hoc dialogo Manichæus num. modo cit. *Volens ne Deus diabolum fecit?* Reſpondet Orthod. *Certe volens*. Inſtat Manich. *Quare vero bonus ſit Deus, cum facere illum voluit, qui malus futurus eſſet?* declarat id Orthodox. *Deus*, inquit *eum bonum fecit &c.* & alia addit, quæ ſine ſcientia conditionali conſtare omnino nequeunt. Iterum expreſſius num. 72. „ Quoniam autem „ quidam dicunt, non debuiſſe Deum, „ quos jam ante prænoſceret peccaturos, „ nec pœnitentiam acturos, adeoque damna-

Digitized by Google

,, mnandos, eos in rerum naturam ex
,, nihilo producere; nedum beneficiis af-
,, ficere, ac deinde punire: his primum
,, quidem cum Apoſtolo reponemus:
(Roman. IX. 20.) O homo tu quis es,
qui reſpondeas Deo &c. & 21. Quin &
figulus poteſtatem habet faciendi vas &c.
,, Cæterum Deus omnes pariter bonos
,, condidit. Ipſe nanque tam eſſe, quam
,, bene eſſe largitur, bonitatis ſuæ ra-
,, dios in univerſa opera ſua ſolis inſtar
,, expandens &c. ,, Tum quod præſcien-
tiam etiam abſolutam complectitur, ſed
explicandam, ut a nobis expoſitum eſt
circa finem ſuperioris articulo, & hic
infra melius exponetur; num. 73. hæc
habet: ,, Deus enim ea, quæ non ſunt,
,, perinde atque ea, quæ ſunt, perſpi-
,, cit; nec ex rerum eventu judicat, ſed
,, ex futurorum prænotione. Nam ex eo-
,, rum, quæ fiunt eventu, res non no-
,, vit, ſed quæ futura ſunt, præſcit, &
,, pro ſua præſcientia ea præfinit. Qui
,, enim præſciret, quod futurum non eſt?
,, Nam ſi, quem peccaturum prænoſſet,
,, hunc non condidiſſet, præſcientia non
,, foret ſed error. Sicut enim cognitio
,, eſt rerum illarum, quæ ſunt, ſic &
,, præſcientia earum eſt, quæ certe fu-
,, turæ ſunt. ,, Item ex iis, quæ dixi-
mus in fine ſuperioris articuli, & infra
magis explicemus interpretationem ha-
bere illa omnia debent, quæ num. 78. &
79. Proferam vero quod num. 80. in quo
ſcientia etiam conditionalis elucet, quia
divinas præfinitiones antegreditur: ,, Quod
,, autem, *inquit*, omnia pro ſua præ-
,, ſcientia, præfinierit Deus, hinc col-
,, ligemus. Deus mutationi obnoxius non
,, eſt, atque ex prænotione, non ex po
,, ſtera agnitione judicat. ,, Tum quo
ſenſu accipienda ſit pœnitentia Dei, ex-
plicat: *Si enim*, inquit, *pœnitentia dici-*
tur, ut annos addat, profecto & volunta
tem, & cognitionem variabilem habet;
quod tamen Deo indignum eſt. Quod ſi an-
nos Ezechiæ adjectos ex Scriptura objiciatis;
hoc ſcitote, non ſic eos adjeciſſe Deum, quaſi
id ignoraſſet, aut non præfiniſſet: quin po-
tius ipſe ea, quæ ad Ezechiam ſpectabant,
& præſcierat, & præfinierat: verum pro
ſua providentia, ut ſaluti noſtræ conſule-
ret, ſermonem ita compoſuit, quo, quan-
ta eſſet pœnitentiæ vis declararet. Nam quod
pœnitentia adductus dicitur, id ex nobis aſ-
ſumptum eſt &c. Sicut enim nos pœnitet,
cum quis opibus, quibus eum auximus,
male utitur; ſic Deus, cum hominem con-
didiſſet, Saulque in regem unxiſſet, hique
poſtea in peccatum lapſi eſſent, pœnitentia
affectus dicitur: non quod Deum vere pœ-
nituerit (quod enim futurum eſſet, hoc
jam ante noverat; nec ſolum antequam
Adamum conderet, & Saulem in regem
ungeret, ſed ante etiam quam iſta de-
cerneret, ut ſæpe eſt explicatum) *ſed*
quod illi ea perpetraſſent, quæ pœnitentia
digna erant, &c.

XIX.

Deum pœnitere, eadem de cauſa ne-
gat Moſes Barcepha in commentariis de
Paradiſo par. 3. cap. 2. ſcribit enim:
Rurſus de pœnitentia, cujus accuſat Deum
Manes; dicimus, illorum eſſe dolere, at-
que pœnitere, qui neſcii rerum eventus, ea
faciunt, quorum exitus parum reſpondeat
ipſorum commodis. At Deum, cum præ-
ſciat, omnia quem ſint quæque habitura fi-
nem, prorſus pœnitere illius non poſſe, aut
pigere. Is vero, quem velle, facere eſt,
ut de Deo ſupra diximus; ne tangi pœ-
nitentia poſſit, neceſſe eſt, ut præſcius
ſit rerum eventus, antequam res ipſas
exiſtere velit. Peculiariter vero, ut
Deus primi parentis culpam prænoverit,
antequam eum condere eique præceptum
imponere decreverit, tradidit idem Bar-
cepha in iiſdem Comment. par. 1. cap.
19. *Sed cur*, ait, *impoſuit Deus Adamo*
legem, quam præſciebat ipſum non eſſe ob-
ſervaturum? Profecto, niſi lex illi fuiſſet
data, in multo majus malum incidiſſet,
quam incidit Satan, præſertim cum in tam
regali verſaretur palatio. Idem poſtea et-
iam par. 3. cap. 2. *Ab æterno*, inquit,
omnia præſcivit, antequam fiant: ac proin-
de illud etiam clare præſcivit, Adamum,
quæ ipſe imperaturus eſſet, ea non factu-
rum. Nec tamen ideo non imperavit, quia
illum periturum non eſſe præſcivit. Con-
ſentaneum enim erat, ut nihilominus illi
præſcriberet legem, & quidem ob multas
cauſas &c. Item cap. 4. *Quærunt*, in-
quit, *nonnulli, cur creaverit Adamum*
Deus,

Digitized by Google

Deus, quem præſciebat peccaturum? Cujus rei eam ſecundo loco rationem affert: *Deum, ut præſcivit peccaturum Adamum, lapſurumque, priuſquam conderet; ita præſciviſſe quoque ſe olim venturum, redempturumque &c. ut eo minus mirum videri debeat, ſi creavit, quem præſciret.* Tum paucis interjectis: *Eo*, inquit, *luculentiſſime Dei probitas, & gratia apparet, quod quos ſibi non obtemperaturos novit, eos progignere non dedignatur. Nam ſolos morigeros, ſua cauſa, hoc eſt, ut ſuæ voluntati, imperioque obſecundarent, & ſibi gratum facerent, genuiſſe videri poterat. At quando jam pro ſua bonitate, & bonos creat, & malos, non ignarus alteros per virtutem, per improbitatem alteros vitam acturos &c.* Non ignarum, immo omnino certum, minime ſuperatum iri Job, ſi Diabolus in eum impetum faceret, id permiſiſſe Deum, ſcribit Olympiodorus: verbaque illa Job I. 12. *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt*, ſic expendit: *Cum futuri ignarus ſit Diabolus, neque in hominum corda inſinuare ſe ſe penitus poſſit, fruſtra ſibi juſti cladem pollicetur.* Et paulo poſt: *Verum Deus, qui multo ante proſpicit, cum de juſti victoria minime dubitaret, ut pro ſua libidine in virum frugi impetum faciat, Diabolo largitur.* Neque hic ſermo eſſe poteſt de illa dumtaxat præſcientia, quæ abſoluta dicitur, quippe quæ ſecundum denominationem conſiderata, aut res ipſas conſequitur, ut multi volunt, aut eodem ſigno tenetur, ut ſupra explicavimus; ac certe cum iis ita connectitur, ut, ea ſcientia poſita, ſolutum, integrumque amplius non ſit de illis decernere. Quare de conditionali ſcientia dictum, quod ex Photio ſcripſit Oecumenius in illud Rom. IX. 11. *Ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret.* Sic enim habet: *ideſt, electio, quæ ſecundum ſcientiam eſt .... Nullus enim alterum præ altero eligit, niſi hoc ab illo in aliquo diſſideat. Dicens autem, Non ex operibus vocationis, ac gratiæ ipſius magnitudinem demonſtravit &c.* Et quod Theophylactus in illud Rom. VIII. 29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit &c.* In quem Apoſtoli locum *præcognoſcit*, inquit, *Deus, qui vocatione digni ſunt, deinde ſic prædeſtinat. Prior itaque eſt præſcientia, poſtea ſequitur prædeſtinatio. Prædeſtinationem autem intelliges impermutabilem Dei voluntatem.* Unde pariter quod in Cap. IX. verſ. 11. Hic idem ſcriptor ad Luc. X. 13. *Illi* (de Tyriis, & Sidoniis loquitur) *ſi vidiſſent credidiſſent .... Ne dicant, qui mittuntur ad prædicationem, quo mittis nos, ſi Civitates quædam non ſunt nos ſuſcepturæ? dicit: Ne ſitis animo triſti: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et ad Johan. XII. 37. *Quamvis incredulitatem eorum prænoſſet, tamen omnia, quæ ad ſe attinebant, faciebat.* Et paulo poſt: *Non ignoravit Chriſtus incredulitatem eorum: & nihilominus venit, ne habeant quod peccato ſuo prætexant, neque poſſint dicere, quod ſi veniſſet, credidiſſemus.* Similia loquitur nobilis alius Scripturarum interpres Euthymius ad illud Johan. VI. 65. *Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus &c.* ait enim: *Non ſolum præſcientiam, ſed & clementiam ſuam oſtendit: quia non a tempore, quo murmurare cœperunt, verum etiam ab initio cognoſcebat credentes, & tamen omnes pariter docebat.* Et in Pſalm. LXXIII. 1. *Ut quid Deus repuliſti in finem*: quem in locum, *Deus*, inquit, *cum Judæorum infidelitatem prævideret, eam aperta prophetia, ac futurarum calamitatum prædictione a tanta illos nitebatur ſævitia, atque impietate avertere, qua adverſus Salvatorem uſi fuerant; tametſi ob arbitrii libertatem, quam homini Deus dedit, illi in pravitate ſua immutabiles perſtiterint.*

XX.

Quamvis autem in his omnibus obſcurum non ſit ſcientiam conditionalem ſignificari, quod ſcientia abſoluta dirigi non poteſt Dei providentia in ſuis decretis, quippe quæ decreta ipſa aut ſubſequitur, noſtro intelligendi modo, aut certe non præit, ut ſupra docuimus; longe clarius tamen de conditionali ſcientia loquutus eſt Bruno, Carthuſianorum parens: qui niſi quod eo videtur deflectere, quo Chryſoſtomus, & alii etiam ex Græcis Patribus interdum minus caute propendent, ut operibus conditionaliter tantum præviſis rationem aliquam me-

Digitized by Google

meriti tribuere videatur, quod a Schola Societatis eſt oppido alienum; nihil ferme eſſet, quod in ejus teſtimonio deſiderare poſſemus, ſive contra eos, qui ſcientiam conditionalem actuum liberorum funditus tollunt, ſive etiam contra eos, qui illam decreto ſubjective abſoluto, & terminative conditionali, inniti volunt. Is igitur in Epiſt. ad Rom. IX. 13. cum rogaretur, *cur Jacob electus ſit, & Eſau reprobatus, cum in neutro meritum boni, vel mali præceſſerit; quæ cauſa fuerit electionis unius, & reprobationis alterius?* Reſpondit: *Jacob electum eſſe per miſericordiam, Eſau reprobatum ſecundum juſtitiam. Deus enim cum primum creavit hominem, multiplici eum inſignivit gratia, quam quia peccando a ſe repulit, indignum ſe fecit gratia Dei, & exinde Deus nihil homini debuit, ſicque non eſt relictum homini, unde juſte poſſet conqueri, ſi deſtituitur gratia Dei*. Inſtantibus autem, *cum uterque*, videlicet Jacob, & Eſau, *ex juſtitia propter originali poſſet reprobari, nihilque meriti in ambobus repertum ſit, pro quo huic ſit data gratia, huic negata; quare magis Jacob electus ſit, quam Eſau?* hæc ad rem noſtram ſubjecit: *Quia Deus Jacob idoneum, & cooperaturum gratiæ præſcivit; Eſau vero non idoneum, quia non cooperaturum: ideo uni miſericorditer tribuit, quod ab altero juſte propter originale alienavit*. Nolim tamen particulas illas *quia*, & *ideo* ſic accipi, ut *cooperationi* ille conditionaliter prævisæ vis inſit meriti, & cauſæ; niſi forte cauſam intelligas finalem: quæ cum moveat, non quia eſt, ſicuti meritum; ſed ut ſit; concedi poteſt particulas illas aliquam finalis cauſæ rationem oſtendere: utique enim non eligit homines Deus, quia immaculati, & ſancti ſunt; ſed tamen eligit, ut immaculati, & ſancti ſint; quod diſerte docet Apoſtolus Epheſ. 1. 4. Atque in hunc ſenſum explanatur ab Auguſtino in Lib. de Præd. Sanct. Cap. 9. n. 18. & Cap. 17. n. 34. Sed ad Brunonem revertamur: pergit ille loc. cit. „ Quod ſatis aperte „ in Juda conſideratur, quem licet Deus „ pro certo periturum cognoſceret, per- „ miſit tamen illam gratiam miraculo- „ rum, ut aliis Apoſtolis, cum jam „ fur eſſet, & loculos haberet. Non „ tamen ideo quia ſciret illum irrevoca- „ bilem a malo, ſed ut comprobaret „ nobis per hunc juſte ſe quibuſdam o- „ mnem negare gratiam, ut pueris ſta- „ tim ſine baptiſmo morientibus; qui- „ bus ideo omnem gratiam denegat, „ quia ſi tempus haberent operandi, & „ gratia eis conceſſa eſſet, abuterentur „ ea: & ſic pro gratia longe gravius „ punirentur, cui ſi cooperarentur, ſal- „ varentur. Ut autem Deus hoc notum „ faceret, dedit quibuſdam gratiam, de „ quibus non hæſitabat, quin abuteren- „ tur ea; ſed ut etiam palam oculis „ haberemus, juſte quibuſdam omnem „ ſe denegare gratiam. Iterum aliud: „ Cum Deus omnia creavit, quædam „ neceſſaria, ut ortum Solis, & hujuſ- „ modi; quædam voluntaria, ut homi- „ nem, & angelum conſtituit. Deus „ autem ſic unum per miſericordiam eli- „ git, ſic alterum per juſtitiam repro- „ bat, ut tamen voluntariam facilita- „ tem in eis non deſtruat; quia etſi „ multos in hoc ſæculo ſanctos multi- „ plici munivit gratia, non tamen coe- „ git eos, ut ex neceſſitate bonum „ agerent, nec ad malum, ſi vellent, „ declinare non poſſent; ſed adjuvit per „ gratiam, quia vidit eos gratiæ coope- „ raturos. E contrario non ita Judæ „ ſubtraxit gratiam, ut gratia ſubtra- „ cta impelleret eum, vellet, nollet, „ operari iniquitatem; ſed ut appare- „ ret, quid per ſe poſſet iniquitas. Si „ enim gratia data, vel negata, com- „ pellens eſſet, ac neceſſaria, jam non „ eſſet relictum homini meritum ſalva- „ tionis, vel damnationis „. De eo quod docet de pueris ſine baptiſmo morientibus conſule Auguſtinum Serm. 26. cap. 12. n. 13. &c. eoque magiſtro, locum hunc totum fac ut melius, ac prorſus Catholice explices, quod pie, atque erudite præſtitit P. de Henao ſect. 22. Parenti filium adjungimus, Dionyſium Carthuſianum quamvis multo poſteriorem. Is in 1. diſt. 41. q. 1. ſcientiam conditionalem ultro recipit; prædeſtinationis cauſam in ea eſſe negat. *Si dicatur*, inquit, *quod Deus prævideat uſum, quem habuiſſent, ſi ſuperveniſſent:*

ideo

ideo iſtum, quæ prævidit bene uſurum fuiſſe, perduxit ad baptiſmum non alium &c. Contra, propter uſum ita prævisum non meretur quis, nec acceptatur, nec reprobatur. Præterea in eadem quæſtione allatis iis quæ ſunt Ezechiel. III. 6. „ Ecce, *inquit*, quod Deus omnipotens miſit prophetam ſuum ad eos, quos noverat non acquieturos; & non miſit ad eos quos ſciebat acquieturos: ſi propheta veniret ad eos, & ſi illi acquieviſſent prophetæ, acquieviſſent (ut videtur) & inſpirationi, infuſioni, ac motioni gratiæ Spiritus Sancti, qui loquitur intus, ſi gratia illa, allocutioque interna ipſis fuiſſent infuſæ. Quomodo igitur verum eſt, quod Deus gratiam gratum facientem infundit his, quos ſcit ea bene uſuros: & quod illos prædeſtinavit, quos ſcivit gratia infundenda, vel ſi eis infunderetur, bene uſuros? Inſuper Chriſtus in Evangelio exprobrans Civitatibus, in quibus prædicaverat, & miracula multa peregerat abſque illorum converſione, inter cœtera dixit: Væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Ac de innumerabili infantium multitudine, qui pereunt ſine baptiſmo, ſubjungit: *Quis audeat dicere, hoc ideo factum, quoniam Deus prævidit, quod nulla tot millium animarum gratia, ſi eis infunderetur, bene uteretur: præſertim cum & ſuper illud Evangelii* (Matth. XX. 6.) Quid hic ſtatis tota die otioſi? *dixerunt*: Quia nemo nos conduxit, *dicat Gregorius*: (Lib. 1. homil. 19. n. 1.) *Quid eſt, nemo nos conduxit, niſi, nemo nobis vitæ ſemitas prædicavit?* Ubi Gregorius inquit, *illos fuiſſe credituros, atque ſalvandos, ſaltem pro parte, ſi miſſus fuiſſet, ad ipſos prædicator verbi cœleſtis*. His quidem declarat, ſe ſcientiam conditionalem ultro admittere; propugnat vero illam, atque in Societatis ſententiam exponit cum ſcribit in locum ſæpe cit. Matth. pœnitentiam acturos re vera fuiſſe Tyros, Sidonios, & alias Civitates, *quarum principalis erat Sodoma, in quibus* ſi factæ fuiſsent virtutes, forte manſiſsent uſque ad hanc diem, *ideſt, habitatores pœnituiſsent, nec eſsent illæ urbes combuſtæ. Dicit autem*, forte, *non quaſi dubitans, ſed ut ſervet ſobrietatem ſermonis, & libertatem voluntatis deſignet*, ut nullum ea de re decretum ſubjective abſolutum, & terminative conditionale exiſtat. Tum paulo poſt: *Quis inveſtiget*, inquit, *vel explicet, cur juſtus, atque omnipotens Deus, coram illius miracula fecit, atque ad illos nuntios ſuos, ac prædicatores miſit, quos noverat non credituros; & horum nullum fecit his, quos noverat credituros, ſi vidiſſent, aut audiſſent quod iſti*. In Lucam ſcribit ſimiliter. Sed ad Patres revertamur.

XXI.

Brunoni æqualis Anſelmus Cantuar. In Enarrationibus autem ſuper Matth. quæ ipſi inſcribuntur, & ſunt fortaſſe Anſelmi Laudunen. qui ſcripſit eodem fere tempore, ad memorata ſæpe Matthæi verba, *Si in Tyro, & Sidone &c.* hæc legimus: *Si in gentibus, & populis, diabolicis tentationibus anguſtiatis, & venenatis, ideſt, deceptis, tot ſigna feciſſem, olim egiſſent pœnitentiam in cinere.... Sed quare Deus negat gratiam libenter ſuſcepturis, & gratiæ conſenſuris, non eſt noſtrum ſcire. Quare hunc eligit non conſenſurum gratiæ, illum autem tam bene conſenſurum gratiæ negligit, ſoli Deo notum eſt, & quibus Deus vult revelare. Non ſuſcepturis igitur offertur gratia, ut ineſcuſabiles reddantur*. Idem Auctor in iiſdem Commentariis ad illud Matth. VI. 10. *Fiat voluntas tua &c.* non ſolum ſcientiam conditionalem docet, ſed phyſicam præmotionem, decretumque illam inducens videtur excludere: ait enim: *Duæ ſunt voluntates in Deo, una miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult ſalvos fieri; quod tamen in libera voluntate illorum poſitum eſt*. (Intellige tamen ſemper auxilium gratiæ ad ſingulos ſalutares actus, ipſumque adeo initium Fidei, neceſſarium; ſed neceſſitatem conſentiendi non afferens) Pergit Auctor ſic: *Eſt alia, quæ eſt de effectibus rerum, de qua dicitur*: (Pſal. CIII. 3.) Omnia, quæcunque vo-

luit,

Digitized by Google

luit, fecit. *Huic nemo poteſt reſiſtere, de qua dicitur*: (Roman. IX. 19.) Voluntati ejus quis reſiſtet? *Hæc providentiæ concordat ſemper; alia vero non ſemper. Si enim velit per miſericordiam de aliquo pravo, quod ſit juſtus, & conferat ei gratiam ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratia Dei conſentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ; quia quamvis per dilectionem gratiam conferat, tamen ſcit non conſenſurum. Quæ autem de effectibus eſt, alia eſt permittens, alia approbans. Permittens eſt, quod efficiat malum quodcunque vult. Approbans autem eſt, quod faciat bonum, quodcunque vult: & utraque eſt ex juſtitia. Itaque homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati juſtitiæ. In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei; ſed non eſt: quia licet ſit percuſſus, tamen voluntas erat libera, ut reſiſteret, ſi vellet. In cælo ſunt omnes Dei voluntates, & nullus ibi voluntati Dei reſiſtit; ſed in terra multi contradicunt voluntati Dei, ſcilicet quæ eſt ex miſericordia: cum enim vellet pravos etiam ſalvare, ſi vellent, tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati.* Nec Paulus, quamvis potentiſſima gratia tactus, percuſſuſque, ex neceſſitate conſenſum præbuit. Ex libro autem de concordia præſcient. & prædeſt. nec non gratiæ Dei cum lib. arb. qui certe auctorem habet Anſelmum Cantuar. cum nihil proferri poteſt quod Societatis doctrinæ non optime congruat, tum illa conditionalem etiam ſcientiam haud dubie ſignificant: primum quod eſt in fine tertii capitis quæſt. 1. his verbis: *Hæc omnia Deus, qui ſcit omnem veritatem, & non niſi veritatem, ſicut ſunt, ſpontanea, vel neceſſaria, videt; &, ſicut videt, ita ſunt: Hac ergo conſideratione palam eſt, quia ſine omni repugnantia, & Deus præſcit omnia, & multa fiunt ex libera voluntate, quæ, antequam ſint, fieri poteſt, ut nunquam ſint &c.* Nam ſi Deus ſcit omnem veritatem ſcit etiam veritatem conditionalem; & quod ea, quæ fiunt ex libera voluntate, antequam ſint, fieri poteſt, ut nunquam ſint; eorundem ſcientia nulla renititur cum ipſis connexa, & inevitabili. Deinde quod cap. 3. quæſt. 2. ubi prædeſtinationem præſcientia dirigi docet, eaque ratione cum libertate facile conciliari. *Sicut præſcientia*, inquit, *quæ non fallitur, non præſcit niſi verum, ſicut erit, aut neceſſarium, aut ſpontaneum; ita prædeſtinatio, quæ non mutatur, non prædeſtinat, niſi ſicut eſt in præſcientia. Et quemadmodum quod præſcitur, licet in æternitate ſit immutabile, tamen in tempore aliquando ante quam ſit, mutari poteſt; ita eſt per omnia de prædeſtinatione. Patet igitur ex his quæ dicta ſunt, ſi bene conſiderentur, quia nec prædeſtinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adverſatur prædeſtinationi. Siquidem omnia illa, quibus ſupra monſtravimus liberum arbitrium præſcientiæ non-repugnare, pariter oſtendunt illud prædeſtinationi concordare.* Idem, aut quiſquis eſt auctor Elucidarii lib. 1. cap. 8. Diſcipulum ita de Angelis interrogantem inducit. *Cum Deus præſciret eos tales futuros; quare creavit eos?* Cui Magiſter: *Propter ornamentum ſui operis &c.* Iterum de primis hominibus cap. 14. Diſcipul. *Cur permiſit Deus hominem tentari, cum ſciret eum ſuperari?* Magiſt. *Quia præſcivit quanta bona de ejus peccato eſſet facturus.* Lege etiam cap. 8. & 9. libri ſecundi. Anſelmum excipiat Bernardus, eo adhuc in vivis agente natus. Tradit hic ſcientiam conditionalem Serm. 5. in Pſal. 90. num. 3. ubi ſcribit: *Qua in re conſiderata eſt nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis diſpenſatio, ut ab aliquibus tentationibus citius non liberet, ut poſſimus in aliis, quas nobis utiliores fore prævidet, exerceri.* Item Sermon. 54. in Cantic. num. 10. ubi *Interdum*, inquit, *ſubtrahitur gratia, ſive retrahitur, non pro ſuperbia, quæ jam eſt, ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur.*

XXII.

Copioſius, & diſtinctius ejuſdem temporis ſcriptor, Hugo a S. Victore, qui in Annot. elucidator. quæſtionum circa Epiſt. Pauli ad Roman. quæſt. 214. cum præſcientiam ponat ante prædeſtinationem, dubitari non poteſt, quin loquatur de præſcientia conditionali. *Quæritur*, inquit, *an præſcientia ſit cauſa prædeſtinationis? ſicut prædeſtinatio cauſa eſt vocationis, vocatio cauſa juſtificationis, & juſti-*

Digitized by Google

juſtificatio magnificationis : quod videtur ſecundum ſuppoſitum ordinem: *ſed cum utrumque ſit æternum , quomodo unum poteſt eſſe cauſa alterius? Quæſtionem hanc ita ſolvit*: *Licet utrumque ſit æternum ; tamen unum poteſt eſſe cauſa alterius : ſicuti Filius , & Spiritus Sanctus , cum uterque ſit æternus , tamen Filius cauſa eſt Spiritus Sancti* : (hoc eſt, Spiritus Sanctus ex Filio etiam procedit) *ſic ſecundum quoſdam præſcientia pertinet ad ſcientiam , & ſic ad Filium : prædeſtinatio ad electionem ; electio ad voluntatem , quæ pertinet ad proprietatem Spiritus Sancti : ideoque ſicut Filius eſt cauſa Spiritus Sancti ; ſic , & præſcientia cauſa eſt prædeſtinationis , quam naturaliter , non tempore præcurrit* . Verum ne quid in quæſtionis hujus intelligentia pecces, & notionalia, quæ vocant, cum eſſentialibus miſceas, lege ſequentem etiam quæſtionem . Immo & quæſt. 233. ac 238. quo manifeſtius fiat, Hugonem hic loqui de conditionali , non de abſoluta præſcientia . Ad hæc videre etiam poteris in primo de Sacram. par. 2. cap. 16. 17. 18. & 22. & tract. 1. Summæ Sent. cap. 12. Expreſſius vero eſt, quod tract. 3. cap. 6. §. ult. *Illud quoque* , ait, *ſolet quæri : quare creavit Deus hominem , quem ſciebat eſſe caſurum , cum ſit ſumme pius . Eadem quæſtio de Angelis , qui ceciderunt. Auguſtinus ſuper Geneſim*: *Cum per injuſtos juſti , per impios pii proficiant , fruſtra dicitur , ut non crearet Deus , quos præſciebat malos futuros . Cur enim non crearet bonis profuturos ? Quia ſicut prævidit , quod mali eſſent futuri , ſic etiam prævidit de malefactis eorum quid boni eſſet ipſe facturus* . Hugoni Victorino adjungimus Hugonem Card. qui ad locum Lucæ ſæpe cit. *Tyrus*, inquit , *& Sidon civitates erant gentilium, in quibus ſi prædicaſſet Dominus , & feciſſet miracula , quæ fecit in aliis, egiſſent pœnitentiam. Quare ergo eis non prædicavit ? O altitudo divitiarum ?* Rom. XI. 33. Sic etiam Guilielmus Abbas S. Theodor. Bernardi diſcipulus in libro medit. ſub initium , *Habens* inquit , *omnium ſcientiam præſciebas de utroque* (innocente , & peccatore) *o æterna Sapientia , quomodo libero arbitrio uterque uti deberet, qualis futurus eſſet ; ſui , rerumque arbiter utrique paratam habens gratiam , qui non eam in vacuum reciperet &c.*

XXIII.

Hactenus Patres: de Scholaſticis conſule Didacum Ruiz de Mont. Diſput. 67. a prima ſect. Hic aliqua tantum referam ex ipſis Scholarum Principibus . Et prius quidem ex Magiſtro : qui in primo diſt. 43. cap. ult. *Cur* , inquit , *apud quoſdam non factæ ſunt virtutes , quæ ſi factæ fuiſſent , egiſſent illi homines pœnitentiam ; & factæ ſunt apud eos , qui non erant credituri ? Tunc non latebit &c.* affert verba Auguſtini ſupra citata ex Enchir. Idem in ſecundo diſt. 23. in principio : *Quæri ſolet* , inquit, *cur Deus hominem tentari permiſerit , quem decipiendum fore præſciebat ?* Reſpondet ex undecimo Auguſtini de Geneſ. ſup. cit. *Non eſſet laudabile homini , ſi ideo bene vivere poſſet , quia nemo male vivere ſuaderet &c.* Item paulo poſt : *Moventur etiam quidam dicentes , Cur creavit Deus , quos futuros malos præſciebat ? Quia prævidit , quid boni de malis eorum eſſet facturus : & reliqua ex eodem libro Auguſtini ſupra relata* . Hanc Magiſtri doctrinam ex ſacris Literis , & Auguſtino expreſſam non ſolum tacite approbat S. Thomas tum in primum diſt. 43. ubi de Tyriorum , & Sidoniorum pœnitentia ; tum etiam in ſecundum diſt. 23. ubi redditur ratio , cur Deus homines & creavit , & tentari permiſerit , cum ſciret lapſuros , ſi crearet , ac tentari permitteret ; verum præterea multa , eaque valde illuſtria , & expreſſa doctrinæ ejuſdem documenta præbet aliis in locis . Et primo quidem quæ dicit p. 1. q. 19. a. 8. *voluntatem divinam efficaciſſimam eſſe* , ex eoque *ſequi non ſolum , quod fiant ea , quæ Deus vult fieri ; ſed quod eo modo fiant , quo Deus ea fieri vult*; hæc, inquam, & cætera, quæ deinceps addit in corp. articuli , & ad 2. conditionali præviſione nituntur . Ut enim efficacitas divinæ voluntatis fruſtrari nunquam poſſit , eaque ſit , quam Doctor Angelicus eſſe contendit, ut non ſolum in eam referatur, quod creata facultas edat actiones bonas , ſed etiam quod ita illas edat, ut eas proxime poſ-

ſit

Digitized by Google

ſit omittere; prælucere ipſi ſcientiam conditionalem, quam defendit Societas, neceſſe eſt. Ne, ſi voluntas divina, aut per ſe ipſam, aut media aliqua qualitate, ac re qnacunque alia, creatam facultatem ita ad agendum perducat, ut actionem non poſſit proxime omittere: voluntas divina ipſa ſibi repugnet; & adeo non ſit efficaciſſima, ut illum ipſum modum, quem intendit, maxime deſtruat. Sic etiam intelliges quod ait q. 22. a. 6. *prædeſtinationem certiſſime, & infallibiliter conſequi ſuum effectum, nec tamen imponere neceſſitatem, ut ſcilicet effectus ejus ex neceſſitate proveniat*. Quæ duo aliter conjungi non poſſe videntur, niſi conditionalis ſcientia illa aut ipſi prædeſtinationi anteeat, aut ſaltem ejus, ut dicunt, exquutionem dirigat, ac ſingularium auxiliorum collationi præluceat, quod malle videtur S. Thomas in corp. ſuperioris articuli quinti ab iis verbis: *Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinationis effectus in communi &c.* Sed de hoc alibi. Eſt in eo artic. quod nobis paulo expreſſius faveat: quæritur enim, *Utrum præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis*; ac pro ſententia affirmante primum illud argumentum proponitur: *Dicit enim Apoſtolus ad Roman. VIII. 29.* Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit. *Et gloſ. Ambroſii* (Ambroſio tribuit, quod a recentioribus jam fere omnibus alii tribuitur) *ſuper illud Rom. IX. 15*, Miſerebor cui miſerebor &c. *dicit: Miſericordiam illi dabo, quem præſcio toto corde reverſurum ad me. Ergo videtur, quod præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis*. Ad hoc argumentum reſpondet S. Thomas: *Ad primum ergo dicendum, quod uſus gratiæ præſcitus, non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundum rationem cauſæ finalis*. Quod nos etiam docuimus num. 20. Hoc eſt, cum ſciat Deus, antequam gratiam conferre alicui ſtatuat, utrum ea bene uſurus ſit, an ſecus; non ideo gratiam ſtatuit, quia illa bene uſurum novit; ſed, ut bene utatur. Quo fit, ut gratia non conferatur ex prævisis meritis; ſed ex ſola Dei miſericordia. Hanc autem eſſe mentem ſuam, eo etiam comprobat Angelicus Doctor quod ſcribit in corp. articuli: *fuerunt alii, qui dixerunt, quod merita ſequentia prædeſtinationis effectum, ſunt ratio prædeſtinationis: ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit, ſe ei daturum, quia præſcivit, eum bene uſurum gratia. Sicut ſi rex det alicui militi equum, quem ſcit eo bene uſurum*. His autem non aſſentitur; ſiquidem particula *quia*, ut ſupra notavimus, ſignificat in opere conditionaliter prævíſo rationem cauſæ meritoriæ, quæ movet, quia eſt; non finalis, quæ movet ut ſit. Quod ipſum tamen caute eſt intelligendum: neque enim omnibus, de quibus prævidet fore, ut gratia bene utantur, ſi conferatur; continuo gratiam illam confert Deus; ſed ei tantum *cuius miſeretur* Rom. IX. 15. *miſeretur autem cujus vult* 18. Quare totum hoc tandem, in Dei bonitatem voluntatemque eſt referendum, ut hic docet Doctor Angelicus, & Auguſtini verbis ipſis ſup. cit. tradit in tertia parte q. 1. art. 5. ad 2. *Nam Deus*, inquit, *his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus voluit ſubvenit: aliis autem non ſubvenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem, ſed aliud juſte judicavit &c.* Sed redeamus ad primam partem, neque enim poteſt omitti quod eſt in quæſtione 92. art. 1. Diſputans enim, *utrum mulier debuerit produci in prima rerum productione*, hoc ſibi objicit tertio loco: *Occaſiones peccatorum ſunt amputandæ. Sed Deus præſcivit, quod mulier eſſet futura viro in occaſionem peccati. Ergo &c.* quod ea ratione ſolvit: *non debuiſſe bonum commune tolli, ut vitaretur particulare malum; præſertim cum Deus ſit adeo potens, ut quodlibet malum poſſit ordinare in bonum*. Argumentum etiam aliquod pro conditionali præſcientia ſumitur ex eo, quod ſcribit q. 102. art. 2. ad 3. ubi una docet, non fruſtra creatum, attributumque homini paradiſi locum, quamvis Deus ſciret, illinc mox ejiciendum propter culpam: *ſicut non fruſtra fuit homini attributa immortalitas quædam, quam conſervaturus non erat. Per hujuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem*, qui, cum eam ſcientiam haberet, ea tamen bona homini concedere voluit. Luculentius eſt, quod in tract. de prædeſt. qui S. Thomæ inſcriptus extat in fine primæ par-

partis. Ibi igitur cap. 7. ſ. 1. „ Ultimo „ conſiderandum eſt, quare Deus facit „ hominem, quem præſcit eſſe damnan„ dum. Sunt enim quidam veſani, qui „ Deo in hoc iniquitatis maculam im„ ponere non verentur; dicentes eum „ iniquum, & impium &c. Tum ſ. 2. „ Rationes igitur adducendæ ſunt ad tan„ tam veſaniam refrænandam, & Dei „ juſtitiam demonſtrandam. Et primo „ oſtendendum eſt, quod voluntas Dei „ facientis hominem, quem præſcit eſſe „ damnandum, non eſt iniqua. Deinde „ ponendæ ſunt rationes probabiles, „ quare Deus facit hominem, quem „ præſcit eſſe damnandum. „ Utrumque autem præſtat, ſemper ſervata præſcientia, immo & propugnata, cujus rei ſatagit multis, & luculentis Scripturæ teſtimoniis. Simile his quod 2. 2. q. 165. artic. 1. in quo agitur, „ utrum fuerit „ conveniens, ut homo a diabolo tenta„ retur. „ Quod autem ſecundo objicitur loco, eſt hujuſmodi. „ Deus præ„ ſcius futurorum, ſciebat, quod homo „ per tentationem dæmonis in peccatum „ dejiceretur, & ſic bene ſciebat, quod „ non expediebat ei, quod tentaretur. „ Hoc autem refellitur ſic: „ Ad ſecun„ dum ergo dicendum, quod ſicut Deus „ ſciebat, quod homo per tentationem „ in peccatum eſſet dejiciendus, ita et„ iam ſciebat, quod per liberum arbi„ trium reſiſtere poterat tentatori. Hoc „ autem requirebat conditio naturæ i„ pſius, ut propriæ voluntati relinquere„ tur: „ quod firmat auctoritate Eccleſiaſtici, & Auguſtini. In tertia parte nobis militat quod eſt q. 1. art. 3. ad 4. „ dicendum, quod prædeſtinatio præſup„ ponit præſcientiam futurorum: & ideo „ ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicu„ jus hominis propter orationes aliorum „ implendam; ita etiam prædeſtinavit „ opus Incarnationis in remedium huma„ ni peccati. „ Nec vero dici poteſt, „ ſermonem hic eſſe de præſcientia futurorum tantummodo illorum, quæ non inducuntur per prædeſtinationem; non autem etiam illorum, quæ ſunt prædeſtinationis effectus. Siquidem preces ſanctorum, quæ hic exprimuntur, S. Thomæ ſententia, ſunt prædeſtinationis effectus: ſic enim p. 1. q. 23. art. 8. *Ita prædeſtinatur a Deo ſalus alicujus, ut etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat quidquid hominem promovet in ſalutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujuſmodi*. Quare præſcientia illa, quæ prædeſtinationi prælucet, non prænoſcuntur ea, quæ per prædeſtinationem inducuntur, niſi ut conditionaliter futura. Apprime autem nobis favet quod ex Auguſtino adducit art. 5. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod Auguſtinus ad hoc reſpondet in lib. de ſex quæſtionibus Paganorum, dicens*, quod tunc voluit Chriſtus hominibus apparere, & apud eos prædicari ſuam doctrinam, quando, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri: his enim temporibus, & his in locis tales homines in ejus prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in ejus corporali præſentia fuerunt, qui nec in eum ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt. *Sed hanc reſponſionem reprobans idem Auguſtinus in lib. de perſeverantia dicit*. Nunquid non poſſumus dicere, Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent; cum ipſe Deus atteſtetur eis, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum? *Proinde, ut ipſe ſolvens ſubdit*, ſicut Apoſtolus ait, non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus voluit ſubvenit: aliis autem non ſubvenit &c. Præterea, ut in eadem tertia parte q. 1. art. 3. ſtatuit S. Thomas, *ſi homo non peccaſſet, Dei Filius incarnatus non fuiſſet*: quocirca prædeſtinationem Chriſti domini præivit præſcientia peccati. Quod autem præſcientia illa præcedens, conditionalis fuerit, non abſoluta, probatur ex eadem parte tertia. Nam ut eſt quæſt. 8. art. 3. Chriſtus Dominus prædeſtinatus eſt, ut omnium hominum caput, quapropter ejus prædeſtinatio præit prædeſtinationem Adami; non potuit igitur Adæ peccatum, ut abſolute futurum, prænoſci ante Chriſti Domini prædeſtinationem; ac propterea quæ prædeſtinationem hanc præſcientia

Digitized by Google

tia peccati antegreſſa eſt, conditionalis fuit. Præterea, ut eſt ibidem, & quæſt. 24. art. 3. & 4. Chriſtus Dominus prædeſtinatus eſt, ut exemplar, & cauſa, ex qua in omnes homines gratia, tanquam in membra promanat, atque influit: quo fit, ut ante ipſius prædeſtinationem decreta non ſit primis parentibus gratia: & ſtatus felicitatis, in quo conditi ſunt. Non potuit autem eorum peccatum cognoſci, non cognita ea gratia, & ſtatu, quem peccando ſibi, nobiſque amiſerunt; conſequens igitur eſt, peccatum illud, ut abſolute futurum, non fuiſſe præcognitum ante Chriſti Domini prædeſtinationem, ac propterea ejus peccati præſcientia, quæ prædeſtinationi huic præluxit, conditionalem fuiſſe. Hæc ex Doctoris Angelici Summa; eademque reperies in aliis ipſius libris fuſius explicata. Ex quibus etiam ut aliquid afferamus, accipe quæ in ſexta quæſt. de Verit. art. 2. ad primum: nam quamvis hæc quoque ſimillima ſint eorum quæ paulo ante citavimus; mentem tamen S. Thomæ in re, quæ ad tuendam Societatis doctrinam maxime valet apertius declarat. *Ad primum*, inquit, *dicendum*, *quod debitus gratiæ uſus, eſt quoddam, ad quod divina providentia gratiam collatam ordinat. Unde non poteſt eſſe, quod ipſe rectus gratiæ uſus præſcitus, ſit cauſa movens ad dandum gratiam. Quod ergo Ambroſius dicit:* Dabo illi gratiam, quem ſcio, poſt errorem toto corde reverſurum ad me, *non intelligendum eſt, quod perfecta cordis converſio, ſit inclinans voluntatem ad dandum gratiam: ſed quod datam gratiam ad hoc ordinat, ut aliquis accepta gratia perfecte convertatur in Deum*. Scit igitur Deus, ac ne fruſtretur propoſitum ejus, certiſſime ſcit, quiſnam futurus ſit gratiæ uſus; utrum ei gratiæ ipſius gratiæ viribus adjutus, aſſenſurus ſit homo; an contra, ſolis arbitrii viribus, diſſenſurus. Verum non ea de cauſa gratiam conferre ſtatuit, quia prævidet fore, ut ea bene utatur homo, ſi conferatur; ſed, ut exiſtat bonus ille uſus, quem extiturum prævidet, ſi conferatur gratia, gratiam conferre ſtatuit ex ſola ſua miſericordia, & voluntate. In hanc enim, non in bonum illum uſum, referendum eſt, quod bonum ipſum uſum exiſtere velit, atque ut exiſtat, gratiam illam conferre decernat, quæ ſi conferatur, prævidet extiturum. Id iterum docet S. Thomas in reſponſione ad ſecundum: *Dicendum*, inquit, *quod prædeſtinatio includit voluntatem conſequentem, quæ reſpicit aliquo modo id, quod eſt ex parte noſtra, non quidem ſicut inclinans divinam voluntatem ad volendum: ſed ſicut id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat*. Item ad ſeptimum: *dicendum*, *quod propoſitum cordis Jacob præſcitum a Deo; non fuit cauſa, quare ei dare gratiam voluit: ſed fuit quoddam bonum, ad quod Deus gratiam dandam ordinavit*, (atque ita ante ordinationem hanc *præſcitum* tantum conditionaliter) *& ideo dicitur, quod ex propoſito cordis, quod ei patuit, eum dilexit: quia ſcilicet ad hoc eum dilexit, ut tale propoſitum cordis haberet*. Quod autem propoſitum illud cordis exiſtere in Jacob voluerit, & ad hoc eum dilexerit, ſeu gratiam conferre illi decreverit, referendum, ut diximus, in Dei bonitatem, *quod*, ut mox ſubjungit in reſponſione ad octavum, *in illis, quæ ſunt ſecundum rationem debiti inter aliquos diſtribuenda, eſſet contra rationem juſtitiæ diſtributivæ, ſi æqualibus inæqualia darentur: ſed in his, quæ ex liberalitate donantur, in nullo juſtitiæ contradicit*. Ac propterea, ut ait ad nonum, *dicendum*, *quod electio Dei, qua unum eligit, & alium reprobat, rationabilis eſt, nec tamen oportet, quod ratio electionis ſit meritum: ſed in ipſa electione ratio eſt divina bonitas*. Ut autem neceſſe ſit, prænoſci a Deo, quis nam futurus ſit gratiæ uſus, antequam gratiam conferre decernat; nec propterea tamen prænotio illa habeat rationem cauſæ, explicat in reſponſione ad 13. & 14. argumentum, quibus id contenditur. *Dicendum*, inquit, *quod licet illud, a quo non convertitur conſequentia, ſit aliquo modo prius, tamen non ſequitur, quod ſit eo modo prius, quo cauſa prius dicitur; ſic enim coloratum eſſet cauſa hominis: & propter hoc non ſequitur, quod præſcientia ſit cauſa prædeſtinationis*. Quamvis tam ſit neceſſe, quem ex adultis prædeſtinat Deus, de eo præviſum eſſe, futurum, ut alicui gratiæ conſentiat, ſi conferatur; quam neceſſe eſt, eſſe aliquid capax,

Digitized by Google

pax, atque exigens coloris, ſi eſt homo. Præterea in tertio articulo, in quo diſputatur, *Utrum prædeſtinatio certitudinem habeat*, ſic eſſe probat maxime ex præſcientia, qua dirigitur gratiæ præparatio, quæque illi prælucet. Nam *Contra* eos qui ſecus contendunt, primum affert, *quod ſuper illud quod dicitur Roman. VIII.* 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit &c. dicit gloſſa* (ex Auguſtin. de bon. Perſev. cap. 14. n. 95.) *Prædeſtinatio, eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, qua certiſſime liberantur, quicunque liberantur*; atque ex his paulo poſt: *Prædeſtinatio includit præſcientiam, ut patet ex gloſſa inducta: ſed præſcientia habet certitudinem, ut probat Boetius in* 5. *de Conſol.* (proſa 5. & 6.) *ergo & prædeſtinatio*. Ait autem poſtea, *præter certitudinem præſcientiæ, ipſum ordinem prædeſtinationis habere infallibilem certitudinem*: quem ordinem infra explicabimus. In quæſtione 24. in corpore ipſo articuli 14 eadem fere dicit de gratia congrua, quæ Auguſtinus ad Simplicianum loco ſupr. citat. *Omnes*, inquit, *exteriores motus a divina providentia moderantur, ſecundum quod ipſe judicat, aliquem eſſe excitandum*: hoc eſt, ut ſcit ipſi congruens eſſe, quo vocantem non reſpuat, ſed eum certo ſequatur. In Quodlibet 11. q. 3. ar. 3. *In prædeſtinatione*, inquit, *tria ſunt conſideranda, quorum duo præſupponit ipſa prædeſtinatio, ſcilicet præſcientiam Dei, & dilectionem, ideſt, voluntatem, qua vult prædeſtinatum ſalvare: & tertium eſt ipſa prædeſtinatio, quem nihil aliud eſt, quam directio in finem quæ vult Deus rei dilectæ &c.* Concludit poſtmodum: *Unde quia Deus ſcit, & vult iſtum, vel illum conſequi talem finem, prædeſtinatio certitudinem habet. Quia vero Deus vult, ut ſecundum libertatem arbitrii in talem finem dirigatur; ideo hujuſmodi certitudo nullam prædeſtinato neceſſitatem imponit*. Eadem de re in primum Sentent. diſt. 40. q. 1. ar. 2. *Prædeſtinatio*, inquit, *includit in intellectu ſuo providentiam, & aliquid addit: addit autem ad minus tria. Unum ex parte ipſorum prædeſtinatorum, quia cum providentia Dei ſit reſpectu omnium, & ſpecialiter quodammodo ſit reſpectu habentium voluntatem, prædeſtinatio includit in ſe providentiam, ſecundum illum ſpecialem modum, qui eſt hominum, & habentium voluntatem*: hoc eſt, ut *nihil iis præfigatur determinatum ad unum*, ut ait in Summa loc. ſupr. cit. ſed moveantur, *ſecundum quod Deus quemque judicat, eſſe excitandum*, ut ait loco proxime citato. Pergit hic autem: *Secundum addit ex parte ipſius finis, & eorum quæ habentur ut promoventia ad finem: cum enim providentia reſpiciat ordinem uniuſcujuſque boni ad quemlibet finem, prædeſtinatio eſt tantum reſpectu eorum, quæ ſunt elevata ſupra facultatem naturæ &c. Tertium addit ex parte ipſius prædeſtinantis; ex cujus parte videtur duo addere. Primo, quia providentia eſt idem, quod ars gubernationis rerum, quæ ſecundum rationem ſui nominis poteſt ſalvari in ſpeculatione tantum; ſed prædeſtinatio importat providentiam, ſecundum quod eſt ordinata ad executionem operis per voluntatem: & ideo deffinitur, per propoſitum, & præparationem. Secundo addit præſcientiam exitus* (utique conditionaliter futuri, propter rationes ſæpe allatas) *ex parte ejus quod providetur. Unde poteſt aliquid ab ordine providentiæ, quantum ad id quod intentum eſt, exire; ſicut Deus vult omnes homines ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur: non autem ab ordine prædeſtinationis*. Quod refert in præſcientiam prædeſtinationi preæuntem; nam ſtatim ſubjicit: *Dicit enim prædeſtinatio intentionem divinam de ſalute iſtius cum præſcientia ejus quod ſalvabitur; & ideo dicitur, quod eſt præſcientia, & præparatio*. Hactenus ex S. Thoma; plura ejuſdem generis, quæ pro Societatis ſententia proferri poſſent, cum apud ipſum tibi facile occurrent, tum etiam a noſtris Theologis collecta reperies.

XXIV.

S. Bonaventura inter præcipuos noſtræ ſententiæ patronos merito numeratur. Siquidem in primum Sentent. diſt. 40. ar. 2. q. 1. in Concluſione hæc habet: „ Dicendum, quod prædeſtinatio non „ infert neceſſitatem ſaluti, nec infert „ neceſſitatem libero arbitrio. Quoniam „ prædeſtinatio non eſt cauſa ſalutis, „ niſi

Digitized by Google

„ niſi includendo merita, & ita ſalvan-
„ do liberum arbitrium. Ad intelligen-
„ tiam autem objectorum notandum,
„ quod prædeſtinatio duo importat, &
„ rationem præſcientiæ, & rationem
„ cauſæ. In quantum dicit rationem
„ cauſæ, non neceſſario ponit effectum,
„ quia non eſt cauſa per neceſſitatem,
„ ſed per voluntatem: & iterum non
„ eſt tota cauſa, ſed cum alia cauſa
„ contingente, ſcilicet cum libero arbi-
„ trio. Et regula eſt, quod quotieſ-
„ cunque effectus pendet ex cauſa ne-
„ ceſſaria, & variabili; a neceſſaria,
„ tanquam ab univerſali; a variabili,
„ tanquam a particulari denominatur: a
„ variabili, quia denominatio eſt a cau-
„ ſa particulari: & effectus qui depen-
„ det a cauſa contingente eſt contingens.
„ Et præter rationem cauſæ importat
„ rationem præſcientiæ, & præſcientia
„ quidem totum includit in cognitione
„ lib. arb. & ejus cooperationem, &
„ vertibilitatem, & totum. Et præte-
„ rea non eſt niſi veri, & etiam de
„ vero contingente eſt infallibilis, ſicut
„ ſupra monſtratum eſt in quæſtione de
„ præſcientia: ideo prædeſtinatio infert
„ ſalutem, & non poteſt caſſari nec di-
„ ſcordare a libero arbitrio. Et quia
„ præſcientia nullam imponit neceſſita-
„ tem conſequenti, ſed ſolum conſe-
„ quentiæ, ſimiliter nec prædeſtinatio.
Ideo prædeſtinationem, quamvis neceſſitatem non inferat, caſſam tamen, effectuſque vacuam eſſe, & ab arbitrio libero diſcordare non poſse dicit, quia præſcientiam includit, non abſolutam, ſed quæ voluntati præeat, atque præluceat, ut paulo ante docuerat in expoſit. textus dub. 7. & in primo art. q. 2. *Prædeſtinatio importat ſcientiam, & voluntatem: ſed quoties hæc duo in aliquo importantur, voluntas ſe habet per modum conſequentis, & addentis ad ſcientiam*. Nec locutus dici poteſt de ſcientia effectus, ut tantum poſſibilis, quod eam & præſcientiam nominat, & in verum contingens ferri ait: &, ſi de ſcientia effectus, ut tantum poſſibilis locutus fuiſſet, non ſatis certa prædeſtinatio foret, & tam poſset irrita fieri, quam fieri poteſt, ut quod poſſibile eſt, re ipſa non ſit. Profitetur autem ipſe diſertiſſime de ea ſe ſcientia loqui, quæ non ſolum *poſſe*, ſed & *velle*, *& agere complectitur.* Sic enim art. 2. q. 1. ad 1. 2. 3. *Talis eſt aſpectus divinæ præſcientiæ, quia ab æterno cognovit, quod cogitare poteramus, vel velle: & ſimul cum hoc vidit in quam partem noſtra voluntas, & operatio inclinantur. Et quia totum poſſe, & velle, & agere complectitur; ideo non poteſt falli. Et quia prædeſtinatio claudit præſcientiam, hinc eſt, quod concordat cum libero arbitrio, & non poteſt diſcordare, & non poteſt caſſari: & neceſſario infert ſalutem, ſed non neceſſario efficit*. De primo homine eadem dicit, quæ Thomas, Auguſtinus, & Patres reliqui ſupr. cit. Etenim in ſecundum diſt. 23. ar. 1. q. 2. in quo diſputatur, *An Deus permittere debuerit, hominem impugnari*; prius de more contradicens ait: *Impius eſſet pater, qui permitteret, filium aggredi bellum, in quo ſciret, eum eſſe ab alio ſuperandum: ergo &c.* Id vero ſibi objectum ita diluit: *Ad illud autem, quod primo objicitur in contrarium de pietate paterna, dicendum, quod etſi Deus ſit pater pius, eſt tamen judex æquus: & ideo ſic decebat Deum erga hominem pietatem paternam oſtendere, ut tamen non amitteret officium poteſtatis judiciariæ: & ideo quidquid de homine prænoſſet, ſuſtinere debuit ipſum ab adverſario impeti tentationis bello*. Item legite, quæ ſcribit in tertium diſt. 1. ar. 2. q. 2. & 4. atque ea recolite, quæ paulo ante retuli ex S. Thoma de prædeſtinatione Chriſti Domini, ejuſque in terras adventu, uſque ad ſextam Mundi ætatem dilatum. Eadem pariter ſcribit in Lucam, & illud X. 13. *Si in Tyro, & Sidone &c.* ſic exponit: *Si Dominus eis tanta miracula oſtendiſſet, ante ſui ſubverſionem, quam comminatus eſt per Ezechielem, adhuc non eſſent ſubverſæ; & hoc quia pœnitentiam egiſſent*. Scoto etiam conditionalis ſcientia probata eſt: namque in primum diſt. 41. q. unica refellens opinionem Henrici, quæ conditionali ſcientia nititur, fundamentum iſtud adeo non commovet, ut potius conſtabiliat, atque confirmet. *Si dicas*, inquit, *quod etſi non prævideat uſum talem (* re ipſa aliquando futurum *) tamen præ-*

Digitized by Google

prævidet, *iſtum bene fuiſſe uſurum*, *ſi ſupervixiſset*; *illum fuiſse male uſurum*, *ſi ſupervixiſset*: *& ideo iſtum perducit ad baptiſmum*, *& illum non*; *& iſte ſalvatur*, *& ille damnatur*. Concedit quidem, faterurque ultro, eſse ſcientiam de hoc; at non continuo ſtare dicit Henrici ſententiam, quandoquidem Henricus *ipſe hoc ita improbat*, *quia propter bonum uſum præviſum alicujus ſi ſupervixiſset*, *non acceptatur*, *vel damnatur*. *Tunc enim adultus ſecundum eos moriens in gratia non præmiaretur ſecundum merita*, *quæ jam habet*; *ſed ſecundum illa*, *quæ prævideretur habiturus*, *ſi ſupervixiſset*. *Similiter ſi loquamur de Angelis &c.* Magiſtrum pariter ſequutus Ægidius Roman. in primum diſt. 23. q. 1. a. 2. idem proponit argumentum, quod paulo ante retuli ex Bonaventura de *patre*, *qui impius videretur*, *ſi permitteret filium aggredi bellum*, *in quo ſciret*, *eum eſse ab alio ſuperandum*: atque ita ſolvit, ut expreſse concedat, *præſciſse Deum*, *hominem eſse ſuperandum a Diabolo in illa tentatione*. De reliquis ſcholæ Theologis conſulite Ruitzium loco ſupr. citato.

XXV.

Sacrorum Scriptorum agmen claudant duo cariſſimi Aſcetæ, iidemque viri doctiſſimi Raymundus Jordanus cognomento Idiota, & S. Franciſcus Saleſius. Primus in tract. de Ocul. myſt. cap. 15. n. 12. hæc habet: *Nec tantum oculus Dei ea proſpicit*, *quæ aliquando erunt*, *ſed etiam quæ re ipſa non erunt*; *eſſent tamen*, *ſi aliquid aliud poneretur*. *Sic enim Davi de rogante*, *an*, *ſi ipſe in Ceila maneret*, *& Saul eo veniret*, *Ceilitæ eſſent eum tradituri*, *reſpondit*: *Tradent*. *Tam ergo perſpicax eſt divinus oculus*, *ut rem*, *quæ futura non erat*, *eſſet tamen futura*, *ſi David ibi manſiſſet*, *& Saul eo veniſſet*, *præcognoverit*, *perinde ac ſi abſolute futura fuiſſet*: *nimirum illud quod fieret*, *aut non fieret*, *ſi conditio aliqua poneretur*, *eſt aliquid verum determinate*: *non enim utrumque contradictorium*, *aut neutrum*, *ſed alterutrum dumtaxat vere tunc accideret*. *Cum igitur oculus divinus perſpiciat omne verum*, *non poteſt Deus hoc ignorare*. Homo, qui ſcripſit trecentis circiter annis ante exortam de ſcientia Media controverſiam, cum ſcientiam illam, tum rationes, & exempla, quibus probatur, paucis his verbis non minus clare, atque aperte proponit, quivis Societatis Theologus. Alter in Epiſtola ad P. Leonardum Leſſium 26. Auguſt. 1618. data ejus de prædeſtinatione ſententiam, quæ ſcientiam eamdem complectitur *ſententiam* vocat *antiquitate*, *ſuavitate*, *ac ſcripturarum nativa auctoritate nobiliſſimam*: teſtaturque *ſe eam in libello divini Amoris tantiſper indicaſſe*. Quod ait ſententiam illam tantiſper a ſe indicatam, intelligendum eſt de prædeſtinatione: cæterum cum Societatis doctrinam de divinæ gratiæ efficacia in toto ferme aurei illius tractatus de Amore Dei libro ſecundo diſerte, ac luculenter exprimat, inter præcipuos Scientiæ mediæ patronos ab illa merito habetur. Unum tantum affero ex capite undecimo, quod nobis etiam S. Franciſci Aſſiſiatis auctoritatem conciliat. Sic enim de illo Saleſius: *Cum S. Franciſcus a fratre Rufino interrogatus*, *quam de ſe ipſo opinionem haberet*, *reſpondiſſet*: *maximum totius mundi me peccatorem*, *& eum*, *qui negligentiſſime omnium Deo ſervit*, *exiſtimo*, *nec acquieſceret Rufinus*, *negaretque eum*, *ſalva veritate*, *& conſcientia*, *poſſe id affirmare*, *cum plena ſint omnia peccatoribus*, *qui enormia committunt peccata*, *a quibus ipſe*, *Dei beneficio*, *erat immunis*: *ſubjeciſſe S. Franciſcum*: *Si Deus alios illos peccatores*, *de quibus tu loqueris*, *tanta gratia*, *& miſericordia præveniſſet*, *quanta me prævenit*, *longe gratiores*, *& accuratiores erga largitorem in ejus ſervitio futuros fuiſſe*, *quam ego ſim*. *Et ſi is me ſingulari ſuo favore deſtitueret*, *in multo abominabiliora*, *quam illi*, *quos commemoras prolaberer peccata*. *Quem locum ita concludit Saleſius*: *Vide*, *Theotime*, *judicium illius*, *qui vix fuit homo*, *ſed Seraphin in terra! Scio*, *ſcio equidem ſatis eum ex humilitate ſic loquutum fuiſſe*, *ſed credebat*, *ſe ipſiſſimam enunciare veritatem*, *ſat aperte judicans*: *quod æqualis gratia*, *pari miſericordia duobus peccatoribus exhibita*, *per unum eorum utilius ad ſalutem poſſit adhiberi*, *quam per alterum*.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI.

Sed jam tandem aliquid etiam ex prophanis. Ariſtotilem, & antiquiores philoſophos conditionalium præſcientiam Deo tribuiſſe multis contendit Ruitzius diſp. 68. ſect. 7. Ipſam illam certe rationem, qua pro ſcientia conditionali pugnantem Idiotam paulo ante audiſtis ſic approbat Cicero in libro de Fato, ut ei repugnare, intolerabilis cujuſdam licentiæ, & miſerabilis inſcientiæ putet. *Ratio igitur*, inquit, *eventus aperit cauſam: ſed ex æternitate vera fuit bæc enuntiatio: Relinquetur in inſula Lemno Philoctetes: nec hoc ex vero in falſum poterat converti. Neceſſe eſt enim in rebus contrariis duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his igitur neceſſe eſt invito Epicuro alterum verum eſſe, alterum falſum: ut, Sauciabitur Philoctetes, omnibus ante ſæculis verum fuit: Non ſauciabitur, falſum. Niſi forte volumus Epicureorum opinionem ſequi, qui tales enuntiationes nec veras, nec falſas eſſe dicunt: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod eſt impudentius, veras eſſe ex contrariis disjunctiones: ſed quæ in his enuntiata eſſent, eorum neutrum eſſe verum. O admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcientiam diſſerendi! Si enim &c. Tenebitur igitur id, quod a Chryſippo defenditur, omnem enuntiationem aut veram, aut falſam eſſe: ratio ipſa coget, & ex æternitate quædam vera eſſe, & ea non eſſe nexa cauſis, & a fati neceſſitate eſſe libera*. Hæc autem ratio non minus valet pro ſtatu conditionali rerum, quam pro abſoluto; cum eadem pro utroque ſtatu contradictionis vis ſit: *Non enim*, ut notat Idiota, *utrumque contradictorium, aut neutrum, ſed alterutrum dumtaxat vere tunc accideret*. Quare conditionalium futurorum ſcientia Deo manifeſte tribuit Porphyrius a Cyrillo Alex. citatus in tertio contra Julianum. Sic enim ille: *Deus, qui futura norit, alios quidem propter pietatem etiam juvenes vitæ præripit, alios vero propter eas, quæ neceſſariis clades futuræ ſunt per eos. Horum autem miſertus, futuris ob inexpiabilia calamitatibus eximit*. Atque horum ſimilia ſcribit Proclus in Alcibiadem primum, qui de natura hominis dialogus eſt. Quæ quidem perſpicuum faciunt, prophanis ipſis, atque ethnicis hominibus perſuaſum, quid quæque facultas, & cauſa libera, quaque conditione poſita, deliberatura, acturave ſit, ſcire Deum; idque eſſe cum e perfectione ſummæ naturæ, tum e ratione optimæ providentiæ. Quæ duo argumenta ſatis evincunt, eſſe in Deo ſcientiam, de qua diſputamus. Teſtimonia vero tot veterum ſcriptorum, quæ hactenus allata ſunt, probant ſcientiam eandem in ſacris eſſe Literis traditam. Quoniam illinc potiſſimum hauſtum eſt, quicquid eſt uſpiam ſacræ doctrinæ: ac certe quidem ex verbo Dei tota profluxit. *Fons ſapientiæ verbum Dei*. Eccli. I. 5.

DISPUTATIONIS
TERTIA PARS,
Seu Reſponſio.

XXVII.

RESPONDEO, Scripturæ divinæ locos, quos ſupra exhibui, tam perſpicuos eſſe per ſe, tamque inter ſe conſentientes ſanctorum Patrum, ſacrorumque Interpretum de iis eſſe ſententias; ut dubitari non poſſit, quin ſacræ Literæ tribuant Deo ſcientiam futurorum conditionalium, eamque omnino certam, atque evidentem; quam quidem miror extitiſſe aliquos etiam doctores catholicos, qui denegent Deo. Nec ſane video, quomodo ſive ex ratione, quam hic proxime attigimus; ſive, quod hic maxime agitur, per ſacram auctoritatem, id ſibi licere arbitrentur.

Ajo præterea ſcientiæ hujus denominationes, applicationes, terminationesve contingentes, quas vocant, ſive ſtatuantur in Deo, ſi de illis quæratur, Quid ſint, contingentiam penitus omnem deficere; prorſus uti de numero locutus eſt Auguſtinus, ubi, Quid ſint, quæratur de Divinis Perſonis: ſive autem removeantur a Deo, ac rejiciantur inter creata; in externa verifuſione conditionali, ideſt, non quæ ſit, ſed quæ eſſet, eaque vel activa, vel paſſiva eſſe ponendas. Porro verifuſio activa eſt externa Dei operatio, ſive energia rerum effetrix, ut res ipſa aſſimilans æterno exemplari, ſive ideæ, & quaſi formæ, quam quæque res habet in mente Dei. Verifuſio paſſiva eſt ipſamet interior veritas rei, ſeu res ipſa, ut vera; hoc eſt, ut repræſentans, atque imitans æternum illud exemplar, ideam, formamque, quam dixi. Probata, atque explicata ſunt hæc ſatis in 2. Prolegom. q. 2. diſputat. 2. & aliquanto fuſius, ac diſtinctius in duobus dialogis Platonis Chriſtiani; Centropanto ſive alio titulo Gregorio Nazianzeno qui eſt de Dei eſſentia, & natura; & Aletheochiſio, ſive alio pariter titulo, Idiota qui eſt de Scientia divina. Illud hic addi, vel potius repeti poteſt; hoc eſse, quod Deus in ſacris Voluminibus, & apud Patres dicitur Veritas; quodque de illo acute ſcripſit Bernardus de Conſid. lib. 5. cap. 5. n. 12. *Deus novit*, ſeu videt, *ut Veritas*. Quia nimirum hæc eſt natura æternæ, ac per ſe conſiſtentis Veritatis, ut ex diverſa communicatione, & participatione ſui, tum abſoluta, tum conditionali, diverſas quoque videntis hoc ſcilicet potius, quam illud denominationes accipiat.

XXVIII.

Atque hic ex allato Bernardi loco illa mihi ſe iterum offert divinæ ſcientiæ explicandæ ratio; de qua dixi in quarto ſyſtemate: niſi hæc ad priorem ex iis tribus, quæ in diſputatione de actibus contingentibus, ac liberis Dei expoſitæ ſunt, revocanda videatur. Quæcunque ea ſit, eam mihi non arrogo; Bernardo acceptam, ut dixi, refero: immo Auguſtinum, Anſelmum, Patres, Doctoreſque alios id ipſum, & multo quidem luculentius, docere, puto utique ex Sacris Literis, quæ Deum Deique ſcientiam multis in locis appellant nomine Veritatis. Diſtinguunt igitur hi quoque omnes, ſimiliter ut in Schola inter Eſſe veri, & Eſse rei: atque hoc temporarium, atque mutabile; illud vero æternum, & immutabile eſse ajunt. Diſcrepant autem a pleriſque Scholaſticis, quod Eſse veri videntur ponere in Deo ipſo: atque hanc eſse volunt ipſius Verita-

ritatis , ſeu Scientiæ divinæ naturam , propriamque rationem , ut ſit Eſse veri omnium , tum quæ neceſse eſt ita eſse, tum quæ ita non eſse poſſibile eſt ; nec omnium modo, quæ abſolute, ſed etiam quæ conditionaliter futura . Probatur id de Auguſtino ex iis , quæ ſcripſit lib. 26. cont. Fauſtum Manich. cap. 5. in hæc verba: *Non ergo eſt , quod vere dicimus fuiſſe : ſed ideo verum eſt , illud fuiſſe , quod in noſtra ſententia verum eſt , non in ea re , quæ jam non eſt . Sententia quippe , qua dicimus , aliquid fuiſſe , ideo vera eſt , quia illud , de quo dicimus , jam non eſt . Quod ſi quæras , ubi ſit hæc vera ſententia; prius invenitur in animo noſtro, cum id verum ſcimus , & dicimus . Sed ſi & de animo noſtro ablata fuerit, cum id quod ſcimus obliti fuerimus; manet in ipſa Veritate . Semper enim verum erit , fuiſſe illud quod erat , & non eſt : & ibi verum erit jam fuiſſe, quod erat, ubi verum erat, antequam fieret, futurum eſſe, quod non erat.* Nec minus aperte mentem ſuam declarat aliis in locis . Confeſ. lib. 12. cap. 25. n. 35. ſic adverſarium alloquitur : *Si ambo videmus verum eſſe , quod dicis ; & ambo videmus verum eſſe quod dico; ubi quæſo id videmus ? Nec ego utique in te , nec tu in me , ſed ambo in ipſa , quæ ſupra mentes noſtras eſt , incommutabili Veritate .* In illa ſcilicet Veritate , de qua idem in ſecundo de lib. arb. cap. 12. n. 34. ita ſcripſit : *Cum enim quis dixerit , æterna temporalibus eſſe potiora ; aut ſeptem & tria decem eſſe ; nemo dicit , ita eſſe debuiſſe ; ſed tantum ita eſſe cognoſcens , non examinator corrigit, ſed tantum lætatur inventor . Si autem eſſet æqualis mentibus noſtris hæc veritas, mutabilis etiam ipſa eſſet. Mentes enim noſtræ aliquando eam plus vident, aliquando minus , & ex hoc fatentur ſe eſſe mutabiles : cum illa in ſe manens , nec proficiat , cum plus a nobis videtur ; nec deficiat, cum minus ; ſed integra, & incorrupta & converſos lætificet lumine , & averſos puniat cæcitate .* Nec ſolum ipſa Veritas , ſeu Scientia divina eſt Eſse veri illorum , quæ ſunt neceſsario vera , ut æterna præſtare temporariis , ſeptem & tria decem eſſe , & quæ horum ſimilia ; verum etiam illorum , quæ vera ex contingenti : ut apparet ex loco citato contra Fauſtum, & ex eo quod ſcripſit lib. 15. de Trinit. cap. 13. n. 22. his verbis: *Habet nuntios Deus; ideſt , Angelos : non tamen , qui ei quæ neſcit , annuntient . Non enim ſunt ulla , quæ neſciat : ſed bonum eorum eſt de operibus ſuis ejus conſulere Veritatem .... in ejus Veritate invenientes , quid ſibi faciendum; quid, quibus , & quando nuntiandum ſit &c.* Mitto alia plurima horum ſimillima; in quibus Deus, ejuſque ſcientia non ſolum Veritas dicitur ; ſed hæc Veritas ita deſcribitur, ut ibi ſit ſecundum Eſſe veri, quidquid quoquomodo ſecundum Eſſe rei vel abſolute, vel conditionaliter futurum ſit . Videndum de Anſelmo, ut idem ipſum pariter doceat. Monolog. cap. 18. *Cogitet* , inquit, *qui poteſt , quando incœpit , aut quando non fuit hoc verum , ſcilicet quia præteritum erit aliquid . Quod ſi neutrum horum cogitari poteſt , & utrumque hoc verum ſine veritate eſſe non poteſt ; impoſſibile eſt vel cogitare, quod veritas principium, vel finem habeat. Denique ſi veritas habuit principium , vel habebit finem; antequam ipſa inciperet, verum erat tunc , quia non erat veritas : & poſtquam finita erit , verum erit , quia non erit veritas . Atqui verum non poteſt eſſe ſine veritate : erat igitur veritas, antequam eſſet veritas: & erit veritas , poſtquam finita erit Veritas; quod inconvenientiſſimum eſt . Sive igitur dicatur veritas habere , ſive intelligatur non habere principium , vel finem ; nullo claudi poteſt veritas principio , vel fine . Quare idem ſequitur de ſumma natura, quia ipſa ſumma veritas eſt.* Æternum certe, quod hic concludit Anſelmus, nihil eſt, niſi ſolus Deus. Et locus eſt ita clarus, ut liceat quidem contradicere Anſelmo, ab eoque aperte diſcedere; illum vero ſic interpretari, ut aliud ſignificet, quam id quod proxime dixi, non licere videatur . Atqui habet idem etiam aliquid clarius in celebri dialogo de Veritate; ſic enim ait cap. 10. *Jam intelligere potes, quomodo ſummam Veritatem in meo Monologio probavi non habere principium , vel finem, per veritatem orationis . Cum enim dixi, quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid ; non ita dixi , ac ſi abſque principio iſta oratio fuiſſet , quæ aſſereret , futurum aliquid eſſe ; aut iſta veritas* (ſci-

licet oratio, ſive enunciatio) *eſſet Deus*: *ſed quoniam non poteſt intelligi quando, ſi oratio iſta eſſet, veritas illi deeſſet, ut per hoc quia non intelligitur, quando iſta veritas eſſe non potuerit, ſi eſſet oratio, in qua eſſe poſſet; intelligatur illa veritas ſine principio fuiſſe, quæ prima cauſa eſt hujus veritatis*, ſitæ nimirum in ea oratione, ſeu enunciationem. *Primam cauſam hujus veritatis*, cum dicit, non cauſam duntaxat efficientem, aut exemplarem intelligi vult; ſed primum, & primarium verificativum, ut Schola loquitur: ſive ipſum Eſſe veri; ut tamen ab Eſſe rei diſtinguitur, ne Deum permiſceamus, ac confundamus cum rebus creatis. Apparet id ex illis, quæ ſtatim ſubjicit. *Quippe*, inquit, *veritas orationis non ſemper poſſet eſſe*, (hoc eſt, oratio non ſemper poſſet eſſe vera) *ſi ejus cauſa* (hoc eſt verificativum) *non ſemper eſſet. Etenim non eſt vera oratio, quæ dicit, futurum eſſe aliquid, niſi re ipſa ſit aliquid futurum*; (hoc eſt, niſi re ipſa aliquid exiſtat, quod ſit, ut Scholaſtici ajunt, ipſius futuritio, ſeu propria, & formalis ratio primaria, qua ipſum eſt futurum: Nimirum Eſſe veri, diſtinctum, ac tota æternitate ſejunctum ab Eſſe rei) *neque aliquid eſt futurum, ſi non ſit in ſumma Veritate. Similiter de illa intelligendum eſt oratione, quæ dicit, quia præteritum eſt aliquid. Nam ſi nullo intellectu veritas orationi huic, ſi facta fuerit, deeſſe poterit; neceſſe eſt, ut ejus veritatis, quæ ſumma cauſa eſt iſtius* (hoc eſt primarium verificativum) *nullus finis intelligi poſſit. Idcirco namque vere dicitur, præteritum eſſe aliquid, quia ita eſt in re: & ideo eſt aliquid præteritum*; ſive, & ideo ita eſt in re, ſeu in Eſſe rei; *quia ſic eſt in veritate ſumma*: ſive, in Eſſe veri, quod tum neceſſaria, tum contingentia; tum abſoluta, tum conditionalia habent in Deo; qui ut cap. ult. idem loquitur, eſt *ipſa veritas, per ſe ſubſiſtens*.

Quare in hac etiam ſententia Scientia Divina dignitatem, præſtantiamque retinet ſuam; cum res creatas & tanquam cauſa efficiens, & tanquam exemplar omnino antecedat; & nulla prorſus ratione ſubſequatur. Hæc enim natura eſt veritatis, ut nimirum eodem, quod vocant, ſigno teneatur, quo res illa, quæ dicitur vera. Nec logice, ſeu ratione noſtra, prius eſt Eſſe rei, quam Eſſe veri. Quod ipſum ſignificavit Anſelmus de concord. Præſcient. Dei cum libero Arbitrio cum ſcripſit cap. 7. quæſt. 1. Non poſſe refelli, qui dicat, *Præſcientiam Dei, & liberum arbitrium ſimul eſſe*. Quod quidem non ſolum valet, ſi cum Anſelmo, & Auguſtino Eſſe veri diſtinguamus re ipſa ab Eſſe rei, atque illud reponamus in Deo, quod ad primam viam explicandæ ſcientiæ divinæ, in diſputatione de Actibus contingentibus, ac liberis Dei propoſitam pertinet; ſed etiam ſi cum aliis pluribus Eſſe veri extra Deum poſitum eſſe dicamus, ſic tamen, ut denominationes contingentes divinæ Præſcientiæ tum abſolutæ, tum conditionalis exinde ſumantur: quod ad ſecundam, vel tertiam viam, ibi pariter propoſitas ſpectare poterit.

XXIX.

Ajo tandem a Patribus, & quod hic potiſſimum quæritur in Sacra Scriptura non ſolum tradi Scientiam futurorum conditionalium, eamque certam, atque evidentem, quam aliqui etiam Doctores catholici negant; ſed qualem prorſus Societatis Schola defendit. Quod breviſſime expedio. Siquidem tres ſunt hujus rei declarandæ a me ſupra ex Sacris Literis ductæ, & propoſitæ viæ. Habent id omnes, ut ſcientia Dei etiam, quæ de futuris conditionalibus, κτ̓ τὴν ὀντότητα, ſecundum entitatem ſit ipſe Deus, ac proinde actus ſummus, ſive omnis ſcientia, & viſio. Prima autem via certa quævis, & peculiaris hujus ſcientiæ denominatio petitur ex aliquo, quod ſit intra Deum ipſum, ſive iſthuc dicatur Eſſe veri, aut veritas, ut nuper ex Auguſtino, & Anſelmo; ſive dicatur æterna habitudo, aut ſtatus, vel modus progreſſionis ad terminos extra poſitos. De quibus ſi quæratur, Quid ſint; contingentia omnis deficiat; adſit vero, ubi quæritur, Ad quid; ſeu, Ad quem terminum ſint. Secunda, ac tertia via eadem denominatio petitur, ſive ex terminis ipſis, qui, certa aliqua conditione poſita, exiſterent, ut in his eſſet ratio veri;

Digitized by Google

ri; ſive ex aliquo Medio creato, de quo Græci Patres ſuo loco citati, quod eadem conditione poſita exiſteret: ut id in terminos illos veri rationem induceret. Porro Scientia hæc conditionalis, ita trifariam expoſita, nullo nititur Dei decreto, quale præſertim a Thomiſtis adſtruitur, *ſubiective abſolutum*, *ac terminative conditionatum*; quodque ut opinamur, homini, & Angelo minime ſolutum relinquat, quid, ea conditione poſita, eligerent: ſed aliquid invehat cum ipſorum actione connexum, idemque non evitabile. Probatur idem primum, quia in Sacris Literis, & Patrum ſcriptis nulla ſit hujus decreti mentio; cum tamen mentio ſæpiſſime fiat de hujuſmodi ſcientia, neque in hac triplici explicatione ulla apparet ejus decreti neceſſitas. Deinde, quia cum hominum, & Angelorum actione connexum eſt, iiſdemque inevitabile; ac proinde habet duo quædam facultati, electionique liberæ prorſus contraria, ut ipſa hæc electio, & facultas libera in Sacris Literis deſcribitur; de quo vide Societatis theologos, ac tertium Syſtema noſtrum. Sequitur igitur, ut in ſacris Literis tradatur ſcientia futurorum conditionalium, non modo certa, & evidens, verum etiam nullo nixa præſenti Dei decreto; qualem ſcilicet defendit Societas, & ut omnino auctoritati, & rationi congruat. Quod erat propoſitum, de ſcientia media plura dicemus omnino ex Societatis doctrina, ac noſtrorum placitis, in ſequenti diſputatione a n. 34.

DISPUTATIONIS

QUARTA PARS,

Seu Confutatio.

XXX.

AD primum; ſi *juxta unanimem conſenſum Patrum*, ut Tridentinum præcipit, *Sacram Scripturam accipere*, & *interpretari volumus*, quam de vera, & propria pœnitentia conſequente decretum condendi homines; tam de ignorantia, inſcientiaque ulla decretum iſtud antecedente non poteſt intelligi locus nobis objectus. Relege Patrum teſtimonia ſupra citata. Tres hic præterea aſſero, qui locum hunc diſtinctius ediſſerunt. Auguſtinus lib. 15. de Civit. cap. 25. ſuper iſta Moyſis verba ita ſcribit: *Ira Dei*, *non perturbatio animi ejus eſt*, *ſed judicium*, *quo irrogatur pœna peccato*: *cogitatio vero ejus*, & *recogitatio* (Auguſtinus ſecutus LXX. Interpretes legit, *cogitavit*, ſeu *recogitavit*, quod Latinus Interpres vertit, *pœnituit*) *mutandarum rerum eſt immutabilis ratio*. *Neque enim ſicut hominem*, *ita Deum cujuſquam facti ſui pœnitet*, *cujus eſt de omnibus rebus tam fixa ſententia*, *quam certa præſcientia*. *Sed ſi non utatur Scriptura talibus verbis*, *non ſe quodammodo familiarius inſinuabit omni generi hominum*, *quibus vult eſſe conſultum* &c. Theodoretus in Gen. quæſtionem hanc inſtituit numero quinquageſimam: Cur diluvio multitudinem hominum deleverit Deus? De quo ita reſpondet: „ Delere „ ſobolem Cain voluit Deus, & quia „ piorum tribus illi permixta erat, ob „ id ſupplicii particeps fuit. Non autem „ Deus, ut ferunt quidam, ira, & pœ„ nitentia ductus hoc fecit: ſunt enim „ hujuſmodi paſſiones humanæ, a qui„ bus natura divina prorſus eſt libera. „ Præſertim cum pœnitentia conveniat „ eis, qui periculo facto, rerum condi„ tionem didicerunt, ignorantes enim „ quod futurum eſt, antea conſultant, „ tum periculo facto, diſcentes quod „ non recte deliberaverint, pœnitentia „ ducuntur. Deus autem perinde videt „ ea, quæ multa poſt ſecula futura ſunt, „ ac ſi jam eveniſſent: hinc fit, ut tan-

„ quam

Digitized by Google

„ quam prævidens, & præſciens omnia „ diſpenſet. Quomodo ergo pœnitentia „ cadet in eum, qui ſua præſcientia „ regit univerſa? Quare pœnitentia Dei „ nihil aliud eſt, quam mutatio diſpo- „ ſitionis ejus. “ Pœnitet me, inquit (I. *Reg.* XV. 11.) quod conſtituerim Saul Regem: „ pro eo, quod eſt; ſtatui „ deponere illum, & alterum creare „ regem. Sic & hoc loco: “ Pœnitet me feciſſe hominem: „ hoc eſt, decrevi „ perdere humanum genus. “ Sic Theodoretus. Damaſcenus autem in dialog. contra Manich. num. 80. „ Deus, *inquit*, cum hominem effeciſſet, Saulemque in regem unxiſſet, ipſique in „ peccatum lapſi eſſent, pœnitentia affectus fuiſſe dicitur; non quod Deus „ pœnituiſſet (quid enim futurum eſſet „ ante norat) ſed quod illi ea perpe- „ traſſent, quæ pœnitentia digna erant. “ At enim ſcientia illa, propter quam Patres hi veram, & propriam in Deum pœnitentiam cadere negant, non eſt conditionalis, quæ decreto condendi homines præiverit; ſed abſoluta, quæ præivit hominum effectioni. Quaſi vero minus abſurdum ſit, Deoque indignum minus, eum decreti, voluntatiſque ſuæ, quam exterioris actionis vere, & proprie pœnitere. Cumque ſit utrumque ſimul connexum, Patres tamen alterum ab altero dividant; & poſterius hoc quidem caveant, prius vero illud negligant: aut ſi utrumque curant, non utriuſque ſatagant; aut non eadem ratione utrumque obtineant: ut Deus vere, & proprie nec effectionis pœniteat, quod certo ſciens ſcelera, quæ patraturi erant, homines condidit; nec pœniteat decreti, & voluntatis, quod ſcelera eadem pariter certo ſciens, homines condere ſtatuit.

XXXI.

Id etiam, quod additur, præceptum primis parentibus datum, tentationis permiſſionem, mulierem comitem, adjutricemque viro adjunctam, Paradiſi locum omnibus deliciis inſtructum ejuſmodi eſſe, ut non ſit credibile, Deum, antequam hæc apud ſe conſtitueret, certo prænoviſſe, bonone, an malo ceſſura homini fore: id, inquam, communi Patrum ſenſui non minus repugnat. De præcepto primis parentibus dato Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 16. n. 23. Cum enim Pelagianorum verbis ſibi illud objeciſſet: *Cur ergo jubet, quod ſcit nullum hominem eſſe facturum?* Videlicet, ut ſine ullo peccato ſit; contra eos argumentum, ut jam obſervavimus ita retorquet: *Hoc modo etiam dici poteſt; cur primus illis hominibus juſſerit, qui duo ſoli erant, quod ſciebat eos non eſſe facturos?* Et paulo poſt: *quia ſicut ſciebat, quid juſtitiæ facturi non erant, ita etiam ſciebat, quid juſtitiæ de illis erat ipſe facturus.* Recole alia Auguſtini loca in hanc ipſam ſententiam ſupr. cit. Itemque Nazianzeni, Ambroſii, Chryſoſtomi, & aliorum Patrum idem docentium. De tentationis permiſſione Auguſtinus idem lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 4. num. 6. *Si ergo quæritur, cur Deus tentari permiſerit hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat; altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum &c.* Vide reliqua ſupr. cit. ex eodem, itemque ex Beda, & Anſelmo, ex Hugone Victor. ex Thoma, ex Bonaventura, & aliis. De muliere ſimiliter comite, atque adjutrice, deque Paradiſi loco Auguſtinus Epiſt. 194. ad Sixtum Cap. 9. n. 42. *Cur ipſum*, inquit, *primum conjugium peccatorum, quos utique noverat Deus peccaturos non de Paradiſo ante projecit, ne ibi committerent, quod tam ſancto loco eſſet indignum ſi juſte peccata etiam nondum commiſſa puniuntur?* Quid quod ſupra etiam retulimus ex D. Thoma, qui p. 1. q. 92. ar. 1. argum. 3. *Occaſiones*, inquit, *peccatorum ſunt amputandæ: ſed Deus præſcivit, quod mulier eſſet futura viro in occaſionem peccati: ergo non debuit mulierem producere.* Quod ea ratione diluit, *quia non debuit bonum commune tolli, ut vitaretur particulare malum; præſertim cum Deus ſit adeo potens, ut quodlibet malum poſſit ordinare in bonum.* Idem q. 102. ar. 2. ad 3. non fruſtra conditum Paradiſi locum, attributumque homini dicit, licet in eo non diu eſſet manſurus: *Sicut non fruſtra fuit homini attri-*

Digitized by Google

attributa immortalitas quædam, quam conſervaturus non erat. Per hujuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiſerit. Lege Gregorium Nyſſen. Chryſoſtomum, Theodoretum, Damaſcenum, Moſem Barcepham, & alios pariter ſupr. cit. Ad hæc omnia vero univerſe facit celeberrima illa omnium fere Patrum quæſtio: *Quare fecit Deus hominem, quem peccaturum ſciebat?* Quod etiam de malis angelis quærunt. Ita porro reſpondent, ut oſtendant melius eſſe, Deique providentia dignius, *ex malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere*. Scientia autem illa, de qua ibi loquuntur, quæque locum huic quæſtioni facit, decretum condendi homines anteit: quippe quæ hominum effectionem, ideoque illud etiam decretum impedire potuerit; eaque poſita, neque hominem facere in tempore, neque id ipſum ex æterno ſancire, Deo neceſſe fuit; ſed plane liberum, ſolutumque. Nam ſi neceſſarium fuiſſet, locus quæſtioni illi non eſſet: *Quare fecit Deus hominem, quem peccaturum ſciebat?* aut prompta, & præciſa reſponſio, Quia neceſſe fuit ita fieri; non fieri autem impoſſibile. Quod ſi ſcientia illa decretum condendi homines anteit, ſcientia abſoluta, ſeu viſionis non eſt.

XXXII.

Ad ſecundum; ea Scripturæ loca, quibus Deus tentare, experiri, probare dicitur ita Patres exponunt, ut vel ex iis tantum, quæ hac in re dicunt, ſcientia futurorum conditionalium, de quibus agimus, Deo tribuenda ſit, non qualiſcunque, ſed certa, & infallibilis: quod contra Doctores Catholici adhuc aliqui docent. Auguſtinus quæſt. 58. in Exod. XVI. 4. Lib. 2. *Tentatio iſta*, inquit, *probatio eſt: nec ideo probatio, ut Deus noverit, ſed ut ipſos ipſis hominibus oſtendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium, & agnoſcendam Dei gratiam.* Idem quæſt. 74. in Exod. XX. 20. *In hoc erat illis tentatio a Domino, qua probabantur, ut appareret, cujuſmodi eſſent: non ut Deo noti fierent, quem non latebant qualeſcunque eſſent, ſed ut inter ſe, ac ſibimet.* Luculentius Lib. 2. de Serm one Dom. in monte Cap. 9. 30. & 31. *Nam ſine tentatione probatus eſſe nullus poteſt, ſive ſibi ipſi, ſicut ſcriptum eſt;* Eccli. XXXIV. 9. & 11.) *Qui non eſt tentatus, qualia ſcit? ſive alii, ſicut Apoſtolus ait* (Galat. IV. 13.) *Et tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis. Hinc enim eos firmos ipſe cognovit, quod eis tribulationibus, quæ Apoſtolo ſecundum carnem acciderant, non ſunt a charitate deflexi. Nam Deo noti ſumus & ante omnes tentationes, qui ſcit omnia antequam fiant. Quod itaque ſcriptum eſt* (Deuter. XIII. 3.) *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligitis eum: illa locutione poſitum eſt, ut ſciat, pro eo quod eſt, ut ſcire vos faciat: ſicut diem lætum dicimus, quod lætos faciat; frigus pigrum, quod pigros facit; & innumerabilia hujuſmodi, quæ ſive in conſuetudine loquendi, ſive in ſermone doctorum, ſive in Scripturis ſanctis reperiuntur. Quod non intelligentes hæretici, qui veteri Teſtamento adverſantur, velut ignorantiæ vitio notandum putant eum, de quo dictum eſt, Tentat vos Dominus Deus veſter: quaſi in Evangelio de Domino ſcriptum non ſit, Hoc autem dicebat tentans eum: nam ipſe ſciebat, quid eſſet facturus* (Johan. VI. 6.) *Si enim noverat cor ejus, quem tentabat, quid eſt quod videre voluit tentando? Sed profecto illud factum eſt, ut ipſe ſibi notus fieret, qui tentabatur, ſuamque deſperationem condemnaret ſaturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent, exiſtimaverat.* Si ex tentatione nihil eſt, quod accedere poſſit, ad ſcientiam Dei, ante etiam quam ſic homines tentet, tum quæ facient, tum quæ facturi eſſent, in alio rerum articulo, ſive hypotheſi, non ſolum ſcit, ſed certo, & infallibiliter ſcit. Auguſtinus idem tract. 43. in Cap. 8. Johan. n. 6. *Intelligimus ergo*, inquit, *duas eſſe tentationes; unam, quæ decipit; alteram, quæ probat: ſecundum eam, quæ decipit, Deus neminem tentat; ſecundum eam, quæ probat, tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat, ſi diligitis eum. Sed iterum & hic alia naſcitur quæſtio, quomodo tentat, ut ſciat, quem latere nihil poteſt, antequam tentet:* ideoque cujus ſcientiæ nihil

hil addi poteſt ex tentatione . *Non ergo Deus neſcit: ſed dictum eſt, ut ſciat, quod eſt, ut ſcire vos faciat . Locutiones tales & in ſermonibus noſtris ſunt, & in auctoribus eloquentiæ reperiuntur* . Locutiones aliquot metaphoricas in exemplum, adducit, ut *Foſsa cæca* , *Triſtes lupini* : tum ſic concludit : *Ergo Tentat vos Dominus Deus veſter , ut ſciat : quid eſt , ut ſciat ? Ut ſcire vos faciat , ſi diligitis eum. Job latebat ſe , ſed Deum non latebat : admiſit tentatorem , & fecit eum ſui cognitorem* . Item in ſecundo Sermone de tentatione Abrahæ Cap. 2. a num. 2. *Sic ergo*, ait , *ignarus eſt Deus rerum, ſic neſcius cordis humani , ut tentando hominem inveniat ? Abſit : ſed ut ipſe homo ſe inveniat &c. Noverit igitur caritas veſtra , tentationem Dei non id agere , ut ipſe aliquid cognoſcat , quod antea neſciebat : ſed ut illo tentante , quod eſt occultum , prodatur . Non enim ſibi homo ita notus eſt , ut Creatori . Nam nec æger ſic notus ſibi eſt , ut medico . Ægrotat homo ; ipſe patitur , Medicus non patitur ; & ab illo , qui non patitur , expectat audire qui patitur . Ideo in Pſalmo clamat homo* (Pſal. XVIII. 13.) *Ab oc ultis meis munda me , Domine . Quia ſunt in homine occulta ipſi homini , in quo ſunt ; & non procedunt , neque aperiuntur, neque inveniuntur, niſi in tentationibus . Si Deus ceſsat tentare , magiſter ceſsat docere . Deus tentat, ut doceat ; Diabolus, ut decipiat &c.* Concludit tandem , tentatum fuiſſe Abraham , ut ſe ipſe ſciret : aut , *ſi ſe jam ſciebat , ut nobis notus fieret . Aut igitur ſibi , aut certe nobis prodendus erat : ſibi , ut ſciret, unde gratias ageret ; nobis, ut ſciremus vel quid a Domino deprecaremur , vel quid in homine imitaremur* . Ex quo Auguſtini loco illud etiam planum fit , non ſolum a Deo , ſed & ab hominibus , periculum, ſeu tentationem fieri, ut recte animadvertit Pererius in Gen. XXII. 1. non ob ignorantiam ejus, qui tentat, ſed ut doceantur , atque inſtruantur alii . Sic magiſter tentat diſcipulum , cujus ſibi exploratum , & notum eſt ingenium , ac doctrina : tentat , inquam , interrogationibus , & quæſtionibus variis , atque perplexis : ut prudenter, ac ſcite reſpondens, quantum ingenio valeat, & quantos in ſtudiis progreſſus habuerit , manifeſtet , & probet aliis . Quod ſi ex eo quod dicit Angelicus Doctor in loco nobis objecto , & fuſius , atque diſtinctius 2. 2. quæſt. 92. a. 1. contendis , omnem prorſus tentationem , quæ vere , & proprie talis ſit , & dicatur , arguere in eo , qui tentat ignorationem , vel certe dubitationem ejus rei, cujus explorandæ, noſcendæque gratia tentat alium ; ne inutiliter controverſemur de nominis hujus ſignificatione , facile concedam , tentationes omnes , quæ non eo ſpectant , ut ignorantiam tollant , aut ſcientiam augeant in eo , qui tentat ; non veras , & proprias, ſed methaphoricas eſſe. Sic Cajetanus in Gen. XXII. 1. tentare dici de Deo non proprie , ſed metaphorice, vult : ſicut iraſci , dolere , & pœnitere ; quæ in Deum dicuntur , non quantum ad affectum ; ſed quantum ad effectum . Tentare ſcilicet aliquem dici Deum , quod ad ſimilitudinem hominis tentantis alium , facit quædam , aut dicit , quibus ejus animus , aut quæ animo gerit, & tenet , eluceſcant , & enoteſcant , aut illi ipſi , aut aliis . Cæterum , quod paulo ante dicebam , cum Auguſtinus , & , ut videre eſt apud interpretes , alii quoque Patres communi ſenſu , Scripturarum loca contra nos allata ſic explicent , ut ex iis , quæ ibi tentationes dicuntur , Deus neque plus aliquid , nec clarius , aut certius ſciat ; ſi *juxta unanimem conſenſum Patrum ſacram Scripturam accipere, atque interpretari* debemus ; hinc etiam ſententiam noſtram tutari , & propugnare poſſumus . Nam ſi Deus non tentat, ut ſciat ; non ſolum ſcit , antequam tentet ; ſed ſcit etiamſi non tentet : quod ſi ſcit, etiamſi non tentet ; ſcit etiamſi nolit tentare . Fidem igitur , obedientiamque Abrahæ, & quidquid tum ipſe , tum alii homines omnes, quotquot ſunt , aut eſſe poſſunt, facturi, aut omiſſuri eſſent ſeu illa , ſeu certa qualibet alia tentatione pulſati , ſcit etiamſi nolit eos ita tentare . Non autem id ſcit ſcientia abſoluta , ut eſt manifeſtum , quia hæc eſt de rebus alicubi , aut aliquando exiſtentibus : ergo ſcientia conditionali : cumque non minus clare , aut certo illud ſciat ; non minus cla-

clara, aut certa eſt ſcientia conditionalis, quam abſoluta. Immo eadem eſt; eſt enim ſimpliciſſima ipſa Veritas per ſe ſubſiſtens, ſed pro diverſo reſpectu, habitudine, aut termino denominationes quoque diverſas ſuſcipit. Quod non obſcure ad rem etiam præſentem ſignificat Auguſtinus lib. 11. de Civit. cap. 21. his verbis: *Deus autem uſque adeo non cum factum eſt, tunc didicit bonum, ut nihil eorum fieret, ſi ei fuiſſet incognitum. Dum ergo videt; quia bonum eſt, quod niſi vidiſſet, antequam fieret, non utique fieret; docet bonum eſſe, non diſcit*. Tentationibus pariter, experimentis, probationibus, quæ in ſacris Literis perhibentur, docuit, non didicit. Pergit autem Auguſtinus: *Nec quia factum vidit, ſcientiam duplicavit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris ſcientiæ fuerit, priuſquam faceret, quod videret: qui tam perfecte non operaretur, niſi tam perfecta ſcientia, cui nihil ex ejus operibus adderetur*. Quod de operibus dicit, eadem ratione dicendum de æternis ipſius decretis. Qui tam provide, tamque perfecte non decerneret; niſi tam perfecta ſcientia, cui nihil ex ejus decretis adderetur. Tantum, quod poſſibile, & futurum conditionaliter noverat; decernendo videt abſolute futurum: immo nec proprie futurum, ut ibi notat Auguſtinus: ſed *ut illa, quæ temporaliter fiunt, ipſe omnia ſtabili, ac ſempiterna præſentia comprehendat*. Verum hæc in ſuperioribus excuſſa: ad rem præſentem illud etiam pertinet quod idem ſcribit lib. 15. de Trinit. cap. 13. n. 22. *Non aliter*, inquit, *ea ſcivit creata, quam creanda: non enim ejus ſapientiæ aliquid acceſſit ex eis; ſed illis exiſtentibus, ſicut oportebat, & quando oportebat, illa manſit ut erat. Ita & ſcriptum eſt in libro Eccleſiaſtico* (XXIII. 29.) Ante quam crearentur, omnia nota ſunt illi; ſic & poſtquam conſummata ſunt. Sic, *inquit*, *non aliter*, & antequam crearentur, & poſtquam conſummata ſunt, ſic ei nota ſunt. Iis particulis *ſic*, & *non aliter* ſignificatur, ut ex creatione, ſic ex tentatione, ac ſempiterna utriuſque voluntate, non ſolum nihil addiſcere Deum; ſed ejus ſcientiam nihilo clariorem, certioremque reddi: nec unde diverſas denominationes accipit, exinde perfici, ſed cum perfectiſſima foret, *ut erat manere*.

XXXIII.

Ad tertium; Hæc etiam Scripturæ loca Patres ſic explicant; ut nihil non undique perfectum, aut non plane ſummum de ſcientia Dei cogitari patiantur. Quod quidem contra eſſet, ſi aut in rem ipſam directe non tenderet, ſed aſſertionis ejus probabilitatem reflexe enunciaret; aut in rem quidem ipſam directe tenderet, ſic tamen, ut in ſola cauſarum præſenti affectione, atque habitudine inſiſteret, effectum vero, eventumque ipſum conditionaliter futurum non aſſequeretur; aut ita aſſequeretur, ut eum non certo, & manifeſto teneret, ſed dubitando; opinandove dumtaxat attingeret. Itaque dubietatem, opinionemque omnem a Deo prorſus eliminant: ſummoque conſenſu id omnes contendunt, iis particulis *forte*, *forſitan*, & ſimilibus nihil ſignificari, quo ſcientia Dei aut falſo expoſita ſit quoquo modo; aut veri non ſit pleniſſime compos. Plures autem, & pro diverſitate locorum diverſæ rationes ſunt, quamobrem particulas illas appoſitas putent. Auguſtinus tract. 37. in Johan. num. 3. ad ea verba: *Si me ſciretis, forſitan, & Patrem meum ſciretis*, id increpantis eſſe dicit: *Ille*, inquit, *qui omnia ſcit, quando dicit* forſitan, *non dubitat, ſed increpat. Attende enim quomodo increpative dicatur ipſum* forſitan, *quod videtur eſſe verbum dubitationis. Sed dubitationis verbum eſt, quando dicitur ab homine, idea dubitante, quia neſciente: cum vero dicitur a Deo verbum dubitatione, cum Deo nihil utique lateat, illa dubitationis arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas*. Tum exempla aliquot affert ex communi etiam hominum ſermone, quibus id planius faciat. *Homines*, inquit, *de his rebus, quas certas habent, aliquando increpative dubitant, ideſt, verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitent, velut ſi indigneris ſervo tuo, & dicas: Contemnis me, conſidera, forſitan Dominus tuus ſum. Hinc, & Apoſtolus ad quoſdam* con-

contemtores ſuos loquens, *ait*, *Puto autem*, *& ego ſpiritum Dei habeo*. *Qui dicit*, *puto*, *dubitare videtur* : *ſed ille increpabat*, *non dubitabat*. *Et ipſe Dominus Chriſtus alio loco increpans infidelitatem futuram generis humani*, *Cum venerit*, *inquit*, *filius hominis*, *putas inveniet fidem in terra?* Nihil luculentius dici potuit pro noſtra ſententia : *non dubitare*, *non opinari Divinitatem*; *quod omnia ſciat*, *quod eam nihil lateat*. Profecto ſi Deus non cognoſcit certo, atque evidenter, niſi præſentem tantummodo cauſarum ſtatum, & propenſionem; iiſque ſpectatis, qua probabilitate enuncietur effectus conditionaliter futurus; eſt quod ipſum lateat, nec omnia ſciat, ideoque opinari, & dubitare poſſit. Eodem modo videtur accipere Chryſoſtomus illud Lucæ XX. 13. *Forſitan cum hunc viderint verebuntur*, & ad increpationem, juſtamque indignationem referre : ſic enim homil. 78. in Matth. *Oſtendere voluit*, *quia revereri ſilium debuiſſent*. Secunda ratio, ob quam adjungi putant eas particulas, eſt difficultas eventus, ideoque paucitas, & raritas. Gregorius in Ezechiel. lib. 2. homil. 9. *Per dubitationem*, inquit ; *ſermonum Dei*, *quid aliud ſignificatur*, *niſi paucitas auditorum?* atque illud Matth. XXIV. Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens? quaſi dubitando dictum eſſe? *ut quod rarius eſt pluris oſtendat*, notat Chryſoſtomus, homil. 78. in Matth. Quod etiam congruit in illud Lucæ XVIII. 8. *Verumtamen Filius hominis veniens*, *putas*, *inveniet fidem in terra?* Tertio particulas illas adhibitas volunt, ad rem ſignificandam, non ut eſt in mente Dei, aut etiam prophetæ, per quem loquitur Deus; ſed ut eſt in mente eorum, qui admonentur. Auguſtinus in Pſalm. 2. num. 10. Nequando *autem* iraſcatur Dominus, inquit, *cum dubitatione poſitum eſt*, *non ſecundum viſionem Prophetæ* : *cui certum eſt*, *ſed ſecundum eos ipſos*, *qui monentur*; *quia cum dubitatione ſolent cogitare iram Dei*, *quibus non aperte revelatur*. Quo pacto accipiendum etiam videtur illud Malach. IV. 6. *Ne forte veniam*, *& percutiam terram anathemate*. Et illud Oſe. II. 3. *Ne forte expoliem eam nudam &c.* Sic Gregorius lib. 1. moral. c. 8. n. .. *Nec obſtat*, inquit, *ab omnimoda mediatoris ſcientia*, *quod dicitur* : *ne forte peccaverint*. *Nam cuncta ſciens*, *ſed in ſemet ipſo ignorantiam noſtram ſuſcipiens* : *atque dum ſuſcipit docens* : *nonnunquam quaſi ex noſtra dubitatione loquitur &c.* Et lib. 2. homil. in Ezechiel. *Dubitatio locutionis Dei*, *non ex ignorantia*, *ſed ex aliqua ſignificatione deſcendit* : Tum paulo poſt explicat, quid ſignificetur : *Dubitatio*, inquit, *ſermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis*, qua nimirum concutiuntur ipſi, dum de ſua perſeverantia dubitant, & ſoliciti ſunt. Quarto tandem, & quidem plerumque particulas illas adjici putant, ut ſignificetur arbitrii liberi indifferentia ; cui cum nullam ſcientia Dei ſive conditionalis, ſive abſoluta neceſſitatem imponat, hoc ipſum in prædictione exprimitur; eoque etiam cavetur, ne prædictio iis, qui per illam commonefiunt, noxia potius, quam utilis ſit. Nam ſi aperta, & ſine ambiguitate alia foret, iis deſperationem afferret : in eamque advertentes animum, tunc cum deliberatio in proximo eſt, memoria, cogitatioque illa eos adeo non excitaret ad bonum, ut malo potius affigeret. Euſebius Cæſar. præp. Evang. lib. 5. cap. 9. *Quod vero*, ait, *præſcientia Dei nullam neceſſitatem nobis imponit*, *inde quoque affirmare poteſt*, *quia ſæpius Scriptura pœnitentiam per Prophetas mandaſſe invenitur*, *nec cognoviſſe ſimulavit*, *utrum converterentur delinquentes*, *an non* : *ut apud Hieremiam ſcribitur* (XXVI. 3.) *forſitan audient*, *& agent pœnitentiam* : *ſed æqualiter utrumque contingens a dictis eſſe oſtendit* : *ne præſcientia ſuam palam facta audientes dejiciat*. Hieronymus in hunc Hieremiæ locum, *Verbum*, inquit, *ambiguum forſitan majeſtati Domini convenire non poteſt*; *ſed de noſtro loquitur effectu*, *vel affectu*, *ut liberum homini ſervet arbitrium* : *ne ex præſcientia ejus*, *quaſi ex neceſſitate facere aliquid*, *vel non facere cogatur*. Idem Matth. XXI. 37. *Non de ignorantia*, inquit, *venit* : *quid enim neſciat pater familias*, *qui hoc loco Deus Pater intelligitur?* *Sed ſemper ambigere dicitur Deus*, *ut libera voluntas homini reſervetur*. Horum ſimilia docet Hierem. V. 4. & Ezechiel. II. 5.

Ad

Digitized by Google

Ad hunc autem Ezechielis locum, & Lucæ XX. 13. Chryſoſtomus homil. 69. in Matth. ita ſcribit: *Non enim quia ignorabat; ſed ne quidam ex amentia dicerent, prædictione Dei coactos obtemperari non potuiſſe, idcirco hujuſmodi utitur orationis figura*. Eademque Ezechielis, & Lucæ loca retractans homil. 78. in Matth. hæc habet. *Quæ omnia verba quamvis ignorationem ſignificent; non ignorans tamen, ſed, ut eum decet, diſpenſans ita dicebat*. Et paulo poſt, quo hæc verba pertineat, aperte ſignificat: *Per prophetam*, inquit, *ambigue loqui videtur, ne prædictio inobedientiam neceſſario facere videretur*. Nec minus diſerte Theodoretus Hierem. XXVI. 3. ait: *dixit, Fortaſſe, non quaſi ignorans: noverat enim illorum incredulitatem: ſed ambigua dictione uſus eſt, ne ſententiæ divinæ attendentes, deſperarent de ſalute*. Et aliquanto poſt: *Docet itaque, per ea, quæ dicta ſunt, eos poſſe ſi velint, ſuſcipere morum mutationem*. Similia ſcribit in comment. ad Ezechiel. II. 5. Theophylactus Lucæ XX. 13. *Hæc*, inquit, *proprietas ſæpe in Scripturis invenitur; ut cum dicitur, ſi forte audiant. Nec enim illic ignorans futurum ita dicit: ſed ne quidam præſcientiam Dei neceſſariam inobedientiæ cauſam eſſe dicant* Gloſſa etiam Matth. VII. 6. notat Chriſtum Dominum propterea dixiſſe, *Ne forte conculcent*, quia infideles reſipiſcere poſſunt, & margaritas non conculcare. Eandemque libertatis indifferentiam ſignificari Matth. XI. 23. verbis illis: *Forte manſiſſent uſque ad hanc diem*, ſenſit Remigius, quem refert, & ſequitur S. Thomas, non ſolum in catena, ſed etiam in proprio Comment. Idemque Angelicus Doctor in comment. Johan. V. 46. *Dicit, Forſitan*, inquit, *ad deſignandam voluntatem liberi arbitrii, non quod in Deo ſit aliquod dubium*. Similiter Johan. IV. 10. *Tu forſitan petiſſes ab eo*, dictum eſſe vult, *propter liberum arbitrium, quod aliquando deſiderat, & petit gratiam, aliquando non*. Eodem modo particulam illam Matth. XI. 23 exponunt Abulenſis, Hugo Cardin. & Lyranus.

XXXIV.

Illud vero has omnes interpretationes confirmat, quod iſtiuſmodi particulæ in iis etiam Scripturæ locis inveniuntur, ubi res, non Deo ſolum, ſed angelis quoque, & aliquæ etiam hominibus certæ, atque indubitabiles ſunt. Hujuſmodi ſunt: Geneſ. III. 22. *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*. Deuteronom. VII. 22. *Ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ*. Ibid. XXXII. 27. *Sed propter iram inimicorum diſtuli; ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent: Manus noſtra excelſa &c.* Pſalm. II. 12. *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus &c.* Matth. VII. 6. *Nolite dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis &c.* Denique ex iis ipſis, quæ hic adverſarius objicit, tria pariter hujuſmodi ſunt: primum, quod Hierem. V. 4. *Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, ignorantes viam Domini &c.* Cum hoc ſit de re præſenti. Alterum, quod Johan. VIII. 19. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*. Nam conditio ejuſmodi eſt, ex qua illud conſequatur neceſſario. Tertium, quod Act. VIII. 22. *Pœnitentiam age, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Cum hæc etiam ex Dei promiſſione Ezechiel. XVIII. 21, 27. connexa ſint.

His etiam accedit, quod aliqua Scripturæ dicta, quæ uno in loco efferuntur per eas dubitandi particulas, *forte*, *forſitan*, eadem alio in loco iterata iis particulis carent: ſicut etiam aliquibus adjunctæ ſunt aſſeverandi particulæ, *certe*, *utique*, quæ ſine iis particulis alibi leguntur: ut neque quod abſit aſſeverationis formula, dici propterea poſſit Deus rem illam non certo prænoſſe; neque quod adſit formula dubitationis, propterea dici poſſit Deus de re illa dubitare. Sic Lucæ XX. 13. legitur: *Forſitan, cum hunc viderint, verebuntur*. Legitur autem, omiſſa particula illa,

Digitized by Google

Matth. XXI. 37. *Verebuntur filium meum*, & Marci XII. 7. *Reverebuntur filium meum*. Ita pariter III. Reg. XI. 2. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini deos earum*. In Exodo autem XXXIV. 16. & in Deuteronomio VII. 4. eandem enunciatio eſt, ſed omittitur adverbium illud *certiſſime*. Immo vero ſententia eadem uno in loco adjunctam habet particulam *forſitan*; quæ alibi iterum legitur cum particula *utique*; & tertio alibi ſine ulla particula. Sic Johan. VIII. 19. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*. Contra vero Johan. XIV. 7 *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis*. Verſu autem 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Ex quibus locis Auguſtinus tract. 37. in Johan. num. 5. ita concludit: *Scit ergo omnia per quem facta ſunt omnia, & tandem dubitando increpat: Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. Increpat infideles. Nam talem ſententiam dixit diſcipulis: ſed ibi non eſt verbum dubitationis, quia non fuit cauſa increpandæ infidelitatis*. Denique propoſita interrogatione Philippi, & reſponſione Chriſti Domini hæc adjungit: *Nunquid habet iſta ſententia verbum dubitationis? Nunquid dixit, qui me videt, forſitan videt & Patrem meum? Quare? Quia fidelis audiebat, non fidei perſecutor, ideo non erat Dominus increpator, ſed doctor*. Qui me videt, & Patrem meum videt. *Et hic*: Si me ſciretis, & Patrem meum ſciretis. *Tollamus verbum, quo notata eſt infidelitas audientium, & ipſa ſententia eſt*. Hactenus Auguſtinus: quod quidem ad id, quod agebat, ſatis ſuperque erat. Nec res noſtra plura requirit. Verumtamen cum eidem ſententiæ apponatur uno quidem in loco particula *forſitan*, alibi vero particula *utique*, addi poteſt, quod recte notat P. Didacus Ruiz diſput. 70. ſect. 2. Quoties in divinis prædictionibus apponitur *forſitan*, id habere vim aſſeverationis, poſitumque eſſe pro *utique*. Quod Scriptor hic doctiſſimus multis argumentis probat ex Scriptura, & Patribus. Idemque confirmat Auctor Librorum de Pœnitentia, qui Ambroſio inſcribuntur; Libro enim 2. Cap. 5. oſtendit, hanc eſſe phraſim Sacræ Scripturæ, aliquoties uti dictionibus dubitantium, non ad dubitationem, ſed ad aſſeverationem ſignificandam: atque hoc loquendi modo uti conſueviſſe *ipſos ſapientes ſæculi, qui omnem gloriam ſuam ſtatuunt in expreſſione verborum*. Tum affert exemplum Homeri Iliad. VI. quod clarius ad rem præſentem accomodat Ribera Joel. Cap. 2. num. 23. & ſequent. Videantur præterea interpretes alii Abulenſis Matth. Cap. 11. quæſt. 52. Janſenius Concord. Cap. 47. Toletus Johan. V. 46. Maldonatus Matth. 11. num. 23. aliiſque in locis, Lorinus in Pſalm. LIV. 13.

XXXV.

Ad quartum; Semipelagiani, quod fuſe, & luculente oſtendit Franciſcus Annatus diſput. 3. de Scient. Med. Cap. 4. meritis quibuſdam abſolutis, abſolutæque eorum præſcientiæ potiſſimum nitebantur. Ubi autem abſoluta obtendere non poterant, confugiebant ad conditionalia. Conditionalis vero præſcientia, qua ſe tutabantur, ejuſmodi erat, a qua quidem cum longiſſime abeſt Scientia Media, quæ a Societate defenditur. Duo autem ſunt, quæ Semipelagiani, cum ad conditionalem præſcientiam ſe recipiebant, in ea potiſſimum peccabant: primum, quod operibus, ſub hypotheſi, quæ nunquam ponenda erat, dumtaxat futuris, ideoque nunquam re ipſa futuris, meriti vim attribuerent, Dei remuneratoris, aut vindicis voluntati movendæ parem; alterum, quod eam hypotheſim, qua poſita, primum opus ſalutare, ſive initium ſalutis exiſteret, ſolis naturæ facultatibus, atque opibus circumſcriptam, definitamque vellent. Quod utrumque a Societatis doctrina alieniſſimum eſt: neque enim ullius ſalutaris operis, ſive actionis conditionem, nudam unquam aſſerimus, aut ſuis tantum copiis inſtructam naturam; ſed Divinæ Gratiæ auxiliis rite paratam, & ſupra ſe ipſam evectam; operibus vero ipſis conditionaliter futuris, quamvis ejuſmodi ſint, ut ſi aliquando exiſterent, iis juſte potuerit ex æter-

æterno Deus præmium, ſuppliciumve decernere; quia tamen nunquam re ipſa exiſtent, pondus, atque inſtar meriti nullum concedimus. Præterea Semipelagiani ut admonui, cum in operibus, quæ reipſa non erunt, ſed eſſent, meritum aliquod ineſſe defenderent, inter utrumque futurum, conditionale ſcilicet, & abſolutum non ſatis diſtinguebant, & quod conſequens eſt, utramque pariter ſcientiam confundebant; atque ex conditionali, ad quam confugiebant, ubi ipſis objiciebantur parvuli ſenſim relabebantur in abſolutam; ut oſtendit idem Franciſcus Annatus in eadem diſputatione Cap. 3. & nos planum faciemus in confutatione ſequentis argumenti: ubi ne conditionali ſcientiæ, quam tuemur, ſit quod conveniat cum Semipelagiana præſcientia, ei nomen iſtud ipſum præſcientiæ detrahemus, auctoribus Auguſtino, ejuſque Diſcipulis, præſertim Fulgentio.

XXXVI.

Jam vero quod eſt in adverſariorum argumento, nos etiam in opere bono, ut eſt dumtaxat in ſtatu conditionali, vim, ac meritum prope aliquod agnoſcere, quo Deum alliciat, atque permoveat &c. multifariam eſt diſtinguendum. Nam primum de bono opere loquimur, non qualicunque, ſed de opere illo, quod ſub hypotheſi foret, ea Divinæ Gratiæ præſidia advehente, quæ ad agendum ſalutariter ſunt neceſſaria: ideoque de opere illo loquimur, in quo bonitas, & pulchritudo inſit ſupra naturam. Deinde bonitatem, & pulchritudinem hanc non ſic agnoſcimus in opere illo pro ſtatu conditionali, quaſi opus illud pro eo ſtatu, pro quo vere nihil eſt, verum aliquam bonitatem, & pulchritudinem habere putemus: ſed quod bonitas, ac pulchritudo illa, quam vere haberet, ſi re ipſa foret, Deo notiſſima ſit ex natura primæ, & ſummæ veritatis; & indidem conditionaliter denominetur, denominatione, tum neceſſaria; ut, ſi erit hæc ſalutaris actio, erit in ea hæc bonitas, & pulchritudo; tum contingente, ut, ſi Petro hæc auxilia conferantur, ſalutarem actionem eujuſmodi edet. Neque enim verior in ea bonitas, & pulchritudo eſt pro ſtatu iſto conditionali, quam pro eo ſtatu quem poſſibilitatis dicimus, qui pariter conditionalis eſt: cum ante divinam progreſſionem ſive operationem nihil intelligi poſſit in rebus poſitum, & alicubi, aut aliquando extiturum. Tertio tandem quod in illo opere bono nos etiam aliquid videmur agnoſcere, quo Deum moveat; diſtinguendum eſt, dicendumque; opus conditionaliter futurum movere, non tanquam meritum, quod movet, quia eſt; ſed tanquam finem, qui movet, ut ſit. Quod quidem adeo Semipelagianum non eſt, ut hac ipſa diſtinctione uſus ſit Auguſtinus de Præd. Sanct. Cap. 17. n. 34. & Cap. 18. n. 36. ab iis verbis: *Intueamur ergo verba Apoſtoli, atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante Mundi conſtitutionem, quia Sancti, & immaculati futuri eramus, an ut eſſemus*: eademque doctrina, & ſæpe, & quam diſertiſſime tradatur a S. Thoma. Sic p. 1. q. 23. ar. 5. *Ad primum ergo dicendum, quod uſus gratiæ præſcitus, non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundum rationem cauſæ finalis*. Quo pacto autem propter finem operetur Deus explicavit q. 19. ar. 5. Similitudine intellectus: *Sicut*, inquit *in Deo intelligere cauſam non eſt cauſa intelligendi effectus in cauſa; ita velle finem non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem. Sed tamen vult ea, quæ ſunt ad finem ordinari in finem. Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc*. Hac præjacta doctrina, ad præſentem rem noſtram dictum intelliges quod habet q. 6. de Verit. ar. 2. hiſce verbis: *Ad primum dicendum, quod debitus gratiæ uſus eſt quodam, ad quod divina providentia gratiam collatam ordinat. Unde non poteſt eſſe, quod ipſe rectus gratiæ uſus præſcitus, ſit cauſa movens ad dandam gratiam. Quod ergo Ambroſius dicit*: Dabo illi gratiam, quem ſcio poſt errorem toto corde reverſurum ad me, *non intelligendum eſt, quod perfecta cordis converſio ſit inclinans voluntatem ad dandum gratiam: ſed quod datam gratiam ad hoc ordinat, ut aliquis accepta gratia perfecte convertatur in Deum*. Id ipſum

Digitized by Google

ipſum iterum tradit in reſponſione ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod prædeſtinatio includit voluntatem conſequentem, quæ reſpicit aliquo modo id, quod eſt ex parte noſtra, non quidem ſicut inclinans divinam voluntatem ad volendum: ſed ſicut id ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat*. Item ad 7. *Dicendum quod propoſitum cordis Jacob præſcitum a Deo, non fuit cauſa, quare ei dare gratiam voluit; ſed fuit quoddam bonum, ad quod Deus gratiam dandam ordinavit: & ideo dicitur, quod ex propoſito cordis, quod ei patuit, eum dilexit: quia ſcilicet ad hoc eum dilexit, ut tale propoſitum cordis haberet*. Vide reliqua, quæ in hanc ſententiam ex Angelico Doctore citavimus num. 23. Tum illud animadvertendum, quod ibi pariter notatum eſt bonum, ſalutareque opus, ſeu rectum gratiæ uſum non ita movere tanquam finem, hoc eſt, ut ſit; ut omnibus de quibus Deus prævidet fore, ut gratia bene utantur, ſi conferatur; continuo conferatur: ſed ut iis tantum conferatur, *quorum miſeretur Deus*. Rom. IX. 15. *Miſeretur autem cujus vult* 18. Ex hoc autem illud efficitur, totum hoc in Dei voluntatem, bonitatemque ultimo referendum: de quibus in ſequenti diſputatione.

XXXVII.

Quod in hoc eodem argumento additur, apud nos etiam Deum expectare Creaturam, id omnino falſum dico. At enim Deus antequam certum ullum auxilium nobis decernat, voluntatem noſtram quodammodo explorat. Si nihil aliud intelligit, quam quod ſcientia conditionalis, qua Deus videt, quo pacto uſura voluntas auxilio illo ſit, ſi conferatur, Dei decretum, viſionemque abſolutam, non quidem tempore, ſed natura antecedat; verum tu quidem dicis, idque fateri debent etiam Thomiſtæ, qui ſcientiam conditionalem Deo non denegant: ſed Deo plane indigna metaphora uteris. Neque enim conſultatione indiget Deus, ne quidquam cæco modo, aut minus provide decernat: qui cum ſit *ipſa per ſe ſubſiſtens Veritas* tum neceſſariorum, tum contingentium; improviſum, nec opinatum ei quicquam accidere tam non poteſt in effectibus cauſæ liberæ, quam in effectibus cauſæ neceſſariæ. Quod ſi rerum noſtrarum vocabula retinere, atque ex noſtro deliberandi modo de divinis decretis diſſerere libet, Deum non dicas explorare voluntatem noſtram, ſed conſulere ſcientiam ſuam; ſeu melius ipſam conſulere per ſe ſubſiſtentem Veritatem, hoc eſt, ſe ipſum: quo tam non poteſt dici Creaturam expectans, quam dici non poteſt Creaturam expectans ob eam cauſam, quod non prius hominem verbi cauſa condere decreverit, quam hominis ideam intra ſemet ipſum inſpexerit.

XXXVIII.

At, ſi Deus pro priore illo ſigno ipſam quodammodo conſulit per ſe ſubſiſtentem veritatem; nec vocare nos ante conſtituit, quam exploratum, compertumque habeat, quidnam, ſi vocemur, reſponſuri ſimus; non ſatis fidere videtur poteſtati humanorum cordium, quiſcunque voluerit, inclinandorum, quam omnipotentiſſimam vocat Auguſtinus; voluntatique ſuæ, quam efficaciſſimam vocat Thomas. Equidem, quod ad poteſtatem illam attinet, cum eam fateor omnipotentiſſimam, tum ipſi adeo nihil detraho, ut ei pluſquam quilibet adverſariorum tribuam. Primo enim, poſſe Deum dico tanto lumine, tantaque dulcedine hominis animum perfundere, ut Deo vocanti aſſenſum negare, & reſiſtere, non ſit proxime potens: eique non quidem invitus, aut vi coactus ulla, ſed tamen inſuperabili neceſſitate conſtrictus obſequentem ſe præbeat. Præterea do tibi etiam, ſi vis, ad hoc ipſum ut poſſe Deum phyſica quadam alterius generis præmotione, cujus Patres non meminere; quæ & connexa cum certa hominis actione ſit, & ab ipſo evitari non poſſit. Præter hæc autem, quæ, quamvis creatæ libertati contraria eſſe judicem, Dei tamen ſupremæ poteſtati non adimo; præter hæc, inquam, poſſe Deum contendo hominum corda quocunque velit inclinare, ac flectere iis etiam

Digitized by Google

etiam auxiliis cæleſtium tum illuſtrationum, tum delectationum, repugnari quibus proxime poſsit, nec ea connexio inſit cum opere bono, quæ ab homine vinci nequeat. De quo in ſequenti diſputatione. Tandem quia divinæ prædeſtinationes, quæ Dei voluntas efficax ſunt, ſunt per ſe intrinſecus metaphyſice connexæ cum actione prædefinita nec poſcunt vi ulla effectu privari: de quo diximus Propoſ. V. ad quartum.

XXXIX.

Nunc illud videndum, quod in hac oppugnatione ultimum fuit; utrum re vera gloriari homo poſsit, quaſi ſe ipſum diſcernat; & ante eligat, quam eligatur. Quibus utique repugnat quod eſt I. Cor. IV. 7. & quod Joan. XV. 16. De hoc autem illud primo eſt ſtatuendum; diſcretionem, electionemque illam, de qua his in locis ſermo eſt, quæque eſt divina ipſa prædeſtinatio, ad ſtatum, non conditionalem, ſed abſolutum pertinere. Quod quidem eſt manifeſtum: quia ſtatus conditionalis *nihil*, ut ajunt, *ponit in eſſe*, ſive in rebus. Nec profecto diſcretum dici poteſt inter Jacob, & Eſau pro ſtatu conditionali; & ille quidem dilectus, electuſque pro ſtatu illo; hic contra odio habitus, ac reprobatus: cum conditiones, ſive, ut loquuntur, hypotheſes deſignari plurimæ poſſint, in quibus Jacob male, contra vero Eſau recte, & ſalutariter acturus fuiſſet: quod Auguſtinus etiam in celebri quæſtione ſecunda ad Simplicianum diſerte adnotat. num. 14. Pertinet igitur diſcretio hæc, electioque ad ſtatum divinæ progreſſionis, communicationiſque abſolutæ, eſtque omnino libera Deo; qui non ex operibus, ſed ex ſe ipſo, atque ex ſuamet bonitate, *cujus vult miſeretur* (Rom. IX. 18.) & iis quidem, quorum pro ſua bonitate miſeretur, iis eligit auxilia illa; & vocationes; vel, ut in altera diſputatione dicemus, collectiones, ac ſeries vocationum, & auxiliorum, per quæ, & quorum virtute homines libere, rite, pie, ſancteque operantur; tum ſi quando cadunt, reſurgunt, & ad finem uſque perſeverant. Iis vero, quorum pro ſua juſtitia, inſcrutabilique judicio non ſic miſeretur, decernit auxilia, vocationeſque illas, vel ſeries, & collectiones auxiliorum, ac vocationum, quorum quidem virtute poſſint, ſed culpa ſua, quia nimirum ipſis reſiſtunt, nec bene utuntur; vel non recte agant, vel uſque ad exitum vitæ non perſeverent. Diſcretionem hanc, & electionem quod dixi omnino liberam Deo, neque ex operibus eſſe, id pariter eſt manifeſtum. Non enim ex operibus eſt abſolute futuris, quoniam ante divinam progreſſionem, ſeu ſtatum abſolutæ communicationis, quo ſigno, & reſpectu diſcretio hæc, electioque tenetur, nihil plane eſt abſolute futurum. Sed neque ex operibus futuris conditionaliter; primum quia, ut proxime notavi, & in eo, quem Deus prædeſtinavit, opera non ſolum bona, ſed etiam mala futura conditionaliter plurima fuere; & plurima viciſſim fuere futura conditionaliter opera non ſolum mala, ſed etiam bona in eo, quem reprobavit: ut ſi ex operibus conditionaliter futuris dilectus, electuſque alter fuiſſet; alter odio habitus, & repudiatus, fuiſſet uterque dilectus ſimul, atque odio habitus; ſimul electus, & repudiatus. Deinde quia opera conditionaliter futura, ut ſupra contra Semipelagianos, Auguſtino, immo natura ipſa duce, defendimus, pondus, atque inſtar meriti ſive boni, ſive mali, apud æquum judicem, obtinere non poſſunt: ſiquidem futura iſtiuſmodi, at talia, re ipſa futura non ſunt; vocanturque ab Auguſtino *futura, non futura*: quare neque ex bonis operibus Jacob futuris conditionaliter moveri potuit Deus ad eum diligendum; ſecernendumque a perditorum hominum maſſa, neque ex futuris conditionaliter malis operibus Eſau moveri potuit Deus ad eum odio habendum, & in perditis, projectiſque hominibus relinquendum. Neque ad ſcientiam dumtaxat abſolutam, ſed etiam conditionalem ſpectat, quod ſcribit Auguſtinus lib. 2. ad Bonif. cap. 7. n. 16. *Ille diſcernit*, ait: *qui de nondum natis, neque qui aliquid egerant boni, aut mali, ut ſecundum electionem*

pro-

propoſitum ejus maneret, *non ex operibus*, *ſed ex ſe ipſo vocante dixit*: Major ſerviet minori (Gen. XXV. 23. Rom. IX. 13.) *atque id ipſum commendans poſtea per Prophetam*, (Mal. I. 2. Rom. IX. 13.) Jacob, *inquit*, dilexi, Eſau autem odio habui. *Electionem quippe dixit*, *ubi Deus non ab alio factum quod eligat invenit*, *ſed quod inveniat ipſe facit*: *ſicut de reliquiis Iſrael ſcriptum eſt* (Rom. XI. 5.) Reliquiæ per electionem gratiæ factæ ſunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. *Propter quod profecto deſipitis*, *qui dicente veritate* (Rom. IX. 12.) Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, *vos dicitis*, *ex futuris operibus*, *quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat*, *Jacob fuiſſe dilectum*. Hic vero illud iterum notatum volo, de quo antea ſcripſimus: perabſurdum cum ſit, & ab ipſo naturæ lumine abhorrens, bonis operibus conditionaliter futuris vim, motionemque meriti propriam concedi, nequaquam tamen denegandam virtutem, motionemque propriam finis, quæ iiſdem, nec ut poſſibilibus denegatur. Quod quidem in hoc ipſo loco modo citato Auguſtinus dicit iis verbis. *Deus non ab alio factum quod eligat invenit*, *ſed quod inveniat ipſe facit*. Quaſi dicat: Non quia invenit, ſed ut inveniat. Omnino clarius in libro de Prædeſt. ſanct. cap. 17. n. 34. *Intelligamus ergo*, inquit, *vocationem qua fiunt electi*, *non qui eliguntur*, *quia crediderunt*, *ſed qui eliguntur*, *ut credant*. *Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aperit*, *ubi dicit*: (Johan. XV. 16.) Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos. *Nam ſi propterea electi erant*, *quia crediderant*, *ipſi eum prius utique elegerant*, *credendo in eum*, *ut eligi mererentur*. *Aufert autem hoc omnino qui dicit*: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Et ipſi quidem procul dubio elegerunt eum*, *quando crediderunt in eum*. *Unde non ob aliud dicit*: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, *niſi quia non elegerunt eum*, *ut eligeret eos*, *ſed ut eligerent eum*, *elegit eos*: *quia miſericordia ejus prævenit eos ſecundum gratiam*, *non ſecundum debitum &c.* Et paulo poſt ſic concludit: *Elegit ergo Deus fideles*, *ſed ut ſint*, *non quia jam erant*. *Apoſtolus Jacobus dicit*: (II. 5.) Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? *Eligendo ergo facit divites in fide*, *ſicut hæredes regni*. *Recte quippe in eis hoc eligere dicitur*, *quod ut in eis faciat*, *eos elegit*. *Rogo quis audiat Dominum dicentem*: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, *& audeat dicere*, *credere homines ut eligantur cum potius eligantur ut credant*, *ne contra ſententiam veritatis priores inveniantur elegiſſe Chriſtum*, *quibus dicit*, *Chriſtus*, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos? His, & aliis ſequentibus comprobatur, opera bona conditionaliter futura, a Deo, pro ſigno antecedente divinam ejus progreſſionem, actionemque ſempiternam, & præcognita, & ut ſic loquar, prævolita, modo ſupra explicato, non habere vim meriti, aut ullam rationem, qua dicere poſſimus, ex operibus prædeſtinari homines, neque eſſe id omnino liberum Deo: quodque iis concedatur motio aliqua propria finis, cujus ſcilicet eſt, movere, non quia eſt, ſed ut ſit, ex eo non ſequi, ante eligere homines, quam eligantur a Deo, quod nobis objicit adverſarius.

X L.

Inſtabis, in noſtro ſyſtemate divinæ gratiæ auxilia indifferentia poni, ac libero hominis conſenſu determinari: hoc autem ſi eſt, quamvis prædeſtinatio, electioque non ſit ex operibus, ſed ex vocante, opera tamen, ipſa ſic eſſe ab homine vocato, ut de iis ſaltem gloriari merito poſſit. Hic ego prius illa oppono, quæ de ſelectis quibuſdam divinorum auxiliorum collectionibus & conjunctionibus, peculiari Auguſtini interpretatione, dixi in ſecundo ſyſtemate, quod hac ex parte cum Societatis doctrina non pugnat: immo habet multa, quæ facile poſſunt a ſchola noſtra adoptari, aut retineri, iis *voluntatem humanam indeclinabiliter*, *& inſuperabiliter agi*, adſtringique neceſſitate, antecedenti quidem, & ſi placet etiam plus quam morali, ſed vaga, incertaque, ut ibi explicatur. Quod ſi divinæ motiones ſingulæ

Digitized by Google

gulæ cum ſingulis humanis actionibus conferantur, ex communi Societatis doctrina primum reſpondeo: divinæ gratiæ auxilia non ideo a nobis indifferentia dici, quod hominis animum indefinite vel ad bonum, vel ad malum, ſive non bonum inclinent. Ejuſmodi gratiam Pelagius poſuit, ut refert Auguſtinus in libro de Grat. Chr. cap. 18. n. 19. dicebat enim: *Habemus autem, Poſſibilitatem utriuſque partis a Deo inſitam, velut quamdam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis, diverſa gignat, & pariat, & quæ poſſit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum.* Quæ contra multis diſputat ibi Auguſtinus; & cap. 20. n. 21. concludit: *Illa ergo Poſſibilitas, non ut iſte opinatur, una eademque radix eſt bonorum, & malorum. Aliud eſt enim charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum &c.* Dicimus ergo, nec ex Auguſtini ſententia ſolum, ſed ex Catholico dogmate, Gratiam ad bonum definite inclinare, & quidem ad bonum particulare, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. ubi diſtinguit intermotionem Dei, ut eſt motor univerſalis, & motionem illam, qua nos movet per gratiam: & prima quidem Deum movere dicit ad bonum univerſale: ut ſeu vere bonum aliquid ſit, ſeu tantum appareat, illud non appetamus niſi ſub ratione boni: altera vero motione movere dicit ad aliquod certum bonum, quod tale re vera ſit. *Dicendum*, inquit, *quod Deus movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum: ſicut in his, quos movet per gratiam, ut infra dicetur.* Indifferentia vero divinæ gratiæ auxilia aliquando dicimus, non quod iis nos Deus non moveat ad aliquid determinate volendum; ſed quod non ita moveat, ut ſingulis quibuſque motionibus non poſſimus reſiſtere, Deoque excitanti, atque vocanti diſſentire, ſi volumus. Indifferentia auxilia illa eo tantum ſenſu, ac ſignificatione dicimus, quod ſingulatim ſumpta; cum bono opere ex ſe ipſis intrinſecus connexa non plus quam moraliter ſint: quodque conjungi, componique eadem poſſint, & cum ſalutari aſſenſu, ad quem definite movent; & cum oppoſito diſſenſu, ad quem adeo non movent, ut ab eo nos deterreant, ac retrahant, ſic tamen, ut repugnare poſſimus. His poſitis, reſpondeo ſecundo, ipſum illum ſalutarem aſſenſum, quo gratia indifferens determinari dicitur, ex gratia ipſamet eſſe; gratiaque ipſa excitante, atque adjuvante, hominem gratiæ aſſentire. Sic quidem ut non ſolum gratia indifferens, ſed gratiæ indifferentis determinatio, donum Dei gratuitum, ac ſpeciale ſit; illa quidem ex iis donis, quæ Deus nobis confert, ſeu in nobis facit, ſine nobis; hæc autem ex iis, quæ Deus in nobis facit, nobis libere conſentientibus, ac cooperantibus: conſentientibus, inquam, & cooperantibus gratiæ, gratiæ ipſius impulſu, atque viribus: ut ipſa illa cooperatio, conſenſuſque noſter principalem auctorem habeat Deum, eique primo, & præcipue tribuendus ſit. Quod ex Societatis doctrina, ſic planum facit. Ei primo, & præcipue tribuendus effectus, qui plus confert ad illum, cuique pluribus, nobilioribus, & omnino majoribus titulis, ſive nominibus debetur effectus, quam alteri cauſæ: porro Deus ad angeli, & hominis ſalutarem aſſenſum plus multo, quam ipſi, confert; eique pluribus, nobilioribus, & omnino majoribus titulis, ſive nominibus debetur aſſenſus ille, quam homini, & angelo; conſequens igitur eſt, ut angeli, & hominis ſalutaris aſſenſus Deo ſit primo, & præcipue tribuendus. Minorem propoſitionem, quæ probatione ſola indiget, ita probo: hæc ſunt nomina, ac tituli, quibus Deo debetur aſſenſus ille; utque ille exiſtat, hæc ab eo conferuntur. Primo facultatis liberæ Deus conditor eſt, & conſervator, naturaliumque virium, quibus ea pollet; quæ quamvis ad ſalutarem aſſenſum excitandæ, atque adjuvandæ ſupra naturam

ſint, conditionemque ſuam; in eo tamen aſſenſu *non mere paſſive ſe habent*, *ac velut inanime quoddam*. Secundo, quoniam facultas ipſa libera, cum ſuis omnibus naturalibus viribus, ad excelſa ejuſmodi opera, quæ utique naturam omnem ſuperant, eſt omnino impar, & plane impotens; Deus gratis prorſus, ac liberaliter, ex ſua nempe bonitate, ac miſericordia ſupernaturales ipſi opes, ac dona largitur, quibus ſupra ſe ipſam, totiuſque naturæ fines erigitur, & par, atque apta ſalutari conatui, atque operi fit. Tertio donis iiſdem, atque opibus angelum, atque hominem intrinſecus, phyſiceque immutat, ac perficit; phyſiceque inclinat ad bonum; immo, ſi ita loqui placet, & ad bonum determinat, a maloque retrahit; ſed ut reſiſtere ſuapte vi iis ſingulis poſſint, & malum amplecti, bono repudiato. Quarto ſupernaturales eas copias, ac munera impertit tum ex prænotione, ſeu prævifione, tum ex intentione, & propoſito ſalutaris aſſenſus, ſpecialiſſimoque affectu erga illum. Quinto, quod plures e Societate defendunt, aſsenſum ipſum abſolute prædefinit, & quam efficaciſſime ſancit. Sexto denique præſto eſt operantibus omnipotentia ſua, aſſenſumque ipſum illum prædefinitum, ſancitumque ex æterno una cum iis ponit ex tempore. Hæc omnino ſunt, quæ ad hominum, atque angelorum ſalutares aſſenſus confert Deus: quantulum eſt autem, quod ab ipſis agitur dumtaxat determinantibus, ſeu deliberantibus, atque eligentibus, ſi cum eo comparetur, quod agit in re illa Deus; cum præſertim determinatio, ſeu deliberatio, electioque illa non fiat, niſi impulſu, atque ope Gratiæ? Manifeſtum eſt igitur, ſalutarem aſſenſum longe pluribus, iiſdemque ſublimioribus, atque excellentioribus titulis, ſive nominibus deberi Deo, quam creatis ipſis agentibus. Nam ſi pauper pecuniam, veſtem, aut cujuſquemodi aliud, quod dono accepit a divite, ei certe plus debet, a quo eſt donatum, quam ſibi, a quo tantum eſt acceptatum; quamvis acceptatio illa non ſolum libera pauperi, ſed ab ipſo tota fuerit, neque alienis profecto viribus, atque auxiliis eguerit, dubitari non poterit, quin Deo maxime, & tanquam auctori præcipue, ac principali, largitorique beneficentiſſimo, ac prorſus liberali debeatur opus quodcunque ſalutare, cujuſmodi eſt aſſenſus, de quo loquimur: cum id ipſum quod Gratiæ obſequamur, Gratiæ ipſius opitulatione atque adjumento fiat; immo ex Gratiæ ipſius determinatione, cui quidem, ſpectatis motionibus ſingulis, reſiſtere poſſumus; verumtamen quod non reſiſtimus, ejus invitatu, perſuaſione, viribus facimus.

X L I.

Hinc autem illud eſt conſequens, ut aſſentio, electioque noſtra recte dicatur Dei donum ſimul, & meritum noſtrum. Dei donum quidem, quod ad illam ea ſex confert, quæ modo deſcripſimus; meritum autem noſtrum, quod, quantumcumque eſt, quod ea in re præſtat Deus, antecedenti neceſſitate certa, definitaque nos ita non alligat, ut nobis ſolutum non ſit, donum hoc reſpuere, quod ex iis non eſt, quæ fiunt in nobis ſine nobis: potenteſque adeo proxime ſumus Gratiæ diſſentire, ſi volumus. Expreſſit id quam aptiſſime Auguſtinus in primo ad Simplic. quæſt. 2. n. 10. hiſce verbis: *Aliter enim Deus præſtat ut velimus, aliter præſtat quod voluerimus. Ut velimus enim & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus ſolus præſtat, ideſt, poſſe bene agere &c.* Item lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 9. n. 19. *homo*, inquit, *præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui tangit cor, ut homo præparet cor*. Et n. 20. *Nam ſicut dictum eſt* (Prov. XXVI. 1.) Hominis eſt præparare cor, & a Domino reſponſio linguæ: *ita etiam dictum eſt* (Pſalm. LXXX. 11.) Aperi os, & adimplebo illud. *Quamvis enim niſi adjuvante illo, ſine quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire: tamen nos aperimus illius adjumento, & opere noſtro*. Tum duas illas ſententias concilians: *Præparatur voluntas a Domino*, (Prov. VIII. 35. ſecundum ſeptuag.) &, *Hominis eſt præparare cor*, in quarum prima

ma cordis præparatio eſſe videtur a Deo, in ſecunda, opus eſſe hominis; ſic loquitur: *Ecce Deus admonet, ut præparemus voluntatem in eo, quod legimus, Hominis eſt præparare cor: & tamen ut hoc faciat homo, adjuvat Deus, quia præparatur voluntas a Domino. Et, Aperi os, ita dicit jubendo, ut nemo poſſit, niſi ipſe id faciat adjuvando, cui dicitur*, (Pſalm. L. 17.) *Labia mea aperies*. Et mox alia duo ſimilia componens, videlicet: *Aperi os tuum, & adimplebo illud*, & *Ego aperiam os tuum* (Exod. IV. 12.) *In ſententia*, inquit, *illa, ubi dicitur, Aperi os, & adimplebo illud; quaſi unum eorum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autem ubi dicitur, Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, utramque ad Deum. Quare hoc? niſi quia in uno iſtorum cooperatur homini facienti; alterum ſolus facit*. Hinc ſtatim num. 21. ſic concludit: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo*. Quod ſi merita ipſa noſtra ſunt Dei donum, in eumque, tanquam in auctorem ſpecialem, principalemque ſunt referenda, recte monemur in ſacris Literis, de iis gloriandum nobis non eſſe; gloriatione ea ſcilicet, quæ vana ſit, & falſa: vana quidem, ſi de illis ita gloriamur, ut laudes humanas quæramus; falſa vero, ſi de illis gloriamur, quaſi de bono non accepto, noſtriſque viribus parto. Atque hæc eſt gloriatio illa, quam merito caſtigat, ac coercet Apoſtolus I. Cor. IV. 7. iis verbis: *Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Eſt autem gloriationis veræ, & ſolidæ genus, quod, teſte Bernardo, non reprehendit, aut damnat Apoſtolus; ſed probat ac docet. Sic enim ille in Serm. VII. de triplici gloria num. 3. *Neque enim ait Apoſtolus, ſi autem accepiſti, quid gloriaris? ſed*, Quid gloriaris, *inquit*, quaſi non acceperis? *ut non prohibeat, ſed doceat gloriari*. Nempe gloriatio hæc in teſtimonio ipſo conſcientiæ noſtræ poſita eſt: quo quidem fit, ut infirmitatis noſtræ probe conſcii cum ſimus, ac perſuaſiſſimum habeamus, quod eſt Johan. XV. 5. *Sine me nihil poteſtis facere;* Deo de ſalutari opere, tanquam de ſpecialiſsimo ejus beneficio, gratias agamus; gaudeamuſque ſimul, nos, pro ea facultate, ac libertate, quam ab ipſo accepimus, divinæ gratiæ excitanti, atque vocanti, ipſiuſmet gratiæ adjutorio eſſe obſequutos: ex eoque deſideremus, expectemuſque & laudem a Deo, & ſupernæ vitæ, atque gloriæ mercedem ſempiternam. Huc ſpectant ea Apoſtoli loca I. Cor. I. 31. *Qui gloriatur in Domino glorietur*. III. 21. *Nemo itaque glorietur in hominibus*. II. Cor. I. 12. *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei: & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo*. X. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur*. XII. 6. *Nam, & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam*. Denique II. Tim. IV. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex*. Quorum ſimilia I. Cor. XV. 10. *Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Philip. II. 16. *Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi*. 18. *Id ipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi &c.* Super his autem Bernardus Serm. 2. in feſto omnium Sanct. num. 3. *Cum enim*, inquit, *veritas applaudit, cum juſtitia atteſtatur, Dei ſine dubio commendantis vox eſt, & Spiritus Sancti teſtimonium perhibentis; ac ſi decertanti viriliter militi Rex ſuus, pro cujus amore, & honore decertat, prope aſſiſtens lætus applaudat, laudet fortia facta; proximam clamitet eſſe victoriam, parata jam præmia, & coronam polliceatur æternam. In quo teſtimonio gloriatur quidem probatus, & ſtrenuus miles; minime tamen quieſcit, ſed tanto acrius, utiliuſque decertat*.

Digitized by Google

XLII.

Illud poſtremo animadverti volo, duplicem boni operis eſſe conſiderationem, & pro ea duplicem pariter de illo loquendi modum. Conſiderari enim poteſt primo ſimpliciter, ut eſt ſcilicet a Deo ſimul, & a nobis Dei gratiæ cooperantibus: conſiderari deinde poteſt comparate, ideſt, ea inter ſe conferendo, quibus in opus illud utrinque concurritur. Primo modo conſideratum, noſtrum quoque dicitur, nobiſque etiam laudi vertitur. Si autem ſecundo modo conſideretur, de eo uſurpandum illud Cypriani, lib. 3. ad Quir. cap. 4. quod ab Auguſtino citatur in quarto contra duas epiſt. Pelagian. cap. 9. num. 25. & in lib. de don. Perſev. cap. 17. n. 43. &c. *In nullo gloriandum, quoniam noſtrum, nihil eſt*. Cum enim, ut opus illud exiſtat, Deus tanto plus præſtet, quam nos, debeaturque illi tanto præſtantioribus titulis, atque nominibus, quam nobis; quamvis liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti; ac velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; & ſit oppido falſum, & a Tridentino expreſſe damnatum; ex recepto, uſitatoque loquendi more quod in eo opere noſtrum eſt, *nihil* dicitur. Nam, ut oſtendit P. Johannes de Ulloa decad. 4. regul. 1. immo & omnes interpretes, ſolet ſcriptura, jamque vulgare, & commune eſt inter homines, negare uni id, quod vere, & proprie habet, ſi iſthuc cum eo collatum, quod habet alter, eſt longe minus. Sic, ut is interpretatur, Ezech. XX. 25. præcepta veteris legis *non bona* dicuntur, ex comparatione ſcilicet præceptorum Legis novæ. Et comparate pariter, non ſimpliciter Luc. XIX. 26. ſervus ille, qui mnam unam habebat, dicitur *non habens*: ſiquidem ſtatim additur: *& quod habet auferetur ab eo*. Cujus ſimile eſt in re noſtra illud Apoſtoli 1. Cor. XV. 10. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Quod enim negans de ſe ipſo dicit: *Non ego;* ex illo, quod ſtatim ſubjicit: Sed gratia Dei *mecum*, intelligendum eſſe conſtat, non ſimpliciter, ſed comparate. Itemque intelligendum quod ſcribit ad Roman. IX. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Et ſi quæ ſunt alia ſimilia. Sic ſcilicet, ut cooperatio libera hominis volentis, atque currentis, ſi comparetur cum iis ſex, quæ ad eam voluntatem, atque curſum conferuntur a Deo; fere pro nihilo habenda ſit.

XLIII.

Ad Quintum; illud primum contendo, quæ nobis hic ex Auguſtino, ejuſque diſcipulis objiciuntur, non minus recentibus Thomiſtis, qui ſcientiam conditionalem jam omnes defendunt, ſed niti eam volunt decreto ſubjective abſoluto, ac terminative conditionali; quam nobis, qui ſcientiam mediam defendimus, nullo ejuſmodi ſuffultam decreto, eſſe ſolvenda. Quatuor hujus rei argumenta reperies apud Franciſcum Annatum. Nam primo; ſi prædefinitio illa Thomiſtica, ait ipſe diſput. 3. cap. 3. nihil facit, neque ad ſcopum Semipelagianorum, neque ad ſcopum Auguſtini; nihil cauſæ eſt, cur eam in locis propoſitis, ubi non exprimitur, ſubintelligamus: atqui nihil facit, hoc eſt, neque nocet uni parti, neque prodeſt alteri, quod probat. In tantum nocere poteſt Semipelagianis ea prædefinitio, & in tantum Auguſtino prodeſſe, in quantum ex illa ſequitur, non dari gratiam ex meritis naturæ viribus comparatis. In eo enim verſatur tota contentio. Cum enim Semipelagianis merendi, impetrandique vim aliquam in naturalibus quibuſdam actionibus eſſe dicentibus objicerentur parvuli ante omne meritum rapti, alter cum baptiſmo, alter ſine baptiſmo: reſpondebant, quamvis non eſsent in illis naturalia illa merita præterita, eſse tamen futura, ex quorum inæqualitate naſceretur inæqualis illa ſors. Hoc autem eſt, quod Auguſtinus impugnat, convenitque inter nos, & Adverſarios, hunc eſse illius quæſtionis ſtatum. Ego vero jam dico nihil facere Auguſtinum, quamvis aſſumat merita illa naturalia,

ex hypotheſi futura, non eſse ita futura, niſi poſt decretum Dei: quia nihil facit, niſi probet, non eſſe aliter futura, quam ex gratia Dei per Chriſtum, & ita ut naturalia non ſint. Atqui hoc non probat etiam ſi obtineat, non eſſe futura, niſi poſt efficax illud decretum: ergo etiamſi obtineat hoc decretum, neque ſibi prodeſt, neque nocet Semipelagianis. Probo aſſumptum hoc ultimum ex ſententia potiſſimum adverſariorum: ex qua conſtat, materiale peccati prædefiniri abſolute a Deo, & tamen non eſſe ex gratia per Chriſtum. Actus etiam indifferens in individuo, qui eſſe poteſt in ſententia Thomiſtarum, ſaltem per principia extrinſeca, & conformando ſe opinioni probabili, etiamſi ea non ſit Divi Thomæ, ſi exiſtat, prædefinietur, & tamen non erit ex gratia Dei. Actus item virtutum moralium, qui philoſophicam tantum honeſtatem habent, eſſe poſſunt ſaltem aliqui per principia naturalia, & ſine gratia per Chriſtum, conſentientibus pleriſque Thomiſtis; neque tamen eſſe poſſunt ſine prædefinitione, cujus eſſe volunt univerſalem quamdam neceſſitatem ad omnia omnino, quæ uſpiam fiunt. Cum ergo ex eo, quod multa ſint abſolute prædefinita, minime ſequatur, non eſſe illa ex ſolis naturæ viribus, & ſecluſa gratia per Chriſtum, quantumvis ea bona ſint: quæ neceſſitas eſt, ut ſi quid dicatur eſſe prædefinitum conditionali illo decreto, eſto ſit bonum, ſequatur ſtatim eſſe futurum ex gratia, & non ex viribus liberi arbitrii? Quod ſi hoc non ſequitur? quid prodeſt Auguſtino, quod merita illa conditionate futura; quæ Semipelagiani volunt eſſe naturalia, hoc eſt, ex viribus naturæ comparata, dicantur non eſſe futura, niſi poſt prædefinitionem? Semipelagianis vero quid nocet? Secundum argumentum eſt: Si S. Auguſtinus, dum negat præſciri a Deo conditionate futura, deſignaret tantum illud ſignum rationis, quod antecedit efficax illud decretum Thomiſticum; debebat eodem modo negare, præſciri non futura; quia; Thomiſtarum ſententia, tam requiritur efficax illud decretum, ad hoc, ut aliquid fiat non futurum, quam requiritur ad hoc, ut fiat futurum; in eoque ſigno rationis, quod decretum illud antecedit, nec definite futurum, nec definite non futurum præſciri quicquam poteſt. Atqui Auguſtinus hoc non facit, ſed præſcientiæ futuri, quam negat, ſubſtituit præſcientiam non futuri, quam affirmat: quod ſane perſpicuum eſt iis etiam Auguſtini teſtimoniis, quæ contra nos adhiberi ſolent ab adverſariis. Sic lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 7. n. 16. *Quomodo præſcivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præſcientia ejus falli non poteſt; præſcivit potius non futura?* Simul hic ab Auguſtino & excluditur præſcientia affirmans, & inducitur præſcientia negans. Si igitur ſermo hic eſt de præſcientia conditionali, eaque, quæ affirmans eſt, excluditur pro eo ſigno rationis, quod præcedit omnia decreta; neceſſe eſt, pro eo ſigno illam admitti, quæ negans eſt. Ita pariter lib. 26. cont. Fauſtum cap. 4. *Porro ſi audiam, quod aliquid futurum erat; ſed Deus fecit, ne fieret: fidiſſime reſpondebo, illud potius futurum erat, quod Deus fecit: non illud, quod futurum eſſet, hoc non fuiſſet.* Quæ verba manifeſtum eſt non poſſe referri ad inſtans rationis, quod præcedit omnia decreta libera, in quo neque Deus concipi poteſt aliquid facturus, ut Auguſtinus concipit; neque unum potius facturum, quam aliud, ut idem aſſerit. Et ideo cadit etiam quod ſequitur: *Nam Deus quod facturus erat, utique ſciebat, & ideo ſimul ſciebat, illud futurum non fuiſſe, quod ne fieret facturus erat*: ubi conſtat ſcientiam unam excludi per aliam, omninoque negari Deum ſcire aliquid futurum, quia ſcit potius non futurum: quod fieri non poteſt in ſigno rationis, de quo diſputamus, ut dictum eſt. Sic denique in iis ipſis locis, quæ contra nos afferuntur. Nam quod citatur ex libro de Anima, & ejus origine, cum dicat ibi Auguſtinus, *exinaniri præſcientiam, ſi quod præſcitur non erit*, intelligi non poteſt de ſigno rationis, quod antecedit decreta: vel concedendum in eo ſigno verum eſſe de aliquo; ac proinde a Deo ſciri, quod dicit Auguſtinus, *non erit*: cum tamen in eo ſigno de nul-

lo

lo dici poſſit, *quod erit*, neque, *quod non erit*. Quod autem citatur ex libro de Prædeſt. Sanct. in eo pariter Augunus præſcientiæ Semipelagianorum aliam opponit, per quam illa excludatur cum dicit. *Qui hoc præſcivit, quod futurum erat; non quod futurum non erat*. Sume autem ſignum rationis ante omne decretum efficax, an eſt tunc aliquid futurum? an poteſt Deus illud ſcire? Quo ergo ſenſu vult Auguſtinus, tunc ſcientiam ejus, quod futurum eſt, impedire ſcientiam ejus, quod non eſt futurum? Ex his ergo ſatis conſtat, locis iis, quibus adverſarii conantur adſtruere ſigna rationis præcedanea ſuis illis decretis conditionalibus; decreta illa potius expungi. Tertium argumentum ſimile huic ex eodem Annato, hoc eſt: Si Auguſtinus dum negat, ſcire Deum, quod eſt conditionate futurum, intelligeret tantum, Deum id neſcire in ſigno rationis, quod antecedit omne decretum; non deberet afferre pro ratione, quod oppoſitum ſit futurum abſolute. Atqui hoc facit: ergo &c. Major probatur, & explicatur. Nam quod futurum ſit abſolute, ut rapiatur in juventute is, qui dicitur peccaturus ſi viveret; ac proinde, quod abſolute ſciatur non peccaturus; neque cauſa, neque ſignum eſſe poteſt, quod non fuerit peccaturus conditionate: ac proinde quod non ſciatur ita peccaturus: dicerentque Semipelagiani, & merito, eſto ſciverit Deus, poſtquam ipſe hoc decrevit, quod abſolute futurum erat; illum ſcilicet eripiendum peccandi periculis, & ideo nec peccaturum: hinc tamen non ſequitur, non fuiſſe illum ante hujuſmodi decretum, & quodcunque aliud actu exiſtens, ex hypotheſi peccaturum, atque hoc neſciviſſe Deum: quod ſit evidens abſolutam futuritionem unius oppoſitorum, nullo modo tollere futuritionem conditionatam alterius: abſoluta nimirum futuritio non pœnitentiæ, ſeu non converſionis Tyriorum, nulla ratione impedit futuritionem conditionatam pœnitentiæ, & converſionis: & conſequenter nec præſcientia non pœnitentiæ abſoluta, præſcientiam pœnitentiæ conditionatam. Unde quicunque ex unius poſitione argumentatur ad deſtructionem alterius, non bene argumentatur. Atqui Auguſtinus juxta Sententiam adverſariorum ita argumentatur, quæ eſt minor ſuperioris ſyllogiſmi. Expendatur enim illius verba ex Libr. de Prædeſt. Sanct. *Dictum eſt enim ſecundum pericula hujus vitæ: non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; ideſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto; non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet*. An non ſatis perſpicuum eſt, rationem Auguſtini, qua negat, illud *raptus eſt &c.* dictum *ſecundum præſcientiam Dei*, hanc eſſe, quia nimirum *Deus hoc præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat*? quid eſt autem illud *quod futurum erat*? Nempe *quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto*; quod fuit abſolute futurum; *non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet*, quod fuit abſolute non futurum. Atque ita ex abſoluta & futuritione, & præſcientia argumentatur contra & futuritionem, & præſcientiam conditionatam Semipelagianorum: quæ ſi ſumatur, ut Adverſarii volunt, pro illo tantum ſigno rationis, quod antecedit omne decretum actu exiſtens, nullam prorſus habet oppoſitionem cum oppoſiti præſcientia abſoluta, ideoque nec ex illius poſitione deſtrui poteſt. Eodem modo argumentatur Auguſtinus loco cit. ex libro ſecundo contra duas Epiſt. Pelag. cum dicit: *Quomodo præſcivit ea futura, quæ, illis in infantia morituris, quia præſcientia ejus falli non poteſt, præſcivit potius non futura*? Ubi video illud, *præſcivit potius non futura*, accipiendum de præſcientia abſoluta, quæ ſequatur etiam *ex illis in infantia morituris*, quod abſolute futurum fuit. Illud autem, *quomodo præſcivit ea futura*, ut Thomiſtis ex hoc loco contra nos pugnantibus placet, excludit ſcientiam conditionatam pro eo ſigno rationis, quod antecedit conditionatam prædefinitionem. Conjunge igitur illa duo, & dic: *quomodo præſcivit Deus futura parvulorum merita, ex hypotheſi quod non mererentur in infantia, & antequam de illis quidquam ſtatueret, qui potius ſcivit*

Digitized by Google

vit abſolute non futura, poſtquam decrevit præcidere illorum vitam, & efficere, ut in infantia morerentur? En tibi juxta interpretationem adverſariorum totum nervum Auguſtinianæ ratiocinationis: quæ, ut patet, inefficax eſt, & inſulſa. Idem, & eodem modo patet ex verbis Auguſtini contra Fauſtum. Ubi ex non futuritione abſoluta argumentatur contra futuritionem conditionatam: quam ſi negare tantum velit pro ſigno rationis, quod præcedit prædefinitionem conditionatam, nihilo melius eſt illius argumentum, quam ſi vellet negare pro ſigno rationis, quod eandem prædefinitionem conſequitur. Auguſtini verba præter ea, quæ paulo ante retulimus, hæc notanda ſunt. *Quapropter omnia, quæ vere futura ſunt, ſine dubio fient: ſi autem facta non fuerint, futura non erant;* quæ juxta interpretationem adverſariorum hanc ſententiam reddent: *Quapropter omnia, quæ vere futura ſunt conditionate, ſine dubio fient abſolute: ſi autem facta non fuerint abſolute, futura non erant conditionate*: Illud enim, *ſine dubio fient*, reſpondet huic: *Si autem facta non fuerint*, quod non niſi de abſolutis intelligi poteſt. Et hoc ipſum affertur ad excludendam aliam futuritionem, quam adverſarii ſupponunt eſſe conditionatam, pro ſigno rationis antecedente omne decretum. Atque ita ex abſoluta non futuritione infert & Auguſtinus non futuritionem conditionatam; & ex ſuppoſitione conditionata, inferet abſolutam: quæ illatio nulla eſſe poteſt, ne in ſententia quidem adverſariorum. Quartum denique argumentum, ut rem brevius expediam, eſt hoc: quia ſi futurorum mere conditionalium vera, & propria in Deo præſcientia eſt; quod ea nitatur decreto ſubjective abſoluto, & terminative conditionali, ut Thomiſtæ volunt, nihil obeſt, quo minus vere poſſit, ac ſimpliciter dici: *præſciri quod non erit*; *præſciri futurum, quod non eſt futurum*. Videant igitur ipſi etiam, inquit Annatus, quid conſilii capiendum ſit, ut ſuam ab impetu Auguſtini ſcientiam conditionatam tueantur.

XLIV.

Equidem ſic ſtatuo, quod quidem ſtatim ſe offert, & quam apertiſſime, in his omnibus locis negatam ab Auguſtino, ejuſque diſcipulis ſcientiam illam, quam premii, ſupplicive decretum conſequitur, quæ ſcientia profecto eſt abſoluta. Ut enim recte notatum a Noſtris invenio, Semipelagiani, & quicunque iis hac in re conſentiebant, ſecum ipſi turpiter diſſidentes, cum præſcientiam illam ſuam verbo tenus conditionalem facerent, re tamen, & uſu abſolutam eſſe monſtrabant: quod nemo, niſi ex rei aliquando futuræ ſcientia, pœnas deſtinare poteſt; nedum antequam, quod præviſum eſt, re ipſa commiſſum ſit, eas poſſit infligere. Ut duplici abſurdo, inquit Petavius tom. 1. Lib. 4. Cap. 8. ſtolida illa fabula teneretur: cum & eas ob culpas, quæ nunquam eſſent futuræ, reos infantes conſtituerent; & ob eaſdem illas præſente multari pœna dicerent: quaſi non & verum eſſe crimen oporteat, cui ſupplicium decernatur; & ante admiſſum quam re ipſa plectatur. Certe nihil hic dictum eſſe ab Auguſtino contra ſcientiam conditionalem, ea luculentiſſime oſtendunt, quæ ſupra ex ipſo retulimus: ſic autem loca iſta eſſe explicanda, ipſe ſatis clare ſuadet, qui verbis contra nos allatis illud ſtatim adjicit: *Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla ſunt, ideſt, quæ nec vita iſta nondum incipiente commiſſa ſunt ante carnem, nec morte præveniente poſt carnem?* Falſam, quodque idem eſt, rei, quam oſtendit, omnino inanem, & vacuam dicit ſcientiam illam, quæ dignum ſupplicio exhibet parvulum aliquem, qui numquam peccabit. Ut enim exhibeat dignum ſupplicio, ſeu potius dignum, in quem Deus ſupplicium conſtituat, peccatum re vera futurum debet oſtendere: id autem ſi oſtendit, exinanitur, hoc eſt, eo quod oſtendit, fruſtratur, caſſaque redditur, cum, parvulo illo e vivis ſublato, peccatum re vera nullum futurum ſit. Similiter ubi illud Sap. IV. 2. *Raptus eſt, ne malitia &c. dictum*, negat, *ſecundum*

præ-

præſcientiam Dei , *qui hoc præſcivit* , *quod futurum erat* , *non quod futurum non erat* ; ita eſt intelligendus , ut neget , dictum illud eſſe ſecundum præſcientiam Dei abſolutam : quod ipſe pariter clariſſime oſtendit ; ad ea enim verba : *non ſecundum præſcientiam Dei* , *qui hoc præſcivit* , *quod futurum erat* , *non quod futurum non erat* ; ſtatim explanationem illam adtexit : *ideſt* , *quod ei mortem immaturam fuerat largiturus* , *ut tentationum ſubtraheretur incerto* ; *non quod peccaturus eſſet* , *qui manſurus in tentatione non eſſet* : Quaſi dicat : *qui hoc præſcivit* , videlicet , *mortem immaturam ei ſe largiturum* ; quod abſolute futurum cum ſit, abſoluta præſcientia cognoſcitur : contra vero , *hoc non præſcivit* , videlicet , *eum eſſe peccaturum* : quod cum non ſit abſolute futurum , abſoluta præſcientia non cognoſcitur . Immo , ut ipſe non ſemel alibi animadvertit , *quia præſcientia ejus falli non poteſt* , *præſcivit potius non futurum* , hoc eſt , hominem illum abſolute non peccaturum . Certe ſi verbis iis conditionalem ſcientiam rejiceret Auguſtinus , qua Deo manifeſtum ſit , quid homo ille commiſſurus eſſet , ſi diutius viveret ; ſecum ipſe pugnaret , cum propter illa , quæ pro conditionali ſcientia ex ipſo ſupra citavimus , tum etiam propter alia , quæ ſcribit capite , & numero eodem ; ait enim : *Cur autem hic tenuerit caſurum juſtum* , *quem prius quam caderet* , *hic poſſet auferre* , *juſtiſſima omnino* , *ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus* . Opus quippe non eſſet ad inſcrutabilia Dei judicia iſtud referre , ſi ſcientiam abſolutam , qua vidit ſe juſto vitam prorogaturum , eumque caſurum , non præiret ſcientia conditionalis , qua viderit , ipſum caſurum , ſi ei vita produceretur . Immo , ſi decretum de ſerſervanda homini vita non antegreditur conditionalis notitia ejus ſive perſeverantiæ , ſive lapſus ; quod Deus velit diutius vivere , tum hunc , qui ſtabit , tum illum , qui cadet , inſcrutabile nullum erit in ea re Dei judicium , & æqualis erga utrumque Dei voluntas ; ac ſi paris beneficii eſt , vivere illum , qui perſeveraturus , & illum qui lapſurus eſt ; majoris beneficii non erit , eum , qui lapſurus eſt , mori , quam vivere . Eodem modo intelligendum , quod objicitur ex libro de dono Perſev. Sic enim legitur : *Hoc autem ſi non dicatur* , *de mortuorum ſcilicet operibus* , *quæ facturi fuerant* , *ſi viverent* , *bonis aut malis* , *ac per hoc nullis* , *&* *in ipſa Dei præſcientia non futuris* : *hoc ergo ſi non dicatur &c.* *Non futura* cum dicit opera illa *in ipſa Dei præſcientia* , ſignificat , Deum , ob id ipſum , quod præſcius eſt , ejuſque præſcientia falli non poteſt ; cognoſcere , opera illa non eſſe abſolute futura. Item quod objicitur ex Epiſtola ad Sixtum : *Neque enim ſi duorum de Iſaac Patriarcha geminorum* , *quod quidem jam oſtendimus quanta cæcitate dicatur* , *futura prævidit Deus opera* , *qui vixerunt* , *atque ſenuerunt* , *&* *propterea Jacob dilexit* , *Eſau autem odio habuit* ; *ideo moriturorum etiam parvulorum poteſt quiſquam dicere* , *ut huic ad percipiendum baptiſmum non conſulat* , *illi autem conſulat* , *Deum futura eorum opera prævidere* . *Quomodo enim futura dicuntur* , *quæ nulla erunt* ? Intelligendum id eſſe de illis dumtaxat , quæ ſunt abſolute futura , manifeſtum ſit ex iis , quæ proxime conſequuntur : exponens enim adverſariorum doctrinam de ſcientia , *qua Deus prævidet* , *quemadmodum quis victurus eſſet* , *ſi viveret* ; Deum quidem hoc ſcire non negat ; negat in eo rationem meriti eſſe ; negat propterea præmium , aut ſupplicium deberi . Ex his cœtera facile dilues , quæ ex Auguſtino poſſunt opponi . Nec aliter intelligendi Auguſtini diſcipuli , Proſper in ſua Epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos num. 5. & in ſua pariter Hilarius num. 3. & 4. itemque Fulgentius ; quem cum nobis aperte contrarium adverſarii prædicent , dabo ea etiam quæ ſcribit ſuperiore numero , & capite , ut quam vere id ab iis prædicetur , apertius fiat . *Secundum rectam* , inquit , *fidem* , *ac perſpicuam veritatem* , *quod attinet ad parvulum* , *qui ſine beneficio ſecundæ nativitatis huic vitæ ſubtrahitur* ; *ſicut præſciſſe fatendum eſt* , *Deum parvuli futuram mortem* , *quæ vere futura erat* ; *ſic abſurde dicitur* , *Deum præſciſſe parvuli futura peccata* , *quæ futura non erant* . *Neque enim Deus rerum omnium con-*

Digitized by Google

conditor facienda præſciſſet, quæ facienda non eſſent. Scimus namque præſcientiam Dei ſic eſſe veram, atque incommutabilem, ut quæ futura præſcit, vere futura ſint, nec aliquid faciendum præſciat, quod non ſecundum præſcientiam ejus fiat. Ex his ſatis liquet; futurorum conditionalium non ſimplicem notitiam, ut a nobis ſupra eſt explicatum, negare Fulgentium: ſed abſolutam ſcientiam, quæ quidem de conditionalibus non eſt, ſiquidem conditionalia, ut talia, non erunt, ſed eſſent: & tamen ſcientia abſoluta requireretur, ut Deus, loco præmii, aut ſupplicii, beneficium ſecundæ nativitatis concedere, aut denegare ex æterno ſtatueret. Verum loqui Fulgentium de ſcientia abſoluta manifeſtius etiam fit ex ſequentibus: ſic enim pergit: *Futura vero ſola in ſe creaturæ mutabilitas recipit, quæ in creatoris incommutabilitatem nullatenus cadit. Propterea Deo nihil eſt præteritum, vel futurum, cui ſic omnia præſentia ſunt, quæ facienda præſcit, ut poſtquam facta fuerint, præterita ei eſſe non poſſint: quoniam ſicut novit præterita, ſic novit & futura. Quæcunque enim cum tempore mutantur, & tranſeunt, in ejus cognitione ſine temporis tranſitu, ac mutabilitate conſiſtunt. Rerum autem non earum, quæ futuræ non ſunt, ſed quæ faciendæ ſunt, præſcientiam Deo ineſſe, liber Danielis Prophetæ (XIII. 42.) teſtatur his verbis: Deus, qui occultorum es cognitor, qui ſcis omnia, antequam fiant. Deus ergo hoc ſcit in æterna præcognitione, quod futurum eſt, ut fiat in opere.* Deſcribit hic utique ſcientiam abſolutam, quæ pertinet ad ſtatum, ſive ſignum progreſſionis, & eſt non ſolum re, ſed noſtro etiam intelligendi modo; licet non ſecundum explicitum, ipſamet ſempiterna Dei actio, & voluntas; ſimulque complectitur facta, & facienda; præteritum, & futurum.

XLV.

Hinc autem tertio reſpondeo, Auguſtinum, ejuſque diſcipulos præſcientiæ nomine non tantum in locis nobis objectis, ſed alibi etiam plerumque ſcientiam ſignificaſſe abſolutam. Conſtat id iis omnibus teſtimoniis, quibus jam oſtendimus in ſuperioribus diſputationibus, præſcientiam in Deo, ſigno eodem teneri, ac voluntatem; idemque penitus eſſe, ut Schola loquitur, etiam formaliter, quamquam non ſecundum explicitum. Addo ea hic, quibus Auguſtinus docet, Præſcientiam idem eſſe, ac Prædeſtinationem. Deum prædeſtinando præſcire dicit in libro de Prædeſt. Sanct. cap. 10. num. 19. his verbis: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: unde dictum eſt. (Iſa. XLV.) Fecit quæ futura ſunt.* In libro autem de dono Perſever. cap. 14. num. 35. Prædeſtinationem ſic definit: *Hæc eſt Prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: Præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Quo in loco nomine Præſcientiæ fortaſſe non ſignificatur ſcientia Media; ſignificatur hic ſcientia abſoluta: quæ quoniam, ut jam explicavimus in diſput. de Actibus contingentibus ac liberis Dei, prima via, ex tribus ibi propoſitis; eſt ipſamet actio, & voluntas Dei ſempiterna, per eam ex æterno præparantur, ſeu decernuntur beneficia illa, quæ conferuntur in tempore. Hanc eſſe mentem ſuam Auguſtinus ipſe non obſcure declarat; ſic enim cap. 17. num. 41. *Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, procul dubio ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit. Namque in ſua, quæ falli, mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam eſt prædeſtinare.* Et num. 42. loquens *de initio Fidei, & uſque in finem perſeverantia* idem inculcat his verbis: *An forte nec ipſa dicunt prædeſtinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſcivit. Quod ſi & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſcivit; profecto prædeſtinavit:* hoc enim præ-

Digitized by Google

prædeſtinare eſt, præſcire quæ eſt ipſe daturus. Sed audiamus ipſum S. Doctorem, qui in eandem ſententiam, & loquendi modum ſic pergit: *Sicut ergo ipſi* (Semipelagiani) *quoque hortantur ad caſtitatem, caritatem, pietatatem, & cætera quæ Dei dona eſſe confitentur, eaque ab illo eſſe præcognita, ac per hoc prædeſtinata negare non poſſunt*; (notentur verba illa: *præcognita, ac per hoc prædeſtinata*) *nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt, prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei: ſic videant nec ad Fidem, nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas ſi & ipſa, quod verum eſt, eſſe Dei dona eaque præcognita, ideſt, ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur*. Notentur iterum verba illa: *præcognita, ideſt, ad donandum prædeſtinata*. Pergit Auguſtinus nu. 43. *Cum oſtenderimus*, ait, *& initium Fidei, & utique in finem perſeverantiam, Dei dona eſſe; nec ulla ſua futura dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire potuiſſe; ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe, quos liberat, & coronat*. Prædeſtinatos ſcilicet per illam præſcientiam. Clarius etiam, ſi dici quid clarius poteſt, in fine capitis hujus num. 47. *Hæc*, inquit, *Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur a Deo: præſciuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus*. Et mox cap. 18. numer. eodem hunc, quo ipſe utitur, loquendi modum, ut *præſcientiæ nomine ſignificetur prædeſtinatio*, uſurpatum dicit ab Apoſtolo, cum ſcripſit ad Roman. XI. 2. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*. Citato enim hoc Apoſtoli loco, ſtatim hæc ſubjicit: *Hic quod ait, præſcivit, non recte intelligitur, niſi prædeſtinavit: quod circumſtantia ipſius lectionis oſtendit. Loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ ſalvæ factæ ſunt, pereuntibus cæteris &c.* Et tandem multis interpoſitis, quæ id evincant, ita concludit: *In hac ergo electione, & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſcivit. Hæc eſt illa electio, qua eos quos voluit, elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent ſancti, & immaculati in conſpectu ejus, in caritate, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apoſtolus*, Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit, *prædeſtinationem ſignificare voluiſſe. Præſcivit enim reliquias, quas ſecundum electionem gratiæ fuerat ipſe facturus. Hoc eſt ergo prædeſtinavit: ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit: ſed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus*. Quibus ultimis verbis ſolvuntur illa, quæ contra nos diſputat P. Ruitz diſput. 66. ſect. 5. ubi illud enixe pugnat, quod quidem non ita certum exiſtimo, præſcientiam, in qua dicit Auguſtinus futura diſponi, conditionalem eſſe, non abſolutam: allatoque eo, quod eſt in libro de Prædeſt. Sanct. cap. 10. num. 19. *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia*: contendit, prædeſtinationem, ac præſcientiam, de qua in libro hoc loquitur Auguſtinus, idem non eſſe. Solvuntur enim facile ita. Neque enim dicimus, quamlibet præſcientiam eſſe prædeſtinationem, ſed eam, qua prænovit Deus, quid ſit ipſe facturus. Quod expreſſe cavit, atque diſtinxit Auguſtinus ipſe in loco, quo maxime nititur Ruitz: verbis enim proxime citatis hæc ſtatim S. Doctor attexuit: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: unde dictum eſt*: Fecit quæ futura ſunt. *Præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit; ſicut quæcunque peccata*. Jam porro, cum ſit uſque adeo verum, præſcientiæ nomine ſæpe apud Auguſtinum venire ſcientiam abſolutam, ut ipſa hic Dei æterna electio, prædeſtinatioque eo nomine ſignificetur; mirum profecto non eſt, ſi iis in locis, quæ nobis adverſarius oppoſuit, eorum, quæ non erunt; futurorumque, quæ futura non ſunt, negat in Deo eſſe præſcientiam: ac recte monent de iis hoc potius a Deo præſciri, prævisumque eſſe, quod ſcilicet futura non ſint.

XLVI.

Digitized by Google

XLVI.

Ad Sextum; ea ſunt, quæ pro ſcientia conditionali ex S. Thoma ſuo loco recitamus; ut contra nos pugnare non poſſit, niſi ſecum ipſe pugnet. Leviſſimum vero eſt, quod ex illo primum nobis objicitur, locum non eſſe ſcientiæ, quam nunc defendimus in ea celebri diviſione, quam fecit ipſe locis citatis. Nam ſi ex tribus modis, ſeu viis explicandi actus Dei contingentes, ac liberos, ſi primam ſequeris, qua nobis præire videtur Auguſtinus; cum in ſtatu ipſo communicationis, duo quædam poſſint, ut ajunt, ſigna conſtitui, alterum ſimplicis converſionis ad terminos extra poſitos, alterum etiam progreſſionis ad eoſdem terminos, locus ipſi huic ſcientiæ, quam commodiſſimus, & quam aptiſſimus eſt in primo ſigno; pro quo nihil adhuc in rebus, ſive, ut ajunt, in eſſe poſitum intelligitur. Quocirca ſcientiam hanc ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ pertinere dicimus: immo & ſimplicem intelligentiam illam vocamus: quod cum aliis pluribus fecit etiam Bellarminus lib. 2. de amiſsione grat. & ſtatu peccat. cap. 17. ibi enim Calvino dicenti, *Deum præſciviſſe hominem caſurum, quia jam decreverat, & prædeſtinaverat ejus lapſum*; ita reſpondet: *Deum cognitione ſimplicis intelligentiæ cognoviſſe hominem caſurum, ſi conderetur; non ſolum antequam eum conderet, ſed etiam antequam condere decerneret. Itaque prior eſt (ſecundum modum noſtrum intelligendi) cognitio illa conditionalis propoſitionis, nimirum; ſi homo creetur, peccabit; quam decretum abſolutum hominis condendi*. Quamquam de Bellarmino videnda, quæ dicta ſunt in primo ſyſtemate. Suffragantur autem huic loquendi modo præcipue Patres aliqui, qui, futurum eſſe aliquid conditionaliter, quamvis id omnino certum putent, ſignificant tamen per verbum *poſſe*: quo ſcientia futurorum conditionalium dici jure aliquo poteſt ſcientia *poſſibilium*. Si præſertim ea ſit de qua in primo ſyſtemate. Eorum Patrum dicta recenſet P. Ruitz diſput. 66. Sect. I. Quod ſi alterutram, ex duabus reliquis viis, atque rationibus ſequi malumus; cum illæ diſcrimina, diviſioneſque iſtas, ne noſtro quidem cognoſcendi modo, penes Deum reſidere patiantur, ſed omnino a Deo repellant, atque in verum, & bonum creatum rejiciant; argumentum hoc adverſariorum, quod antea nos parum ſolicitos habuit, jam plane negligimus. Neque enim diſputatur amplius, an certo, & definite verum alterutrum ſit; Tyrios nimirum acturos, vel non acturos pœnitentiam, ſi vidiſſent Chriſti miracula. Sed cum de hoc ſatis jam conſtitutum ſit in ſuperioribus; quonam verum iſtud pertineat, & in qua verorum ſede, & claſſe locandum; ſi hoc tandem in hoc argumento quæritur, cum per ſe ſtatim appareat, quam eſt id percontari otioſum, tam de eo reſpondere ſupervacaneum foret.

XLVII.

Sed & illud, quod nobis objicitur ex art. 13. q. 14. p. 1. *Quicunque cognoſcit effectum in ſua cauſa tantum, non habet de eo, niſi conjecturalem cognitionem*; ſi poſteriores has duas ſententias ſequimur plane evaneſcit. Nos quidem, & angeli res cognoſcimus, ſeu mente percipimus, media aliqua mentis ipſius operatione, ſeu cognitione, rerumque ipſarum, non impreſſa modo, ſed etiam expreſſa ſimilitudine. Longe autem aliter Deus, qui cum ſit ipſa Veritas per ſe ſubſiſtens, atque idem ſimpliciſsimus, ac perfectiſsimus actus, ei vera omnia tum abſoluta, tum conditionalia, nulla re prorſus interjecta, mediaque, cognita, perſpectaque ſunt ipſa per ſe, ac propterea *nuda* illi, & *aperta* dicuntur Hebr. IV. 13. Cumque eadem vera, ut tradit in illo articulo S. Thomas, in ſua quidem cauſa nondum ſint determinata ad unum: quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita; determinata vero ad unum ſint in ſe ipſis; ſintque quid certum, ac definitum; Deo, cui ipſa per ſe, rei nullius interventu, interjectuque, ſunt cognita; certo, definiteque cognita ſunt. Ut autem difficultas nec major ſit prima via, conſtat

ex hac eadem S. Thomas doctrina. Nam ſi hæc conditionalia determinata ſunt in ſe ipſis, ut Dei ſcientiam poſſint extrinſecus denominare; ſunt etiam in eſſe veri, ac proinde poſſunt Dei ſcientiam denominare etiam intrinſecus, ut dictum eſt in reſponſione.

XLVIII.

Nec magis laborandum mihi eſſe arbitror de eo, quod additur ex 1. part. quæſt. 19. art. 7. Concedo enim aliquid pronuntiari futurum, ut eſt in præſenti cauſarum habitudine, & ordinatione: ampleċtorque doctrinam, quam ibi, & aliis etiam in locis tradit Angelicus, præſertim vero quæſt. 12. de Verit. art. 10. ad 7. ubi hæc habet: *Aliquid dici poteſt futurum non ſolum ex hoc, quod ita erit; ſed quia ita eſt ordinatum in cauſis ſuis, ut ſic ſit futurum. Sic enim medicus dicit, iſte ſanabitur, & iſte morietur. Et ſi aliter contingat, non falſum dixit: ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum. Quod tamen poſſibile eſt impediri; & tunc quod prius futurum fuerat, conſequenter non erit futurum. Unde Philoſophus dicit in 2. de generat. Quod futurus quis incedere, non incedit. Et ſecundum hoc denuntiatio Prophetæ comminantis, nec falſa eſt, nec dubia, quamvis non eveniat quod prædixit.* Amplector hæc, inquam, ſed illud rejicio, quod iſthinc male colligitur, ſcientiam Dei in præſenti dumtaxat cauſarum modo, atque habitudine inſiſtere, eaque una circumſcribi; nec quod certa ſit aliunde etiam deſumere. Nam mors Ezechiæ conſequuta certiſſime fuiſſet, niſi is pœnitentiam egiſſet. Quapropter ut ſic conditionaliter certo futura, in ſe ipſa quoque Deo fuit manifeſta. Atque hoc tantum intereſt inter iſtiuſmodi futurum conditionale, & alia pariter conditionalia ſupra memorata, verbi cauſa, Davidem Sauli proditum iri, ſi apud Ceilenſes maneret; quod hæc quidem proditio, quia cauſas liberas habuit, non in illis, ſed in ſe ipſa certa omnino fuit: ſecus autem non in ſe ipſa ſolum, ſed etiam in cauſis ſuis certa fuit mors illa, quia cauſas habuit neceſſarias. Quin etiam illud addo, non ſolum ſcientiam mortis hujus, ſed etiam prædictionem, ſeu revelationem non hærere in præſenti dumtaxat cauſarum præparatione, & ordine: ſed ut effectus ipſe in ſe ſe Deo cognitus eſt ſub hypotheſi pœnitentiam negante; ſic & prædictus eſt, ſeu revelatus ſub eadem hypoteſi; non quidem expreſſa, ſed facile intelligenda. Conditionalia enim cenſenda ſunt prædicta, vaticiniaque illa, quæ comminationem aliquam continent: ut illud Joan. III. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Et hoc Iſa. XXXVIII. 1. *Morieris tu, & non vives*. Quia ſcilicet eo ſpectat Deus, dum ad hæc mala denuncianda mittit prophetas ſuos, non ut præciſa ſpe veniæ, ac certa expectatione mali malum ipſum in nobis anticipet; ſed ut ad pœnitentiam nos excitet, qua nobis reconcilietur. *Propterea expectat Dominus, ut miſereatur*, Iſa. XXX. 18. Et Jerem. XVIII. 7. 8. &c. *Repente loquar adverſus gentem, & adverſus regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam: agam & ego pœnitentiam, ſuper malo quod cogitavi, ut facerem ei. Et ſubito loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum &c.* Ipſa prædictio futuri diluvii conditionalis hoc pacto fuit, Auguſtini interpretatione. Sic enim ille Serm. 361. cap. 20. n. 19. *Ideo per tot annos ædificatur arca, ut evigilent qui non credunt. Per centum annos illa ædificata eſt, & non evigilaverunt, ut dicerent, nonne ſine cauſa homo Dei arcam ædificat, niſi quia imminet exitium generi humano, & placarent iram Dei, converſi ad mores, qui placent Deo, quomodo fecerunt Ninivitæ. Fecerunt enim fructum pœnitentiæ, & propitiaverunt iram Dei. Annuntiavit Jonas non miſericordiam, ſed iram futuram: non enim dixit, Triduo, & Ninive evertetur; ſi autem pœnitentiam in iſto Triduo egeritis, parcet vobis Deus: non dixit hoc. Everſionem ſolam minatus eſt, & prænuntiavit: & tamen illi de Dei miſericordia non deſperantes, converterunt ſe ad pœnitendum, & pepercit Deus.* Locus igitur nobis objectus ex Iſaia de morte Ezechiæ dupliciter conſiderari poteſt, abſo-

Digitized by Google

abſolute videlicet, & conditionaliter. Si conſideretur primo modo; prænuntiatus eſt effectus ille, ſecundum quod continebatur in ordine cauſarum inferiorum: & ſic, quamvis effectus ille non evenerit, vera tamen prædictio fuit; quia cauſæ naturales ita paratæ, & diſpoſitæ erant, ut niſi ſuperiore vi prohibitæ fuiſſent, ex iis mors regis omnino conſequuta fuiſſet. Si vero conſideretur ſecundo modo; prænuntiatus eſt ille effectus, ut certo fuiſſet in ſe ipſo futurus, niſi rex pœnitentiam egiſſet: quam quia rex egit, prædictio vera pariter fuit, etiamſi, quod prædictum eſt, non evenerit. Prædictio hæc, primo modo conſiderata, nititur ſcientia abſoluta, & exterior quædam eſt ejus ſignificatio, & expreſſio: conſiderata ſecundo modo, nititur ſcientia conditionali, eamque pariter nobis refert, atque exprimit. Quo facile accomodari poteſt doctrina, quam tradit S. Thomas 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad 2. quamvis utraque ſcientia, de qua hic loquitur, ſit abſoluta, ſed altera ſit ſcientia rerum, ut ſunt in ſe ipſis; altera vero ſcientia rerum, ut ſunt in cauſis ſuis. *Quandoque, inquit, revelatio prophetica eſt impreſſa quædam ſimilitudo divinæ præſcientiæ, prout reſpicit ipſa futura contingentia in ſe ipſis, ut Iſa. VII. 14. Ecce virgo concipiet. Quandoque vero prophetica revelatio eſt impreſſa ſimilitudo divinæ præſcientiæ, prout ſcilicet cognoſcit ordinem cauſarum ad effectus, ut Iſa. XXXVIII. 1. Morieris, & non vives.* Poſtremum quod additur ex S. Thoma cum ſatis ſolutum eſt ſupra, tum magis explicabitur, & omnino planum fiet in ſequenti diſputatione, ubi de omnipotentiſſima Dei poteſtate, & ſumma divinæ voluntatis efficacia. Scientiæ autem mediæ, aut ſaltem conditionalis nomina, quod non legantur apud Angelicum Doctorem, parum profecto refert, cum res ipſa evidenter appareat, atque exſtet tot locis, ac teſtimoniis ex ipſo ſupra relatis. Itaque

XLIX.

Ad ſeptimum; quoniam ad ſecundam, tertiamque viam explicandi actus Dei contingentes, ac liberos potiſſimum revocor; de Immenſitate, & Æternitate reſponſio facilis eſt. Nimirum denominationes illæ, quibus Deus rei cuipiam præſens ſeu loco, ſeu tempore dicitur, ejus ſunt naturæ, ut terminum alicubi, & aliquando exiſtentem requirant. Secus autem denominatio illa, qua Deus dicitur ſciens, ac videns futura conditionalia; ſeu ſcientia, ac Veritas ipſa futurorum conditionalium. Hæ quippe terminos ſuos non alicubi, aut aliquando exiſtentes petunt; ſed qui, ſi certa quædam conditio poneretur, exiſterent. Ut autem, quoad ejus fieri poteſt, præſentiæ utriuſque, realis ſcilicet, & intentionalis, quam vocant, eadem ſit apud nos ratio, & doctrina; quemadmodum in hac notione, Deus ſciens, ac videns aliquod futurum, ſive abſolutum, ſive conditionale, id quod pertinet ad ſubſtantiam, ſive entitatem ab eo ſecernimus, quod pertinet ad denominationem; & primum quidem in Deo omnino eſſe volumus; alterum vero extra Deum rejicimus; in hac notione, Deus præſens huic, vel illi rei ſic pariter diſtinguendum exiſtimo: ut ſcilicet tota illa ratio, qua Deus rei cuipiam præſens loco, & tempore eſt, & dicitur; ſecundum ſubſtantiam quidem, atque entitatem, in Deo ipſo ſit, æterna, neceſſaria, immobilis, omnino abſoluta, & a rebus exempta; ſecundum denominationem autem, ſit in re ipſa, ipſoque loco, & tempore, quibus ea res cohæret. Eo autem notiones iſtas differre arbitror, quod denominationem, qua dicitur præſens huic certæ, & definitæ rei, aſſumat Deus extrinſecus ex ipſa re, quæ alicubi, & aliquando ſit: denominationem vero, qua dicitur ſcire, & videre hoc certum, ac definitum futurum conditionale aſſumat extrinſecus quidem pariter; ſed ex re, quæ nuſquam, & nunquam ſit, eſſet autem conditione aliqua poſita. Similitudinem autem cen-

tri,

tri, ac ſphæræ infinitæ, ut eſt non parum apta ad explicandam eo modo, quo poſſumus, Dei immenſitatem, & æternitatem; ſic non plane ineptam judico, ad explicandam ejuſdem ſcientiam. Illud vero præcipue, ut Deus univerſa cognoſcat in ſingulis, ſicut in ſingulis præſens eſt univerſis; de quo præſertim ex Anſelmo, & Boethio dictum eſt in ſuperioribus diſputationibus. Quod ſcilicet ſecundum ſubſtantiam, atque entitatem, tam eſt in Deo, tamque eſt una, & ſimpliciſſima tota ratio divinæ ſcientiæ; quam eſt tota pariter in Deo, eademque una, & ſimpliciſſima ratio divinæ præſentiæ.

L.

Ad id tandem, quod additur de divinis Proceſſionibus externis, quæ ex Græcorum Patrum doctrina ſimilitudinem remotiſſimam quidem, ſed tamen aliquam referunt divinarum Proceſſionum interiorum; in qua ſimilitudine tertia via tota verſatur; reſpondeo, Veritatis per ſe ſubſiſtentis eam eſſe naturam, cui maxime conveniat denominationes contingentes ſuſcipere ex externa verifuſione activa, non ſolum quæ fit, ſed etiam quæ eſſet. At inſtas; quid ergo idem non dicimus de externa, & activa boni, ſive entis fuſione? Si externa, & activa Proceſſio, quæ pertinet ad intellectum, non ſolum quæ fit, ſed etiam quæ eſſet, Deum denominat ex æterno videntem; cur pariter externa, & activa Proceſſio, quæ pertinet ad voluntatem, non ſolum quæ fit, ſed etiam quæ eſſet, Deum non denominat ex æterno volentem, ac vel ſancientem, vel permittentem? Reſpondeo, hoc ideo eſſe, quia e ſumma Dei perfectione, atque excellentia eſt, ipſum cognoſcere, atque intueri omnia prorſus, illa etiam quæ conditionaliter tantum futura. Secus vero, ad ſummam ipſius perfectionem, excellentiamque non pertinet, eum iſta velle, & aut ſancire, aut permittere. Quod ſi pertinere putas, jam me inde oppugnare non potes, quod aliquid adſtruam penitus otioſum, & ſupervacaneum. Thomiſtarum decretum ſubjective abſolutum, ac terminative conditionatum non ideo tantum ſuperfluum dicimus, quia ſumma Dei præſtantia non poſtulat ab ipſo futura iſthæc dumtaxat conditionalia decerni: ſed etiam, quia, ut oſtendi auctoritate S. Thomæ in confutatione ſuperioris oppugnationis, iſtud non poſtulat propria futurorum ipſorum veritas. In quo maxime inſiſtunt, nituntur que Thomiſtæ. Multum præterea intereſſet inter illorum decretum ſubjective abſolutum, ac terminative conditionatum, & has Dei ſanctiones, aut permiſſiones, etiamſi illas ad terminos dumtaxat conditionales neceſſarias eſſe cenſerem; quod hæ, ut a me explicantur triplici via, nihil advehunt libero hominum, & Angelorum arbitrio ullo modo contrarium. Quod quidem Thomiſtas de ſuo illo decreto non ſatis probare poſſe opinamur. Legantur, quæ ſcripta ſunt quæſt. 2. diſp. 2. potiſſimum vero, quæ de externis Dei Proceſſionibus in tribus ſupra memoratis Chriſtiani Platonis dialogis, Centropanto, Aletheochiſio, & Agathochiſio. Sive alio titulo, Gregorio Nazian. Idiota, Johanne Sapiente. Porro ut in Schola etiam noſtra locum habeat, & a pluribus ex noſtris defendatur decretum ſubjective abſolutum, & terminative conditionatum, aliud tamen ab eo, quod defendunt Thomiſtæ, vide apud Ramirez tract. de ſcientia Dei diſput. 18. Cap. 4.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

Utrum etiam in iis, quæ ſpectant ad Divinæ Gratiæ auxilia, Scholæ noſtræ doctrina auctoritati, & rationi congruat; & potiſſimum, an in Sacris Literis hac etiam ex parte reperiatur.

PARS PRIMA,

OPPUGNATIO.

I.

NON videtur: duplici de cauſa. Primum, propter illa, quæ contra auxilia congrua, præſertim quæ talia prævideantur ab effectu conditionaliter futuro, & Gratiam indifferentem, quam vocant, ſeu non connexam cum actione, atque extrinſecus efficacem, afferri poſſunt tum a ratione, tum ab auctoritate, & quidem divinæ quoque Scripturæ. Deinde propter illa, quæ a ratione pariter, & ab auctoritate etiam divina, poſſunt afferri pro auxiliis metaphyſice connexis cum actione, ad quam conferuntur, & Gratia per ſe intrinſecus efficaci. Oppugnatio bipartita eſt. Auxiliis indifferentibus, ſeu Gratiæ extrinſecus efficaci, quæ prima pars eſt, hæc objiciuntur.

Primo; ab indifferenti, ut indifferenti non oritur determinatio, ſive unius potius, quam alterius optio, & electio: cum igitur actio libera ſit determinatio quædam, quam vocant, liberæ facultatis; ſive unius potius, quam alterius optio, & electio; ſequitur, ut ab ea facultate, ut indifferenti, & inter duplex ſaltem extremum ſuſpenſa, proficiſci nequeat.

Secundo; Cauſæ ſecundæ, quas nuncupant, inſtrumenta ſunt Cauſæ primæ; uti pennicillus, & ſcalprum, quæ quam ad opus aptitudinem habent, eam promere, atque exercere non queunt, niſi mota ab artifice. Ad agendum certe non ſunt ex ſemet ipſis undique aptæ, & paratæ; atque ut virtutem, qua compleantur, vel etiam ſupra naturalem habitudinem ſuam attollantur; ut illis promptum, atque expeditum ſit etiam ſalutariter agere; ita & motum, quo agant, expectant a Deo.

Tertio; Deus ut eſt ultimus finis; ſic eſt primum principium entis totius: ideoque eſt idem & primum agens, & primum liberum, & primum idem determinans: ipſiuſque poteſtati, & dominio in res omnes creatas nimium oppido derogatur; niſi, quemadmodum ad ſingulos cujuſvis cauſæ effectus concurrere dicitur; ſic pariter & ſingulos ipſos non dicatur determinare, ac præ aliis, qui adligi poſſent, certo, & definite velle.

Quarto, Deus ſalutarium actionum non ſolum eſt auctor principalis; ſed auctor eſt fere unicus: ut nobis de illis gloriari omnino non liceat: nec qui, Deo auctore præcipuo, ac fere unico, illas edit, propterea dici poſſit ab eo, qui male agit, ipſe ſe diſcriminare, & di-

Digitized by Google

diſcernere. Quæ duo cauta ſunt auctoritate divinæ Scripturæ. Cum ſcriptum ſit 1. Cor. IV. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quod contra dici poſſet, ſi quæ nobis ſuppeditat Deus ad bene merendum neceſſaria, forent omnia indifferentia, neque cum bona actione connexa. Siquidem de hoc ipſo, quod ſe aliquis ad bonum determinat, ſeu bonum amplectitur, quod idem reſpuit alter; & Gratiæ obſequentem ſe præbet, cui prorſus eidem, vel æquali alter repugnat; cum ipſi adverſus illum gloriari liceret, tum ipſemet dici poſſet, ſe ſe ab illo ſegregare, & ſecernere.

Quinto; ſi Gratia duntaxat extrinſecus efficax eſt, non videtur verum, quod Lib. de Corrept. & Grat. Cap. 14. n. 45. ſcripſit Auguſtinus, eſse in Deo *humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. Immo neque quod ſcriptum Prov. XXI. 1. *Cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*. Quippe ſicuti facultas libera hominis, aut Angeli auxilio poteſt & huic, & illi reſiſtere; ita etiam poſſit reſiſtere omnibus, ſi quidem connexa non ſint cum actione ſalutari, neque illis devincta ſint creatæ voluntatis aſsenſio. De quo autem ſive homine, ſive Angelo Deo prævifum foret, eum auxiliis, ac vocationibus reſtiturum prorſus omnibus; ipſum nequeat ad ſe ſe, ſalva ejus libertate, convertere; aſsenſumque liberum ullo modo ab eo obtinere. Præterea quibus auxiliis quemque hominem, aut Angelum reſtiturum, ſi ea acciperent, prænoſset Deus; non poſset auxiliis illis ab iiſdem voluntatis aſsenſum elicere. Eoque etiam fieret, ut neque poſſet aſsenſum illum, ex certis iis auxiliis oriundum, prædefinire, aut omnino efficaciter velle. Hoc autem ſi nequeat Deus, falſum ſit pariter, quod in eodem Libro Cap. 14. n. 45. ſcriptum reliquit Auguſtinus; *Deus magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*. Atque adeo illud etiam ſequeretur abſurdius; poſse hominem, & Angelum efficaciter velle bonum aliquod, quod efficaciter velle non poſſit Deus. Item; poſse hominem, & Angelum efficere, atque obtinere, ut Deus una cum ipſis certum aliquod bonum faciat; ſive, cum ipſis ad certum, & ſingulare quoddam bonum opus concurrat: non poſse autem Deum quantumvis adnitatur, efficere & obtinere, ut illi una cum ipſo, certum itidem aliquod bonum, cujuſmodi foret auxiliis illis aſsentire, & obſequi, faciant una cum ipſo; ſeu pariter ad certum, ac ſingulare illud opus bonum ſecum concurrant.

Sexto; quæ initio objecta ſunt, confirmantur auctoritate S. Thomæ. Is enim part. 1. quæſt. 6. art. 1. ad 3. *Deus*, inquit, *movet hominem ad agendum, non ſolum ſicut proponens ſenſui appetibile, vel ſicut immutans corpus, ſed etiam ſicut movens ipſam voluntatem: quia omnis motus tam voluntatis, quam naturæ ab eo procedit, ſicut a primo movente*. Et 1. 2. quæſt. 9. art. 6. ad 3. *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicut in his, quos movet per gratiam*. Quæ quidem ſi eſt indifferens, & extrinſecus efficax, hac determinandi vi caret; nec bono voluntatem affigit. Cohæret his, quod ſcribit lib. 3. cont Gent. cap. 91. his verbis: *Oportet omnium voluntatum, & electionum motus in divinam voluntatem reduci, non autem in aliam aliquam cauſam: quia ſolus Deus noſtrarum voluntatum, & electionum cauſa eſt*. Primum ſcilicet liberum, primum eligens, ſive determinans eſt ipſe Deus: quod ſupra notavimus.

II.

Jam vero quæ altera eſt Oppugnationis pars, auxilia connexa cum opere ſalutari, ſeu Gratiam per ſe intrinſecus efficacem cum ipſa illa probant, quæ hic proxime dedimus, tum magis directe hæc, quæ ſequuntur.

Primo, cum duo ſint in hac re, quorum præcipue eſt habenda ratio, ſumma videlicet Dei poteſtas, ſive dominium in ipſas etiam voluntates creatas, & voluntatum ipſarum libertas, tametſi nobis utrumque eſt ſollicite, ſancteque ſervandum, quia tamen primum ex his duobus longe majorem habet dignitatem, ſententia, quæ illi tam plene, atque apte conſulit, quam plene, atque apte conſulit alteri ſententia contraria, quæque pariter alteri non magis detrahit, quam detrahat primo illi contraria ſententia, vel ob id ſolum ipſi eſt præferenda. Porro ſententiæ catholicæ, quæ divinæ Gratiæ auxilia ex ſe efficacia, & cum opere bono connexa defendunt, tantum excellunt in primo, quantum Syſtema Societatis excellit in ſecundo: &, ſi nonnihil deficiunt in ſecundo, non magis deficiunt, quam Syſtema idem deficiat in primo.

Secundo, Ejuſmodi auxilia; ſeu Gratia per ſe intrinſecus efficax ſic a Thomiſtis defenditur, ut creatæ libertati nihil officiant, aut detrahant: tum quia aſſentiendi, aut diſſentiendi neceſſitas, quam afferunt per phyſicam præmotionem, ex parte eſt actus ſecundi, ſive ut ajunt aliqui in ſigno intermedio, tum quia neceſſitas eſt ſenſus dumtaxat compoſiti, non vero etiam ſenſus ut loquuntur, diviſi, tum propter alia, quæ apud ipſos animadverſa, & notata reperies: ut Libertate Dei eminenter contineri libertatem noſtram, eoque fieri, ut quæ libertate noſtra incolumi nos ipſi determinamus; eadem determinet ſalva pariter libertate noſtra Deus. Immo ſi cauſa ſecunda, ut videmur dicere, Deum determinat ad agendum cum ipſa, quin propterea quicquam officiat libertati divinæ; cur nequeat viciſſim Deus permovere, ac determinare cauſam ſecundam ad agendum, quin pariter obſit ullo modo libertati creatæ? Et alia horum ſimilia.

Tertio; Libertatem creatam certe non lædit Scotiſtarum de re iſta ſententia. Quod ſi dicas, perpetuum illum duarum voluntatum divinæ, & creatæ conſenſum, atque concentum, quo hæc ſententia tenetur, videri omnino ad arbitrium confictum, ac nullo ſive rationis, ſive auctoritatis fundamento niti; utcunque pro ſe Scotiſtæ ipſi reſpondeant; harmonia, conſenſioque illa referri poſſit in ipſam Veritatis per ſe ſubſiſtentis naturam. Quod attigi in Clemente Alex. ſive in meo Syſtemate metaphyſico par. 2. propoſit. 7. & 8. & de quo dicetur hic n. 29.

Quarto; Gratiæ per ſe intrinſecus efficaci ac præſertim Thomiſticæ præmotioni favet divina Scriptura, cum propter illa, quæ docet in rem iſtam de operibus bonis, ut I. Cor. XII. 6. *Deus, qui operatur omnia in omnibus*: & Epheſ. I. 11. *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*: & Philipp. II. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere &c.* Nempe ita nobis prædefinit, ac prædeterminat quid agamus, ut ſolus ipſe agere videatur. Tum propter illa, quæ docet de operibus malis; ea ſcilicet feciſſe, voluiſſe, & aliquando etiam precepiſſe Deum; ut Exod. VII. 13. 22. &c. II. Reg. XVI. 10. Act. II. 23. &c.

Quinto; Gratiæ eidem favet apprime Auguſtinus, eamque *victricem, ac triumphatricem* ſæpe nuncupat; quo quidem aliquid in ea ineſſe indicat connexum cum opere ſalutari. Immo pluribus in locis de illa ita ſcribit, ut non illis modo patrocinari videatur, qui eam catholice defendunt, verum etiam Bajanis, & Janſenianis, qui inſuperabilem neceſſitatem, eandemque omnino antecedentem poſſe putant cum vera libertate conſiſtere. Ejuſmodi eſt, quod habet in expoſ. epiſt. ad Galat. cap. 5. num. 49. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Ex quo Gratiam, qua recte aliquid agimus, etiam *victricem delectationem* appellat lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 19.

Digitized by Google

num. 32. Quibus potiſſimum locis Janſenius alternantibus delectationis cæleſtis, terreſtriſve motibus nos agi ſtatuit; ita ut & utraque delectatio voluntatem indeclinabiliter occupet, & ea, quæ fuerit ad actum quemlibet validior, ad hunc ipſum actum voluntatem inſuperabiliter determinet. His accedit, quod Auguſtinus Gratiam eandem vocat *Adjutorium quo* lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. num. 34. idque cum beatitudine comparat, ut tam nobis detur eſſe perſeverantes per adjutorium quo, quam per beatitudinem datur eſſe beatos. Tum Gratiam hanc multo potentiorem eſſe ait, quam quæ Adamo conceſſa fuit: & tandem caput illud ita concludit: *ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur*. Denique ea fuiſse videtur inter Pelagianos, & Auguſtinum controverſia præcipua, ut eſse, ac dici poſse actiones liberas, quæ Gratia fierent ſe ipſa intrinſecus efficaci, & cum illis connexa, pernegarent Pelagiani, contra vero Auguſtinus acriter propugnaret. Propugnabat autem his argumentis: Deum, quod mori, quod falli, quod peccare non poſſit, non propterea minus liberum eſse. Hominem pariter, quamvis felicitatem nolle ſuam non poſſit, eam tamen libere velle. De quibus exultat, & triumphat Janſenius. Lege lib. 5. de Civit. cap. 10. num. 1.

Sexto, Subſcribit his S. Thomas. Siquidem in 3. ſent. diſtinct. 12. quæſt. 2. art. 1. ad 3. *Impotentia*, inquit, *coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationem meriti, & demeriti, non impotentia, quæ eſt ex perfectione in bonitate, vel malitia &c.* & diſtinct. 18. art. 2. ad 5. ubi de libero Chriſti arbitrio, *Dicendum eſt*, inquit, *quod etiamſi eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſive meriti, quia in illud non coacte, ſed ſponte tendit*. Quæ fuſius etiam ediſserit, & explanat lib. 3. cont. Gent. c. 138. & quæſt. 10. de Potent. art. 2. ad 5, &c.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIONIS

PARS SECUNDA.

Repugnatio ab Auctoritate, ſive Auctoritatis contrapoſitus.

III.

SED CONTRA EST ſacra omnis auctoritas, etiam divina, & canonica, quæ in eo maxime conſentit, ut libertati inimicum habeatur id omne, quod, cum inter extrema, ſeu terminos ſaltem duos verſari electio debeat, ſic alterutri voluntatem alligat, & adſtringit, ut ei ſolutum non relinquat alterum optare, & amplecti. Nec vero omnia proferam, quibus id confirmari ſolet a Noſtris. Sunt enim tam multa, non ſolum ex omnibus Patribus, ſed ex ipſis etiam divinis Literis, atque ex Conciliis, quibus damnati ſuperiorum temporum hæretici ſunt, ut iis locus hic eſſe nequeat. Legantur quæ de libera hominis facultate, etiam pro ſtatu lapſæ naturæ ſcripta ſunt Gen. IV. 7. Deuter. XXX. 19. Joſu. XXIV. 15. Pſ. XXIV. 8. 9. 12. Sapient. IX. 10. Eccli. XV. 14. 15. &c. XXXI. 10. I. ad Cor. III. 9. VII. 37. His in locis, aliiſque pluribus a libero arbitrio ea omnis repellitur neceſſitas, quæ ſive bono, ſive malo illud affigat; niſi vel evitari, declinarique ea poſsit, vel vinci. At enim ab hac neceſsitate abeſt vis, & coactio. Quid tum? ſi ei reſiſti non poteſt; ſi voluntati eas compedes injicit, quas, ut proxime dixi nec prohibere, nec excutere, aut abrumpere queat. Videamus, quæ de hoc ſint poſteriorum ſaltem Conciliorum decreta, ſanctioneſque Romanorum Pontificum. Concilium Senonenſe, poſtea quam divinæ Gratiæ auxiliis ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei opus eſſe conſtituit, hæc habet ad rem præſentem: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet: cui ſi quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale ſit hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hieruſalem, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluit? Fruſtra certe Stephanus Judæos duræ cervicis, & incircumciſi cordis argueret, qui ſemper Spiritui Sancto reſiſterent. Fruſtra Paulus Theſſalonicenſes admoneret, ſpiritum ne extinguerent, ſi divinis inſpirationibus homines inevitabiliter raperentur.* His ut gratia ſufficiens adſtruitur, ita quæ efficax eſt, minime connexa probatur. Nihilo facilius Janſeniani (nam contra hos hæc pugnant expreſſe. Doctores Catholici, quos in hac ſententia adverſarios habemus, ita his oppugnari poſſe videntur, ut ratiocinatio tamen ſit adhibenda, neque plus quam probabilis) ſe expedient ex Enchir. Concilii Colonienſis, de Sacram. Pœnit. Sic enim ibi ſancitur: *Septimo, retinendum eſt, ſitum eſſe in hominis voluntate, ut gratiam Dei oblatam vel accipiat, vel repudiet.* Quod inferius explicat exemplo clariſsimo. *Oculus*, inquit, *ſolem videre non poteſt, niſi ſolis lumen oculum præveniat, ut videat: tamen ſole lucente, qui ſuper omnes oritur, libera eſt intuitio, hominique liberum eſt oculos claudere, ne ſolis lumen admittat; aut aperire, ut recipiat. Haud ſecus impio liberum eſt, præveniente ſe divinæ illuminationis gratia a peccato reſurgendi, eam accipere, vel non accipere: Deo prævenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare, vel negare conſenſum; velle, vel nolle pœnitere. Non enim, ut ſæpe diximus, in caſu primi hominis voluntate ſpoliati, ſed voluntatis ſanita-*

Digitized by Google

nitate privati ſumus. Quo ex loco non tantum patet, integrum nobis eſſe gratiam amplecti, vel repudiare; præbere, vel negare conſenſum; velle, vel nolle; ſed etiam libertatis noſtræ rationem in eo ipſo poſitam. Quod conſtat ex poſtremis verbis, quæ probationis inſtar ſunt: *Non enim in caſu primi hominis &c.* Eodem loco rationem cur e duobus unus convertatur, alter non convertatur, hanc eſſe, ait, quod unus oblatam gratiam recipere voluit; alter eandem ſibi quoque oblatam repudiavit. *Nihil*, inquit, *mirum, ſi ille peccato demerſus ſuccumbat, hic reſurgat. Hic enim divinæ gratiæ dexteram non neglexit, ſed apprehenſæ dexteræ ductu, & tractu, e peccatorum facibus emerſit. Ille vero divinæ gratiæ dexteram ſedulo oblatam, ac nunquam ſubtractam apprehendere neglexit, ac ſic in peccatorum luto defixus remanſit. Ambo in peccati foveam corruerunt: Sed hic funem gratiæ Dei demiſſum apprehendit, & mordicus tenuit, & extractus eſt; ille funem Dei demiſſum apprehendere neglexit.* Hæc omnia confirmavit Concilium Tridentinum. Nam ſeſſ. 6. can. 4. anathemate illum percellit, qui dixerit, *liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire, ſi velit.* Et cap. 5. ejuſdem Seſsionis ita definit: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, inſpirationem illam recipiens eam abjicere poteſt.* Deinde inter LXXIX. Propoſitiones Michaelis Baji a S. Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas, tanquam hæreticas, erat hæc etiam ordine 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Item 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et 39. *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.* Denique Innocentius X. & alii deinceps ſummi Pontifices tanquam hæreticas damnarunt quinque Propoſitiones Janſenii, quarum 3. erat: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Et pariter 4. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Hæc clariſſima ſunt, nec interpretatione indigent. Quoniam vero Doctores ipſi catholici, qui a nobis diſsentiunt, ad Auguſtinum, & Thomam ſæpe nos provocant: horum autem doctrinam in his propoſitionibus proſcriptam fuiſse conqueruntur Bajani, & Janſeniani; deque iſta re cum Romanis Pontificibus, quam falſo, tam audacter expoſtulant; cum mihi adverſus hos etiam, immo primo, & præcipue hæc diſputatio, & doctrinæ Societatis defenſio ſuſcepta ſit; luculentiſsimis utriſque S. Doctoris teſtimoniis oſtendam, quidquid volendi facultatem uno aliquo ita definit, atque determinat, ut non ſit proxime potens alterum aſciſsere, etiamſi abſit violentia, non poſse tamen cum eo veram, & propriam libertatem componi.

IV.

Et primo quidem multa, eaque clariſsima nobis ſuppeditant libri, quos Auguſtinus ſcripſit de libero arbitrio. Etſi enim non multo poſt converſionem ſuam illos elucubravit, ac nondum orta Pelagiana hæreſi, antequam controverſia illa de gratia, & libero arbitrio diligentius enuclearetur: nihilominus poſtea libros illos recenſens, ſcilicet lib. 1. Retract. cap. 9. quæ de arbitrio libero ibi tradiderat, approbavit; & hoc unum addidit num. 2. *De gratia Dei, qua ſuos electos ſic prædeſtinavit, ut eorum, qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipſe etiam præparet voluntates, nihil in his libris diſputatum eſſe*: quod adverſus Manichæos de origine mali diſsereret, cujus cauſam illi, eſse dicebant *immutabilem quamdam & Deo coæternam mali naturam*. Ipſe autem pugnabat, illud ex voluntatis libertate, ac libero arbitrio proficiſci. Quamobrem quæ de liberi arbitrii natura, & proprietate ibi ſcripſit, cum omnia probat, atque confirmat; tum *hæreticos Pelagianos, qui liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei*

Digitized by Google

non relinquant locum, *quandoquidem eam ſecundum merita noſtra dari aſſerunt*, vetat *extollere ſe*, *quaſi eorum egerit cauſam*. Porro ita ibi deſcribit arbitrium liberum, ut non ſolum a coactione, ſed a neceſſitate etiam abhorreat: ut quod ſponte alioqui, & voluntate fit, non ſemper ex voluntate fiat libera. In eoque ſitam docet facultatem, quæ vere, & proprie libera ſit, ut iis omnibus paratis, quæ ad agendum ſunt neceſſaria, hoc vel illud eligere; agere, vel non agere poſſit. Ejuſmodi ſunt quæ habet lib. 1. cap. 1. n. 1. *Malefacta juſtitia Dei vindicari. Non enim juſte vindicarentur, niſi fierent voluntate*. Quam autem voluntatem, & qua vi præditam dicat, ſic exponit: cap. 12. n. 26. *Vides igitur jam, ut exiſtimo, in voluntate noſtra eſſe conſtitutum; ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quam ipſa voluntas ſita eſt?* Et paulo poſt cap. 12. nu. 28. *Voluntate nos* ait *laudabilem, & beatam vitam; voluntate turpem, ac miſeram mereri, ac degere*. Item illud num. 29. *Ex quo conficitur, ut quiſquis recte, honeſteque vult vivere, ſi id ſe velle præ fugacibus bonis velit, aſſequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei, quam ipſum velle ſit habere quod voluit*. Tum iſtud cap. 16. num. 34. *Quid, inquam, quiſque ſectandum, & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit*. Quibus in locis voluntatem indifferentem, & inter utrumque quodammodo ſuſpenſam ſignificat; quæ utrumvis amplectatur, ad illud nulla neceſsitate conſtricta, ideoque libere tendat. Omnino clarius contra neceſsitatem hanc lib. 3. c. 18. n. 50. *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt: quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem. Caveri igitur poteſt*. Hunc eundem locum refert ipſemet, atque approbat in libro de Nat. & Grat. cap. 67. numer. 80. Equidem neſcio, quæ mens eſſe poſsit ad veritatem adeo indocilis, ut ſententiæ hujus vi, ac perſpicuitate non tandem vincatur. Et eſt tamen ubi etiam magis expreſſe pro libertatis indifferentia pugnet. Sic enim cap. 1. num. 2. *Reſtat igitur, ut mentis ſit proprius iſte motus, quo fruendi voluntatem a Creatore ad creaturam convertit: qui motus ſi culpæ deputatur* (*unde qui dubitat, irriſione dignus tibi viſus eſt*) *non eſt utique naturalis, ſed voluntarius; in eoque ſimilis eſt illi motui, quo deorſum verſus lapis fertur, quod ſicut iſte proprius eſt lapidis, ſic ille animi: veruntamen in eo diſſimilis*. Hæc quæ ſequuntur velim attente notari. *Veruntamen in eo diſſimilis, quod in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero dum non vult, non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis inferiora deligat: & ideo lapidi naturalis eſt ille motus, animo vero iſte voluntarius. Hinc eſt, quod lapidem ſi quis dicat peccare, quod pondere ſuo tendit in infima, non dicam ipſo lapide ſtolidior, ſed profecto demens judicatur. Animum vero peccati arguimus, cum eum convincimus ſuperioribus deſertis ad fruendum inferiora præponere*. Motum lapidis a voluntario, & deliberato animi motu eo differre dicit, quod lapis qui movetur deorſum *non habet in poteſtate cohibere motum*, ideſt, non moveri. Atque hanc eſſe cauſam dicit, cur lapis cadendo peccare non poſſit: & proinde a contrario, eam eſſe cauſam putat, cur animus peccet: & nihilo magis animum peccaturum, quam lapidem, ſi non haberet in poteſtate motum cohibere, quo movetur. Id porro in poteſtate noſtra eſſe dicitur, non quod facere poſſumus, & velle: ſed quod facere, aut non facere: velle, aut non velle poſſumus. Iſtius enim vocabuli notis, quod eſt, *poteſtas*, ex communi hominum ſenſu, atque intelligentia duo quædam includit oppoſita invicem, circa quæ libera eſt eligendi facultas, & indifferens. Sequitur locus illuſtris, in quo Auguſtinus libertatem cum præſcientia conciliat. Nam cum tota ratio dubitandi, an duo hæc inter ſe pugnent, ex eo petatur, quod præſcientiam ea, quæ præſcita ſunt neceſſarie conſequantur; neceſſitas autem libertati obſit; Auguſtinus neque con-

ten-

Digitized by Google

tendit, voluntatem quantumvis neceſſariam, eſſe tamen liberam: neque diſtinctione illa utitur neceſſitatis violentæ, aut etiam naturalis, cujuſmodi eſt in lapide deorſum cadente, quas ſolas Janſenius deſtruere libertatem putat. Sed quaſi non dubitet, quin omnis neceſſitas, ſi modo inſuperabilis eſt, nec libertatem conſequitur, libertatem evertat; in eo tantum inſiſtit; adverſarios ſecum ipſos pugnare: ſi enim ex præſcientia oriatur talis neceſſitas; & illud inconſequens erit, non præſciri, quod præſcitur: præſcitur enim libera voluntas, ſive actio volendi libera; ſupervenıente autem neceſſitate, voluntas talis amplius non eſſet. *Attende quaſo*, inquit Cap. 3. num. 8. *Quanta cæcitate dicatur: Si præſcivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter poteſt fieri, quam præſcivit, neceſſe eſt, ut velim quod ille præſcivit: ſi autem neceſſe eſt, non jam voluntate, ſed neceſſitate id me velle fatendum eſt*. Contendit Auguſtinus, contradicere ipſum ſibi, qui hæc objicit, non enim poſſe eſſe neceſſitatem, ſi præſcitur voluntas, ideſt, volendi actio libera; vel non eſſe voluntatem, ſi adſit neceſſitas. Subjicit igitur: *O ſtultitiam ſingularem! Quomodo ergo non poteſt aliud fieri, quam præſcivit Deus, ſi voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præſciverit?* Quare autem voluntatem fore negat Auguſtinus? Nempe quia hæc objicit, exiſtimat fore neceſſitatem. Iſtum contra ſe dicere affirmat: cum enim inducat neceſſitatem, cum qua componi non poteſt voluntas; ſequitur contra ipſum, aliud fieri ab eo, quod Deus fore præſcivit: ſiquidem præſcivit voluntatem, voluntas autem, ſuperinducta neceſſitate, non erit. Quod iterum confirmat ſequentibus verbis: *Omitto illud æque monſtruoſum, quod paulo ante dixi, eundem hominem dicere, Neceſſe eſt, ut ita velim; qui neceſſitate ſuperpoſita auferre nititur voluntatem. Si enim neceſſe eſt, ut velit, unde volet, cum voluntas non erit?* *quæ ſcilicet per neceſſitatem aufertur*. Auguſtinus præterea in eodem Libro de lib. arb. Cap. 19. num. 53. Homines repræſentat expoſtulantes de Divina Providentia, quaſi ipſis injuſte imputaret aliena peccata, Adami ſcilicet, & Evæ. *Dicunt enim*, ait, *ſi Adam, & Eva peccaverunt; quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur: & primo erraremus neſcientes, quid nobis eſſet faciendum: deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate, non valeremus?* His hominum querelis ita reſpondet Auguſtinus; eos immerito queri, *cum ubique ſit præſens, qui multis modis per Creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem &c.* Denique ita per gratiam præſto homini ſit, ut erroris, & libidinis victor eſse poſſit. Atque ſubjungit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis: ita tua propria peccata ſunt &c.* Et paulo poſt Cap. 20. num. 56. *Non enim ante omne meritum boni operis, parum eſt accepiſſe naturale judicium, quo ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati .... Quod ſi agere noluerit, anima peccati rea jure tenebitur, tanquam quæ non bene uſa ſit ea facultate, quam accepit. Quanquam enim in ignorantia, & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata eſt aliqua neceſſitate comprimitur*. Nihilo minus quam ex Libris de libero arbitrio, eadem voluntatis indifferentia probatur ex Libro de duabus animabus. Nam primo voluntatem ita definit Cap. 10. num. 14. *Voluntas eſt animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiſcendum*. Quam definitionem refert, & approbat Lib. 1. Retract. Cap. 15. n. 3. Quod autem dicit, *cogente nullo*, explicat ipſe poſtea Cap. 12. num. 18. *Si animæ ita coguntur, ut poteſtas reſiſtendi nulla ſit, non peccant: ſi eſt in poteſtate ſua reſiſtere, & propria voluntate conſentiunt, cur &c.* Perſpicuum eſt, coactionem, de qua loquitur hic Auguſtinus, idem eſſe, ac inſuperabilem neceſſitatem; quoniam cogi ab aliquo dicit, qui non habet in poteſtate reſiſtere; cogi dicit a nullo qui reſiſtere habet in pote-

Digitized by Google

poteſtate. Idque non minus luculenter apparet ex eo quod paulo ante ſcripſerat num. 17. his verbis: *Dicere, animas & eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem, peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati teneri reum quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt; ideſt, ſi libero, & ad faciendum, & non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus*. His illa in eandem ſententiam accedunt, quæ addit in Retractationibus loco proxime citato. *Quiſquis, ait, ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit; utique volens peccat: quoniam qui poteſt reſiſtere non cogitur cedere*. Ubi iterum vides pro eodem haberi; cogi, & non poſſe reſiſtere; non cogi, & poſſe reſiſtere. Idem conficitur ex definitione peccati, quam tradit Auguſtinus in eodem Libro de duab. anim. Cap. 11. num. 15. *Peccatum eſt*, inquit, *voluntas retinendi, vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntas. Sed maluí craſſius, quam ſcrupuloſius definire eam rem*. Quod dicit, *eſt voluntas*, de actione illa volendi intelligi vult; quam paulo ante definierat: *animi motum cogente nullo*. Ea igitur voluntatis notione poſita, redundare dicit in definitione peccati particulas illas; *unde liberum eſt abſtinere*. Nimirum quod nomen voluntatis, ſi ita accipiatur, ut eſt declaratum, hoc ipſum ſignificet. Quo manifeſte confirmat, verba illa, *cogente nullo*, non alium ſenſum habere, quam quo ſunt a me nuper expoſita. Pergit Auguſtinus, & ait, ſibi tunc etiam, cum adhuc eſſet Manichæus, non opus fuiſſe magno ſtudio, & arcanorum librorum ſcrutatione, ut intelligeret, *neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt*? Quibus ſtatim ſubjungit: *Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quod ſi nemo vituperatione, vel damnatione dignus eſt, aut non contra vetitum juſtitiæ faciens, aut quod non poteſt non faciens, omne autem peccatum vel vituperandum eſt, vel damnandum, quis dubitet tunc eſſe peccatum, cum & velle injuſtum eſt, & liberum nolle, & ideo definitionem illam & veram, & ad intelligendum eſſe facillimam, & non modo nunc, ſed tunc quoque a me potuiſſe dici: Peccatum eſt voluntas retinendi &c.* His rurſus accedit, quod ſententiam noſtram confirmat. Nam in primo retractationum, ubi Auguſtinus hanc peccati definitionem expendit, eam veram eſſe dicit, *quia id definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt*, cujuſmodi & fuit Adæ peccatum, & eſt modo deliberatus voluntatis motus, quo quis concupiſcentiæ conſentit, *Non vero quod eſt etiam pœna peccati*, cujuſmodi ſunt ii concupiſcentiæ motus, qui voluntatis conſenſum ſollicitant. *Nam quando tale eſt*, inquit cap. 15. num. 4. *ut idem ſit & pœna peccati, quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi forte ſi pia eſt, ut oret auxilium? In tantum enim libera eſt, in quantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas. Alioquin tutius cupiditas, quam voluntas proprie nuncupanda eſt*. Planum fit ex hoc loco, quid Auguſtinus ſignificet, dum dicit, nos voluntate peccare, voluntate bene vivere; item Dei præſcientiam ideo non tollere libertatem, quia id quod præſcitur eſt voluntas, qua vel peccaturi ſumus, vel recte facturi. Id enim hoc in loco explicat, cum dicit, non eſſe *proprie* vocandam voluntatem, niſi ſit ita libera, & liberata, ut quod ab ea exigitur, præſtare, atque exequi poſſit. Si igitur ponamus, aliquem neceſſitate peccare, ea ſcilicet impellente cupiditate, cui reſiſtere prorſus nequeat; is, ut ſentit Auguſtinus, ſi proprie loquamur, voluntate peccare, dici non poterit: ſiquidem voluntas, quæ non eſt adeo libera, vel liberata, ut cupiditatis jugum poſſit excutere, cupiditas potius, quam

quam voluntas dicenda eſt. Ex quo ſequitur, cum nonniſi voluntate peccetur, voluntas autem non dicatur, niſi quæ a concupiſcentiæ neceſſitate ſoluta eſt, & potens eſt non peccare, ut Auguſtinus inculcat; ſequitur, inquam, non peccari, ubi a peccato abſtinere, non ſit liberum, ac proinde ubi indifferentia non ſit illa, quam modo propugno. Præterea contra Fortunatum Manich. diſp. 1. num. 15. *Animæ*, inquit, *rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium. Sic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus. Cum ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat, ut Deus animæ daret liberum arbitrium.* Quia boni operis meritum eſſe non poteſt, ubi operis boni neceſſitas eſt, ideo homini datum eſt, quod eam neceſſitatem excludat, arbitrium ſcilicet liberum. Et diſp. 2. num. 22. *Ut intelligas*, inquit, *iſtas duas arbores ſic eſſe a Domino poſitas, ut ibi ſignificaretur liberum arbitrium, non naturam eſſe iſtas duas arbores, ſed voluntates noſtras, ipſe ait in Evangelio (* Mat. XII. 33. *) Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis eſt qui poſſit facere naturam? Si ergo imperatum eſt nobis, ut faciamus arborem aut bonam, aut malam; noſtrum eſt eligere, quod velimus.* Eligere inter duo certe non poſſumus, ubi inſuperabilis neceſſitas nos uni devinciat. Similiter contra Adimantum cap. 26. *Iſtæ duæ arbores*, inquit, *manifeſtiſſime in ſimilitudinem duorum hominum poſitæ ſunt; ideſt, juſti, & injuſti. Quia niſi quiſque voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt. Quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum, alio loco docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, aut &c.* Id iterum in poteſtate poſitum dicit. Atque id tantum monet I. Retract. cap. 22. num. 4. ubi ſermo ſit de *voluntate in melius mutanda, illam poteſtatem nullam eſſe, niſi a Deo detur*. Tertio ex eodem Matthæi loco id ipſum conficit lib. 2. de Actis cum Felice Manich. cap. 4. *Audi ergo*, inquit, *de libero arbitrio, primo ipſum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipſe feciſti: audi dicentem, aut facite arborem bonam &c. Cum ergo dicit, Aut hoc facite, aut illud facite: poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim, niſi Deus facere arborem poteſt: ſed habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala &c. Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, aut facite illud; oſtendit eſſe in poteſtate quid facerent.... & quia, ſi bonum eligerent, præmium ejus accipient; ſi malum eligerent, pœnam ejus ſentirent.* Neque contra nos eſt, quod addit in Retractationibus loco proxime citato: *Cum hoc ſit in poteſtate, quod cum volumus facimus, nihil tam in poteſtate, quam ipſa voluntas eſt, ſed præparatur &c.* Cujus ſimile eſt illud quod ſcribit Lib. 3. de lib. arb. Cap. 3. n. 7. *Nihil tam in noſtra poteſtate, quam ipſa voluntas eſt. Ea enim prorſus, mox ut volumus præſto eſt.* Quæ loca ſic interpretantur Bajani, & Janſeniani, ut omnem prorſus voluntatis actionem liberam eſſe ſtatuant; & quanquam neceſſario aliquid volumus, adeo ut ejus contrarium velle non poſſimus, libere tamen velimus, quia volumus, & eo ipſo quod volumus, in poteſtate eſt noſtra velle. Non enim vellemus, niſi velle poſſemus. Sed enim cum aliis ſuperius citatis, tum ex hoc etiam Retractationum loco, manifeſte conſtat, eos inepte cavillari, cum ſic diſputant. Auguſtinus enim neceſſitatem etiam ſimplicem oppoſitam eſſe docet arbitrio libero. Et cum ita loquitur, id in noſtra poteſtate eſſe, quod cum volumus facimus, ex publico uſu, & conſuetudine humani ſermonis, id intelligit, ut cum nolumus non faciamus: & ut velle, & nolle ſoluta nobis pariter ſint. Ideſt non ut ſeparata ambo iſta contraria, & oppoſita, ſed copulata ſumantur: ſic ſcilicet, ut eodem quo volumus, & eligimus tempore, poſſimus nolle, ac rejicere. Hæc enim eſt poteſtatis liberæ notio; & contra communem hominum ſenſum judicant, qui aliter judicant. Quod ſi eo in loco unam dumtaxat oppoſitionis partem commemorat Auguſtinus; idque in poteſtate eſſe dicit, *quod cum volumus facimus*, nec addit, aut non facimus ſi nolimus, ut nobis ſolutum

pari-

Digitized by Google

pariter ſit velle, & nolle, aut certe neutrum inſuperabili neceſſitate definitum, fixumque; ſæpe alias tamen ambo illa exprimit, & conjuncta profert: immo in hoc ipſo etiam, ut dicebam Retractationum loco: Sic intelligendum eſt, inquit, & quod dixi poſtea. *In noſtra poteſtate eſſe, ut vel inſeri bonitate Dei, vel excidi ejus ſeveritate mereamur.* Quid eſt autem eſſe in noſtra poteſtate, ut vel inſeri, vel excidi mereamur? Si qui meretur inſeri, non habet in poteſtate, ut mereatur excidi, eripiente poteſtatem illam gratia victrice, ut Janſenius ſciſcit; & vice verſa, ſi qui meretur excidi, non habet in poteſtate, ut mereatur inſeri, quod eam poteſtatem tollat concupiſcentia pariter victrix. Diſerte pariter ambo illa conjungit in hoc eodem libro ſecundo de Actis cum Felice Manichæo: ſic enim cap. 3. *Eſſe autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque ſi velit; non peccare, ſi nolit: non ſolum in divinis Scripturis, quas non intelligitis, ſed etiam in verbis ipſius Manichæi tibi probo.* Quod cum in quinto capite ex Manichæi verbis probaſſet, qui legem ſervare noluiſſe quoſdam ſcripſerat; ita mox ſubjicit: *Vides in his verbis confirmatum eſſe, etiam a neſciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim ſervare legem non vult, in poteſtate ejus eſt, ſi velit. Non enim dixit, non potuerint; ſed noluerint. Hoc certe, quod nolunt ſervare legem, non a gente tenebrarum coguntur. Si enim coguntur, non nolunt, ſed non poſſunt. Si autem nolunt, non utique coguntur, ut non faciant, ſed voluntate ſua nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate eſt, ut nolint, peccatum eſt certe ſine aliqua neceſſitate gentis tenebrarum.* Ejus qui non vult in poteſtate eſſe dicit velle. Nec vero metuendum eſt, ne *cogendi* verbum, quo utitur hic Auguſtinus, perinde accipi poſſit, quaſi non neceſſitas ſimplex libero arbitrio contraria ſit, ſed ſola coactio. Manifeſtum enim eſt, ibi & mox etiam cap. 12. *coactionem* ab Auguſtino ſumi pro ſimplici neceſſitate. Siquidem adverſus Manichæi dogma diſſerit, qui liberum arbitrium negabat, & mali, hoc eſt peccati cauſam, & originem imputabat non libertati creaturæ rationalis, ſed naturæ malæ, quæ ad gentem tenebrarum pertinet. Cujus impulſione naturæ, & propenſione, non niſi malum fieri dicebat. At Auguſtinus ex eo, quod imprudens idem ille dixerat, quoſdam legem Dei ſervare noluiſſe, concludit liberum illos arbitrium habere: quia *qui legem ſervare non vult, in poteſtate ejus eſt ſervare ſi velit.* Ex qua Auguſtini oratione tria colligere ſe dicit Dionyſius Petavius, tom. 3. lib. 4. cap. 5. quæ Janſenianum dogma funditus labefactant. Alterum eſt, *coactionem* illic non ſignificare violentiam. Nam id violentum non eſt, quod eſt naturæ, & naturali inclinationi conſentaneum. Manichæus autem naturam eſſe malam aſſerebat: ideoque naturalem ejus propenſionem in malum; non utique violentam, cum boni facere nihil omnino poſſet. Alterum eſt, liberum arbitrium ab Auguſtino tale definiri, quod ita vult aliquid, ut poſſit nolle: *ac legem ita ſervare non vult, ut in poteſtate ejus ſit ſervare, ſi velit:* in poteſtate quidem, quæ facta ſit illi a Domino præparante voluntatem. Quod eſt, eodem tempore, quo circa unum ea, quam habet, poteſtate utitur, illud eligendo, quamvis actu ipſo alterum reſpuat, poſſe tamen iſtud eligere. Quod ſine indifferenti, ac minime affixa, & circumſcripta poteſtate, prorſus intelligi, explicarique non poteſt. Tertium illud denique conficitur: ubicunque in Scripturis, aut apud Auguſtinum legimus, homines noluiſſe legem ſervare, aut bene agere: ſive cum Deus hortari nos dicitur ad hoc faciendum, vel illud fugiendum: & omnino ubi aliquod mandatum editur, ex cujus tranſgreſſione peccatum ſequitur; ibi liberum arbitrium ſignificari, neceſſitatis non minus, quam coactionis expers: quippe quod in poteſtate habet, utrum amplecti, aut reſpuere velit. Et qui ſecus iſta conſtituit, is, ut dixi, excuſſiſſe funditus ex animo communes naturæ notiones, ac rationem ipſam exuiſſe videtur. Nam quis unquam aliter cogitavit, cum ita diceret, audiretve: In poteſtate noſtra eſſe aliquid facere, vel non facere; niſi nulla nos neceſſita-

Digitized by Google

te ad unum e duobus adſtringi: ſed ita unum amplecti, ut, ſi velimus, alterum poſſimus eligere? Eſſe ſcilicet in poteſtate aliquid non dicitur, ſi hoc neceſſario facimus; ita ut aliter facere nequeamus. Sic igitur & illa intelligenda eſſe conſtat, quæ ſcripſit cont. Secundum Manich. cap. 14. his verbis: *Deinde ſi ſubſtantia eſt iſta conſenſio, quam malam eſſe conſtat, invenimus eſſe in animæ poteſtate, ut aliqua ſubſtantia mala vel ſit, vel non ſit: quandoquidem iſta conſenſio in animæ poteſtate eſt: Nam ſi non eſt; non ergo ſua voluntate conſentit*. Item cap. 19. *Deinde ſi habet in poteſtate, vel conſentire, vel non conſentire, non ergo victa conſentit. Quaero igitur unde habeat iſtam conſenſionem malam, nulla contraria cogente natura? Si autem cogitur conſentire, ita ut non ſit in ejus poteſtate aliter facere; non ergo, ut dicebas; voluntate peccat; quando non voluntate conſentit*. Manifeſte vides, eo verbo, *cogi*, quid ſignificet Auguſtinus: id omne ſcilicet, quo fit, ut in noſtra poteſtate non ſit aliter facere. Cum igitur ſimplex etiam neceſſitas nobis aliter faciendi poteſtatem auferat: conſequens eſt, ut hæc etiam coactionis nomine ſignetur ab Auguſtino. Eadem fere habet cap. 18. Quo ſenſu intelligendum eſt quod hic dicit, non peccari coacte, eodem intelligendum eſt, quod dicit in libro de vera Religione, peccatum non eſſe, niſi ſit voluntarium. Sic enim c. 14. n. 27. *Defectus autem iſte, quod peccatum vocatur, ſi tanquam febris invitum occuparet, recte injuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc quidem ita manifeſtum eſt, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt, peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi ..... Voluntate ergo peccatur: Et quoniam peccari non eſt dubium, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet*, (attende his diligenter) *Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent*. At enim notandum quoque, quid ſuper hunc locum ſcribat in primo Retract. cap. 13. num. 5. *Peccatum*, monet hic, *illud cogitandum eſſe, quod tantummodo peccatum eſt*. Janſeniani autem ipſi etiam fatentur, quod peccatum tantummodo eſt, non etiam pœna peccati, illud, quod indifferenti voluntate committitur. Cujuſmodi fuit Adæ peccatum; quod hic ab Auguſtino definiri contendunt. Ita quidem; id vero ipſum ea quæ modo dicebam mire confirmat: ſi enim ita contendunt, ex illorum ſententia ſequitur *voluntarium* hic uſurpari pro eo, quod eſt ita liberum, ut ab eo ſolutum ſit abſtinere; ſeu, quod fieri poſſet, & non fieri; nempe, quod indifferenti voluntate committitur. Ajo præterea, non ad ſolum Adæ peccatum definitionem, deſcriptionemve illam pertinere: exiſtimaſſe Auguſtinum in præſenti etiam naturæ ſtatu eſſe peccata, quæ ſint tantum peccata. Sic enim loquitur in Retract. *Peccatum illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati*. Verbum de præſenti peccatum, quod in præſenti eſt, ſignificat. Sed pergit: *Quamquam & illa, quæ non immerito peccata non voluntaria dicuntur, quia vel a neſcientibus, vel a coactis perpetrantur, non omni modo poſſunt ſine voluntate committi*. En tibi peccata illa, quæ ſimul peccatum dicuntur, & pœna peccati. Illa videlicet, quæ aut per ignorantiam fiunt, aut concupiſcentiæ impulſu, quem hic coactionem vocat. Jam vide, quomodo in hoc ipſo diſtinguat inter peccatum, & pœnam. *Quoniam*, inquit, *& ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cum faciendum non ſit, putat eſſe faciendum*. Quare autem peccat, dum putat eſſe faciendum, quod faciendum non eſt? Nimirum quia voluntarie hoc putat: & ſi diligentiam, ut debet, adhibere, & in rem illam inquirere vellet; id haud quaquam putaret, neque eo errore duceretur. Pœna eſt igitur, quod ignorat: Sed quod ſcire negligat, id enimvero peccatum eſt, non pœna. Quod adhuc magis apparet, atque enitet quod ſequitur: *Et ille*,

qui

Digitized by Google

qui concupiſcente adverſus ſpiritum carne, non ea, quæ vult facit; concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Is ille eſt, quem coactum dicit, quamvis nullam extrinſecus vim accipiat; atque hoc pœna peccati. *Sed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens; & in eo non facit, niſi quod vult, liber ſcilicet juſtitiæ, ſervuſque peccati.* Hoc vero peccatum proprie, non pœna eſt: deliberata ſcilicet voluntas, qua quis concupiſcentiæ aſſentitur. Itaque in peccatis etiam, quæ ignorantiæ, & concupiſcentiæ dicuntur, quatenus vere, & proprie peccata ſunt, eatenus invenit Auguſtinus, quo veriſſimam dicat eam peccati definitionem: *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut &c.* Confirmantur iſta ex eo, quod ſcribit in libro de Fide contra Manich. vel Auguſtinus, vel certe aliquis, qui Auguſtinum imitari ſtuduit, ejuſque non modo ſenſus, ſed ipſa interdum verba, ex eo præſertim libro, qui de natura boni contra Manichæos ſcriptus eſt, expreſſit. Is igitur cap. 9. *Sed eſt*, inquit, *ſi aliquos naturaliter dicimus malos, propter originem veteris peccati dicimus, in quo jam noſtra mortalitas naſcitur. Totum itaque quod vocatur malum in hominibus, peccatum eſt, & pœna. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium eſt: & pœna infligitur juſtitia Dei, quæ nihil facit injuſte.* Hic etiam præter originem veteris peccati, cujus pœnam Deus juſte nobis infligit, aliud peccatum in nobis eſſe dicitur, cujus Deus auctor non eſt; ideoque quod eſt peccatum tantum, & non pœna; & cujus cauſa eſt liberum hominum arbitrium. Quod quia Manichæi negabant; *non vident*, ait, *cæcitatem ſuam. Quis enim non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere; & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Et has injuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe aſcribere? Sed quid verum eſt, niſi & Dominum dare præcepta, & animas liberæ eſſe voluntatis, & malum naturam non eſſe, ſed eſſe averſionem a Dei præceptis: & eſſe juſtum judicium Dei, quo damnet peccantes?* Hactenus ex iis, quæ Auguſtinus ſcripſit contra Manichæos, quibus in Retractionibus nihil ferme aliud addendum putat, niſi ut liberum arbitrium non ſine gratiæ ope, ac præſidio bonum, quæ ad æternam vitam proficiat, amplecti poſſe dicatur.

V.

Non minus expreſſe arbitrii liberi poteſtatem neutri contrariorum inſuperabili ulla neceſſitate devinctam, ſed inter utrumque aptam, & quaſi in æquilibrio poſitam deſcribit Enarat. in Pſalm. 51. num. 10. Namque ea Davidis verba: *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem*, ſic exponit: *Ante te erat benignitas; ipſam diligeres &c. Benignitas ante te: iniquitas ante te: compara, & elige.* In quibus vides deliberationem, & conſultationem, & ex ea ſequentem electionem, atque arbitrium. Et ut intelligamus utriuſque penes ipſum & notitiam, & eligendi poteſtatem fuiſſe ſtatim ſubjungit: *Sed forte habes oculum, quo videas malignitatem, & non habes oculum, quo videas benignitatem. Væ iniquo cordi. Quod pejus eſt, avertit ſe, ne videat quod videre poteſt. Quid enim de talibus alio loco dictum eſt?* (Pſalm. XXXV. 4.) noluit intelligere, ut bene ageret. *Non enim dictum eſt non potuit; ſed* noluit, inquit, intelligere, ut bene ageret: *clauſit oculos a luce præſenti. Et quid ſequitur &c. Nam vis noſſe quam videat malus utrumque, & illud potius eligat, hinc ſe avertat? Quare clamat, quando inique aliquid patitur? Quare tunc exaggeret quantum poteſt iniquitatem, & laudat benignitatem, reprehendens eum, qui in illo operatus eſt malignitatem?* Hic utriuſque ad eligendum propoſiti cognitio exprimitur, deque eo animi ſententia, & judicium ſignificatur; quod arbitrium dicitur: tum voluntatis deliberata in alterum inclinatio, & electio. De qua illud inſuper addit: *Ante te eſt æquitas, ante te eſt iniquitas. Unam linguam habes; quo vis eam vertis. Quare ergo potius ad iniquitatem, & non ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri tuo: & cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ? Sicut eligis quo veſcaris, ſic eli-*

Digitized by Google

ge quod loquaris. Oſtendit in poteſtate hominis eſſe, ſi velit, linguam ad æquitatem flectere: cum eodem tempore in poteſtate habeat illam, & ad iniquitatem transferre: quod & re ipſa facit. Ita utrumque in ejus eſt arbitrio, ac poteſtate. Et animadvertendum hoc loco, de linguæ uſu in utramque partem iſta dici: quam frænare, ac domare nemo ſine Dei gratia: ut Jacob Apoſtolus docet III. 8. &c. ex eoque contra Pelagianos enixe contendit Auguſtinus Lib. de Nat. & grat. Cap. 15. n. 16. &c. Quare conſtat, gratiam cum recto linguæ uſu non eſſe ita connexam, ut ei non poſſit reſiſti. Eadem arbitrii liberi poteſtas indifferens exprimitur Serm. 252. Cap. 6. n. 6. his verbis: *Hoc enim intereſt inter illas veras paleas, & iſtos carnales homines, quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium. Et ſi vult homo heri fuit palea, hodie fit frumentum. Si a verbo Dei ſe avertat, hodie fit palea*. Item hom. 12. ex 50. quæ nunc in Append. tom. 5. eſt Sermo 253. num. 3. vel Auguſtinus ipſe, vel certe ex Auguſtino: *Cum per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit, utrum conſentias Diabolo; quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deliberas &c.? Homo in medio conſtitutus cor ſuum quid inclinat ad Diabolum? Quare non potius erigat ad Deum? Non enim Diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet; nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit. Nos Diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille conſilium; ſed Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit*. Id prorſus ſcribit utique ipſemet Auguſtinus in duodecimo de Trinit. Cap. 12. n. 17. *Neque enim*, inquit, *poteſt peccatum non ſolum cogitandum ſuaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi & illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat, & ſerviat*. Summa poteſtas membra movendi, vel cohibendi, non eſt utique uni tantum, parti inſuperabili neceſſitate defixa. Quid quod poteſtatem in eo non qualemcunque, ſed *ſummam* agnoſcit? Eſtne ibi poteſtas ſumma, ubi inevitabilis obſequendi neceſſitas? Atqui de eadem libera facultate paulo ante (Cap. 81. n. 13.) Auguſtinus idem non minus luculenter ſcripſerat: *In ſpecula conſilii præſidere ſuperiorem hominis portionem, eique demandatam temporalium rerum adminiſtrationem: & cenſeri illam conſentire immoderato appetitui, cum non cohibet, nec refrænat*. Quænam iſta bonorum temporalium adminiſtra, & moderatrix facultas in ſpecula conſilii, & ſuperiore hominis parte, tanquam regina, aut potius tanquam auriga reſidens; quæ ſic regit appetitum, ut dum ei indulget, & conſentit, non poſſit eum cohibere; & dum cohibet, non poſſit habenas laxare? Hocne præſidere, hoc regere eſt? Tandem quæſt. 68. ex 83. num. 5. eos dicit, qui vocati noluerunt venire ad cœnam, *non debere alteri tribuere*, quod excluſi ſint, ſed ſibi; *quia, ut venirent, vocati erant in libera voluntate*. Quod eſt ipſis, ſolutum fuiſſe utrumlibet; ut venirent, & non venirent: & propterea illis imputari, quod non venerint.

VI.

Eadem paſſim occurrunt in Libris etiam, quos ſcripſit contra Pelagianos: quibus apparet, quam ibi ad agendum ſalutariter gratiam neceſſariam, defendit; ea non neceſſitatem, ſed poteſtatem fieri actionum ſalutarium. Sic Lib. 2. de peccat. merit. & rem. Cap. 6. n. 7. primum hæc habet: *Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato, non eſt eis continuo incaute temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & libero hominis arbitrio, qui hoc volendo appetit: & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus*. Quod dicit, non eſſe reſiſtendum iis, qui dicunt, hominem in hac vita poſſe eſſe ſine peccato, ut verum ſit, concedendum homines, qui peccant, poſſe non peccare: in quo ſane poteſtas indifferens peccandi, & non peccandi. Quod igitur ſubjungit, eos derogare libero arbitrio, qui hoc negant, manifeſte probat, Auguſtini ſententia, ad liberum arbitrium poteſtatem ejuſmodi pertinere. Hoc autem ſtabili-

to

Digitized by Google

to proponit Auguſtinus quatuor quæſtiones, quarum tertia eſt, *cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non fit?* Sic enim eam exhibet Cap. 17. n. 26. In quo iterum vides, iis, qui peccant, non deeſſe gratiam, cujus ope proxime poſſint non peccare. Quo poſito, dicit Auguſtinus; *poſſem facillime, & veraciſſime reſpondere, quia homines nolunt*. Non dubitat, quin poſſint ea ſcilicet gratia adjuvante: ſed quamvis poſſint, *nolunt*. Nolunt igitur, cum iis ſolutum eſt oppoſitum. Cum autem videret Auguſtinus, quæri ſtatim poſſe, cur homines nolint eſſe ſine peccato, cum velle poſſint; *imus*, inquit, *in longum, veruntamen ſine præjudicio dili gentioris inquiſitionis, breviter dico, nolunt homines facere quod juſtum eſt; ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat*. Quæ quidem reſponſio nobis non officit. Notum eſt enim illud, Omnis peccans eſt ignorans: quia licet ea ſit notitia præditus, quæ neceſſaria eſt, ut poſſit non peccare; notitia tamen eſſe major in eo poſſet: qua ſi inſtructus eſſet non peccaret. Item licet experiatur in voluntate motiones, ſive affectiones aliquas, quibus & avertitur a peccato, & ad virtutem allicitur; poſſent hæ vehementiores eſſe, & ſi tales eſsent, a peccato abſtineret. Quo circa illud cauſæ affert Auguſtinus, *quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat.* At non continuo deeſt illi quidquid gratiæ neceſsarium eſt, ut poſſit non peccare, cum *veraciſſima reſponſio* ea ſit, *homines nolunt*. Quo non ſolum poteſtas voluntatis indifferens, quam hic modo defendo, ſed etiam gratia ſufficiens probatur, de quo alia eſt diſputatio. Ut autem ea quoque gratia, quæ efficax dicitur, cum opere bono ex ſe ipſa intrinſecus connexa non ſit, paulo poſt aliis ejuſdem Auguſtini locis directe, ac luculenter oſtendam. Nunc illud ago, arbitrium non fore liberum, Auguſtini judicio, ſi uni contrariorum ſive a gratia, ſive a concupiſcentia ſit alligatum. Itaque in Libro de nat. & grat. Cap. 64. n. 77. Sixti philoſophi, quem eſse putabat Romanum Pontificem, & Martyrem, dictum illud approbat: *Quia libertatem arbitrii ſui permiſit hominibus Deus, ut pure, & ſine peccato viventes ſimiles fiant Deo*. Subjicit autem: *Sed ad ipſum arbitrium pertinet vocantem audire, & credere &c.* Tum deinde Cap. 65. n. 78. refert illud Hieronymi ex Lib. 2. cont. Jovinian. *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur. Alioquin ubi neceſſitas nec corona eſt*. Quæ pariter approbans, inquit: *Quiſquam non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat?* Liberias, quæ coronam meretur, illa eſt, de qua diſputamus. Huic autem, Hieronymi, & Auguſtini ſententia neceſſitas eſt contraria. Idem docet Auguſtinus in Libro de Spir. & lit. Cap. 31. a num. 53. ubi, ut aliquid vere dicatur in noſtra eſſe poteſtate, illud requirit, *ut voluntati adjaceat poteſtas*; intelligit autem poteſtatem faciendi, vel non faciendi. Quare concludit: fidem eſſe in noſtra poteſtate, (intellecto ſemper auxilio gratiæ) quia quiſque credit ſi vult, & non credit ſi non vult. *Vide nunc*, inquit, *utrum quiſque credat, ſi noluerit; aut non credat, ſi voluerit. Quod ſi abſurdum eſt: quid enim eſt credere, niſi conſentire, verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem utique volentis eſt: profecto fides in poteſtate eſt*. Tum illud poſtremo addit: *Sed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur. Unde cum David Saulis occidendi poteſtatem accepiſſet*, (1. Reg. XXIV. 7. & XXVI. 9.) *maluit parcere, quam ferire*. In hanc eandem ſententiam in Libro de Prædeſt. Sanct. Cap. 5. n. 10. *Quiſquis*, ait, *audet dicere: Habeo ex me ipſo fidem, non ergo accepi; profecto contradicit huic apertiſſimæ veritati* (quid habes, quod non accepiſti?) *non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas a Domino. Ideo ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet*. Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Quibus verbis confirmat Auguſtinus, quod antea ſcripſerat in Libro de Spir. & lit. proxime citato Cap. 34. n. 60. *Attendat, & videat, non ideo tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam*,

dam , quia ex libero arbitrio eſt , quod nobis connaturaliter concreatum eſt ; verum etiam quod virorum ſuaſionibus agit Deus , ut velimus , & ut credamus , ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes &c. ſive intrinſecus , ubi nemo habet in poteſtate , quid ei veniat in mentem , ſed conſentire , vel diſſentire propriæ voluntatis eſt . Quæ poſtrema verba , *ſed conſentire , vel diſſentire* , gratiæ nimirum ad Fidem moventi , *propriæ voluntatis eſt* , ſuperioribus illis apprime reſpondet : *Non quia credere , vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis* . His autem perſpicuum eſt ſignificari poteſtatem ad utrumlibet , nempe ad credendum , & non credendum . De eo enim , qui unum tantum poteſt recte non dicitur in ejus voluntatis arbitrio eſſe , ut alterum faciat. Neque enim, in hunc Auguſtini locum inquit Annatus de incoacta Lib.... Cap. 2. ſi nulla ſit cimba, qua fluvius tranſmittatur , quiſquam ſit adeo inſanus , ut dicat , ſtantem ad ripam , habere in poteſtate , ut natando , vel navigando tranſeat ? Probatur denique , ut idem notat , iis omnibus locis , quibus adverſus Pelagianorum calumniam liberum hominis arbitrium ſe tollere negat , ipſumque adeo retinendum eſſe pluribus ſcripturarum teſtimoniis oſtendit . Quod maxime facit in Libro de grat. & lib. arb. Sive enim liberi arbitrii nomine idem Auguſtinus intelligit , quod Pelagius ; libertas illa , quam modo ipſius auctoritate aſſero , non Pelagiana tantum , aut Ariſtotelea , ut eam Janſenius per contemptum , ac contumeliam nominat , ſed & Auguſtiniana eſt . Sive intelligit aliud , doloſe cum Pelagio agit , ejuſdemque fraudis reus eſt , cujus ipſe alias Pelagium accuſat , cum negaret ille pariter , tollere ſe gratiam , ac retinendam eam eſſe contenderet ; ſed gratiam alterius generis ab ea , quam requirebat Auguſtinus , gratiæ nomine intelligeret . Ut enim optime noſtis , Pelagius initio gratiam negabat eſſe neceſſariam . Poſt Chriſtianorum offenſione commotus , cœpit neceſſitatem fateri gratiæ : ſed ſubdole , & aſtute, gratiam intelligens eam , quæ natura eſt inſita , voluntatis facultatem ; aut etiam legem : non autem gratiam illam , quæ Chriſti conceſſa meritis hominem ſanat , & ad recte agendum intrinſecus adjuvat . Cum igitur de gratia diſputarent inter ſe ; nihil prius faciendum putavit Auguſtinus ; quam ut vox ipſa gratiæ , ejuſque notio , & ſignificatio conſtaret : ne in ambiguo , & ancipiti vocabulo ridicule , ac ſine fructu controverſarentur . Quare in Libro de Natura , & gratia : & in eo , qui eſt de gratia Chriſti : & in omnibus fere , quos contra hanc hæreſim edidit , perpetuo diſcrimen illud gratiæ , & ambiguitatem nominis , ac Pelagianorum fallacias commemorat .

VII.

Altera porro quæſtionis pars , ut ait Dionyſ. Petavius tom. 3. Lib. 4. Cap. 2. in eo ſita fuit , quod Pelagius liberum hominis arbitrium in Adamo, poſtquam lapſus eſt , & in ejus poſteris ſanum , ac valens fuiſſe , & eſſe ſemper aſſereret, neque aliis , quam naturæ præſidiis ad agendum opus habere . Liberi autem arbitrii vocabulo , natura inditam homini facultatem intelligebat , quæ ad utrumvis indifferentem , ſeu ſolutam propenſionem habet; & non modo cogi, ſed ne ſimplici quidem neceſſitate poteſt aliqua conſtringi . Quod adeo vel Janſeniani ipſi confitentur , qui libertatem voluntatis in illo indifferentiæ ſtatu conſtituentes Catholicos , Pelagiani erroris inſimulant; tanquam ejuſmodi naturam, definitionemque liberi arbitrii ab Hæretico illo didicerint : qui eandem ab Ariſtotele , ac profana philoſophia traditam acceperit . Id ipſis Pelagii verbis perſpicuum eſt . Sic enim de illo Auguſtinus in primo de Grat. Chriſti cap. 18. num. 19. *De qua poſſibilitate Pelagius in libro primo pro libero arbitrio ita loquitur* : Habemus autem , *inquit* , poſſibilitatem utriuſque partis a Deo inſitam , velut quamdam , ut ita dicam radicem fructiferam , atque fœcundam , quæ ex voluntate hominis diverſa gignat , & pariat , & quæ poſſit ad proprii cultoris arbitrium , vel nitere flore virtutum , vel ſentibus horrere vitiorum . Hæc verba Pe-

Digitized by Google

Pelagii ab Auguſtino deſcripta. Ac ſimiliter in ſecundo de peccat. merit. & remiſ. cap. 18. num. 30. *voluntatis arbitrium*, ex Pelagii ſententia, tale eſſe dicit, *quod huc, atque illuc liberum flectitur*. Nec aliter apud eundem Pelagianæ columen ſectæ Julianus, cujus hæc verba leguntur libr. 1. Operis imperfec. num. 98. *Catholici, ideſt, nos dicimus, quod ab initio uſque ad finem; ſine aliquo naturalium coactu, voluntas & ante baptiſma in unoquoque delinquit: quæ illo ipſo tempore; quo peccat, poteſtatem habet recedere a malo, & facere bonum, ut conſtet ratio libertatis*. Cujus & illud eſt lib. 2. num. 17. *peccatum nihil eſſe aliud, quam malam voluntatem, cui eſſet liberum, ab eo, quod prave appetiverat, abſtinere*. Et alia plurima horum ſimillima in eodem Opere ab Auguſtino relata. Cum ſic igitur liberum arbitrium definirent Auguſtini adverſarii, Pelagius, & Julianus: & hoc ipſum nullo peccato vitiatum, ſed integrum, & quale ab initio naturæ humanæ eſt inſitum, manere dicerent in nobis; cur illorum verba referens, ac refellens Auguſtinus, de natura ipſa liberi arbitrii, & notione nihil iſtis negotii facit? Cur non falſam, & Ariſtoteleam, Chriſtianæque contrariam naturam, & rationem libertatis evertit? Cur quod in *Gratia* fecerat, ut illudentem ambiguitate nominis Hæreticum, quid eo ſibi vellet prius exponere juberet, non idem & in libero fecit arbitrio; ſed hoc ad bonum, & malum ſuapte natura potens, & indifferens aſſerenti eatenus reſtitit, ut ad bonum non niſi adjutum gratia Chriſti ferri poſſe contenderet: de natura ipſius, & indifferentia nihil expoſtulavit? Cur, cum Julianus ſcripſiſſet loco proxime citato, *voluntatis libertatem eo ipſo conſtare, quod illo ipſo tempore, quo peccat, poteſtatem habet recedere a malo, & facere bonum*; non præſcribit adverſus hanc definitionem Auguſtinus; ſed potius in communi illa notione conſentiens, id unum, quod dixi paulo ante, redarguit! *Ex quo homo*, inquit ibidem, hoc eſt, num. 98. *incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare poteſt*. (vides indifferentem ſine ulla neceſſitate potentiam.) *Sed alterum horum non facit; niſi adjutus ab eo, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere: alterum vero propria voluntas &c.* Quibus cætera libri ejuſdem, ac reliquorum contra Pelagianos operum conſentanea ſunt. Legito Auguſtinum, non ſolum trigeſies ſexies, ut eum legiſſe dicitur Janſenius, ſed etiam millies, nihil aliud, quod ad hoc ſpectat, in Pelagianorum ſententia ipſum corrigere deprehendes, niſi quod, cum liberum arbitrium poſſe facere, vel non facere, dicebant; non fatebantur, *illud poſſe*, quando ad bonum ſalutare, & vitam æternam refertur, eſſe ex Chriſti gratia. Conſtat id cum ex locis ſupra citatis, tum præcipue ex eo, quod ſcribit in libro de nat. & grat. ubi Pelagio dexteram porrigit, ſi tantum velit hoc confiteri. *Recte quidem diſputat*, inquit cap. 59. num. 69. *Sed hoc unde ſit poſſibile fateatur, & pax eſt. Ipſa eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum &c.* Quid quæ ſcripta reliquit in libro de Gratia, & libero arbitrio? Sic enim cap. 4. num. 6. poſtquam plurima Scripturarum loca protulerat, quibus arbitrii libertatem defenderet: *Sed metuendum eſt*, inquit, *ne iſta omnia divina teſtimonia, & quæcunque alia ſunt, quæ ſine dubitatione ſunt plurima, in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, ut ad vitam piam, & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio, & gratiæ Dei locus non relinquatur; & audeat miſer homo, quando bene vivit, & bene operatur, vel potius bene vivere, & bene operari ſibi videtur, in ſe ipſo, non in Domino gloriari; & ſpem recte vivendi in ſe ipſo ponere, ut ſequatur illud maledictum Jeremiæ, prophetæ dicentis* (XVII. 5.) Maledictus homo, qui ſpem habet in homine, & firmat carnem brachii ſui &c. *Brachium*, ſubjicit Auguſtinus, *pro potentia poſuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda eſt humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachii ſui, qui potentiam fragilem, atque invalidam, ideſt, humanam ſibi ſufficere ad bene operandum putat, nec adjutorium ſperat a Domino. Propterea ſubjecit*: & a Domino diſcedit cor ejus. *Talis eſt hæreſis Pelagiana*. Hæc nimirum eſt hæreſis Pelagiana, non quod libe-

liberum arbitrium ſimplici etiam neceſſitate ſolutum, atque indifferens, velit; ſed quod *ad vitam*, *cui merces æterna debetur*, ipſum viribus ſuis eniti poſſe putet; *nec adjutorio*, *& gratiæ Dei locum relinquat*. Immo vero de liberi arbitrii naturali proprietate, & eſſentia, nihil a Pelagianis ſe ſentire diverſum, clariſſime confitetur in libro ſecundo de nupt. & concupiſc. cap. 3. n. 7. & 8. ubi Juliano quærenti de Auguſtini, & aliorum Catholicorum importunitate; *quod ſcilicet ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Celeſtianus, aut Pelagianus vocaretur*; *Auguſtinus ita reſpondet*: *Non eſt ita ut loqueris, quicunque iſta dixiſti; non eſt ita: multum falleris, vel fallere meditaris. Non Liberum negamus arbitrium*. Ac nonnullis interpoſitis, in quibus quomodo vere liberum, ideſt, liberatum Chriſti gratia ſit, docet; *Liberum itaque in hominibus*, ait, *eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, utrique dicimus. Non hinc eſtis Celeſtiani, & Pelagiani. Liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei; & non erui parvulos a poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc eſtis Celeſtiani, & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum eſt nomen*? Communis igitur Catholicis, atque Pelagianis fuit humanæ libertatis notio. Nam ſi de voce tantum inter eos convenit, re autem ipſa, & ſubjecta verbo notione diſſident, fallitur ipſe S. Auguſtinus, cum ait, utriſque commune eſſe liberi arbitrii dogma, ſiquidem ſolum nomen commune eſt: nec dicere debuit: *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, utrique dicimus*: ſed potius: Liberi arbitrii nomen utrique retinemus: at vos liberi arbitrii nomine facultatem intelligitis ſimplici neceſſitate expeditam; hinc eſtis Celeſtiani, & Pelagiani: nos vero eadem voce intelligimus facultatem, quæ ſine coactione operetur, hinc ſumus Catholici. Hæc eadem volendi facultas ſoluta, & indifferens, probatur iis etiam omnibus, quibus S. Auguſtinus oſtendit, Deum *homini lapſo impoſſibilia non præcipere*, aliiſque ſimilibus: Verum quia id, quod de iſtiuſmodi libera facultate hic modo diſſerui ad illud proprie non pertinet, quod eſt in hac diſputatione propoſitum, iis omiſſis, aliquid in eandem ſententiam afferam ex D. Thoma. Quæ quoniam diligentiſſime collecta ſunt a Sthephano De Champs lib. 3. de lib. arb. & Franciſco Annato c. 3. de Incoacta libert. non fuit quod in hac re admodum laborarem.

VIII.

In primis igitur S. Thomas duo in voluntate conſiderat, & quod natura quædam eſt, & quod eſt facultas libera: negatque id quod neceſſario volumus, ad liberum arbitrium pertinere. Contendit Janſenius lib. 7. de grat. Chr. c. 13. *fieri non poſſe, ut eadem potentia voluntatis circa finem verſetur ut natura, & in ea quæ ſunt ad finem ut potentia libera*. Verum manifeſte diſſidet a S. Thoma, cujus eſt iſtud effatum pluribus conſignatum locis, & multiplici ratione ſtabilitum. Prima quidem parte q. 41. a. 2. ad 3. ſic loquitur: *Voluntas in quantum eſt natura quædam aliquid naturaliter vult ſicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem*. Et q. 2. de Pot. ar. 3. *Voluntas, in quantum voluntas, cum ſit libera, ad utrumlibet ſe habet: poteſt enim voluntas agere, vel non agere: ſic, vel ſic facere: velle, & non velle*. Quo nihil expreſſius pro communi ſententia dici poteſt. *Et ſi reſpectu alicujus hoc voluntati non convenit, hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas eſt, ſed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid, ſicut ad finem ultimum, quem non poteſt non velle. Sicut voluntas humana non poteſt non velle beatitudinem, nec poteſt velle miſeriam*. Voluntas beatitudinis in homine naturalis eſt, non libera. *Voluntas*, ait p. 1. q. 60. ar. 2. *naturaliter tendit in ſuum finem ultimum: omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates, cum quidquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult, ſicut finem, eſt dilectio naturalis: di-*

lectio

Digitized by Google

lectio autem ab hac derivata, quæ eſt boni, quod diligitur propter finem, eſt dilectio electiva. Fallitur igitur, aut fallere vult Janſenius, qui ait, docuiſſe S. Thomam ipſam quoque finis voluntatem electivam eſſe, & liberam. Eadem inculcat Angelicus Doctor q. 22. de Verit. a. 5. *Natura autem*, inquit, *& voluntas hoc modo ordinata ſunt, ut ipſa voluntas quædam natura ſit, quia omne, quod in rebus invenitur, natura quædam dicitur. Et ideo in voluntate oportet invenire non ſolum quod voluntatis eſt, ſed etiam quod naturæ eſt. Hoc autem eſt cujuſlibet naturæ creatæ, ut a Deo ſit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Unde & voluntati ineſt naturalis quidam appetitus ſibi convenientis boni. Et præter hoc habet appetere aliquid ſecundum propriam determinationem, non ex neceſſitate, quod ei competit in quantum voluntas eſt*. Diſertius ſententiam noſtram confirmare non potuit. Voluntatem enim eatenus liberam eſſe dicimus, quatenus aliquid vult, *ſecundum propriam determinationem, non ex neceſſitate*? Sed illud ipſum clarius adhuc tradit par. 1. quæſt. 19. a. 10. *Dicendum*, inquit, *quod arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſario volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum*. Inſcitiæ igitur, aut impudentiæ eſt quod Janſeniani clamant, certum eſſe ex S. Thoma, nos habere libertatem etiam reſpectu eorum, quæ naturali neceſſitate appetimus; atque adeo ad liberum arbitrium pertinere quod volumus eſſe felices. Huc pertinet quod Doctor idem Angelicus ſtatuit de neceſſitate & coactione, quatenus ad voluntatem utraque comparatur. Nam primo neceſſarium, quod contingenti opponitur, & eſt ad unum determinatum; ac coacto, vel violento diſtinguit. Sic enim ſcribit quæſt. 22. de Verit. ar. 6. *Neceſſarium id eſſe dicitur, quod eſt immutabiliter determinatum ad unum*. Et art. 5. *Violentum autem ſecundum Philoſophum in tertio Ethicorum, eſt cujus principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo: ſicut ſi lapis ſurſum projiciatur*. Ex quibus duobus, primum in voluntate ineſſe poteſt, eadem ut actio voluntaria ſit, ac neceſſaria. Cum enim naturale id ſit, quod naturæ inclinationi conſentaneum eſt; & voluntas ipſa quædam natura ſit, ut ex eodem S. Thoma paulo ante dixi; voluntarium id erit, in quod voluntas inclinat. Contra vero, quoniam coactum, ſive violentum eſt illud, cujus externum eſt principium, & ad quod non inclinatur id quod patitur; conſequens eſt nullum voluntarium poſſe eſſe violentum. Hæc eſt doctrina in loco proxime citato tradita a S. Thoma. Qui etiam in 2. 2. quæſt. 6. art. 4. duplicem voluntatis actionem eſſe dicit: alteram, quam nullo interpoſito ipſamet elicit; *qui actus elicitus* vocatur; ut eſt velle: alteram, quæ imperatur a voluntate facultati alteri, ut cum ambulamus, aut loquimur; & *actus imperatus* nominatur. Quod igitur ad prioris generis actiones attinet, cogi omnino non poteſt. *Et hujus eſt*, inquit, *ratio, quia actus voluntatis nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoſcente: quod autem eſt coactum, vel violentum, eſt ab exteriori principio. Unde contra rationem ipſius voluntatis eſt, quod ſit coactus, vel violentus*. Quare, Janſenianorum ſententia, ea tantum arbitrio libero inimica neceſſitas eſt, quæ eſſe in voluntate non poteſt.

IX.

Sequuntur loca illa, quibus S. Thomas ait libertatem eſſe dominium, & proprium ejus actum eſſe electionem: quo duplici telo Janſenianum dogma conficit. Sic ille par. 1. quæſt. 82. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod ſumus domini noſtrorum actuum, ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere. Electio autem non eſt de fine ſed de his, quæ ſunt ad finem, ut dicitur 3. Ethic. Unde appetitus ultimi finis non eſt de his, quorum domini ſumus*. Utroque Janſenium ferit, qui & appetitum ultimi finis ait eſſe electionem: & omnem prorſus voluntatis motum, quanlibet neceſſitate expreſſum, in dominio, & poteſtate voluntatis eſſe defendit. De iſtiuſmodi autem dominio non minus clare S. Thomas lib. 1. contr.

gent. cap. 68. *Dominium*, inquit, *quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum*. Et lib. 2. cap. 47. *Subſtantiæ intellectuales ſe agunt ad operandum. Hoc autem eſt proprium voluntatis, per quam ſubſtantia aliqua eſt domina ſui actus, utpote in ipſa exiſtens agere, & non agere*. Dominium voluntatis in actum explicat per potentiam agendi, & non agendi. Hinc eſt, quod docet, voluntatem eatenus habere dominium in actum, quatenus ad illum ſe determinat. *Determinatio*, inquit, in 2. diſt. 25. q. 1. a. 1. *actionis & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur. Unde remanet ſibi dominium ſui actus*. Idem accurate explicat q. 22. de Verit. art. 5. Nam cum ſtatuiſſet, ut paulo ante dixi, voluntatem, ut natura eſt, aliquid neceſſario velle: nempe finem ultimum: opponit contra: *Ex eo, quod aliquid eſt voluntarium dicitur eſſe in nobis, ita quod nos domini illius ſumus: ſed illud, quod eſt in nobis, cujus domini ſumus, poſſumus velle, & non velle: ergo omne, quod voluntas vult, poteſt velle, & non velle: & ita non de neceſſitate aliquid vult*. Reſpondet ad 7. *Dicendum quod ratio illa procedit de voluntate, ſecundum quod voluntas eſt, hoc enim proprium eſt voluntati, in quantum eſt voluntas, quod ſit domina ſuorum actuum*. Ergo voluntate, in quantum natura eſt, non convenit eſſe dominam ſuorum actuum, ideoque appetitus ultimi finis, amor ſui ipſius in Deo, proceſſio Spiritus Sancti, aliæque ejuſmodi volitiones, quas S. Thomas ait proficiſci a voluntate, ut natura eſt, non ſunt liberæ; quia non oriuntur a voluntate, ut domina ſui actus. Quod vero ſpectat ad electionem, quo altero adverſatur Janſenio p. 1. q. 83. a. 3. in corp. *Proprium*, inquit, *liberi arbitrii eſt electio. Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quod poſſumus unum recipere, alio recuſato, quod eſt eligere*. Et 1. 2. q. 13. a. 2. in corp. *Cum electio*, inquit, *ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt, quod electio ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt: & ideo in iis, quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet*. Hinc colligit art. 3. *Finem non cadere ſub electionem*. Et art. 6. *Electio autem*, inquit, *cum non ſit de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem, non eſt perfecti boni, quod eſt beatitudo, ſed aliorum particularium bonorum: & ideo homo non ex neceſſitate, ſed libere eligit*. Age modo, cum hac doctrina S. Thomæ conciliet Janſenius, ſi poteſt, quod docet, voluntatem noſtram libera electione finem ultimum appetere: beatos libera electione Deum amare: & Patrem, ac Filium libera electione Spiritum Sanctum producere.

X.

His proxima ſunt, quibus in Deo, Angelis, & hominibus liberum arbitrium eſse defendit. Diſputat enim p. 1. q. 19. ar. 10. de divina libertate, & quærit: *utrum Deus habeat liberum arbitrium*. Reſpondet in corpore articuli: *Dicendum, quod liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſario volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum, unde & alia animalia, quæ naturali inſtinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia vero non ex neceſſitate, ut ſupra oſtenſum eſt, reſpectu illorum, quæ non neceſſitate vult, liberum habet arbitrium*. Ergo ex mente S. Thomæ Deus liberum arbitrium non habet reſpectu illorum, quæ neceſſitate vult. Quanta eſt igitur Janſenii temeritas, qui quolibet pignore contendit, amorem, quo Deus neceſſario ſe ipſum amat, & productionem Spiritus Sancti ad liberum arbitrium pertinere? Superiori loco affinis eſt alter ex libro primo contr. gent. c. 88. *Deus alia a ſe non ex neceſſitate vult, ut ſupra oſtenſum eſt; Deo igitur liberum arbitrium habere competit*. Nimirum, reſpectu illorum, quæ non neceſſitate vult. Idem quærit in 2. diſt. 24. quæſt. 1. a. 1. & breviſſime controverſiam dirimit in hæc verba: *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere poſſit: & hoc Deo convenit: bona enim quæ facit poteſt non facere*. Nullus hic ter-

Digitized by Google

tergiverſandi locus. Eatenus tantum libertatem arbitrii Deo attribuit, quatenus bona, quæ facit, poteſt non facere. Nam ut ait quæſt. 16. de malo ar. 5. *Deus tanquam proprium finem naturaliter vult ſuam bonitatem, nec poteſt non velle eam. Sed quia ad bonitatem ejus ordinari poſſunt diverſi modi, & ordines rerum; voluntas ejus non ſic fertur ad unum in ſuis effectibus, quin quantum eſt de ſe poſſit ferri in aliud. Et ſecundum hoc competit Deo libertas arbitrii.* Nihil ſane eſt, quod ad verba hæc hiſcere adverſarii poſſint. His enim Sanctus Thomas maniſeſte docet, Deo liberum arbitrium non competere reſpectum bonitatis ſuæ, *quam naturaliter vult, nec poteſt non velle.* Quærit rurſus quæſt. 24. de Verit. art. 3. *utrum liberum arbitrium ſit in Deo:* Reſpondet in corpore articuli: *Oportet dicere, in Deo liberum arbitrium inveniri, ſimiliter & in Angelis, non enim ipſi ex neceſſitate volunt.* Quocirca quartum argumentum, quod erat hujuſmodi: *Liberum arbitrium eſt potentia ad oppoſitos actus ſe habens: ſed Deus non ſe habet ad oppoſita, cum ſit immutabilis, nec in malum flecti poſſit: ergo liberum arbitrium non eſt in Deo:* ſic ſolvit: *Dicendum, quod voluntas Divina ſe habet ad oppoſita, non quidem ut aliquid velit, & poſtea nolit, quod ejus immutabilitati repugnaret: nec ut poſſit velle bonum, & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret: ſed quia poteſt hoc velle, & non velle.* Si eam de libertate ſententiam S. Thomas ſequeretur, quam illi Janſenius cum ſuis affingit, nunquam aſſeruiſſet, Deum eſſe liberi arbitrii, *quia poteſt hoc velle, & non velle:* quia quidquid extra ſe vult, *non vult ex neceſſitate:* & quia *voluntas ejus ſe habet ad oppoſita, poteſtque hoc velle, & non velle.* Sed hoc unum ſuæ opinioni confirmandæ argumentum adhibuiſſet: Deus eſt liberi arbitrii, quia quidquid vult, ſponte vult, non coacte. De humana autem libertate in eadem quæſtione art. 1. ita diſſerit: *Nullus debet puniri, vel præmiari pro eo, quod non eſt in ejus poteſtate facere, & non facere: ſed homo juſte a Deo præmiatur, vel punitur pro ſuis operibus: ergo homo poteſt operari, & non operari, & ita eſt liberi arbitrii.* Notari maxime volo hæc poſteriora verba, quibus docet, ideo hominem eſſe liberi arbitrii, quod poteſt operari, & non operari. Eodem loco ſibi objecerat 12. *Homo reſpectu eorum non habet libertatem, reſpectu quorum habet neceſſitatem: ergo ad peccata homo non eſt liberi arbitrii.* Neque reſpondet, ut Janſeniani ſolent, non repugnare libertati ſimplicem neceſſitatem; ſed ait, hominem habere quidem neceſſe peccare aliquo modo, nullius tamen certi peccati reſpectu habere neceſſitatem. *Habet neceſſe peccare aliquo peccato; cum tamen reſpectu nullius habeat neceſſitatem.* Is unus eſt ex iis locis, ex quibus primum Syſtema meum potiſſimum duxi; quod in reſponſione, paucis exponam. Pergo igitur. Quam libertatem Deo, Angelis, & hominibus S. Doctor hactenus attribuit, eandem brutis abjudicat in eadem quæſtione art. 2. *Quia*, inquit, *cum judicium eorum ſit determinatum ad unum, per conſequens & appetitus, & actio ad unum determinatur. Unde ſecundum Auguſtinum moventur viſis, & ſecundum Damaſcenum aguntur paſſionibus: quia naturaliter de tali viſo, & de tali paſſione ſic judicant. Unde neceſſe habent ab ipſa viſione alicujus rei, vel a paſſione inſurgente moveri ad fugiendum, vel proſequendum. Sicut ovis, viſo lupo, neceſſe habet timere, & fugere: & canis inſurgente paſſione iræ, neceſſe habet latrare, & proſequi ad nocendum: ſed homo non neceſſario movetur ab his, quæ ſibi occurrunt, vel a paſſionibus inſurgentibus, quia poteſt ea accipere, vel refugere; & ideo homo eſt liberi arbitrii, non autem bruta.* Eam tantum rationem affert, cur homo ſit liberi arbitrii, non vero bruta; *quod inſurgentibus paſſionibus, aut occurrentibus viſis, non neceſſario moveatur homo, bruta vero neceſſario moveantur.* Ergo neceſſitas eſt, quæ etiam D. Thomæ ſententia, opponitur libertati. Quare quod objectum fuerat, *bruta moveri præceptis, aut terreri minis*, quod libertatis indicium eſt; ita ſolvit ad 7. *Dicendum quod tam homines, quam bruta beneficiis inducuntur, & flagellis prohibentur, vel præceptis, & prohibitionibus, ſed diverſimode: quia in poteſtate hominum eſt, ut iiſdem rebus ſimiliter repræſentatis, ſive ſint*

præcepta, & prohibitiones, ſive beneficia, & flagella, eligant, vel fugiant judicio rationis. Sed in brutis eſt judicium naturale determinatum ad hoc, ut id, quod uno modo proponitur, vel occurrit, eodem modo accipiatur, vel fugiatur. Ex præceptis probari dicit, ineſſe homini liberum arbitrium, *quia iiſdem præceptis eodem malo repræſentatis, in poteſtate hominis eſt, ut eligat, vel fugiat.* At ex iiſdem probari non poſſe, bruta eſſe liberi arbitrii, quia id quod eodem modo illis repræſentatur, eodem ſemper modo agunt: nec eſt in eorum poteſtate agere vel non agere. Quibus verbis communis liberi arbitrii notio & explicatur clariſſime, & validiſſime comprobatur.

X I.

Sed ut de Angelici Doctoris mente dubitari omnino non poſſit, unum poſtremo ejuſdem locum proferam, in quo contrariam eſſe libero arbitrio, non ſolum coactionem, ſed etiam neceſſitatem, quæ ad unum aliquid voluntatem determinat diſertiſſimis verbis affirmat; eoſque, qui aliter ſentiunt, hæreticos appellat. In Quæſtione ſexta de malo, in qua de humana electione diſputat; & inquirit, *Utrum homo liberam electionem habeat ſuorum actuum, aut ex neceſſitate eligat*; ita Reſpondet: *Dicendum, quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum: ſed ſolum id, cujus principium eſt extra.* Non aliis verbis ſuam ſententiam exprimunt Janſeniani. Audiant ergo quid de illa ſentiat D. Thomas. *HÆC AUTEM OPINIO*, inquit, *EST HÆRETICA. Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit.* Non ſolum igitur violentia, ſed ſimplex etiam neceſſitas liberum evertit arbitrium. Eorumque, contra quos potiſſimum agimus, eſt opinio non modo Catholicæ Fidei adverſa, ſed etiam Philoſophiæ, quæ utique in notione liberi nihil Fidei contrarium ſciſcit, opponitur. Hæc enim ſtatim ſubiicit S. Thomas: *Eſt etiam annumeranda inter extraneas philoſophiæ opiniones: quia non ſolum contrariatur Fidei, ſed ſubvertit omnia principia philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis philoſophia conſiſtit. Hujuſmodi autem opiniones, quæ deſtruunt principia alicujus partis philoſophiæ, dicuntur poſitiones extraneæ. Sicut nihil moveri: quod deſtruit principia ſcientiæ naturalis.* Illud in primis notandum eſt, liberum non opponi coacto; ſed illi, qui neceſſitate movetur ad volendum. Tum illud, quod paulo ante dicebam; ſepoſitis gratiæ adjumentis, ac præſidiis, quæ ad arbitrii liberi naturam adeo non pertinent, ut ſupra naturam, ideſt *ſupernaturalia* eſſe dicantur: nihil de libera hominis facultate, ut libera eſt, & propria libertatis notione ſcriptum, editum, conſtitutum ab Ariſtotele, ac Peripateticis aliis philoſophis; quod non rectæ Fidei congruat; quodque adeo non verbis totidem, ac ſententiis uſurparint Chriſtiani Patres omnes, cum de hac re verba fecerunt. Hæc ex Auguſtino, & Thoma exponenda eſſe cenſui: quippe quæ & doctrinam catholicam egregie tutantur adverſus recentes hæreticos; & illi doctrinam Societatis maxime conſentientem oſtendunt. Locum hunc totum concludo Euſebii Cæſar. teſtimonio. Is enim poſt longum de libero arbitrio, deque fato ſermonem, ac gentilium philoſophorum explicatas de utroque ſententias, aperte prædicat: *Philoſophorum placita a ſe deſcripta, cum Chriſtiano dogmate congruere, ac divinis ſuffragari Litteris.* Nimirum quod recte animadvertit Origenes homil. 14. in Gen. *Philoſophia neque in omnibus legi Dei contraria eſt, neque in omnibus conſona.*

XII.

Digitized by Google

XII.

Nunc ex duobus iiſdem Doctoribus aliqua proferam, quæ Societatis doctrinæ magis expreſſe, ac directe favent, & ad confutationem eorum, quæ in oppugnatione poſita ſunt viam muniunt. Plura quidem ſunt Auguſtini loca, quibus expreſſis verbis aſſeritur, Deum Adamo *permiſiſſe*, *atque dimiſiſſe facere quod vellet*, & gratiam in ejus arbitrio reliquiſſe. At nihilo pauciora ſunt, quæ de homine lapſo idem prorſus, iiſdemque verbis affirmant. Inſtar omnium eſt quod legitur Lib. 2. cont. Petilianum Cap. 84. n. 186. *Si tibi proponam quæſtionem*, (ſic Petiliano reſpondet Auguſtinus) *quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficile ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri poteſt, ut quos in libero dimiſit arbitrio attrahat tamen ad Filium Pater; ſic fieri poteſt, ut ea, quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium*. Primo, loquitur hic utique de homine lapſo Auguſtinus, ut eſt manifeſtum. Deinde gratiæ auxilium, ſive vocationem, tractionemque cum bono opere connexam minime ponit. Inepta quippe eſſet illa comparatio, & contra Auguſtinum faceret, ſi divina motio, tractioque homini ſolutum non relinqueret, obſequi, vel non obſequi. Nam Petilianus, ex illa continuo colligeret, legum coercitiones libertatem ad utrumlibet homini adimere: quod unum ipſe cum ſuis ſtulte contendebat. Alia plura ſunt, quibus Auguſtinus nihilo obſcurius de homine lapſo, quam de integro affirmat, Divinam tractionem in ejus arbitrio relinqui. Sic in Libro de grat. & lib. arb. Cap. 2. n. 3. homini lapſo accomodat illud Eccli. XV. 11. &c. *Ipſe ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu conſilii ſui*. Et in Libro Qninquaginta Homiliarum hom. 16. num. 1. *In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo an Diabolo*. Et Sermon. 47. de Sanctis n. 5. *In poteſtate noſtra poſuit, qualiter in die judicii judicemur &c. in te enim poſuit, quod requirit*. Quod & S. Hieronymus diſertiſſime pronuntiat in Caput 49. Iſajæ his verbis: *Dei vocare eſt, & noſtrum credere: nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibilis Deus eſt; ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, ut juſte voluntas præmium conſequatur*. Quæ eſt illa Dei potentia, quam in arbitrio noſtro dereliquit, niſi gratia Dei, qua nos vocat, & ad bene agendum armat, atque inſtruit, ita ut poſtea in nobis poſitum ſit, vel gratia iſpamet hortante, atque adjuvante bonum eligere; vel noſtra omnino vi bonum relinquere. Quod ſi homini integro libertas ad utrumlibet indifferens ex mente Auguſtini ideo aſſeritur, quod S. Doctor ſæpe dicat in poteſtate Adæ fuiſſe Dœmoni conſentire aut diſsentire, ut eſt præſertim Serm. 34. de diverſis num. 2. *Ut ſubderetur Adam Diabolo ſeductori, fuit in ejus libero arbitrio &c. magis ſeductori, quam præceptori obtemperare elegit &c.* Eodem argumento probatur ex Auguſtini mente idem aſſerendum homini lapſo, cum id ipſum de hoc pariter ſcribat. Locus eſt pulcherrimus Homil. 12. ex Quinquaginta, his verbis num. 3. „Cum per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit, utrum „conſentias Diabolo; quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deliberas? Si enim ſolus Diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes, quo excuſari poſſes. Cum vero Chriſtus conſcientia tua tibi contradicat, & per ſcripturas Divinas audias in Eccleſia, quod non debeas facere malum; quare eligis mortem & deſeris vitam; & magis vis ſequi Diabolum ad luxuriam, quam obtemperare Chriſto, qui te invitat ad vitam æternam? Rogo ergo vos, fratres chariſſimi, quare Satanas ſeducit ad peccandum, cum Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Satanæ? Eſt enim a dextris quodammodo præcipiens Deus, a ſiniſtris ſeducens Satanas, homo in medio conſtitutus. Cor quod inclinatur ad Diabolum; quare non potius erigitur ad Deum? Non enim Diabolus co-

„gen-

„ gendo, ſed ſuadendo nocet: nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit. Nos Diabolum non adjuvemus, „ & vincimus. Dat quidem ille conſilium; ſed Deo auxiliante noſtrum eſt „ vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit. Nihil ſane pro libertate ad utrumlibet luculentius dictum ab Auguſtino de homine integro, quam hoc quod dicit de homine lapſo, in qua hinc gratia, illinc vero mala cupiditas voluntatis aſſenſum petant. Præterea ſi, Auguſtini ſententia, gratia ſanitatis neceſſitatem non intulit recte agendi, quia S. Doctor in Libro de correp. & grat. Cap. 11. n. 31. ſcribit: *Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt.* Validum id quidem eſt argumentum; ſed idem pro gratia medicinali, quam vocant, pariter militat. Ad hanc enim ſpectat, quod Auguſtinus ſcribit in Libro de nat. & grat. Cap. 26. n. 29. *Deus non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur.* Et Tract. 2. in Cap. 1. Johan. n. 8. *Opus eſt, ut tu non deſeras, & non deſereris.* Cui concinit Proſper Lib. 2. Reſp. ad 7. object. *Dei voluntas eſt, ut in bona voluntate maneatur, qui & priuſquam deſeratur neminem deſerit.* Atque ex his accerſitum eſt illud Concilii Tridentini decretum Seſs. 6. Cap. 11. *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi prius ab eis deſeratur.* Et Cap. 13. *Nemo ut perſeveranter ſtet ſibi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* In quibus locis Sermo non eſt de gratia habituali, ut vellet Janſenius Lib. 3. de grat. Chriſti Cap. 19. *Dei* quippe auxilium diſerte exprimitur; & gratia illa, qua Deus, niſi illi defuerimus, operabitur velle, & perficere, gratia operans eſt, & cooperans; non igitur gratia habitualis. Quam in rem appoſite S. Thomas Lect. 1. in Cap. 1. Epiſt. 1. ad Corinth. *Debetis ſperare, quia Deus eſt fidelis: non autem videretur eſſe fidelis, ſi non vocaret ad ſocietatem filii, & nobis negaret quantum in ipſis eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſemus. Unde Joſue I. 5. dicit: Non te deſeram, neque derelinquam.*

XIII.

Viciſſim autem id ipſum conficitur, quia quæ gratiæ medicinali ab Auguſtino attributa Janſenianis argumento ſunt, quo libertatem indifferentem oppugnant; eadem S. Doctor attribuit etiam gratiæ ſanitatis; quo illorum argumenta concidunt. Sic gratia etiam ſanitatis operabatur ipſum velle. Quod quidem pernegat Janſenius Lib. 2. de gratia Chriſti Cap. 9. 11. 14. 17. 23. 26. atque alibi paſſim. Sed Auguſtinus expreſſis verbis affirmat Lib. 12. de Civit. Dei Cap. 9. ubi de Angelis bonis ita ſcribit: *Profecto & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.* Ergo in Angelis adjutorium Dei bonam voluntatem operatur. Pergit: *Et cum id egit eorum voluntas bona, ut non ad ſe ipſos, qui minus erant, ſed ad illum, qui ſumme eſt, converterentur, eique adhærentes magis eſſent, ejuſque participatione ſapienter, beateque viverent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſurum; niſi ille, qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſe ipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.* Præterea, quo Janſenius colligit, gratiam medicinalem operari ipſum velle, quia ſcilicet bona voluntas, quæ Charitas Dei eſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum; ad gratiam pertinet etiam ſanitatis. Nam S. Auguſtinus eodem plane modo de illo loquitur. Ut ex his conſtat, quæ Lib. 12. de Civit. Cap. 9. ſcripſit de Angelis: *Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quod Charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis.* Præterea, quod opportune ut cætera notat Stephanus de Champs Lib. 2. de lib. arb. Cap. 4. ſect. 2. Janſenius in Libro de grat. primi hominis, & Angelo-

gelorum Cap. 16. & lib. 2. de grat. Chriſti Cap. 6. & Lib. 9. Cap. 10. gratiam medicinalem a gratia ſanitatis hoc differre pugnat, quod Deus per illam voluntati meritum omne tribuat, nihil ut prorſus boni fiat ab homine lapſo, quod a Deo non donetur: contra quam contingat in gratia ſanitatis, qua Deus nec voluntati meritum, nec opera bona impartit; ſed ea ſibi voluntas ipſa parit, nec Deo accepta referre debet. Quæ profecto eum ſcribere auſum, & quidem pluribus in locis, valde miror; ac neſcio, qua fronte S. Auguſtini nomen iſti prætexat. S. Auguſtini, inquam, qui tam diſerte, tam ſæpe de Angelis aſſerit, nihil prorſus boni in eis eſse, quod non ſit a Deo donatum, quodque illi non debeant. Quid iis clarius, quæ in hanc ſententiam ſcripſit Enarrat. in Pſalm. 70. Serm. 2. n. 5. *In altis cœli ſunt, in altis Angeli ſunt &c. Tibi debent quod ſunt, tibi debent quod vivunt, tibi debent quod juſte vivunt. Potentiam tuam uſquequo? Uſque in altiſſima quæ feciſti magnalia. Ne putes hominem ſolum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? Quid eſt Angelus, ſi deſerat, qui creavit?* Non ergo ſola medicinalis gratia facit, ut quod bene agimus Deo acceptum referatur, cum & ipſi Angeli Deo debeant, quod juſte vivunt. Idem affirmat Lib. 13. Confeſs. Cap. 3. num. 4. his verbis: *Quod autem in primis conditionibus dixiſti*, Fiat lux, & facta eſt lux, *non incongruenter hoc intelligo in creatura ſpirituali, quia erat jam qualiſcunque vita, quam illuminares &c. Neque enim ejus informitas placeret tibi, ſi non lux fieret, non exiſtendo, ſed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo, ut & quod utcunque vivit, & quod beate vivit, non deberet, niſi gratiæ tuæ, converſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt.* Nec ſolum mereri Gratia ſanitatis dabat, ſed etiam perſeverare. Quod contra pariter contendit Janſenius in libro de gratia primi hominis cap. 1. & in ſecundo de gratia Chriſti 7. itemque in nono cap. 12. Quibus in locis negat, Angelis Dei gratia præſtitum fuiſſe, ut perſeveranter ſtarent. At iſtud tamen S. Auguſtinus diſertiſſime affirmat. Sic enim Enarrat. in Pſalm 32. ſerm. 2. num. 4. *Cœli ergo ubi nulla eſt miſeria, nunquid quia non indigent miſericordia, non indigent Domino? Omnia indigent Domino & miſera, & felicia. Sine illo miſer non ſublevatur; ſine illo felix non regitur. Ergo ne forte de cœlis quæreres cum audires*, Miſericordia Domini plena eſt terra; *audi quia Domino, & cœli indigent*, ſermone Domini cœli ſolidati ſunt. *Nam non a ſe ſibi ſolidamentum fuerunt, nec ipſi cœli firmitatem ſibi propriam præſtiterunt.* Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Non habuerunt aliquid ex ſe, & tanquam ſupplementum a Domino perceperunt.* Spiritu *enim* oris ejus *non pars, ſed* omnis virtus eorum. En cœlos etiam, quo nomine Angelos deſignat, Divina gratia indigere; nec illos a ſe ipſis, ſed a Deo ſolidatos fuiſſe dicit. Subjicit autem n. 5. *Quid eſt ſolidatos eſſe, niſi habere ſtabilem, & firmam virtutem?* Potuitne diſertius angelorum perſeverantiam Deo aſcribere? Hoc adeo verum eſt, ut id ipſum quod modo de Angelis, paulo poſt de Apoſtolis tradat, qui quidem dubium eſſe non poteſt, quin a Deo perſeverantiam acceperint. Quod ſi Angeli perſeverantiam acceperunt ex gratia, *adjutorium quo* dici potuit gratia illa; & tamen neceſſitatem conſentiendi non afferebat; quod igitur gratia medicinalis vocetur ab Auguſtino, *adjutorium quo*, non ſequitur, ut neceſſitatem conſentiendi afferat. Sed in Confutatione de hoc agemus: nunc cætera, quæ ad hanc pertinent diſputationis partem. Pergo igitur remque ipſam jam proxime attingo.

XIV.

Nam plura ſunt Auguſtini loca, in quibus delectatio conſenſui anteire dicitur, atque is in noſtra eſſe poteſtate, atque electione; ſecus illa. Ut peccatum vere & proprie non ſit, niſi delectationi conſenſus accedat: idemque dicendum de opere bono, in quo meritum ſit. Ita ille lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 12. num. 34. *Tria ſunt qui-*

Digitized by Google

quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione. Suggeſtio ſive per memoriam fit, ſive per corporis ſenſus, cum aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel guſtamus, vel tangimus. Quo ſi frui delectaverit, delectatio illicita refrænanda eſt. Velut cum jejunamus, & viſis cibis palati appetitus aſſurgit, non fit, niſi delectatione: ſed huic tamen non conſentimus, ſi eam dominantis rationis jure cohibemur. Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit; notum Deo in corde noſtro, etiamſi facto non innoteſcat hominibus. Ita ergo ſunt iſti gradus &c. Et paulo poſt: *Tria ergo hæc, ut dicere cæperam, ſimilia ſunt illi geſtæ rei, quæ in Geneſi ſcripta eſt, ut quaſi a ſerpente fiat ſuggeſtio, & quædam ſuaſio: in appetitu autem carnali, tanquam in Eva delectatio: in ratione vero, tanquam in viro conſenſio: quibus peractis, tanquam de paradiſo, hoc eſt de beatiſſima luce juſtitiæ in mortem homo expellitur, juſtiſſime omnino.* Tertium hoc liberum, & ex facultate ad utrumlibet indifferente eſſe contendimus; negamuſque, tertium cum ſecundo ita eſſe connexum, ut hoc ex illo neceſſario ſequatur. Docet id expreſſe Auguſtinus Serm. 98. de verbis Evangelii Lucæ 7. alias 44. de verbis Domini. cap. 6. n. 6. ubi incipit a delectatione, & quatuor in peccatis progreſſus diſtinguit. *Dictum eſt autem*, inquit, *Quatriduanus eſt. Revera ad iſtam conſuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progreſſu pervenit anima. Prima eſt enim quaſi titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertium factum, quarta conſuetudo. Sunt enim, qui res illicitas obvias cogitationibus ſuis prorſus ita abjiciunt, ut nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non conſentiunt:* (en poſita etiam delectatione, conſentiendi neceſſitas non eſt) *nondum perfecta mors eſt, ſed quodam modo incohata. Delectationi accedit conſenſio: jam eſt illa damnatio. Poſt conſenſionem in factum proceditur: factum in conſuetudinem vertitur: & fit quædam deſperatio, ut dicatur, Quatriduanus eſt, jam putet. Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia: & difficultatem quamdam oſtendit ibi.* En in ipſa conſuetudine non eſt neceſſitas inſuperabilis; ſed difficultas. At de conſuetudine alia quæſtio eſt. Quod facit ad rem præſentem: dilectatio conſenſum non trahit neceſſario. Quare lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 7. num. 9. *Sicut*, inquit, *ratio vera docet, meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum: ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam bonam eſſe, quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi exſtiterit, ita cohibere &c.* Et in Pſalm. 145. numer. 6. *Suggeritur*, inquit, *aliquod lucrum, delectat; habet fraudem, ſed magnum eſt lucrum; delectat, non conſentis: pugnam vide, adhuc ſuadetur, adhuc inſtatur, adhuc deliberatur &c.* Sed nimis longum eſſet ea omnia loca recenſere, quibus Auguſtinus docet, etiam delectatione excitata, nobis ſolutum eſſe, ſive *in poteſtate*, & *in deliberatione* poſitum, ei denegare conſenſum. Eadem porro, quod ad hoc ſpectat, delectationis ſive terreſtris, ſive cœleſtis eſt ratio. Itaque tract. 26. in Johan. num. 4. expreſſe neceſſitatem excludit. *Porro*, inquit, *ſi poetæ dicere licuit, Trahit ſua quemque voluptas; non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio &c.*

X V.

Illa denique cum eo, quod eſt in hac diſputatione propoſitum, conjunctiſſima ſunt, quibus Auguſtinus eorum querelis ſatisfacit, qui quod gratiæ tantum tribueret, eum libero arbitrio non ſatis conſulere dictitabant. Do autem iſta eo ordine, quo in adverſariis meis deſcripta invenero. Primum ex eo libro, quem ad hoc ipſum ſcripſit, de grat. & liber. arbitr. præter ea, quæ ſupra expoſui, cap. 2. num. 4. hæc habet: *Nemo .... cum aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate.* Et cap. 3. num. 5. *velle enim, & nolle propriæ voluntatis eſt.* Tum cap. 5. num. 12. hæc alia: *Atque ut oſtenderet & liberum arbitrium, mox addidit* (1. Cor. XV. 10.) & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi. *Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in aliis, quibus dicit*, (2. Cor. VI. 1.) Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis. *Ut quid enim eos rogat, ſi*

gra-

Digitized by Google

gratiam ſic ſuſceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuo cum dixiſſet, Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi; *ſubjunxit, atque ait*: (I. Cor. XV. 10.) Non ego autem; ſed gratia Dei mecum: *ideſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo*. In eandem prorſus ſententiam cap. 9. num. 21. *Non enim*, inquit, *quia dixit* (Philip. II. 13.) Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate; *ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. Quod ſi ita eſſet, non ſuperius dixiſſet* (Philip. II. 12.) Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. *Quando enim jubetur, ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium: ſed ideo, cum timore, & tremore; ne ſibi tribuendo quod bene operantur, de bonis, tanquam ſuis, extollantur operibus &c. Itaque, fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona .... Hæc dixit, ut Apoſtolicis verbis liberum arbitrium veſtrum, a malo deterrerem, ex exhortarer ad bonum: nec tamen ideo debetis in homine, hoc eſt, in vobis ipſis, non in Domino gloriari &c*. Similiter epiſt. 186. alias 106. cap. 9. n. 33. *Fateatur*, inquit, *eſſe liberum arbitrium, etiamſi divino indiget adjutorio. Fateatur, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam*. Et cap. 10. num. 36. *Scriptum eſt* (Roman. IX. 16.) inquit, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: *non quia nulla eſt hominis voluntas, atque curſus, ſed quia nihil poteſt, niſi ille miſereatur*. Itemque notat Apoſtolum I. Cor. XV. 10. dixiſſe: Non ego, ſed gratia Dei mecum: *non quia ipſe nihil boni agebat, ſed quia nihil ageret, ſi illa non adjuvaret*. Similiter epiſt. 217. alias 107. cap. 5. num. 16. *Scimus*, inquit, *eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſua id facere, voluntate, ac libero arbitrio*. Et cap. 6. nu. 23. *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum non niſi ſua libera credere voluntate; cum potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda, & agenda ſit liberum?* Ita prorſus in libro de perfectione juſtitiæ cap. 19. num. 40. *Ut quid enim*, inquit, *iſta orando tanto gemitu petimus, ſi volentis hominis, & currentis, non miſerentis eſt Dei? Non quia hoc ſine voluntate noſtra agitur, ſed quia voluntas non implet, quod agit, niſi divinitus adjuvetur*. In his omnibus gratiam neceſſariam propugnat, ſed non afferentem neceſſitatem. Sic pariter tract. 4. in epiſt. Johan. num. 7. *Videte*, inquit, *quemadmodum non abſtulit liberum arbitrium, ut diceret*: Caſtificat ſemet ipſum. *Quis nos caſtificat, niſi Deus? ſed Deus te nolentem non caſtificat. Ergo quod adjungis voluntatem tuam Deo, caſtificas te ipſum. Caſtificas te, non de te, ſed de illo, qui venit, ut inhabitet in te. Tamen quia agis aliquid ibi voluntate, ideo & tibi aliquid tributum eſt. Ideo autem tibi tributum eſt, ut dicas, ſicut in Pſalmo* (XXVI. 9.) Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. *Si dicis*, Adjutor meus eſto, *aliquid agis: nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat*. Idem ſcribit in lib. de Grat. Chriſti cap. 25. num. 26. *Non ſolum*, inquit, *Deus poſſe noſtrum donavit, atque adjuvat, ſed etiam velle, & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; ſed quia ſine ipſius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus*. Id ipſum elegantiſſime in Sermone 146. alias 13. de Verbis Apoſt. cap. 12. num. 13. *Nolite*, inquit, *vos, demittere. Neque enim templum ſuum ſic de vobis ædificat Deus, quaſi de lapidibus, qui non habent motum ſuum: levantur; ab ſtructore ponuntur. Non ſic ſunt lapides vivi: Et vos tanquam lapides vivi coædificamini in templum Dei. Ducimini, ſed currite, & vos; ducimini, ſed ſequimini. Quia cum ſequuti fueritis, verum erit illud, quia ſine illo nihil facere poteſtis*. Sic prorſus Serm. 169. alias 15. cap. II. n. 13. *Sed totum ex Deo: non tamen quaſi dormientes, non quaſi ut non conemur, non quaſi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te juſtitia Dei. Voluntas quidem*

non eſt, niſi tua; juſtitia non eſt, niſi Dei. Eſſe poteſt juſtitia Dei ſine voluntate tua, ſed in te eſſe non poteſt niſi per voluntatem tuam. Demonſtratum eſt, quid agere debeas: juſſit lex; Non facias illud, non illud: fac hoc, atque illud.... Sine te fecit te Deus. Non enim adhibuiſti aliquem conſenſum, ut te faceret Deus. Quomodo conſentiebas qui non eras? Qui ergo facit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem. In his omnibus, ut videtis, apparet conſenſus prorſus ſolutus, ac liber. Tandem Fragm. I. numer. 4. *Quidquid nobis jubetur, orandum eſt, ut impleatur: ſed non ſic, ut dimittamus nos, & quomodo ægri, jaceamus ſupini, & dicamus, Pluat Deus eſcas ſuper facies noſtras; ut prorſus nos nihil agere velimus; & cum eſca compluta fuerit ſuper os noſtrum, dicamus etiam, Deus glutiat de nobis &c.* Ubique petitur animæ aſſenſus, qui non peteretur, ſi gratiam conſequeretur neceſſario. Expreſſius in Epiſtola 157. alias 89. ad Hilarium n. 10. *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: ſed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit, Adjutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod juſſit, ſed ab eo qui juſſit, adjutorium poſcere, ut poſſit. Sic & iſte, cum ſciret, neminem eſſe poſſe continentem, niſi Deus det, adiit Dominum, & deprecatus eſt: utique volens adiit, volens deprecatus eſt, nec petiiſſet, niſi eſſet voluntas.* Affinia his illa ſunt quibus opera bona, *noſtra* etiam dici poſſe confirmat ut lib. 1. Retract. cap. 23. num. 3. Lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. num. 10. lib. de Spir. & lit. cap. 34. num. 60. Epiſt. 188. alias 143. cap. 2. num. 6. Serm. 333. alias homil. 14. cap. 1. num. 1. & alibi. Hæc & alia ſane plurima ejuſdem modi inveniuntur apud Auguſtinum, quæ nullo fere intervallo ab eo, de quo hic agimus, diſtant. Omnia enim homini ſolutum relinquunt præbere voluntatis aſſenſum; arbitriumque cum excitent, & alliciant, non tamen ullo modo alligant, & aſtringunt.

XVI.

Illa rem ipſam continent, quibus Gratia congrua deſcribitur, ut quamvis ſe ipſa efficax, & cum bono opere intrinſecus connexa non ſit; certus ſit tamen, atque infallibilis divinæ Prædeſtinationis ordo: & quam ſecuritatem propria gratiæ qualitas, & conditio afferre non poteſt, afferat ſcientia conditionalis, qua ipſiuſmet Prædeſtinationis ſive decretum, ſive exequutio, ut ajunt, dirigitur. Itaque Auguſtinus lib. 1. de diver. quæſt. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. *Igitur*, inquit, *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem.* Tum paulo poſt: *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Ac deinde: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſequuti, quamvis vocati.* Et pauciſſimis interpoſitis: *Quia etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur.* Itemque poſt aliqua: *Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Et tandem num. 14. ita concludit: *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt?* Notanda ſunt illa etiam, quæ ibi paulo ante ſcripſit: *Cur ergo Eſau non ſic eſt vocatus, ut vellet obedire? Videmus enim alios aliter iiſdem rebus demonſtratis, vel ſignificatis ad credendum moveri &c.* Et quæ plura ſequuntur in eandem ſententiam. Sed & illa notanda, quæ ſubjungit paulo poſt: *Conqueritur enim Deus ſæpe de hominibus, ſicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos, quod nolint credere, & recte vivere. Unde fideles, & facientes voluntatem Dei, converſari di-*

cuntur

cuntur ſine querela, quod de illis non queratur Scriptura. Sed, Quid conqueritur, *ait?* (Rom. IX. 19.) Nam voluntati ejus quis reſiſtit, quando cujus vult miſeratur, & quem vult obdurat? *Et tamen intueamur ſuperiora, & inde noſtram, quantum ipſe Dominus adjuvat, ſententiam dirigamus*. Nempe ex congruitate, & incongruitate gratiæ. Quod infra etiam clarius explicat: *Conqueritur autem juſte de peccatoribus, tanquam de his, quos peccare ipſe non cogit. Simul etiam ut hi quorum miſeretur, hanc quoque habeant vocationem, ut dum conqueritur Deus de peccatoribus, compungantur corde, atque ad ejus gratiam convertantur*. Et clarius etiam hoc ipſum num. 18. *Sic Pharaoni dictum eſt* (Exod. IX. 16. & Rom. IX. 17.) Ad hoc te excitavi, ut oſtendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. *Hæc demonſtratio potentiæ Dei, & annuntiatio nominis ejus in univerſa terra prodeſt eis, ut timeant, & vias ſuas corrigant, quibus vocatio talis congruit*. Tandem in fine ejus libri num. 22. *Quid volebat Saulus*, inquit, *niſi invadere, trahere, vincire, necare Chriſtianos? Quam rabida voluntas, quam furioſa, quam cæca! Qui tamen una deſuper voce proſtratus, occurrente utique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta ſævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem*. Recte dicit, *quo mens illa, & voluntas &c.* nam alteri forſitan viſum illud congruens non fuiſſet. Expreſſe etiam gratiam hanc congruam docet epiſt. 164. alias 99. cap. 6. numer. 17. *Veruntamen*, inquit, *ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, ſicut ad Cain, ac prius ad ipſum Adam, uxoremque ejus, vel ad conſolandos bonos, vel ad utroſque admonendos, ut alii ad ſalutem ſuam crederent; alii ad pœnam ſuam non crederent, ipſe utique non in carne, ſed in ſpiritu veniebat, viſis congruis alloquens, quos volebat, ſicut volebat*. Eandem congruitatem ſignificat epiſt. 55. alias 119. cap. 7. num. 13. ubi ait, *Si quæ autem figuræ ſimilitudinem non tantum de cœlo, & de ſyderibus, ſed etiam de inferiori creatura ducuntur ad diſpenſationem Sacramentorum, eloquentiam quamdam eſſe doctrinæ ſalutaris movendo affectui diſcentium accommodatam*. Illud etiam ad ejuſmodi gratiam pertinet, quod habet epiſt. III. alias 122. num. 5. hiſce verbis: *Sed ne aliquis exiſtimet, illos Dei ſervos, quos dicis a barbaris interfectos, ſic illam mortem evadere debuiſſe, quomodo tres illi viri ab ignibus, & Daniel a leonibus liberatus eſt ſciat illa propterea facta miracula, ut eos verum Deum colere crederent reges, a quibus in illa ſupplicia tradebantur. Hoc enim erat in occulto judicio, & miſericordia Dei, ut illis regibus eo modo conſuleret ad ſalutem, Antiocho autem regi, qui Machabæos pœnis crudelibus interemit, noluit ita conſulere, ſed eorum glorioſiſſimis paſſionibus cor duri regis acriori ſeveritate punivit*. Gratiam, quæ congruiſſet Antiocho, ut aliis regibus ſupra memoratis, hoc eſt, quam ſciebat fore, ut non reſpueret Antiochus, ſi conferretur, ipſi merito denegavit. Denique epiſt. 246. alias 243. numer. 1. *Quod Dominus præſtabit, ut ita explicem, quemadmodum novit tibi congruere ad ſalutem fidei tuæ*. Eadem doctrina traditur lib. II. de Gen. ad lit. cap. 9. 10. & 11. in quo num. 14. ita diſſerit: *Num enim malitiæ eorum, vel nequitiæ Deus auctor eſt, de quorum juſta pœna conſulit, quibus hoc modo conſulendum eſſe conſtituit? Non utique: ſed cum eos vitiis propriis malos futuros eſſe præſciret, non eos tamen creare deſtitit, utilitati deputans eorum, quos in hoc genere creavit, ut ad bonum proficere, niſi malorum comparatione non poſſent*. Ubi pergit in eandem ſententiam multis. In altera vero tertii ejuſdem tomi parte eandem congruitatem oſtendit in Expoſit. quarumdam propoſitionum ex epiſt. ad Roman. Etenim numer. 63. *Deum*, ait, *ſuſtinuiſſe patienter impietatem Pharaonis, donec ad illud tempus perduceretur, quo opportune in eum vindicta procederet, ad correctionem eorum, quos ab errore conſtituerat liberare, & ad cultum ſuum pietate vocando perducere*. Rurſus & ea congrua ſanatio, de qua Enarrat. in Pſalm. 6. numer. 4. ad illa verba: Et tu Domine uſquequo? „ Quis non intelligat, „ *inquit*, ſignificari animam luctantem „ cum morbis ſuis: diu autem dilatam „ a medico, ut ei perſuaderetur, in „ quæ mala ſe peccando præcipitaverit?

o 2 Quod

„ Quod enim facile ſanatur , non multum cavetur : ex difficultate autem ſanationis erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis . „ Hujus ſimile eſt , quod ſcribit in Pſalm. 147. num. 27. „ Quare vix tenemus quod facile amiſimus ? Ne facile recipiendo quod amiſimus , diſcamus perdere quod tenemus. Laboret homo ut teneat : tenebit ad firmitatem , quod tenuerit poſt laborem . „ Expreſſius ad rem noſtram Serm. 117. alias 38. de verbis Dom. cap. 4. num. 6. „ Adſit , *inquit* , „ miſericordia Dei , & ita rem a nobis dici faciat, ut vos audire oportet , & nos dicere . „ Item Serm. 139. alias 51. de verbis Domin. cap. 2. num. 2. „ Adjuvet me Deus , ut ea dicam , quæ vera ſunt, & apta ſunt vobis. „ Similter Sermon. 237. alias 145. ad Tempore cap. 2. num. 2. „ Deus autem donet , ut dicam , ideſt , ſic dicam , quomodo vos audire expedit . „ Et Sermo . 336. alias 256. de Temp. cap. 6. num. 6. „ Tunc ſermo noſter congruus erit, ſi in ſe aliquid ædificationis babeat , quod utilitati animarum veſtrarum Deo vos interius ædificante proficiat „ . Addi poteſt & quod legitur Serm. 13. alias 94. de Tempor. cap. 8. num. 9. „ Multi amore , multi timore correcti ſunt : ſed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt. „ Iſtorum ſimilia quæ lib. 4. de doctrin. Chriſt. cap. 15. num. 32. „ Cum enim de unaquaque re , quæ ſe ſecundum fidem, dilectionemque tractanda ſunt, multa ſint , quæ dicantur , & multi modi quibus dicantur ab eis, qui hæc ſciunt ; quis novit , quid ad præſens tempus , vel nobis dicere , vel per nos expediat audiri , niſi qui corda omnium videt ? Et quis facit , ut quod oportet, & quemadmodum oportet , dicatur a nobis , niſi in cujus manu ſunt & nos , & ſermones noſtri ? „ Et cap. 30. num. 63. „ Eſther oravit , ut in os ejus Deus congruum ſermonem daret. „ Præterea in quarto de Trinitate cap. 1. num. 2. „ Miſſa ſunt nobis divinitus viſa congrua peregrinationi noſtræ , quibus admoneremur , non hic eſſe quod quærimus , ſed illuc ad ipſa eſſe redeundum . „ Luculentiſſimum eſt illud quod ſcribit in libro de ſpir. , & lit. cap. 34. n. 60. his verbis : „ Attendat , & videat , non ideo tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam , quia ex libero arbitrio eſt , quod nobis naturaliter concreatum eſt ; verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus , ut velimus , & ut credamus , ſive extrinſecus per evangelicas exhortationes , ubi & mandata legis aliquid agunt &c. ſive intrinſecus ubi nemo habet in poteſtate , quid ei veniat in mentem , ſed conſentire , vel diſſentire propriæ voluntatis eſt . „ Non igitur in conſenſum neceſſitate agimur : pergit autem Auguſtinus in eandem ſententiam . „ His ergo , *inquit* , modis , quando Deus agit cum anima rationali ; ut ei credat , neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio , ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio , cui credat ; & profecto ipſum velle credere Deus operatur in homine , & in omnibus miſericordia Dei prævenit nos : conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire , ſicut dixi , propriæ voluntatis eſt . „ Poſita ſuaſione, vel vocatione , eaque indeliberata voluntate , qua credere libeat , adhuc ſolutum eſt credere , liberumque homini eſt iis omnibus conſentire , vel diſſentire . Pergit Auguſtinus ; idque expreſſe confirmat his verbis . *Quæ res non ſolum non infirmat quod dictum eſt* (I. Corint. IV. 7.) Quid enim habes quod non accepiſti ; *verum etiam confirmat . Accipere quippe , & habere , & habere anima non poteſt dona , de quibus hoc audit , niſi conſentiendo : ac per hoc quid habeat , & quid accipiat , Dei eſt : accipere autem , & habere utique accipientis , & habentis eſt .* Quod eſt idem , ac illud quod ſcripſit lib. 1. ad Simplic. loco ſupra relato q. 2. num. 10. *Ut velimus enim* (deliberate) *& ſuum eſſe voluit , & noſtrum ; ſuum vocando , noſtrum ſequendo . Cur* autem , pergit loco ante citato , *illi ita ſuadeatur , ut perſuadeatur ; illi autem non ita ; duo ſola occurrunt interim , quæ reſpondere mihi placeat , &c.* Ideſt , cur alteri donet quod illi congruens ſit ; alteri deneget ,

get. Quod diſerte dicit in libro de dono Perſeverantiæ cap. 14. num. 35. his verbis: *Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Tandem in primo de peccat. merit. & remiſ. cap. 22. n. 21. *Ubi duo iſti tam diverſa merita contraxerunt, non dico, ut iſte credat, ille non credat, quod eſt propriæ voluntatis; ſed ut iſte audiat quod credat, ille non audiat &c.* hoc eſt ut uni detur gratia congrua, non detur alteri; uni detur, quod Deo prævisum eſt, fore, ut accipiatur, ſive, ut non reſpuatur, ſi detur; tale quid autem non detur alteri.

XVII.

Rem ipſam pariter continet, de qua diſputamus, perilluſtris ille Auguſtini locus ex lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. ubi ponit *duos æqualiter affectos animo, & corpore videre unius corporis pulcbritudinem, qua viſa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret*. Tum quærit, quid cauſæ ſit, cur unus conſentiat; ac reſpondet: *Quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animæ affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo: ambobus pariter inſtitit occulta tentatio*. Nihil autem a mente Auguſtini magis alienum, quam quod hic comminiſcitur Janſenius, loqui ipſum de ſtatu naturæ integræ. Loquitur enim de eo ſtatu, in quo pulchritudo corporum oculis ad illicitam voluptatem lenocinetur; quod quidem Auguſtini ſententia ab innocentiæ ſtatu longe abeſat, ſiquidem lib. 1. Op. imperf. contra Jul. num. 71. ne ferre quidem poteſt eum affirmantem, pomi decore oculos Adami incitatos ſpem etiam jucundi irritaſſe ſaporis. Præterea meminit Auguſtinus carnalis concupiſcentiæ; ait enim: *An caro intuentis in cauſa eſt? cur non & illius? An vero unius? Cur non utriuſque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus*. Carnalis autem concupiſcentia a ſtatu innocentiæ arcebatur. Immo nec locus erat *occultæ maligni ſpiritus ſuggeſtioni*, ut docet Auguſtini interpres fideliſſimus S. Thomas 2. 2. quæſt. 165. art. 2. ad 2. Denique verba ipſa, ac totus loci contextus præſentem naturæ ſtatum manifeſte præſeferunt: ut vel ſtultitiæ ſit aliter cogitare; vel impudentiæ illud obtendere. De præſenti certe naturæ ſtatu locum hunc Auguſtini intellexit Hugo Victorinus, qui ad caput 9. Epiſt. ad Roman. ita ipſum expreſſit: *De duobus quæritur æqualiter in peccato jacentibus, quibus gratia Dei æqualiter proponitur, & offertur, unde ſit, quod alter ei conſentiat, & ab altero reſpuatur? Solutio: utrique data eſt gratia, qua potuit conſentire; alterius tamen mens mota eſt, & conſentit*. Eandem S. Doctoris ſententiam repræſentant loca illa, quibus reprobos cum prædeſtinatis ita componit, ut eos quoque vocari aſſerat: *quoniam ut venirent vocati erant in libera voluntate..... Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur; ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit*. Ejus verba ſunt Libro 83. quæſtionum q. 68. n. 5. Idque nominatim de Eſau reproborum typo affirmat Lib. 1. ad Simpl. q. 2. n. 10. *Noluit*, inquit, *Eſau, & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet; qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret*. Denique in Libro de Prædeſt. Sanct. Cap. 6. n. 11. *Multi audiunt verbum veritatis; ſed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget?.... Et tamen illi quia voluerunt crediderunt; illi quia noluerunt non crediderunt*. Ex his omnibus liquido apparet, nihil eſſe omnino, quod facultati liberæ inſuperabilem afferat neceſſitatem aſſentiendi, aut diſſentiendi. Quique Auguſtinum ſecus ſentire exiſtimant, ipſum cum authoritati, & rationi, tum ſibi etiam adverſantem facere videntur.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

Idemque confirmo de S. Thoma tum ex ejus teſtimoniis ſupra recitatis, tum ex iis etiam, quæ hic pauca ſubtexo. Primum ex Quodlibet. 1. ar. 7. ad 2. ubi & libertatem a neceſſitate humanæ voluntati aſſerit, eique ita Deum motionem ſuam accomodare docet, ut reſiſtere homo poſſit. Ejus hæc verba ſunt: *Ad ſecundum dicendum, quod Deus movet omnia ſecundum modum eorum: & ideo divina motio a quibuſdam participatur cum neceſſitate; a natura autem rationali cum libertate*; (neceſſitatem opponit libertati) *propter hoc, quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita: & ideo Deus ſic movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere. Et ſic ex Deo eſt, ut homo ſe ad gratiam præparet*. Alterum ex quæſt. de potentia a. 7. ad 13. Ubi a facultate libera excludit id omne quod eam cum neceſſitate ad unum determinet his verbis: Ad 13. dicendum, *quod voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quia cauſa prima non agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis*. Item ex Sum. quæſt. 22. ar. 2. ad 4. *Dicendum quod in hoc, quod dicitur, Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo a divina providentia; ſed oſtenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum, quaſi ab altero directæ in finem, non autem ſe ipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem, ut Creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur, & eligunt: unde ſignanter dicit, in manu conſilii ſui*. Item in 2. Sent. diſt. 28. q. 1. ar. 1. in corp. *Non eſſet homo liberi arbitrii, niſi ad eum determinatio operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc, aut illud*. Et diſt. 25. q. unica ar. 1. Liberum in Deo arbitrium ex eo probari dicit, *quod determinatio ſui actus non eſt ſibi ab alio, ſed a ſe ipſo*. Iterum, cum in eodem articulo doceat, in Creaturis intelligentibus arbitrii libertatem inveniri, contra id tertio loco hæc ſibi objicit: *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut aliquis ſit dominus ſui actus. Sed cujuſcunque agentis actus ab aliquo priore agente cauſatur, ipſe agens non eſt dominus ſui actus: cum igitur cujuſcunque Creaturæ actus in priorem cauſam reducatur, quæ eſt ipſe Deus, qui omnia opera noſtra in nobis operatur, ut Iſa. 26. dicitur, videtur, quod liberum arbitrium in Creatura nulla inveniatur*. Quibus ita reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod Deus operatur in omnibus: ita tamen, quod in unoquoque ſecundum ejus conditionem: unde in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret: & ipſo operante liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur*. Solis cauſis naturalibus tribuit, ut a Deo determinentur ad actionem: de cauſis liberis illud docet; quod licet Deus ipſis & agendi virtutem tribuat, & iis agentibus ipſe etiam agat, tamen ipſas ad agendum non determinet; ſed *determinationem relinquat in poteſtate liberi arbitrii creati*. Præterea in 2. diſt. 39. q. 1. ar. 1. in corp. *Sciendum*, inquit, *quod aliquis actus eſt ab aliquo dupliciter. Uno modo tam ſecundum ſubſtantiam actus, quam ſecundum determinationem agentis ad actum; & hoc proprie in poteſtate agentis eſſe dicitur, ut eſt in voluntate. Ipſa enim potentia voluntatis, quantum in ſe, eſt indifferens ad plura: ſed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente: ſed tamen determinatio ad hunc actum, non eſt ab agente; ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum eſt. Et ideo propriiſſime actus voluntatis a voluntate eſſe dicitur*. Quod ait, determinationem ad agendum ita eſſe a voluntate, *ut non ſit ei ab alio determinante*, profecto verum non eſſet; ſi ad actionem quamlibet voluntas noſtra prædeterminaretur a Deo. Ad hæc in eadem quæſtione ar. 2. *Ratio culpæ*, inquit, *in actu deformi*

eſt

eſt ex eo , quod procedit ab eo , qui habet dominium ſui actus : hoc autem eſt in homine ſecundum illam potentiam , quæ ad plura ſe habet, neque ad aliquod eorum determinatur , niſi ex ſe ipſa , quod tantum voluntati competit . Et in primo contra Gentes Cap. 69. num. 5. *Dominium* , inquit , *quod habet voluntas ſupra ſuos actus , per quod in ejus poteſtate eſt velle , vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum* . Idem q. 3. de Potentia ar. 7. ad 13. ait : *Voluntas quidem dicitur habere dominium actus , non per excluſionem cauſæ primæ ; ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate , ut eam de neceſſitate ad unum determinet , ſicut determinat naturam ; & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis , & voluntatis* . Idem Lib. 1. Periherm. lect. 14. Docet , ut aliquid contingens , atque ita etiam ut liberum dicatur , ſatis non eſſe potentiam ad eſſe, & non eſſe , ſive ad utrumque oppoſitorum ; quia nimirum potentiam hanc habet etiam materia ſublunaris ad formas diverſas ; & habent corpora ipſa cœleſtia ad diverſa : „ Et „ tamen , *inquit* , nihil in eis evenit „ contingenter , ſed ex neceſſitate : unde dicendum eſt , quod poſſibilitas materiæ ad utrumque , ſi communiter „ loquamur , non eſt ſufficiens ratio „ contingentiæ , niſi etiam addatur ex „ parte potentiæ activæ , quod non ſit „ ita omnino determinata ad unum : „ alioqui ſi ita ſit determinata ad unum, „ quod impediri non poteſt , conſequens „ eſt , quod ex neceſſitate reducat in „ actum potentiam paſſivam eodem modo. Atqui voluntas, ſi gratia ſe ipſa efficax ſit , & connexa , cum bono opere , cujuſmodi eſſe volunt auctores ſui phyſicam præmotionem ; voluntas , inquam, hoc eſt , volendi facultas per eam ita determinatur ad unum , ut impediri non poſſit ; ſiquidem neque impedire poteſt , quo minus ea præmotio inſit , eique conjungatur actio : tunc igitur non ex contingente, ideoque nec libere , ſed ex neceſſitate in actum reducitur . Simili modo 1. 2. q. 10. ar. 4. in corp. ait : *Quia igitur voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum , ſic Deus ipſam movet , quod non ex neceſſitate ad unum determinat* . Denique in 4. diſt. 49. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 2. Cum docuiſſet , voluntatem non poſſe appetere miſeriam , objicit ſibi , voluntatem ſe habere ad oppoſita , & quod conſequens eſt , non beatitudinem modo appetere poſſe , ſed etiam miſeriam ; atque ita reſpondet : „ Dicendum , quod potentia rationalis „ ſe habet ad oppoſita in his , quæ ei „ ſubſunt , & hæc ſunt illa , quæ per „ ipſam determinantur , non autem poteſt in oppoſita illorum , quæ ſunt ei „ ab alio determinata : & ideo voluntas non poteſt in oppoſitum ejus , ad „ quod ex divina impreſſione determinatur , ſcilicet in oppoſitum ultimi finis : poteſt autem in oppoſitum eorum , quæ ipſa ſibi determinat, ſicut „ ſunt ea , quæ ordinantur ad finem , „ quorum electio ad ipſam pertinet . Quo in loco clare iterum indicat , voluntatem noſtram ita ſibi determinare ea , quæ conducunt ad ultimum finem , ut ad eadem non determinetur ab alio ; & determinationem factam ab ipſa voluntate opponit determinationi factæ ab alio : eamque ferri poſſe negat in oppoſitum ejus , ad quod ex divina impreſſione determinatur . Huc vero illud etiam pertinet , quod tradit Angelicus Doctor q. 24. de verit. ar. 1. videlicet , quod quamvis gravia, & levia moveantur ſe ipſis per aliquod principium, quod ipſis intrinſecus ineſt , expertia tamen eſſe eadem liberi arbitrii , *quia non ſunt ſibi ipſis cauſa agendi , vel movendi , ſed aſtringuntur ad agendum , vel movendum per id , quod ab altero receperunt* . Ubi verbis iis : *ſibi ipſi cauſam eſſe agendi , vel movendi* , idem intelligere videtur , ac *ſe ipſum ad agendum , vel movendum determinare* : & hanc ipſam ad agendum, vel movendum determinationem iis competere negat , *quæ ad agendum ; vel movendum adſtringuntur per id , quod ab alio receperunt* . Poſita vero phyſica præmotione , & gratia ſe ipſa intrinſecus efficaci , facultas volendi noſtra , quoties aliquid ageret , ſemper ad agendum aſtringeretur per id , quod ab alio recepiſſet , videlicet per ipſam illam gratiam , præmotionemque a Deo receptam ; ac multo magis cum ipſius facul-

cultatis actione connexam, quam cum corporum motu connexa ſit eorum gravitas, ac levitas: & quod conſequens eſt, non eſſet ſibimet ipſi cauſa agendi, ſeu non determinaret ſe ipſam ad agendum, quod proprium eſt liberæ facultatis.

XIX.

Hæc, ut facultas libera ſe ipſam determinet ad agendum, non determinetur ab alio. Nunc expreſſe ut gratia neceſſitatem non inferat, neque connexa cum opere ſit, ac voluntatis actione. Quæſt. 22. de verit. ar. 8. clariſſime docet, inclinationem, quam Deus ſuperaddit voluntati per ſuam gratiam, indifferentiam relinquere, his verbis: *Sed hæc quidem inclinatio ſuperaddita quandoque eſt perfecta, quandoque imperfecta. Quandoquidem eſt perfecta, facit neceſſariam inclinationem in id, ad quod determinat. Sicut per naturam de neceſſitate inclinatur voluntas in appetendum finem, ſicut contingit in beatis, in quibus caritas perfecta inclinat ſufficienter in bonum: non ſolum quantum ad finem ultimum, ſed quantum ad ea, quæ ſunt ad finem. Aliquando vero forma ſuperaddita non eſt uſquequaque perfecta, ſicut eſt in viatoribus: & tunc ex forma ſuperaddita voluntas inclinatur quidem, ſed non ex neceſſitate.* Ut vides, quando forma illa eſt imperfecta, ut in viatoribus, cum volendi actione connexa non eſt; ac non ſolum coactionem excludit, ſed etiam neceſſitatem, cujuſmodi eſt in beatis. Tum q. 24. ar. 1. ad 2. *Quod homo*, inquit, *non poteſt ſine gratia agere opera meritoria, nihil derogat perfectæ libertati: quia homo dicitur liberi arbitrii, ſecundum quod poteſt agere hoc, vel illud, non ſecundum quod poteſt ſic, vel ſic agere*, hoc eſt, merendo, vel demerendo. Et art. 11. ad 3. „ Dicendum quod Auguſtinus comparat amorem ponderi, quia utrumque inclinat. „ Non tamen oportet, quod ſit ſimilitudo quantum ad omnia: & ideo non „ ſequitur, quod ille, qui amat aliquid, „ nullam habeat ad contrarium inclinationem, niſi forte de amore perfectiſ„ ſimo, qualis eſt amor Sanctorum in „ patria. " Obfirmationem in malo non in eo ponit, ut poſſibile non ſit bene agere, quod facit Janſenius, ſed ut difficile. Sic nempe, ut terreſtris delectatio non neceſſitatem afferat male agendi; ſed agendi recte difficultatem. Sic in reſponſione ad 4. *Dicendum, quod ille, qui peccat ex malitia, dicitur eſſe impœnitibilis, non quod nullo modo poſſit pœnitere; ſed quia non de facili pœnitere poteſt.* Et art. 12. ad 4. *Exemplum Auguſtini de curvitate, quantum ad aliquid non eſt ſimile. Quia ſcilicet non eſt in poteſtate tibiæ, ut utatur ſua curvitate, vel non utatur: ideo oportet omnem motum tibiæ curvæ claudicationem eſſe. Liberum autem arbitrium poteſt uti, vel non uti ſua curvitate.* Et ad duodecimum: *Cupiditas dicitur cogens liberum arbitrium, propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licet cum difficultate.* Item ad tertiumdecimum ait, *poſſe liberum arbitrium agere contra habitum, licet cum difficultate.* Item docet in reſponſionibus ſecundæ quæſtionis. Ex quibus illud afferam quod ait ad ſeptimum: *Dicendum, quod aliquis exiſtens in peccato mortali, poteſt vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiæ, poteſt etiam ex naturali virtute ſingula vitare, quamvis non omnia: & ideo non ſequitur quod peccatum committendo non peccet.* Atque idem repetit in reſponſione ad octavum. Quibus omnibus illud pugnat, ut neque gratia, neque cupiditas conſentiendi neceſſitatem inſuperabilem afferat. Sic etiam 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. *Dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor, ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: & ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur.* Illud autem infra monet quæſt. 109. art. 5. ad 1. *hominem ſua voluntate facere opera meritoria vitæ æternæ; ſed ad hoc exigi, quod voluntas hominis præparetur a Deo per gratiam.* Et quæſt. 113. art. 3, in corp. „ Dicendum, quod juſtificatio impii fit

„ Deo

Digitized by Google

„ Deo movente hominem ad juſtitiam : ipſe enim eſt , qui juſtificat impium , ut dicitur Rom. 3. Deus autem movet omnia ſecundum modum uniuſcujuſque : ſicut in naturalibus videmus , quod aliter moventur ab ipſo gravia , & aliter levia , propter diverſam naturam utriuſque . Unde & hominem ad juſtitiam movet ſecundum conditionem naturæ humanæ . Homo autem ſecundum propriam naturam habet , quod ſit liberi arbitrii &c. „ Quod autem liberum arbitrium ejus ſit naturæ, & conditionis, ut illud moveat Deus non inferendo neceſſitatem , ac nihil illi præfigendo, quod ipſum ad unum determinet , diſertiſſime dicit in locis ſupra citatis , & aliis pluribus : ex quibus illud eſt , quod ſcribit quæſt. 2. ar. 4. „ Sed contra eſt, quod dicitur Eccli. 15. Deus ab initio conſtituit hominem , & reliquit eum in manu conſilii ſui : non ergo ex neceſſitate movet voluntatem ejus. *Tum ſtatim*: Reſpondeo, Dicendum , quod ſicut Dionyſ. dicit 4. cap. de div. Nom. Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere , ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundum eorum conditionem: itaque ex cauſis neceſſariis per motionem divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate : ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas eſt activum principium , non determinatum ad unum , ſed indifferenter ſe habens ad multa ; ſic Deus ipſam movet , quod non ex neceſſitate ad unum determinat ; ſed remanet motus ejus contingens , & non neceſſarius , niſi in his , ad quæ naturaliter movetur ; *quod eſt* bonum in communi „ : ut ipſe alibi ſæpe. Hæc ſunt, quæ ex SS. Auguſtino , & Thoma referre, ac bipartitæ adverſariorum oppugnationi , tanquam firmiſſimas, atque electiſſimas copias opponere viſum eſt . Sunt vero non ſolum tam multa , ſed etiam tam plana , & perſpicua , & omnino ejuſmodi , quibus quam eſt certum , Auguſtinum , & Thomam adverſari Janſenio , ac recentibus hæreticis ; tam mihi probabile videatur , eoſdem , inter omnes ſententias , quæ hac de re in Scholis catholicis feruntur , vel noſtræ uni , vel nulli magis, quam noſtræ favere.

Digitized by Google

DISPUTATIONIS

PARS TERTIA.

Reſponſio.

XX.

RESPONDEO, Scholæ noſtræ doctrinam, etiam quod ſpectat ad ſupernorum auxiliorum, & arbitrii liberi naturam, conditionemque, cum toti, quam vocant, Auctoritati ſacræ, & divinis maxime Literis, tum etiam rationi apprime congruere. Primum jam vidimus in ſecunda diſputationis parte, quæ Auctoritatis proprius eſt locus. Hic modo videndum de altero; & ad majorem eruditionem profectumque veſtrum de hoc videndum diviſim, expenſiſque ſingulis partibus. Itaque totam hanc Reſponſionem meam in plures propoſitiones, & capita tribuam: quibus quæ comprehenſa erunt, non ſine ordine exponam, & unumquodque ſtabiliam argumento peculiari aliquo, & ſuo. Quoniam vero quæ Schola noſtra docet de divinæ Gratiæ auxiliis ſcientia illa Dei, quæ Media dicitur, potiſſimum nituntur; ut hæc omnis noſtra doctrina a vobis uno conſpectu perſpici poſſit, eorum, quæ in præcedente diſputatione dicta ſunt, nonnihil hic repetere neceſſe erit. Quod tamen compendio faciam; & faciam ſcholaſtico more, ac ſtylo; non tamen, ut hæc brevius, clarius, exactius explicem, quæ tria obtineri alio etiam dicendi genere poſſent; quam quia, cum mihi ipſi tantum hæc olim ita deſcripſerim, nec adeo facile ſit, ea perpolire, ac prope refingere; hac in re immorari, ut jam ante monui, operæ pretium minime duxi. Eſto igitur,

PROPOSITIO PRIMA.

Scientia Media directa, qua Deus cognovit, quid cauſa creata libera ageret, quidve non ageret, cum tali, & tali proxima facultate, tali opportunitate, ac denique ſub tali hypotheſi,

XXI.

PRimo eſt *contingens*. Probatur. Hæc Scientia enunciat, fore ut hæc cauſa libera, ſub hac hypotheſi potius conſentiat, quam ſecus. Sed eſt contingens, cauſam hanc liberam, ſub hac hypotheſi potius conſentire, quam non conſentire: ergo hæc ſcientia eſt contingens.

Secundo eſt *infallibilis*. Probatur. Quicquid Deus revelat, eſt infallibile: ſed ex Scripturis in præcedente diſputatione citatis habemus, Deum revelaſse multa futura conditionalia, quorum alia nunquam extitere, nec exiſtent; alia extiterunt, aut exiſtent: ergo hæc ſcientia de illis futuris conditionalibus eſt infallibilis.

Probatur ſecundo. Omnis imperfectio Dei repugnat: ſed quod Deus interrogatus de aliquibus futuris conditionalibus, neſciat reſpondere; aut ſic reſpondere ſciat, ut falli poſſit, eſt imperfectio: ergo repugnat Deo, vel non eſse in eo hanc Scientiam, vel non eſse infallibilem.

Probatur tertio. Deus ex ſua eſsentia habet

habet omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem: ſed ſcire illa futura conditionalia, & ita ſcire, ut falli non poſſit, eſt talis perfectio: ergo Deus ſcit illa futura, & ita ſcit, ut falli non poſſit.

Tertio, *non pendet a decreto divino ſubjective abſoluto, & terminative conditionato*, quale a Thomiſtis adſtruitur. Probatur. Quicquid eſt neceſsarium pendere in eſsendo non poteſt ab eo, quod eſt omnino ſuperfluum, & ad nihil requiritur: ſed eſse in Deo ſcientiam futurorum conditionalium eſt neceſsarium; iſtud autem decretum eſt omnino ſuperfluum, & ad nihil prorſus requiritur: ergo quod ſit in Deo hæc ſcientia, ab hoc decreto pendere non poteſt.

Probatur ſecundo ex everſione libertatis indifferentiæ in eo, qui diſſentit. Omnis, qui caret prærequiſito eſsentiali ad faciendum aliquid, nec habet poteſtatem, præterquam remotam, acquirendi illud prærequiſitum, caret proxima libertate indifferentiæ ad tale illud faciendum: ſed qui diſſentit, decreto illo caret, ut ajunt Thomiſtæ, quod eſt eſsentiale prærequiſitum ad conſenſum; nec habet poteſtatem ullam, niſi dumtaxat remotam acquirendi illud decretum: ergo qui diſsentit, non habet libertatem indifferentiæ ad conſenſum.

Probatur tertio. Omnis qui poteſt afferre veram, & irrefutabilem excuſationem, cur non conſenſerit, non habet obligationem, aut libertatem indifferentiæ ad conſenſum, quamobrem ipſi imputari poſſit, ac culpæ tribui, quod non conſentiat: ſed qui caret eo decreto eſsentialiter requiſito ad conſenſum, & omni facultate illud acquirendi, præter remota, qualis eſt, qui diſsentit, poteſt veram, & irrefutabilem excuſationem afferre, cur non conſenſerit: ergo qui diſsentit, caret obligatione, & libertate indifferentiæ ad conſenſum; quare ſit illi hoc imputandum, & culpæ tribuendum.

Probatur quarto. Omnis, qui habet facultatem proximam determinandi, aut impediendi terminum eſsentialiter connexum cum fundamento, quod non cenſetur, ſive ſupponitur aliunde poſitum, aut impeditum; habet facultatem proximam determinandi, vel impediendi fundamentum ipſum: vel ſi non habet hanc facultatem ad fundamentum metaphyſicæ connexionis, nec habet illam ad terminum. Sed apud Thomiſtas etiam, qui diſsentit debet habere facultatem proximam determinandi, vel impediendi conſenſum, qui eſsentialiter connectitur cum iſto decreto, quod tunc eorum ſententia non ſupponitur exiſtere. Ergo qui diſsentit habet facultatem proximam determinandi, vel impediendi iſtud decretum; vel ſi non habet facultatem ad decretum, ut ſentiunt ipſi, nec habet illam ad conſenſum, qui terminus eſt connexionis hujus.

Probatur quinto idem de illo etiam, qui conſentit. Implicat in terminis, quod ſit ille proxime liber libertate indifferentiæ ad duas res, ſive extrema, qui premitur inevitabili, atque irreſiſtibili determinatione, ſeu neceſſitate antecedente ad unum; inevitabili, atque irreſiſtibili antecedente impoſſibilitate ad alterum. Sed qui conſentit, premitur inevitabili, atque irreſiſtibili determinatione ad conſenſum, itemque inevitabili, & irreſiſtibili impoſſibilitate ad diſſenſum: ergo qui conſentit, non eſt proxime liber libertate indifferentiæ ad conſenſum, & diſsenſum.

Probatur ſexto. Omnis, qui habet veram poteſtatem a priori, Deo ſubordinatam, ſive ſubjectam, faciendi, ne exiſtat terminus connexus eſsentialiter, determinate, & abſolute, cum fundamento, habet veram poteſtatem faciendi, ne exiſtat fundamentum, niſi aliunde ſupponatur ſublatum: ſed qui conſentit habet veram poteſtatem a priori, licet Deo ſubordinatam, faciendi, ne exiſtat conſenſus, iis modis connexus cum prædicto decreto, quod non habetur aliunde ſublatum. Ergo qui conſentit habet veram poteſtatem a priori, licet Deo ſubordinatam, faciendi, ne exiſtat illud decretum, ita mutuo connexum cum conſenſu: vel ſi hanc libertatem ad decretum non habet, nec ad conſenſum habet.

PROPOSITIO SECUNDA.

Nomen, & ſimplicitas hujus Scientiæ.

XXII.

PRimo, hæc Scientia jure dicitur Media. Probatur. Quicquid participat aliquid de duobus, & neutrum illorum eſt, medium inter illos dici jure poteſt. Sed hæc ſcientia participat ex neceſsaria, quod a decreto non pendeat; ex contingente autem, quod pariter ipſam non eſſe poſſibile ſit; & neutra eſt illarum: ergo inter illas jure dicitur Media.

Secundo, ejus actus ſunt infiniti. Probatur. Actus ſcientiæ mediæ determinatur ab ea facultate, ſeu libertate, quam pro hypotheſi aſſumunt: ſed hæ facultates, ſeu libertates ſunt infinitæ: ergo actus ſcientiæ mediæ ſunt infiniti.

Tertio, ejus actus non ſunt, aut dicuntur contingentes, quia ſemel exiſtentes poſſint ſubinde deficere; ſed quia potuerunt non exiſtere ab æterno, ſecundum eam triplicem viam, quam quæſt. 2. diſp. 2. oſtendimus, & ſic nunquam exiſtere. Probatur. Scientia media contingentiam participat ex ſcientia viſionis, quam habet Deus de rebus creatis: ſed hujus actus non ſunt, aut dicuntur contingentes, quia ſemel exiſtentes poſſint &c. ergo actus ſcientiæ mediæ ſimiliter.

Quarto, ejuſdem actus inter ſe aliquo modo diſtinguuntur, juxta triplicem pariter viam proxime memoratam. Probatur quia ſimiliter ut actus ſcientiæ viſionis proxime dictæ, unus poteſt eſſe ſine alio. Sexto, Hi omnes actus rediguntur ad duas ex octo illis conjunctionibus, ſeu combinationibus, quæ fieri poſſunt inter conditionem, & conditionatum, quas recenſet Joannes de Ulloa tom. 1. theol. ſcholaſt. diſput. 3. cap. 2. num. 32. Duæ autem illæ ſunt hæ: Prima, *Si exiſtat libertas A in inſtanti A, ipſa conſentiet in A, adjuta, & præventa per gratiam Dei*. Altera, *Si exiſteret libertas A in inſtanti A, ipſa non conſentiret in A; non obſtante gratia Dei vocante*. Probatur quia cæteræ combinationes vel ſunt neceſſariæ, vel impoſſibiles, vel liberæ ſoli Deo, ac proinde ad Scientiam mediam directam non pertinent.

PROPOSITIO TERTIA.

Proponitur actus Scientiæ mediæ directæ, e. g. hic: Si exiſtit libertas A, conſentit; ac duæ illius partes examinantur, Hypotheſis ſcilicet, ſive Conditio, & Conditionatum. In hac vero Propoſitione tertia aperitur Hypotheſis, quid ibi ſit, quidve non ſit; quid eſſe poſſit, aut non poſſit.

XXIII.

PRimo. Nihil connexum, aut oppoſitum metaphyſice, abſolute, determinate cum conditionato; itemque nihil connexum phyſice, connexione inſuperabili a natura, & ſine decreto divino ſubjiciendi connexionem voluntati creatæ, poteſt ingredi Hypotheſim ſcientiæ mediæ. Probatur. Nihil, quod reddit ſcientiam enunciantem veritatem neceſſariam, aut impoſſibilem, poteſt ingredi ſcientiam mediam, quippe quæ eſt veritatis prorſus contingentis. Sed ſi aliquid tribus iis modis connexum, aut oppoſitum conditionato, ingrederetur Hypotheſim ſcientiæ mediæ, enunciatio conditionati ſub illa Hypotheſi eſſet ve-

ritatis neceſſariæ, aut impoſſibilis reſpe-ctive : ergo nihil tribus iis modis connexum, aut oppoſitum conditionato, poteſt ingredi Hypotheſim objectivam Scientiæ mediæ.

Secundo. Poteſt tamen ingredi eam hypotheſim aliquid iis modis connexum, aut oppoſitum, ſi deficiat unum ſaltem ex iis tribus adverbiis, quodcunque illud ſit. Scilicet ut ſit connexum, vel oppoſitum metaphyſice, & determinate, ſed non abſolute : metaphyſice, & abſolute, ſed non determinate : abſolute, & determinate, ſed non metaphyſice; ſed vel moraliter, vel phyſice connexione ſuperabili a natura; vel phyſice connexione inſuperabili, ſed præſente divino decreto ſubjiciente eam connexionem voluntati creatæ. Probatur. Quoties conditionatum poteſt coexiſtere, & non coexiſtere alicui rei pro nutu voluntatis, illa res poteſt ingredi hypotheſim objectivam ſcientiæ mediæ, ſimul cum aliis requiſitis. Sed quoties res eſt connexa, vel oppoſita conditionato, cum his exceptionibus modo explicatis, poteſt conditionatum coexiſtere, & non coexiſtere illi, pro nutu voluntatis : ergo quoties res eſt ita connexa, vel oppoſita, uti nunc expoſui, poteſt ingredi hypotheſim objectivam ſcientiæ mediæ, ſimul cum aliis requiſitis.

Tertio. Poteſt item aliquid, tribus illis modis connexum, coexiſtere hypotheſi objectivæ ſcientiæ mediæ, ſed non aſſumi in illam hypotheſim; modo tamen iſtud vitabile ſit a libertate creata: & ſic pariter aliquid tribus illis modis oppoſitum. Probatur. Eo ipſo, quod aliquid non opponitur eſſentialiter libertati indifferentiæ, poteſt ei coexiſtere, ac proinde coexiſtere hypotheſi objectivæ ſcientiæ mediæ. Sed quamvis aliquid ſit tribus illis modis connexum, aut oppoſitum conditionato, dummodo ſit impedibile, & vitabile libertate creata, non opponitur eſſentialiter illi libertati: ergo poteſt coexiſtere hypotheſi objectivæ ſcientiæ mediæ, ſeu libertati.

Quarto. Illa particula conditionalis *Si* non habet ſenſum illativum, neque diſparatum. Probatur. Quotieſcunque hypotheſis objectiva non eſt connexa cum conditionato, neque ſe habet ad illud omnino de materiali; toties particula conditionalis *Si* neque habet ſenſum illativum, neque diſparatum. Sed hypotheſis objectiva ſcientiæ mediæ nec eſt connexa cum conditionato, neque ad illud ſe habet omnino de materiali: (cum hypotheſis ſit ipſa libertas) ergo in actu ſcientiæ mediæ particula *Si* neque habet ſenſum illativum, neque diſparatum.

Quinto. Hæc hypotheſis objectiva non eſt ſolum auxilium, aut aliquod libertatis conſtitutivum ſolum. Probatur. Omnis notitia vera ſtricte conditionalis debet aſſumere (ut differat a ſenſu diſparato) hypotheſim, qua purificata detur conditionatum : ſive hypotheſim per ſe ſufficientem, ut, ea purificata, detur conditionatum : ſive id accidat, quia hypotheſis ſit connexa, ſive quia eſt plena ſufficientia ad conditionatum. Sed ſi in hypotheſi ſcientiæ mediæ veniat ſolum auxilium indifferens, aut aliud ſolum conſtitutivum, iis datis, nec datur quicquam connexum, ex dictis; nec plena facultas ad conditionatum, quæ coaleſcit ex omnibus requiſitis : ergo in hypotheſi objectiva hujus notitiæ veræ conditionalis nequit venire auxilium ſolum, aut ſolum aliud libertatis conſtitutivum.

Sexto. Hæc hypotheſis eſt tota, & integra libertas creata, ſecundum omnia ſua conſtitutiva : ſcilicet ſecundum potentiam volitivam, ſecundum Omnipotentiam, ſecundum decretum applicativum Omnipotentiæ, ſecundum decretum determinativum individuationis, ſecundum cognitiones allicientes, & retrahentes, ad quas reducuntur omnes circumſtantiæ; item ſecundum gratiam divinam, quoties conditionatum opus eſt ſalutare. Probatur. Hypotheſis hujus ſcientiæ debet eſſe libertas, quæ ſit plena ſufficientia ad conditionatum, ex dictis : ſed plena ſufficientia ad omne hujus generis opus importat omnia iſta requiſita, ſcilicet virtutem operativam, Omnipotentiam divinam concurrentem, decretum applicativum ejuſdem; decretum præterea determinativum individuationis, cognitiones illas; itemque Gratiam, ſi opus eſt ſalutare : ergo hypo-

theſis

theſis ſcientiæ mediæ debet eſſe libertas ex iis omnibus conſtituta.

Septimo. Inter illa conſtitutiva habetur etiam neceſſario carentia decreti ſubjective abſoluti, ac terminative conditionati ſupradicti. Probatur. Decretum illud eſſentialiter opponitur libertati indifferentiæ, ex dictis; ſed quod eſſentialiter opponitur alteri, dicit eſſentialiter illius carentiam: ergo libertas indifferentiæ, quæ eſt illa hypotheſis, eſſentialiter dicit carentiam iſtius decreti.

Octavo. Ex his omnibus conſtitutivis ſcientia media enunciat abſolute ſolam Omnipotentiam: cætera autem omnia enunciat ſolum hypothetice, & ſuſpenſive; nimirum, *ſi exiſtant*. Probatur. Omnis ſcientia divina cum aſſequatur perfectiſſime cognoſcibilitatem ſui objecti, illud neceſſario exprimit, prout illud præſupponit; & non exprimit eo modo, quo illud non præſupponit. Sed ad ſcientiam mediam præſupponitur abſolute, & neceſſario exiſtens Omnipotentia; cætera conſtitutiva hujus hypotheſis non præſupponuntur, quoniam non ſunt abſolute exiſtentia, niſi in ſigno poſteriori ad hanc ſcientiam, cum ex ipſius directione ponantur, ut infra dicemus. Ergo hæc ſcientia debet exprimere abſolute exiſtentiam Omnipotentiæ, mere autem ſuſpenſive exiſtentiam aliorum; ne vel exprimat, quod non eſt pro ſuo ſigno; vel non exprimat, quod eſt.

Nono. Hæc hypotheſis, ſeu hæc libertas, quæ in hypotheſim aſſumitur, eſt illa, a qua ſola eſt determinabilis, & impedibilis hæc ſcientia. Probatur. Hanc notitiam conditionalem, quæ ſolum enunciat, quod *ſi exiſtat libertas* A, *conſentiet*, eſſe veram, adeoque in Deo determinari, ſtat formaliter immediate ex parte objecti in eo, quod *vere conſentiat ea libertas*, *ſi exiſtat*: rurſus hanc eandem notitiam non eſſe veram, adeoque impediri, ne ſit in Deo, ex parte objecti in eo formaliter conſiſtit, quod *vere non conſentiat*, *ſi exiſtat*. Sed ſola libertas A, quæ eſt hypotheſis, eſt, quæ active immediate determinat eum conſenſum, quando exiſtit; eaque ſola eſt, quæ non determinat, vel omittit, quando non conſentit; & omne aliud determinativum illius conſenſus implicat, ex dictis: ergo ea ſola libertas eſt, a qua eſt determinabilis, vel impedibilis hæc ſcientia media directa.

PROPOSITIO QUARTA.

Examinantur qualitates conditionati.

XXIV.

Primo. Hoc conditionatum non eſt conſenſus, vel omiſſio utcunque abſtracte loquendo: ſed eſt individuum illud exercitium liberum; quod procederet ab individua illa, & ſingulari libertate. Probatur. Clare cognoſcere individuam aliquam, & ſingularem entitatem, eſt cognoſcere illam ſine abſtractionibus, & præciſionibus: ſed non poteſt Deus illum conſenſum cognoſcere iſto modo imperfecto abſtractivo, & præciſivo, cum perfectiſſime comprehendat: ergo cognoſcens per hanc ſcientiam illum conſenſum, tanquam conditionatum, illum clare cognoſcit in tali individuo, a tali individua libertate, in talibus individuis circumſtantiis.

Secundo. Quoties eſt opus ſalutare, enunciatur a ſcientia, ut exititurum a libero arbitrio, non utcunque; ſed ab illo ut prævento, & confortato per gratiam Dei in Jeſu Chriſto. Probatur. Enunciatur ex dictis illud conditionatum, prout eſt in individuo, a tali individua libertate: ſed quoties eſt opus ad ſalutem pertinens, eſt ab illa individua libertate, ut conſtituta per gratiam Dei prævenientem indiſpenſabiliter: ergo quoties eſt opus ſalutare, enunciatur ut exititurum

Digitized by Google

rum a libertate, ut præventa, & confortata per gratiam Dei.

Tertio. Hoc ipſum individuum conditionatum, ſive exercitium liberum, quod licet de præſenti nihil ſit, tamen eſſet in tali hypotheſi eſt verificativum, atque ex communiori Noſtrorum explicatione, determinativum formale, immediatum, objectivum hujus ſcientiæ ſuppoſita infinita Dei perſpicacia, tanquam determinativo ſubjectivo. Probatur. Verificativum, ſive ex communiori explicatione Noſtrorum determinativum formale, immediatum, objectivum cujuſvis propoſitionis, eſt id ſolum, quod propoſitio ipſa enunciat; & quod vere erit eo modo, quo enunciatur. Sed iſta ſcientia, *ſi exiſtat libertas* A, *conſentiet*, nihil aliud enunciat, niſi conſenſum ſub illa hypotheſi, & conſenſus vere eſſet, ut ſupponimus, ſub illa hypotheſi. Ergo ille individuus conſenſus, qui licet de præſenti nihil ſit, tamen erit, vel eſſet in illa hypotheſi, eſt verificativum, ſive ex communiori Noſtrorum explicatione, ac loquendi modo, determinativum formale, immediatum, objectivum hujus ſcientiæ.

Quarto. Hoc determinativum aliquando re ipſa exiſtit, vel extitit, vel exiſtet; aliquando nunquam prorſus exiſtit. Probatur. De omni prorſus libertate activa Deus infallibiliter ſcit, quid ageret, & quid non ageret, ſi exiſteret: ſed ex his libertates aliæ aliquando ponent illud conditionatum, quod diximus eſſe determinativum, quia aliquando exiſtent; aliæ nunquam ponent illud, quia nunquam exiſtent: aliæ poſuerunt, quia extiterunt; aliæ ponent, quia exiſtent &c. Ergo hoc determinativum, ſeu conditionatum aliquando exiſtit, aliquando non exiſtit.

Quinto. Ab ea exiſtentia, vel non exiſtentia abſoluta conditionati præſcindit ſcientia media. Probatur. Scientia neceſſaria ſolum exprimit poſſibilitatem objecti, & præſcindit ab abſoluta exiſtentia; quia hæc non præſupponitur ad illam; immo e contrario. Sed etiam ſcientia media non præſupponit abſolutam exiſtentiam, aut non exiſtentiam conditionati, ut patet ex modo ipſius hypothetico; immo contrarium accidit, ut infra conſtabit. Ergo ſcientia media non exprimit exiſtentiam, aut non exiſtentiam abſolutam conditionati, ſed ab illa præſcindit.

PROPOSITIO QUINTA.

Proprietates totius actus ſcientiæ Mediæ.

XXV.

Conſiderato per partes actu, & inſpectis ibi proprietatibus, quas in ſe continet ſcientia Media directa; examinandum ſuſcipimus jam totum actum, & conſideramus in hac Propoſitione proprietates illius reſpective ad res alias: ſeu connexiones, & oppoſitiones, quas habet hæc notitia conditionalis, cum aliis notitiis, aut aliis rebus. Seu conſiderato jam actu in ſe ipſo, illum conſideramus in ordine ad alios, vel ad alia.

Primo. Nullus actus ſcientiæ mediæ directæ connectitur cum veritate propoſitionis conditionalis inverſæ. Quare nullo modo valet ſyllogiſmus inferens hanc ultimam ex illa. Videlicet: *Si exiſtit libertas A, conſentit libere: ſed non conſentit libere: ergo non exiſtit*. Inverſa enim eſt, quæ aſſumit pro hypotheſi contradictorium prioris conditionati; & pro conditionato contradictorium prioris hypotheſis. Probatur. Contradictorium conditionati in minore vel enunciatur ſub illa eadem libertate A, quæ eſt hypotheſis majoris; vel ſub alia diverſa libertate. Si primum, contradictorium conditionati connectitur metaphyſice cum illa hypotheſi; & ſic implicat in terminis arguere a contradictorio conditionati ad contradictorium hypotheſis. Si ſecundum, illa minor eſt diſparata, & ſic eſt

eſt inepta ad inferendam conſequentiam. Ergo nullo modo valet arguere, nec inferri poteſt ex conditionali illa directa quæ eſt ſcientia media, illa conditionalis inverſa: quare nec connectuntur. Probatur ſecundo. Contradictorium conditionati in minore vel enunciatur ſub illa eadem libertate A, quæ eſt hypotheſis majoris; vel ſub alia. Si primum, veritas minoris infert falſitatem majoris (nam ſi verum eſt, quod libertas exiſtens non conſentiat, falſum eſt quod, ſi libertas exiſtat, conſentiat) & ſic ceſsat ſimultanea veritas præmiſſarum, neceſſaria ad bene inferendum conſequentiam. Si ſecundum, illa minor eſt diſparata, ut ſupra Ergo ex conditionali directa, quæ eſt actus ſcientiæ mediæ, non valet inferre conditionalem inverſam, ideoque non connectuntur.

Secundo. Nullus actus ſcientiæ mediæ directæ connectitur cum ullo actu ſcientiæ mediæ reflexæ. Seu (nam de aliis actibus reflexæ certum eſt, quod cum illis non connectatur directe) hic actus e. g. *Si exiſtit libertas A conſentit*; non connectitur cum hoc, *ſi Deus prævideat libertatem non conſenſuram*, *non conferet illam*. Probatur. Tota connexio hujus directæ cum hac reflexa fundatur in eo, quod hæc veritas, *Si exiſtit libertas conſentit* connectitur cum eo, quod *ſi non conſentit*, ac proinde *ſi prævidetur inefficax*, *non conferetur a Deo*, adeoque non exiſtet: in quo ſtat illa reflexa. Sed ex dictis, hoc quod eſt *libertatem conſentire ſi exiſtat*: nullo modo connectitur cum eo, quod non exiſtat, ſi non conſentiat. Ergo nullo modo connectitur hoc quod eſt libertatem conſentire, ſi exiſtat, cum eo quod libertas non conferatur a Deo, ſi Deus prævideat non conſenſuram.

Tertio. Item e converſo ille actus reflexæ non connectitur cum illo actu directæ. Quare nullum eſt hoc argumentum: Si Deus ſcit, quod libertas exiſtens non conſentiat, non confert illam. Sed confert: ergo ſcit, quod libertas exiſtens conſentiet. Probatur. Contradictorium conditionati in minore, ſeu illa collatio libertatis, vel enunciatur ſub illa eadem libertate divina conſtituta per ſcientiam de inefficacia, quæ libertas aſſumitur in majori pro hypotheſi; vel ſub alia diverſa, ac diſparata libertate. Si ſecundum, minor eſt diſparata, & ſic inepta ad concludendum. Si primum, illa collatio libertatis connectitur metaphyſice cum libertate divina conſtituta per ſcientiam de inefficacia. Ergo implicat ex illa arguere ad contradictorium illius divinæ libertatis, ſeu ad id quod *Deus ſcit*, *quod libertas ſi exiſtit conſentiet*. Et probatur etiam ſecundo ex eo, quod veritas minoris inferat falſitatem majoris: ut ſupra.

Quarto. Neque ullus actus directæ connectitur cum ullo actu reflexæ, quatenus ipſa ſcientia media reflectat ſupra ſe, vel ſupra ſuam contradictoriam, inſtar conditionis, aut conditionati. Probatur. Ut illa directa ſic reflecteret; vel tenderet hoc modo: *Si exiſtit libertas*, *& ſcientia media de efficacia* (vel) *& non exiſtit ſcientia media de inefficacia*, *illa libertas conſentiet*. Vel hoc modo: *Si exiſtit libertas conſentiet*, *& ſic exiſtet ſcientia media de efficacia* (vel) *ſic exiſtet carentia ſcientiæ mediæ de inefficacia*. Vel hoc modo: *Si exiſtit libertas*, *exiſtit ſcientia media de efficacia* (vel) *non exiſtit ſcientia media de inefficacia*. Sed hoc tertium cum aſſumat pro conditionato actum divini intellectus, non eſt ſcientia media, quæ tantum aſſumit pro conditionato actum libertatis humanæ, quam ſcientiam defendit Societas: ſecundum, & primum ſunt veritatis neceſſariæ; cum prorſus ſit neceſſarium, quod exiſtente libertate, & ſcientia de efficacia, exiſtat conſenſus; & quod exiſtente libertate, & conſenſu, Deus illum cognoſcat per ſcientiam mediam. Ergo nullus actus directæ reflectit ſupra ſe, vel ſupra contradictorium inſtar conditionis, aut conditionati; ſed in illis propoſitionibus agnoſcit per ſcientiam mediam ſolum operationem humanam ſub hypotheſi libertatis, cætera vero per ſcientiam neceſſariam, ſicut in hac, *Si homo exiſtens hodie*, *exiſtit cras*, *non ſequentur duo contradictoria*, agnoſcit Deus per viſionem abſolutam exiſtentiam hodiernam, per neceſſariam cætera omnia.

Quinto. Omnis actus ſcientiæ mediæ dire-

Digitized by Google

directæ connectitur cum disjunctiva vagante inter defectum conditionis, & exiſtentiam conditionati ſcilicet hic actus, *ſi libertas A in A exiſtit, conſentit*, connectitur cum hac disjunctiva, *In A vel non exiſtit libertas, vel exiſtit conſenſus*. Probatur. Omne oppoſitum metaphyſice coexiſtentiæ duorum connectitur metaphyſice cum eo, quod vel unum, vel alterum deficiat. Sed illa veritas conditionalis, utpote infallibiliter vera, opponitur metaphyſice cum eo, quod *in A coexiſtant libertas, & carentia conſenſus*: ergo connectitur metaphyſice cum eo, quod *vel deficiat libertas, vel deficiat carentia conſenſus*; hoc eſt, detur conſenſus ipſe.

Sexto. Non e converſo quicquid connectitur cum disjunctiva illa, connectitur cum illa conditionali, quæ eſt actus ſcientiæ mediæ directæ. Probatur. Eo ipſo, quod aliquid connectitur *privatim* cum uno extremo hujus disjunctivæ, connectitur cum veritate totius, cum ſufficiat ad veritatem disjunctivæ veritas unius extremi; & ex alia parte non connectitur cum eo, quod ſi deficiat unum, exiſtat alterum. Sed datur aliquid, quod connectitur ita *privatim* cum uno extremo illius disjunctivæ, ſcilicet carentia libertatis, quæ connectitur cum illo extremo, *vel non exiſtit libertas*; & illa carentia libertatis non connectitur cum ea conditionali, aliter omnes libertates eſſent efficaces, nam *ſi exiſterent, conſentirent*; ergo non omne connexum cum ea disjunctiva connectitur cum ea conditionali.

Septimo. Omnis actus ſcientiæ mediæ directæ connectitur cum veritate abſolute negante coexiſtentiam conditionis, & carentiæ conditionati. Probatur. Omne oppoſitum metaphyſice cum eo, quod duo conjungantur, connectitur metaphyſice cum eo, quod non conjungantur. Sed omnis actus ſcientiæ mediæ, ne ſit falſus, opponitur metaphyſice cum eo, quod conjungantur conditio, & carentia conditionati, quod enunciatur ſub illa conditione. Ergo connectitur metaphyſice cum eo, quod non coexiſtant conditio, & carentia conditionati, adeoque cum veritate negante eam coexiſtentiam.

Octavo. Non e converſo quicquid connectitur cum illa veritate negante coexiſtentiam conditionis, & carentiæ conditionati, connectitur cum illa conditionali. Probatur. Eo ipſo, quod aliquid connectitur *privatim* cum uno extremo illius negativæ, connectitur cum tota illa negativa; ſive, eo ipſo quod aliquid ſeorſim, ſeu *privatim* connectitur cum eo, quod non detur in A libertas A, connectitur cum eo, quod *in A non coexiſtent libertas A, & carentia conſenſus*. Sed fieri poteſt, ut aliquid connectatur ita *privatim*, ac ſeorſim cum illa negativa, quin connectatur cum illa conditionali; ſicuti decretum, quo nunc tolleretur de medio Petrus, connectitur cum eo, quod non coexiſtat Petrus carentiæ Turcæ, & tamen non connectitur cum eo, quod ſi exiſtit Petrus, exiſtat etiam Turca. Ergo non omne connexum cum ea negativa connectitur cum ea conditionali.

Nono. Hæc noſtra ſcientia media directa contradictorie opponitur Præſcientiæ conditionatæ Pelagianorum, Semipelagianorum, Maſſilienſium. Probatur. Ea res opponitur contradictorie alteri, quæ eſſentialiter negat, quod eſſentialiter affirmat altera. Sed noſtra hæc Præſcientia affirmat neceſſariam ex parte hypotheſis gratiam ad opus ſalutare, quod negant Pelagiani; affirmat eam eſſentialiter neceſſariam etiam ad primum opus ſalutare, quod negant Semipelagiani; affirmat non præcedere per ſe præciſe in genere cauſæ meritoriæ, quod negant Maſſilienſes: ergo &c.

Digitized by Google

PROPOSITIO SEXTA.

VIdendum ſupereſt de uſu Scientiæ mediæ directæ ; quod per partes præſtabimus. Agemus primo de illius ſcientiæ uſu neceſſario deinde de uſu ejuſdem poſſibili; tertio de impoſſibili.

PARS PRIMA,

Uſus neceſſarius ſcientiæ mediæ directæ.

XXVI.

PRimo. Hæc ſcientia media non eſt pure ſpeculativa, ſed practica moraliter. Probatur. Quæcunque ſcientia dirigit voluntatem ad ſuas operationes ponendas, eſt moraliter practica, licet non ſit phyſice, cum non dictet modum faciendi objectum. Sed ſcientia media prælucens divinis decretis, cum notitia boni, aut mali uſus libertatis, regulat divina decreta, ut infra dicemus. Ergo eſt moraliter practica, & non pure ſpeculativa, ſeu mere contemplans objectum.

Secundo. Perficit, & conſtituit divinam libertatem non adimit illam. Probatur. Vel loquimur de libertate divina ad faciendum, quod ex ſuppoſitione libertatis indifferentiæ exiſtat inevitabiliter, & irreſiſtibiliter unum determinatum exercitium; vel de libertate divina ad conferendam, vel non conferendam libertatem illam, ſub qua prævidet illud exercitium. Si primum, illa libertas eſt chimærica: ſi ſecundum, illa ſcientia media debet prælucere, ut dicemus collationi libertatis creatæ; & ea poſita ſcientia, poteſt Deus eam libertatem conferre, vel non conferre, prout voluerit. Ergo iſta ſcientia conſtituit libertatem divinam ad collationem libertatis, non adimit illam.

Tertio. Aliquis actus hujus ſcientiæ debet prælucere omni decreto collativo libertatis. Probatur. Pro priori ad decretum collativum libertatis debet Deus ſcire, quænam operatio determinata ſequetur ex illa, ne aliquid inopinatum Deo eveniat. Sed non poteſt id præſcire per ſcientiam neceſſariam; non enim eſt neceſſarium, quod ſequatur illa determinata operatio: neque per ullum actum ſcientiæ liberæ; cum illa Præſcientia non dependeat ab ullo decreto ſubjective abſoluto &c. ut ſupra oſtendimus. Ergo per Præſcientiam contingentem, & independentem a decreto, quam vocamus mediam.

Quarto. Aliquando debet præcedere unus actus determinate, præ alio. Probatur. Ut infra dicemus, eſt poſſibile decretum ſic tendens, *Volo dare libertatem, quia eſt efficax*; & aliud tendens ſic, *Volo dare libertatem, licet ſit inefficax*. Sed primum præſupponit determinate actum ſcientiæ mediæ de efficacia: ſecundum de inefficacia. Ergo aliquando debet præcedere debet unus actus determinate præ alio.

Quinto. Hinc neceſſarium eſt, ut præcedat decreto prædeſtinativo, & reprobativo adultorum. Probatur. Prædeſtinatio, in communi Noſtrorum ſententia, conſiſtit in decreto ſic tendente: *Volo dare libertatem in ultima vitæ periodo; & quia ſub ea prævideo perſeveraturum finaliter, volo dare gloriam*. Reprobatio in decreto contrario &c. Sed iſta decreta eſſentialiter præſupponunt, Prædeſtinatio quidem ſcientiam de bono uſu, Reprobatio vero de malo uſu illius ultimæ libertatis; & hæc ſcientia eſt contingens, & independens a decreto irreſiſtibiliter, & inevitabiliter ſtatuente illum bonum, vel malum uſum: ergo hæc decreta ſcilicet Prædeſtinatio, & Reprobatio eſſentiali-

Digitized by Google

tialiter præſupponunt actum aliquem ſcientiæ mediæ reſpective.

Sexto. Hæc ſcientia ſufficit ad illa decreta concipienda. Quare non ſolum eſt neceſſaria, ſed etiam ſufficiens. Probatur. Illud ſufficit ad Prædeſtinationem, & reſpective ad Reprobationem, quo poſito poteſt Deus, ſi vult, præparare beneficium, quo certiſſime liberatur, qui liberatur. Sed poſito, quod Deus ſciat, libertatem A ex. gr. eſſe poſſibilem, & inſuper ſciat, fore ut ſi exiſtat homo ſub ea libertate finaliter ſit perſeveraturus, poteſt Deus tribuendo illam præparare tale beneficium: ergo præter ſcientiam neceſſariam (quæ requiritur ad omnia) ſufficit ſcientia media ad Prædeſtinationem, & proportionaliter ad Reprobationem.

Septimo. Salvat independentiam Prædeſtinationis a meritis. Probatur. Prædeſtinatio proprie, & rigoroſe cum ſit præparatio medii, poſita eſt in collatione illius libertatis, ſub qua prævidetur homo finaliter perſeveraturus. Sed illud decretum collativum libertatis eſt independens a meritis, nam nihil aliud præſupponit, niſi ſcientiam mediam de meritis, & merita prævisa per ſcientiam mediam, ſicuti prævisa per ſcientiam neceſſariam, non ſunt abſolute merita: ergo ſalvat hæc ſcientia media quomodo initium Prædeſtinationis, & Prædeſtinatio ipſa ſit independens a meritis.

Octavo. Salvat infallibilitatem divini propoſiti in prædeſtinando, & reprobando. Probatur. Complexum ex veritate conditionali, & purificatione conditionis infallibiliter connectitur cum perſeverantia finali, quæ prævidebatur ſub illa conditione. Sed decretum prædeſtinativum infallibiliter connectitur cum complexo ex ſcientia media, quam eſſentialiter ſupponit, & ex purificatione conditionis, nam eſt collativum illius libertatis: ergo infallibiliter connectitur cum perſeverantia finali.

Nono. Salvat libertatem indifferentiæ. Probatur. Quoties aliquid ita metaphyſice connectitur cum conſenſu, ut ſit vitabile a libertate creata; toties cum eo ſubſiſtit libertas indifferentiæ. Sed ratione ſcientiæ mediæ, quæ ex dictis eſt vitabilis a libertate creata, illud complexum nuper dictum eſt vitabile a libertate creata. Ergo ratione ſcientiæ mediæ ſubſiſtit libertas creata cum illo complexo, quod importatur a Prædeſtinatione.

PARS SECUNDA

Uſus poſſibilis ſcientiæ mediæ. Seu, de poſſibilitate aliquorum decretorum dirigendorum per ſcientiam mediam.

XXVII.

Primo. Poſſibile eſt aliquod decretum collativum prædeſtinationis vagæ ad aliquam ſpeciem converſionis, relinquens libertatem ad merendum, non quoad converſionem in genere, ſed quoad talem ſpeciem converſionis. Probatur. Quoties nulla videtur aſſignabilis contradictio in prædicatis alicujus rei bene perſpectis, ſtandum eſt pro poſſibilitate ipſius. Sed nulla eſt aſſignabilis contradictio in prædicto decreto, neque ex parte Dei, cui ſic tribuimus potentiam convertendi neceſſario Creaturam, cum hujus merito: neque ex parte libertatis ad merendum, nam nulla connexio metaphyſica, ſed disjunctiva, cum aliqua operatione libera, tollit libertatem indifferentiæ ad illam; ut patet in ipſa libertate, quæ eſt metaphyſice, ſed disjunctive connexa cum aliqua operatione libera. Ergo ſtandum eſt pro poſſibilitate hujus decreti.

Secundo. Sed tali decreto prælucere debet ſcientia media. Probatur. Ex una parte poſita illa prædeterminatione non dabitur converſio in genere, ſed aliqua ſpecificativa, & individualis. Et ex alia parte, ne aliquid inopinatum Deo adveniat, & ne cœco modo conferat illam prædeterminationem, aut ſaltem non ſuper comprehenſivo modo, & non ex pleniſſima eorum omnium, quæ quomodocunque illuc pertinent, notitia, ſicut Deo dignum eſt, debet Deus præſcire illam ſpecificam converſionem ſecuturam. Sed non poteſt illa præſcientia eſſe neceſsaria, cum ſit contingens ſub ea prædeterminatione hæc potius ſpecifica converſio, quam alia; neque poteſt eſse dependens a decreto, quo Deus irreſiſtibiliter, & antecedenter velit illam potius converſionem, quam aliam; ne lædatur libertas ad illam potius, quam aliam. Ergo illa præſcientia, quæ prælucere debet, eſt ſcientia media.

Tertio. Poſſibile eſt decretum Prædefinitivum actus liberi dependens a ſcientia media ſine læſione libertatis. Probatur. Omne connexum, ſed evitabile, eſt poſſibile ſine læſione libertatis indifferentiæ. Sed illa Prædefinitio, licet connexa, tamen non eſt inevitabilis, quia nec eſt eſsentialiter prærequiſita, cum conſenſus liber non habeat ex ſua eſsentia, ut immediate prædefiniatur, quod eſt certum; & præſupponit eſsentialiter ſcientiam mediam vitabilem a libertate, ut ponitur: ergo poſſibilis eſt ſine læſione libertatis.

Quarto. Poſſibile eſt decretum conferens libertatem, cum his reflexionibus, *quia eſt efficax*; *licet ſit inefficax*: maxime ſi illud decretum non ſit unica cauſa libertatis in genere decreti; ſed ipſo non poſito, poneretur a Deo aliud decretum collativum libertatis, ſive indifferens, ſive connexum cum ſcientia oppoſita. Probatur. Poſſibile eſt ſine læſione libertatis omne decretum connexum cum uno exercitio, ſed vitabile ab ipſa libertate. Sed licet tale decretum ſit connexum cum uno tantum exercitio, ut patet; tamen eſt vitabile, quia eſſentialiter naſcitur a libertate divina conſtituta per ſcientiam mediam de illo exercitio, quæ eſt vitabilis ut ſæpe dictum eſt; & libertas impediendo hoc decretum, non impediret ſe ipſam (in quo ſpecialis difficultas) nam non eſt unica omnino cauſa, ut ſupponimus. Ergo poſſibile eſt hoc decretum conferens libertatem cum illis tendentiis reflexis.

Quinto. Poſſibile eſt decretum prædefinitivum Gloriæ ut coronæ, non ſupponens abſolutam viſionem meritorum, ſed ſolum ſcientiam conditionatam; modo illud ita tendat, ut per tendentiam logice priorem purificet conditionem, ſub qua prævidentur merita. Probatur. Eo ipſo, quod decretum collativum Gloriæ intrinſece cauſaliter tendat in merita, tanquam in medium, verificatur, quod Gloria decernitur propter merita, & ut corona. Sed poſſibile eſt decretum collativum Gloriæ ſic tendens: *Volo tibi tribuere libertatem A, & quia ſub ea finaliter perſeverabis* (quod agnoſcit per ſcientiam mediam) *volo tibi retribuere Gloriam*. Deinde hoc decretum poteſt eſſe etiam virtualiter indiviſibile, & tendens intrinſece cauſaliter in merita, ut patet, non ſupponit abſolutam viſionem meritorum, ſed conditionatam. Ergo eſt poſſibile decretum prædefinitivum Gloriæ, ut coronæ, non ſupponens abſolutam viſionem meritorum.

PARS

PARS TERTIA
SEXTÆ PROPOSITIONIS.

Uſus impoſſibilis ſcientiæ mediæ : Seu , de impoſſibilitate plurium decretorum , licet dirigantur per ſcientiam mediam.

XXVIII.

PRimo . Impoſſibile eſt decretum collativum præmii ſolum præſupponens ſcientiam mediam de meritis , præſcindendo ab omni alio in genere cauſæ meritoriæ . Seu , quod idem eſt : implicat, quod ſcientia media per ſe præciſe ſufficiat in genere cauſæ meritoriæ ad decretum collativum præmii . Probatur . Nihil compoſſibile cum eo , quod nullum detur meritum , immo dentur gravia ſcelera , ſufficit per ſe præciſe ad decernendum præmium propter meritum. Sed ſcientia conditionata eſt compoſſibilis cum eo , quod nullum detur in actu ſecundo meritum , immo gravia dentur ſcelera , per illam eandem perſonam , ut conſtat ex Diabolis &c. de quibus habet Deus infallibilem ſcientiam de eo , quod ſub multis libertatibus ſanctiſſime operarentur . Ergo implicat , quod ſcientia conditionata per ſe præciſe ſufficiat ad decernendum abſolute præmium ; ſed ſolum, ut dicebamus, ad decernendum illud decreto purificante conditionem, ſub qua prævidebantur merita.

Secundo. Impoſſibile eſt decretum tendens cum illis reflexionibus in conferenda libertate , *quia eſt efficax &c.* licet præſupponat ſcientiam mediam : modo tamen illud decretum ſit unica cauſa libertatis , neque aliud decretum a Deo ſubſtitueretur , ſi hoc decretum deficeret . Probatur . Omne decretum connexum cum libertate, & cum uno exercitio libertatis , & ſimul inevitabile a libertate implicat in terminis ; quia eſſet connexum cum libertate, & ſimul illam deſtrueret. Sed hujuſmodi decretum eſſet connexum cum libertate , utpote collativum illius , eſſet connexum cum uno exercitio , ut patet ; deinde licet ſupponat ſcientiam mediam eſt inevitabile a libertate ; hæc enim ſi impediret illud decretum, impediret unicam cauſam ſui, adeoque ſe ipſam ; & hoc implicat , quia ipſa deberet impedire decretum ponendo actionem contrariam , adeoque deberet exiſtere in eo inſtanti, & ſimul non deberet exiſtere , quia ſe deſtrueret in illo eodem inſtanti impediendo decretum . Ergo hujuſmodi decretum implicat in terminis . Notandum eſt , hanc minorem a multis in Societate negari ; & fortaſſe probabilius : ſed tamen hic poſita eſt , quia videtur id communius noſtris concedi , & ab eo præſertim , cujus hic veſtigiis inſiſto.

Tertio . Impoſſibile eſt decretum prædefiniens efficaciter noſtram operationem, præſcindens a medio indifferente , & neceſſitante ; ita ut in ſigno poſteriori eligat Deus media , quæ proponet ſcientia conditionata, potius quam media neceſſitantia. Probatur. Omne decretum conjungibile cum libertate indifferentiæ, & connexum cum una operatione, & ſimul inevitabile a libertate implicat in terminis, utpote conjungibile cum libertate , quam deſtruit. Sed hujuſmodi decretum, per ſuos defenſores eſt conjungibile cum libertate ; nam in ſigno poſteriori conjungitur cum decreto collativo illius; eſt præterea connexum cum una operatione, ut illud ponitur ; & eſt inevitabile a libertate creata , quæ eatenus poteſt impedire aliquod exercitium divinæ voluntatis, quatenus poteſt impedire aliquod conſtitutivum divinæ libertatis ad illud ; & in noſtro caſu libertas divina ad hoc decretum non conſtituitur per ſcientiam mediam , quæ ſola fuiſſet impedibilis a creatura . Ergo hujuſmodi decretum implicat .

Probatur ſecundo, & fortaſſe validius, non ex capite creatæ libertatis , ſed ex capite divinæ excellentiæ , & perfectionis

Digitized by Google

nis ſummæ in decernendo, & providendo. Implicat enim, ut ſupra dicebam, Deum decernere aliquid non ſupercomprehenſivo modo, ſeu non ex pleniſſima, & perfectiſſima notitia eorum omnium, quæ aliquo modo pertinent ad id, quod decernitur, & habent aliquam relationem cum illo. Sed ea quæ in ſigno poſteriori prævidérentur per ſcientiam mediam, aliquo modo pertinent ad id, quod in priori decernitur, & aliquam relationem habent cum illo. Ergo implicat in priori ad ſcientiam mediam illam operationem prædefiniri, & decerni.

Quarto. Impoſſibile eſt decretum ſic tendens: *Nolo conferre auxilium, quod prævideam inefficax. Nolo habere decretum collativum libertatis, ſi prævidero inefficacem*. Probatur. Ideo repugnat decretum ſic tendens: *Nolo conferre auxilium, quod prævideam impoſſibile. Nolo habere decretum collativum libertatis, ſi prævidero impoſſibilem*; quia ambo ex ſuo modo tendendi ſupponunt ſe præcedere ſcientiæ poſſibilitatis, cum aliunde hæc ſcientia debeat præcedere omni decreto ſive directo, ſive reflexo, ne aliquid inopinatum Deo contingat, & ne cæco modo, aut non ex pleniſſima, & perfectiſſima notitia decernat. Sed etiam iſtud decretum ſupponit, ſe antevertere ſcientiam de bono, vel malo uſu illius libertatis, cujus eſt collativum, ſive reflexe, ſive directe; cum aliunde, præſertim ex proxime dictis iſta ſcientia debeat præcedere omni decreto tendenti in libertatem conferendam. Ergo etiam repugnat iſtud decretum.

Quinto. Impoſſibile eſt decretum collativum auxilii, quod per ſcientiam mediam prævidetur efficax, cum ſcientia media reflexa de eo, quod ſi Deus non videret libertatem libere abſtenturam a peccato; prædeterminaret illam ne peccaret; etiam ablata libertate. Probatur. Illa prædeterminatio involveret duo contradictoria; nam eſſet antecedens, & inevitabilis, ut ponitur, & non eſſet antecedens, quia eſſet conſequens ad ſcientiam, qua Deus prævideret libertatem inefficacem, quæ ſcientia eſt libera illi libertate ex dictis. Sed impoſſibile eſt decretum, per quod Deus vellet ponere duo contradictoria, ſi prævideret libertatem inefficacem. Ergo impoſſibile eſt hoc decretum, per quod Deus vellet ponere eam prædeterminationem, ſi videret libertatem inefficacem.

Sexto. Impoſſibile eſt decretum collativum prædeterminationis, ſeu præmotionis phyſicæ dependenter a ſcientia media. Probatur. Illa Prædeterminatio eſſet, & non eſſet antecedens: eſſet ex prædicatis connexionis, & inevitabilitatis ſeu dependentiæ a decreto ſubjectivo abſoluto, ac terminative conditionato. quæ ipſi tribuuntur; non eſſet quia dependeret a ſcientia media, ut ponitur. Sed hoc implicat: ergo implicat illa prædeterminatio, & conſequenter decretum collativum illius.

Octavo. Impoſſibile eſt decretum prædefinitivum actus liberi independenter a ſcientia media. Probatur. Omne connexum ſimul, & inevitabile, & ſimul conjungibile cum libertate implicat, quia eſt deſtructivum libertatis, cum qua conjungibile ponitur. Sed iſtud decretum eſt connexum, & ponitur conjungibile tum libertate, & eſt inevitabile ab illa libertate, quippe quæ nullum divinum decretum impedire poteſt, niſi impediendo libertatem ad illud, quod hic non poteſt facere, propter indipendentiam decreti a ſcientia media, quæ ſola in eo ſigno impedibilis eſt a libertate creata: ergo tale decretum implicat. Melius vero excluditur, quia hic modus decernendi eſt Deo indignus ex dictis.

Nono. Impoſſibile eſt decretum irreſiſtibiliter, & inevitabiliter prædeterminans operationem liberam ſalutarem, per libertatem ad peccandum; ſive illa prædeterminatio ſit ad converſionem determinatam, ſive ad aliquam vage. Probatur. Repugnat ex terminis, quod Deus aliquid velit efficaciter, ex ſuppoſitione quod nolit illud idem efficaciter. Sed hypotheſis conſervandi libertatem indifferentiæ ad peccandum, eſt hypotheſis, quod Deus nolit efficaciter, irreſiſtibiliter, & inevitabiliter impellere ad converſionem, utcunque acceptam, potius quam ad peccatum: ergo repugnat decretum, quo Deus irreſiſtibiliter, & inevitabiliter impellat ad converſionem,

nem, ſive in genere, ſive in ſpecie, ex hypotheſi, quam velit conſervare libertatem ad peccandum.

Hinc collige, quod ſi poſſibilis ſit creatura, quæ prævideatur omnibus auxiliis diſſenſura, poſſibilem eſſe creaturam, quam Deus non poſſit convertere, & prædeſtinare per merita oriunda ex libertate ad peccandum; poſſit autem per merita oriunda ex alio genere libertatis.

His expoſitis, veniamus ad id quod in præſenti agitur, hoc eſt, ad conciliandam efficaciam Gratiæ cum libero arbitrio: quod quamvis ex dictis ſatis eluceat, eſt tamen paulo expreſſius tradendum, ac firmandum Propoſitionibus tribus, quas ſingulatim aliquanto quidem furius, ſed tamen breviſſime probabo.

PROPOSITIO PRIMA.

XXIX.

Efficacia gratiæ ſumpta pro virtute ſuperna effectrice operis ſalutaris, eſt adæquate intrinſeca ipſi gratiæ: & hoc ſenſu, ſive intellectu, Gratia efficax eſt per ſe, & ab intrinſeco efficax. Si vero res aliter accipiatur, ſic habendum eſt. Efficacia formalis Gratiæ prævenientis tantummodo eſt ex parte actus ſecundi; & non poteſt eſſe ex parte actus primi proximi, aut remoti. Probatur facile, ſeu potius exponitur. Efficacia formalis gratiæ prævenientis, apud nos nihil eſt aliud, niſi ſalutaris voluntatis aſſenſus poſitus ſub illa Gratia: ſive, eſt conjunctio Gratiæ prævenientis cum ſalutari voluntatis aſſenſu: ſive, eſt ipſa efficientia, & productio ſalutaris ipſius aſſenſus per gratiam prævenientem. Etenim omne aliud, in quo efficaciam gratiæ poſueris, non aliunde merebitur nomen efficaciæ, niſi propter connexionem cum illo actu, ſive conſenſu poſito ſub dicta gratia. Ergo tandem ipſa formalis, & immediata ratio efficaciæ non poteſt eſſe alia, niſi ſalutaris ille conſenſus per gratiam elicitus: ergo hanc jure appellamus efficaciam formalem Gratiæ.

Sed ſalutaris ille aſſenſus per gratiam elicitus, ſeu gratiæ conjunctio cum illo non poteſt eſſe ex parte actus primi proximi, neque ex parte actus primi remoti, ut eſt evidens; ſed tantum ex parte actus ſecundi. Ergo efficacia formalis Gratiæ prævenientis eſt tantum ex parte actus ſecundi, & non ex parte actus primi, ſive proximi, ſive remoti.

Probatur idem paulo aliter. Si formalis efficacitas Gratiæ eſſet aliquid intrinſece conſtituens actum primum proximum ad conſenſum; tale quid vel eſſet ipſe bonus conſenſus, vel aliquid eſſentialiter connexum cum conſenſu, ut patet; cum efficacia gratiæ conſiſtere nequeat ſine bono conſenſu: ſed neutrum dici poteſt. Probatur; quia bonus conſenſus non poteſt certe conſtituere actum primum proximum ad ſe ipſum. Sed neque eſt aliud eſſentialiter connexum cum conſenſu. Probatur, quia tale quid vel eſſet vitabile a voluntate, vel non eſset vitabile. Si dicitur non eſse vitabile, jam contra illud ſunt argumenta, quæ phyſicam præmotionem impugnant, ut eſt manifeſtum. Si dicitur eſse vitabile; contra eſt: vel tale quid connexum cum conſenſu, & conſtituens actum primum proximum ad conſenſum, & a voluntate vitabile, eſset conſtitutivum neceſsarium actus primi proximi ad conſenſum, vel non neceſsarium; ſed, ut ajunt, ſuperabundans? Si dicitur eſse neceſsarium, affert ſecum implicantiam in terminis, nempe quod poſſit vitari ab eo, quod ex ſua eſsentia petit præſentiam illius. Nam ſi tale quid neceſsario conſtituit actum primum proximum ad conſenſum liberum, conſtituit etiam neceſsario actum primum proximum ad omiſſionem liberam talis conſenſus; adeoque & conſenſus, & omiſſio libera ejuſdem eſsentialiter petunt præexiſtentiam talis connexi cum conſenſu, ex parte nimirum actus primi proximi. Ergo ſive fingatur homo evitare illud connexum per electionem conſenſus, ſive per liberam omiſſionem, intelligitur eſse pro eodem inſtanti evitatio, ſeu carentia illius connexi, & ſimul conſenſus, aut libera omiſſio conſenſus; quæ eſsentialiter petunt excluſionem talis carentiæ, nempe exiſtentiam, & præſentiam talis connexi. Si vero dicatur, tale connexum cum conſenſu non ne-

neceſſario conſtituere actum primum proximum ad conſenſum, ſed eſſe quid ſuperabundans, & ſuperveniens toti actui primo proximo ſufficiente de ſe ad ponendum bonum conſenſum; & hoc ſpectat ad alteram quæſtionem de principii ſuperabundantibus, quæ diſceptatur inter Societatis theologos, & ad rem præſentem non facit: ſiquidem agimus hic de efficacia gratiæ, non ſuperabundantis, ut ſic loquar, ſed quæ neceſſario intervenit, quando ponitur bonus conſenſus.

PROPOSITIO SECUNDA.

XXX.

Efficacia Gratiæ non formalis, ſed fundamentalis, ſic enim illam appellant; ſeu fundamentum eſſentialiter connexum cum efficacia formali poteſt eſſe ex parte actus primi remoti, & quidem multiplex. Probatur. Omne eſſentialiter connexum cum efficacia formali gratiæ, ſeu cum ſalutari conſenſu, idemque ſe habens ex parte actus primi remoti reſpectu conſenſus, eſt efficacia fundamentalis gratiæ ſe habens ex parte actus primi remoti ad conſenſum. Sed plura ſunt, quæ poſſunt eſſe hujuſmodi, ut ſcilicet habeant prædicata ea duo, nempe eſſentialis connexionis & ſigni remoti ad conſenſum. Ergo efficacia gratiæ fundamentalis ex parte actus primi remoti poteſt eſſe multiplex.

Major eſt expoſitio terminorum, quos ad majorem perſpicuitatem adhibemus. Video quidem alios Societatis theologos vocare hujuſmodi connexa efficaciam gratiæ in actu primo. Sed cum non diſtinguant inter efficaciam gratiæ formalem, & fundamentalem, inter actum primum proximum, & remotum; minus bene videntur exprimere, quod ſibi proponunt. Inter omnes enim Societatis theologos convenit hoc, ut actus primus proximus noſtræ libertatis neceſſarius ad conſenſum neque conſtituatur per conſenſum, neque per aliquid eſſentialiter cum illo connexum.

Probo minorem. Exiſtat nunc libertas Petri A, & ſub gratia ſuperna edat bonum aſſenſum. Profecto Deus ab æterno cognovit hanc veritatem, fore ſcilicet, ut ſi exiſteret ea libertas, cum ſupernaturali gratia, ederet bonum aſſenſum: & ab æterno fuit in Deo talis cognitio, ſeu ſcientia media de tali veritate. Modo ſic argumentor: Complexum ex decreto conferendi Petro hanc libertatem, & ex ſcientia media de congruitate, ſeu efficacia hujus libertatis; item complexum ex eodem decreto, & objectiva libertate repræſentata per eandem ſcientiam; item complexum ex prædicto decreto, & aliis duobus prædictis eſt eſſentialiter connexum cum bono conſenſu, ſeu cum exiſtentia abſoluta boni conſenſus ſub libertate A. Omnis enim veritas conditionalis, ſive intentionalis, ſive objectiva, ſimul ſumpta cum purificatione conditionis, aut etiam cum aliquo, quod ſit eſſentialiter connexum cum purificatione conditionis, eſt quid eſſentialiter connexum cum conditionato; ut patet ex terminis. Sed triplex illud complexum includit veritatem conditionalem, vel intentionalem, ſive formalem in ſcientia media, vel objectivam, ſive realem in ejus ſcientiæ objecto; & ſimul includit fundamentum metaphyſicæ connexionis cum purificatione conditionis, ſeu cum exiſtentia libertatis A, nempe divinum decretum efficax de exiſtentia libertatis A. Ergo triplex illud complexum eſt eſſentialiter connexum cum conditionato, ſeu cum ſalutari illo conſenſu abſolute exiſtente: ergo habet primum prædicatum metaphyſicæ connexionis cum conſenſu.

Sed etiam habet alterum prædicatum ſigni remoti. Probatur. Omne quod ſive immediate, ſive mediate eſt in priori ad actum primum proximum boni conſenſus, vel ad aliquod conſtitutivum ejuſdem actus primi proximi, recte dicitur ſe tenere ex parte actus primi remoti reſpectu conſenſus; hæc enim eſt congrua, & communis explicatio horum terminorum. Sed triplex illud complexum vel mediate, vel immediate; ſaltem per unum ſui conſtitutivum eſt in priori ad actum primum proximum ad conſenſum: ergo illud triplex complexum, ſaltem per unum ſui conſtitutivum ſe tenet ex parte actus primi remoti reſpectu conſenſus. Si enim conſideramus illud triplex

plex complexum, facile intelligimus alterum conſtitutivum, quod eſt decretum, eſſe immediate in priori ad libertatem creatam, ſeu ad ejus plura conſtitutiva, nempe ad exiſtentiam voluntatis, cognitionis indifferentis, ſeu gratiæ ſupernæ &c. Hæc dicimus hic de decreto per ſe indifferenti, & non eſſentialiter connexo cum conſenſu; ſed ſolum inclinante voluntatem ad conſenſum per gratiam ſanctæ illuminationis, & inſpirationis. Alterum conſtitutivum prædicti complexi, nempe ſcientia media de congruitate, ſeu efficacia libertatis, ſive ſe habeat in priori ad prædictum decretum, ſive non ita ſe habeat, quod hic ſtatuere vel ex ſuperioribus repetere neceſſarium non eſt; non ſolum antecedit tota æternitate conſenſum, ſed etiam eſt in priori ad illum ea prioritate, quæ dicitur, in ſubſiſtendi conſequentia, quatenus ex abſoluta exiſtentia conſenſus infertur ea ſcientia; ex illa vero ſcientia non infertur abſoluta exiſtentia conſenſus. Præterea ſi comparetur cum decreto ſupradicto, ſi non eſt illo prior, certe nec eſt poſterior: ex hujuſmodi prioritate partim poſitiva, partim negativa adeſt fundamentum ſufficiens, ut dicamus prædictam etiam ſcientiam mediam ſe tenere ex parte actus primi remoti reſpectu conſenſus. Similiter dicimus de tertio conſtitutivo, quod eſt objectiva veritas prædictæ ſcientiæ, quæ veritas aliquo modo eſt in priori ad eandem ſcientiam; illam videlicet objectivam veritatem ob eoſdem titulos ſe tenere ex parte actus primi remoti ad conſenſum. Ergo triplex illud complexum non ſolum eſt eſſentialiter connexum cum exiſtentia abſoluta conſenſus, ſed etiam ſecundum omnia conſtitutiva ſui ſe tenet ex parte actus primi remoti ad illam: ergo ex parte actus primi remoti ad bonum ſalutaremque conſenſum efficacia fundamentalis gratiæ poteſt eſſe multiplex.

PROPOSITIO TERTIA.

XXXI.

Divina Prædefinitio, ſeu volitio efficax actus boni, ex directione ſcientiæ mediæ, poteſt eſse ex parte actus primi remoti efficacia fundamentalis gratiæ prævenientis: & talis re vera eſt in præſenti providentia: non tamen eſt metaphyſice neceſsaria ad bonum conſenſum. Probantur hæc; & primo quidem, quoad ultimam partem, qua negatur metaphyſica neceſſitas divinæ prædefinitionis de bono conſenſu. Hujuſmodi neceſſitas non relucet ex parte Dei, nec ex parte creatæ libertatis, nec ex parte ipſius boni conſenſus, nec ex ullo alio capite excogitabili. Antecedens exponitur. Si conſideretur creata libertas; ut hæc poſſit libere producere conſenſum, ſatis habet, ſi ſit virtus adæquata, & adæquata ſufficientia ad illum ponendum, & habeat omnia prærequiſita ad illum, & careat omnibus impedimentis ad eundem producendum. Sed hoc totum etiam per adverſarios habetur in libertate creata, etiam ſecluſa prædefinitione; ut contingit, quando libere a voluntate producitur malus diſſenſus: tunc enim in actu primo proximo præceſſit virtus adæquata proxima, & expedita ad bonum conſenſum, & tamen non præceſſit ullo modo prædefinitio divina de bono conſenſu. Ergo ex parte libertatis, ſive ut habeatur proxima libertas ad bonum conſenſum non prærequiritur hujuſmodi prædefinitio.

Simile argumentum probat, eam prædefinitionem non requiri ex parte actus, ſive boni conſenſus. Quoties enim datur proxima potentia, & libertas ad conſenſum, intelligitur bonus conſenſus eſse proxime producibilis a tali libertate: ſed pro inſtanti A, v. g. quando voluntas libere diſsentit, datur proxima libertas ad bonum conſenſum, quin detur prædefinitio conſenſus: ergo pro eodem inſtanti A intelligitur proxime producibilis bonus conſenſus, quin detur prædefinitio ejuſdem: ergo non requiritur

prædefinitio ex parte actus boni, ita ut hic non poſſit exiſtere ſine illa.

Sed neque ex parte Dei, aut divinæ providentiæ evincitur illa neceſſitas. Probatur hoc. Si dicta prædefinitio eſset neceſsaria ex parte Dei, talis eſset, vel quia eſset neceſsaria ad inducendam exiſtentiam actus boni, vel quia bonitas, & amabilitas talis actus tanta eſſet, ut neceſsario raperet divinum affectum efficacem, & infruſtrabilem; vel quia Deus debet eſse principalis auctor actus boni, & benevolus donator illius, & hoc haberi non poteſt ſine voluntate efficaci Dei erga illum. Sed nihil horum convincit adverſarii intentum: ergo neque ex parte Dei relucet neceſſitas prædefinitionis erga bonum conſenſum. Major continet rationes adverſariorum.

Minor probatur. Non omne quod exiſtit indiget voluntate Dei efficaci erga talem exiſtentiam; ut patet in exiſtentia peccati: ergo merus exiſtentiæ titulus non ſufficit ad arguendam prædefinitionem boni conſenſus, ut exiſtentis. Et ratio eſt; quia adeſt alia cauſa potens determinare utriuſque exiſtentiam, quin Deus velit illam efficaciter. Pretium vero, & amabilitas ſupernaturalis conſenſus magna quidem eſt, ſed non tanta, ut ſi conſenſus ſit exciturus, debeat metaphyſica neceſſitate rapere divinum affectum efficacem. Ut enim ſcriptum eſt Sap. XI. 23. *Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram*; ita hæc creaturarum opera, quæ intra terrarum orbem continentur. Omnia enim bona creaturarum, comparata cum Deo evaneſcunt, & nihil ſunt.

Præterea licet actus bonus ſit meritorius, non tamen juxta communem ſententiam, adeſt metaphyſica neceſſitas, ut Deus illi exiſtenti velit efficaciter præmium rependere. Et licet in ſtatu poſſibilitatis exhibeat objective Deo totum ſuum pretium, & bonitatem poſſibilem, quam haberet a parte rei, ſi poneretur in rebus; non tamen oritur in Deo neceſſitas ad volendum efficaciter ejus exiſtentiam. Ergo pariter licet bonus conſenſus ſit exciturus ea determinatione creatæ voluntatis, non proinde neceſſe eſt, ut Deus efficaci prædefinitione velit ejuſdem exiſtentiam inducere.

Denique etiam ſine prædefinitione bonus conſenſus eſſet donum Dei, ac beneficium, & Deus eſſet ejus auctor principalis. Probatur. Quia adhuc ſuperſunt quinque illi tituli, quos in præcedente diſputatione deſcripſimus ex parte Dei; nempe ut ſit auctor naturæ, & prærequiſitorum naturalium; ut ſit auctor ſupernaturalis elevationis, & ſupernaturalium donorum, quibus creatura ſit potens ſalutariter operari; ut ſincero affectu, licet non efficaci velit bonum conſenſum hortando, & provocando creaturam ad illum, & deterrendo ab oppoſito; atque etiam eam licet reſiſtibiliter, prædeterminando, ſeu præmovendo ad conſentiendum ut hæc ipſa faciat cum prævisione boni eventus futuri ſub tali libertate, cum cæteroqui poſſet conferre aliam libertatem non congruam; ut denique immediate Deus concurrat Omnipotentia ſua, atque etiam principio intrinſeco ſupernaturali gratiæ prævenientis ad ipſam determinationem, & cooperationem creaturæ. Vides inter hos titulos non eſſe prædefinitionem efficacem, quæ ſi eſſet, conſtitueret certe novum titulum beneficii magis ſpecialis; ſed ejus carentia non tollit rationem doni, ac beneficii a bono conſenſu, nec a Deo rationem principalis agentis erga bonum conſenſum. Ergo ex prædictis capitibus non eſt admittenda neceſſitas prædefinitionis. Nullam præterea eſſe aliam rationem, unuſquiſque videre per ſe facile poterit; & ſi objiciatur, poterit ex dictis facile ſolvere.

Probatur altera pars hujus tertiæ propoſitionis; nempe dictam prædefinitionem eſſe poſſibilem. Prædefinitio prædicta certe non repugnat eo, quod ſit volitio Dei efficax alicujus rei ad extra; neque quod ſit volitio efficax actus boni: ac proinde tota ratio eorum auctorum, qui negant eam eſſe poſſibilem ad actus liberos, eſt; quia non eſt compoſſibilis cum libertate actus. Sed hoc eſt falſum. Probatur: quia licet ſit eſſentialiter connexa cum abſoluta exiſtentia actus, & in hoc ſit ſimilis phyſicæ præmotioni Thomiſti-

Digitized by Google

miſticæ; nihilominus eſt eidem valde diſſimilis, eo quod ſit impoſſibilis a creata libertate: ideoque eſt neceſſitas conſequens, non antecedens ad actum liberum. Etenim pendet ex directione ſcientiæ mediæ; quæ ex ſupra dictis eſt a creatura impedibilis. Quæ dici non poſſunt de Thomiſtica præmotione nobis plane inevitabili. Quare ſe habet quo ad hoc reſpectu actus liberi, ſicuti ſe habet etiam per adverſarios præſcientia divina de peccato futuro Antichriſti; quæ quidem eſt metaphyſice cum illo connexa, ſed ejus libertatem non lædit, quia eſt ab illa impedibilis.

Neque obſtat huic doctrinæ, quod ſi libertas Petri v. g. poſſet impedire prædefinitionem, poſſet etiam impedire cauſam ſui adeoque ſe ipſam. Nam ita diſtinguitur: poſſet impedire ſe ipſam deſtruendo ſe, aut ſuam cauſam per exercitium ſui, aut conjungendo ſuum actuale exercitium cum ſui carentia, aut cum carentia ſuæ cauſæ; negatur. Poſſet impedire ſe ipſam aliter, videlicet ne exiſtat ſpeciali quodam modo, & a ſpeciali cauſa, ſubdiſtinguitur; poteſt id præſtare libertas Petri immediate, aut phyſice, aut directe, negatur: mediate, indirecte, & pure intentionaliter, ſeu per viam objectivam intentionalem, conceditur. Senſus diſtinctionis patet ex dictis, & ejus hæc ratio eſt: quia ſi hæc libertas præviſa fuiſſet diſſenſura, ſeu non conſenſura, non fuiſſet poſita in rebus hoc ſpeciali modo, hac ſpeciali cauſa, ſeu decreto prædefinitivo. Potuiſſet tamen poni alio modo, nempe decreto non prædefinitivo. Quod autem fuerit poſita hoc ſpeciali modo, eſt quid poſterius ad futuritionem conditionatam conſenſus. Tandem quod non repugnet ex alio capite per te diſcere poteris ex reſponſionibus eorum qui illam defendunt; Neque enim ab omnibus Societatis Theologis hujuſmodi prædefinitiones admittuntur.

Probatur altera pars hujus tertiæ propoſitionis; nimirum prædictas prædefinitiones actu dari in præſente providentia. Ex ſacris Paginis habemus frequenter; Deum ſpeciali miſericordia velle, & donare bene operantibus, præſertim prædeſtinatis opera bona ſalutaria. Sed hujuſmodi loca multo convenientius exponuntur de voluntate Dei efficaci erga bona opera prædeſtinatorum, quam de inefficaci: ergo dicendum eſt in præſenti providentia dari in Deo hujuſmodi voluntates efficaces, ſeu prædefinitiones actuum bonorum. Major eſt indubitata, & patet etiam ſufficienter ex Apoſtolo ad Roman. IX. 15. 16. ubi ex Exod. XXXIII. 19. ſcriptum eſt: *Miſerebor cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et poſt allatum Pharaonis exemplum ita concludit verſ. 18. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Minor probatur: quia allato teſtimonio, & aliis ſimilibus exprimitur non ſolum dari prædeſtinatis bonum conſenſum, ſeu bona opera, quæ non dantur reprobis, & induratis; ſed etiam exprimitur ſpecialis affectus, ſpecialis benevolentia, & miſericordia in ipſo actu divinæ voluntatis, & in ejus affectiva tendentia erga prædeſtinatos, & bene operantes, ut patet ex verbis citatis, & ex multiplici repetitione divinæ miſericordiæ erga electos. Porro ſi divina voluntas eſſet inefficax, & non per ſe metaphyſice connexa cum bonis actibus Prædeſtinatorum, in modo tendendi non eſſet diſſimilis illi voluntati, qua Deus etiam reprobos vocat ad bene operandum, quamvis non conſenſuros. Etenim licet illa voluntas daret bonum actum, hæc vero non daret; tamen in affectivo modo tenendi ſimiliter ſe haberent: quatenus neutra eſſet efficax, neutra eſſet metaphyſice connexa cum re intenta.

Probatur ſecundo, ſeu confirmatur: quia in eodem illius Epiſtolæ capite de divina miſericordia erga Prædeſtinatos, & voluntate Dei benevola erga illorum opera bona dicitur ver. 9. *voluntati enim ejus quis reſiſtit* ex Eſther XIII. 9. & aliis Scripturæ locis multo ante citatis. Quod etiam repetit S. Auguſtinus in locis multo ſupra citatis, ubi eam voluntatem vocat etiam omnipotentem, & infruſtrabilem in ordine ad obtinendos a creatura actus bonos: ſed voluntas ineſficax non eſt hujuſmodi, ut non poſſimus

mus illi reſiſtere, ſed ſola voluntas efficax eſt hujuſmodi; nam cum voluntate efficaci non poſſumus conjungere actum malum, licet ex dictis poſſimus illam impedire. Ergo in dictis locis ſermo eſt de voluntate efficaci, non autem de inefficaci erga opera bona; adeoque ſermo eſt de prædefinitione, quam nos aſſerimus.

Pater Suarez de auxiliis divinæ gratiæ cap. 17. num. 9. admiſſa prædicta prædefinitione, quærit, utrum ſit admittenda ad omnes prorſus actus bonos: & illos diſtinguit in tres claſſes. Quidam ex his actibus ſunt a Deo præordinati ad commune bonum Eccleſiæ, tanquam media, ſeu diſpoſitiones ad totius generis humani remedium; cujuſmodi fuit conſenſus B. Virginis ad conceptionem Filii: & in hoc ordine poſſunt poni actus liberi meritorii Chriſti Domini. Alii ſunt actus ordinati ad privatum præmium alicujus hominis prædeſtinati, & ſunt media per quæ ad finem prædeſtinationis dirigitur. Alii demum ſunt ordinati ad juſtitiam, vel bonum privatæ perſonæ non prædeſtinatæ, ſed præſcitæ. De primo ordine actuum exiſtimat fere certum eos prædefiniri a Deo. Quod ad ſecundum ordinem, hos etiam a Deo prædefiniri, probabilius cenſet. De tertio ordine rem eſſe ait magis incertam. Nihilo tamen minus partem eligit affirmantem. Quam deinceps amplexi, ac ſecuti ſunt alii: eaque argumentis hic proxime allatis videtur ſatis evinci.

Hæc noſtra doctrina de divinæ Gratiæ auxiliis, ſub uno aſpectu poſita; &, ut mihi videtur, ita expenſa, & probata; ut dubitari non poſſit, quin rationi theologicæ, &, quatenus hic locum habet, etiam naturali, ab omni parte cohæreat. Quæ in hac reſponſione demonſtranda ſuſceperam. His autem omnibus multum lucis, & firmitatis accedet confutatione objectorum.

De ſcientia media reflexa, de Prædeſtinatione, & Reprobatione, & abſtruſioribus aliis hic pauca quædam duntaxat perſtrinximus: propterea quod ad concordiam Gratiæ, & liberi Arbitrii non ſunt neceſſaria; & omnino ad præſentem diſputationem non pertinent. Si quis autem de his etiam plenius cognoſcere velit, conſulat Scriptores citatos ſub finem V. Propoſitionis, par. 1. hujus Tractatus.

DISPUTATIONIS

PARS QUARTA,

Seu Confutatio.

AD primum, quod in priore Oppugnationis parte doctrinæ Societatis objicitur, dicendum, pronuntiatum illud, Ab indifferenti, ut indifferenti, non oritur determinatio, quod inſtar principii, vel axiomatis habetur a Thomiſtis recentibus, manifeſto falſitatis convinci, & ipſa nimirum Dei voluntate, a qua, ut indifferenti, ac perfectiſſime libera, eæ omnes determinationes exiſtunt, quibus, quæcunque fiunt, vel decernit, vel permittit. Quare vel nego antecedens; vel illud diſtinguo: Ab indifferenti, ut indifferenti non oritur determinatio, ſi ſit cauſa libera, atque ut loquitur S. Thoma, *ſuorum actuum domina*; nego antecedens: ſi talis non ſit, concedo. Prima pars, quæ negatur, eſt adeo falſa, ut in ipſa propria notione, & intellectu cauſæ liberæ exprimatur ipſius indifferentia, & poteſtas ad determinandum, ſive eligendum. Omnis enim vera libertas, quæ non coactionis modo, ſed ſimplicis quoque neceſſitatis ſit expers, quali *ad merendum, & demerendum in ſtatu etiam naturæ lapſæ*

eſſe,

Digitized by Google

pſa, opus eſſe, contra Janſenium ſanxit Eccleſia; eſt in genere τὰ ἀδιαφόρα, *indifferentis*, quod determinatum non ſit, ſed ſuſpenſum, & ad utrumlibet contrariorum, oppoſitorumve poteſtatem habens: ſive illa circa diverſa occupetur, ad quorum alterutrum eligendum jus, & poteſtas ſit; ſive in agendi, vel non agendi libera facultate, & ſoluta circa unum, idemque conſiſtat. Quare in omni cauſa libera reperiuntur hæc tria; poteſtas ſcilicet ad duo extrema, ac tertia quædam, ut ita dicam, reflexa facultas, ſive dominium exercendi, ſeu determinandi alterutrum pro libito, & arbitrio.

At, inquiunt, actio non exiſtit, niſi a cauſa determinata; nam ſi determinatio actionem non præit; nunquam reddi ratio poterit, cur ita ſe cauſa determinet. Id quidem verum eſt, ſi loquuntur de cauſa determinata, hoc eſt, de certa quadam, ac ſingulari, ſive individua cauſa, re ipſa exiſtente; quæ non ſit cauſa, quam vocant, ut ſic, ſeu vage, nec definite ſumpta. Siquidem actio re vera non fit a cauſa, ut ſic, & quæ re ipſa non ſit. Omne autem quod eſt, certum, ac ſingulare, ſeu determinatum aliquid eſt. Falſum vero illud eſt, ſi cauſam determinatam cum dicunt, actionem quamlibet proficiſci volunt ex antecedenti aliqua determinatione, ſi hæc præſertim cum actione connexa, vel metaphyſice, vel phyſice ſit, & cui propterea reſiſti non poſſit. Quod vero adverſarii petunt, quæ ratio, ſeu cauſa ſit, cur hoc potius eligatur, quam illud; ſi cauſam quærunt efficientem, eſt ipſamet volendi vis, & facultas, iis omnibus adjumentis inſtructa, quæ ad agendum ſunt neceſſaria. Sin vero rem ſubtilius diſtinguunt, & cauſam quærunt, quæ efficienter determinatrix ſit, atque electrix actionis, ſive operis id ipſum reſpondeo; eſt eadem pariter volendi vis, & facultas. Etenim, ut ſupra notatum eſt in primo ſyſtemate, appetitus rationalis duplex eſt actio: prima eſt βούλησις, voluntas, ſive, ut noſtri in ſcholis loquuntur, *volitio*: altera eſt προαίρεσις, *electio*. Hæc eſt eorum, quæ referuntur ad finem; illa plerumque finis ipſius. Prior ſpontanea eſt, poſterior etiam libera. Quocirca primæ officit violentum, non autem neceſſarium; ſecundæ vero officit utrumque. Ac proinde electionem appetitui rationali adimit, quicunque alterum ab illo determinantem inducit. Quod ſi adverſarii cauſam, rationemque propriam, atque formalem, ut ajunt, vel quaſi formalem inquirunt; hæc eſt ipſamet electio, ſeu volendi actus Gratiæ conſentiens, aut diſſentiens; vel etiam eſt actio, qua illa electio, ſeu voluntatis aſſenſus, diſſenſusve producitur: pro diverſa nimirum philoſophandi ratione. Si vero cauſam requirunt objectivam, quam vocant, atque motricem; erit id bonum aliquod, ex triplici notiſſimo genere, vel honeſtorum, vel utilium, vel delectantium. Tandem, ſi quærunt, quæ ſit electionis, ac determinationis, ſeu deliberationis hujus ratio, ut ajunt, ſtricte a priori; id fruſtra quærunt, nec ultra progredi eſt. Siquidem iſtiuſmodi ratio, nec eſt, nec eſſe ulla poteſt; ad actum ſcilicet, exercitationemque voluntatis, quæ nobis proxime, ac nullo medio libera ſit. Id quod perſpicuum eſt in Deo: & evincitur etiam ex ſola ipſa notione libertatis, & cauſæ liberæ. Libertas enim indifferentiæ, quam appellant, ac de qua modo agitur, in poteſtate ſita eſt optandi, quod quique malit, e duobus ſaltem ei ad eligendum propoſitis: ſic uno repudiato, quod proxime poſſet amplecti, & eligere; ut alterum amplectatur, & eligat, quod poſſet proxime repudiare. Cauſa vero libera, communi Theologorum conſenſu, ea definitur, *quæ poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere*.

XXXIV.

Ad ſecundum omnia diſtinguenda. Nam primo cauſæ ſecundæ non ſunt inſtrumenta Dei ad omnes prorſus effectus, qui ab ipſis exiſtunt; quippe cum inter hos numerentur etiam actiones pravæ, & peccata: ſed ad illos tantummodo, quorum cauſam principalem Deum eſſe non dedecet. Mitto hic quærere, utrum

utrum malitia, ſive injuſtitia, affirmans ſit aliquid, an vero tantummodo negans. De quo luculenter diſſerui in Clemente Alexandrino, ſive in ſyſtemate Scholæ Zeteticæ par. 2. prop. 7. n. 40. & prop. 8. n. 44. cui hac in re, uti etiam in aliis pluribus non multum inhæreo. Deinde cauſæ ſecundæ, etiam quæ liberæ ſunt, inſtrumenta Dei ſunt, uti pennicillus, & ſcalprum ſunt inſtrumenta pictoris, & ſtatuarii: at longe alio modo moventur; quia ſcilicet ipſarum naturæ longe aliter convenit. Ut enim ait Dionyſius Cap. 4. de divin. Nom. §. 33. & ex illo Doctor Angelicus p. 1. q. 22. ar. 4. *non eſt divinæ providentiæ naturam corrumpere*.

At, inquies, ſecuri, & ſerræ, & ſimilibus inſtrumentis comparantur cauſæ liberæ Iſaiæ X. 15. Diſtinguo id: comparantur in omnibus, nego: in aliquibus dumtaxat, concedo. In eo eſt comparatio; ut tam non liceat homini, aut Angelo adverſus Deum gloriari; quam gloriari ſecuris ac ſerra adverſus illos non poſſunt, a quibus tractantur. Immo ferendum magis videretur, ſuperbire ſecurim, aut ſerram ſi in eas hoc cadere poſſet, quam ſive hominem, ſive Angelum; quippe cum hi a cauſa principali omnia prorſus accepeſint; atque id ipſum, quod recte elegerint, ſeu determinarint Spiritus Sancti impulſu fecerint, & viribus Gratiæ: Recole, quibus titulis, ſive nominibus, quicquid recte agitur, in Deum referendum eſſe diximus in ſuperiori diſputatione num. 40.

Cæterum, ut ad ea revertar, quæ ante dicebam, non minus profecto intereſt inter cauſas neceſſariam, & liberam, quam inter ſecurim, & ſerram; inter pennicillum, & ſcalprum. Sicut igitur alius ſecuris, alius eſt ſerræ uſus; & aliter adhibendus eſt pennicillus, aliter ſcalprum; ac ſummæ imperitiæ, aut potius ſtultitiæ foret hæc, aliave inſtrumenta nullo diſcrimine habere, & tractare: ſic pariter alia eſt cauſæ neceſſariæ, alia vero cauſæ liberæ motio: nec ſummæ ſapientiæ eſſet uno, eodemque modo utramque agere, ac permovere.

XXXV.

Non ſolum diverſa eſſe debet cauſarum neceſſariæ, & liberæ motio, ex diverſa ipſarum natura, & habitudine; ſed etiam ex diverſo effectu, ſive actu, atque opere, quod pro diverſitate naturæ, & habitudinis, ab ipſis exigitur. Ut igitur in eadem ſimilitudine inſiſtam, ſicuti ſi pennicillum modo indebito, & tanquam ſcalprum] adhibeat, nunquam coloribus exprimes eam ſpeciem, ſive imaginem, quam habes in mente; ſed pro illa exiſtet monſtrum aliquod informe, in quo neque res ſit, neque nomen picturæ: ita, ſi Deus cauſam liberam moveat, inſtar cauſæ neceſſariæ, non eliciet ab ea actum liberum, ac præmio dignum, qualem ſibi propoſuit; ſed effectum quemdam neceſſarium extundet; in quo neque res, neque nomen ſit libertatis, ac meriti. Movet autem Deus cauſas liberas, ut ipſis eſt aptum, tum ex propria earum conditione, tum ex opere, quod ab illis vult obtinere; ſi eas ita movet, ut proxime poſſint reſiſtere, ac diſſentire. De quo vide Tridentinum, Senonenſe, atque ea omnia, quæ ſupra dedimus in ſecunda hujus diſputationis parte.

Jam tandem, quod additur, cauſis ſecundis, etiam liberis, cum Dei ſint inſtrumenta, & agendi virtutem, & motum, a Deo expectandum; id pariter ita diſtinguitur: expectant, & accipiunt a Deo virtutem, & motum, modo & ſibi conveniente, & ad id, ad quod moventur, atque excitantur, obtinendum idoneo; conceditur: ſecus vero; negatur. Modus autem conveniens, & idoneus is eſt, ut, ſi ſermo ſit de virtute, ea non ſit determinata ad unum, quod expreſſe monet S. Thomas ſæpe cit. Si vero ſermo ſit de motu, ut ajunt, active tali, ſive in actu primo; hoc eſt de ipſa motione, impreſſione, impulſione Cauſæ principalis; illa ejuſmodi ſit, cui facultas libera proxime poſſit diſſentire, & reſiſtere; quemadmodum ſanxit Eccleſia locis principio relatis. Si demum adverſarii loquantur de motu, ut ita dicam paſſive tali, ſive in actu ſecun-

ſecundo; hoc eſt, de ipſo ſalutari voluntatis aſſenſu; efficiat hunc quidem in nobis Deus; verumtamen non ſine nobis; nec ſolum vitaliter, ſed etiam libere concurrentibus, Deoque cooperantibus. De quo Apoſtoli Paulus 1. ad Cor. XV. 10. *Non ego autem, ſed Gratia Dei mecum*; & Joannes Epiſt. III. 8. *cooperatores ſimus veritatis*. Ut Auguſtinus exponit locis ſup. cit. Porro hæc tria præſtat Gratia ſanctæ & illuminationis, & inſpirationis, quam nobis utramque ad ſingulos actus liberos, & ſalutares neceſſariam defendimus: & pro tribus his diverſas appellationes denominationeſque ſuſcipit, præparantis, auxiliantis, prævenientis, comitantis, ſive etiam operantis, & cooperantis, & ſimiles alias. Opus hoc autem ſeu, liber, & ſalutaris hic voluntatis motus, quem nobiſcum efficit Gratia, ſi Deum ſpectes, ipſius concurſus in actu ſecundo, & ut quod, nuncupatur in Schola; atque eſt, & dicitur vere, & proprie donum Dei. Si vero reſpectus ſit ad noſmet ipſos; vocatur electio, determinatio, conſenſus.

XXXVI.

Ad tertium dicendum, eſſe quidem Deum totius entis principium, & fontem; ſed modo Deo digno: hoc eſt, debito ordine, & proportione ſervata, qua pulchritudo conſtat univerſitatis hujus, & quam ſingulæ quæque res, earumque ſpecies, ac genera poſtulant. Itaque, quod Deus ſit primum agens, primum liberum, primum determinans, hoc primo ſignificat; voluntatem, libertatemque ſuam, ante omnes, ſive ante omnia, ut ſic loquar, exercuiſſe Deum; & cum nihil fiat ſive boni, ſive mali, niſi aut volente, aut permittente Deo; & libere quidem volente, ac permittente; niſi voluntatem, libertatemque ſuam ita exercuiſſet, nihil ſeu boni, ſeu mali extiturum fuiſſe, aut extiturum eſſe unquam. Deinde, quod pertinet ad actus bonos, eoſque liberos, fatemur, Deum illos velle, ut non ſolum prædefiniat, ſive decernat; ſed etiam prædeterminet: ea tamen prædeterminatione, ſeu præmotione, quæ & cauſæ, & effectui liberis conſentanea ſit. Hoc eſt, iis Gratiæ prævenientis auxiliis, atque opibus, ſive naturalibus, ſive ſupra naturam, ſi actus futurus ſit ſalutaris, quæ connexa nec metaphyſice, nec phyſice ſint cum actu illo; & quibus ea cauſa libera poſſit, ſi velit, diſsentire, & reſiſtere. Nam ſi aliud prædeterminationis ſeu præmotionis genus cauſæ illi adhiberet Deus; non ageret modo ſe digno, tum quia ad ejus inſtrumenti naturam non aptaret impulſum, rationemque ſuam; tum quia actum liberum, quem ſibi propoſuit, ac prædefinivit, minime obtineret.

Ex his autem habes, quid diſpar ſit in generali Dei concurſu, eoque immediato, quem vocant, ad omnes prorſus cauſarum ſecundarum effectus. Is ſcilicet Deo dignus; quippe cum ſit & cauſæ, & effectui accomodatus; ut explicatur ſuo loco. Quibus etiam accedit, concurſum illum teſtimoniis Sanctorum Patrum, & ſacra omnis generis auctoritate probari, & defendi: qua contrario prædeterminatio, ſeu præmotio iſta, cui reſiſti non poſſit, facile refutatur.

XXXVII.

At, inſtant; Libertas noſtra eſt eminenter in Deo: ſi ergo in noſtra eſt poteſtate determinare nos ipſos, libertate noſtra adeo incolumi, ut ex hoc ipſo maxime liberi ſimus, & dicamur: multo magis erit in poteſtate Dei, in nobis efficere, & præſtare idem. Addunt præterea: Facultas creata libera, Noſtrorum ſententia, determinat Deum ad concurrendum, quin propterea lædat libertatem divinam: multo igitur magis erit in Dei poteſtate, & arbitrio determinare facultatem creatam liberam, nec proinde ejus libertati oberit. Ad primum ex his duobus, conceſſo antecedente, nego quod ſequitur; vel etiam diſtinguo: poterit Deus idem præſtare, & efficere determinatione, ut ſic loquar, reſiſtibili; concedo: irreſiſtibili; iterum diſtinguo; ſi Deus a nobis velit actum liberum; nego: ſi actum non liberum; concedo. Rerum creatarum perfectiones ſunt

qui-

quidem eminenter in Deo; hoc eſt, perfectiſſimo modo, de quo vide quæ diximus Proleg. 2. quæſt. 1. diſput. 2. In hoc autem illud primum eſt, ut in Deo nihil prorſus imperfecti, nedum ſit aliquid etiam abſurdi: Sunt igitur hæ perfectiones in Deo: poteſtas libera, ſive libertas determinandi ſe ipſum, atque hoc præ illo eligendi. Libertas quoque determinandi facultatem creatam, reſiſtibiliter tamen, ſi quidem actum edi liberum velit. Libertas vero determinandi eandem irreſiſtibiliter ad actum pariter liberum, nec eſt, nec eſſe poteſt in Deo: cum repugnent hæc inter ſe, & ad contradictionem implicent.

Alterum pariter eſt diſtinguendum: poteſt facultas creata Deum determinare ad concurrendum, reſiſtibiliter tamen; hoc eſt, quatenus id ipſum Deus libere vult, aut permittit, cum ei omnino liberum foret id impedire; concedimus: aliter vero; negamus. Scholaſtice, ut cæpi, rem hanc totam ediſſero. Cauſa creata libera, cum in actu ſecundo unum præ altero eligit, Dei potentiam, non quidem intrinſecus, ſed tantum extrinſecus ad concurrendum determinat. Sive, ut caſtigatius loquuntur alii, determinat eum Dei concurſum, quem vocant in actu ſecundo; quique idem eſt re vera, atque ipſa cauſæ creatæ liberæ electio. Hoc vero cauſa iſta non facit, nec facere poteſt, niſi poſtquam ipſi Deus exhibuit ſuum illum concurſum, quem vocant in actu primo; quique poſitus eſt in præparatione, ſeu applicatione divinæ potentiæ ad concurrendum pro libito cauſæ creatæ; addita inclinatione reſiſtibili ad bonum, præ malo; ſeu per principia naturalia, ſeu per ſupernaturalia; ſi facultas ſit ad actum ſalutarem; hoc eſt, qualem eſſe oportet ad vitam æternam. Itaque diſtinguendum eſt inter Dei concurſum in actu primo, ejuſdemque concurſum in actu ſecundo. Ille ea omnia complectitur, ex quibus conſtat facultas proxima libere agendi, quam Deus confert cauſæ creatæ: hæc vero pendent ab arbitrio divino, atque ut notatum eſt ſupra hæc maxime Deum volentem denominant extrinſecus; vel certe prædeterminantem, ac præmoventem, ut conſentaneum eſt inſtrumento libero, ejuſque actui. Dei autem concurſus in actu ſecundo eſt ipſa exercitatio, ſive actus ſecundus creatæ libertatis; qui ſimul & indiviſim eſt etiam exercitatio, & influxus divinæ potentiæ; ejuſmodi tamen, qui electio, & determinatio dici poſſit, ac debeat ejuſdem creatæ libertatis, non autem Dei. Quanquam ſi nomen divinæ voluntatis aliquanto latius, & minus proprie ſumatur, hic etiam concurſus dici poſſit Dei voluntas, ut ſupra pariter notavimus ejuſque vel ſanctio, ſi bonus; vel permiſſio, ſi malus eſt.

XXXVIII.

Sed habent, quod hic rurſus ſubjiciant: nam quilibet actus, & actio, quæ phyſice eſt a voluntate creata, eadem ſimul eſt pariter phyſice a Deo: ſi igitur actio illa, vel actus eſt id, quo ſe cauſa creata determinat, quidni pariter id ſit, quo cauſam creatam determinat Deus? Atque illud quoque addunt; aliter defendi non poſſe debitum Dei dominium in ejuſmodi actionem, & actum, cum ea determinandi poteſtatem non habeat. Hæc adverſarii: quibus ita reſpondeo, novum non eſſe eandem formam, aut quaſi formam, aliter denominare unum, in quo eſt; aliter alterum. Nempe pro diverſo utriuſque captu, ac denominationum vi, & natura. Cujus rei cum ſint exempla notiſſima, iis ſuperſedeo. Deum profecto non dicent exercitio illo cauſæ liberæ aut bene, aut male mereri, aut vivere, ſeu vitaliter agere; quæ tamen de cauſa ipſa dicuntur. Præterea, ut in hac ipſa re, & denominatione inſiſtam, de qua modo agimus, ipſis etiam fatendum, per eandem illam actionem, ſive actum denominationem hanc tribui uni ex iis principiis, a quibus phyſice provenit, non vero aliis. Numquid enim in homine juſto non eſt phyſice etiam a ſupernis habitibus? Quemadmodum igitur per electionem illam cauſæ liberæ non dicuntur eligere habitus, ita nec Omnipotentia; quam ſcilicet pro ſua bonitate Deus cauſis liberis ita exhibet, ac præſto eſſe

vult;

Digitized by Google

vult; ut earum ſit, & dicatur electio.

Video, quid mihi peculiariter hic objici poſſit: eam eſſe ſecundam viam explicandi Actus liberos Dei, in propria diſputatione propoſitam; ut Deus & volens, & libere volens, ac proinde etiam eligens denominetur extrinſecus, vel ex rebus, quæ fiunt; vel ex actionibus, quibus fiunt. Junilium Africanum id expreſſe docere: in eamque ſententiam dictum a Gregorio Nazianzeno, *Dei voluntas, opus ipſius eſt*. Et a Gregorio Magno, *Velle Dei facere eſt*. Verum de hoc etiam ſatis adverſariis fieri commode poteſt. Nam primum neceſſe non eſt Societatis doctrinam tuentibus actus Dei liberos ita explicare. Quanquam hæc ſecunda via vel ipſa illa ſit re vera, qua eos explicat Doctor eximius, vel non admodum diverſa. Deinde, qui Deum diceret denominationes contingentes volentis, & libere quidem volentis hoc potius, quam illud, ex rebus ipſis quas facit, accipere; non idem diceret, res illas id proprie eſſe, quo Deus vult, & libere vult: diceret, res illas id eſſe, quod Deus vult, & libere vult. Nam Dei voluntas, & libertas proprie eſt ipſe Deus. Falſum vero eſt non ſolum in Deo, ſed etiam in nobis, ea omnia quæ libere volumus, a nobis eligi etiam, ſive elective determinari: cum libere multa velimus, & permittamus, quæ in alterius ſunt electione, & arbitrio. Secunda igitur illa via, ex iis, quæ Deus efficit, denominatur quidem Deus ea ipſa libere volens, aut permittens: non vero etiam eligens, ſive, ut diximus, elective determinans. Eligere, ſive elective determinare illa dicitur, quæ vel ſolus facit, vel una cum cauſis ſecundariis, quibus, ut ait S. Thomas p. 1. q. 22. a. 2. *præfigitur virtus operativa determinate ad unum; quæque aguntur tantum, quaſi ab altero directæ in finem; non autem ſe ipſa agunt quaſi ſe dirigentia in finem*. Cujuſmodi ſunt multa etiam in homine; ut illa omnia, quæ Deus facit in nobis, ſine nobis: quæ ſupra diximus, Dei concurſum in actu primo; ſeu, prædeterminationem, præmotionemque reſiſtibilem. At vero quæ Deus facit in nobis, quæque concurſus Dei vocantur in actu ſecundo; ea dicitur quidem libere velle, ad eorumque effectionem libere concurrere, non vero etiam eligendo determinare. Quid ſi actum liberum bonum non edimus, ſed Gratiæ reſiſtimus, numquid propterea Deum dices actum illum bonum non velle? Dicam, non velle efficaciter; ſeu dicam, velle non efficaciter. Unde autem hac ſecunda via denominationes has contingentes ſumit Deus, ut dicatur actum hunc quidem velle efficaciter, illum non efficaciter? Proxime quidem ex efficacitate, ſeu congruentia motionis, qua inſtrumentum liberum agit. Addam fortaſſe aliquid infra de iis, quæ Deus efficit una cum cauſis ſecundis.

Ad id, quod ultimo additur, non fore in poteſtate Dei actum liberum creatum, ejus plane, & perfecte dominum non fore: nego, iſta ſequi. Poſſet in noſtra etiam ſententia, immo in noſtra verius, quam in aliis; poſſet, inquam, in actum illum Deus dominium, poteſtatemque ſuam exercere; ſed quæ actui ipſi conveniat, ac Deo digna ſit non quæ abſurda, ac ſecum pugnans. Poteſt enim, & libere quidem poſſet cor hominis ita pulſare, & tangere, ut actus ille ab eo libere exiſtat. Poteſt, ſi actus ſalutaris ſit, vel honeſtus, eum velle, & poteſt non velle; poteſt eundem præcipere, & non præcipere; & horum ſimilia. At, inquis, in eodemque per ſtas; non poteſt determinare. Ajo, id etiam poſſe: non quidem proxime, ac nullo medio; cum ille actus utique divinus non ſit, Deoque immanens, & quo Deus vivat; veruntamen poteſt, media re aliqua, quam adhibere, vel non adhibere, ſit Deo proxime liberum: quæque res, ſeu motio, aut vocatio licet ejuſmodi ſit, cui homo poſſit diſſentire, ſi velit; quia tamen adhibetur a Deo ex prævisione, & ſic etiam ex efficaci intentione conſenſus eoque voluntatem hominis inclinat, & adjuvat; determinatio ejuſdem dici poteſt; reſiſtibilis illa quidem, ut ſæpe diximns, ſed omnino infruſtrabilis: atque ejuſmodi, ex qua dici poſſit, Gratiæ quidem Dei poſſe reſiſti; voluntati autem & propoſito ejuſdem reſiſti non poſſe. Nam vo-

luntas Dei efficax, ſeu prædefinitio connexa metaphyſice eſt cum actione ſalutari; ſecus autem gratia.

XXXVIII.

Ad quartum reſponſum eſt abunde in præcedenti diſputatione nu. 39. 40. 41. 42. ut nihil hic addendum videatur. Quod ſi adhuc inſtent: Deum non ſolum diſcernere bene operantem a male operante, per ipſummet opus bonum, ſive actum ſecundum, quem vocant; verum etiam antequam bonum opus conſequatur, ſive antequam intelligatur hominis cooperatio, ſive conſenſio, jam Deus illum diſcernit a non bene operante: ergo ante bonam ipſam operationem neceſſe eſt conſtitui aliquid, quo Deus diſcernat unum ab altero.

Ad hæc vero ita primum concludo peculiater adverſus recentes Thomiſtas: hoc igitur, quod ibi conſtitui vultis, erit phyſica ipſa præmotio: neque enim, opinor, aliquid præterea invehere illuc, in animo eſt: eam vero cum præfigi dicatur etiam ad actiones, quæ malæ ſunt; probabiliter ſequeretur, ut etiam ante peccatum Deus diſcernat peccantem a non peccante: quo fieri videretur ut etiam in Judam poſſit illud idem contrario dici; nimirum, Quid habes peccati, quod a Deo non acceperis? quod abſunum dictu, cogitatuque eſt.

Ajo deinde, diſtinguendum illud, *ante*, illud *jam*, illud *prius* hoc pacto. Deus ante cooperationem, ſive aſſenſionem voluntatis creatæ, bene operantem a non bene operante diſcernit; ſi illud *ante*, *jam*, *prius* ſignificet actum primum proximum, ſive id, quod apud nos vocatur hypotheſis objectiva Scientiæ mediæ; ita ſcilicet, ut hæc diſcretio intra actum illum primum proximum, ſive intra illam hypotheſim poſita ſit; negatur: cujus rei rationem dedimus paulo ſupra num. 30. Prop. 2. Si vero illud *ante*, *jam*, *prius* ſignificet aliquid extra hæc, quæ dicimus; omittitur: neque enim de hoc eadem eſt omnium Societatis Theologorum ſententia. Profecto antequam exiſtat in rebus ſalutaris conſenſus, natura creata libere cooperante divinæ gratiæ, ac Deum vocantem ſequente; Deus ab æterno hoc ipſum ſore prævidit; quod quidem non prænovit de homine, qui non erat recte facturus, nec gratiæ, & vocationi obſequuturus. Ac proinde jam tum ea ſcientia alterum ab altero diſcernebat. Præterea Deus ſcientiæ mediæ de bono uſu e. g. libertatis A adjungens decretum conferendi ea libertatem, cum ſincero affectu erga bonum uſum ejuſdem libertatis; vel, ſi ita vis, conjunctio, ſive complexio ex iis duobus, ſecum certe aliquid affert, quod, antequam exiſtat bonus conſenſus, diſcretio eſt hominis recte & ſalutariter acturi, ab eo qui ſecus acturus ſit. Siquidem illa conjunctio, ſive complexio eſt antecedens, ex quo certo colligi queat bona ipſa operatio. Tandem ſi Deus dicatur habere etiam efficacem prædefinitionem, ſive decretum de illo ſingulari conſenſu A, metaphyſice cum illo connexum, in ea etiam prædefinitione, & decreto antecedens ejuſmodi diſcretio pariter erit, omnino alia a phyſica prædeterminatione, ac libertati creatæ nihil officiens.

XXXIX.

Ad quintum dicendum, ex iis omnibus quæ ſupra expoſita ſunt, ſatis conſtare, ut ſit cor hominis in manu Dei; ut habeat Deus omnipotentiſſimam illam poteſtatem, quam prædicat Auguſtinus, humanorum cordium quo placet inclinandorum, ſalva ipſorum libertate; melius explicari, & intelligi in noſtro Syſtemate, quam in cæteris. Quippe cum Deo non deſint modi, ſeu viæ plurimæ, & diverſæ præveniendi naturam creatam; hoc eſt, illuſtrandi ejus mentem, ipſiuſque voluntatem cæleſti ſuavitate emolliendi; quorum ope certo prænoſcit, eam recte operaturam. Itaque ſi unum ex tot modis adhibeat, ſtatim obtinet creatæ voluntatis aſſenſum. E contrario autem præſto ipſi pariter ſunt alii modi, quibus etiam poſſit peccatum permittere.

Quo illud etiam fit, quod pariter docet Auguſtinus loco nobis objecto, Deum magis habere in poteſtate voluntates homi-

minum, quam ipſos ſuas. Primum ſcilicet, quia homo ex ſe non poteſt acquirere facultatem agendi ſalutariter; quæ prorſus a Deo eſt, & ab ipſo gratis accipitur. Deinde quia multo minus ſibi ipſe eligere, ac tribuere poteſt libertatem illam, ſeu proximam facultatem, qua ſe bene uſurum prævideat. Quare nec poteſt habere actum voluntatis certo efficacem, quo velit ſalutarem aſſenſum ſuum v. g. pro die craſtina, quique ab hoc aſſenſu ſejungi, eoque fraudari non poſſit. Ex quo cogitationes hominis ſemper timidæ, & incertæ; ſervandumque illud Apoſtoli I. Cor. X. 12. *qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Tertio, quia quando homo accipit a Deo eam libertatem, ſeu facultatem proximam actus ſalutaris, vel ea eſt bene uſurus, vel male. Si male; ipſius certe voluntas non poteſt eſſe in manu Dei; ita ſcilicet, ut Deus poſſit proxime velle per eam facultatem impedire peccatum. In hoc enim eſſet contradictio; Deum velle impedire peccatum, quando non vult impedire peccatum. Non vult autem impedire peccatum, ſi confert eam libertatem, ſeu facultatem, qua prævidet hominem male uſurum. Si vero ea eſt bene uſurus; dici poteſt voluntas hominis eſſe magis in manu Dei, quam in ſua, habito nimirum reſpectu ad ipſum opus bonum; quandoquidem ad opus illud multo majores vires habet ex gratia, quam a ſe ipſo, ſive a ſua propria natura: & quando id operis editur, multo magis, & multo pluribus, & nobilioribus titulis tribuendum eſt Deo, quam naturæ creatæ, ut ſupra expoſitum fuit.

X L.

Ad id, quod additur de natura creata omnibus auxiliis, ſeu vocationibus diſſenſura; dicendum nullam ejuſmodi eſſe inter illas, quæ ad præſentem rerum ſtatum, ſeu providentiæ ordinem ſpectant. Ecqua eſſe poſſit, aliis omnino rebus, & aliter conſtitutis, hic definire non eſt neceſse. Omnino negandum videtur: ex iis præſertim, quæ dicta ſunt in 2. & 3. Syſtemate, part. 1. hujus Tractatus.

Ad aliud vero de libertate creata diſſenſura auxilio, ſeu vocationi A. dicendum primo, Deum tunc quoque proxime poſse obtinere bonum aſsenſum; nimirum ipſa illa ratione, qua libertas creata tunc quoque proxime poteſt aſſenſum illum præſtare. Et re vera, ſi præſtaret, Deus eſset illius aſsenſus auctor principalis. Dicendum ſecundo, Deum velle poſse, immo & re ipſa velle bonum illum aſsenſum, non quidem voluntate efficaci, ſed inefficaci: hoc eſt, quantum ex ſe eſt inclinante, & impellente naturam creatam ad aſsentiendum. Fateor equidem, Deum non poſse eo caſu proxime velle efficaciter bonum conſenſum; nego autem id eſse abſurdum; aut poſſe id nobis objici ab adverſariis, præſertim Thomiſtis: quippe qui ſimile quidpiam confiteri debent in propria ipſorum ſententia. Siquidem poſita prædeterminatione, ut ajunt, ad materiale peccati, non poteſt Deus proxime velle efficaciter bonum conſenſum; & tamen, ut ipſi contendunt, natura creata ſub illa prædeterminatione, poteſt proxime velle eum conſenſum, ac re ipſa aſſentiri, licet aſſenſura non ſit. Hæc vero utriſque communis eſt ratio; quia divinæ voluntates efficaces fruſtrari non poſſunt: nec Dei eſt id efficaciter velle, quod prævidet ſe obtenturum non eſſe. Sicut autem apud adverſarios fieri non poteſt, ut Deus conjungat voluntatem efficacem de bono conſenſu, cum voluntate efficaci de prædeterminatione ad diſſenſum; ſic apud nos fieri non poteſt, ut Deus conjungat voluntatem efficacem de bono conſenſu, cum voluntate efficaci de libertate A, & cum prævisione ejus diſſenſus. Et ſicuti ab adverſariis, ea vocatur impoſſibilitas conſequens; ita hæc vocatur a nobis: conſequitur enim conjunctionem ejus & libertatis, & præſcientiæ. Cui conjunctioni præit liberum Dei decretum abſolutum de conferenda hac libertate; nam de libertate loquimur, ut re ipſa exiſtente. Quibus præterea accedit & illa ratio; quia in eo caſu, ſeu talibus rebus, unicus modus volendi efficaciter conſenſum eum liberum, eſſet ita prædeterminare, ſeu præmovere facultatem

creatam ad illum, ut plane non poſſet reſiſtere. Hoc autem, ut oſtendimus fieri non poteſt: opinione enim noſtra non minus repugnat actus liber irreſiſtibiliter prædeterminatus, quam chimæra, & hircocervus; aut quam repugnet apud adverſarios actus liber non phyſice prædeterminatus.

At ultimo addunt, poteſt tum natura creata efficere, ut Deus agat una cum ipſa; non poteſt viciſſim Deus efficere, ut natura creata agat una cum ipſo. Diſtinguo primam partem: poteſt tunc natura creata viribus ſuis, & non acceptis a Deo efficere ut Deus agat una cum ipſa, nego hoc. Viribus non ſuis, ſed gratis acceptis a Deo, ſic volente, eamque ad hoc ſtimulante, poteſt efficere, ſeu determinare, & eligere, ut ſecum id agat Deus; concedo. Loquimur hic de actu, ſive de opere bono; nam mali actus ſive operis Deus auctor eſſe non poteſt. Et diſtinguo ſimiliter alteram partem: non poteſt Deus per determinationem, electionem, ſeu liberam cooperationem naturæ creatæ efficere, ut ea ſecum agat opus bonum, nego hoc: non poteſt, ſine ejuſmodi libera naturæ creatæ determinatione, electione, cooperatione; concedo. Hoc enim fert natura libertatis, quam Deus cauſis ſecundis liberis ſervatam vult. Ac poteſt ſimile quidpiam in Thomiſtas ipſos retorqueri; quorum ſententia, poſita prædeterminatione ad malum, poteſt natura creata, utpote libera, determinare ſe ad bonum, ad quod tunc determinari non poteſt a Deo.

XLI.

Ad ſextum dicendum, his omnibus cumulate ſatisfactum in ſecunda diſputationis parte num. 18. & 19. ea recolenda. Non negamus, Deum movere, & ſi ita loqui placet, præmovere, prædeterminare voluntates noſtras; ſi tamen hæc præmotio, ſeu prædeterminatio ejuſmodi ſit, cui poſſit reſiſti. Quod ipſum velle S. Thomam oſtendimus loco proxime citato. Venio jam ad confutationem eorum pariter ſex, quæ nobis objecta ſunt in altera Oppugnationis parte.

Ad primum negandum, eorum duntaxat duorum habendam eſſe rationem. Videndum pariter, ne ullo modo offendatur divina ſanctitas. Præterea hoc prætermiſſo, negandum nos quicquam detrahere divinæ poteſtati, & dominio: quippe cum ipſi tribuamus omnipotentiſſimam illam inclinandorum cordium poteſtatem, quam illi tribuunt Scripturæ, & Patres, præſertim Auguſtinus, & Thomas, eamque eodem, aut non diſſimili modo explicemus; ut late oſtenſum eſt in ſecunda diſputationis parte. Tandem negandum eſt Thomiſtas huic poteſtati, & dominio aut melius quam nos, aut omnino ſatis conſulere. Siquidem poteſtas eliciendi, actum liberum a natura creata mediis per ſe efficacibus, connexis cum actu ſecundo, poteſtas eſſe videtur quæ ſibi ipſi repugnat, ut conſtat ex dictis, & mox magis perſpicuum fiet. Illud potius dicendum, qui nos hinc oppugnant, quantum creatæ libertati deſunt, tantum videri deeſſe divinæ poteſtati. Nam quæ Dei poteſtas, ſi humanæ libertatis aſſenſum obtinere nequit, niſi ipſius libertate non ſatis ſalva, & incolumi? Recole quæ dicta ſunt præſertim ad quintum.

XLII.

Ad ſecundum: ea quæ hic objiciuntur poſtulare videntur, ut quam breviſſime expediam, quid ſit, quod Gratiæ efficacitas, de qua hic diſputatur in phyſica præmotione poni non poſſit. Ajo eſſe duo; & quod cum creata libertate, & quod cum divina ſanctitate non ſatis cohæreat. Utrumque paucis oſtendam, atque hoc ipſo exili, ac ſimplici dicendi genere, quo dudum jam utor. Imo, ut in re maxime Scholaſtica, eum plane ipſum loquendi modum uſurpabo, quo hæc excutiuntur in Schola. Probatur primum.

Nulla neceſſitas vere, & proprie antecedens actum v. gr. charitatis ſtare poteſt cum libertate indifferentiæ ad illum; ſed phyſica præmotio ad actum charitatis, eſt neceſſitas vere, & proprie antece-

Digitized by Google

tecedens reſpectu talis actus: ergo phyſica præmotio ad actum charitatis, ſtare non poteſt cum prædicta libertate ad illum actum. Major admittitur ab omnibus. Sicut enim neceſſitas conſequens exercitationem libertatis, eam non lædit; ſic e contrario neceſſitas vere antecedens libertati indifferentiæ repugnat. Minor probatur: Omne, quod immediate, ſeu per ſe determinat irreſiſtibiliter voluntatem ad actum charitatis, eſt voluntati neceſſitas antecedens reſpectu illius actus. Sed phyſica præmotio ad actum charitatis immediate, ac per ſe determinat irreſiſtibiliter voluntatem ad actum charitatis: ergo eſt voluntati neceſſitas antecedens reſpectu talis actus. Major probatur ex vera notione, ſive intellectu vocum, ſeu terminorum, quos vocant; necnon exemplis. Neceſſitas antecedens ex S. Auguſtino, ex S. Anſelmo, cæteriſque Theologis, & doctoribus, eſt illa neceſſitas voluntatis ad ponendum aliquem terminum, quam ſibi non facit pro arbitrio voluntas, ſeu volendi vis, & facultas; ſed eam accipit ab alio; ita ut voluntas eam non poſſit impedire, & excutere, nec fraudare termino ſuo. Sic aperta viſio Dei beatorum voluntatibus eſt antecedens neceſſitas amandi Deum, quia voluntas eam non poteſt impedire, nec exuere, nec ea præſente, ac prælucente poteſt omittere amorem, ad quem ſummum Bonum aperte viſum voluntatem irreſiſtibiliter rapit. Sic pariter naturalis moriendi neceſſitas eſt homini neceſſitas antecedens ne ſemper vivat. Quod eſt exemplum propoſitum a S. Auguſtino Lib. 5. de Civit. Cap. 10. *Si enim*, inquit, *neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus recte, vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe*. Rurſus omne per ſe irreſiſtibiliter voluntatem determinans ad unum, certe eſt aliqua neceſſitas ad illud: præterea eſt neceſſitas irreſiſtibilis, hoc eſt, quæ nec evitari, nec fruſtrari poſſit: adeoque eſt neceſſitas reſpectu voluntatis, vel phyſica, vel metaphyſica, ac proinde talis, quam ſibi non libere faciat pro ſuo arbitrio voluntas: ergo eſt neceſſitas vere, & proprie antecedens. Nec proferre poteris ullam neceſſitatem antecedentem, quæ non habeat ea duo; videlicet; ut non pendeat ab exercitio libero voluntatis, quod eam uni extremorum devinciat; & devinciat tam fortiter, ut non poſſit voluntas ponere terminum, ſive extremum oppoſitum. Et ubicunque invenias hæc duo, ſive in re naturali, ſive in re ſupernaturali, invenies neceſſitatem antecedentem. Veritas igitur majoris illius propoſitionis liquet tum immediate ex lumine naturæ, inſpectis ſolis rerum notionibus, ſeu terminis; tum univerſali inductione in omni genere.

Excipiunt hic adverſarii; hæc vere dici, quando id, in quo eſt iſta neceſſitas, reſidet penes actum primum proximum: non vero, ſi penes actum ſecundum; vel etiam ut aliqui dicunt, quando ſe habeat in ſigno intermedio: ſive, ut etiam locuntur, ſi tale quid requiratur ad poſſe, non vero ad agere: ſi tale quid ſit agendi poteſtas, aut illam conſtituat; non autem ſi ſit mera applicatio ipſius poteſtatis ad actum. Primo S. Thomas non alia ſigna recenſet, niſi actus primi, & actus ſecundi. Quocirca p. 1. q. 48. ar. 5. *Actus*, inquit, *duplex eſt, primus, & ſecundus. Actus primus eſt forma, & integritas rei; actus ſecundus eſt operatio*. Cæterum hæc defenſio ita impugnatur.

Primo comparatione actus primi cum actu intermedio. Ideo enim tale quid irreſiſtibiliter determinans ad unum eſſet antecedens neceſſitas ſi ſe haberet ex parte actus primi, quia eam neceſſitatem ſibimet non faceret ipſa voluntas, neque penderet ab exercitio ipſius libero. Sed etiam ſi reponatur in ſigno intermedio, eam non ſibi efficit ipſa voluntas, neque ex ullo ipſius exercitio libero ſuſpenſa eſt: ergo ſic pariter eſt vere, & proprie neceſſitas antecedens. Profecto oculorum apertio ſe habet ex parte actus primi proximi ad videndum, & eſt homini determinatio ad viſionem, ſeu, quam neceſſario conſequatur viſio, ſi ſani ſint oculi, & res objecta debitam & proportionem, & lucem habeat,

beat. Non tamen eſt homini antecedens videndi neceſſitas, quia non eſt ipſi irreſiſtibilis: pendet ab ipſius libertate; neceſſitas eſt, quam ſibi ipſe libere facit, aperiendo oculos, quos poſſet clauſos gerere: ideoque eſt, & dicitur neceſſitas conſequens.

Deinde: nulla volendi facultas intelligitur, aut dici poteſt abſolute proxima, & omnino expedita ad edendum libere actum, ſive ad ponendum libere effectum pro inſtanti A, ſi ad ponendum ejuſmodi effectum requiritur medium aliquod prævium (in quocunque ſigno id ſtatuatur) & medium hoc neque adeſt pro tali inſtanti, nec volendi facultas eſt ſimul poteſtas libera iſtud vel ponendi, vel acquirendi. Sed phyſica præmotio, ut ab Adverſariis explicatur, eſt medium omnino neceſſarium, ſeu prærequiſitum ad actum liberum v. g. charitatis, ſaltem in ſigno intermedio; ſicuti etiam remotio, ſeu negatio talis Præmotionis eſt medium omnino neceſſarium ad omiſſionem actus charitatis: & quando ponitur actus charitatis non abeſt talis Præmotio ad illum; abeſt vero, quando is omittitur; nec in facultate volendi eſt ſimul poteſtas libera acquirendi, vel utcunque inducendi ſive talem præmotionem, ſive illius negationem, & abſentiam. Ergo ex ipſa horum recentium Thomiſtarum doctrina, quando facultas volendi pro inſtanti A habet præmotionem ad actum charitatis, eumque edit, non poteſt intelligi, aut dici in actu primo proximo omnino expedita ad illum omittendum: & quando eum omittit, non poteſt intelligi, aut dici in actu primo proximo omnino expedita ad illum edendum, ſive ponendum. Major propoſitio videtur evidens inſtar principii lumine naturæ noti; & conſtat etiam univerſali inductione, & exemplo rerum cæterarum. Sic aperire oculos neceſſe eſt ad habendam viſionem rerum præſentium; quam certe naturaliter habere non potes oculis clauſis. Finge jam eſſe Petrum oculis clauſis; nec in ejus poteſtate libera eſſe illos aperire: his certe poſitis, non poteſt intelligi, aut dici Petrus in actu primo proximo pro eo inſtanti expedito ad videndum libere. Finge præterea, aperire, aut non aperire oculos Petri, eſſe in manu alterius; intelliges jam non eſſe in Petro actum primum proximum ad libere videndum, ſeu liberam poteſtatem videndi, & non videndi: ſed eſſe poteſtatem hanc nexam, atque ſuſpenſam ex aliena libertate, & arbitrio. Prorſus hujuſmodi eſt phyſica præmotio, prout a ſuis auctoribus, ac defenſoribus nobis deſcribitur; ac deſcribi debet, ſtantibus ipſorum principiis: nimirum a noſtra libertate non pendet; & tamen neceſſaria ad actum, cum eoque connexa eſt. Item ad legendum opus eſt luce, non tanquam virtute, aut facultate, ſed tanquam conditione: & tamen qui caret luce, nec eam acquirendi liberam habet poteſtatem, non eſt in actu primo proximo ad legendum pro ſuo arbitrio. Similiter admotio, ſive applicatio cibi ad os, & fauces non eſt ipſa virtus, ſeu facultas comedendi; ſive, ut in re ſua adverſarii locuntur, non prærequiritur conſtitutive ad poſſe; ſed eſt applicatio, ſive accomodatio potentiæ paſſivæ ad activam: & nihilo tamen minus non intelligitur, nec eſt homo in actu primo proximo ad comedendum libere, ſi pro ſua electione, & arbitrio non poteſt ſibi cibos ori, & faucibus admovere.

Tertio: Si actus primus proximus ad operandum, & quidem plenus, & integer, ut Thomiſtæ docent, præit phyſicam præmotionem; ad eum actum primum proximum, ſeu proximam facultatem utique pertinet Omnipotentia divina: non utcunque, ſed ut parata ad concurrendum cum cauſa ſecunda; parata vero per aliquod certe divinum decretum. Quod quidem decretum, ut ad eos ſpectat, quibus Deus gratiam efficacem impertit, eſt apud aliquos Thomiſtas decretum ipſum prædeterminans: ſive, eſt decretum illud, quo Deus libertati creatæ immittere vult præmotionem phyſicam v. c. ad actum charitatis. Si minus igitur phyſica ipſa præmotio, at certe decretum hoc concurrendi per phyſicam præmotionem habebit ſe ſe ex parte actus primi: ac proinde contra illud licebit noſtris pugnare argumentis iiſdem, cum in eo tria illa reperiantur,

ut

ut ſit neceſſarium ad actum, ut ſit connexum cum illo: & humanæ voluntati ſit inevitabile.

At in oppugnatione illud additur: ea neceſſitas eſt, & dicitur ſenſus compoſiti: non vero ſenſus diviſi. Ad hoc vero ita primum reſpondeo. Quid eſt, quod Cælites nec ſunt, nec dicuntur liberi ad amandum Deum: quamvis amorem in Deum poſſint omittere in ſenſu diviſo a viſione beata? Quod cæcus nec ſit, nec dicatur ad videndum liber, quamvis in ſenſu diviſo a cæcitate videre poſſit? Quod vinctus catenis, quas perumpere nequeat, liber ad curſum nec ſit, nec reputetur: quamvis ex illis exemptus currere queat? Scio equidem hac diſtinctione ſenſus diviſi, ac ſenſus compoſiti aliter uti Janſeniſtas, aliter vero Thomiſtas. Hi enim libertatem indifferentiæ ſartam tectam eſſe catholice volunt. Quamobrem, ſive injiciatur, ſive non injiciatur facultati liberæ phyſica præmotio v. c. ad actum charitatis; ſtare tamen dicunt actum primum proximum; ac penes illum eſſe proximam poteſtatem edendi, & omittendi charitatis actum. Nimirum hoc illud eſt, quod qualitatem illam, quam cæteroqui præmotionem, ac prædeterminationem appellant, tanto ſtudio, tantoque molimine conantur retrahere pene in actum ſecundum: ut ſcilicet incolumis ſit libertas actus primi. Verum puto, eos ita poſſe redargui. Siquidem inter illa, ex quibus conſtat libertas actus primi proximi, hoc jure, ac merito habentur; depulſio, remotio; ſeu, quoniam hic ſcholaſtice loquor, carentia, negatio cujuſcunque irreſiſtibiliter determinantis; hoc eſt, rei connexæ cum actu ſecundo, nec ab humana voluntate impedibilis, ſive vitabilis: quocunque ſigno res hæc ſuperveniat, & ſtatuatur. Nam ſi hoc habet, ut determinet irreſiſtibiliter, ideſt, ut ſit connexa v. c. cum actu charitatis, nec poſſit ea connexio vel vinci, vel impediri, quocunque ſigno eſſe dicatur, affert antecedentem amandi neceſſitatem: & ad actum primum proximum ſpectat, ut neque in eo adſit, nec ſuperventura, aut quoquomodo affutura res iſta ſit.

Ajo igitur, facultatem agendi, ſive operandi in ſenſu diviſo ab aliquo impedimento actioni, ſive operationi oppoſito, tum ſolum eſse, & cenſeri liberam, quando pro ſuo arbitrio eum ſenſum diviſum efficere poteſt: ſeu quando ſe ipſa poteſt ab eo impedimento dividere: ſive prohibendo ne ſuperveniat, & ipſam afficiat: ſive illud deſtruendo, aut quoquomodo ſuperando. Sed nihil horum facere poteſt volendi facultas præmota, ſeu prædeterminata ad amandum in eam præmotionem, ſeu prædeterminationem: quæ quidem ex iis, quæ de illa prædicantur, eſt efficaciſſimum, & inſuperabile impedimentum omittendi amorem. Ergo nec eſt, nec cenſeri poteſt vere, & proprie libera. Cætera, quæ adduntur in oppugnatione refutata jam ſunt num. 36. & 39.

XLIII.

Oſtendendum ſupereſt, phyſicam præmotionem alienam videri etiam a ſanctitate divina: ut appareat, hac etiam de cauſa in ea poni non poſſe divinæ gratiæ efficaciam. Sic vero probatur. Vel Deus prædeterminat ad actus, qui mali ſunt, & peccata: vel non prædeterminat? Si hoc alterum adverſarii putant, haud ſibi cohærent, eoque concidunt argumenta præcipua, quibus propugnant præmotionem phyſicam ad actus liberos, bonos, & ſalutares. Quamobrem omnes fere Thomiſtæ primum eligunt. Sic tamen, ut non dicant Deum prædeterminare ad malum, ſive ad peccatum, ſed ad materiale peccati. Quanquam non deſint, qui alterum malint: rati ſe poſſe facilius oſtendere, quomodo ſibi cohæreant, phyſica præmotione ad actus malos ſublata; quam ea poſita, quomodo divinæ ſanctitati non adverſentur. Impugnatur igitur primum.

Conſtituatur homo aliquis in actu primo proximo eligendi alterutrum ex his duobus extremis; odium Dei, aut non odium; blaſphemiam, aut non blaſphemiam; furtum, aut non furtum: clariſſime præterea advertat ingentem, & propriam odii in Deum, blaſphemiæ, furti malitiam; reclamet conſcientia, ipſum,

ipſumque ab illis graviſſime retrahat; homine inter hæc ita conſtituto, quod Deus ex pleniſſima ſua libertate medium ſe inferat, & decreto efficaci, ac directo velit efficaciter phyſicam præmotionem ad actum illum, qui re vera eſt actus odii, blaſphemiæ, furti; ac velit actum illum directe, & efficaciter; enim vero eſt, aut mihi omnino videtur, indecens, & divinæ ſanctitati repugnans. Ac licet dicas, actum illum non eſse propriam, ſive formalem malitiam, quippe quæſita ſit in negatione, ſeu privatione rectitudinis debitæ; ſed malitiam dumtaxat materialem, & radicalem: Deum vero amare, & velle actum illum, non ut malum, ſed ut ens; nihilo tamem minus adhuc eſt verum in iſta ipſa ſententia, Deum amare, & velle efficaciter actum, qui vere eſt odium Dei, blaſphemia, furtum; qui intrinſece eſt malus, quia ſaltem cum formali malitia metaphyſice connexus: in iiſque circumſtantiis, in quibus conſcientia ab eo graviſſime retrahit. Quod quidem mihi durum videtur.

Deinde falſum eſt, communi Noſtrorum ſententia, quod ſumunt adverſarii, actum illum re ipſa diſtingui a formali malitia: ut enim oſtendunt Noſtri, formalis malitia talium actuum eſt proxime, & immediate in ipſa eorundem effectione, & ut ita dicam editione, ſeu poſitione contra conſcientiam, ac Dei legem. Quod ſcilicet ſunt ipſimet: ſunt enim per ſe immediate, & formaliter id ipſum, quod prohibet lex, & contra quod conſcientia reclamat.

Tertio, licet ſententia multorum, voluntarium indirectum, quod vocant, exſurgere, atque oriri non poſſit, niſi ubi adeſt lex, qua prohibeatur, effectum poni; atque illud etiam prohibeatur poni, ex quo prævidetur ſecuturus effectus: ac licet Deus legi nulli ſubjaceat ab ipſo diſtinctæ: tamen, ſicut ipſe ex ſe eſt ſumma ſanctitas, ita ſibi eſt ſua veluti lex; ſive eſt ſibi ſua definita, & eſſentialis directio, & quaſi norma, ac regula agendi ſanctiſſime, & odio habendi non ſolum formalem peccati malitiam; verum etiam id omne, quod a priori, quod ſimpliciter, & individue cum illa metaphyſice connectitur: uti fatentur adverſarii re vera cum illa connecti actus ſupradictos; qui propterea ex ſe, & intrinſecus mali dicuntur ab omnibus.

Hinc evidens eſt, quid diſpar ſeu diſſimile ſit inter præmotionem hanc ad actus qui ſunt mali, & conjunctionem, ſive concurſum horum duorum, videlicet Scientiæ mediæ de peccato futuro ſub libertate A, & talis libertatis: immo etiam decreti, quo Deus velit conferre talem libertatem ſub illa præſcientia. Etenim iſta horum durum conjunctio connectitur quidem metaphyſice cum peccato, & malitia formali abſolute exiſtente; ſed non indiviſim, & omnino a priori, ut paulo ante diximus de præmotione. Siquidem hoc non eſt quid ſimplex, ſed compoſitum ex duobus. Quo datur locus, ut unum aliquo modo ſubſequatur, ſeu, quoniam neceſſe eſt ita loqui, præſupponat peccatum, ſaltem ut conditionaliter futurum; alterum vero ſit ex ſe omnino indifferens ad peccatum, ejuſque omiſſionem, uti eſt libertas illa, & ſolum ſit connexum cum peccato, ut abſolute extituro, quatenus eſt adimpletio, ſeu purificatio, quæ vocant, conditionis relucentis in illa præſcientia.

Præterea ſi conſideremus etiam decretum conferendi eam libertatem ſub illa præſcientia; primo hoc decretum non eſt neceſſario connexum cum peccato. Deinde ſi velis illud decretum eſſe ſimul talem divinæ voluntatis actum, quo Deus ſibi complaceat de illa præſcientia, quæ certe eſt divina perfectio; tunc illud decretum erit quidem ſimplex, & abſolute connexum cum peccato; veruntamen non omnino a priori. Quandoquidem ejus connexio non eſt proxime, ſive immediate cum peccato; ſed tantum mediate: quatenus ſcilicet eſt immediata connexio cum ſupradicta conjunctione, ſeu concurſione eorum duorum, videlicet præſcientiæ, & libertatis. Neque enim decretum illud aliter connectitur cum peccato, quam per immediatam connexionem cum ea duorum illorum ſocietate, & coitione: & ſic quidem, ut

præ-

præſupponat, ſeu ſubſequatur unum ex illis, nempe divinam præſcientiam; inducat vero alterum, humanam videlicet libertatem. Cum autem ea duorum illorum conſociatio, & conventio non omnino a priori connexa ſit cum peccato; neque hoc decretum omnino a priori cum eodem connexum erit.

Nec magis ipſis favet, aut defenſioni eſt exemplum, quod affert D. Thomas in 2. Sent. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. de Malo art. 2. Sum. p. 1. quæſt. 49. art. 2. ad 2. &c. quibus in locis docet, *obliquitatem greſſus in claudis non eſſe a virtute greſſiva, ſed a curvitate tibiæ*: & tamen quis neget claudicationem effectum eſſe hominis claudi ſe voluntarie, ac libere moventis, & claudicantis? Poſſet is profecto acquieſcere, & non claudicare. Sicut igitur (concludere poſſent) homo claudus dicitur velle motum, non vero claudicationem; cauſam eſſe motus, non autem claudicationis; licet re vera aut idem ſint, aut ſit certe motus cum claudicatione connexus: ita fieri poteſt, ut velit Deus materiale peccati, non vero formale. Ad hæc vero, primo exemplum vertitur in adverſarios: quia virtus gradiendi, quæ eſt ipſamet viventis anima, non invehit, neque exigit curvitatem tibiæ. Si ergo non diſſimili modo ſe habet Deus ad actiones malas, non immittit in hominem curvitatem, ut ſic loquar, ſive obliquitatem phyſice præmotionis ad actum, qui malus eſt. Deinde ſi virtus greſſiva, quam dicis, naturaliter exigeret eam curvitatem, recte utique diceretur eſſe claudicatio etiam a virtute greſſiva. Similiter igitur diſſerendum de Deo. Præterea nuſquam docet Doctor Angelicus Deum velle efficaciter materiale actus mali odii; blaſphemiæ, furti &c. hoc tantum ait, hos actus, ut ens ſunt, eſſe a Deo: a Deo ſcilicet phyſice, & immediate concurrente. Hoc enim ibi efficere, & evincere vult S. Doctor phyſicum, & immediatum Omnipotentiæ concurſum etiam ad actus malos, adverſus aliquos, qui ſecus opinabantur.

Negat ſimul eſſe a Deo actus illos, prout mali ſunt, ſeu deformes: non quod in ipſis non inſit interior deformitas, quæ multorum ex Noſtris ſententia, eſt aliquid entis, atque ipſa etiam phyſice producitur; ſed quod tales actus Deo imputari non poſſint. Hoc enim ſignificat illos eſſe a Deo, ut deformes; videlicet, ipſi poſſe imputari in genere deformitatis, ac turpitudinis. Cum autem Deus illos nullo affectu proſequatur, aut velit; non ſunt a Deo, ut mali, ſeu turpes; hoc eſt, ita non ſunt a Deo, ut ipſi tribui poſſint. Brevius: eſſe illos a Deo, ut actus ſunt, efficit ſenſum phyſicum, & materialem; eſſe a Deo, ut mali ſunt, efficit ſenſum moralem, ſive imputationis ad culpam. Scilicet longe diverſo modo hæc accipiuntur.

Quod ſi exemplum tibiæ curvæ aliter adhibeas; eamque compares non cum virtute gradiendi, ut fecit S. Thomas; ſed cum libera hominis facultate, quod S. Thomas ibi non fecit; de hoc primum quæro, An homo ille claudus velit incedere eo qualicunque modo, quo poteſt, & ſimul advertat ſe non poſse aliter, quam claudicando? Si ita vult; de hoc homine affirmo eum directe velle claudicationem, eamque ipſi jure ac merito tribui. Neque poteſt is dici velle ejuſmodi motum, ut progreſsus, ſive inceſsus eſt, non vero ut eſt claudicatio: cum enim, ut diximus utrumque advertat, ac videat ea non poſse disjungi, ac velit eum motum, ut eſse poteſt ejus voluntas, utrumque amplectitur, ac fertur in utrumque. Quod ſi non velit directe claudicationem; ſed tantum aliquid, ex quo videat claudicationem futuram; atque hoc ipſum referat ad finem alium. V. c. ſi ad obtinendam ſanitatem aliquod medicamentum adhibeat, quod ei neceſſitatem inſuperabilem afferat talis motus; tunc, ut eſt multorum ſententia de voluntario indirecto, quam hic ſequi poſsumus; ſi claudicatio eſset ipſi prohibita, & ad eam evitandam eſset illi pariter tali medicamento interdictum; diceretur utique eidem indirecte voluntaria claudicatio, ipſique imputaretur ad culpam. Secus vero ſi ipſi jus eſset ſumendi ad alium finem ſ, v. c. ad ſanitatem, medicinam illam,

ac

ac permittendi etiam claudicationem. In re autem noſtra, ſi præmotionem ad materiale peccati velit; cum ſit, ut oſtendimus, ipſius ſanctitati contrarium quicquid indiviſim, ac penitus a priori connectitur metaphyſice cum peccato; & contrarietas illa naſcatur unice ex ea connexione ſimplici, ac metaphyſica cum actu illo in illis circumſtantiis, ac proinde etiam ex peccato ipſo; ſequitur ut tale quid cum peccato connexum divinæ ſanctitati repugnet ratione peccati: & quamvis poſſit aliis modis Deus peccatum permittere, non tamen poſſit hoc modo.

His accedit, hanc eſſe expreſſam D. Thomæ ſententiam, pluribus in locis ab eo traditam. Sic enim part. 1. quæſt. 19. art. 9. *Unde malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult; ſed malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult, volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum. Sicut volendo juſtitiam, vult pœnam; & volendo ordinem naturæ ſervari, vult quædam naturaliter corrumpi*. Et lib. 3. cont. Gent. cap. 162. num. 1. *Quamvis autem quoſdam peccatores Deus ad ſe non convertat, ſed in peccatis, ſecundum eorum merita eos relinquat; non tamen eos ad peccandum inducit. Homines enim peccant per hoc, quod deviant ab ipſo, qui eſt ultimus finis. Cum autem omne agens agat ad proprium finem, & ſibi convenientem, impoſſibile eſt, quod Deo agente aliqui avertantur ab ultimo fine, qui Deus eſt: impoſſibile igitur eſt, quod Deus aliquos peccare faciat*. Item in 2. Sent. diſt. 37. quæſt. 2. art. 1. ad 1. *dicendum, quod Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum. Inclinat ſiquidem voluntatem in bonum adminiſtrando virtutem agendi, & directe movendo ad bonum: ſed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam non præbet, per quam quis a malo retraheretur; & non quod directe voluntatem in malum ordinet*. Et qu. 3. de Malo art. 1. ad 1. *dicendum, quod Deus dicitur tradere aliquos in reprobum ſenſum, vel inclinare voluntates in malum, non quidem agendo, vel movendo; ſed potius deſerendo, vel non impediendo. Sicut ſi aliquis non daret manum cadenti &c.*

Quibus plane conſentiunt, quæ docet 1. 2. quæſt. 79. art. 3. *Dicendum*, inquit, *quod excæcatio, & obduratio duo important. Quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi a divino lumine: & quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitus non illuminetur, ad recte videndum, & cor hominis non emolliatur ad recte vivendum: & quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis*. In quibus omnibus nihil adſtruit immiſſum a Deo, quod cum peccato nectatur; & ſit, aut ullo modo dici queat præmotio vel duntaxat ad mateiale peccati. Locum hunc concludo teſtimonio S. Bonaventuræ, qui rem hanc ipſam luculenter explicat. Ait enim in 2. Sent. diſt. 37. quæſt. 1. ad ultim. *Ad illud, quod objicitur, quod Deus eſt principale movens in tali actione*, (mala) *dicendum, quod verum eſt; attamen non ſequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem. Excitationem dicit aliquem effectum gratiæ, prævenientem ipſam voluntatem. Hæc autem requiritur in bonis meritoriis; in aliis vero operibus indifferentibus, vel etiam malis non eſt, niſi ſola cooperatio divinæ virtutis, quæ exiſtens in creatura potentialiter, eſſentialiter, & præſentialiter, ſicut conſervat eam in eſſendo, ſic adjuvat in operando: propter quod conceditur ibi eſſe cooperatio, non præventio, vel ſubſecutio*: ac proinde neque præmotio.

His omnibus non ſolum ea refelluntur, quæ nobis objecta ſunt in hac oppugnatione: ſed quoniam, ut oſtendimus, phyſica Præmotio aliena eſſe videtur a Sanctitate divina; neque cohærere cum libertate creata; nec Deo in actiones liberas hominum, & Angelorum, poteſtatem, ſive dominium relinquit, niſi quod ſecum ipſum pugnare videatur; conſeqnens eſt, ut in ea reponi non poſſit efficacitas Gratiæ, nequæ poſſit efficacitas hæc cum libero arbitrio ipſius ope conciliari.

XLIV.

Digitized by Google

XLIV.

Ad tertium, quæro, utrum decretum illud concomitans, ſeu condeterminans, quod Scotiſtæ vocant, ſit ejuſmodi, ut a libertate creata impediri poſſit; an vero, ut impediri non poſſit? Si impediri non poteſt; hoc eſt, ſi non poteſt fieri, ne ſit; cum ſit idem efficax quoque, & metaphyſice connexum cum actu ipſius libertatis, ſeu facultatis creatæ; jam habet duo illa, quorum cauſa phyſicam præmotionem rejecimus, cum ea creatæ libertati inimica opinemur; metaphyſicam ſcilicet connexionem, & omnimodam, ut ſic loquar, inimpedibilitatem. Quod ſi poteſt impediri; ſive, ſi fieri poteſt, ne ſit; primum repugnat divinæ ſanctitati, a qua certe videtur alienum, ut velit, & amet efficaciter hominum, & Angelorum peccata. Nego deinde ipſum cohærere ſatis cum libero eorum arbitrio. Nam licet vocetur condeterminans, re vera tamen prædeterminans eſt. Quod ita probatur.

Omnis voluntas, ſive omnis volendi actio efficax naturæ rationalis, quæ fertur ad aliquem terminum, prout diſtinguitur ab ea, quam dicimus meram complacentiam erga illum terminum, eo per ſe efficaciter tendit, ut inducat illum terminum, & eſt, ut dicitur, in priori ad illum. Sed decretum illud condeterminans eſt quædam voluntas, ſeu volendi actio efficax naturæ ſumme rationalis, ſive intelligentis, ac perfectiſſime omnia cognoſcentis; neque eſt mera complacentia erga actus liberos creatos. Ergo tale decretum eſt volendi actio ſic tendens in actus creatos, ut illos inducat, ad eoſdemque eſt omnino in priori. Atqui hoc ipſo eſt prædeterminans, ut eſt per ſe manifeſtum; & ſi prædeterminans eſt, creatæ libertati repugnat, ut adverſarii ipſi ſentiunt. Ergo ejuſmodi decretum non ſatis cohæret cum libero arbitrio.

Immo nec ſatis ipſum ſibi cohæret ex ſua propria notione; cum dicatur condeterminans, ac probetur eſſe ſimul prædeterminans. Major propoſitio ſyllogiſmi hic modo poſiti videtur certa, & comperta unicuique eſſe debet, ex iis omnibus voluntatibus, quas in rebus, quæ a nobis geruntur, & quarum cauſa ſumus, quique concipimus. Experientia enim cuique eſt exploratum, concipere ſe voluntates ejuſmodi efficaces de alicujus rei exiſtentia, tanquam viam, ſeu medium, ſeu tanquam determinativum vel mediatum, vel immediatum facultatis; eo ſpectans, ut facultas eum terminum ponat. Sic actibus interioribus noſtris efficacibus imperamus externis facultatibus, & illas determinamus ad motum ex. gr. manus, pedis, & ſimilium. Et ſic pariter enitimur, ac tendimus, ut obtineamus effectus ab aliis cauſis edendos: ex. gr. vel phyſica motione, & impulſu; vel morali, ut conſilio, ſuaſione, præcepto. Idem igitur dicendum de Deo: eum, ſi efficaciter vult actum facultatis creatæ ſeu cauſæ ſecundæ, hac ipſa efficaci voluntate determinare Omnipotentiam ſuam ad concurſum, quem vocant, in actu ſecundo: qui concurſus proinde eſt effectus ejus voluntatis efficacis; & quod conſequens eſt, eſt illa poſterior, nec eodem ſigno cenſendus.

Confirmatur hæc ratio. Vel actus ille cauſæ ſecundæ eſt effectus talis decreti; vel non? Si eſt effectus illius, non tenetur eodem ſigno, ſed eſt illo poſterior: ac proinde decretum illud non condeterminans, ſed prædeterminans eſt. Si non eſt effectus illius; quorſum adhibetur iſtud decretum? Neque enim ejus ope explicari poterit Dei dominium in actus naturæ creatæ: cum ex eo decreto non pendeant, neque illud tanquam cauſam ullo modo reſpiciant, nec aliquid ipſi debeant; ſed illi tantum exiſtendo cohæreant, & conjuncti ſint.

Præterea, ut eo tandem veniamus, quo hæc oppugnatio nos provocat; decretum hoc condeterminans, prout impediri poſſe dicitur a libertate creata; impediri ab ea certe non poteſt directe, & proxime, ſive immediate in ſe ipſo: cum creatæ libertatis exercitium non ſit, neque hæc ad illud immediate ullo modo concurrat. Sed neque impediri poteſt in aliquo, ex quo Deo conſtet libertas faciendi tale decretum. Quoniam, ut ad-

verſarii fatentur, eorum, quæ in Deo prævia ſunt tali decreto, nihil eſt, quod impedire poſſit facultas creata. Supereſt igitur, ut impediri poſſit in ipſomet actu, ſive actione creata, cum qua decretum ejuſmodi nectitur: videlicet, ut adverſarii loquuntur, *quadam coincidentia, & attemperatione voluntatum*. Verum hoc per ſe eſt plane incredibile. Eo enim opus eſſet, ut volendi facultates divina & creata eſſent ex ſua natura ita, ut ſic dicam harmonice, & ſympatice attemperatæ, ut ſi altera pro ſuo libito electura ſit unam partem v. gr. A; id ipſum collibeat alteri, atque idem ipſum ſit electura. Hoc vero & per ſe eſt paradoxum, cujus nullum veſtigium habemus in aliis facultatibus liberis nobis notis: & nullum habet fundamentum in ſacra auctoritate; quod quidem pro re adeo admirabili eſſet maxime neceſſarium. Nec ſolum exemplo, & fundamento caret: ſed eo etiam peccat, quod libertatem creatam nimis attollit; contra vero nimis divinam deprimit. Præterea prorſus enervat, & infringit argumentum celebre Sanctorum Patrum adverſus ethnicos: videlicet non potuiſſe hanc rerum univerſitatem, ſi plures eſſent dii, tam cohærenter, tamque uniformiter per tot ſæcula gubernari. Propter diſſenſionem ſcilicet voluntatum, quæ ſi plures ſunt, & liberæ non ſemper eodem modo ſe exercent, nec in idem conſentiunt.

Neque redargui poſſum ex iis quæ de *Veritatis per ſe ſubſiſtentis* natura diſſerui tum hic in ſecundo ſyſtemate, tum olim in quodam ſyſtemate metaphyſico: ſic enim illud inſcripſi, quia Veritatis per ſe conſiſtentis natura hoc ſummum petit, ut quævis electio, ſeu determinatio cauſæ ſecundæ, quæ re ipſa, ſive ut ajunt, in eſſe veri certo aliquo tempore exiſtit, in ipſa Veritate, ſive in eſſe veri ſit ab æterno. Hoc autem eſſe veri, ut talis, ad ſcientiam Dei proprie, & formaliter, non ad voluntatem pertinet. Ac certe ut tale non eſt ipſa Dei electio, ac determinatio; immo, ut ſupra notavimus, neque complementum contingens divinæ electionis, ac determinationis illius, qua Deus velle, & prædefinire dicitur ſalutarem eam actionem cauſæ ſecundæ liberæ.

X L V.

Ad quartum dicendum, ea omnia ita explicanda, ut Deus operetur omnia in omnibus, ſecundum ipſorum naturæ modum. Qui cujuſmodi ſit in cauſis ſecundis liberis, ſupra multis expoſui. Ut ſummum his locis propugnari poſſet ſententia quam tradit Bellarminus de determinatione negativa cauſæ ſecundæ liberæ. Is enim Lib. 4. de Grat. & libero arbitrio agens ex profeſſo de concordia divinæ cooperationis cum libero arbitrio Cap. 14. tres opiniones refellit: primam Cajetani, cui videtur hic nodus plane inexplicabilis. Contra quem docet adnitendum eſſe, ut rebus etiam obſcuris aliquod lumen afferatur. Alteram Durandi, qui nullum requiri contendit divinæ voluntatis concurſum ad actiones cauſarum ſecundarum: quam opinionem Bellarminus impugnaſſe ſe dicit capitibus præcedentibus. Tertiam eorum eſſe ait, qui Deum fatentur concurſu ſuo determinare actionem voluntatis humanæ; quam acrius oppugnat rationibus ſeptem, quas apud ipſum videre potes. Tandem, quod ad præſentem oppugnationem facit, Cap 15. exponit, & approbat ſententiam Scoti. Et Cap. 16. ut probabiliorem eligit ſententiam, quam D. Thomæ eſſe cenſet; ex qua ſententia docet, voluntatem creatam determinare actum negative: quatenus pro ſuo arbitrio ſinit ſe permoveri ab objecto quod ipſi proponitur, & ſic etiam a Deo. Quæ tamen accomodanda ad id quod de Bellarmino dictum in primo ſyſtemate.

Quod ad reliqua pertinet, hæc etiam commodam explicationem habent ex Patribus. Sic enim Damaſcenus Lib. 2. de Fid. Cap. 30. *Scire illud attinet in Scripturæ more poſitum eſſe, ut quæ Dei tantum permiſſio eſt, ipſius actionem appellet*. Nihil igitur aliud ſignificant locutiones illæ, ac teſtimonia divinæ Scripturæ, niſi quod Deus hæc aut illa peccata permiſerit; eademque ad aliquod bonum ex ipſis eliciendum direxerit,

Digitized by Google

rit, atque ordinarit. De quo inter Catholicos convenit. Cum autem hæc divina permiſio, atque ordinatio non ſit prædeterminatio, ac præmotio phyſica ut eſt ex dictis perſpicuum; conſequens eſt, ut ex illis loquendi modis nihil contra nos colligere poſſint, non ſolum Calviniani, & Janſeniani; ſed neque Doctores Catholici, qui ab illis longe diſtant. De ſingulis locis nobis objectis, & ſimilibus aliis conſule noſtros interpretes, ac præſertim Cornelium a Lapide.

XLVI.

Ad quintum dicendum, primam hujus oppugnationis partem ductam eſſe ex Janſenio, ejuſque teſtimonio niti. Hic totus eſt in prædicanda *Gratia victrice*: & tom. 3. Lib. 2. Cap. 24. n. 5. affirmat, *Auguſtinum non raro gratiam Dei medicinalem, VICTRICEM vocare*. Quod quidem ut affirmaret, *ſi imprudens fecit, eo nihil cæcius; ſi autem ſciens, nihil ſceleratius*. (Auguſtinus cont. Adimant. Cap. 15. n. 1.) Siquidem Auguſtinus *Gratiam victricem*, ne ſemel quidem nominavit: multo minus *Gratiam Dei victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium*, ut loco nuper citato n. 6. contendit Janſenius. Quam doctrinam non ex Auguſtino, ſed ex ſolo Calvino hauſiſſe videtur; cujus eſt prædicare eam *gratiæ actionem, quæ non hominibus ſuam relinquit voluntatem*: ut videre eſt Lib. 6. adverſ. Pigh. pag. 351. edit. an. 1552. & alibi. Præterea Janſenius affirmare non dubitavit, gratiam illam ab Auguſtino *appellari paſſim* (vide indicem tomi tertii, verbo *Gratia*) *appellari plerumque* (Lege Tom. 3. Lib. 4. Cap. 6.) *delectationem victricem*. Nimirum affirmavit hoc eadem fide, & veritate. Etenim *delectationem victricem* ſemel tantum dixit Auguſtinus; nec alium proferes locum, quam qui in oppugnatione citatur. Quo in loco nullo modo patrocinatur Janſenio. Nomine enim *delectationis victricis* gratiam illam ſignificat, *quam Deus bonus .... etiam Sanctis ſuis .... non tribuit*. Hoc eſt, ut expreſſe ſubjungit num. 33. *adjutorium ad perficiendam juſtitiam*. Quare illam cum *certa ſcientia* conjungit. Non eſt ergo apud Auguſtinum victrix delectatio *relativa*, ut Tom. 3. Lib. 8. Cap. 2. & aliis pluribus in locis docet Janſenius. Neque tunc dicitur *victrix, quando alteram ſuperat*. Sed quando nullam ſibi oppoſitam delectationem habet, quam ſuperet. *Victricem delectationem* habebimus, cum habebimus *victoriæ pacem* (Auguſtinus Lib. 2. Operis imperf. num. 217.) *juſtitiæ pacem* (Lib. 2. de pec. mer. cap. 19. n. 33.) *pacem plenariam* (Lib. 10. Conf. cap. 30. num. 42.) *cum pace perfecta nihil quod vincatur exiſtet* (Lib. 2. de pecc. mer. cap. 4. num. 4.) *quando nihil nobis repugnabit ex nobis .... ut ſine ulla mali contentione, & cum ſumma boni delectatione regnemus*. (Lib. 6. Opere imperf. num. 14.) Ejuſmodi delectationem habet *Angelica ſublimis natura .... quia ita particeps eſt legis æternæ, ut ſolus eam delectet Deus, cujus voluntati, ſine ullo experimento tentationis obtemperat*. (Lib. 22. cont. Fauſt. cap. 28.) Habuit & Adamus *tum beatus .... ante peccatum .... ut reſiſtentem ſibi carnem nullo certamine pateretur, nec aliquid omnino ex aliqua cupiditate ſentiret, quod nollet* (Lib. 6. Opera imperf. cap. 14.) *ut contra vitia ſua nulla certaret, quod in eo nulla erant* (ibid. cap. 22.) Quæ ut nemo non videt ab Janſenii dogmate ſunt alieniſſima.

Præterea quid ſi Auguſtinus alicubi gratiam victricem, ſeu triumphatricem dixiſſet? Id adeo non eſſet explicandum ex ſententia Janſenii; ut ne Thomiſtis quidem patrocinaretur, qui hac de re catholice opinantur. Tum propter illa, quæ ex Auguſtino expoſuimus in ſecunda diſputationis parte; tum ex ipſamet Gratiæ victricis, ac triumphatricis notione. Nam ſi per ſe intrinſecus, & ut ſæpe diximus, irreſiſtibiliter connexa eſſet cum bono voluntatis aſſenſu, victrix, ac triumphatrix non eſſet. Quoniam extorqueret quidem a voluntate creata aſſenſionem bonam, ſed non aſſenſionem liberam. Dici ergo poteſt gratia illa victrix, ac triumphatrix, quæ quidem volendi facultatem expugnat, ſic tamen, ut illi non modo vim, ſed neque neceſſitatem inſuperabilem afferat,

ferat. Unde autem illam expugnet, ſupra expoſitum eſt. Interiori certe quidem illuſtratione, ac delectatione; veruntamen non ejuſmodi, quibus reſiſti nequeat, ut dictum centies.

XLVIII.

At quid tandem ad illud, quod apud Auguſtinum vere invenitur loco in oppugnatione citato? *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt*. Quem *locum clariſſimum, & præclariſſimum* vocat Janſenius tom. 3. lib. 4, cap. 6. Sed nuſquam probat ab Auguſtino in eam ſententiam eſſe dictum, ut pro majori pondere alterutrius delectationis, cæleſtis ſcilicet, aut terreſtris ita inclinemur ſive ad bonum, ſive ad malum, ut inclinationi illi reniti in noſtra poteſtate non ſit. Equidem ſic exiſtimo, Auguſtinum vel loqui de delectatione deliberata, ut ſic loquar; hoc eſt de illa quam in nobis regnare, ac dominari libere ſinimus, cum voluntati electionem, ſive aſſenſum adjungimus, de quo dictum in quarto Syſtemate. Vel ſi loquitur de delectatione non deliberata, ſed quæ in nobis exiſtit, nobis non indulgentibus, nec libere eam foventibus, nomine neceſſitatis ſignificare difficultatem aliter operandi; neque id, quod fieri prorſus neceſſe ſit, ſed quod plerumque contingat, ac fieri ſoleat. Vel ſi veram, & propriam neceſſitatem ſignificat, non loqui de ſingulis quibuſque actibus, aut caſibus; ſive de neceſſitate determinata, quam vocant, ſed de indeterminata, & vaga; cujuſmodi eſt illa, de qua eſt intelligendum quod Tridentini ſeſſ. 6. can. 23. ſancitum fuit: *non poſſe hominem in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare* cum ſola gratia ordinaria, ſeu, *niſi ex ſpeciali Dei privilegio*. Ac de qua eadem neceſſitate intelligendum pariter, quod theologi docent valde communi ſententia, non poſſe hominem ſine gratia vitare omnia lethalia, contra legem naturalem, ac tentationibus omnibus reſiſtere. Vel tandem ſi Auguſtinus loquitur de vera, & inſuperabili neceſſitate, eademque determinata, pro certo aliquo, & particulari actu, ſive caſu; intelligendum eſſe de quibuſdam caſibus repentinis, pro quibus exiſtunt indeliberati illi actus, quos primos motus appellitant; quibus ea libertas non ineſt, quæ ad bene, vel male merendum ſit ſatis. Perſpicua, & plana ſunt hæc tum ex iis omnibus, quæ ex Auguſtino dedimus in ſecunda diſputationis parte; tum ex iis, quæ antecedunt, & conſequuntur in hac tota Expoſitione Epiſt. ad Galat. ac præſertim num. 46. & 48. & num. 51. & 54. tum denique ex his, quæ juxta doctrinam, & diſtinctiones, exceptioneſque modo traditas hic breviter ſubjicimus, aut indicamus. Sic nimirum ſi delectatio affectioque illa ſit deliberata, & a nobis ſuſcepta, vel admiſſa libere; neceſſe eſt, ut bene, vel male operemur, nempe pro ut boni, vel mali fuerimus. De quo vide quid Auguſtinus ſcribat lib. 2. de Serm. Dom. in mon. cap. 13. num. 45. & cap. 24. num. 79. 80. 81. lib. de div. quæſt. 83. q. 40. & quæſt. 59. num. 3. & quæſt. 66. n. 6. & quæſt. 70. Item Expoſ. quar. prop. ex Epiſt. ad Rom. prop. 49. lib. 4. de Muſic. cap. 3. num. 4. lib. 14. de Civit. cap. 7. 8. &c. Enchir. cap. 15. n. 4. & cap. 117. num. 31. tract. 74. in Joan. num. 4. Præterea adver. Manich. lib. cont. Adimantum cap. 26. lib. 1. Retract. cap. 22. num. 4. lib. de Act. cum Felice cap. 2. & 4. lib. cont. Fortunatum diſp. 2. num. 22. lib. 5. cont. Fauſt. cap. 11. & lib. 22. cap. 28. lib. 1. cont. Adverſ. Legis, & Proph. cap. 22. num. 47. Item adverſ. Donatiſtas lib. 1. cont. liter. Petiliani cap. 8. num. 9. & lib. 3. cap. 44. num. 53. & cap. 52. num. 64. lib. de unit. Eccl. cap. 28. num. 59. & tandem adverſ. Pelag. lib. 1. de Grat. Chriſti cap. 18. num. 19. & cap. 19. num. 20. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 26. n. 43. lib. 4. cont. Julian. cap. 3. num. 30. &c. lib. 6. cap. 19. num. 58. lib. 5. Oper. imperf. num. 21. ubi præſertim illam Chriſti ſententiam exponit, quæ Matth. VII. 18. & Luc. VI. 43. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructos facere*. Vel illam Pauli ad Rom. VIII. 7. *Sapientia carnis inimica*

Digitized by Google

mica eſt Deo ; legi enim Dei non eſt ſubjecta : nec enim poteſt . Ex quibus lib. 3. cont. liter. Petiliani cap. 44. num. 53. & lib. 1. contr. Julian. cap. 8. n. 38. *opus , ac vitam* , inquit , *ſemper habet bonam bonus , & malam malus . Opera , nec bona voluntatis malæ , nec mala poſſunt eſſe voluntatis bonæ* . Immo aliquibus in locis expreſſe dicit , delectationem iſtam eſſe ipſum actum amoris , ex quo homo judicatur bonus , vel malus . Sic Serm. 159. num. 2. & 3. *Amanda eſt* , inquit , *juſtitia . Ipſe eſt primus gradus . . . ut inter omnia , quæ delectant , plus te delectet ipſa juſtitia ; hoc eſt ut ipſa explicat , ut amori juſtitiæ nullus præponatur* . Tum plura recenſet , quæ nos delectant ; & aliorum quidem delectationem *licitam* , aliorum vero *illicitam* eſſe ait . In quam eandem ſententiam D. Thomas 1. 2. quæſt. 34. art. 4. *Secundum delectationem* , inquit , *voluntatis humanæ præcipue judicatur homo bonus , vel malus* . Nempe quia hæc delectatio eſt ipſe Amor . Auguſtinus lib. 5. cont. Fauſtum num. 11. *ex amore* , inquit , *ſuo quiſque vivit vel bene , vel male* . Et tract. 2. in epiſt. I. Joan. n. 14. *Talis eſt quiſque , qualis ejus dilectio eſt* . Item lib. de bono vidu. cap. 21. n. 26. *nullo modo enim ſunt oneroſi labores amantium , ſed etiam ipſi delectant . . . intereſt ergo quid ametur . Nam in eo , qnod amatur , aut non laboratur , aut & labor amatur . . . delectat labor* . Et lib. 14. de Civit. cap. 6. & cap. 7. num. 2. *Intereſt autem , qualis ſit voluntas hominis . . . recta voluntas eſt bonus amor , & voluntas perverſa malus amor . . . mala ſunt iſta , ſi malus eſt amor ; bona ſi bonus . Unde mihi videtur* (inquit lib. 15. cap. 22.) *quod definitio brevis & vera virtutis , Ordo eſt amoris* . Ut quemadmodum *animus* (ait epiſt. 157. cap. 2. num. 9. & lib. 11. de Civit. cap. 18.) *velut pondere , amore fertur , quocunque fertur ; nec alsquid appetunt ipſa corpora ponderibus ſuis* (epiſt. 55. cap. 10. num. 18.) *niſi quod animæ amoribus ſuis* ; ſic deliberata hæc , ſeu libere ſuſcepta delectatio , quæ *quaſi pondus eſt animæ* , (lib. 6. de Muſic. cap. 11. num. 29.) *ordinet animam . Jubemur itaque* (ait epiſt. 157. cap. 2. num. 9. & ſi jubemur , in noſtra eſt poteſtate) detrahere de pondere cupiditatis , quod accedat ad pondus charitatis. Jubemur (lib. 2. cont. liter. Petil. cap. 84. num. 186.) *mutare in melius voluntatem* ; jubemur (Serm. 344. num. 3.) *mutare amorem , & voluntati carnis voluntatem ſpiritus præponere* (itemque Serm. 159. cap. 5. num. 6.) *delectationi carnis præponere delectationem mentis* . Et , ut proxime animadverti ; quia jubemur , nobis liberum eſt : *poſſumus* ait Auguſtinus ipſe lib. 1. cont. Adverſ. Legis , & Proph. cap. 22. nu. 47. *poſſumus nunc in hoc nunc in illud mutata voluntate converti. Voluntatem mutare in noſtra poteſtate eſt poſitum* . (lib. contr. Adim. cap. 26. & lib. 1. Retract. cap. 22. num. 4.) Quippe *adjuvamur , ut poſſimus* . (in Pſalm. 40. num. 5.)

Hæc ad probandam primam diſtinctionis ſupra traditæ partem ; quæ majorem difficultatem videtur habere . Reliquæ ſunt planiores : de iis tamen plurima pariter ſunt Auguſtini teſtimonia , quibus eas etiam eſſe de ipſius mente , facile poſſet oſtendi . Præſertim vero , ut nomine neceſſitatis intelligat eandem renitendi ; ſive aliter agendi difficultatem , quam facit conſuetudo . Sic enim de div. qq. 83. q. 40. *Ex diverſa conſuetudine diverſa eſt voluntas* . Et q. 59. num. 3. *de conſuetudine id ſemper inquirit , unde gaudere animus ſolet* ; ſeu delectare . Nempe eadem fere vis , & ratio eſt ejus delectationis , quæ præſertim habitualis dicitur , ac conſuetudinis : quæ ut docet S. Thomas quæſt. 6. de malo art. unic. ad 24. *facit neceſſitatem , non ſimpliciter , ſed in repentinis præcipue . Nam ex deliberatione , quantuncunque conſuetus , poteſt contra conſuetudinem agere* . Quæ fuit ultima pars diſtinctionis noſtræ. De repentinis autem rationem eam reddit Doctor idem Angelicus 1. 2. q. 109. art. 8. *Quia in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum , & ſecundum habitum præexiſtentem ; quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere , præter ordinem finis præconcepti , & præter inclinationem habitus &c.* Quemadmodum igitur , ut Auguſtinus ait lib. 2. de pec. mer. cap. 6. num. 7. *Poteſt homo , ſi velit . . . . adjutus a Deo longo uſu firmatæ conſuetudini reſiſtere ;*

&

Digitized by Google

& (ſerm. 180. num. 10.) *veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænare* ; & quanquam *banc vincere* (Lib. 1. de ſerm. Dom. in mon. cap. 12. num. 34.) *difficillimum eſt*; *tamen eam ipſam conſuetudinem* , *ſi ſe quiſque non deſerat* , *&* *Chriſtianam militiam non reformidet* , *illo duce* , *atque adjutore ſuperabit* : ſic facere poteſt , ut ipſum (ſerm. 159. cap. 2. num. 2.) *inter omnia quæ delectant* , *plus delectet juſtitia*. Siquidem ut idem ſcribit contra Fortunatum diſp. 2. num. 23. *noſtrum eſt eligere quid velimus* ; non modo cum excitari , aut moveri , ſed etiam cum *trahi* dicimur . Sic enim (ait Auguſtinus Lib. 2. contra Liter. Petil. Cap. 84. num. 186.) *Deus Pater attrahit ad Filium homines* , *quos in libero dimiſit arbitrio* , *ut quis quod voluerit eligat* . Nemo quidem (ait idem Lib. 1. ad Simplic. q. 2. num. 1. & Lib. de Spir. & liter. cap. 35. nu. 63. &c.) *habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam* , *quo ejus voluntas moveatur* . Nemo , ut idem pariter ibidem dicit, facere induſtria ſua poteſt , *ut vel occurrat* , *quod eum delectare poſſit* ; *vel delectet* , *cum occurerit* , ſi de indeliberata delectatione ſermo eſt , de qua ſunt reliquæ diſtinctionis noſtræ partes . Immo , ut habet idem Lib. 1. ad Simplic. q. 1. num. 13. *Fit etiam ſæpe* , *ut invite delectet* , *quod non licet* . Hoc eſt nobis non conſentientibus illicitæ delectationi , immo & contranitentibus . Siquidem homo opitulante Deo , ut idem loquitur Lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 7. num. 9. *Habet in poteſtate illicitam delectationem* , *ſi extiterit*, *ita cohibere*, *ut non ſolum de cæteris licitis*, *recteque factis* , *verum etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur* . Nimirum ille (Lib. 22. contra Fauſt. cap. 28.) *in eo genere factus eſt* , *ut ineſſet ei poſſibilitas frænandi delectationem ab illicito* , ac (ibidem) *refrænandi omnes mortales delectationes* , *&* *eas coercendi ad naturalem modum*. Illi eidem (de utilit. Jejun. cap. 5.) *in terrenos appetitus ſuos* ..... *jus fræni conceſſum eſt* . Frænantur autem adjuvante Deo , ut idem ait Lib. 1. de Serm. Dom. in mon. cap. 12. num. 34. Cum *dominantis rationis jure cohibentur* . Cum, (Lib. 3. Oper. imperf. cap. 167.) *robuſtiore voluntate eis reſiſtitur* : quamvis (Serm. 30. de verbis Apoſt. num. 4.) *rebellent adverſus mentem*, *&* *litigent delectatione contraria* . Denique (lib. de contin. cap. 13. num. 29.) *cum eis mente non conſentitur* ; *&* *quod majus* .... *ipſa etiam noſtra cognitio* .... *quamvis eorum quodammodo ſuggeſtione* , *&* *quaſi ſuſurratione tangantur* , *tamen ab eis ne oblectetur*, *avertitur*, *&* *ad ſuperna delectabilius cogitanda convertitur*. Ex his omnibus, aliiſque pluribus , quæ in ſecunda diſputationis parte , liquido apparet , diſtinctionem illam , qua locum Auguſtini nobis objectum expoſuimus , omnino eſſe de illius mente : nec eſſe aliquid ab Auguſtino magis alienum , quam ut liberum arbitrium antecedenti ulli & inſuperabili neceſſitati, ſive ex delectatione, ſive ex conſuetudine , ſive aliunde ortæ ſubjectum velit, in iis quæ libere agere dicimur , & quibus bene , vel male meremur .

XLVIII.

De ADJUTORIO QUO , in oppugnatione quod ſequitur , placet mihi ſententia viri doctiſſimi , & in Auguſtini Operibus apprime verſati P. Eduardi de Vitry , quam propoſuit in quibuſdam Concluſionibus theologicis *de Gratia Dei & libero hominis arbitrio* Cadomi editis an. 1716. Dico igitur , *Adjutorium quo* a S. Auguſtino hujus noſtri ſtatus ita proprium haberi , ut ad ſolos Prædeſtinatos pertineat . De quo vide lib. de corrept. & gra. cap. 16. num. 49. Eſt enim ille ordo providentiæ ſingularis, quo, ut ait Auguſtinus in Pſalm. 95. num. 15. *numerus Sanctorum per Dei gratiam prædeſtinatus* in regnum Dei *integer perducetur* , *adhærente ſibi miſericordia Salvatoris ſui* , *ſive cum convertuntur ſive cum præliantur* , *ſive cum coronantur* . Quare non eſt auxilium aliquod unum , & ſingulare; ſed complectitur omnia auxilia tum exteriora , tum interiora , quibus Prædeſtinati perveniunt ad ſalutem æternam . Atque eſt ipſamet *Prædeſtinatio Sanctorum*--- nimirum *præſcientia*, *&* *præparatio beneficiorum Dei*, *quibus certiſſime liberantur* , *quicunque liberantur* . Ut apud

Digitized by Google

apud Auguſtinum lib. de dono Perſev. cap. 14. num. 35. &c. Ita Prædeſtinatis ante rationis uſum morientibus, per *adjutorium quo* procuratur Baptiſmi Sacramentum: adultis vero per idem *adjutorium quo* procuratur gratia triplex; ſcilicet, ut habet Auguſtinus lib. 2. cont. Julian. cap. 4. num. 9. *regenerans*, *juvans*, & *remunerans*. Nam ut idem diſtinguit ibid. lib. 6. cap. 20. num. 65. & lib. de cor. & gra. cap. 7. num. 13. &c. *prius homo, ut adverſus* hoſtem diabolum *pugnare poſſit, ab ejus erúitur poteſtate: deinde ſi vita eſt in carne prolixior, certans adjuvatur, ut ſuperet: poſtremo victor beatificatur, ut regnet*.

Cenſeo tamen in hoc ipſo adjutorio, ſic etiam explicato diſtinguendum ſcholaſtice eſſe & actum primum, & actum ſecundum. Ex parte actus primi veniunt omnia auxilia, ſeu gratiæ prævenientes, quæ Prædeſtinatis conferuntur ad converſionem, ad pugnam, ad perſeverantiam, ſive triumphum: quæ quidem intrinſecus indifferentes ſunt, licet animum ad bonum inclinent, & ex denominatione externa actus ſalutaris ſubſequentis denominentur gratiæ, ſive auxilia efficacia, efficacitate formali, ut explicatum, & oſtenſum eſt ſupra. Ex parte vero actus ſecundi afferuntur ipſimet boni, ſive ſalutares actus converſionis, pugnæ, finalis perſeverantiæ, ſive victoriæ, qui actus ſimul, & indiviſim ſunt, & dicuntur concurſus Dei in actu ſecundo, & cooperatio libera cauſæ ſecundæ. Jam vero *Adjutorium quo* ſic acceptum, hoc eſt, ut in actu ſecundo ab Auguſtino comparatur beatitudini; & quidem ut in comparationibus fieri ſolet, non in omnibus, aut uſquequaque, ſed ſecundum aliqua tantum. Similia ſunt hæc: ut ſicuti beatitudo eſt donum Dei, ſic pariter donum Dei ſit *adjutorium quo* etiam in actu ſecundo. Et quemadmodum beatitudo eſt id, quo poſito, homo eſt certo, vereque, & proprie beatus; & quo non poſito, beatus non eſt; ſic poſito *adjutorio quo* in actu ſecundo, homo eſt certo, veroque, & proprie recte, & ſalutariter agens ſe convertendo, pugnando, perſeverando; eodem autem adjutorio minime poſito, hi tales proprii, & formales effectus minime habentur. Contra vero diſſimile eſt illud; quod beatitudo, ſive effectio viſionis Dei, & amor ex illa oriundus, non ſunt nobis proxime libera, ſeu non ſunt exercitatio & actus liberi arbitrii, ſeu facultatis noſtræ liberæ, ut talis: ſecus vero converti, pugnare, perſeverare; Deo tamen excitante, ac vires præbente. Quanquam quod actio aliqua hominis facta ſicut oportet, ultima ſit, ac finalis perſeverantia denominari poſſit; ut poſt illam actionem vel amittat vitam mortalem, vel libertatem; id non eſt in poteſtate hominis: ad Dominum pertinet, cujus eſt vitæ, ac meritorum terminos definire, *in cujus poteſtate eſt, quandiu quiſque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram*. Auguſtinus lib. de cor. & grat. cap. 8. num. 19.

Atque huc etiam fortaſſe ſpectavit Auguſtinus, cum ſcripſit electos *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter agi* ad vitam beatam: nimirum, quia ne declinarent, aut ſuperarentur a dæmone, opportuna morte proviſum eſt. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus &c.* Sap. IV. 11. *periculis hujus vitæ mortis celeritate ſubtrahuntur*. Auguſtinus lib. de Cor. & Grat. cap. 7. num. 13. legantur ſequentia uſque ad num. 20.

Cæterum, hoc prætermiſſo; verba illa *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter*, quibus ſemel uſus eſt Auguſtinus, explicanda ſunt ex illis, quæ uſurpavit, & inculcavit ſexcenties; & a nobis allata ſunt in ſecunda hujus diſputationis parte. Explicanda ſcilicet non de *indeclinabilitate*, & *inſuperabilitate* Janſeniana, aut cujuſmodicunque, qua facultas hominis libera nequeat diſſentire, aut conſentire pro libito Gratiæ Dei excitanti, moventi, prævenienti, quod Tridentinum, ac Senonenſe definiunt; ſed de indeclinabilitate, & inſuperabilitate, quæ poſſit cum libertate indifferentiæ conjungi: quaque Deus certiſſime, ac ſecuriſſime poſſit, actum ſalutarem cauſæ ſecundæ liberæ prædefinire; eidemque vitam beatam, ut mercedem, atque coronam decernere. Quo ſatis eſt indeclinabilitas, & inſuperabilitas conſequens; quæ oritur ex ſcientia media, ſupra multis de-

ſcripta, & expoſita; qua Deus prævidet fore, ut auxilium ſupernum, talibus circumſtantiis collatum, habiturum ſit ſalutarem illum effectum, quem Deus ſibi propoſuit.

Quo tamen in loco illud etiam animadvertendum eſt, adjutorium quo, in actu primo antecedentem etiam indeclinabilitatem habere. Propterea quod, ut dicimus ex parte actus primi eas affert gratias, & auxilia prævenientia, ſeu bonas voluntates quæ fieri dicuntur in nobis ſine nobis; ſine nobis, inquam, libere concurrentibus. Adjutorium autem quo in actu ſecundo habet indeclinabilitatem, & inſuperabilitatem, ſive inevitabilitatem tantummodo conſequentem; cum ex parte actus ſecundi ſignificentur conſenſus, electiones, determinationes, cooperationeſque liberæ cauſæ ſecundæ.

Controverſia inter Pelagianos, & Auguſtinum illa non fuit, utrum gratia per ſe, & intrinſecus efficax cum libertate cohæreat. Nullum enim hujus diſputationis veſtigium reperire eſt in omnibus libris Auguſtini. Immo ut ex ſecunda diſputationis parte manifeſte conſtat, de libertate, qua bene, & male meremur, Auguſtinus ſive contra Manichæos, ſive contra Pelagianos diſputans illud ſenſit, *quod in hominum judicio ſummi Dei legibus natura ipſa conſtituit; quodque ubique manifeſtus eſt, & non doctrina, ſed natura omnibus promptum* (lib. de duab. anim. cap. 9. num. 12. & cap. 10. num. 14.) ſcilicet hominem etiam in ſtatu naturæ lapſæ (ibid. cap. 13. num. 19.) *libera illa voluntate huc, & illuc ferri; hinc, atque hinc referri poſſe ..... utrumque conſiderantem, alterutrum eligentem. Qui motus*, ut idem dicit lib. 3. de lib. arb. cap. 1. num. 3. *niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus eum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis*. Hoc Auguſtinus & a Philoſophis defendi paſſus eſt, & ſibi totique Eccleſiæ cum Pelagianis *commune dogma* vocare non dubitavit lib. 2. de Nupt. & Conc. cap. 3. num. 8. lib. 3. cont. Julian. cap. 1. num. 2. lib. 3. Oper. imperf. n. 101. Nempe id unum accuſans, quod illi quidem (lib. 5. de Civit. cap. 9. num. 2.) *Negarent præſcientiam futurorum*; hi vero (lib. 2. de nupt. & conc. cap. 3. num. 8. &c.) *ad colendum recte Deum adjutorii* divini neceſſitatem. Nunquam igitur voluit veram, & antecedentem agendi neceſſitatem, etiam quam *relativam*, aut *partialem* appellant, cum vera libertate conſiſtere; licet *voluntatem*, *poteſtatem*, aliaſque voces aliter ſoleat accipere, quam theologi vulgo jam accipiant; immo & *cogi* dicat eum etiam, qui maxime liber eſt: ut lib. cont. Secund. cap. 10. pag. 533. lib. 1. de pec. mer. cap. 13. num. 17. lib. 2. cont. Julian. cap. 8. num. 25. lib. 1. Oper. imperf. num. 70. in Pſal. 118. ſerm. 15. num. 3. 4. & ſerm. 30. num. 7. in Pſalm. 101. ſerm. 2. num. 2. lib. 1. Retract. cap. 15. num. 3. &c. Quam ſignificationem & res ipſa exigit, & tradit expreſſe S. Thomas quæſt. 24. de verit. art. 12. ad 12. his verbis: *cupiditas non poteſt eſſe cogens abſolute liberum arbitrium, quia ſemper eſt liberum a coactione: ſed dicitur cogere propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licet cum difficultate*. Breviſſime: Auguſtinus adverſus Pelagianos propugnabat gratiæ neceſſitatem; non gratiam, ut ita dicam, neceſſitantem, ſeu quæ veram afferat conſentiendi neceſſitatem.

Animadvertere hic velim eos doctores ſcholaſticos, qui contra nos, ſi inter Auguſtinum, & Pelagianos ea controverſia fuiſſet, quæ dicitur in oppugnatione, & pro gratia intrinſecus efficaci ſtetiſſet Auguſtinus, ut nobis objicitur; conſequens eſſe, ut eam gratiam poſuiſſet in ipſomet actu primo, quem dicunt; quandoquidem nullam aliam auxiliantem gratiam nominat, & inculcat Auguſtinus, quam gratiam ſanctæ & illuminationis, & inſpirationis; ex qua, ut Thomiſtæ fatentur, conſtat actus primus, ſeu facultas agendi ſalutariter, & ſicut oportet ad vitam æternam. Quapropter difficultas hæc eos non minus attingeret, quam nos ipſos, aut alium quempiam, qui de hoc catholice ſentiat.

XLIX.

Digitized by Google

XLIX.

Denique, quod in oppugnatione ultimum eſt, quibus Auguſtinus in locis videtur aſſerere, agendi neceſſitatem poſſe cum agendi libertate componi; vel loquitur de neceſſitate conſequenti, quam volendi facultas ſibi ipſamet libere facit; vel de neceſſitate morali, ſeu reſiſtendi difficultate, ut paulo ante diſtinximus; vel de neceſſitate ſecundum unam rationem, & libertate ſecundum aliam. Verbi cauſa de neceſſitate quoad ſpeciem, & de libertate quoad exercitium, ut loquuntur ſcholaſtici, & uſuvenit in ultimo fine, ſive in beatitudine, quam dicit, nos odio habere, aut etiam nolle non poſſe; & tamen eandem poſſe nos libere velle. Sic pariter Deus falli, mori non poteſt: item liber non eſt ad videndum, ac prænoſcendum quæ ſunt; aut quæ futura vel abſolute, vel conditionaliter ſunt; & tamen idem ad alia plurima atque adeo infinita eſt perfectiſſime liber. Ex his vero habes, quid generatim dicendum ſit.

Ad ſextum, in quo nobis objicitur S. Thomas. Peculiariter autem ad id, quod affertur ex 3. Sent. diſt. 12. quæſt. 2. &c. dicendum ibi S. Thomam uſurpare nomen *coactionis* late pro quavis antecedenti, & inſuperabili neceſſitate; ſicuti etiam *voluntarium* pro *libero*. Nam qui dicit in reſponſione ad 3. *impotentiam coactionis opponi libertati*, in reſponſione ad 2. docet *eidem libertati opponi neceſſitatem*; cum dicat, poteſtatem peccandi in tantum conferre ad laudem, in quantum oſtendit opus: quod laudatur, *non fuiſſe factum ex neceſſitate*. Deinde ibi Doctor Angelicus docet ad meritum non requiri indifferentiam ad contraria; ſatis eſſe indifferentiam ad contradictoria; quæ reperitur etiam in illis, qui habent *voluntatem confirmatam ad unum*; Id eſt, vel ad bonitatem, vel ad malitiam. Sic neceſſitas quoad ſpeciem optime componitur cum libertate quoad exercitium. Ut paulo ſupra notavimus.

Ad id autem quod additur ex diſt. 18. &c. dicendum ab adverſariis aliqua reticeri, tum quæ locum hunc antecedunt, tum quæ ſubſequuntur, quibus difficultas omnis penitus tollitur. Nam ſtatim ſubjicit: *& ita eſt actus ſui dominus*. Quo apparet illud *ſponte* ab eo uſurpari pro *libere*; de *ſpontaneitate*, ut ſic loquar, deliberata, atque perfecta: cujuſmodi eſt in cauſis vere, & proprie liberis. Præmiſerat autem illa: *Ad quintum dicendum, quod liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad unum ſecundum numerum; ſed ad unum ſecundum genus, ſcilicet ad bonum, quia in malum non poteſt. Sed tamen hoc poteſt facere, & non facere, & hoc non excludit libertatem arbitrii: quia poſſe peccare non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anſelmus* (dial. de lib. arb. cap. 1.) *Et hæc quidem determinatio ex perfectione liberi arbitrii contingit &c. Vel dicendum quod ſi etiam eſſet determinatum ad unum numero &c.* Quibus ſignificatur indifferentia ad contraria, vel ſaltem ad contradictoria. Hæc eſt ſumma doctrinæ, quam ibi tradit Doctor Angelicus. Ad argumentum propoſitum primo reſpondet abſolute, liberum arbitrium Chriſti eſſe quidem determinatum ad unum generatim, nempe ad bonum in communi, prout opponitur omni malo: ſed eſſe indifferens ab bona ſingula, ac ſpecies etiam bonorum. Et hoc ſatis eſſe, ut ſit meriti capax, Secundo reſpondet conditionaliter: ſi quis tamen contendat liberum arbitrium Chriſti eſſe determinatum ad unum aliquod ſingulare bonum, verbi cauſa ad Deum, quem non amare non poteſt; quia tamen ſunt plures, ac diverſi, quibus in hoc ſingulare bonum ferri poteſt, adhuc retinere libertatem, & indifferentiam ad illos omnes actus, qui cadere in hominem viatorem poſſunt (ſiquidem amor, quo Chriſti anima beabatur, dum ille adhuc apud mortales ageret, actus eſt comprehenſoris) eoſque edere ſine ulla neceſſitate: ac proinde ſine coactione; ſed ſponte, ac voluntarie; nimirum libere, ſeu voluntate perfecte deliberata.

In eo loco, qui indicatur in oppugnatione ex lib. 3. con. Gent. *in beatis, qui peccare non poſſunt*, neceſſitatem agnoſcit oppoſitam indifferentiæ ad contraria; hoc eſt, ad faciendum bonum, aut ma-

lum : non vero eos in omnibus illa etiam neceſſitate conſtringit, quæ oppoſita eſt indifferentiæ ad contradictoria, cujuſmodi ſunt agere , & non agere . Nam beatis , excepto quod Deum , quem clare intuentur, non amare non poſſunt; quæque cum hoc ſunt neceſſario conjuncta , & connexa ; in reliquis indifferentia , & libertas ad agendum , & non agendum perfectiſſima eſt .

Tandem loco cit. ex q. 10. de Pot. *Deum libere ſe ipſum amare* , dicit ; *& Spiritum ſanctum libere procedere a Patre* , *& Filio &c.* Recte vero animadvertit Eſtius in 2. Sent. diſt. 24. §. 2. aliique paſſim auctores *libertatem* a S. Thoma interdum uſurpari pro *voluntate* ; ab eoque *liberum* diſtingui ab *arbitrario* , tanquam genus a ſpecie . Dic quidem a S. Thoma Spiritum Sanctum *libere* procedere ; ſed non arbitrarie : cum conſtet ex plurimis ipſius etiam , & luculentiſſimis teſtimoniis : libertatem arbitrii verſari tantum circa contingentia . Legantur p. 1. q. 41. a. 2. ad 3. & 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1. ubi modum agendi, qui convenit voluntati , ut libera eſt libertate arbitrii, & *ſui actus domina* , diſtinguit a modo agendi , qui eidem convenit, ut *eſt natura quædam* , *vel in aliqua natura fundatur*. Denique tam multa ſunt , quæ in ſecunda diſputationis parte tum ex S. Auguſtino , tum ex S. Thoma adverſariis oppoſuimus , eademque tam clara , & perſpicua ; ut ſi quid apud eoſdem interdum occurrat vel ambiguum , vel etiam quod nobis contrarium videatur ; ad eorum locorum ſententiam adducendum , & conformandum ſit; nec propterea de horum Doctorum mente dubitare liceat.

L.

Antequam finem dicendi facio , illud paulo melius explanandum mihi eſſe video , quod attigi ſupra : eſſe aliquid in hac ſecunda diſputatione , quod non bene cohæreat cum iis omnibus viis explicandi actus contingentes , ac liberos Dei , quæ propoſitæ ſunt Prolegom. 2. quæſt. 2. diſput. 2. Una illa eſt , Æternitatis , & Immenſitatis analogia , & exemplum . Nam duæ ſunt apud Græcos præſertim Patres , & Scriptores, ut in ea diſput. expoſui , duæ , inquam , ſunt , aut potius dicuntur Dei voluntates . Una proprie talis , æterna , Deoque immanens , quæ eſt ipſe Deus ; hoc eſt , ſimpliciſſimus , ac puriſſimus actus , ac proinde ex ſe omnis voluntas . Altera minus proprie , creata , externa , temporalis : quæ Dei voluntas ſunt , vel res ipſæ conditæ a Deo , *voluntas Dei opus eſt* ; vel rerum effectio , *velle Dei* , *facere eſt* : quæ dicunt Patres in ea diſputatione citati . Quod cum ita ſit , ſi prior Dei voluntas denominationes omnes contingentes accipit ex poſteriore , quemadmodum Æternitatis , & Immenſitatis ſimilitudine ibi declaravi ; optime quidem hac via conſulitur libertati creatæ ; cum & Gratia neceſſitatem non afferat , & Deus per ipſummet exercitium facultatis liberæ noſtræ , vel ut quod , vel ut quo , ut Schola loquitur , ipſum illud & volens , & ſanciens dicatur , ſeu denominetur extrinſecus . At male conſulitur & poteſtati , & libertati , & omnino dignitati , atque excellentiæ divinæ . Quid ita ? Quia , ſi determinatio , electio , aſſenſioque libera noſtra eſt id , ex quo decernens , & volens hæc ipſa denominatur Deus ; ſequitur , ut in poteſtate ſit noſtra , quid nos facere Deus velit , & ſtatuat.

Ad hæc ea ſit prima reſponſio : nihil iſthinc contra noſtrum ſyſtema, ſed contra illam ſententiam . Cæterum eam quoque retineri poſſe , & cum Scholæ noſtræ doctrina componi . Nam cum Deus *plenitudinem perfectionis totius eſſe comprehendat* , ut ſæpe dictum eſt in ſuperioribus ex S. Thoma ; nec ſolum velle , ſed & libere velle, hoc eſt, ſuapte electione, atque nutu , ea quæ Deus vult extra ſe , ſit ens , & perfectio ; quatenus ens eſt , & perfectio, ſequitur id totum intrinſecus in ſe ipſo , atque ex ſe ipſo Deum habere , & complecti : antequam ſive abſolute , ſeu tantum conditionaliter extiturus intelligatur certus, ac ſingularis ullus effectus, quem Deus vel ſolus , vel ſimul cum cauſis ſecundis neceſſariis , aut liberis edat ;

ideo-

Digitized by Google

ideoque ante etiam quam ſive abſolute, ſeu tantum conditionaliter extitura intelligatur electio, aſſenſiove arbitrii creati, cum quo Deus, pro ejus natura, & modo, operaturus ſit, aut foret, poſita aliqua conditione. Hac vero aſſenſione, & electione intellecta, denominatio Dei volentis, & libere quidem volentis, hoc eſt, propria electione, nutuque, quæ ex eo, quod eſt in Deo, univerſaliſſima eſt, eo ſingulari effectu, ideſt aſſenſione illa, atque electione creata contrahitur, ac definitur; non ut ex eo dicatur Deus volens, & libere volens; ſed ut volens, ac libere volens dicatur hoc potius, quam illud; ſeu, hoc potius eſſe, quam non eſſe. Itaque quod dixi ſupra, verum eſt, hominem hunc aſſenſurum, ſi ita vocetur, eſtque id verum, non quidem ſeclusis, ſemotiſque neceſſariis gratiæ auxiliis, ſed tamen ex libera ipſius hominis electione auxiliis illis excitati, & adjuti; hoc, inquam, quod dixi, ſupra, uſque eo promoveri, ac provehi poſſe puto, ut aſſenſus ille dicatur etiam ex electione, ſeu voluntate libera Dei: non quidem tanquam divinus aliquis actus, quo nempe Deus ipſe vivat; Deus enim ſimpliciſſimus, ac perfectiſſimus actus cum ſit, ſe ipſo dumtaxat vivit; ſed ut aſſenſus, electioque illa hominis, cujus Deus aut eſt, ſi illa exiſtit, aut eſſet, ſi illa exiſteret, principalis, ac ſpecialiſſimas auctor, ut jam oſtendi, hominem ipſum volentem, & libere quidem volentem denominet, eique perfectionem illam ſuperaddat, quæ in exercitio eſt volendi, & libere volendi; contra vero Deum in ſe ipſo, & a ſe ipſo volentem jam, & libere volentem; & una cum plenitudine entis totius, eam etiam perfectionem complexum, qua volendi, & libere volendi exercitatio tenetur, nec volentem, nec libere volentem denominet; nec quidquam ei perfectionis, atque entis adjiciat; ſed illam ipſam denominationem, ex eo quod intrinſecus in Deo ineſt ampliſſimam, atque infinitam, reſtringat, ac finiat extrinſecus. Atque hoc ſenſu dici fortaſſe poſſit liberam Dei, & hominis voluntatem eſſe ſimul, ut dixi de ſcientia Dei in quarto ſyſtemate; non quidem ſecundum entitatem ſcilicet, perfectionemque volendi, & libere quidem volendi; ſed ſecundum ultimam, atque individuam denominationis hujus rationem, atque partem. Cum enim eadem ſingularis actio libera ex ſuamet eſſentia non minus arcte, atque intime nexa ſit cum Cauſa prima, quam cum cauſa ſecunda, utramque denominare poteſt: non ſic quidem, ut Deus velit, & libere velit ſingularem hunc hominis aſſenſum, per ipſum illum aſſenſum, eo modo, quo, per ipſum illum aſſenſum, vult homo ſingularem aſſenſum ſuum; ſed modo maxime diverſo, & infinito ſane diſcrimine. Siquidem Deus non vult, & libere vult aſſenſum hominis per ipſum illum aſſenſum, ſecundum id, quod Deum velle, & libere velle ſignificat entitatem, perfectionemque volendi, & libere volendi; ſed ſecundum id, quod in ea denominatione definitum, & ſingulare eſt: Contra vero homo vult, & libere vult aſſenſum ſuum, per ipſum illum aſſenſum, tum ſecundum id, quod hominem velle, & libere velle ſignificat entitatem, perfectionemque volendi, & libere volendi; tum ſecundum id, quod eſt in ea denominatione definitum, & ſingulare: quod quidem in homine eſt idem, cum in eo entitas, perfectioque volendi, & libere volendi, non niſi definita, & ſingularis ſit.

Rem totam brevius comprehendo: ſicuti Deus, qui ſimpliciſſimus eſt idem, atque univerſaliſſimus actus volendi, & libere quidem volendi ea, quæ extra ipſum; quæcunque facturus eſt, vel ſolus ipſemet, vel una cum cauſis ſecundis neceſſariis, aut liberis, propter hoc ipſum, quod illa tantum facturus eſt, illa definite, & ſingulariter velle denominatur, voluntate abſoluta; ſic pariter quæcunque facturus eſſet vel ſolus ipſemet, vel una cum cauſis ſecundis neceſſariis, aut liberis, ſub aliqua conditione, ob id ipſum, quod illa tantum facturus eſſet, illa definite, & ſingulariter velle denominatur, voluntate conditionali, ut a nobis poſitum eſt. At enim, creati arbitrii eſt, & non Dei,

de-

determinare aſſenſum illum. Utramque partem pronuntiati hujus diſtinguo: primam quidem ſic: *determinare* aſſenſum illum, creati eſt arbitrii; creati arbitrii ſolius, ſibique ipſi a Deo relicti, nego: a Deo excitati, & adjuti ad determinandum aſſenſum illum; a Deo, inquam, non naturales tantummodo ipſi vires præbente, & conſervante; ſed gratiam inſuper largiente, ipſumque ſupra naturam, conditionemque ſuam ad hoc idem attollente; ut longe pluribus, nobilioribus, & arctioribus titulis, atque nominibus aſſenſus ille tribuendus Deo, quam homini ſit, concedo. Et diſtinguo alteram partem, in qua cum poſſit intelligi duplex determinatio; una, quæ antecedat aſſenſum illum, mediaque ſit inter ipſum, & liberam hominis facultatem; altera, quæ in aſſenſu ipſo ſit poſita, ab eoque non diſtinguatur; de priore ſic excipio: Dei quidem non eſſe, *determinare* aſsenſum illum, ejuſmodi determinatione, cui reſiſti plane non poſſit, quæque antecedentem, eamque & inſuperabilem, & certam, ac definitam aſſentiendi neceſſitatem afferat; eſse autem Dei *determinare* aſsenſum illum determinatione, cui poſſit reſiſti; quæque aſsentiendi neceſſitatem non afferat, niſi moralem, quam vocant, aut vagam, & indefinitam, de qua in 2. & 3. ſyſtemate. De poſteriore vero determinatione, concedo, non eſse Dei, ita determinare aſsenſum illum, ut is extiturus eſset, etiamſi facultas creata libera aut reſiſteret, aut *non cooperaretur, ſed velut inanime quoddam mere paſſive ſe haberet*: item concedo, non eſse Dei, ita determinare aſſenſum illum, ut per eum dici poſſit Deus aſsentire, atque obſequi gratiæ, inter bonum, & malum eligere, ac mereri; ſed neque ita, ut per eum dici poſſit Deus ipſummet aſsenſum velle, & libere velle, quatenus iſta perfectionem volendi, & libere volendi aſsenſum illum ſignificant. Nego autem, Deum non ita determinare aſsenſum illum, ut per eum dici poſſit ipſummet aſsenſum velle, & libere velle, denominatione tenus, ut eſt explicatum: itemque nego, Deum non ita determinare aſsenſum illum, ut ipſi tribuendus ſit magis, quam homini, ejuſque habeatur, ac ſpecialiſſimus auctor; nec ſolum quidem pro ſtatu abſoluto, ſed etiam pro ſtatu conditionali.

Deinde hac ipſa via præſto eſt alia ratio conſulendi poteſtati, ac libertati divinæ & expeditior, & probabilior, quam etiam proxime attigi. Dicendum igitur, primam Dei voluntatem, hoc eſt, divinam, & æternam eſſe unam, eandem ad res omnes. Voluntatem vero creatam, aliam eſſe de illis, quæ Deus facit ſolus ipſe per ſe; aliam vero de illis, quæ facit una cum cauſis ſecundis: & rurſus aliam, ſi hæ cauſæ, & quaſi inſtrumenta ſint neceſſaria, aliam vero, ſi libera. Voluntas creata eorum quæ facit ipſemet ſolus, eſt opus ipſum, ut Cœlum, & terra: vel externa Dei energia, ſive actio, ut dixi, effectrix operis. Voluntas eorum, quæ facit adhibito miniſterio cauſarum ſecundarum latius patet, atque eſt illa etiam virtus, & impreſſio, qua ipſas inſtruit, & tanquam inſtrumenta movet, atque agit ad opus. Hæc vero alia eſt in cauſis neceſſariis, alia in liberis. Illis quidem *præfigitur virtus operativa determinata ad unum*, ut ait S. Thomas p. 1. q. 22. ar. 2. ſecus vero his. Movet has Deus, atque excitat; ſic tamen, ut vim ne faciat, aut neceſſitatem inducat; & quas efficaciter vult, ſibi non repugnare; ſic movet, atque excitat, ſicut ſcit ipſis congruere, ut moventi, atque excitanti non repugnent. Itaque in his divina voluntas denominationes contingentes accipit ex ipſa motione congrua, & efficaci, ut hæc in Schola noſtra explicatur: denominationes, inquam, hoc, vel illud efficaciter volentis.

L I.

Alia via, & ſententia, ex Græcis itidem Patribus, contingens omnis Dei habitudo, ac reſpectus ad res creatas extra Deum pariter ponitur in aliquibus, quæ Media vocantur, quæque non minus quam termini, ad quos ſpectant, ac feruntur, creata, & temporanea ſunt.

Digitized by Google

ſunt . Cum autem in his Mediis , tum etiam in terminis duo quædam ratione, & conſideratione diſtinximus, quæ proceſſiones Dei externas, activas, & paſſivas appellavimus ; cum hoc & Græci fecerint, ac duo iſta deſcripſerint pene ad ſimilitudinem æternarum , atque interiorum Dei Proceſſionum , quæ activæ pariter, & paſſivæ dicuntur in Schola . Ut autem loquar primo de terminis; quemadmodum in divinis Perſona, quæ procedit per intellectum, habet rationem imaginis; quæ vero per voluntatem , habet rationem doni : ſic Græci Patres , & Scriptores in quaque re condita a Deo hæc duo conſiderant . Primum ut referat æternum exemplar , ſive ideam , & formam archetypam , quam habet in mente Dei ; ex quo vera dicitur quod ſpectat ad intellectum. Deinde , ut Dei donum , ſeu ſimpliciter participatio , emanatioque Dei aliqua ſit : ex quibus dicitur bona , & ante omnia dicitur ens , ſive exiſtens . Dicitur , inquam , ens , ſive exiſtens; nam ut adnotat Dionyſius Cap. 5. de div. Nom. §. 5. & 6. *Dei donum antiquius , & prima omnium participatio eſt eſſe* : dicitur autem bona ; quia participatio , communio, diffuſio eſt boni, ut talis: cum bonum ſe ipſum diffundere , atque impertire dicatur . Conſiderant præterea in rebus conditis , ut ordinem habeant ad Deum , tanquam ultimum finem , & alia in quibus reſpectus eſt ad voluntatem , ex quibus etiam expreſſius bonæ vocantur. In Mediis pariter agnoſcunt , ac notant hæc duo : primum quod pertinet ad intellectum , videlicet ut res veras efficiant ; hoc eſt , ut eas aſſimilent æterno exemplari , & ideæ , de qua dictum eſt . Alterum vero , ut res producant , atque efficiant ſimpliciter ; ſive etiam, ut eas bonas efficiant, hoc eſt , ut eas ad Deum intrinſecus ordinent, ac reliqua , quæ pertinent ad voluntatem. Ex primo Media hæc nuncupantur , Verifuſiones , ſeu veri participationes activæ ; & quandoque etiam, *creaturarum generationes* , ut videre eſt apud Joannem Sapientem decad. 3. cap. 4. Ex altero autem vocantur ſimpliciter productiones, efficientiæ ; immo etiam abſolute , proceſſiones , emanationes , communicationes : & dictæ ſunt a nobis etiam Bonifuſiones , atque Entisfuſiones .

L I I.

Jam vero quemadmodum intellectio , & voluntas Dei eſſentialis, & notionalis, quas vocant, non duæ ſunt intellectiones, & voluntates, communiori ſententia ; ſed intellectio eſſentialis , ut eſt in Patre , ex propria Patris habitudine , ſeu relatione & charactere , fit, ut ita dicam, notionalis ; & amor eſſentialis , ut eſt in Patre , & Filio , ex propriis pariter ipſorum characteribus , fit pariter notionalis : ſic non duæ ſunt in Deo ſcientiæ , & voluntates , neceſſaria , & contingens , ſed una , eademque ſcientia , & voluntas prorſus neceſſaria , ex externis proceſſionibus activis , ſive , ex his, quæ Media diximus, denominationes contingentes ducunt , videntis nimirum , ac volentis hoc potius quam illud .

Inter alia vero , quibus exteriores Dei proceſſiones ab interioribus differunt , quæ quidem ſunt infinita , illud ad rem præſentem animadvertendum eſt, quod Filius Spiritu Sancto prior eſt origine , quia nempe , una cum Patre , principium illius eſt. At vero Dei viſio, & voluntas , etiam ſecundum contingentes denominationes , ſic explicatas , omnino in hac explicatione , & ſententia ſimul habentur . Atque ut ait Gregorius Magnus loco ſæpe cit. *Deus videndo creat* ; ſic Gregorii Nazianzeni eſt illud ſæpe pariter uſurpatum , *Deum velle , facere eſt* . Nec mirum, quia ex illo ipſo Medio , quodcunque rei iſtud eſſe velint Græci Patres, ex ipſo , inquam , illo Medio , ex quo denominationem videntis , denominationem quoque volentis aſſumit . Nam quamvis intellectus voluntati præeat natura ſua , eaque ratione prius dicatur aliquid verum , quod eſt ad intellectum ; quam bonum , quod eſt ad voluntatem ; cum tamen hoc Medium, utriuſque & veri ſcilicet , & boni efficiens ſit; eſto ſit conſideratione aliqua noſtra prius , rem eſſe veram ,

quam

Digitized by Google

quam bonam; nullo tamen modo prius eſt efficere verum bonum. In hoc igitur exteriores hæ ambæ proceſſiones activæ conveniunt, ac coeunt, eodemque prorſus ſigno cenſentur. Immo ſi res aliquanto exactius expendatur, ac propriis Scholæ momentis ponderetur; cum efficere ſimpliciter, noſtro cogitandi modo, prius ſit, quam efficere verum, & bonum, uti prius quam verum, & bonum, eſt ens; quia ſimpliciter efficere divinæ voluntatis proprie eſt, ac Deus volens denominatur vel ex ipſo tantum genere externæ proceſſionis activæ, atque ex ſola ratione productionis, communicationis, fuſioniſque ſimpliciter talis, quæ reperitur in illo Medio; idcirco res, quas condit, velle prius aliqua ratione dicitur, quam videre: quanquam denominatio ſit utraque æterna. Brevius: cum ſit in unaquaque re condita triplex ordo, ſeu reſpectus ad Deum; nimirum tanquam ad principium, ſeu cauſam efficientem, tanquam ad exemplar, tanquam ad finem; atque hæc tria active conſtent iis ſingulis, quæ Græci Patres Media vocant; unumquodque horum ex primo entisfuſio, ſeu ſimpliciter productio, effectioque ex ſecundo verifuſio, ex tertio bonifuſio appellatur. Secundum, ac tertium primo nituntur, quod vel per ſe ſolum quantum ſatis eſt ad rem præſentem Dei voluntatem denominat.

Jam porro ad id, quod agitur hic; ſive hæc Media, quæ diximus ſint ipſemet externæ illæ actiones, qua Deus quamque rem facit, vel ſolus, vel una cum cauſis ſecundis neceſſariis, aut liberis; ſive ſint aliquid ſimile; ſiquidem connexa ſunt cum noſtræ voluntatis aſſenſu, ne ſimul inevitabilia ſint, ac libertati noſtræ obſint; ſcientiam conditionalem ſubſequi debent, eaque adminiſtrari, ac regi. Quæ ſcientia ſi illa eſt, quam defendit Societas, explicatio hæc actuum contingentium, ac liberorum Dei, nihil habet, quo a ſchola noſtra reſpui, excludique poſſe videatur. Secus vero ſi ſcientia hæc ad eam revocetur, quæ ſimplicis intelligentiæ dicitur, & ars Dei poteſt hic appellari; de qua dictum in primo Syſtemate. Quod ſi hæc Media, de quibus Græci Patres loquuntur, & ex quibus deſumi poſſe diximus contingentes, ac ſingulares denominationes Actuum divinorum; ſi hæc, inquam, Media ſint ipſa illa motio, qua Deus agit cauſas ſecundas, quoniam hæc in cauſis liberis *non eſt determinata ad unum*, *ſed ei poteſt reſiſti*, ut ex S. Thoma ſæpe diximus; per ſcientiam illam conditionalem, quam ſchola noſtra defendit, neceſſario eſt dirigenda. Id ſi dicatur, hæc ſententia de divinorum decretorum complementis externis, ſic quoque explicata, hoc aſpectu, & hac quaſi in luce propoſita, nihil habere videtur, quod cum Syſtemate noſtro de Gratia, & libero Arbitrio non ſatis cohæreat; nihil quo adverſus Dei libertatem, poteſtatem, dignitatemque peccet. Quod mihi unum explanandum reſtabat, non tam ut adverſariis reſponderem, quam ut mihi ipſi ſatisfacerem.

DO-

Digitized by Google

DOCTRINA CATHOLICA

De Gratia Dei, & libero hominis Arbitrio adverſus recentes hæreſes propugnata, & ſacris potiſſimum Literis illuſtrata.

ENCHIRIDION.

PROPOSITIO SINGULARIS. Ut hoc Enchiridion a vobis teneatur facilius, illud unica propoſitione comprehendam. Quo duo hæc affirmo: *Janſenium in ſuo libro perpetuo conſentire cum hæreticis, qui ante ipſum ſcripſerunt, & maxime cum Calvino: perpetuo diſſentire a ſacra Scriptura, doctrinaque catholica, & maxime a Sancto Auguſtino.*

Hæc quidem duo ſunt invicem nexa, & conſequuntur ſe mutuo; ſed exponenda ſunt & tractanda diviſim, & ad ſingulas Janſenianæ doctrinæ partes aptanda. Quæ ut magis perſpicuæ fiant, propoſitionem hanc diſtinguam numeris, certiſque capitibus; quæ in ſuperioribus ſupervacanea duxi.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur Janſenii ſyſtema, ac de illo primum probantur, quæ duo in hac propoſitione affirmavimus.

I. IAnſenii hæreſis in eo maxime poſita eſt, quod *duæ delectationes*, quas ipſe vocat, ſive affectiones, appetitionesque ſimplices, *cæleſtis, & terreſtris, bona, & mala, alternante motu nos agant*, & in ſuas partes, atque actus adducant. Sic quidem, ut, & delectatio utraque liberam hominis facultatem *indeclinabiliter* occupet; &, utra fuerit potentior altera, majorique animum pulſu, ac pondere urgeat, ea ſecum dulci quadam, ſed tamen *inſuperabili neceſſitate* nos rapiat, aſſentumque voluntatis obtineat, ſive *determinet*. Breviſſime: neceſſe ait, ut alterutram lancem in libra majori pondere impoſito deprimi, ſic animum majori delectationi cedere. Hi motus, atque vices; hi voluntatis aſſenſus, non ad arbitrium hominis, ſed ad delectationis menſuram; hæc propemodum mechanica lex *delectationis victricis, ac relative ſuperioris*, ſumma ſunt, ſeu pars præcipua totius Janſenianæ doctrinæ. Ex hoc manant cætera, tanquam ex fonte; ipſiuſque Propoſitiones quinque notiſſimæ, e Petri Cathedra toties confixæ, hoc quaſi funda-

Digitized by Google

mento nituntur. Tradit hæc Janſenius multis in locis; præſertim vero tom. 3. qui eſt de Gratia Chriſti lib. 4. cap. 6. 7. 9. 11. lib. 7. cap. 3. & lib. 8. cap. 3.

II. Idem docuit expreſſe Calvinus. Nam de cæleſti delectatione hæc habet lib. 2. Inſtit. cap. 2. *velle hominis a Gratia formari, impreſſo delectationis affectu*. Et lib. 6. adverſus Pighium, *Gratiæ actionem ſuam hominibus non relinquere voluntatem*. De terreſtri autem delectatione ſic ſtatuit lib. 3. de lib. Arb. *voluntatem hominis ideo ad malum liberam dici; non quia movetur propria electione; ſed quia movetur delectatione, & proprio appetitu*. Quod eſt ipſum Janſenii ſyſtema proxime expoſitum. Idemque docuerunt Lutherus, alliique heterodoxi, de quibus cap. 4. Hi enim omnes libero arbitrio multatum hominem volunt, dominaſque potentes nobis imponunt, Delectationes cæleſtem, atque terreſtrem; Gratiam, & Concupiſcentiam; quæ alternis imperiis ad bonum, & malum nos pertrahant, non quidem invitos, ſed ita volentes, ſit nobis prorſus adempta; non illata vi, ſed addita neceſſitate.

III. Contradicit Scriptura, quæ quidem homini cupiditatem ſubjicit; non hominem cupiditati. Sic Gen. IV. 7. *Sub te erit appetitus ejus*, (non Abelis, ut contendit Calvinus; ſed peccati, ut ſacri omnes interpretes; & apparet ex contextu, poſituque verborum) *& tu dominaberis illius*. Et, cum ſcriptum ſit Jacob. I. 14. *unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*; ſcriptum tamen eſt pariter I. Cor. X. 13. eam nunquam ſic augeri, & intendi, ut illi non poſſit reſiſti: *non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis &c.* Et verbis illis, *abſtractus*, & *illectus* eſto ſignificetur neceſſitas ſubeundi tentationem, non ſignificatur neceſſitas conſentiendi, ut liquet ex ſequentibus, & ex Eccli. XVIII. 30. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*.

Nam quo iſti monitus, ſi homo cupiditatum ſuarum habenas amplius non retinet; ſed vel excuſſus e curru ab ipſis raptatur; vel arbitrii, atque electionis expers earum impetu abripitur? Sed quæ reliqua ſunt ex Scriptura, & omni ſacra Auctoritate dabimus infra contra tertiam Janſenii Propoſitionem, de qua cap. 4.

IV. Hic ea tantum ex Auguſtino, quæ Janſenius maxime jactat, ac prædicat, in eiſque ſyſtematis ſui fundamentum ponit. Primum eſt: quod *Auguſtinus gratiam Dei medicinalem non raro GRATIAM VICTRICEM vocet*. Ita Janſenius tom. 3. lib. 2. cap. 24. Et quod Auguſtinus idem gratia eandem *plerumque*; *paſſim appellet*, *DELECTATIONEM VICTRICEM*. Ita lib. 4. cap. 6. Quis id non credat homini, qui, ut ipſemet profitetur in libro proœmial. cap. 28. per annos viginti duos meditatus aſſidue eſt in Auguſtino, *iterata decies, vicies, tricies librorum ipſius lectione*? Homini, qui ut eſt in ipſius vitæ ſynopſi, veritatem mirifice amavit: auditus interdum, cum illi inclamaret, non ſine amatoriis ſuſpiriis, *O veritas! O veritas!* Quid quod in Deo hoc primum *ſe colere*, *ac venerari dicebat*, *quod Veritas eſt*? (ibid.) Atqui res longe ſe aliter habent. Apud Auguſtinum *GRATIA VICTRIX* nunquam legitur; in omnibus ipſius libris ne ſemel quidem nominatur. *DELECTATIO* autem *VICTRIX*, non *plerumque*, aut *paſſim*, ut affirmat hic veritatis amator; ſed ſemel tantum legitur; & quidem omnino alia ſignificatione, & ſententia. Vide lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 19. num. 32. Habetis igitur hominis characterem, ejuſque libri, & doctrinæ. Hic modo vobis utrunque tanquam compendio deſcripſi. Nam qui in Auguſtini verbis vel hallucinatus eſt tam turpiter, vel tam impudenter mentitus; is certe nihilo melius vidit, aut fidelius expoſuit Auguſtini ſenſus. Profecto in eo ipſo unico loco. in quo Auguſtinus *DELECTATIONEM VICTRICEM* commemorat, ab Janſenio, ut dixi, longe diſſentit. Janſenio enim delectatio victrix idem eſt, ac delectatio major delectatione contraria. Nec victricem delectationem a delectatione vincente diſtinguit. Hoc ipſo enim, quod major eſt, vincit alteram; ac ſecum hominis aſſenſum inſuperabili neceſſitate trahit. Sic ille opinatur. Auguſtino autem delectatio victrix, eſt delectatio de ſum-

Digitized by Google

ſummo Bono, quæ delectationem contrariam, ſibique adverſantem prorſus non habet. Hæc delectatio, ut Auguſtinus ipſe ibidem docet num. 33. propria eſt vitæ beatæ, in qua perfecta pax, ac perfecta juſtitia. In hac vita mortali *juſtitiæ pace nemo perfruitur &c.* Delectationem hanc experiemur, cum habebimus *victoriæ pacem*, *quæ nullum intrinſecus*, *nullum extrinſecus patietur inimicum*. (lib. 2. Oper. imperf. cont. Julian. n. 217.) *Nunc enim reſiſtimus*, *& non conſentiendo vincimus* : *ſed melius eſt hoſtem non habere*, *quam vincere*. *Hoſtis iſte aliquando non erit .... Plenitudo eſt iſta virtutis*, *perfectio juſtitiæ*, *palma victoriæ*, Ne concupiſcas ..... *modo impleri non poteſt*. (Serm. 151. cap. 3. num. 3.) Dabitur hæc delectatio, *quando pace perfecta nihil*, *quod vincatur*, *exiſtet*. (lib. 2. de pec. mer. & remiſ. cap. 4. num. 4.) quando *pacem plenariam habebunt interiora*, *& exteriora noſtra*; (Confeſ. lib. 10. cap. 30. num. 42.) *ac nihil in nobis repugnabit ex nobis*: (lib. 4. cont. Julian. cap. 2. num. 11.) *ſed perfecta*, *ac ſempiterna pace*, *ſine ulla mali contentione*, *& cum ſumma boni delectatione regnabimus*. (de Continent. cap. 7. num. 17.) Quæ pariter lib. 2. de Serm. Domini in Mon. cap. 6. num. 23. in Pſalm. 63. num. 9. in Pſalm. 146. num. 6. & alibi ſæpe. His autem omnibus locis explicat ipſemet Auguſtinus, quæ ſit delectatio illa, quam *VICTRICEM* appellavit loco ſupra laudato.

V. Præterea delectationem ejuſmodi datam etiam dicit Adamo, qui *tam beatus fuit ante peccatum*, *ut reſiſtentem ſibi carnem nullo certamine pateretur*; *nec aliquid omnino ex aliqua cupiditate ſentiret*, *quod nollet*. (lib. 6. Oper. imperf. num. 14.) *ut in ſe diſcordiam carnis*, *& ſpiritus non haberet .... ut contra vitia ſua nulla certaret*, *&c.* (ibid. num. 22.) Tum quod maxime facit contra Janſenium, in undecimo de Civit. cap. 12. *Quantum*, inquit, *pertinet ad delectationem.... beatior erat primus homo in paradiſo*, *quam quilibet juſtus in hac vita mortali*. Et lib. de Corrept. & Grat. cap. XI. num. 28. & 29. ita beatum fuiſſe dicit, ut ad veram beatitudinem proxime accederet : *ſi manere voluiſſet*, *beatitudinis plenitudinem accepiſſet*. Ex quibus illud concludo, delectationem victricem Auguſtini non ſolum valde differre a victrici delectatione Janſenii ; ſed quæ de illa ſunt apud Auguſtinum, cum Janſenii ſyſtemate prorſus pugnare. Ita diſſero : Longe plus eſt, & multo majus habet momentum ad inclinandas hominum voluntates delectatio victrix, quæ talis ſit ſimpliciter, ut exponitur ab Auguſtino; quam quæ talis ſit ſolum comparate, ut exponitur ab Janſenio. Delectatio autem victrix Auguſtini non ſemper vincit, aſſenſumque obtinet ; & quando vincit, non neceſſario vincit ; eique proxime poteſt reſiſti : multo igitur magis hæc dicenda ſunt de victrici delectatione Janſenii. Major propoſitio planiſſima eſt. Nam delectatio cœleſtis, quæ data eſt Adamo, Auguſtini teſtimonio, major fuit, quam quæ datur *cuilibet juſto in hac vita mortali*. Cum eſſet tam magna per ſe ſe, ut ad delectationem vitæ beatæ proxime, aut ſane multum accederet; nec contrariæ delectationis oppoſitu retunderetur. De minori propoſitione non minus conſtat : quippe cum Adam ſub ea delectatione peccarit ; & illa, quæ recte ipſius ope, & impulſu antea egerat, prorſus libere egerat, ac nulla inſuperabili neceſſitate conſtrictus ; ut Janſenius ipſe fatetur. At enim alia tunc erat liberi arbitrii conditio. Primus homo, ſanus adhuc, & integer, etiam ad repugnandum bono potentior fuit. Dici iſta non poſſunt, præſertim ab Janſenio. Primum, quod Adamo adverſus delectationem cœleſtem vires non adderet delectatio terrena. Deinde, quod infirmitatis id potius fuiſſet, quam poteſtatis, aut omnino ejus felicitatis, & gratiæ, quæ illum naturæ ſtatum ornabant. Tertio, quia, ut vult, & ait non ſemel Janſenius, quod animus majori delectationi neceſſario cedat, atque ſuccumbat, eſt *ex natura*, *& conditione voluntatis humanæ*. Quare ad hominem etiam innocentem pertinuit. Quarto, quia hoc idem pertinere docet ad beatos ipſos homines, & Angelos ; a quibus Deum neceſſario dici amari ; non quia illum aperte in-

tuentur ; ſed propter præviam delectationem cœleſtem , qua afficiuntur , ſine ullo concurſu , & conflictu delectationis contrariæ . Hæc Janſenius tom. 2. lib. de Grat. primi hom. cap. 12. & tom. 3. lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 29. & lib. 4. cap. 6. in fine , & cap. 8. ſub initium . Quæ ipſum plane redarguunt . Supereſſet , ut idem oſtenderem de altero loco , in quo pariter Janſenius , ut dixi , maxime nititur , & Auguſtinum pro ſe citat , meliore quidem fide , ſed nihilo meliore intellectu . Eſt hic locus in Expoſit. Epiſt. ad Galat. cap. 5. n. 49. Verum de illo in confutatione ſecundæ oppugnationis num. 66. opportunius videbimus . Interea de Janſenii ſyſtemate, ac generatim de Janſeniana hæreſi hæc ex Auguſtino attigiſſe , videtur ſatis . Quæ deinceps ex illo afferemus , ac præſertim cap. 4. num. 26. & cap. 8. num. 65. 66. &c. ipſa hæc confirmabunt ; & magis perſpicuum facient , quam nolit Auguſtinus has duas delectationes veram ipſis conſentiendi , obſequendique neceſſitatem nobis afferre ; & quam , ejus judicio , facultas libera hominis differat , & ſit plane aliud a libera Janſenii .

CAPUT SECUNDUM

Idem probatur de prima Janſenii Propoſitione .

VI. HÆc prima Propoſitio Janſenii. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus , & conantibus , ſecundum præſentes , quas habent , vires ſunt impoſſibilia : deeſt quoque illis gratia , qua poſſibilia fiant .*

Deſumpta eſt ex Auguſtino Janſenii Tom. 3. Lib. 3. Cap. 13. in quo hæc quatuor habet totidem verbis. Primum , *eſſe quædam homini præcepta , ſecundum ſtatum , & vires , in quibus eſt conſtitutus , impoſſibilia*. Secundum , *non adeſſe ſemper gratiam , qua poſſimus , hoc eſt , qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus* . Tertium , *hanc impotentiam reperiri non ſolum in excæcatis , & obduratis , & infidelibus ; ſed etiam fidelibus , & juſtis , qui & fidem Chriſti , & charitatem juſtitiæ ſuſceperunt* . Quartum , *hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere , non tantum quando nolunt præcepta facere , ſed etiam quando volunt* . Ac toto ferme & libro hæc inculcat . Immo & quintum addit, & approbare conatur, *Plurimis non dari faciendi præcepti poſſibilitatem, quæ precibus implorari ſolet* . Quod in ipſo ejus tertii decimi capitis titulo poſuerat , *Eſſe quandam voluntatis infirmitatem , qua non poteſt certas tentationes ſuperare , nec adeſt gratia , qua ſuperentur , nec ſpiritus Orationis , quo vires impetrentur* . Porro hæc prima Propoſitio non ſolum extracta eſt ex libro Janſenii , ac vere , ut videtis , in illo reperitur ; ſed etiam ex ipſius Syſtemate omnino ſequitur . Immo non ſolum ſequitur , ut videtur hic circumſcripta , & terminata aliquibus duntaxat præceptis : ſed univerſe in ejus Syſtemate , qui præcepta non ſervat , ea ſervare non poteſt ; ac deeſt illi gratia ſufficiens ad ea ſervanda . Sic enim diſerte Janſenius Tom. 3. Lib. 7. Cap. 2. *Dico igitur S. Auguſtini principiis inſiſtendo , aliquid omnino eſſe , præter nudam voluntatis facultatem , quod eam faciat velle ; vel nolle ; quo omnino abſente , ſit impotens ; præſente potens ; ſive ad bonum , ſive ad malum* . Et cap. 3. id eſſe dicit , *delectationem victricem* , ſeu *relative ſuperiorem*. In eo autem qui peccat , in hoc Syſtemate delectatio cœleſtis eſt *relative inferior*; ac proinde illum ad bonum, & præcepta ſervanda potentem non efficit .

VII. Idem ante ipſum docuit Lutherus, qui in reſponſ. ad dialog. Sylveſtri, ut eſt in Lovanienſi cenſura, *Quicunque*, inquit , *negat Deum impoſſibilia juſſiſſe , peſſime facit : & qui hoc falſum eſſe dicit, pluſquam peſſime facit* . Quod adverſus Latomum confirmat multis &c. Ita etiam Calvinus Inſtit. lib. 2. cap. 5. num. 4. & 6. & cap. 7. num. 5. Item lib. 4. de Lib. Arbitr. & in Antid. Concilii Trident. Seſ. 6. cap. 12. Ubi ne ſit , quo diſcrepet ab Janſenio , *vexabant* , inquit, *etiam Auguſtinum Pelagiani ; quod diceret , Dei præcepta ad obſervandum eſſe impoſſibilia* . Quod ipſum dicit Janſenius lib. 3. de Grat. Chr. cap. 13. 14. &c. & lib. 4. de hæreſi Pelag. cap. 16. Accedit , quod objicientibus , non poſſe homi-

Digitized by Google

homini culpæ dari, quod præcepta non faciat, ſi virium quod ſit ſatis non habet; idem ambo reſpondent: hæc nobis juſte imputari, quia culpa primi parentis, quæ ad nos omnes pertinet, eas vires, poteſtatemque perdidimus. Peccari a nobis in cauſa. Ita Janſenius tom. 3. lib. 3. cap. 14. & 17. Idemque de Calvino, & ex Calvino dicunt Theodorus Beza de æterna prædeſt. pag. 414. & 415. Hieronymus Zanchius tract. Theolog. lib. 1. cap. 6. Petrus Molinæus in Clypeo Fidei art. 9. & alii Calvini diſcipuli. Illa ſit hujus loci ſumma, & concluſio: Janſenium non minus, quam Calvinum poteſtatem nobis eripere obſervandi præcepta, non ſolum proximam, ſive immediatam, cujuſmodi eſt gratia, quæ ſpectata difficultate operis, & concupiſcentiæ renixu, det tamen expeditam facultatem agendi ſalutariter; ſed etiam remotam, ſive mediatam, cujuſmodi eſt præſens facultas impetrandi, vel alia via a Deo obtinendi eam gratiam. Ac nobis poteſtatem relinquere duntaxat conditionalem. Qualis eſt, ait Calvinus in 12. cap. Ezechiel. in eo, qui caret alis, *poteſtas evolandi in Cœlum*: vel melius, & aptius ad ipſorum Syſtema; qualis eſt in cœco poteſtas legendi: conditionalis ſcilicet; hoc eſt, ſi Deus illi oculos, eorumve uſum vel daret, vel reſtitueret. Idem porro dicunt Chemnitius in Exam. Concil. Trid. de Liber. Arb. Chamierus tom. 3. lib. 3. cap. 5. n. 1. & 2. Pareus lib. 3. cap. 28. & lib. 5. cap. 17. Bajus propoſ. 54. & 67. At, inquiunt defenſores Janſenii; etiam prævalente, ſeu præponderante Concupiſcentia, eſt tamen in homine poteſtas abſoluta, & ſaltem remota obſervandi præcepta. Reſpondeo, poteſtatem abſolutam, ſi deeſt poteſtas relativa, quam iſti neceſſariam exiſtimant, eſſe re vera poteſtatem conditionalem; & eam quidem, quæ nobis non det poſſe adimplere, ſive ut ajunt, purificare conditionem. Et eſſe ita remotam, ut nobis non det poſſe acquirere facultatem proximam. Verum plura de hoc in confutatione cap. 7. a num. 61.

VIII. Contradicunt Sacræ Literæ. Deut. XXX. 2. 12. 13. 14. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt* &c. Pſalm. CXVIII. 96. *latum mandatum tuum nimis*. Et 172. *Omnia mandata tua æquitas*. Eccli. XV. 15. 16. 17. 18. Sap. VI. 13. 14. XII. 1. Pſalm. CXLIV. 9. &c. Ezechi. XVIII. 20. 23. 31. 32. Matth. XI. 30. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Luc. XVII. 21. *regnum Dei intra vos eſt*. 1. Joan. V. 3. *mandata ejus gravia non ſunt*. Item Matth. XI. 28. Joan. VII. 37. 38. XIV. 23. Luc. XI. 9. 10. 13. 1. Cor. X. 13. &c. Repugnant pariter Eccleſiæ decreta; cujus doctrina hæc eſt; Deum nihil præcipere, quin det vires ad illud faciendum vel proximas; ſive immediatas, quas vocant; vel ſaltem remotas, ſive mediatas; hoc eſt, vires ad orandum, ſicut oportet. Quod intelligendum de omnibus, & maxime de hominibus juſtis. Ita Concilium Tridentinum Seſs. 6. Cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuvat, ut poſſis*. Et can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit*. Quod ipſum ſancivit Concilium Arauxicanum can. 25. *Hoc etiam ſecundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes Baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, ac debeant, ſi fideliter laborare velint, adimplere*. Et Moguntinum Cap. 9. ſimiliter ſtatuit; *Mandatorum Dei obſervantiam renatis, ac juſtificatis eſſe poſſibilem, non ſecundum infirmitatem, quam habent cum aliis hominibus communem, ſed ſecundum gratiam Chriſti, qua imbuti ſunt, & ſecundum opem Spiritus Sancti*. Itaque a tribus Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. reprobatæ, & proſcriptæ Baji propoſitiones 54. nempe, *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit*. Et 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit*. Et Innocentius X. Alexander VII. ac noviſſime Clemens XI. in Conſt. *Vineam Domini Sabaoth* &c. hanc

Jan-

Digitized by Google

Janſenii propoſitionem *temerariam*, *impiam*, *blaſphemam*, *anathemate damnatam*, *hæreticam* declararunt. Atque idem Clemens in Conſtit. *Unigenitus* &c. Queſnelli propoſitiones confixit ſextam, & ſeptimam, in quibus eſt aliquid ſimile de veteri Lege. Demum, quamvis nulla eſſe poſſit Janſenianis defenſio, ſive ex peccato Adami, ſive ex peccatis propriis præteritis; cum in hominibus *fidelibus*, & *juſtis*, de quibus Janſenius loquitur, alterum ſit plane *deletum* (Coloſ. II. 14.) altera vero Deus ita illis remiſerit, ut eorum *nec recordari*, dicatur Ezech. XVIII. 22. tamen hoc etiam qualecunque effugium præcluſum ipſis penitus fuit, propoſitione illa damnata: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato Originali, & voluntate Adami peccantis*. De qua conſule Vivam Trutin. Theol. tom. 1. par. 2. de Propoſit. proſcriptis ab Alexandro VIII.

IX. Quam vero ab omni hac Janſenii doctrina longe ſemper abſuerint, ac diſſenſerint Patres, ac præcipue Auguſtinus, cum Tridentinum ipſum teſtatur Seſs. 6. Cap. 11. tum fuſe expoſitum reperietis apud Scriptores, quos ſub finem hujus diſputationis vobis legendos proponam. Unum eſt tamen in hoc etiam ſecundo capite, quod illi notatum non reliquerunt; Auguſtinum divinorum præceptorum duo genera diſtinguere; unum de faciendo bono, alterum de perficiendo. Seu melius, Auguſtinum in divinis præceptis, & ſummatim in ea generali *prohibitione*, *Non concupiſces*; & *in ea generali juſſione*, *Diliges* (Lib. de perf. juſt. Cap. 5. n. 11.) duplicem ſenſum, ſeu duplicem gradum diſtinguere; unum de faciendo, alterum de perficiendo bono: unum de facienda, alterum vero de perficienda juſtitia. Sic enim in Libro de Nat. & Grat. Cap. 62. n. 73. *Eſt*, inquit, *facere juſtitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare: perficere autem, eſt omnino adverſarium non habere*. Et Tract. 41. in Joan. n. 12. in illud Apoſtoli ad Rom. VII. 18. *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio*, ita ſcribit: *Non ait, Non mihi adjacet facere: ſed:, Non mihi adjacet perficere. Quæ eſt enim perfectio boni, niſi conſumptio, & finis mali? Quæ eſt autem conſumptio mali, niſi quod Lex dicit, Non concupiſces? Omnino non concupiſcere perfectio boni eſt, quia conſumptio mali eſt. Hoc dicebat ille, Perficere bonum non mihi adjacet; quia non poterat facere, ut non concupiſceret: faciebat tantum, ut concupiſcentiam refrænaret; ut concupiſcentiæ non conſentiret* &c. Necnon in Libro de Perfectione juſtitiæ Cap. XI. n. 28. *Facere bonum illi adjacet; perficere bonum illi non adjacet. Nam in eo quod non conſentit, bonum facit; & in eo quod odit concupiſcentiam ſuam, bonum facit &c. Ei tamen perficere bonum non adjacet; quod tunc erit, quando illa concupiſcentia, quæ habitat in membris ejus, nulla erit*. Item Lib. 1. ad Bonifacium Cap. 10. n. 19. *Hoc eſt perficere bonum, ut nec concupiſcat homo. Imperfectum eſt autem bonum, quando concupiſcit, etiamſi concupiſcentiæ non conſentit ad malum*. Et Lib. 3. contra Julian. Cap. 26. n. 62. *quia juſtitiam perficere in iſta corruptibili carne non poſſumus, ideo dixit ad Romanos* (VII. 18.) Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.... *ideſt non mihi adjacet perficere bonum. Non ait, FACERE; ſed, PERFICERE bonum. Quia facere bonum, eſt poſt concupiſcentias non ire: perficere autem bonum, eſt non concupiſcere*. Et ſic pariter Lib. 5. Cap. 7. n. 30. *Etſi enim non hic perficiunt bonum quod volunt, ut non concupiſcant: faciunt tamen bonum, ut poſt concupiſcentias ſuas non eant*. Ita etiam Serm. 154. Cap. 9. n. 12. Lib. 1. Retract. Cap. 15. n. 2. Lib. de Continent. Cap. 3. num. 6. & Cap. 8. num. 20. aliiſque in locis quam pluribus.

X. Cauſa vero, quamobrem Auguſtinus hæc duo divinorum præceptorum genera; ſive, hos duos ſenſus, aut gradus ita diſtingueret; illa fuit, quod inter Pelagianorum errores hic erat vel primus, poſſe hominem naturæ viribus eo pervenire, ubi nullis pulſaretur tentationibus; nullis incitaretur cupiditatum motibus; expers omnino peccati eſſet;

nec

nec modo ejus peccati, quod vere, & proprie peccatum eſt; ſed ejus etiam, quod peccatum appellatur, *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*. (Trid. Seſ. 5. decr. de pecc. Origin.) De quo illorum errore Hieronymus in Dialogo præſertim lib. 3. prope finem, & in Epiſt. 43. ad Cteſiphontem §. 4. Maxime vero Auguſtinus. *Illis*; inquit in lib. de ſpir. & lit. cap. 2. num. 4. *acerrime, ac vehementiſſime reſiſtendum eſt, qui putant ſine adjutorio Dei, per ſe ipſam vim voluntatis humanæ vel juſtitiam poſſe perficere*. Ita etiam lib. 3. ad Boniſac. cap. 8. num. 24. & lib. 4. cap. 7. num. 19. de dono Perſev. cap. 2. n. 4. lib. 3. cont. Julian. cap. 1. num. 2. de Hæreſib. n. 88. & alibi ſæpe. Porro adverſus hunc errorem ſic pugnat, ut dicat præceptum de perficiendo bono, de perficienda juſtitia adeo impleri non poſſe viribus naturæ, ut in hac vita mortali etiam hominibus juſtis, etiam hominibus ſanctis denegetur gratia illa qua id poſſibile fiat. Huc opus eſſe adjutorio ſpecialiſſimo, qualis eſſet delectatio victrix, quæ, ut in ſuperiori capite diximus propria eſt vitæ beatæ. Nunquam vero dicit eum, qui juſtitiam hoc ſenſu non perficit, vere, & proprie peccare. In quo erravit Bajus Propoſ. 50. 51. 74. 75. 76 qui de hoc etiam putavit eſſe verum, & rigoroſum, ut ajunt, præceptum. Sic vero Auguſtinus de Spir. & lit. cap. 3. num. 5. in Pſalm. 146. num. 11. lib. 1. de peccat. mer. & rem. cap. 39. n. 69. *Nos autem dicimus, humanam voluntatem divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, reſiſtendo concupiſcentiæ carnis, quod hic fieri poteſt; non ea prorſus carendo, quod hic fieri non poteſt; niſi forte miraculo omnipotentiſſimi Creatoris. Proinde hoc primum præceptum juſtitiæ, Diliges &c. in illa vita implebimus, cum videbimus facie ad faciem; cum Deus conſolidabit ſanitatem, & non erunt jam impoſſibilia nobis, quæ modo impoſſibilia ſunt*. Et in libro de Nupt. & Concupiſc. cap. 27. num. 30. *Ut tamen nec ipſa ſint deſideria, velle debemus, etiamſi in corpore mortis hujus id obtinere non poſſumus*. Et cap. 29. num. 32. *Multum boni facit, qui facit quod ſcriptum eſt* (Eccli XVIII. 30.) Poſt concupiſcentias tuas non eas: *ſed non perficit, quia non implet, quod ſcriptum eſt* (Exod. XX. 17.) Non concupiſces. *Ad hoc ergo dixit Lex*, Non concupiſces, *ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiæ quæreremus; & in eo præcepto ſciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari; & quo poſſit a nobis in illa immortalitate beatiſſima perveniri: niſi enim quandoque perficiendum eſſet, nunquam jubendum eſſet*. Item lib. 19. de Civit. cap. 4. num. 3. *Quid autem facere volumus, cum perfici volumus finem ſummi boni, niſi ut caro adverſus ſpiritum non concupiſcat, nec ſit in nobis hoc vitium, contra quod ſpiritus concupiſcat? Quod in hac vita quamvis velimus, quoniam facere non valemus &c*. Et in Libro de perfect. juſtitiæ Cap. 8. num. 19. *Tunc erit juſtus ſine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus; ſed prorſus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod eſt primum, ſummumque præceptum. Cum ergo non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, ſi quo currendum eſt neſciatur*. Et in Epiſt. 196. ad Aſellic. Cap. 2. num. 6. *Hoc enim Lex poſuit dicendo*, Non cuncupiſces; *non quod hic valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus*. Pariter Lib. de peccat. mer. & rem. cap. 36. num. 69. & Lib. 3. cap. 13. num. 23. *In quibuſdam etiam juſtos ſuos, quoniam adhuc extolli poſſunt, non adjuvat ad perficiendam juſtitiam &c*. & de nat. & grat. cap. 27. n. 31. *Apoſtolo toties oranti non aufert neſcio quem ſtimulum carnis &c*. Tandem in lib. de Spir. & lit. cap. 35. n. 64. lib. de Unit. Eccl. cap. 19. n. 4. lib. 4. contra Julian. cap. 2. num. 11. Lib. 5. cap. 6. num. 24. in Pſalm. 146. n. 1. in Epiſt. ad Roman. VIII. 18. num. 17. ad Galat. V. 16. Tract. 6. in Epiſt. Joan. num. 6. &c.

XI. His omnibus locis, & aliis ejuſdem modi, qui ſane plurimi ſunt, quibus Auguſtinus adverſus Pelagianos contendit, hominibus juſtis, immo & ſanctiſſimis, *volentibus, conantibus, ſupplicantibus* non dari *delectationem victricem*, ideſt adjutorium, quale, & quantum neceſſe eſſet ad perficiendam hoc ſenſu juſti-

juſtitiam ; Janſenius probat deeſſe iiſdem gratiam , qua poſſibilia fiant præcepta illa, quæ ſunt de facienda juſtitia; In quo vel mala fide , vel mala intelligentia iterum peccat . Cum præcepta , ſeu præceptorum ſenſus , & gradus confundat ; quæ Auguſtinus apertiſſime divìdit . Eumque facit vel auctorem, vel patronum ſententiæ , a qua ſummopere abhorret : hoc eſt , Deum impoſſibilia præcipere; ac peccare homines vere , & proprie in eo etiam quod neceſſario faciunt . Quamvis enim Auguſtini non ſit ſermo 191. de Tempore , noviſſime in Appendicem rejectus , in quo ſic legimus num. 6. *Exſecramur etiam blaſphemiam eorum , qui dicunt impoſſibile aliquid homini a Deo eſſe præceptum* ; at certe quidem ſunt Auguſtini , quæ in lib. de nat. & grat. cap. 43. num. 50. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet : Sed jubendo admonet , & facere quod poſſis , & petere quod non poſſis* . Et cap. 69. num. 83. *Eo quippe ipſo , quo firmiſſime creditur , Deum juſtum , & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere ; hic admonemur , & in facilibus , quid agamus , & in difficilibus , quid petamus* . Quæ ut videtis , a Concilio Tridentino adoptata fuerunt , loco ſupra laudato , & totidem verbis expreſſa ; ſuntque in hac re doctrina ipſa catholica . Adde illa : lib. 2. de peccat. mer. & remiſ. cap. 3. num. 3. *Acute autem ſibi videntur dicere , quaſi noſtrum hoc ullus ignoret , quod ſi nolumus , non peccamus ; nec præciperet Deus homini , quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati* . Et lib. de nat. & grat. cap. 15. n. 16. *Conetur ergo anima domare linguam , & dum conatur poſcat auxilium : & oret lingua , ut dometur lingua ... præcepto facere commonemur , quod conantes , & noſtris viribus non valentes , adjutorium divinum precemur* . Item de perfect. juſt. cap. 10. num. 21. & 22. de Grat. & lib. arbitr. cap. 4. n. 9. & cap. 16. num. 32. lib. 1. de Gent. cont. Manich. cap. 3. num. 6. Epiſt. 157. ad Hilar. cap. 2. num. 9. 10. &c. Epiſt. 179. ad Joan. num. 5. in Pſalm. 56. n. 1. Serm. 32. cap. 9. num. 9. Serm. 248. cap. 4. num. 4. Serm. 249. num. 3. lib. de ſancta Virginit. cap. 41. num. 42. de bono Viduitat. cap. 17. num. 21. lib. 2. cont. adverſ. Leg. & Proph. cap. 3. n. 10. lib. 2. cont. Maximin. cap. 14. n. 9. lib. 2. Oper. imperf. contr. Julian. num. 158. & lib. 3. num. 76. & num. 116. & lib. 4. num. 129. Hæc omnia , & alia plurima contra Janſenium manifeſte pugnant. Itaque ad illa , quæ pro ſe affert , adhibenda plerumque eſt ea diſtinctio , quam nunc expoſui adjutorium gratiæ , ſeu facultatem , poteſtatemque , quam deeſſe etiam hominibus juſtis ait Auguſtinus , non eſſe, quæ datur ad faciendum bonum ; ſed quæ ad perficiendum . Præcepta , quæ ſunt de perficienda juſtitia , ab homine mortali impleri non poſſe ; ſecus vero , quæ de juſtitia tantum facienda . Hæc qui non implet , vere , & proprie peccare ; ſecus autem qui non implet illa . Ea enim non ad vitæ ſtatum, in quo ſumus; ſed ad eum , quo tendimus pertinent . Non carere concupiſcentia , ſed concupiſcentiæ non conſentire jubemur hic . Habetis præterea reſponſiones communes aliorum : nempe, Auguſtinum loqui de impoſſibilitate , ut ajunt , morali ; hoc eſt, de difficultate ſervandi præcepta . Vel loqui de impoſſibilitate etiam metaphyſica ſervandi eadem ſolis naturæ viribus . Quæ quidem improbanda non ſunt . Videndum vero, ne non adhibeantur in loco. De his infra cap. 3. num. 18. & cap. 7. num. 70.

CAPUT TERTIUM

Idem probatur de altera Janſenii Propoſitione .

XII. HÆc eſt ſecunda Propoſitio Janſenii : *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur* .

In ipſius volumine vere , & proprie reperitur . Nam tom. 3. lib. 2. cap. 4. hæc habet : *Gratia ſanæ voluntatis in ejus libero relinquebatur arbitrio , ut eam , ſi vellet , deſereret , aut ſi vellet , uteretur : gratia vero læſæ , ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio , ut eam deſerat , aut arripiat , ſi voluerit ; ſed ipſa ſit potius illa poſtrema gratia , quæ invictiſſime facit , ut velit , & a voluntatem non deſeratur* . Et cap. 24. *Gratiam Dei victri-*

cem

Digitized by Google

cem Auguſtinus ſupra voluntatis arbitrium ſic ſtatuit , ut non raro dicat , hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere . Item cap. 25. *Gratia , & opus bonum apud Auguſtinum ita reciprocantur , ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet ; ita vice verſa ex defectu operis gratiam non eſſe datam .... Quod eſt proinde , ac ſi apertiſsime ediceret , nunquam illa caret effectu ſuo .* Et cap. 29. *Docent ipſimet* Recentiores *cum omnibus iſtis gratiis optime conſiſtere poſſe , ut voluntas iis excitata , & ſuaſa , atque prolecta , nolit . Quod certiſsimum eſt , illi gratiæ medicinali repugnare , quam Auguſtinus lapſis hominibus dari tradit .* Et , aliis pluribus prætermiſſis, lib. 10. cap. 7. *In univerſis operibus Auguſtini , non eſt veſtigium , quod Chriſti gratia cuiquam ſit incongrua , ſed omnis congrua eſt , omnis operatur , ac perficit effectum ſuum .* Porro quod ait Janſenius , gratiam nunquam carere effectu ſuo , intelligendum eſt de effectu illo , cujus eſt potens , non abſolute , ſed relative . Relative , inquam ; non habito reſpectu ad liberum hominis Arbitrium , quod cum proprio nutu , & electione ſpoliatum exiſtimet , ejus nullam prorſus rationem habet ; ſed habito reſpectu ad oppoſitam cupiditatem . Gratiam dicit nunquam carere effectu illo , cujus eſt potens , comparata cum Concupiſcentia ; ſeu , pro menſura , & pondere delectationis contrariæ . Ut ſi gratia major ſit , quam cupiditas , ea voluntatis aſſenſum inſuperabiliter rapiat : ſin autem minor ſit , ſemper tamen aliquid boni motus efficiat ; inefficacis vero , & imperfecti , quem proprie non voluntatem , ſed velleitatem appellare liceat . Ita ipſe tom. 3. lib. 8. cap. 3. *Delectatio victrix , quæ Auguſtino eſt efficax adiutorium , relativa eſt . Tunc enim eſt victrix , quando alteram ſuperat . Quod ſi contingat , alteram ardentiorem eſſe , in ſuis inefficacibus deſideriis hærebit animus .* Quæ quidem mechanicæ legibus , ipſiuſque adeo ſyſtemati ad eas leges conformato ſatis conſentiunt . Sic enim in libra , ſi uni lanci uncias ſex plumbi , alteri vero auri uncias tres tantum imponas; quamvis prævaleat plumbum , & lancem omnino deprimat ; eſt tamen aliquid , quod agat & aurum : contra nititur , reſiſtit nonnihil ; & hoc ſaltem præſtat , ne pars illa libræ , in qua ineſt , attollatur tam facile , quam fieret , ſi auri pondus aliquanto etiam minus haberet , aut prorſus vacua foret . Hoc ſaltem efficit , ut libra ita ſe habeat , ne magna ſive detractione , ſive acceſſione opus ſit , ſed levi momento in contrariam partem inclinari queat . Et alia horum ſimilia . Neque enim neceſſe eſt , exempla , & ſimilitudines ab omni parte congruere . Illud tenendum , apud Janſenium , non minus quam in libra , rem totam hanc peragi cauſis neceſſariis ; quæ agunt , quantum poſſunt . Cœterum

XIII. Ut ut ex ipſius ſyſtemate hæc conſequantur , & cum illo cohæreant ; certe Janſenius locis proxime notatis , & in hac ſecunda Propoſitione dicit hæc duo . Primum eſt , interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ liberam hominis facultatem nunquam reſiſtere ullo modo . Et in hoc præcipue eſt vitium , atque error Propoſitionis hujus . Alterum eſt , interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ Concupiſcentiam ita reſiſtere , ut etiamſi major ſit , eam tamen non omni prorſus effectu fraudet . Nimirum , quia gratia etſi non tantumdem ponderis habeat , ſemper tamen aliquid ponderis habet . Itaque apud Janſenium licet non omnis gratia ſit victrix , quia non omnis cupiditatem ſuperat , & voluntatis aſſenſum evincit ; omnis tamen gratia eſt efficax , quia , ut dicebam , ſemper aliquid efficit : nec , ſi plenum , & perfectum opus non edit ; continuo nihil inchoat , nihil agit . Hoc ipſum dicit expreſſe . Nam tom. 3. lib. 2. cap. 27. *Nullam* , inquit , *Auguſtinus agnovit actualem Chriſti gratiam , quam efficacem ; nec agnoſcere potuit , niſi regulas omnes fundamentales , quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit , velit interimere .* Et lib. 3. cap. 1. præfigit hunc titulum : *Nullum dari poſt lapſum Adami adjutorium ſufficiens , quin ſimul ſit efficax .* Quibus tandem apertiſſime rejicit gratiam , quæ ſit mere ſufficiens ; qualem præcipue doctores catholici explicant . Hoc eſt , interiorem gratiam , quæ cum hominem red-

Digitized by Google

dat proxime potentem ſalutaris aſſenſus, ſive operis boni; ipſo tamen prorſus libere diſſentiente, ſeu reſiſtente, caret effectu. Gratiam interiorem, cui in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtitur; neque a cupiditate, ſed a libera hominis facultate reſiſtitur. In hanc gratiam Janſenius loco proxime notato vehementer invehitur: eamque, *inutilem*, *pernicioſam*, *monſtrum in theologia*, *gratiam non Auguſtini*, *ſed Pelagii*, nuncupat. De quo plura cap. 5. ubi de quarta ipſius Propoſitione.

XIV. Quod ad rem præſentem, huic Propoſitioni, & doctrinæ conſentiunt heterodoxi cæteri, in primis vero Calvinus, qui in Antidoto Conc. Trid. cap. 6. ſeſs. 6. *motum Spiritus S. ita efficacem eſſe*, dicit, *ut fidem ſemper gignat*. Et libro 2. Inſtit. cap. 3. *perpetuum effectum gratiæ* ita propugnat, ut Andreas Duvallius tom. 1. tract. de Grat. quæſt. 5. art. 2. ſic affirmet: Calvinus cum lib. 1. Inſtit. &c. *quamlibet Dei gratiam ſuum ſemper effectum ſortiri aſſeruiſſet*, *ſufficientem gratiam quatenus efficaci opponitur*, *tanquam vanam*, *& ſuperfluam rejicit*. De Calvino ſimiliter alii plures. Magiſtri ſui doctrinam repræſentarunt David Pareus, cujus illa ſunt lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 2. lect. 112. *omnis gratia ad converſionem ſufficiens*, *eſt converſionis efficax &c. Ad converſionem enim nulla motio poteſt dici ſufficiens*, *niſi quæ eandem efficit*. Petrus Molinæus, qui in Anatome Arminian. cap. 45. num. 3. *Auguſtinus*, inquit, *uſus eſt vocibus*, *quæ non minus habent virium ad deſignandam vim gratiæ*, *quam vox IRRESISTIBILIS*, *quam Jeſuitæ nondum procuderant*. Samuel Mareſius qui in Addit. ad Catech. Janſ. pag. 25. *Sic corruit*, inquit, *inepta*, *& importuna Jeſuitarum*, *& aliorum gratiæ diſtinctio in SUFFICIENTEM*, *& EFFICACEM*: *circa quam hærent mille difficultatibus impliciti*. Et tandem famoſa Synodus Dordracena, cujus eſt illa ſanctio pag. 746. *Diſtinctio illa gratiæ in SUFFICIENTEM*, *& EFFICACEM*, *minime nobis probatur*. *Retineant eam ſibi Bellarminus*, *& Arminius &c.*

XV. Contradicunt ubique ſacræ Literæ, tum quod hominibus exprobant, quod Spiritui Sancto reſiſtant, quod cæleſti lumini occludant oculos, quod ſe obfirment in malo, & alia ejuſdem modi. Tum quod eos hortantur, ac commonent, ne ita ſe gerant, ne gratiam effectus vacuam reddant. Tum quod diſerte teſtantur, dari a Deo omnibus hominibus, quo poſſint ad ipſum converti, ac recte, & ſalutariter agere, nec voluntati gratiam, ſed voluntatem deeſſe gratiæ. Primi generis ſunt. Numer. XV. 30. *adverſus Dominum rebellis fuit*. Deut. IX. 24. *neque vocem ejus audire voluiſtis*: *ſed ſemper fuiſtis rebelles*. Prov. I. 24. 25. *vocavi*, *& renuiſtis &c.* Iſa. V. 2. 3. 4. *Quid eſt*, *quod debui ultra facere vineæ meæ*, *& non feci ei? &c.* Matth. XI. 21. & Luc. X. 13. *Væ tibi Corozain*, *væ tibi Bethſaida*: *quia ſi in Tyro*, *& Sidone factæ eſſent virtutes*, *quæ factæ ſunt in vobis*, *olim in cilicio*, *& cinere pœnitentiam egiſſent*. Matth. XXIII. 37. *Jeruſalem*, *Jeruſalem* .... *quoties volui congregare filios tuos*, *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*, *& noluiſti*. Act. VII. 51. *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Roman. II. 4. 5. *An divitias bonitatis ejus*, *& patientiæ*, *& longanimitatis contemnis? ignorans*, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam*, *& impœnitens cor*, *theſaurizas tibi iram in die iræ &c.* Secundi generis ſunt, Numer. XIV. 9. *Nolite rebelles eſſe contra Dominum*. Pſalm. XCIV. 8. Hebr. III. 7. IV. 7. *ſi vocem ejus audieritis*, *nolite obdurare corda veſtra*. Prov. VIII. 33. *nolite abjicere eam*. Ezech. XVIII. 31. *facite vobis cor novum*; *& ſpiritum novum*. Matth. XII. 33. *facite arborem bonam*, *& fructum ejus bonum*. XIII. 12. XXV. 25. 26. 29. Marc. IV. 25. Luc. XIX. 20. 26. *abſcondi talentum tuum* ... *ſerve male*, *& piger* ... *inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores*. II. Cor. VI. 1. *exhortamur*, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Theſ. V. 19. *Spiritum nolite extinguere*, *&c.* Tandem tertii generis, Job. XXI. 14. *dixerunt Deo*. *Recede a nobis*, *& Scientiam viarum tuarum nolumus*. Prov. VIII. 1. 2. 3. 4. *Numquid non ſapientia clamitat &c. in ſummis*, *excelſiſque verticibus*, *ſupra viam in mediis ſemitis &c.* Sap. XII. 1. O *quam bonus*, *& ſuavis eſt*, *Domine*,

Digitized by Google

mine, ſpiritus tuus in omnibus? Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris &c. Eccli. XV. 10. 11. *a Deo profecta eſt ſapientia ... Dominator dabit eam illi. Non dixeris: Per Deum, abeſt.* Iſa. LXV. 2. 3. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum &c.* Oſe. XIII. 9. *Perditio tua, Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum.* Matth. XXII. 3. 4. 9. *miſit &c. & nolebant venire. Iterum miſit &c. illi autem neglexerunt ... ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inveneritis, vocate.* Joan. I. 9. *lux vera; quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* I. Cor. XV. 10. *gratia ejus in me vacua non fuit.* Sunt igitur, in quibus vacua ſit, & effectu careat. I. Timoth. II. 4. *omnes homines vult ſalvos fieri &c.* II. Petr. III. 9. *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Apoc. III. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, &c.* Quicquid illud ſit, quo Janſeniani ſe ab his expedire, ac tueri conantur; ſi gratia ſemper id totum efficit, quod in iis circumſtantiis, quibus datur a Deo, poteſt efficere; neque in hominis libera poteſtate eſt, circumſtantias illas, vel terrenam delectationem minuendo, vel cœleſtem augendo, mutare; nihil horum trium, quæ in ſacris Literis tum frequenter occurrunt, dici poſſet. Nam quo objurgationes, & commonitiones illæ, ſi gratia perficit ſemper id totum, quod poteſt; nec ipſi reſiſtitur? Quid eſt, quod Scriptura docet, non deeſſe homini gratiam; ſed hominem gratiæ, ſi, quod dicit Janſenius tom. 3. lib. 2. cap. 25. ex defectu operis recte colligeretur gratiæ defectus?

XVI. Jam vero quod pertinet ad Eccleſiam, probat illa, & amplectitur eam partitionem, qua Theologi ſcholaſtici dividunt gratiam interiorem actualem in Efficacem, cui poteſt reſiſti; & in Sufficientem, cui reſiſtitur. Et ſufficientis quidem gratiæ nomen ſic uſurpat, ut velit per hanc quoque gratiam, tribui veram, expeditam, & proximam illius operis, quod non efficitur, facultatem, poteſtatemque. Breviſſime: hæc eſt Eccleſiæ doctrina, gratiam interiorem actualem non eum ſemper effectum habere, cujus eſt proxime potens; ſeu, cujus facit hominem proxime potentem: & ideo effectum illum non habere, quia ipſimet gratiæ libera voluntate reſiſtitur. Ita Concilium Trid. Seſ. 6. cap. 5. *tangente Deo cor hominis &c. inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt.* Et cap. 11. *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Et cap. 13. *tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim (niſi illius gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet &c.* Vide etiam Can. 6. & 29. nec non Seſſionis 24. can. 9. Concilium Senonenſe decr. Fidei 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu; nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet; cui ſi quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: nec denique tale ſit hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Item Colonienſe par. 7. cap. 32. *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem; attamen nemo hic excuſationem prætexat, quod non trahatur: quod ille ſemper ſtat ante oſtium pulſans &c.* Et in Enchirid. cap. de Sacr. Pœnitent. *Sexto*, inquit, *ſtatuendum eſt, quod Deus adeo vult omnes homines ſalvos fieri, ut nemini, quantum libet ſcelerato, gratiam ſuam ſubtrahat.* Adde Concilia Valentinum 3. anni 855. Arauxicanum 2. can. 25. Moguntinum can. 7. &c. Jure igitur, & merito Clemens XI. hanc etiam Janſenii Propoſitionem damnavit tanquam *hæreticam*; & inter Propoſitiones proſcriptas ab Alexandro VIII. illa eſt numero 6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis quam pernicioſa eſt; ſic ut proinde merito poſſimus petere, A gratia ſufficienti libera nos, Domine.* De qua pariter conſule Vivam loco ſupra laudato. Adde confixas a Clemente XI. Queſnelli Propoſitiones. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. &c. de quibus, & aliis pluribus in eandem ſententiam vide Jacobum Fontaine Conſtit. *Unigenitus* &c. theolog. propugn.

XVII. Auguſtini pariter contra hanc Jan-

Digitized by Google

Janſenii Propoſitionem & doctrinam teſtimonia clariſſima ſunt. Ubique gratiam prædicat, quæ quam neceſſaria eſt, tam neceſſitatem non affert; ſed ei a libero arbitrio & reſiſti poteſt, & re vera reſiſtitur. Sic lib. 3. de Lib. Arb. cap. 19. num. 53. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis; ſed quod volentem ſanare contemnis*. In Pſalm. CII. num. 5. *Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit: tantum tu curari te ſine, manus ejus ne repellas; novit, quid agat &c.* pergit in eandem ſententiam num. 6. 7. 8. &c. Item in libro 83. quæſt. q. 68. num. 5. *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. &c.* Horum ſimilia de vocatione, & gratia, quæ effectu caret, cujus reddit hominem proxime potentem, lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. num. 12. & 13. lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 17. num. 26. & 27. de Nat. & Grat. cap. 67. num. 80. de Corrept. & Grat. cap. 7. num. 11. de vera Relig. cap. 55. num. 113. lib. 1. Retract. cap. 22. num. 4. Mitto alia plura, quæ videre poteritis apud Scriptores, quos ſub finem hujus diſputationis de more percenſebimus. Apud quos etiam cæterorum Patrum ſelectiores locos in hanc eandem ſententiam reperietis.

XVIII. Pro his duabus Janſenii Propoſitionibus dices primum: Hæc eſt Auguſtini, immo & Tridentini ſententia, *Deus jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Eſt igitur aliquid, quod proxime, & in præſenti facere non poſſumus; & tamen illud proxime, & in præſenti facere jubemur: deeſt gratia ſufficiens, deſunt vires neceſſariæ; & tamen urget præceptum. Reſpondeo, ut Auguſtinum intelligas, diſtinguenda duo illa, quæ diximus; Facere, ac Perficere juſtitiam. *Juſtitiam non perficere, apud Auguſtinum eſt, concupiſcentiæ motibus non carere. Juſtitiam non facere, eſt concupiſcentiæ conſentire*. Hoc ſecundum vere, & proprie peccatum eſt; ſecus vero illud primum, ut declarat Tridentinum Seſ. 5. decr. de peccato Origin. & monet Auguſtinus ipſe perſæpe. Ad juſtitiam perficiendam negat in hac vita mortali dari gratiam, quæ ſatis ſit; ſaltem lege ordinaria, & communi. Ac proinde cum dicit, homines hoc non poſſe, intelligendus eſt etiam de poteſtate phyſica. Ad juſtitiam vero faciendam, hominibus præſertim juſtis, de quibus loquitur Janſenius, ait præſto ſemper eſſe gratiam, quæ plane ſufficit: ac proinde ſi quando videtur dicere, non poſſe homines præcepta, quæ huc pertinent, obſervare; ita eſt explicandus, ut neget poteſtatem dumtaxat moralem; ideſt, ut dicat, id eſſe interdum valde difficile. Quod de loco nobis objecto mihi videtur evidens. Nam qui de Nat. grat. Cap. 43. num. 50. nos dixit admoneri, & facere quod poſſimus, & petere quod non poſſimus; idem Cap. 69. num. 83. hoc ipſum explicat, & admoneri nos ait, & *in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Recole locos ambos ſupra deſcriptos. Quapropter in adverſariorum enthymemate, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: jubemur igitur, quod non poſſumus phyſice; nego: Quod non poſſumus ſine magna difficultate; iterum diſtinguo: ſic tamen, ut præter gratiam, quæ dat nobis plenam, & proximam poteſtatem phyſicam, adſit nobis & gratia ad impetrandam etiam poteſtatem moralem; concedo: ſecus, nego conſequentiam. Similiter diſtinguo alterum conſequens: deeſt nobis gratia, quæ dat nobis poteſtatem phyſicam faciendi præcepta, nego: quæ det etiam poteſtatem moralem, hoc eſt, quæ minuat difficultatem; iterum diſtinguo, deeſt ad hoc gratia proxima, & immediata; concedo: remota, & mediata, nego. Item, urget præceptum, de eo quod phyſice, & ſimpliciter non poſſumus, nego: de eo quod phyſice, & ſimpliciter poſſu-

mus, concedo; vel iterum ex dictis diſtinguo. Illud habendum, non peccari formaliter, niſi ſub libertate phyſica, & immediata abſtinendi a peccato: quod auctoritate, & ratione, ex iis quæ ſcripta jam ſunt, facile confici poteſt.

XIX. Dices deinde, gratiam ſufficientem, verbo tenus hujuſmodi eſſe: re vera non magis ſufficere, quam gratiam illam, quam Janſenius tom. 3. Lib. 3. cap. 15. & alibi, *gratiam parvam, & invalidam*, vocat. Probatur hoc; quia ad ſalutarem aſſenſum, in noſtra etiam ſententia, neceſſaria eſt gratia efficax: neque enim aſſenſus ille extitit, aut exiſtet unquam, niſi ſub gratia efficaci. Reſpondeo; vel ſermo eſt de gratia illa, quam parvam vocat Janſenius, ut vere ſe habet ad oppoſitam cupiditatem, & ad ſalutarem voluntatis aſſenſum; vel ſermo eſt de illa, uti ſe habet ad hæc eadem, opinione Janſenii; ſive, ſecundum illa, quæ ipſi attribuit Janſenius. Si primum; dico, eſſe re vera ſufficientem. Nam, ut docet S. Thomas par. 3. q. 70. ar. 4. in cord. *minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis*. Si vero ſecundum; dico, multum intereſſe inter gratiam parvam Janſenianam, & gratiam ſufficientem Catholicam. Hæc enim, ut dictum jam eſt, affert plenam, & proximam, atque expeditam facultatem operis ſive actionis ſalutaris. Neque quod careat effectu illo, quem proxime poteſt habere, referendum eſt in ejus gratiæ, ut ita dicam, entitatem, ſeu propriam naturam, & conditionem; quod admodum craſſe, & imperite nobis Janſenius objectat. Ideo effectu illo caret, quem proxime poteſt habere; quia ipſi libera voluntate reſiſtitur. Contra vero gratia parva Janſeniana, prout de illa ipſi opinantur, non affert facultatem ſalutaris aſſenſus, niſi conditionaliter: hoc eſt, ſi Deus vel gratiam ipſam ita augeret, vel oppoſitam cupiditatem ita minueret, ut majus ineſſet pondus delectationi cæleſti, quam terrenæ. Neque caret effectu, quem proxime poſſit habere; quia quod opus ſalutare non perficiat, non eſt, in Janſenii ſyſtemate, a liberi arbitrii diſſenſu, ſed ab oppoſitæ cupiditatis majori pondere, & niſu. Quod autem additur; ad ſalutarem voluntatis aſſenſum neceſſariam eſſe gratiam efficacem, diſtinguendum eſt: ac de neceſſitate antecedenti negandum, de neceſſitate conſequenti concedendum. Nimirum, quia gratia proprie, & formaliter efficax dicitur ex ipſo Dei concurſu, ut ajunt, in actu ſecundo: vel certe (ne Janſeniani poſſint præmotionis phyſicæ exemplo ſe ſe tueri) ex aliquo, quod reſidet penes actum ſecundum. Nam ſi ſpectetur actus primus proximus, ſeu proxima agendi facultas, voluntas non minus diſſentire, & reſiſtere poteſt gratiæ efficaci, quam ſufficienti. Quemadmodum ſalutariter agere tam poteſt proxime ſub gratia ſufficienti, quam ſub efficaci. At enim ſalutaris aſſenſus nec extitit, nec exiſtet unquam, quin illum Deus ex æterno præviderit: neque tamen divinæ illius præmotionis neceſſitas eſt plus quam conſequens.

CAPUT QUARTUM.

Idem probatur de tertia Janſenii Propoſitione.

XX. HÆc eſt tertia Janſenii Propoſitio: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.*

Docet id his præſertim in locis. Tom. 3. Lib. 6. Cap. 5. *voluntas*, inquit, *ſeu volitio, & libera voluntas idem ſunt; ſicut velle, & libere velle; & impoſſibile ſit, ut velle non ſit liberum*. Cap. 6. *Quod*, inquit, *ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem..... demonſtrari poteſt*. Ubi alia plurima in hanc eandem ſententiam. Ut, quod in ipſo capitis titulo duplicem neceſſitatem diſtinguit, *unam coactionis, & aliam ſimplicem, ſeu voluntariam*, hoc eſt, non violentam; aitque *illam, non vero iſtam repugnare libertati*. Tum illa: *ex quibus conſentaneum eſt, omnem omnino voluntatem*, quam-

quantumcunque ad unum determinatam, *nulla tali neceſſitate*, *qua dicitur neceſſe eſſe ut velit*, *deſinere eſſe liberam*, *quia non deſinit eſſe voluntas*, *quæ non eſſet ſi nollemus*. Et aliquanto poſt: *ſicut libertas eſſe non poteſt ſine voluntate*, *ita nec voluntas ulla ſine arbitrii libertate*, *&c.* Et Lib. 8. Cap. 15. *Quæ manifeſtiſſime clamant*, *gratiam quantumcunque efficacem*, *etiam talem*, *qualis in Cœlo cum ſumma delectatione dabitur*, *nullo modo tollere libertatem*; *quia non tollit voluntatem*: *hoc ipſo videlicet*, *quo eam non cogit*, *aut invitam rapit*. Et Cap. 17. *Si etiam in hac vita Dei inſpiratio ſtabiliter*, *ac delectabiliter Deo operante inhæreret voluntati*, *ut eam non poſſet abjicere*, *feliciſſimum*, *fortiſſimum*, *liberrimumque merito diceretur*, *atque eſſet arbitrium*. Et Cap. 19. *Nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt*, *ſed ſola vis*, *coactio*, *& neceſſitas violentiæ*. Denique nihil ferme aliud continent, & inculcant tres integri Libri 6. 7. & 8. quam unam hanc Propoſitionem. Ut mirum plane ſit, & intolerabile, Paulum Irenæum diſquiſ. 6. art. 3. Dionyſium Raymundum par. 1. Cap. 4. & alios paſſim Janſenii Apologiſtas nobis fucum facere velle, & ab hujus Propoſitionis nota Janſenii Librum eximere.

XXI. Sed & eadem ex Janſenii ſyſtemate ſequitur evidenter. Cum enim Lib. 4. de Grat. Chriſti Cap. 9. & aliis in locis ſup. not. doceat, liberam hominis facultatem, culpa primi Parentis, ita veniſſe in poteſtatem cupiditatum, ac delectationum, terreſtris, quæ ex ipſo eſt, & concupiſcentia dicitur; ac cœleſtis, quæ ex Deo, & in qua Chriſti gratiam medicinalem reponit; ut utra ſit major altera, ab illa neceſſario agatur; conſequens eſt, ut libertatem a neceſſitate non habeant homines, niſi tantum in cauſa, hoc eſt in primo ipſo Parente: in ſe ipſis vero liberi ſint dumtaxat a vi, & coactione; nempe ut videntes, ac libentes agantur; non neſcientes, aut renitentes. Quo a beatis, & Angelis, & hominibus Deum ait libere amari; in eoque etiam meritum fore, ſi præfinitum merendi tempus ipſis elapſum non eſſet. Item, peccare Dæmones, quamvis ex neceſſitate prorſus inſuperabili male agant. Verum obedientiæ meritum in Chriſto fuiſſe ſine indifferentiæ libertate. Et alia horum ſimilia.

XXII. Quibus omnibus conſentiunt heterodoxi, qui ante ipſum ſcripſere. Wicleffiſtæ apud Thomam Valdenſem lib. 1. art. 1. cap. 23. objicientibus arbitrii libertatem ita reſpondent: *Deus non neceſſitat neceſſitate coactionis ad bonum*, *vel malum*; *quia illa ſola tollit arbitrii dignitatem*; *non autem alia neceſſitas*. Lutherus quam hoc etiam ex Wicleffo adoptarit, exponit in eo libro, quam inſcripſit *DE SERVO ARBITRIO*. Hæc ibi: *ſequitur*, *nos neceſſario operari*, *neceſſario vero dico*, *non coacte*. *Hoc eſt*, *homo cum vacat ſpiritu Dei*, *non quidem violentia*, *velut captus obtorto collo*, *nolens facit malum*: *ſed ſponte*, *& libenti voluntate facit*.... *Rurſus ex altera parte*, *ſi Deus in nobis operatur*, *mutata*, *& blande aſſibilata per Spiritum Dei voluntas*, *iterum mera lubentia*, *& pronitate*, *ac ſponte ſua vult*, *& facit*; *non coacte*; *pro natura voluntatis*, *quæ ſi cogeretur*, *voluntas non eſſet*; *nam coactio potius eſt*, *ut ſic dicam*, *noluntas*. Adde quod ibidem volendi facultatem, quam libræ Janſenius, Lutherus jumento comparat. *Humana voluntas*, inquit, *in medio poſita eſt*, *ſicut jumentum*; *ſi inſederit Deus* (per gratiam ſuam) *vult*, *& vadit*, *quo vult Deus*. *Si inſederit ſathan*, (tentatione, ac ſuggeſtione) *vult*, *& vadit*, *quo vult ſathan*. Eadem invenies apud Zachariam Urſinum quæſt. 1. de lib. arb. Amandum Polanum p. 33. & alios Lutheri aſſeclas. Sic quidem, ut Martinus Bucerus inter Lutheri diſcipulos facile princeps in libro de concord. doctr. diſerte pronunciarit. *Pacem eſſe inter Catholicos*, *& Lutheranos*, *ſi ſola coactio libertati repugnat*. *Quod enim*, inquit, *Catholici dicunt*, *hominem eſſe liberi arbitrii*, *intelligi debet de arbitrio libero a coactione*, *non a neceſſitate*: *quod vero dicunt Lutherani*, *hominem non eſſe liberi arbitrii*, *accipiendum eſt de arbitrio libero a neceſſitate*, *non a coactione*. Pax eſt igitur inter Janſenianos, & Lutheranos; & mira ſane conſenſio hac in re.

Digitized by Google

XXIII. Eadem, &, ſi fieri poteſt, major etiam conſenſio cum Calvinianis. Inſignis eſt Calvini locus lib. 2. adver. Pighium: *Si coactioni*, inquit, *opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſevero &c.* & lib. 2. Inſtit. cap. 2. num. 6. *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed quia male voluntate agit, non coactione.* Similiter cap. 3. num. 5. Item cap. 5. num. 1. & lib. 4. de lib. arb. Quibus in locis id ſe putat evincere exemplo diaboli, quo deinde uſus Janſenius. Sic enim ibi Calvinus. *Nego peccatum ideo minus debere imputari, quod neceſſarium eſt &c. hoc ſupra clare explicui, & in diabolo ipſo exemplum poſui, unde pateret, non minus peccare, qui neceſſario peccat, &c.* Præceptoris veſtigiis inſiſtunt Beza in lib. quæſt. & reſponſ. p. 680. Molinæus in clypeo Fid. art. 9. Chamierus tom. 3. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 2. Zanchius lib. 1. tract. theol. cap. 6. theſi 1. Pareus lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. 7. Willetus lib. de lib. arb. p. 359. &c. Conſonant his Baji Propoſitiones 39. *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.* 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.*

XXIV. Ubique vero contradicunt ſacræ Literæ. Notiſſima illa, & clariſſima Deut. XXX. 19. *Teſtes invoco hodie cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige vero &c.* Joſ. XXIV. 15. *optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis; utrum diis &c.* Eccli. XV. 14. 15. &c. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui &c. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi &c.* Et XXXI. 10. *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit, &c.* Joan. X. 18. *Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a me ipſo; & poteſtatem habeo ponendi eam &c.* I. Cor. III. 9. *unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adjutores;* VII. 37. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* XV. 10. *abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Philem. 14. *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* Apoc. III. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum &c.* In his omnibus, & aliis pluribus, quæ brevitatis cauſa omiſimus, apparet facultas, quæ inſtructa iis omnibus, quæ ad agendum ſunt neceſſaria, alterutrum poſſit amplecti, & eligere; hoc eſt, poſſit agere, vel non agere, prout ipſa voluerit. In quo poſita eſt libertas indifferentiæ: ideſt, libertas, non ſolum a coactione, ſed etiam a ſimplici neceſſitate.

XXV. Hæc ipſa Eccleſiæ doctrina in pluribus Conciliis aſſerta, ut Arauxicano II. can. 25. Colonienſi I. p. 7. c. 32. Senonenſi decr. 15. Conſtantienſi cont. 27. Wicleffi propoſitionem, qui *omnia de neceſſitate abſoluta evenire dicebat*. Maxime vero Tridentini, quod Seſ. 6. can. 4. anathemate configitur, qui dixerit, *liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum Deo excitanti, atque vocanti, non poſſe diſſentire, ſi velit*. Necnon Seſ. 6. cap. 5. & aliis ſup. cit. Itaque hæc tertia pariter Janſenii Propoſitio, uti duæ ſuperiores a tribus Summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. Clemente XI. hæreſis damnata. Quod autem Janſenius, & Janſeniani hæc ita concedunt, ut dicant; poſſe quidem liberum hominis arbitrium diſſentire ſi velit; *ſed non poſſe non velle*; eſſe in illo *indifferentiam potentiæ, ſed non indifferentiam actionis*: hoc eſt, eſſe facultatem illam natura ſua mutabilem, atque flexibilem; ſed quocunque agit, eo indeclinabiliter, & inſuperabiliter rapi delectationis relative ſuperioris motione, ac pondere. Hæc, & alia ejuſdem modi quibus anathematis ictum declinare ſtudent captioſa, vana, frivola ſunt; & prorſus contra mentem Concilii. Quippe quæ voluntati dominium in ſuas actiones non ſervant; ſed illud tradunt

cupi-

Digitized by Google

cupiditatibus. Definitum ipſi volunt aliunde quid agat, quidve non agat: nec proximam agendi facultatem agnoſcunt, niſi determinationem ad unum. Recte autem monet Gabriel Pennottus Lib. 9. Cap. 15. *Quando Concilium docet, liberum arbitrium divinæ gratiæ poſſe diſſentire, ſi velit, ſupponit illud poſſe velle diſſentire; alioquin nihil contra hæreticos definiviſſet; quia & Calvinus, & ipſe Vvicleffus, & quivis alius Fati aſſertor ſine ulla contradictione admitterent hanc conditionalem, Voluntas a Deo mota per gratiam, poteſt divinæ motioni diſſentire, ſi velit: ſed negabunt, illam poſſe velle. Quare debet Catholicus ab iſtis gloſſis frigidis cavere*. Quod & alii Scriptores infra recenſendi.

XXVI. Huic doctrinæ quam plene, & ex omni parte conſentiant Patres, Scriptoreſque omnium ſæculorum videre poteris apud Ripalda tom. 3. Lib. 2. de ſtatu nat. lapſæ diſput. 14. & 15. Ex SS. Auguſtino, & Thoma multa dedi in Append. diſp. 2. par. 2. Hic ſatis ea reputare Lib. 3. de lib. Arb. Cap. 18. num. 50. *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ hoc breviſſimum tene. Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem. Caveri igitur poteſt*. Locus clariſſimus eſt, explicatione non eget. Item Lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. num. 10. *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit: ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemta reprobus fieret*. Sic habendum, de libertate, qua bene, & male meremur, S. Auguſtinum, ſive contra Manichæos, ſive contra Pelagianos diſputet, illud ſentire (Lib. de duabus Animab. Cap. 9. num. 12.) *quod in hominum omnium judicio ſummi Dei legibus natura ipſa conſtituit*; quod (ibid. Cap. 10. num. 14.) *ubique manifeſtum eſt, & non doctrina, ſed natura omnibus promptum*, ſcilicet hominem etiam in ſtatu naturæ lapſæ (ibid. Cap. 13. num. 19.) *libera illa voluntate huc, & illuc ferri, hinc atque hinc referri poſſe .... utrumque conſiderantem, alterutrum eligentem*. Qui (Lib. 3. de lib. arb. Cap. 1. num. 3.) *motus, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate*; hoc eſt nulla antecedenti, & inſuperabili neceſſitate homini definitus, *neque laudandus, cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis*. Hoc & a Philoſophis defendi paſſus eſt Auguſtinus, & ſibi, totique Eccleſiæ cum Pelagianis *commune dogma* vocare non dubitavit lib 2. de Nupt. & Concup. cap. 3. num. 8. Lib. 3. contra Julian. cap. 1. num. 2. lib. 3. Oper. imperf. num. 101. id unum accuſans, quod illi quidem (lib. 5. de Civit. cap. 9. num. 2.) *negarent præſcientiam futurorum*; hi vero (lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 3. num. 8. &c. *ad colendum recte Deum adjutorii* divini neceſſitatem. Nunquam autem voluit veram, & antecedentem agendi neceſſitatem cum vera, & ad bene & male merendum apta libertate conſiſtere. His adde, quod S. Doctor adverſus Pelagianos diſputans lib. de Spir. & lit. cap. 33. num. 58. & 59. *illam mediam vim eſſe* ait, *quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt ..... Velle Deum omnes homines ſalvos fieri, non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium ..... Infideles contra voluntatem Dei facere, cum ejus Evangelio non credunt, experturos in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt*. Atque illa etiam addit cap. 34. num. 60. *nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt .... In omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt*. Quæ confirmat in Libro de Præd. Sanct. cap. 5. num. 10. *Quiſquis ait, audet dicere, Habeo ex me ipſo fidem, non ergo accepi; profecto contradicit huic apertiſſimæ veritati; non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur* vo-

Digitized by Google

voluntas a Domino. Tandem liberam hominis facultatem prorſus indifferentem, nec indifferentem *paſſive*, qualem illam Janſenius, ac ſuperiores hæretici faciunt, ſed indifferentem *active*, hoc eſt, quæ nulla antecedenti neceſſitate rapiatur ad bonum, vel malum; ſed ipſa eligat, ſeque determinet; facultatem, inquam, hujuſmodi Auguſtinus fuſe, atque eleganter deſcribit in duodecimo de Trinit. cap. 8. num. 13. & cap. 12. num. 17. &c.

XXVII. Ex S. Thoma illud primum ex quæſt. 6. de malo art. unico. *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum; ſed ſolum id, cujus principium eſt extra. Unde & motus naturales inveniuntur aliquando neceſſarii; non tamen violenti: violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario. Quia utriuſque principium eſt intra: violenti autem principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actionibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit*. Nec minus expreſſum, quod ſcribit. Quod lib. 1. art. 7. *Ad ſecundum*, inquit, *dicendum, quod Deus movet omnia, ſecundum modum eorum: & ideo divina motio a quibuſdam participatur cum neceſſitate, a natura autem rationali cum libertate; propter hoc quod virtus rationalis ſe habet ad oppoſita; & ideo ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere*. Item quæſt. 2. de Pot. art. 7. ad 13. *dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem Cauſæ primæ; ſed quia Cauſa prima non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis*. Et quæſt. 22. de verit. art. 7. ubi de libertate ad merendum neceſſaria ita concludit: *Quando ergo ex propria ratione adjutus divina gratia homo apprehendit aliquod ſpeciale bonum, ut ſuam beatitudinem, in quo vere ſua beatitudo conſiſtit, tunc meretur. Non ex hoc, quod appetit ſuam beatitudinem, quam naturaliter appetit; ſed ex hoc, quod appetit hoc ſpeciale, quod non naturaliter appetit &c.* Quibus profecto libertatis activam indifferentiam, neutri extremorum antecedenti neceſſitate devinctam, ad merendum requirit. Quemadmodum aliis etiam in locis quamplurimis, quos dedimus in tertio Syſtemate, & in Append. &c.

XXVIII. Quoniam vero tertia hæc Propoſitio Janſenii doctrinam de Grat. & Lib. Arbitrio totam ferme complectitur, & magis quam reliquæ quatuor, ex ipſius Syſtemate & directe, & proxime ſequitur; argumenta, quibus Janſeniani illam propugnant, refellentur cap. 7. in quo ipſis univerſe reſpondebimus. Duo tamen maxime propria, & peculiaria ſunt loci hujus. Pugnant enim primum exemplo dæmonum, quos, inſuperabili neceſſitate illos premente, vere tamen peccare, & male mereri contendunt. Deinde exemplo Chriſti; qui libere fecit, meritoque eximio, atque adeo infinito, quod neceſſario, & tantummodo non coactum eum feciſſe dicunt, ut Patris præcepto de ſubeunda morte obtemperaret. Mitto illa, ut Deum eſſe libere juſtum ex Auguſtino, lib. 1. Oper. imperf. num. 100. quamvis non poſſit injuſte agere. Item ex Auguſtino, Bernardo, D. Thoma, Scoto, & aliis Doctoribus, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio libere procedere, quamvis non procedere nequeant, & alia plura horum ſimilia; in quibus cum non agatur expreſſe de merito, ſed tantum de libertate, ad ipſum Janſenii Syſtema generatim pertinere videntur; quare de his etiam aliquid cap. 7. ut proxime monui. Interea vero.

XXIX. Ad primum reſpondeo, hoc exemplo, & argumento uſum jam ante Calvinum, & eo quidem uſum, ut id ipſum vinceret, nimirum peccare homines in eo etiam, a quo abſtinere nequeunt: immo ad peccandum inſuperabili ſemper neceſſitate rapi. Addo, Calvinum ipſum deſumpſiſſe hoc ex Wiclepho. Legantur de hoc Valdenſis lib. 1. art. 1. cap. 25. De illo autem Bellarminus lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap.

Digitized by Google

14. Hæc autem ibidem Bellarminus: *tam Angelos ſanctos, quam malos dæmones reſpectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a neceſſitate, ſed ſolum a coactione: tamen reſpectu mediorum liberum arbitrium etiam a neceſſitate habere; quia multa faciunt, quæ poſſent non facere, & contra. Et in hujuſmodi dæmones vere peccare, & bonos Angelos opus vere laudabile facere; quamvis nec præmium, nec pœna eſſentialis creſcere poſſit, cum utrique ſint in termino; & omnia ipſorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ ſempiternæ pertineant*. Damnati ſimiliter æterno ſupplicio non phyſicam, ſed tantum moralem experiuntur peccandi neceſſitatem. Quocirca vere, & proprie, ſeu formaliter peccant: quemadmodum probabilius docent Scotus, Baſſolus, Durandus, Valentia, & alii. Vide Ripaldam tom. 3. diſp. 18. num. 142. Quod ſi eos dicas non ſolum morali, ſed phyſica etiam libertate carere, eaque urgeri neceſſitate peccandi, quæ vinci ab ipſis plane non queat, ut minus probabiliter opinantur aliqui apud Suarez lib. 8. de Angelis cap. 10. quæ ſub ejuſmodi neceſſitate committunt, peccata erunt, ut ajunt, *materialia*, non *formalia*; ac *pœnalia* potius, quam *peccaminoſa*. Cujuſmodi ſunt in nobis Concupiſcentiæ motus, & malæ etiam actiones profectæ ex ignorantia invincibili; quibus analogice, & minus proprie peccare dicimur; nec ſunt vere peccata, ſed effectus, ac pœna peccati. Tridentinum Seſ. 5. & Alexander VIII. Prop. 1. & 2. ex 31.

XXX. Ad ſecundum reſpondeo, doctores omnes catholicos in eo conſentire, quod in Chriſto fuerit libertas non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate, & ſub hac libertate extiterit Chriſti meritum. Quanquam in ea componenda cum Chriſti impeccabilitate, & Patris præcepto inter ſe valde diſſentiant. Thomiſtæ docent, in Chriſto poteſtatem fuiſſe non acceptandi mortem in ſenſu diviſo; nimirum eo prorſus modo, quo prædeterminatus ad amorem poteſt ipſorum ſententia, amorem omittere, vel etiam edere actum contrarium in ſenſu pariter diviſo: ſic vero, ut ejuſmodi poteſtas, non ſit tantum remota, conditionalis, radicalis, qualem volunt Calviniani, & Janſeniani; ſed proxima, abſoluta, & formalis, quam una cum ipſis propugnant cæteri omnes catholici, Scotiſtæ viam doctrinæ ſuæ non minus conſentaneam ineunt. Præceptum de ſubeunda morte externum eſt, inquiunt; ac proinde liberæ Chriſti facultati non officit; quemadmodum facultati liberæ hominum, & Angelorum non officit decretum concomitans, ſeu condeterminans; cum nihil intrinſecus illi addat, aut detrahat, neque ullo modo agendi modum immutet. Suarii & Molinæ ſententia ea eſſe videtur, fuiſſe in Chriſto re vera libertatem indifferentiæ; ſpectato tamen principio agendi proximo, non autem principio remoto. Quare in hos auctores refertur non paucorum ex Noſtris hodie communis opinio, qui hoc etiam per ſcientiam mediam componi poſſe cenſent. Nempe quod Unio Hypoſtatica eſſentialiter reſpuat auxilia indifferentia præviſa incongrua, & poſtulet alia præviſa congrua, vage tamen, hæc nimirum: vel illa: & quidem hoc ipſum non omnino abſolute, ſed tantum ſi Deus velit Humanitatem ſub ea Unione libere agere, non quomodocunque, ſed libertate indifferentiæ. Quod re ipſa concedunt voluiſſe Deum. Sed difficillimum eſt ex actu primo proximo, ſeu ex proxima illa facultate, qua Filius obediens fuit Patri uſque ad mortem, eoque erga Patrem obſequio mundum redemit, eximere, ac præſcindere omne principium connexum cum actu ſecundo, ſive cum obſequio ipſo illo. Quod tamen niſi fieri poſſit, non ſtaret hypotheſis Scientiæ Mediæ; neque in Chriſto fuiſſet libertas indifferens, qua opus ad meritum.

XXXI. Quod ſi te receperis ſive cum Vaſquez ad libertatem quoad mortis circumſtantias, ſive cum Lugo ad libertatem petendi diſpenſationem, ſive cum Hurtado ad libertatem non acceptandi præceptum; habebis tu quidem actionem, quæ ex libertate prorſus indifferenti proficiſci potuit, ſed quæ vere, & proprie obedientia non eſt. Melius hæc inter ſe conciliare mihi videntur

Hau-

Digitized by Google

Haunoldus; Eſparza, Maurus, Viva, in primis vero Joannes Leris magiſter meus, qui putant, *præceptum mortis Chriſto impoſitum non fuiſſe rigoroſum, videlicet ſub interminatione indignationis, & odii, ac pœnæ proprie talis, in hypotheſi tranſgreſſionis*. Præceptum vocant *directivum*, ac fuiſſe dicunt *inſtar legis pœnalis, ſeu potius conſilii oneroſi; eatenus ſcilicet, ut ſi noluiſſet acceptare mortem, prout libere potuiſſet ſine culpa, ac ſine imperfectione morali, etiam negativa, caruiſſet titulo Redemptoris, & glorificatione corporis, ut collata ex morali exigentia, ſive ex merito talis obedientiæ: quamvis ea non caruiſſet ut collata, exigente id Unione Hypoſtatica*. Illud mihi eſt fere certum, & profecto perquam probabile, præceptum Chriſto Domino impoſitum fuiſſe longe diverſi generis, nec qualia dari ſolent hominibus; cum propter ſanctitatem, tum etiam propter dignitatem Perſonæ. Ipſemet ſatis clare deſcripſit Joan. X. 18. iis verbis: *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam; nemo tollit eam a me ipſo; poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre meo*. Quem locum exponens Auguſtinus ſcripſit: *Quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit, mortuus eſt*. Ob id etiam Chriſti obedientia fuit maximi meriti, quia omnino libera a neceſſitate.

XXXII. Scio, eſſe nonnullos, qui Janſenianis, ac ſuperiorum temporum hæreticis ad hoc argumentum ita reſpondent: In Chriſto Domino ſatis ad meritum fuit libertas a coactione; concedunt, immo & propugnant. Satis eſt igitur etiam in nobis; hoc vero pernegant: atque illud diſcrimen afferunt, naturam humanam in Chriſto innocentem fuiſſe, & integram; ſecus autem in nobis. Quod S. Thomæ præſertim auctoritate ſibi videntur efficere. Siquidem Doctor Angelicus, qui loco ſupra laudato (num. 27.) opinionem eorum, qui ſola libertate a coactione contenti ſunt; *hæreticam*, pronunciavit, eaque *tolli* dixit *rationem meriti, & demeriti in humanis actionibus*, de Chriſto ita ſcripſit in 3. diſt. 18. ar. 2. ad 5. *Dicendum, quod ſi eſſet arbitrium Chriſti determinatum ad unum numero actum, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſive meriti; quia in illud non coacte, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui Dominus*. Optimæ cauſæ malum patrocinium. Hæreticis omnino negandum eſt antecedens. Primum auctoritate ſacræ Scripturæ, ac præſertim ex teſtimonio Joannis X. 18. nuper allato. Deinde, quia diſcrimen illud, quod inter Chriſtum, ac cæteros homines petunt iſti ex diverſa naturæ lapſæ, & integræ conditione, ad rem præſentem nullum eſt, immo & contra ipſos facit. Nam verba Pontificum, qui tertiam hanc Janſenii Propoſitionem confixere, non reſtricte, ſed late, & ample ſunt accipienda: ut hæc ſit illorum ſententia, Ad merendum, & demerendum ne in ſtatu quidem naturæ lapſæ ſatis eſſe libertatem a coactione; nedum ſatis ſit in ſtatu naturæ integræ: utrobique opus eſſe libertate indifferentiæ. Ratio perſpicua eſt. Ideo enim Janſenio, Calvino, Wiclepho, & aliis heterodoxis in ſtatu naturæ lapſæ ſatis eſt ad meritum libertas a coactione; quia in hoc ſtatu habetur libertas indifferentiæ ſaltem remota, in cauſa nempe, & origine; hoc eſt, in libertate primi Parentis, quæ ipſorum etiam judicio indifferens fuit. Contra vero, qui natura ſana, & integra, ageret ex neceſſitate, & ſolum non coactus, libertate indifferentiæ careret etiam remota; nec haberet, in cauſa, & origine, unde ei ullo modo imputari poſſent, quæ ageret. Quamobrem univerſim damnata eſt Baji propoſitio 38. *Quod voluntarie fit, libere fit, quamvis neceſſario fiat*.

XXXIII. S. Thomam alii aliter explicant. Sunt enim, qui putent eum loqui ex alieno ſenſu. Sunt qui dicant eum revocaſſe, & caſtigaſſe, quæ ſcripſerat prius. Nam præter illa, quæ dedimus num. 27. in quæſt. 26. de Verit. art. 6. de Chriſto ita ſcribit: *poterat Chriſtus hoc, vel illud facere, vel non facere; & ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad meritum*. Stephanus Dechamps locum nobis objectum ita intelligendum putat; ut Chriſtus fuerit *determinatus ad unum*, nempe ad ſpeciem

actus ; liberum autem ipſi fuerit exercitium , & circumſtantiæ , eaque indifferenti libertate meruiſſe. Videtur id colligi ex ultima illa particula , & concluſione loci laudati. *Et ita eſt actus ſui dominus* . Nam qui dominus actus ſui , ſi actum illum exiſtere prorſus neceſſe erat? Neque his obeſt , quod ibidem ſcribit Doctor Angelicus , eum propterea eſſe *actus ſui dominum* , quia illuc *non coacte* , *ſed ſponte tendit* . Is enim eſt intellectus verborum illorum ; quia illuc non tendit neceſſario, ſed libere . Paſſim enim cum apud S. Thomam, tum apud alios etiam *coactum* late ſumitur pro *neceſſario*, & *ſpontaneum*, ac *voluntarium* pro *libero*. Lege locum integrum nuper allatum ex quæſt. 26. de Verit. art. 6. ad 1. *Dicendum , quod licet anima Chriſti eſſet determinata ad unum ſimpliciter , poterat tamen hoc, vel illud facere &c.* Plura hujus generis apud Platelium tom. 2. num. 48. Poterit etiam res ita diſtingui ; ut aliud ſit meritum proprie tale , cui reſpondet præmium, ac merces ; aliud vero meritum minus proprie tale , cui reſpondet tantummodo laus, & prædicatio . Meritum proprie tale fuit in obedientia , & obſequio Chriſti erga Patrem , quibus ſatisfecit divinæ juſtitiæ, ac mundum redemit ; meritum minus proprie tale in aliis ipſius actionibus ſanctiſſimis , ut in amore erga Deum, qui quamvis ex aperto Dei contuitu ſequeretur neceſſario , laudem tamen merebatur , & erat commendatione dignus. Laus enim, & commendatio ſequuntur honeſtatem actionis, ſive ea ſit libera , ſive neceſſaria . Sic Deum laudamus de ſanctitate , de juſtitia, & aliis , quibus carere non poteſt . Atque hoc eſt , quod dicunt Albertus Magnus in 3. diſt. 12. num. 5. & Bonaventura ibi quæſt. 1. art. 2. qui nobis pariter hic objiciuntur . Attexui hæc , ut perſpicuum fieret, illius enthymematis antecedens , in quo contra nos pugnatur exemplo Chriſti , eſſe falſum , & omnino negandum . Cæterum ut ut videatur de antecedente; profecto conſequens , quod tertiam Janſenii propoſitionem continet , ut definiunt ſummi Pontifices , & nos aliunde etiam oſtendimus, *hæreticum* eſt.

CAPUT QUINTUM

Idem probatur de quarta Janſenii Propoſitione .

Hæc eſt IV. Janſenii Propoſitio : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei ; & in hoc erant hæretici , quod vellent eam gratiam talem eſſe , cui poſſet humana voluntas reſiſtere ; vel obtemperare .*

XXXIV. Hujus propoſitionis duæ ſunt partes , prima pertinet ad quæſtionem Facti ; nempe, utrum Semipelagiani admiſerint interiorem gratiam prævenientem etiam ad initium Fidei eſſe neceſſariam. Altera pertinet, ut ita dicam, ad quæſtionem Juris ; utrum ſcilicet hæreticum ſit dicere, gratiam illam eſſe ejuſmodi , cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare . Utramque Propoſitionis partem docet expreſſe Janſenius tom. 1. l. 8. de Hæreſi Pelagiana cap. 6. *Maſſilienſium* , inquit , *opinionibus , & Auguſtini doctrina quam diligentiſſime ponderata , certum eſſe , & indubitatum eſſe debere ſentio , quod Maſſilienſes præter prædicationem , atque naturam , veram etiam , & internam, & actualem gratiam , ad ipſam etiam fidem, quam humanæ voluntatis, ac libertatis adſcribunt viribus , neceſſariam eſſe fateantur* . Idemque tradit cap. 7. 8. & ſequentibus . In eodem autem ipſo capite 6. aliquanto poſt verba proxime ſcripta , ſic habet . *In hoc igitur proprie Maſſilienſium error ſitus eſt , quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant , quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum , ita lapſus homo ſaltem credere poſſet , ſi vellet : neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio , cujus uſus , vel abuſus relictus eſſet in unuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*. Et iterum paulo poſt : *Ex quo* , ait , *relinquitur , quandocunque Maſſilienſes naturalem illam libertatem , & poſſibilitatem ex Adami integritate reliquam prædicant , & ei ſaltem Fidem tribuunt , nunquam eos illam Adami gratiam excludere*. Item tom. 3. lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 15. cum fuiſſe dicit Maſſilienſium errorem, *quod initium Fidei, oratio-*

Digitized by Google

nem, gemitus, & deſideria, & hujuſmodi ex nobis, hoc eſt, ex libero arbitrio prodire ſenſerunt, & tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuiſſe ad iſtos actus neceſſariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio. Tum addit, ſe id planum feciſſe cap. 12. ejuſdem libri, & lib. 8. de Hæreſi Pelagiana. Et addere poterat librorum omnium, quos ſcripſit de illa Hæreſi id potiſſimum fuiſſe propoſitum.

XXXV. Sequitur id etiam ex ipſius Syſtemate; & maxime ex noto, latoque illo diſcrimine, quod ipſe conſtituit inter gratiam ſanitatis, & medicinalem: quod diſcrimen, cum non adverterint Semipelagiani, eos propterea dicit in errorem prolapſos. Sic enim lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 4. „ Liberæ, ſervæque voluntatis diſcrimine... utriuſque „ gratiæ ſanitatis, & medicinalis differentia ... incipit ſe ſe oſtendere. In „ eo quippe ſita eſt, quod illius primæ „ integritatis adjutorium ſic adjuvabat „ voluntatem, ut cum eo operaretur ipſa, ſi vellet. Nunc autem ipſum adjutorium facit, ut velit. Hoc eſt, „ adjutorium ante ruinam erat tale, ut „ influxus adjutorii, perinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet; adeoque ſalva „ maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia. Nunc vero „ poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem... „ Hoc ipſo enim quo datur, ſimul uſus „ ejus, & influxus poteſtatis datur. Eſt „ enim hoc ipſum, quod ſuapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipſius libero arbitratui ſubjacet; ſed invicte facit, ut hoc, vel „ iſtud arbitrium arbitretur, & velit. „ Talis eſt influxus omnis cauſæ formalis: hoc ipſo quippe, quo adeſt „ juſtitia, fit juſtus animus, & ſine illa „ juſtus eſſe nunquam poteſt .... Quod „ clarius ita dici poſſet; quod gratia ſanæ voluntatis in ejus libero arbitrio „ relinqueretur, ut eam ſi vellet deſereret; aut ſi vellet uteretur: gratia vero lapſæ, ægrotæque voluntatis nullo „ modo in ejus relinquatur arbitrio, ut „ eam deſerat, aut arripiat, ſi voluerit; ſed ipſa ſit potius illa poſtrema „ gratia, quæ invictiſſime facit, ut velit, & a voluntate non deſeratur. „ Tandem concludit: „ Tantæ neceſſitatis eſt, ut ſine illa non poſſit effectus „ fieri; tantæque efficaciæ, ut hoc ipſo „ quo datur, continuo fiat. Dat enim „ ſimul & poſſe, & operari. „ Semipelagianos, ut vides, Janſenius in eo potiſſimum erraſſe pertendit, quod vel non cognito, vel repudiato illo efficaci adjutorio, quo datur invictiſſime velle, & operari; aliud admitterent, quod, ut falſo ipſe opinatur, proprium fuit naturæ ſanæ, & innocentis; ſubditum nempe libero voluntatis arbitrio, & cui illa proxime poſſet vel obſequi, vel repugnare. Idem inculcat cap. 5. 24. 27. 28. &c. Itaque ex Janſenii ſyſtemate, & ut liquido apparet ex locis modo deſcriptis, quartæ hujus Propoſitionis hæc vera eſt, ac germana ſententia. Semipelagiani admiſerunt neceſſitatem gratiæ interioris etiam ad initium Fidei; & in hoc erant Hæretici, quod rejecta Chriſti gratia efficaci, hoc eſt delectatione cæleſti relative ſuperiori, quæ voluntatem inſuperabili, & indeclinabili neceſſitate determinat; ſolam illam admitterent gratiam, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel ſe aſſentientem præbere.

XXXVI. Hæc quoque deſumpta ex Luthero, & Calvino, eorumque aſſeclis, qui catholicis theologis, immo & Tridentinis Patribus, & ſummis ipſis Pontificibus Pelagianiſmi, ac Semipelagianiſmi notam inurunt; quod gratiam negent conſentiendi neceſſitatem nobis inferre. Ita Lutherus in Aſſert. articulor. ac Melancthon in Apolog. pro Luthero adverſus Sorbonicos. Calvinus vero lib. 3. de lib. arb. cap. 188. lib. 2. Inſtit. cap. 3. in Concil. Trid. Seſs. 6. cap. 6. &c. Quorum ſententia, & verbis ipſis Hieronymus Zanchius tractat. theolog. lib. 1. cap. 6. *Docuerunt*, inquit, *& adhuc docent Sophiſtæ Pelagiani* (ſic Pontificios theologos nominat) *gratiæ nomine intelligi motionem quandam Dei, quæ intus prævenit voluntatem, ſed ita ut relinquat eam liberam, ut oblatam ſalutem vel amplectatur, vel reſpuat*. Et

poſt

poſt aliquanto breviſſime: *Noſtri Semipelagiani ſtatuunt ita offerri voluntati gratiam, ut voluntas ſit libera ad illam amplectendam, vel reſpuendam*. Ita etiam Chemnitius de locis theolog. par. 1. *Pontifex*, inquit, *Romanus aperte canonizavit Pelagianiſmum*. Nimirum quod homini lapſo expeditam ab omni neceſſitate libertatem tribuerit. „ Poſt Lombardum, „ *inquit*, circa annum Domini 1200. in- „ ſecuti ſunt Franciſcus, & Domini- „ cus: quorum poſterior rurſus Caſſiani „ doctrinam canonizavit. Monachi pro- „ greſſi in ſcholas cœperunt cathedras „ docentium occupare, & appellantur „ Sententiarii, qui omnes in loco de li- „ bero arbitrio cum Pelagianis erra- „ runt. „ Et ſic pariter in Examine Concil. Trid. Seſ. 6. Quod & ſcribit Petrus Martyr in loc. comm. titulo de Grat. Dei num. 12. Hubertus Sturmius lib. de præd. & tota Synodus Dordracena pag. 728.

XXXVII. Jam vero quidquid eſt ſacræ auctoritatis diſſentire ab Janſenio, oſtenditur facile. Semipelagianos non admiſiſſe interioris gratiæ prævenientis auxilium ad initium Fidei neceſſarium, quæ eſt prima pars Propoſitionis, ex Auguſtino, Proſpero, Hilario, & ex Conciliis contra ipſos celebratis his argumentis evincitur. Primum, quod Semipelagiani dicerent, initium Fidei, & ſalutis eſſe a viribus liberi arbitrii, a naturali libertate, ſeu poſſibilitate, a natura ipſa. De quibus vide Epiſtolam Proſperi num. 4. extat tom. 2. Operum S. Auguſtini pag. 822. Edit. Pariſienſ. Item Hilarii quæ extat ibidem pag. 826. num. 2. Auguſtinum ipſum de Prædeſt. Sanctorum cap. 2. num. 5. & cap. 5. num. 10. Accedunt ſanctiones illæ Concilii Arauxicani ſecundi adverſus Semipelagianos can. 5. *Initium Fidei non eſſe a nobis naturaliter, ſed per inſpirationem Spiritus Sancti*. Et can. 7. *Per naturæ vigorem nihil boni poſſe cogitari, ut expedit, ſed per illuminationem, & inſpirationem Spiritus Sancti*. Deinde quod Semipelagiani negarent, Fidem, immo & perſeverantiam in Fide eſſe donum Dei. Cui errori confutando S. Auguſtinus duos ſcripſit Libros, alterum de prædeſtinatione Sanctorum, alterum de dono Perſeverantiæ. Vide quæ in hoc ſunt cap. 2. 3. 21. Haud certe negaſſent hoc Semipelagiani, ſi quam interiorem gratiam illuc neceſſariam putaſſent. Tertio, quod Semipelagiani præire bonam voluntatem, gratiam vero ſubſequi dicerent; ac bonæ voluntatis merito dari. Lege Epiſt. Proſperi num. 6. & Hilarii num. 2. & S. Auguſtinum de dono Perſev. cap. 23. num. 64. Neque id profecto dixiſſent unquam, ſi ipſam bonam voluntatem interioris gratiæ ope in nobis exiſtere cenſuiſſent. Quarto, quod Semipelagiani docerent, gratiam boni operis, ſive tantum inchoati, ſive perfecti, non eſſe vere gratuitam; ſed merito ejus bonæ voluntatis, quæ eſt, ut ipſi volunt, a nobis, rependi, ac retribui. Sic Auguſtinus de Prædeſt. Sanct. cap. 2. num. 3. 4. &c. & Proſper. cont. Collat. cap. 3. Quinto colligitur non minus perſpicue error Semipelagianorum ex argumentis, quibus ab Auguſtino oppugnatur. His enim contra illos id unum conficere ſtudet, etiam ad initium Fidei opus eſſe gratia interiori. Nec laborat ibi de gratiæ efficacia, ut vellet Janſenius; ſed de gratiæ neceſſitate. Illud ibi ſtatuitur, gratiam eſſe neceſſariam; non quæritur, utrum neceſſitatem afferat. Satis eſt recenſere Scripturæ teſtimonia, quibus eos premit. Hæc fere ſunt. Jerem. XVII. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine*. Rom. XI. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria*. XII. 3. *unicuique ſicut Deus diviſit menſuram Fidei*. 1. Cor. IV. 7. *Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et XII. 3. *nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*. Et 6. *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*. II. Cor. III. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Epheſ. II. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*. II. Theſ. III. 2. *non enim omnium eſt Fides, &c.* Vide præterea quæ dicta ſunt in Appendice diſp. 2. par. 4. num. 48.

Sexto

Sexto id ipſum aperte fatentur, & atteſtantur Semipelagiani de ſe; hoc defendunt, hoc propugnant. Ita Joannes Caſſianus Collat. 13. cap. 8. *Cum Deus in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim, atque confortat, & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei; quem vel ipſe plantavit, vel ex noſtro conatu viderit emerſiſſe*. Neque enim Semipelagiani negabant, adeſſe aliquando gratiam etiam ad initium Fidei; cum id ne Pelagiani quidem ipſi negarent. Negabant, eſſe neceſſariam. Sic etiam Fauſtus Rejenſis Epiſc. lib. 1. de lib. arb. cap. 17. & lib. 2. cap. 6. Præterea hæc ipſorum verba refert Auguſtinus in libro de Prædeſt. Sanct. cap. 19. num. 38. *Nos dicimus noſtram Deum non præſciiſſe niſi fidem, qua credere incipimus; & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac prædeſtinaſſe, ut etiam ſancti, & immaculati gratia, atque opere ejus eſſemus*. Habet etiam id genus alia quamplurima Proſper contra Collatorem, omnibus fere capitibus, præſertim vero 4. 6. 10. 13. 14. 16. 22. 23. 24. 25. 28. 29. 36. dum exprobat illi quod diceret, hominem, *ſine gratia, non incitatum a Deo, ante gratiam, ſine adjutorio Dei, per vires humanæ voluntatis tantummodo, gratia nil ſuæ virtutis conferente, ſolius voluntatis motibus, merito gratiam præveniente, ſine Dei donis, ex donis naturæ, ex ſolo hominis arbitrio, non ex Dei inſpiratione, ſine gratiæ largitate, ſine ullo opere gratiæ*, ſalutare aliquid edere, conarive, atque incipere poſſe. Septimo denique ex nota, quam huic quartæ Janſenii Propoſitioni inſigunt Tres Summi Pontifices Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. nimirum *falſitatis*, & *hæreſis*. Prior nota cadit in primam Propoſitionis partem, quæ Facti eſt; poſterior vero in ſecundam, quæ ad dogma pertinet, & eſt veluti Juris.

XXXVIII. Itaque adeo hæreſis non eſt in eo, quod gratia interior præveniens ſit ejuſmodi, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare; ut hæreſis ſit in contrario. Ex iis omnibus, quæ huic quartæ Propoſitioni tuendæ nobis objicit Janſenius, pauca ſunt, quæ non generatim pertineant ad ipſius ſyſtema. Quapropter hæc etiam rejicimus in caput 7. in quo ejus doctrinæ fundamenta præcipua convellemus. Pugnat tamen tum pro hac, tum etiam pro ſecunda propoſitione tribus his peculialiter. Primum auctoritate Auguſtini ſic enim lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 24. „ Ita quidem Auguſtini divinam gratiam patrocinantis, & hæreticorum adverſantium principia manifeſte oſtendunt, nihil capitalius medicinali Chriſti adjutorio fingi poſſe adverſum, quam illud gratiæ genus, cujus actio, vel ceſſatio, ut utilis, vel inutilis homini ſit, in libero relinquitur hominis arbitrio. Nititur autem maxime his duobus Auguſtini teſtimoniis; lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. num...... *Si Deus miſeretur, jam volumus: nullius Deus fruſtra miſeretur*. Et lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 8. num. 13. *Quid eſt, Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me? Niſi, Nullus eſt, qui audiat, & diſcat a Patre, & non veniat ad me? Abſit, ut quiſque non veniat, qui a Patre audivit, & didicit*. Ex Auguſtino conatur oſtendere, non eſſe nobis liberum interiori gratiæ vel reſiſtere, vel obtemperare; ac proinde Semipelagianos in hoc hæreticos fuiſſe, quod interiorem ejuſmodi gratiam admitterent, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Secundo loco, quia alio auxilii genere indiget natura lapſa, alio autem natura integra: quemadmodum aliud alimenti genus poſtulat corpus ægrotum; aut male affectum; aliud vero ſanum, & bene valens. Gratiam medicinalem, quæ datur naturæ lapſæ, a ſe, intrinſecus, & ſuapte natura efficacem eſſe oportere; quæque tibi non ſolum tribuat, ut poſſis, ſed etiam ut velis; cui voluntas humana repugnare, ac diſſentire nequeat. Secus autem gratiam ſanitatis; hoc eſt, quæ data eſt naturæ integræ. Nam cæteroqui non eſſet, quo inter ſe differrent vires utriuſque naturæ. Sic autem adverſus Leſſium, qui defendebat, gratiam ejuſmodi eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, Janſenius invehitur lib. 2. de

Grat.

Digitized by Google

Grat. Chriſti cap. 28. „ Quanta auda- „ cia poſt condemnatos jam a tot ſæcu- „ lis Maſſilienſes , aſſerere , quod quia „ in ſtatu innocentiæ ſufficiebat homi- „ ni ad ſalutem gratia , qua poterat „ perſeverare , ſi vellet ; etiam nunc „ ſufficiat ! Tertio , quia non ſolum petimus a Deo facultatem agendi ſalu. tariter , hoc eſt , auxilia quæ ad hoc ſunt neceſſaria ; ſed etiam ſalutarem ipſam actionem . Porro ſi in noſtra po- teſtate , & arbitrio eſſet gratiæ reſiſte- re , vel obtemperare ; ſupervacuum eſ- ſet , ac ſtultum alterum petere . Ut enim ſcribit Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. cap. 18. num. 20. *Quid ſtultius , quam orare , ut facias , quod in poteſtate habes ?* Quare gratia , quæ datur ad actus ſalutares , & ad ipſum etiam ini- tium Fidei , talis eſſe non poteſt , cui voluntas humana reſiſtere , vel obtem- perare queat : ac proinde Semipelagiani id affirmantes in hoc non erant hære- tici .

XXXIX. Reſponſio pleniſſima eſt ex iis præſertim , quæ ſuperius expoſita . Nam , ut in præcedente Propoſitione notavimus , vere dixit S. Auguſtinus etiam adverſus Pelagianos diſputans lib. de Spir. & lit. cap. 33. num. 58. 59. & aliis locis ſupra notatis , *liberum ar- bitrium illam mediam vim eſſe , quæ vel intendi ad Fidem , vel inclinari ad infide- litatem poteſt ..... Velle Deum omnes homi- nes ſalvos fieri , non ſic tamen ut eis adi- mat liberum arbitrium ..... Infideles con- tra voluntatem Dei facere , cum ejus E- vangelio non credunt ; experturos in ſup- pliciis poteſtatem ejus , cujus in donis mi- ſericordiam contempſerunt* . Vere præte- rea addidit lib. de Spir. & lit. cap. 34. num. 60. *non ideo tantum iſtam etiam in- choatam credendi voluntatem divino mune- ri tribuendam , quia ex libero arbitrio eſt* , aut , *vocante Deo , ſurgit de libero arbi- trio* , ut paulo ante dixerat : *verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus , ut velimus , & ut credamus : atque ipſum velle credere Deus operatur in nobis , & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos : conſentire autem vocationi Dei , vel ab ea diſentire , ſicut dixi , propriæ voluntatis eſt* . Et pariter lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 5. num. 10. *Credere , vel non credere poſitum eſt in arbitrio voluntatis humanæ* . Tota vero hæc doctrina non eſt obje- ctio Pelagianorum , ut temere , & nullo auctore Janſenius affirmat tom. 1. lib. 8. de hæreſi Pelag. cap. 15. & tom. 3. lib. 2. de Grat. Chriſt. cap. 30. Sed eſt ipſa S. Auguſtini ſententia de gratiæ divinæ tum neceſſitate , tum efficacia facultati liberæ nullo modo adverſante , aut officiente ; eademque Catholico dog- mati de Gratia , & libero Arbitrio , ac toti eadem de re Auguſtini Doctrinæ mire conſentit . Itaque ad locum Augu- ſtini ex libro ad Simplicianum ajt , S. Doctorem loquutum de divina Miſeri- cordia , ut congruenter vocante , & non de omni Miſericordia , cum dixit , *Nul- lius fruſtra Deus miſeretur* . Mox enim ſubjecit : *Item verum eſt , Non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei ; quia etiamſi multos vocet , eorum tamen miſeretur , quos ita vocat , quomodo eis vocari aptum eſt , ut ſequantur . &c.* Ad alterum Auguſtini locum ex lib. de Præ- deſt. Sanct. eam eſſe dico Chriſti ſen- tentiam , ut exponit S. Thomas in Joan. lect. 5. Quicunque a Patre interius illu- ſtrante , inſpirante , & vocante audierit , & ſimul libere conſentiendo didicerit , veniet ad me , nimirum credendo , ſpe- rando , diligendoque . Propterea Augu- ſtinus ait , fieri non poſſe , ut ille non veniat , qui ita audivit , ut ſimul libere conſentiendo didicerit : nec tamen ne- gat , vocari multos , & audire , quin di- ſcant , & veniant ; nimirum quia voca- tioni reſiſtunt .

XL. Ad ſecundum reſpondeo , ſi ſpe- ctetur dumtaxat natura , eam ex ſe ſe in neutro ſtatu vires , & facultatem ha- bere ſalutariter agendi , niſi tantum quam vocant obedientialem . Nempe ut poſſit ſupra ſe ipſam elevari , & attolli per gratiam . Porro gratiam ſanitatis , & gratiam medicinalem differre non nego . Nego illud differre , quod altera relin- queret poteſtatem liberam reſiſtendi ; ſecus vero altera . Negandi autem ratio liquet ex ſuperioribus . Servanda ſcilicet utrobique libertas , & meritum . Auxi- lia , quæ nobis præbentur pro ſtatu na- turæ lapſæ , & auxilium collatum Ada-

mo

Digitized by Google

mo pro ſtatu naturæ integræ, eo diſcrepant, quod hoc quidem, cum propter donum integritatis minor eſſet recte agendi difficultas, & remiſſius erat, & ad ſolam intelligentiam forſitan pertinebat; illa vero, ſolutis, ac rebellantibus cupiditatibus, uberiora, & validiora eſſe neceſſe eſt; & ad utramque hominis facultatem intelligendi, & volendi certiſſime pertinent. Sed de his in Appendice multa; nec nihil etiam dicemus cap. 7. in generali confutatione objectorum. Quod additur, gratiam medicinalem efficacem eſſe oportere; neque homini dare ſolum ut poſſit, ſed etiam ut velit; eſt omnino falſum, præſertim ut ab Janſenio intelligitur. Primum, quia ab ſtatu naturæ lapſæ gratiam mere ſufficientem excludit; deinde, quia gratiam efficacem eam eſſe vult, quæ antecedentem afferat conſentiendi neceſſitatem; quod quidem doctores omnes catholici negant. In noſtra quidem ſententia, cum Deus dat nobis *velle*, & *perficere*, non præbet auxilium ita per ſe intrinſecus efficax, ut ei non proxime poſſit reſiſti: præbet auxilium, de quo per ſcientiam mediam prævidit, fore ut, ſi conferatur, ei non reſiſtamus. Atque illud præbet ex efficaciſſima intentione, & propoſito ſalutaris aſſenſus. Quæ divina voluntas, quamvis ſit metaphyſice connexa cum ſalutari illo aſſenſu noſtro, ac nullo modo poſsit fruſtrari; cum tamen ipſi præluceat ſcientia media, aſſentiendi neceſſitatem non affert, niſi conſequentem.

XLI. Tandem quod eſt ultimum, ſi quid valeret, illud etiam evinceret, ne in ſtatu quidem naturæ integræ cum libero arbitrio gratiam cohærere. Siquidem in eo quoque ſtatu locus precibus iiſdem fuit: ac recte primi parentes divinam opem ad perſeverandum, perſeverantiamque adeo ipſam petiiſſent a Deo. Illud eſt igitur, faciendum nobis omnino eſt, ut præter facultatem bene agendi, ipſam quoque actionem bonam, ipſum voluntatis noſtræ aſſenſum a Deo precemur. Quamvis enim hæc actio, hic aſſenſus, opitulante gratia, in noſtra ſit poteſtate; principalius tamen pendet Deo: ac pluribus, & præſtantioribus titulis ipſi debetur, ut expoſitum eſt in Append. diſp. 1. par. 4. num. 40. Deus certe animo ſpecialiter benevolo præparat auxilia congrua, & efficacia, potius quam incongrua, & inefficacia: quo nobis liberaliſſime donat, non ſolum *poſſe*, ſed etiam *velle*, & *agere*; ut propterea Apoſtolus loquens de his ſalutaribus actionibus, & operibus ita ſcripſerit 1. Cor. XV. 10. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quaſi dicat eas eſſe partes gratiæ, ut præ illis partes noſtræ ſint prope nullæ: tametſi, ut Apoſtolus idem ibidem teſtatur, in noſtra eſt poteſtate, ut gratia ſucceſſum non habeat, ſed effectus vacua ſit. De quo ſatis contra duas præcedentes Propoſitiones.

CAPUT SEXTUM.

Idem probatur de quinta Janſenii Propoſitione.

HÆc eſt V. Propoſitio Janſenii: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.*

XLII. Hujus pariter quintæ Propoſitionis duæ ſunt partes: ſive, in ea duo ſunt diſtinguenda. Primum eſt, quod Janſenius *Semipelagianiſmi notam* affingit communi catholicorum Doctorum ſententiæ, quæ docet, *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe*. Alterum eſt, quod de mente Janſenii eſt, atque ex his ipſis verbis facile poteſt intelligi, *Chriſtum non pro omnibus, ſed pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum eſſe mortuum: ita ut omnibus reprobis negentur auxilia ſufficientia, quibus poſſint ſalvari.* Utraque pars in Janſenii Volumine continetur expreſſe. Nam tom. 3. lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. cum videret contra ſe facere, quod omnes theologi docent, dari ſcilicet omnibus gratiæ, ſeu divinorum auxiliorum ſaltem quantum eſt ſatis ad ſalutem comparandam, quia pro omnium ſalute mortuus eſt Chriſtus; hoc ipſum ſibi objicit: *Aliud argumentum*, inquit, *pro gratia ſufficienti omnium proferri ſolet, quia Chriſtus eſt redemptor omnium, juxta illud primæ ad Timoth. II. 6.*

Digitized by Google

Qui dedit redemptionem ſemet ipſum pro omnibus. *Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur eſſe poſſe, niſi gratiam ſaltem ſufficientem omnibus præparaverit.* Hæc oppugnatio; ſic vero eam ſe putat refellere. *Reſpondetur; & hoc argumentum, ſicut alia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque a Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit; ut mirum ſit, Recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere.* Tum & illa ſubjicit: *juxta doctrinam Antiquorum reſpuendum eſſe, tanquam errorem a Fide Catholica abhorrentem, quod Chriſtus pro omnibus omnino paſſus, aut mortuus, aut pro omnibus omnino tam generaliter Sanguinem fuderit.... Vanum eſſe, & ſtultum pro eo irritando, vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto ſancitum, & prædeterminatum eſse jam noſti. Vanum etiam pro talibus ſalvandis pati, mori; vanum pro talibus a perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, & Sanguinem ſuum..... Illam extenſionem tam vagam modernorum Scriptorum non alio ex capite, quam ex iſta generali, & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxiſse; quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia, velut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit.* Atque ita demum concludit: *Quæ ſane cum in Auguſtini doctrina perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuum eſse, Sanguinem fudiſse, ſemet ipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe, ſentiatur. Scivit enim, quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat... Ex quo factum eſt, ut juxta ſummum Doctorem non magis Patrem pro æterna ſalute ipſorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.*

XLIII. Sequuntur hæc ex Janſenii ſententia de Prædeſtinatione, ac Reprobatione, quæ a Prædeſtinatianorum, & Calvinianorum doctrina vel nihil, vel minimum differt. Quamvis enim Janſenius eam multis infuſcare, & involvere curet, ut invidiam, ac notam fugiat; ſatis tamen aperte & ipſe videtur ex hominibus alios ad ſempiternum exitium, alios vero ad vitam beatam ſola Dei voluntate & arbitrio ex æterno deſtinatos fuiſſe dicere. Alteris nihil prodeſſe, ſi qua bona eorum opera ſint; alteris vero non nocere, ſi interdum mala. Deum re vera nolle omnes ſalvos fieri; nec Chriſtum pro omnibus, ſed pro ſolis Prædeſtinatis eſſe mortuum. Expende, quæ ſcribit lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 20 21. &c. Sequuntur præterea ex ipſius Syſtemate de duplici delectatione; quo gratia pure ſufficiens omnino excluditur. Lib. 4. de Grat. Chriſti cap. 10. ita ipſe concludit: *Hinc claret, cur Auguſtinus omnem omnino gratiam pure ſufficientem auferat. Ratio enim perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei; niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur. Sin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio bene voluntas operabitur... Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia; ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio ne quidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per alia ſuppleatur.* Breviſſime; hæc eſt in re iſta Janſenii doctrina, & quintæ hujus Propoſitionis ſenſus genuinus, ac de mente, & Syſtemate ipſius Janſenii. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuiſſe, omnibuſque auxilia vere ſufficientia, quibus ſalutem conſequi poſſint, præparaſſe; quia præter delectationem cæleſtem relative ſuperiorem, ac victricem, non dantur hominibus gratiæ vere ſufficientes: ac Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus eſt; ſic quidem, ut omnibus Reprobis negata ſint auxilia vere ſufficientia, quibus poſſint ad ſalutem pervenire.

XLIV. Idem ante Janſenium docuerunt primo quidem Prædeſtinatiani, quorum duo illa fuerunt celebriora dogmata; primum, *Chriſtus non venit, ut omnes ſalvaret, nec paſſus eſt pro omnibus, ſed pro iis ſolum, qui Paſſionis ejus ſalvantur myſterio.* Alterum, *Deus non vult omnes homines ſalvos fieri; ſed tantum electos.*

ctos. Deinde vero alii plures, qui Prædeſtinatianam hæreſim inſtaurarunt, & quaſi e ſuis cineribus redivivam excitarunt. De quibus conſule Stephanum Dechamps lib. 1. diſput. 7. cap. 6. Ante omnes vero Calvinus. Hic enim lib. 3. Inſt. cap. 24. §. 15. negat illud Ezechielis (XVIII. 23. 32. XXXIII. 11.) quo Deus dicit, ſe *nolle mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat*, extendendum eſſe ad totum genus humanum. Item §. 16. quod Ninivitis, & Sodomitis, qui paratiores erant ad recipiendam gratiam, janua pœnitentiæ aperta non ſit, argumento eſſe ait, *Deum nolle omnes ſalvos fieri*. Et §. 17. Deum, qui delegit quos miſericordia proſequi debeat, eam non omnibus impertiri; & horum ſimilia. Quibus conſentaneum eſt quod docet in cap. XVII. 9. Joan. *Chriſtum proprii gregis ſolummodo ſollicitum fuiſſe, & pro electis ſuis dumtaxat oraſſe*. Vix eſt aliud Calvinianæ hæreſis caput, de quo, in ea qui ſunt, ſint magis ſolliciti, & pro quo acrius, ac pertinacius certent. Theodorus Beza in Colloquio Mompelgartenſi, ut extat in ejus Colloq. actis pag. 546. 547. 548. ſæpius inculcat, *Chriſtum pro impiis non effudiſſe ſanguinem*. Et in ſecunda reſponſione ad illud Colloquium, *Impium eſt*, inquit, *& blaſphemum affirmare, damnari poſſe quemquam, pro quo Chriſtus ſatisfecerit*. Pag. vero 221. ait, *Falſum, blaſphemum, impium eſſe dicere, Chriſtum, ſive quoad Conſilium Dei attinet, ſive quoad effectum, pro reprobis Crucifixum, & mortuum eſſe*. Et in Theſibus Theolog. Genevæ excuſis fol. 129. *Fatemur*, inquit, *tanti eſſe banc oblationem, ut potuerit pro infinitis mundis ſatisfacere, nedum pro ſingulis bominibus unius, ſi Deus eorum omnium voluiſſet miſereri, & pro omnibus Filium ſuum miſiſſet*. Nihilominus tamen, *ſive conſilium Dei, ſive Paſſionis effectum, ſive utrumque ſpectaveris, pro impiis nullo modo eſt mortuus*. Zanchius ſimiliter in ſumma Prælect. *Chriſtus*, inquit, *ſecundum propoſitum Patris, pro ipſis tantum electis natus, precatus, mortuus, paſſus eſt*. Item Perkinſius de prædeſtin. tom. 1. col. 1033. *Chriſtus electorum ſolummodo, & nullorum præterea redemptor exiſtit*. Mitto alios plurimos, quos recenſet Stephanus Dechamps ſupra laudatus lib. 1. diſp. 7. cap. 4.

XLV. Eadem Calvinianorum, & Janſenianorum conſenſio in ſententia de Prædeſtinatione, ac Reprobatione; quæ ad alterum, de quo dixi ſupra, Prædeſtinatianorum dogma pertinet. Calvinus lib. 3. Inſtitut. cap. 21. num. 15. *Non pari conditione*, inquit, *creantur omnes; ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædeſtinatum dicimus*. Non ſatis autem certum, utrum Calvinus hæc ita decreta voluerit ante, an vero poſt prævium originale peccatum. Ex quo Calviniani alii *Antelapſarii*, alii vero *Poſtlapſarii* nominantur. His poſterioribus adhærent Janſeniani; atque ita conſentiunt, ut iiſdem rationibus, & momentis eamdem opinionem de voluntate ſalvandi omnes homines tueantur. Nempe omnem Dei voluntatem eſſe efficacem; nec ſine injuria infinitæ ipſius potentiæ admitti poſſe voluntatem inefficacem. Res clare, ab ipſis expreſſa in Gallico Catechiſmo de Gratia. Nam ad illam interrogationem 66. *Vultne Deus ſolos electos ſalvos fieri?* Reſpondent. *Ita: eos tantum ſalvare vult, quos prædeſtinavit; at ſolos electos prædeſtinavit. Si vellet omnes, ac ſingulos homines ſalvare, omnes re ipſa ſalvarentur, quia omnia quæcunque vult in Cœlo, & in terra facit, nec eſt, qui poſſit ejus reſiſtere voluntati*. Iſtud vero argumentum tritum eſt, ac vulgare apud Calviniſtas. Eo uſus Beza in Colloq. Mompelg. ſupra cit. *Si vere & ſimpliciter Deus vellet omnes ſalvos fieri, omnes neceſſario ad ſalutem perducerentur; quia voluntas ejus eſt omnipotentiſſima &c.* Uſus eſt Zanchius de Prædeſt. cap. 5. Theſ. 11. & 12. *Cum Dei voluntas nulla ratione impediri poſſit, & ſit omnipotentiſſima; idcirco nullo modo dici poteſt, Deum ſimpliciter, & proprie velle omnes in univerſum homines ſalvos fieri*. Petrus autem Molinæus, cujus confeſſio, ac votum fertur inter Acta Synodi Dordracenæ diſtinctionem voluntatis antecedentis, & con-

ſequentis, quam tradidit S. Joannes Damaſcenus lib. 2. de Fide orthod. cap. 26. impudenter carpit, ac notat: *Hæc doctrina*, inquit, *ſi qua alia, in Deum eſt contumelioſa; eumque accuſat inſipientiæ, & humanis affectibus induit, eique affingit imbecillia vota, & deſiderium inefficax &c.* Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. Hanc Damaſceni diſtinctionem in ſpeciem videtur amplecti, re ipſa improbat, ac perperam explicat. *Doctrina*, inquit, *Damaſceni de antecedente ſalutis omnium voluntate nihil omnino Recentioribus prodeſt, ut quæ optime cum negandæ ſalutis, & gratiæ ſufficientis voluntate conſiſtit*. Perſpicuum eſt ex his omnibus, quod in nos dicit Janſenius, *Recentiores trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere*; utris juſtius conveniat: & quam ſit hoc ab hæreticorum plagiario non ſolum injurioſe, & contumelioſe; verum etiam imprudentiſſime dictum.

XLVI. Contra vero Catholici Doctores hæc certa habent, & ſancta; quod poſitive nemo ſit reprobatus a Deo, niſi ex iis, quæ male meritus ipſe ſit, ac libere perpetrarit, abſolute prævisis. Tum, quod ad Propoſitionem; quam hic expendimus, proximius pertinet, quod Deus homines, etſi non omnes efficaciter, omnes tamen ſincero voluntatis affectu, ſalvos fieri velit. Et quod conſequens eſt, quod gratiam, quæ ad ſalutem ſit vere ſufficiens, nulli deneget. De ipſa vero Janſenii Propoſitione ille eſt Eccleſiæ ſenſus, quem diſtincte, & dilucide expreſſit Innocentius X. & Alexander VII. ac Clemens XI. confirmarunt. Hæc ipſa verba ſunt Romani Pontificis totam Eccleſiam docentis. *Quintam*: ideſt, Semipelagianum eſt dicere &c. *Falſam, temerariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Porro eſſe de mente Janſenii Chriſtum pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuum eſſe ipſemet diſerte profitetur. Recole, quæ ſupra ex illo excripſimus. Itaque ex iis duobus, quæ in hac Propoſitione initio diſtinximus, primum Eccleſia declarat eſſe falſum, temerarium, ſcandaloſum; alterum vero ad mentem Janſenii intellectum, declarat impium, blaſphemum, contumelioſum, divinæ pietati derogans, & hæreticum.

XLVII. Nempe contrarium docet expreſſe divina Scriptura, & pluribus quidem in locis. Ad Rom. VIII. 32. *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. II. Cor. V. 14. 15. *quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. 1. Tim. II. 6. *qui dedit redemptionem ſemet ipſum pro omnibus*. Item IV. 10. *qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium*. Nimirum quia Fideles Redemptionis fructum re ipſa magis percipiunt. Dicit autem, *maxime*; non dicit, *unice*. Expreſſius 1. Joan. II. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Sunt etiam plures Scripturæ loci, & ſententiæ, ex quibus id ipſum proxime infertur, atque concluditur. Ut, quod 1. ad Tim. II. 4. ſcriptum eſt, *qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Quod omnibus gratiæ ſuæ auxilia impertit. Pſalm. XVIII. 7. *nec eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus*. Joan. 1. 9. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ad Tit. II. 11. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus &c.* Quod generaliter dicitur Joan. III. 16. 17. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret ...... ut ſalvetur mundus per ipſum*. 1. Tim. II. 5. *Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus*. Tit. II. 14. *dedit ſemet ipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*. Item quod dicitur, Redemptionis pretium tam oblatum pro omnibus; quam ad omnes pertinuit Adæ peccatum, & ex illo mors in omnes pertranſiit. Rom. V. 18. *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*. Legendum totum hoc ejus Epiſtolæ caput. Tandem quod Chriſtus mortuus dicitur pro iis, qui pereunt. Ut ad Rom. XIV. 15. *Noli cibo tuo illum* per-

Digitized by Google

perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. 1. Cor. VIII. 11. *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*.

XLVIII. Ad hæc Janſeniani reſpondent, primum particulas illas *pro omnibus* contrahendas, & circumſcribendas eſſe; ut ſignificentur genera ſingulorum, non vero ſinguli generum. Eſſe ſcilicet in omni hominum genere, pro quibus Chriſtus ſit mortuus; non vero eſſe mortuum pro quovis cujuſvis generis homine. Deinde, Chriſti Sanguinem fuſum fuiſſe pro omnibus in actu primo remoto: hoc eſt, quoniam pretium, ac meritum habet plane infinitum, potuiſſe pro omnibus afferri, ac pro omnibus acceptari ad ipſorum redemptionem, & ſalutem. Non autem fuſum fuiſſe pro omnibus in actu primo proximo; ut re ipſa & oblatus ſit, & acceptatus pro omnibus; nempe ut vere ſint omnes redempti, atque ex illo habeant omnes, quod ſatis ſit ad ſalutem. Tertio, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, quod teſtantur ſacræ Literæ, nihil aliud ſignificare, quam quod ſuſceperit communem omnibus cauſam. Verum hæc omnia temere, & violenter de more. Ad primum enim, eſto in ſacra Scriptura vox illa *omnis* non ſumatur interdum, niſi pro generibus ſingulorum; hoc tamen non fit unquam ſine juſtiſſima cauſa, qualem Janſenius, ac cæteri heterodoxi, quos auctores, ac duces ſequutus eſt, nullam proferunt. Parum eſt nullam eſſe cauſam reſtringendi ejus vocis ſignificationem. Argumenta, ut mox videbimus, graviſſima, atque efficaciſſima ſunt, quæ nos id facere prohibent; ſuntque adeo plures Scripturæ loci, quæ reſtrictionem hanc manifeſte reſpuunt, ut eos relegenti apparebit. Ad ſecundum; ſi verum iſtud eſſet, æque dici poſſet Chriſtus mortuus pro Angelis, pro Dæmonibus, pro hominibus, qui nunquam erunt, ſed eſſe poſſunt. Præterea diſtinctio illa ſufficientiæ remotæ, & proximæ cum eſt conficta temere, tum rationi, & auctoritati repugnat. Nam mori pro aliquo, & illum redimere, ſi proprie dicitur, non ſolum ſignificat pretium par debito; ſed etiam ſignificat, pretium illud eſſe ſolutum ad hoc, nempe ad debitum diſſolvendum; ſignificat, eam eſſe intentionem, & voluntatem morientis, prodeſſe ad remedium, & ſalutem afferre illi, pro quo mortem appetere non dubitavit. In quo ſufficientia non ſolum in actu primo remoto, ſed etiam in actu primo proximo eſt. Ad tertium; iſthæc pariter Scripturarum interpretatio eſt valde diminuta. Chriſtus non ſolum ſuſcepit communem omnibus cauſam; ſed pro omnibus ſatisfecit, eaque intentione, ac voluntate, quam dixi. Nam cæteroqui quid cauſæ fuit, cur hac etiam in re Eccleſia Lutherum, & Calvinum condemnarit; qui utique hac explicatione contenti erant, neque negabant; Chriſtum communem omnibus cauſam ſuſcepiſſe.

XLIX. Sic autem Concilium Tridentinum Seſs. 6. cap. 2. *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per Fidem in Sanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam, pro totius Mundi*. Quæ poſtrema verba expreſſe addidit ex Joanne contra memoratos hæreticos. Et iterum cap. 3. hæc habet: *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur*. Mortuus pro omnibus; quia mortuus, ut ſalvi fierent omnes, & omnibus gratiam ſufficientem obtinuit. Non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, quia æternam ſalutem non conſequuntur omnes; ſed ipſius auxiliis male uſi, vel ad Juſtificationis gratiam non perveniunt, vel in ea minime perſeverant. Confirmatur is Eccleſiæ ſenſus ex Symbolo Fidei, in quo eſt: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis &c. Crucifixus etiam pro nobis &c.* Quæ quidem credenda ſunt omnibus, ac proinde omnium ſaluti Chriſtum Crucem ſubiit, ac vitam impendit. Accedunt Propoſitiones an. 1690. confixæ ab Alexandro VIII. Quarum hæc eſt numero quarto: *Dedit ſemet ipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus*. Quinto vero ſic habet: *Pagani, Judæi, Hæreti-*

ei, *aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum ; adeoque hinc recte inferes , in illis eſſe voluntatem nudam*, *& inermem*, *ſine omni gratia ſufficienti* . Quamvis in his duabus Propoſitionibus non dicatur Chriſtus mortuus pro ſolis Electis, quod ait expreſſe Janſenius ; ex ſola tamen exceptione Infidelium reprobantur , & proſcribuntur . Quo perſpicue apparet , hunc eſſe Eccleſiæ ſenſum, pro omnibus omnino hominibus Sanguinem fudiſſe Chriſtum , ipſiuſque morte veram ſufficientiam prorſus omnibus partam . Quo etiam pertinet illud Concilii Colonienſis par. 7. cap. 32. *Quamquam nemo convertatur ad Dominum ; niſi tractus per Patrem , attamen nemo hic excuſationem prætexat*, *quod non trahitur*: *ille enim ſemper ſtat ad oſtium pulſans &c.*

L. Comprobantur hæc conſenſu SS. Patrum, de quibus Scriptores infra laudandi . Hic ſelectiora quædam ex Auguſtino , cujus ſuffragium Janſenius , & Calvinus ſibi impudenter arrogant . Primum ex iis , quæ vidimus cap. 3. adverſus ſecundam Janſenii Propoſitionem illud eſt certum, nunquam negaſse Auguſtinum gratiam vere ſufficientem ad ſalutem hominibus hujus noſtri ſtatus etiam non prædeſtinatis dari . Diſertiſſime in Libro de Corrept. & gratia, ubi diſserit de Adjutorio Dei *quo* , & *ſine quo non* , de quo duplici Adjutorio plura diximus in ſuperioribus , & adjiciemus alia cap. 7. diſertiſsime , inquam, in hoc libro cap. 7. num. 11. docet , homini non perſeveranti merito *poſſe dici* : *Homo* ; *in eo quod audieras* , *& tenueras* , *in eo perſeverares* , *ſi velles* : & Chriſtum , quia (ibid. cap. 16. num. 49.) *dilexit infirmos* ..... *pro omnibus eſſe factum infirmum* , *& pro omnibus ex ipſa eſſe infirmitate crucifixum* . Quemadmodum ſcripſerat prius , nimirum in Pſalm. XVIII. 7. *nec eſt qui ſe abſcondat &c. Cum autem Verbum caro factum eſt* , *& habitavit in nobis* , *non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis* , *ipſum enim perpetravit Verbi calor* , Et in Pſalm. XCV. 13. *Judicabit orbem terræ &c. non partem* , *quia non partem emit* ; *totum judicare habet* , *quia pro toto pretium dedit* . Et alia ejuſdem modi Tract. 2. in Epiſt. ad Parth. num. 4. Serm. 156. de verb. Apoſt. cap. 2. num. 2. Serm. 349. num. 18. Serm. 344. ex Sirmundo num. 4. de Symbolo ad Catechum. cap. 8. num. 15. de Spir. & lit. cap. 33. num. 59. &c. Quapropter Hugo Victorinus, qui Auguſtinum quam fideliſſime exprimit , & Auguſtini lingua ſolet appellari quæſt. 15. in cap. 5. ſecundæ ad Cor. hæc habet : *ſecundum Auguſtinum mortuus eſt pro omnibus Chriſtus* , *quia hoc ejus mors promeruit* , *ut per ipſum omnes ſalvarentur* , *niſi in ipſis remaneret* ; *ſufficiens enim erat ad omnium ſalutem* . Quod eſt adeo verum , ut quamvis ad rem præſentem neceſse non ſit id defendere , ne ipſis quidem maxime perverſis hominibus , excæcatis , & obduratis neget Auguſtinus adeſse gratiam , qua reſipiſcere poſſit ſaltem phyſice : immo etiam moraliter , non quidem proxime , ſed remote , nimirum orando , & uberius , ac fortius auxilium impetrando . Janſenius enim hic etiam , ut in aliis pluribus , quæ brevitatis cauſa omiſimus , Auguſtinum de more corrumpit . Nam tom. 3. Lib. 3. de Grat. Chriſt. cap. 10. ut probet , iſtiuſmodi hominibus omnem deeſse gratiam , locum Auguſtini ex Libro de perfect. juſt. cap. 19. num. 41. citat his verbis : *qui deſertus omni lumine veritatis hæc velle non poteſt* . Atqui , *hæc velle non poſſet* , ſcripſit Auguſtinus . Atque hæ voces ita leguntur in omnibus codicibus , tum editis , tum manu exaratis ; has ita legi poſtulat hujus loci ſenſus , & orationis contextus ; nulla hic de obduratis mentio eſse poteſt ; locus totus gratiam non abeſse , ſed adeſse iis , de quibus ibi agitur , clamat . Hæc omnia perſpicua ſunt .

LI. Verum ſunt alia quintæ hujus Propoſitionis magis propria , quæ nobis etſi non magis ſolide , poſſint tamen minus vel inconſiderate , vel fraudolenter objici . Primum eſt , hæc apud Auguſtinum expreſse legi Epiſt. 169. ad Evod. cap. 1. num. 4. *Non perit unus ex illis* , *pro quibus Chriſtus mortuus eſt* . Et Lib. 1. de adulterin. Conjug. cap. 15. num. 16. *Omnis* , *qui Chriſti ſanguine redem-*

Digitized by Google

demptus eſt, homo eſt; non tamen omnis, qui homo eſt, ſanguine Chriſti redemptus eſt. Nec minus expreſse apud Anſelmum in Elucidario. *Chriſtus pro ſolis Electis mortuus eſt*. Et infra. *Nihil contulit Reprobis ob ſua demerita mors Chriſti*. Secundum eſt, eſse aliquot Scripturæ locos, ex quibus id proxime colligatur: ut Matth. XV. 24. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*. Item XX. 28. *Filius hominis venit ..... dare animam ſuam redemptionem pro multis*. Et XXVI. 28. *Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Pro multis, non pro omnibus. Tertium eſt, Chriſtum non oraſse pro Reprobis; ex quo paucis concluditur, nec pro illis fudiſse Sanguinem. Quod autem pro Reprobis non oraverit, Chriſti ipſius teſtimonio maniſeſtum videtur; ſic enim Joan. XVII. 9. *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, ſed pro iis, quos dediſti mihi*. Nempe ut adnotat Auguſtinus Tract. 107. in Joan. num. 1. & 5. *non pro mundo*; *ſed pro his quos ei Pater dedit, & pro Diſcipulis ſuis*. Probatur item ratione: quia orare ſine ſpe obtinendi quod petis ſupervacaneum eſt, & imprudens. Spes autem eſse non poteſt id obtinendi, quod Dei decreto prorſus immobili, & im mutabili certiſſime ſcias numquam eſse futurum. Hujuſmodi autem erat Chriſto Domino ſcienti omnia ſalus Reproborum. Confirmantur hæc, quia ut animadvertit Auguſtinus Lib. 21. de Civit. cap. 24. *Si de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſet; qui licet in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo*. Chriſto autem æque certa, & evidens erat Reproborum damnatio, ut Dæmonum, eorumque, qui ante ipſius adventum una cum illis damnati jam fuerant. Tam igitur non oravit pro Reprobis, quam pro iſtis.

LII. Antequam reſpondeo, illud revocandum in mentem, quod alibi notatum eſt, uſitatiſſimum eſſe in ſacra Scriptura, & uſurpari etiam interdum a Patribus, ut cum duo inter ſe comparantur, ſi alteri longe præſtat alterum, id quo præſtat, affirmetur de hoc, de illa vero prorſus negetur. Hinc Oſe. VI. 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*. Et I. Cor. XV. 19. *non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Hinc Exod. III. 14. I. Reg. II. 2. Job. XIV. 4. & apud Patres ſæpiſſime, Deus eſſe, cætera vero non eſſe, dicuntur. Hac doctrina ea omnia, quæ nobis objecta ſunt, facile dilues. Cæterum ut aliquid peculiare dicam ad ſingula; ad primum reſpondeo, Auguſtinum, Anſelmum, & ſi qui ſunt alii, qui alicubi affirment, Chriſtum mortuum pro ſolis electis, aut mortuum negent pro omnibus; ne iiſdem dicantur cum ſacris Literis, cum Eccleſia, ac ſecum ipſi pugnare, omnino eſſe explicandos. Explicandi autem mihi videntur in eam ſententiam, quam proxime expoſui. Etenim Chriſtus tam ſpeciali affectu mortuus eſt pro Electis; ac morte ſua tot, & tanta illis præ aliis obtinuit; ut ſolum pro ipſis mortuus propemodum videatur, & Scripturæ phraſi dici etiam ab iis Doctoribus eo tempore potuerit. Quemadmodum, ut notat Auguſtinus idem in celebri quæſtione ad Simplicianum; quamvis Deus miſereatur omnium, ac pro ſua bonitate, & clementia ad ſe omnes invitet; ſimpliciter tamen illorum miſereri dicitur, quos *ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur, &c.* (Lib. 1. ad Simplic. q. 2. num. 13.) *Miſerebor, cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor*. (Rom. IX 15. &c.) Alii Auguſtini, & Anſelmi locos ſic exponunt; ut dicatur ibi Chriſtus mortuus pro iis tantum, pro quibus ſanguinem ſuum obtulit ad obtinendam non ſolum ſufficienter, ſed etiam efficaciter ipſorum ſalutem. Quæ explicatio in ea, quæ proxime diximus, recidit.

LIII. Ad ſecundum eadem aptari poteſt reſponſio. Quanquam prior Matthæi locus, *non ſum miſſus niſi &c.* ſic etiam optime poſſit exponi; non ſum miſſus ad illuſtrandos, & docendos præſentia, verbis, miraculis, niſi filios Iſrael; licet miſſus ſim ad redimendos omnes. Similiter ſecundus, & tertius Matthæi

loci

Digitized by Google

loci intelligi poſſunt, ut quoad ſpecialem illum affectum, quem diximus, ac redemptionis fructum præcipuum efficaciter obtinendum, Chriſti Sanguis fuſus ſit pro multis, non vero pro omnibus. Eorundemque locorum hæc etiam plana, & facilis interpretatio eſſe poteſt: vocem illam *multos* idem valere, ac vocem *omnes*; nempe quando omnes ſunt multi. Ita Janſenius Epiſcopus Gandavenſis in ſuis commentariis. Quod accepit ab Auguſtino, qui lib. 20. de Civit. cap. 42. docet, hanc etiam propriam eſſe Scripturæ phraſim, ac loquendi modum, ut *multorum* nomine ſignificentur omnes. Sic Job. XXXVI. 31. *dat eſcas multis mortalibus*. Dictum de Deo, qui dat eſcas omnibus mortalibus. Daniel. XII. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium &c.* Reſurgent omnes. Item Matth. X 31. *multis paſſeribus meliores eſtis vos*. Et, quod huc maxime facit, ad Rom. V. 15. *ſi enim unius delicto multi mortui ſunt*. Nec non 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi. &c.* Scripſerant autem ibid. 12. *in quo omnes peccaverunt*.

LIV. Ad tertium; hic etiam locum habet ea generalis reſponſio, ac defenſio; Chriſtum tam ſpeciali affectu, & efficacitate oraſſe pro Electis, ac præſertim Apoſtolis; ac precibus ſuis ea illis a Deo impetraſſe; ut propria Scripturæ phraſi, & Linguæ ſanctæ idiotiſmo dicere potuerit, *pro eis rogo, non pro mundo rogo &c.* Illud quoque dici perquam probabiliter poteſt, tunc re vera Chriſtum nullo modo oraſſe pro mundo, ſive pro reprobis; oraſſe autem alias. Itaque ſcriptum Iſa. LIII. 12. *& pro tranſgreſſoribus rogavit*. Quo pariter ſpectat illud Luc. XXIII. 34. *Jeſus autem dicebat: Pater, dimitte illis &c.* De hoc vero ſic Auguſtinus Serm. I. in Pſalm. 68. num. 14. *In Cruce dixit, Sitio; fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Sed illis homines quid propinarunt ſitienti? Acetum, acetum enim vinum vetus dicitur: merito de vetere homine propinarunt, qui novi eſſe noluerunt*. Oravit autem pro reprobis efficaciter, & abſolute ut gratiam ſufficientem haberent; qua poſſent, ſi vellent, ad æternam ſalutem proficere, & integrum mortis ſuæ fructum percipere. Ut autem iiſdem gratia efficax, ac Perſeverantiæ donum conferretur, oravit inefficaciter, vel, ut loquuntur alii, petiit hoc etiam efficaciter, quantum in ipſo fuit, ſed ea conditione addita, Si gratum id foret Patri, ſi Patri placeret. Nempe eo orandi modo, quo uſus eſt pro ſe ipſo, cum dixit Matth. XXVI. 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Et Marci XIV. 36. 39. *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt: transfer calicem hunc a me; ſed non quod ego volo, ſed quod tu*. Quod & Luc. XXII. 42. Hoc exemplo refellitur, quod additum eſt in hac peculiari oppugnatione, imprudenter, & inutiliter facere, qui orat ſine ulla ſpe impetrandi. Vel enim Chriſto oranti pro ſe ſpes aliqua erat, fore, ut calix ille ab eo removeretur; eidem oranti pro Reprobis ſpes itidem eſſe aliqua potuit de ipſorum ſalute. Vel nulla ſpes erat de amotione calicis; eſſe poteſt aliquod orandi genus, forſitan minus proprie tale quod ſpem illam non requirat. Conſule interpretes de tribus Evangelii locis proxime laudatis.

LV. Quod ultimum eſt de Eccleſia, nobis non officit. Auguſtinus enim, ut notat de Champs lib. 3. diſp. 7. cap. 17. diſputat ibi adverſus aliquos, qui contendebant, eos omnes, qui damnati ſunt inferorum ſuppliciis, univerſalis Judicii die Sanctorum precibus Liberatum iri. Sic autem iſtos refutat, ut dicat; Si ſancti, & Eccleſia orare poſſent pro damnatis, orare etiam debere pro dæmonibus. Pro neutris autem orant, quia ibi ſunt, ubi non eſt amplius pœnitentiæ locus. Quod autem ſubjungit, neque pro homine, qui adhuc ſit in via, oraturam Eccleſiam, ſi certo ſciret, illi propter ipſius delicta abſolute præviſa a Deo decreta eſse ex æterno inferorum ſupplicia; id pariter nobis non adverſatur. Eccleſia enim pro hominibus, qui adhuc in via, non poſtulat gratiam ſolum ſufficientem; po-

ſtu-

Digitized by Google

ſtulat etiam efficacem, & de hac loquitur ibi Auguſtinus. Hanc vero petere, prælucente notitia illa certiſſima de futura hominis damnatione, & æterna ipſius reprobatione, eſt petere conjunctum gratiæ efficacis, & peccati, quæ ſibi repugnant, & ad contradictionem implicant. Contra vero Chriſtus Dominus petere pro Reprobis potuit gratiam ſolam ſufficientem, & hanc quidem abſolute; gratiam vero efficacem conditionaliter. Nam quamvis certo prænoſceret futuram omnium hominum ſortem; neque arcana ulla Dei conſilia, & decreta ipſum laterent: potuerunt tamen preces ab illo fuſæ pro Reprobis ea notitia non dirigi, neque ab illa proficiſci. Neque enim quælibet Chriſti actio pendebat ex omni cognitione, quæ in ipſo fuit. Quod receptum, indubitatumque eſt apud theologos. Deinde Chriſtum pro Reprobis gratiam efficacem conditionaliter petere hoc tandem forſitan fuit, oſtendere, ſive exponere Patri deſiderium ſuum, vel affectum ſimplicem erga illorum etiam ſalutem; & ſimul deſiderium, affectumque illum divinæ voluntati ſubjicere. Quorum ſimilia docent interpretes de petitione illa, qua mortem eſt deprecatus.

LVI. At pro Reprobris, qui jam vivere deſierant, & apud inferos cruciabantur, nullo modo oravit, neque pro illis gratiam ſeu efficacem, ſeu tantum ſufficientem petiit. Igitur nec pro Reprobis, qui deinceps victuri, & ad inferos detrudendi erant in poſterum. Conceditur antecedens; negatur quod ſequi adverſariis videtur. Negatur autem propter diſparem ſtatum, termini ſcilicet, in quo alteri, ac viæ, in qua alteri erant. Nam quamvis Chriſto æqualiter comperta eſſet utrorumque damnatio; communi tamen divinæ providentiæ lege non erant ad gratiam accipiendam æqualiter idonei. Quare ad plures pertinuit Chriſti mors, quam Chriſti preces. Mortuus pro omnibus, non item oravit pro omnibus. Siquidem Reprobi, qui ante Filii Dei in terras adventum vixere, gratiam, cui reſtiterunt, Chriſti merito, non Chriſti impetratione accepere. Niſi ſi velis, gratiam qua donati ſunt homines illi, ut ipſis data eſt propter Chriſti mortem abſolute præviſam; eo etiam nomine collatam fuiſſe, quod Chriſtus oraturus erat *pro mundo*, oraturus *pro tranſgreſſoribus*. Vel nomine precum intelligas eam Chriſti voluntatem, ſive intentionem, qua Chriſtus voluit mortem ſuam prodeſſe omnibus, ſeſeque pro omnibus obtulit. Utcunque de his opineris, de quibus vide Vivam in Prop. 4. & 5. damn. ab Alex. VIII. num. 21. ut ut, inquam, de his ſentias; gratia cum efficax, tum etiam mere ſufficiens, ſive data ſit tantum ob Chriſti mortem, ac merita, ſive data ſit etiam ad Chriſti preces, data eſt viatoribus, data eſt, cum adhuc pœnitentiam agendi, ac bene merendi tempus ſupererat.

LVII. Verum hæc planiſſima, precipue quod ad rem Polemicam, & controverſiam præſentem. Plus aliquid difficultatis videtur habere, quod aliqui infantes moriuntur in utero matris, vel nulla propria culpa decedunt e vita ſine baptiſmo. Immo ut notat Auguſtinus epiſt. 217. cap. 6. num. 19. ad Vitalem aliquando nulla etiam, ut videntur, culpa parentum. *Aliquando*, inquit, *cupientibus*, *feſtinantibusque parentibus*, *miniſtris quoque volentibus*, & *paratis* ad conferendum infanti baptiſma, *Deo nolente*, *non datur*; *cum repente*; *antequam detur*, *ille expiret*. Quo duo videntur concludi: primum, Chriſtum pro his non eſſe mortuum, cum nullus ex Chriſti morte fructus in eos redundet; alterum vero, Deum nolle hos ſalvos fieri, cum peccati originalis remedium nolit his adhiberi. Utrumque tamen negandum; ac prætermiſſis, quæ ad nodum hunc diſſolvendum excogitarunt doctores Scholaſtici, quæ videre poteris apud Vivam loco nuper laudato, ut inſiſtamus in re dogmatica, ad primum dicendum; plura eſſe, & inſignia bona, quæ in hos quoque Chriſtus contulerit. Nam primo pro his etiam baptiſmum inſtituit; quem ſi ſuſciperent, a peccato originis ubique expiarentur, non minus quam cœteri. Deinde pro his etiam obtulit Patri cum ſuas preces, tum mortem ſuam, ſuaque omnia promerita. Et quamvis hæc omnia

omnia obtulerit conditionaliter, ſi Patri gratum foret, pro his illa recipere; fecit tamen hæc ſerio, ſinceroque voluntatis affectu. Nec ſane quicquam iſtorum pro dæmonibus fecit, pro quibus non eſt mortuus, & quos non redemit. Aliud quoque addi poteſt, alterius quidem ordinis, ſed tamen in ſuo genere magnum; nam ſi infantes, qui primi Parentis culpa obſtricti moriuntur, non traduntur igni, æterniſque ſuppliciis torquendi una cum Reprobis & Angelis, & hominibus; hoc Chriſtus illis utique obtinuit, eique acceptum referri debet.

LVIII. Ad ſecundum confer Auguſtini locum nobis objectum ex Epiſtola ad Vitalem. *Deo nolente, non datur &c.* cum eo, quod Auguſtinus idem ſcripſit lib. 4. cont. Julianum cap. 8. num. 42. *Numquid parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, Vult omnes homines ſalvos fieri?* neceſſe erit in Deo noſtro intelligendi modo duplicem voluntatem diſtinguere, efficacem videlicet, & inefficacem; ſeu, magis, & minus efficacem. Quod rerum etiam noſtrarum exemplis percipere facile eſt. Eſt in mercatore voluntas efficax ſervandi merces, ſed efficacior ſervandi vitam. Eſt in cive, eſt in milite voluntas efficax tuendi vitam; ſed efficacior tuendi Patriam, tuendi honorem ſuum, gloriamque militarem. Similiter igitur eſt in Deo voluntas ſalvandi omnes non ſolum ſeria, & ſincera, ſed etiam eatenus efficax, ut ad illorum ſalutem *Filium ſuum unigenitum daret*; *pro nobis omnibus tradiderit illum*; *dederit* illum *redemptionem pro omnibus*; dederit illum *propitiationem pro peccatis noſtris*; *non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*. (locis ſup. cit.) Voluntas eatenus efficax, ut ad omnium ſalutem Filio *omnia tradita ſint a Patre* (Matth. XI. 27.) ut ei *data ſit omnis poteſtas in Cælo, & in terra* (XXVIII. 18.) *ut omnia dederit in manus ejus* (Joan. III. 35.) *ut omnia dederit ei Pater in manus*. (XIII. 3.) Sic quidem, ut ſi Chriſtus abſoluta voluntate, & propoſito ſalvandi omnes, pro illis ſe Patri obtuliſſet; ſi oraſſet abſolute pro omnibus, periret ex omnibus nemo. Ac de his precibus abſolutis ſcriptum eſt Joan. XI. 42. *Ego autem ſciebam, quod ſemper me audis*. Et Hebr. V. 7. *exauditus eſt pro ſua reverentia*. Quod vero Pater non præceperit Filio, ut oraret abſolute pro omnibus parvulis; vel orantem pro aliquibus conditionaliter, de illis eum non exaudierit; & omnino quod Redemptorem miſerit; quem ſciebat oraturum pro aliis quidem abſolute, pro aliis vero dumtaxat conditionaliter; hoc tantum probat, voluntatem ſalvandi omnes, non eſſe pro omnibus uſquequaque, aut æqualiter efficacem; ſed magis, minuſve efficacem pro aliis, quam pro aliis. Probat item, eorum parvulorum interitum ad majorem Dei gloriam, vel alia occultiſſima bona pertinere, quæ Deum convenit & velle, & curare efficacius, quam ipſorum ſalutem. Neutiquam enim ita res conſtituiſſet, aut hæc providentiæ ratione uſus fuiſſet, niſi, ut ait Auguſtinus.

CAPUT SEPTIMUM.

Refelluntur, quæ generatim contra Propoſitionem noſtram, ac pro Janſenii ſyſtemate objici poſſunt.

LIX. PRopoſitionis noſtræ duæ partes fuerunt, perpetuus Janſenii conſenſus cum hæreticis, qui ante ipſum extiterunt, & potiſſimum cum Calvino; itemque perpetuus ejuſdem diſſenſus a doctrina Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, ac præſertim S. Auguſtini. Utraque pars, præter illa, quæ pro ſingulis quibuſque Janſenii Propoſitionibus peculiariter facere videntur, & a nobis jam ſunt depulſa, habet alia quædam, generalia, & ad ſpeciem ſaltem graviora, quæ adhuc objici poſſint, & a nobis penitus profligari neceſſe ſit. Quod ad primam attinet Propoſitionis noſtræ partem; Janſenius ipſe, cum videret ſibi poſſe objici, quæ de gratia, & libero arbitrio tanquam nova, & ſua vendicat, omnia furto accepta eſſe ex Calvino; id, ne audiret ab aliis, occupavit ipſe prior; & multis a ſe notam hanc amoliri conatus eſt. Etenim Lib. 8. de Grat. Chriſti cap. 21. Quinque affert Calvinianæ doctrinæ ca-

Digitized by Google

capita a Concilio Tridentino improbata, & damnata; iiſdemque capitibus ab ea prorſus diſcrepare, & abhorrere contendit doctrinam ſuam. Priorum quatuor cum ſit perſpicuum eſſe diſcrimen vel leviſſimum, vel ſolum in verbis, ac modo loquendi; meque ſingula perſequi, præſertim tam futilia, & frivola tædeat; iis ſuperſedeo. Examinandum eſt quintum, a quo Janſenius videri vult maxime alienus, & fucum fecit fortaſſe multis. Hæc ipſius verba loco nuper notato. *Quintum denique eſt, quod fronte retecta tandem docet Calvinus, non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſumque nomen inane exterminandum eſſe. Itaque quemadmodum etiam Recentiores notant, Calvinus ex modo agendi, quo pollet gratia prædeterminando voluntatem, liberum arbitrium aperte deſtrui dixit, cum potius libertatem cum gratia conciliare debuiſſet*. Hæc ille; quibus antequam reſpondeo, notatum volo, *modum agendi*, *quo* ait Janſenius *pollere gratiam prædeterminando voluntatem*, in ipſius ſententia intelligendum eſſe de prædeterminatione, quæ antecedentem, ac prorſus inſuperabilem neceſſitatem afferat voluntati. Quo quidem non a Calvino, ut mox planum faciam, ſed a Prædeterminantibus Catholicis oppido diſcrepat. Hi enim iſtiuſmodi neceſſitatem rejiciunt, & cauſam vere liberam nobiſcum definiunt, *quæ poſitis omnibus prærequiſitis poteſt agere, & non agere*. Hoc prænotato.

LX. Reſpondeo; negabat quidem Calvinus, quod Janſenius ignorare non potuit; negabat, inquam, Calvinus liberum arbitrium, ut accipitur & explicatur a Doctoribus Catholicis, hoc eſt, activam; ut ajunt, indifferentiam ad bonum, & malum expeditam; & ab antecedenti neceſſitate intrinſeca, etiam ſimplici, & vim non inferente liberam. Sic enim Calvinus in Antidoto ad can. 5. Seſs. 6. *Per liberum arbitrium intelligunt Patres Tridentini eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera, & ſoluta. Titulum ſine re eſſe, qui affirmant, Chriſtum habent auctorem, & Auguſtinum*. At vero non negabat Calvinus liberum arbitrium, immo illud aperte aſtruebat, & propugnabat ſecundum ſenſum, & explicationem Janſenii, qui arbitrium liberum conſtituit in facultate volendi, non ſimplicis neceſſitatis, ſed ſolius coactionis, ac violentiæ immuni. Hæc ſunt verba ipſa Calvini Lib. 2. adverſus Pighium. *Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſevero; ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror*. Immo ne Lutherus quidem hominibus pro ſtatu naturæ lapſæ arbitrium denegat ita explicatum. Sic enim in Libro de ſervo Arbitr. *Profiteor, me illam voluntatis mutabilitatem, & vertibilitatem, liberumque hoc ſenſu arbitrium amplecti: quamvis rectius vertibile arbitrium, vel mutabile arbitrium diceretur, quam liberum*. Et ibidem: *Donemus id abuſui, licet magno, & periculoſo, ut idem ſit liberum arbitrium, quod vertibile arbitrium &c.* Vide quæ ſupra ex ipſo retulimus cap. 4. num. 22. Facit huc maxime teſtimonium Buceri Lutheranorum principis: *Pacem eſſe inter Catholicos, & Lutheranos, ſi ſola coactio libertati repugnat. Quod enim Catholici dicunt, hominem eſſe liberi arbitrii, intelligi debere de arbitrio libero a coactione, non a neceſſitate: quod vero dicunt Lutherani, hominem non eſſe liberi arbitrii, accipiendum eſſe de arbitrio libero a neceſſitate, non a coactione*. Sed in Calvino inſiſtamus; nam de hoc agitur modo: & Lutherus, ut hac etiam de re more ſuo inconſtantiſſime loquitur, a Catholico dogmate de libero arbitrio longius interdum aberrat, quam ut ei antecedentem inferat neceſſitatem, *ſeſſoremque imponat nunc Deum*; *nunc Diabolum*, quibus repugnare non poſſit. De quo infra videbimus.

LXI. Nunc itaque Janſenio illud præterea reſpondeo, Calvinum non ſolum negaſſe liberum arbitrium ſenſu, & ſignificatione Catholica; ſed, poſitis iis, quæ tum ipſi, tum Janſenio communia ſunt, hoc ei neceſſario faciendum fuiſſe. *Ex modo agendi, quo dicebat pollere gratiam prædeterminando voluntatem* non potuit non concludere, liberum arbi-

Digitized by Google

trium, quod tale ſit vere, & proprie, quodque omnes Catholici admittimus, & tuemur, plane interire. Idemque Janſenius quoque concluderet, ſi ſincere agere vellet. Nam eſſe voluntatem antecedenti, & inſuperabili neceſſitate uni extremorum affixam, & ſimul retinere indifferentiam, quam vocant, activam, ſive eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem ſoluta, ac libera, ſibi invicem adverſantur, & contradictionem habet evidentem. Quæ quidem vidit etiam Janſenius, neque enim videre non potuit; ſed ut impune cum Calvino ſentiat, ac doceat, ſub vocabulo conatur latere. Atque hoc tandem a Calvino differt, quod, re libertatis non minus ſublata, retinet nomen; quod Catholicum loquendi modum prætendit errori; hæreſim fraude; atque hypocriſi cumulat. *Veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. (Matth. VII. 15.) Quod aliis quoque heterodoxis ita commune eſt, ut tamen Janſenianorum character ſit maxime proprius; nec ſolum, in vita, & moribus, ſed etiam in doctrina.

LXII. Inſtabis; Janſenius hominem ſub motione victricis delectationis exiſtentem ſubjicit *neceſſitati tantum partiali*, *relativæ*, *morali*, *variabili*; Calvinus vero ſubjicit *neceſſitati totali*, *abſolutæ*, *phyſicæ*, *invariabili*. Eſt igitur aliquid non parvi momenti, nec ſolum in verbis poſitum, quod inter Janſenium, & Calvinum interſit; & injuria dicitur Janſenii doctrina in doctrina Calvini a Tridentino damnata. Hæc pro Janſenio recentes quidam earum partium Scriptores. Sed parum acute, nulloque profectu. Nam duplici via commodiſſime refelluntur. Primum igitur, dato antecedente, nego quod ſequitur: atque hoc etiam diſcrimen, quod iſti notant, ait eſſe tantum in verbis, vel certe tuendo adverſus Tridentinum Janſenio nihil conferre. Siquidem neceſſitas illa eſto ſit partialis, relativa &c. de mente tamen, & ſententia Janſenii eſt ejuſmodi, quæ ſolam ferat libertatem a coactione; excludat vero eligendi facultatem in utramque partem ſolutam, ac liberam. Quo tam opponitur, & adverſatur libertati indifferentiæ, ſeu facultati agendi, & non agendi pro arbitrio, componendique voluntatis diſſenſum, vel omiſſionem aſſenſus cum motione gratiæ excitantis; quam illi opponitur, & adverſatur neceſſitas totalis, abſoluta &c. Calviniana. Porro Synodus Tridentina anathemate ferit neceſſitatem omnem, quæ ſolam patiatur libertatem a coactione; reſpuat vero libertatem indifferentiæ, ſeu facultatem eligendi, agendique, aut non agendi pro arbitrio; ac diſſentiendi, ſeu reſiſtendi gratiæ excitanti. Quocirca in doctrina Calvini jugulata, & confoſſa eſt a Tridentino doctrina Janſenii. Major propoſitio eſt manifeſta per ſe; nec ab adverſariis negatur. Probatur minor auctoritate Catholicorum omnium doctorum, qui poſt Tridentinum Concilium contra Lutheranos, & Calvinianos ſcripſerunt. Hi enim omnes, nullo prorſus excepto, contra illos indifferentiæ libertatem ad bonum, & malum propugnant, tanquam dogma Fidei ab Eccleſia in Tridentina Synodo definitum: & ſub motione Gratiæ excitantis libertatem non ſolum a coactione, ſed a ſimplici etiam neceſſitate, manere docent, & probant Tridentini præſertim decreto. Audiatur, quoniam hic etiam impudenter provocant ad Thomiſtas, atque huic telo clypeum phyſicæ præmotionis opponunt; audiatur, inquam, Thomiſta, & quidem phyſicæ præmotionis defenſor acerrimus, quam nobis hac in re prorſus conſentiat. Hæc Didacus Alvarez Lib. 12. de Auxiliis Divinæ Gratiæ diſput. 115. num. 4. *Ad liberum arbitrium neceſſario requiritur, quod poſitis omnibus antecedenter ſecundum ordinem rationis, vel temporis ad actum prærequiſitis* (unum autem ex iis, quæ ad actum ſalutarem ita prærequiruntur, eſt gratia excitans, ſeu divina illuſtratio, & inſpiratio) *poſſit operari, vel non operari; ita videlicet, ut cum eiſdem prærequiſitis ſtet ſimul in libero arbitrio facultas, & potentia, qua poſſit operari, ſi velit; vel non operari, ſi nolit. In hac concluſione conveniunt omnes Catholici: habetur enim definita in Concilio Tridentino*

con-

Digitized by Google

contra Lutherum, & Calvinum. Lutherus enim aſſerebat, liberum arbitrium mere paſſive ſe habere, recipiendo in ſe actum liberum, a ſolo Deo productum. Calvinus autem dixit, hominem quidem concurrere active ad actum, quem Deus in nobis producit; non tamen concurrere motu libero, ſed ſpontaneo dumtaxat, & non coacte. Nimirum aliud eſt indifferentia ad agendum; aliud vero agendi virtus. Si ſermo ſit de primo; tum Lutherus, tum Calvinus, tum Janſenius non admittunt in voluntate pro ſtatu naturæ lapſæ, niſi indifferentiam paſſivam; quæ in eo poſita eſt, quod voluntas humana facultas vertibilis ſit; quæque majorem, & minorem gratiam ſuſcipere poteſt; & ut nunc agitur a gratia, agi poſſet a cupiditate, ſi hæc prævaleret, hoc eſt, ſi eſſet relative ſuperior. Si vero ſermo ſit de ſecundo; Lutherus denegat voluntati omnem actionem; ſed tum Calvini, tum Janſenii confeſſione, voluntas, ſub gratia vere, & proprie operatur; vere, & proprie agit aliquid: quamvis ipſorum opinione non agat, niſi agatur. Itaque apud ipſos voluntas paſſive ſimul, & active ſe habet; patitur, & agit. Patitur, quia indeclinabiliter, & inſuperabiliter afficitur, & movetur; agit, quia ſic affecta, & mota vere aliquid facit, neque illud invite, & coacte, ſed ſponte, & voluntarie facit. Ita Calvinus Lib. 2. Inſtit. cap. 3. & in Antid. Trid. Seſs. 6. cap. 6. Quæ ipſiſſima docet Janſenius locis ſupra notatis. Plura ſunt autem, quibus hæc ipſorum doctrina differt a doctrina Prædeterminantium. Nam primum Janſenius, & Calvinus liberum arbitrium conſtituunt in facultate immuni a coactione, ac neceſſitate violenta. Prædeterminantes volunt actum primum proximum liberum, eſſe prorſus immunem ab omni etiam ſimplici neceſſitate. Deinde Janſenius, & Calvinus docent activam indifferentiam, ſeu facultatem eligendi, ac ſe ſe determinandi eſſe in homine, propter Adæ peccatum prorſus extinctum. Prædeterminantes abhorrent ab hac doctrina, eamque ut hæreticam execrantur. Tertio Janſenius, & Calvinus contendunt, in ſtatu naturæ lapſæ omnem gratiam, quæ vere dat poſſe, indeclinabiliter, & inſuperabiliter dare etiam velle. Quare ipſorum opinione, gratia vere ſufficiens, & gratia per ſe natura ſua infruſtrabiliter efficax convertuntur, ſeu reciprocantur inter ſe. Ut quatenus eſt ſufficiens, eatenus etiam ſit efficax: & ſi eſt vere, & perfecte, ſeu complete ſufficiens; ſit etiam vere, perfecte, ſeu complete efficax. Prædeterminantes vero, præter gratiam intrinſecus efficacem, admittunt gratiam ſufficientem. Et gratiæ, quæ dat poſſe, ſeu qua conſtituitur homo proxime potens ſalutariter agere, eum dicunt poſſe diſſentire, ſi velit; & quidem etiam in ſenſu compoſito ejus gratiæ, quæ dat illi hanc proximam poteſtatem. Plura vide apud Annatum in Præfat. Præterea Janſenius Lib. 1. de Grat. Chriſti cap. 2. & alibi in phyſicam Præmotionem Thomiſtarum pluribus invehit, ab eiſque ſe multum diſſidere contendit: quod ultimum ipſi libenter concedo.

LXIII. Hæc prior reſponſio ad enthymema nobis objectum. Non minus ſolida eſt altera. Nego igitur antecedens, & illud defendo, neceſſitatem, cui hominem ſub gratiæ excitantis motione exiſtentem ſubjicit Calvinus tam eſſe partialem, relativam, moralem, variabilem, quam partialis, relativa, moralis, variabilis eſt ea neceſſitas, quam in eundem ſub eadem motione inducit Janſenius. Vel ſi totalis, abſoluta, phyſica, invariabilis dici poteſt, aut debet neceſſitas Calviniana; talem quoque dici poſſe, aut debere neceſſitatem Janſenianam. Probantur iſta diviſim. Nam quod ad primum; ideo neceſſitas, cui ex motione delectationis victricis Janſenius hominem ſubjicit, eſt tantum partialis; quia delectatio victrix, qua voluntas ſive ad bonum, ſive ad malum neceſſario rapitur, relinquit facultatem remotam actionis contrariæ; ideo vero hanc facultatem relinquit, quia ſub ea delectatione victrici remanet naturalis flexibilitas voluntatis, & propria ſtatus noſtri conditio; ſic quidem, ut ſi delectatio præſens minueretur, vel augeretur

tur

tur contraria , non illi , ſed iſti obſequeretur voluntas . Hæc doctrina , & Syſtema Janſenii . Sed etiam in ſententia Calvini ſub delectatione victrici remanet eadem flexibilitas voluntatis , & propria naturæ lapſæ conditio , ut jam oſtendimus ex lib. 2. Inſtit. cap. 3. ex lib. 3. de lib. arb. ex Antidoto &c. Conſequens eſt igitur , quod ad primum hoc pertinet , ut neceſſitas ab utroque invecta ſit ejuſdem rationis , ac vel partialis , vel totalis æqualiter .

LXIV. Quod ad ſecundum ; Janſenio neceſſitas volendi bonum relativa eſt , quia eſt effectus formalis delectationis cœleſtis , ut majoris delectatione terrena; ſeu , quia poſita eſt in exceſſu delectationis cœleſtis ſupra delectationem terrenam . Quemadmodum ejuſdem ſententia, neceſſitas volendi malum eſt pariter relativa , quia eſt proprius , & formalis affectus delectationis terrenæ , ut majoris delectatione cæleſti ; ſeu, quia poſita eſt in exceſſu delectationis terrenæ cæleſtem delectationem ſuperantis . Hoc ipſum autem docet Calvinus , atque hæc , ut ab initio , & deinceps oſtendimus , eſt pariter ejus ſententia ; utra prævaleat , concupiſcentia , an gratia ; hoc ipſo quod prævalet , & alteram excedit , ſeu magis delectat ; inferre voluntati conſentiendi neceſſitatem . Sunt igitur æque relativæ, vel æque abſolutæ neceſſitates , quam Janſenius , & quam Calvinus inducunt . Idem ipſum probari etiam paulo aliter poteſt . Nam ut Janſeniani aliqui explicant , neceſſitas volendi bonum relativa eſt ad cœleſtem delectationem , terrena majorem ; quia pendet ab illa , tanquam effectus a cauſa , ſine qua nec eſt , nec eſſe poteſt : quemadmodum , ut iidem explicant , neceſſitas volendi malum relativa eſt ad delectationem terrenam majorem cœleſti; quia pendet ab illa , tanquam effectus a cauſa , ſine qua nec eſt , nec eſſe poteſt . Verum hæc eodem tandem pertinent , & in neceſſitatem Calvinianam æque conveniunt . Quare idem de utraque dicendum .

LXV. Nec minus facile , & promptum idem probare de tertio . Neceſſitas enim volendi bonum , cui Janſenius ſubjicit hominem , quoties vult bonum ; item neceſſitas volendi malum qua eundem conſtringit , quoties vult malum , ideo ab ipſius defenſoribus vocatur *moralis* , quia ſpectat ad mores , & oritur ex delectatione majori , vel in delectatione ipſa majori , ut majori poſita eſt : at etiam neceſſitas , qua hominem bono , & malo addicit Calvinus , & pertinet ad mores , & eſt delectationis effectus ; eſt igitur , ac dici poteſt Calvini neceſſitas æque moralis . Cæterum male, & prorſus contra magiſtri ſui mentem , expreſſamque doctrinam Janſeniani neceſſitatem ejuſmodi , *moralem* , appellant . Nam ſi proprie loqui volumus , moralis neceſſitas volendi bonum non eſt ; niſi magna aliqua difficultas omittendi bonum ; uti etiam neceſſitas volendi malum non eſt , niſi magna aliqua difficultas abſtinendi a malo . Quamobrem moralis neceſſitas , quæ proprie talis , fruſtrationi obnoxia eſt , & quamvis difficile ; poteſt tamen ſimpliciter effectu carere . Quod ſane Janſenius non vult . Nam apud ipſum homo ſub delectatione victrici tanta neceſſitate vult bonum, quanta neceſſitate eſt juſtus , cum ineſt ipſi juſtitia ; aut beatus , cum ineſt ipſi beatitudo . Immo eſt in Janſenii volumine , ubi hoc ipſum ſcribit expreſſe , neceſsitatem volendi bonum , quam facit delectatio cœleſtis , eſſe neceſsitatem phyſicam . Sic enim lib. 8. de Grat. Chriſti cap. 3. *Prævenit ipſam voluntatis determinationem etiam prædeterminando , non ſolum moraliter , ſed vera , reali , & phyſica determinatione . Moralis enim prædeterminatio illa dicitur , quæ tantum ſe habet ex parte objecti , quemadmodum facit ille , qui conſulit ſuadet , præcipit , rogat , blanditur , ſive extrinſecus , ſive intrinſecus . Sed hæc* (delectatio cœleſtis ; nam de illa ibi loquitur *) ſe habet in ipſa potentia voluntatis , quam proprie ſuæ ſuavitatis magnitudine ad volendum applicat , & applicando determinat .* Quæ congruunt etiam delectationi terreſtri ubi hæc præponderet, & male agendi neceſsitatem , ut idem docet , efficiat .

LXVI. Ultimum reſtat , neceſſitatem Janſenianam eſſe variabilem . Quod ideo dicunt : quia apud Janſenium ne-

ceſſi-

Digitized by Google

ceſſitas volendi bonum mutari poteſt; ſicut etiam neceſſitas volendi malum. Ideo vero mutari poſſunt, quia utraque neceſſitas omnino pendet, ac ſequitur ex aliqua delectatione; hæc ex terrena, illa ex cœleſti: quæ delectationes in hac mortali vita alternis prævalere, ac dominari, & voluntatem prædeterminare, atque in ſuas partes pertrahere poſſunt. At etiam apud Calvinum utraque neceſſitas ad ſuam delectationem refertur, & ex illa conſequitur; & pro hac vita mortali has vices, alterna hæc delectationum imperia agnoſcit etiam Calvinus. Perſpicua res eſt. Siquidem Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. docet, Electos quandoque tranſgredi voluntarie mandata divina; & e contrario Reprobos quandoque ea voluntarie obſervare. Docet item, Electos quandoque voluntarie non credere, & ita voluntarie Fidem amittere. Reprobos, vero quandoque voluntarie credere, & Deum diligere. Quare tam apud Calvinum utraque neceſſitas variabilis eſt, quam apud Janſenium.

LXVII. Hæc ad primam Propoſitionis noſtræ partem, quæ de Janſenii conſenſu cum hæreticis, & maxime cum Calvino. Nunc quæ ad ſecundam de ejuſdem diſſenſu a doctrina catholica, & præſertim ab Auguſtino. De hoc potiſſimum dicam, & primum de eo, quod jam inde ab initio (cap. 1. num. 5.) me explicaturum recepi, loco illuſtri, & per celebri ex Expoſit. Epiſt. ad Galat. Verba S. Doctoris hæc ſunt num. 49. ad cap. V. verſ. 22. & 23. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*. Hunc locum Janſenius *clariſſimum; & præclariſſimum* appellat tom. 3. lib. 4. cap. 6. in eo vel uno & fundamentum, & propugnaculum habere ſe putat Syſtematis ſui. Sed nuſquam probat, aut probare conatur. Quod ſane faciendum ipſi fuerat; cum plures eſſe poſſint hujus effati explicationes catholicæ, quæque valde plana, & probabilis, & ab Janſenii intellectu remota. Prima eſt, loqui ibi Auguſtinum de delectatione deliberata, cui homo ſe libere dedat, quamque in ſe ipſo regnare, ac dominari libere ſinat. Et quidem de neceſſitate majori, aut minori, pro illius hominis deliberatione, & propoſito, ac prout delectationi illi ſe magis, minuſve ſubjecerit. Secunda eſt, Auguſtinum intelligendum de neceſſitate morali; nimirum ut perdifficile ſit delectationi; ſi præſertim ſit longe major delectatione contraria, nec ſolum comparate, ſed etiam ſimpliciter magna. Tertia eſt, Auguſtinum hic nomine neceſſitatis ſignificare conſuetudinem; ut illud *neceſſe eſt* idem valeat, ac *fieri ſolet*; *plerumque*, *ac fere ſemper contingit &c.* Quarta; locum hunc intelligi poſſe de neceſſitate etiam plane inſuperabili, ſed vaga, & indefinita; ſi nimirum delectatio illa nos longo tempore ſollicitare pergat, & pluribus caſibus, & circumſtantiis; de quo ſupra in ſecundo Syſtemate. Quinta; poſſe etiam intelligi de neceſſitate non ſolum inſuperabili; ſed & certa, definitaque; veruntamen ſolum in caſibus ſubitis, nec opinatis, & ut loquitur S. Thomas quæſt. 6. de malo art. unico ad 24. *in repentinis*; quæ ſcilicet rationem præcurrunt, & antevertunt; nec ſunt electionis, & arbitrii.

LXVIII. Inter has omnes explicationes antequam definio, quam tenendam, ac cæteris præferendam exiſtimem; quod Janſenius pro ſe non fecit, ut probaret, hunc Auguſtini locum in ſententiam ſuam eſſe exponendum; faciam ego contra ipſum. Oſtendam, hæc Auguſtini verba non poſſe intelligi de delectatione victrici Janſeniana. Et id oſtendam peculiari argumento; aliis hic omiſſis, quibus hactenus ex Auguſtino contra Janſenium pugnavimus. Argumentum petitur ex ipſa ratione temporum, quibus hæc ſcripſit Auguſtinus, & triplex eſt. Nam primum; minime potuit S. Doctor Janſenianam de gratia, & libero arbitrio doctrinam tradere, & defendere in ullo opere ſcripto ante Epiſcopatum, quo ſcilicet tempore in eo errore verſabatur, qui Semipelagianorum poſtea fuit; ſi præſertim error ille talis fuiſſe dicatur, qualem Janſenius ipſe deſcribit tom. 1. lib. 8. & alibi. Atqui librum, ex quo ſententia illa deſumpta eſt, ante Epiſcopatum a ſe ſcriptum fuiſſe teſtatur ipſemet

Au-

Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 23. & 24. nimirum *circiter Chriſti annum* 394. *Auguſtino adhuc Presbytero ;* ut adnotant Patres Maurini editionis ſuæ tom. 3. p. 2. pag. 942. Deinde Auguſtinus tres libros, quos de libero arbitrio conſcripſit accuratiſſime, antea quidem inchoaverat, nempe anno 388. ut colligitur ex primo Retract. cap. 9. Sed circa illud tempus, vel paulo poſt eos abſolvit, nempe anno 396. ut colligitur ex Epiſt. 27. num. 4. & ex Epiſt. 31. num. 7. Porro in his libris totus eſt Auguſtinus in explicando hoc ſyllogiſmo: Peccatum omne oritur ex libidine menti dominante: non poteſt autem libido menti dominari, niſi ex libero voluntatis arbitrio: ergo peccatum oriri non poteſt, niſi ex libero voluntatis arbitrio. Profecto, qui totus eſt in hoc ſyllogiſmo explicando, non poteſt eo ipſo tempore tueri Janſenii doctrinam. Tertio circa illud idem tempus ſcripſit Auguſtinus plures libros contra Manichæos, cujuſmodi ſunt libri duo de morib. Eccl. cathol. & de mor. Manich. anno 388. libri pariter duo de Gen. cont. Manich. an. 389. liber de vera Relig. an. 390. liber de utilit. cred. & liber de duabus anim. an. 391. diſputationes duæ contra Fortunatum an. 392. liber contra Adimantum an. 394. liber de Continent. an. 395. liber contra Epiſt. Fundam. an. 397. &c. præter complures Epiſtolas annis fere ſingulis ſcriptas. Jam vero, quæ Auguſtinus his omnibus ſcriptis contra duas præſertim Manichæorum Animas protulit, æque valent contra duas Janſenii delectationes. Non potuit igitur Auguſtinus tempore eodem & impugnare duas Manichæorum Animas, & duas Janſenii delectationes defendere. Huic triplici argumento adde ea omnia, quæ pro libertate indifferentiæ adverſus Janſenii ſyſtema ex Auguſtino deprompſimus, præſertim cap. 1. & 4. fiet omnino evidens S. Doctorem in loco nobis objecto, niſi a ſe ipſo plane diſſentiat, cum Janſenio ſentire non poſſe.

LXIX. Atque hæc ad repellendam Janſenianorum oppugnationem ſatis. Verum ne huic loco quicquam deſit, ex iis quinque Auguſtini explicationibus, quas paulo ante recenſui, primam anteponendam dico eſſe cœteris; ſic tamen, ut hæ quoque ad illam poſſint adjungi. Loquutum ibi Auguſtinum exiſtimo de delectatione deliberata, ſive actuali, ſive habituali, quæ conſequatur, ac pendeat ex libero voluntatis aſſenſu, electione, propoſito. Ut Auguſtini verborum hæc ſit ſententia, ac genuina explicatio. *Quod amplius nos delectat &c.* hoc eſt, Quod amplecti, & eligere nobis magis placet; cui conſentire, & obſequi nobis arridet, potius eſt; &c. ſeu, quam cupiditatem, delectationemve in nobis regnare, ac dominari libere ſinimus; cum ea actiones, vitamque noſtram conformemus, & componamus, neceſſe eſt. Brevius, & clarius. *Quod amplius nos delectat &c.* hoc eſt, quod amplius diligimus, *ſecundum id operemur, neceſſe eſt*; vel neceſſitate magis propria, & arcta, ac rigida, qualis eſt apud Scholaſticos neceſſitas, qua actus imperatus ſequitur imperantem, ſi quidem ſermo ſit de dilectione, ſeu de delectatione deliberata actuali. Vel, ſi ſermo ſit de dilectione, ſeu deliberata delectatione habituali, ſecundum illam operemur neceſſe eſt, neceſſitate mitiori, & laxiori, qualis eſt neceſſitas, quam efficit conſuetudo. Nam conſuetudinis eſt eadem fere vis, & ratio. Siquidem, ut ait Auguſtinus de diver. qq. 83. quæſt. 40. *ex diverſa conſuetudine diverſa eſt voluntas*. Et quæſt. 59. num. 3. *de conſuetudine id ſemper inquirit, unde gaudere animus ſolet*. Et ut ſcribit Doctor Angelicus loco ſup. not. in quæſt. 6. de Malo, ſicuti delectatio, ſive dilectio, quæ habitualis dicitur, ita etiam conſuetudo *facit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipue ;* in quibus ſcilicet, ut idem addit 1. 2. quæſt. 109. art. 8. *homo operatur ſecundum habitum præexiſtentem ... quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere, præter inclinationem habitus*. Quod ipſum docet Auguſtinus: *poteſt* (inquit lib. 2. de pecc. mer. cap. 6. num. 7.) *homo, ſi velit, adjutus a Deo* longo uſu firmatæ conſuetudini reſiſtere (Serm. 180. num. 10) *veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænare*. Et quanquam *hanc vincere difficillimum eſt*;

eſt; tamen eam ipſam conſuetudinem, ſi ſe quiſque non deſerat, & Chriſtianam militiam non reformidet, illo duce, atque adjutore ſuperabit. (lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 12. num. 34.)

LXX. Hæc expoſitio verborum S. Auguſtini, quamvis non ſolum catholica, ſed plana etiam, & commoda; a nobis ſic adſtruitur, ut etiam probetur. Probatur autem ea potiſſimum ratione; quia ad hunc locum, & ad ea quæ antecedunt, & conſequuntur, & conſtantem S. Auguſtini doctrinam nulla videtur accomodatior. Sic nimirum *neceſſe eſt*, ut bene, vel male *operemur*; prout boni vel mali fuerimus; quod apud Auguſtinum frequentiſſimum eſt. Hoc enim ait lib. 2. de Serm. Dom. in mon. cap. 13. num. 45. & cap. 24. num. 79. 80. 81. hoc lib. de div. qq. 83. quæſt. 40. q. 59. num. 3. quæſt. 66. num. 6. quæſt. 70. Item in Expoſ. quar. prop. ex Ep. ad Rom. prop. 49. lib. 4. de Muſ. cap. 3. num. 4. lib. 14. de Civit. Dei cap. 7. 8. &c. in Enchir. cap. 13. num. 4. & cap. 117. n. 31. tract. 74. in Joan. num. 4. &c. Præterea in omnibus ſcriptis adverſus Manichæos, ut cap. 6. contra Adimant. lib. 1. Retract. cap. 22. num. 4. lib. de Act. cum Felice cap. 2. & 4. lib. contra Fortunatum diſp. 2. num. 21. lib. 5. contra Fauſtum cap. 11. & lib. 22. cap. 28. lib. 1. contra Adverſ. Leg. & Proph. cap. 22. num. 47. Necnon adverſus Donatiſtas, ut lib. 1. contra liter. Petiliani cap. 8. n. 9. & lib. 3. cap. 44. num. 53. & cap. 52. num. 64. lib. de unit. Eccl. cap. 28. num. 59. Et contra Pelagianos, ut lib. de Gratia Chr. cap. 18. num. 19. & cap. 19. num. 20. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 26. num. 43. lib. 4. contra Julianum cap. 3. num. 30. & ſequent. lib. 6. cap. 19. num. 58. lib. 5. Oper. imperf. contra eundem num. 25. &c. His omnibus locis eandem ſententiam inculcat, neceſſe eſt, ut bene vel male operemur, prout boni, vel mali fuerimus; ſeu, prout bonum, vel malum magis dilexerimus. Quod ipſum docet etiam expreſſius illud Chriſti effatum exponens Matth. VII. 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere*. Et illud Pauli Apoſt. ad Rom. VIII. 7. *ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec poteſt*. Ad quæ Auguſtinus ita ſcribit lib. 3. contra liter. Petiliani cap. 44. num. 53. *opus, ac vitam ſemper habet bonam bonus, & malam malus*. Et lib. 1. contra Julianum cap. 8. num. 38. *opera nec bona voluntatis malæ, nec mala poſſunt eſſe voluntatis bonæ*. Arbores autem bonæ, aut malæ non ſumus, niſi actionibus deliberatis. Quare delectatio illa, ſecundum quam Auguſtinus ait neceſſe eſſe nos operari, ſeu fructum facere, eſt ipſa dilectio, ſive amor deliberatus. *Non enim amatur, niſi quod delectat*, inquit ille Serm. 159. de verb. Apoſt. cap. 3. num. 3. Atque ut *ſecundum delectationem voluntatis humanæ præcipue judicatur homo bonus, vel malus* (S. Thomas 1. 2. qu. 34. art. 4.) *ſic ex amore ſuo quiſque vivit vel bene, vel male*. (S. Auguſtinus lib. 5. cont. Fauſtum cap. 11.) *Talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt*. (tract. 2. in Epiſt. ad Parth. num. 14.) *Intereſt, qualis ſit voluntas hominis... recta voluntas eſt bonus amor; & voluntas perverſa malus amor... mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus*, (de Civit. Dei lib. 14. cap. 6. & 7. num. 1.) *Unde definitio brevis, & vera virtutis; ordo eſt amoris*. (ibid. lib. 15. cap. 22.) Et quemadmodum *animus velut pondere, amore fertur, quocunque fertur*; (Epiſt. 157. cap. 2. n. 9. & lib. 11. de Civit. cap. 28.) *nec aliquid appetunt ipſa corpora ponderibus ſuis, niſi quod anima amoribus ſuis* (Epiſt. 55. cap. 10. num. 18.) ſic per liberas actiones ſuſcepta, mentique inſita *delectatio quaſi pondus eſt animæ: delectatio ergo ordinat animam*; (lib. 6. de Muſ. cap. 11. num. 29.) ſic tamen, ut *nos ipſos, Deo, & Domino noſtro opitulante ordinemus*. (ibid.) *Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis*. (Epiſt. 157. cap. 2. num. 9.) *Jubemur mutare in melius voluntatem* (lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 84. num. 185.) *mutare amorem, & voluntati carnis voluntatem ſpiritus præponere* (Serm. 344. ex Sirmond. num. 3.) *delectationi carnis delectationem mentis*. (Serm. 159. de verb. Apoſt. cap. 3.

 num.

Digitized by Google

num. 6.) Et , quia jubemur , *poſſumus nunc in hoc , nunc in illud mutata voluntate converti* . (lib. 1. cont. adverſ. Leg. & Proph. cap. 22. num. 47.) *voluntatem mutare in noſtra poteſtate eſt poſitum* . (lib. cont. Adimant. cap. 26. & lib. 1. Retract. cap 22. num. 4.) *Quippe adjuvamur, ut poſſimus* . (in Pſalm. 40. num. 5.) *Hic propoſitus nobis agon , hæc lucta cum carne . . . Sed fidamus , quoniam ille , qui hoc certamen indixit, non ſine adjutorio ſuo ſpectat* : (Serm. 344. num. 1.) *atque in hoc agone ipſas vires , quantas hic habere nos competit ipſe ſubminiſtrat certantibus , quem rogamus* . (Oper. imperf. cont. Jul. lib. 6. cap. 15. & in Pſalm. 143. num. 4. 5. 6.) Denique, loci alii plurimi ſunt, in quibus Auguſtinus cum ſuis, tum ſacræ Scripturæ verbis nos admonet , & exhortatur , ut nos delectent , & magis delectent , quæ bona , quæ juſta ſunt . *Inter omnia, quæ delectant plus, te delectet ipſa juſtitia* . (Serm. 159. cap. 2. num. 2.) *Nec timere debemus , ne . . . dicatur nobis , quomodo voluntate credo , ſi trahor? Ego dico, Parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris . Quid eſt trahi voluptate ? Delectare in Domino , & dabit tibi petitiones cordis tui* . (in Evang. Joan. tract. 26. num. 4.) Neque Auguſtinus , neque Scriptura nos adhortantur , aut adhortari poſſunt ad delectationem non deliberatam , ſed tantum ad deliberatam , quæ nimirum Deo opem ferente in noſtra eſt poteſtate ; & eſt dilectio ipſa, ſive amor juſtitiæ. De quo ut fiat etiam magis perſpicuum loquutum eſſe S. Doctorem , cum dixit ; *Quod enim nos amplius delectat &c.* affero verba , quæ ibidem paulo poſt ſubjungit . *Itaque*, inquit, *ſi ex adverſo exiſtant duo, præceptum juſtitiæ, & conſuetudo carnalis, & utrumque diligitur , id ſectabimur , quod amplius dilexerimus* . Ratio a priori , quam vocant , cur id ſectemur , ſeu cur operemur ſecundum illud , quod amplius diligimus , illa eſt ; quia delectatio indeliberata, etiamſi major ſit, non eſt actus, quo præferatur , ſive eligatur unum præ alio. Quare non poteſt efficaciter voluntatem adjungere , & applicare ad operandum potius ſecundum unum , quam ſecundum aliud .

LXXI. Eſſe adhuc dices , quod contra ſecundam Propoſitionis noſtræ partem poſſit opponi ; locos alios , in quibus Auguſtinus non videatur diſſentire ab Janſenio . Qui cum plurimi ſint , eos ad quatuor capita revocamus ; ſive in quatuor claſſes tribuimus . Primæ claſſis ſunt , quibus Auguſtinus docet , homines primi Parentis culpa liberum arbitrium perdidiſſe. Sic in Enchir. cap. 30. num. 9. *libero* , inquit , *arbitrio male utens homo , & ſe perdidit , & ipſum* . Et in Epiſt. 217. cap. 4. num. 12. ad Vitalem . *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* . Item contra Fortunatum diſput. 2. num. 22. *Poſtquam libera ipſe* (primus homo) *voluntate peccavit , nos in neceſſitatem præcipitati ſumus* . Adempta nobis libertas a neceſſitate , relicta ſolum quæ a coactione . Secundæ claſſis ſunt , quibus docet , gratiam , quæ nunc datur Electis ad perſeverandum , ab ea differre , quæ data eſt Adamo , & eſſe illa longe majorem . Gratiam , quæ data eſt Adamo vocat *Adjutorium ſine quo non* : hoc eſt , ſine quo non poterat Adamus perſeverare : eamque ſimilem dicit alimentis, ſine quibus homo non poteſt vivere , & quibus poſitis , poteſt non vivere , cum poſſit ſe ipſe interficere . Gratiam , quæ datur Electis vocat *Adjutorium quo* , & ſimilem dicit beatitudini , quam qui accipit , non poteſt non eſſe beatus , cum ea ipſa beatus ſit . Hæc in Libro præſertim de Cor. & Grat. cap. 11. & 12. quæ ita concludit num. 38. *ſubventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ , ut divina gratia indeclinabiliter , & inſuperabiliter ageretur , & ideo quamvis infirma non deficeret , neque adverſitate aliqua vinceretur* . Quibus conſentiunt , quæ cap. 14. num. 43. *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle , & nolle in volentis eſt , aut nolentis poteſtate , ut divinam voluntatem non impediat , nec ſuperet poteſtatem* . Et tandem num. 45. *Qui tamen &c. ſine dubio habens humanorum cordium , quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem* . Quæ quidem cohærere videntur cum Janſenii doctrina , & libertatem indiffe-

Digitized by Google

rentiæ, ſive eligendi facultatem homini tollere. Tertiæ claſſis ſunt, quibus Auguſtinus docere videtur, omnem hominis voluntatem, ſive omnem voluntatis actionem eſſe liberam: non poſſe hominem velle, aut nolle, quin velit, aut nolit libere. Sic Lib. 3. de lib. arb. cap. 3. num. 8. *voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate*. Porro ſi in noſtra eſt poteſtate, libera eſt. Quod ipſum dicit aliis pluribus in locis, ac præſertim Lib. 5. de Civit. cap. 9. ubi diſputans de divina præſcientia humanarum actionum libertatem adverſus Evodium ea ratione tuetur, quia *fiunt a nobis, ſi volumus*. Hinc vero ita videntur Janſeniani poſſe concludere. Quando aliquis operatur, prout vult, operatur abſolute, & ſimpliciter libere; operatur, ut ei poſſit id imputari, & quantum ſatis eſt ad meritum, & demeritum: quando autem aliquis operatur tantummodo non coactus, ſeu liber a coactione, operatur, prout vult: igitur quando aliquis operatur tantummodo non coactus, ſeu liber a coactione, operatur abſolute, & ſimpliciter libere; operatur, ut ei poſſit id imputari, & virtuti, aut vitio, merito, aut demerito verti. Major propoſitio videtur certa, minor probatur. Quia licet facultas volendi edat actionem illam neceſſario; non edit tamen illam invita, aut renitens; ſed ſponte, eamque actionem, vel ſignate, ut ajunt, vel exercite vult. Demum ad quartam claſſem pertinent loci illi, quibus Auguſtinus expreſſe dicit, veram libertatem optime cum neceſſitate cohærere, & conſiſtere. Sic Lib. 5. de Civit. cap. 10. num. 1. *Unde*, inquit, *nec illa neceſſitas formidanda eſt nobis, quam formidando ſtoici laboraverunt cauſas rerum ita diſtinguere, ut quaſdam ſubtraherent neceſſitati, quaſdam ſubderent: atque in his, quas eſſe ſub neceſſitate noluerunt, poſuerunt etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſſent liberæ, ſi ſubderentur neceſſitati. Si enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt; quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt, voluntates noſtras, quibus recte, vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe: multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non utique faceremus: quo primitus pertinet ipſum velle; nam ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt: non enim vellemus, ſi nollemus. Si autem illa definitur neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat; neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus, neceſſe eſſe, Deum ſemper vivere, & cuncta præſcire. Sicut nec poteſtas ejus minuitur, ſi dicitur mori, fallique non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, ut potius, ſi poſſet, minoris eſſet utique poteſtatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori, & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod ſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Unde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt, ſic etiam cum dicimus neceſſe eſſe, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem*. Præterea alibi S. Doctor dicit peccata, ac proinde nobis imputanda, & libere facta, quæ committuntur, cogente gravi aliqua tentatione, cui homo reſiſtere nequeat, ſed inſuperabili neceſſitate victus ſuccumbat. Item dicit peccata, quæ fiunt ſub ignorantia invincibili; peccata, motus concupiſcentiæ involuntarios, in quibus omnibus neceſſitas, & inevitabilitas eſt. Et tantum de his omnibus illud addit, eſſe hæc & peccata, & pœnam peccati, nempe originalis. Hi ſunt loci præcipui, quibus Auguſtino convenire ſecum gloriatur Janſenius: atque his omnibus libertatem indifferentiæ ablegare ab hominibus, & antecedentem bene, & male agendi neceſſitatem invehere curat. In quo ipſius doctrinæ cardo vertitur; nec ſine illo ejus ſyſtema de duplici delectatione victrici, principio a nobis expoſitum, ſtare poteſt. Verum refellitur facile.

LXXII. Ad ea enim, quæ in prima claſſe, ſeu capite poſita ſunt, dico,

Digitized by Google

primum hominem qua ratione perdidit ſe ipſum, eadem, & liberum arbitrium perdidiſſe. Nempe non ut ſe ſe, aut illud peccando deſtruxerit; ſed ut ex optimo ſtatu, in qua erant, ad ſtatum valde miſerum, & abjectum redegerit. Qui loquendi modus nobis etiam eſt per quam familiaris. Dicimus enim perdidiſſe ſe ipſum, perdidiſſe familiam ſuam, qui propria imprudentia, aut nequitia ſibi, ſuiſque aliquid gravioris incommodi, aut calamitatis importaverit. Porro calamitas, quæ poſt peccatum cœpit Adamum, ejuſque liberam facultatem, fuit imprimis Concupiſcentiæ rebellis. Ex illo cupiditates ſolutæ rationem prævertunt, rationi repugnant; appetitum ſuperiorem ad malum inclinant, retrahunt a bono. Quod incommodum ſane graviſſimum ad ejus omnem progeniem, poſteritatemque communi lege manavit. Tametſi vero liberum arbitrium, dono integritatis ſublato, deterioris conditionis effectum eſt; neutiquam tamen extinctum dici poteſt: ea nimirum de cauſa, quia Concupiſcentia licet ſoluta rationis imperium neque expectet, neque audiat; non ſic tamen nos rapit, aut inclinat ad malum, ut ei facultas noſtra libera Dei auxilio munita reſiſtere nequeat. Abeſt non ſolum coactio, quæ opponitur ſpontaneo, ſed etiam neceſſitas, quæ opponitur libero. Præterea aliter etiam, & forſitan magis proprie, explicari poteſt, quod Auguſtinus dicit, Adamum peccando liberum arbitrium perdidiſſe. Perdidit enim, quod in ipſo fuit, facultatem agendi ſalutariter, & ut oportet ad vitam æternam. Quippe qui peccando omnino indignum ſe præbuit, cui conferrentur a Deo illa auxilia, quæ ad omnes, & ſingulas ejuſmodi actiones ſunt neceſſaria. Verum non proinde ſeu primus idem Pater, ſeu nos culpa ipſius libertate indifferentiæ caremus, etiam ad opera, quæ ſupra nos ſunt, & ſalutaria. Nam quamvis indignos, in omnibus miſericordia ejus prævenit nos. Præſto eſt gratia, quæ ſupernorum operum, & ad ſalutem æternam pertinentium, proxime potentes nos reddat, eaque nobiſcum, niſi ipſi repugnemus, efficiat. Tandem neceſſitas, in quam Adæ peccato præcipites actos nos dicit Auguſtinus, duplex eſt. Una eſt neceſſitas phyſica; quæ prorſus vinci non poteſt, ea gratia, quæ hominibus dari ſolet in hac vita mortali. Nempe hæc neceſſitas in eo poſita eſt, quod homines, dono, ut dicebam, integritatis amiſſo, ſuapte natura, & conditione inferiorem appetitum identidem experiantur rebellem, & cupiditatibus, ac motibus, pulſentur rationi contrariis. Hæc eadem Auguſtini phraſi dici poteſt, *impoſſibilitas perficiendæ juſtitiæ*. Sic enim in Libro de Nat. & Grat. cap. 62. num. 73. *Eſt*, inquit, *facere juſtitiam in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare: perficere autem, eſt omnino adverſarium non habere*. Et Lib. de Spir. & lit. cap. 3. num. 5. *Nos autem dicimus, humanam voluntatem divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, reſiſtendo concupiſcentiæ carnis, quod hic fieri poteſt; non ea prorſus carendo, quod hic fieri non poteſt; niſi forte miraculo omnipotentiſſimi Creatoris*. Vide plura, quæ de facienda, & perficienda juſtitia ex Auguſtino ſupra retulimus cap. 2. num. 9. Porro hæc & neceſſitas, & impoſſibilitas, cum phyſicæ ſint, nec vinci poſſint, niſi *miraculo omnipotentiſſimi Creatoris*, non relinquunt nobis libertatem indifferentiæ ad eum terminum, quem vel afferunt, vel excludunt. Itaque perficere, aut non perficere juſtitiam, ut id Auguſtinus intelligit; hoc eſt, non tangi, aut tangi cupiditatibus, non inclinari, aut inclinari ad malum, nobis non eſt proprie liberum, ſub libertatem indifferentiæ non cadit. Verum cum hæ affectiones, inclinationeſque animorum, non ſint propie peccata; quod Auguſtinus in hanc neceſſitatem, ſive impoſſibilitatem conjectos nos dicat, eo nihil pro Janſenio, aut contra nos efficitur. Altera neceſſitas, de qua loquitur ibi Auguſtinus, eſt tantum moralis; atque ea gratia, quæ præſto eſt omnibus partim proxime, partim remote, non ſolum vinci, ſed etiam valde minui poteſt. Poſita eſt in difficultate reſiſtendi pravis cupiditati-

tibus, ſive, Auguſtini phraſi, in difficultate *faciendæ juſtitiæ*. Quæ difficultas neceſſitatis, & impoſſibilitatis nomine ſæpe notatur a S. Doctore. Sic in Pſalm. 72. num. 12. ad ea verba verſ. 7. *prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*, cum dixiſſet, ſurta pauperum prodire ex macie, & furtu divitum ex adipe, hæc ſubjungit: *ideo macro cum dicis, Quare hoc feciſti? humiliter afflictus, & abjectus reſpondet: Neceſſitas coegit me. Quare non timuiſti Deum? Egeſtas compulit*. Neceſſitatem, immo & coactionem appellat, quod re vera non eſt, niſi magna difficultas abſtinendi a furto. Similiter in Libro de Spir. & lit. cap. 31. num. 53. *Neque enim dici ſolet quiſpiam poteſtate feciſſe, ſi quid fecit invitus. Quanquam ſi ſubtilius advertamus, etiam quod quiſpiam invitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit. Sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc eſt, nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare, vel a ſe removere facit, quod cogitur. Nam ſi tanta voluntas ſit, ut malit hoc non facere, quam illud non pati; cogenti procul dubio reſiſtit, nec facit. Ac per hoc ſi facit, non quidem plena, ac libera voluntate, ſed tamen non facit, niſi voluntate: quam voluntatem quia effectus conſequitur, non poſſumus dicere, poteſtatem defeciſſe facienti*. Ut vides, cum neceſſitate, ſive impulſu; quo cogimur aliquid facere, componit hic Auguſtinus veram poteſtatem reſiſtendi, & nolendi rem illam effectam reddere. Quare neceſſitatem, & coactionem quam vocat, re vera non eſt, niſi magna difficultas. Quod autem, quæ ſunt ita difficilia, vocet etiam impoſſibilia, conſentaneum eſt proxime dictis, & liquet ex eo ipſo, quod ſcribit Lib. de Nat. & Gratia cap. 43. num. 50. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Ut enim ſupra notavimus, ipſemet hunc locum exponit his verbis cap. 69. num. 83. *Admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Et Lib. de perfectione juſt. cap. 10. num. 21. *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis*. Porro quamvis agatur hic de peccatis, quæ ſunt proprie talia, cujuſmodi eſt conſentire cupiditatibus, cedere inclinationi ad malum, ſive juſtitiam non facere; tamen ne hic quidem eſt, quod pro Janſenio, aut contra nos faciat. Cum enim hæc neceſſitas, & hæc impoſſibilitas morales ſint tantummodo; nec deſit gratia, qua vinci ſalutariter poſſit; libertas indifferentiæ ad bene, & male merendum cum ipſis optime ſtat, & componitur.

LXXIII. Ad ea, quæ ſecundo loco objiciuntur, reſpondeo, ex mente Auguſtini poſſe gratiam, quæ datur Electis, ſeu Perſeverantibus, & differre multum ab ea, quæ data eſt Adamo, & longe ipſi præſtare, libertate indifferentiæ prorſus incolumi. Sic etiam nos experimur, adhortationes, ſuaſiones, conſilia eſſe poſſe apud nos alia!, & alia, majoris, & minoris ponderis, quin ulla inſuperabili neceſſitate libertatem noſtram adſtringant; ſive, eligendi facultatem nobis eripiant. Præſtantia autem gratiæ, quæ nunc ſanctis, ac Prædeſtinatis tribuitur, in his potiſſimum conſiſtit. Primum, quod Deus per hujuſmodi gratiam det etiam *ipſum velle*; quod, ut expendimus in Appendice diſput. 1. par. 4. num. 40. & 41. Dei donum ſpecialiſſimum eſt, nullo libertatis humanæ detrimento, ex æterno decretum, ac prædefinitum. Deinde, quod eadem gratia, cum ſpectet non ſolum ad elevandam hominum facultatem ad actiones, quæ ſupra naturam; ſed etiam ad eos roborandos, & confirmandos adverſus Concupiſcentiam, ſive appetitum rebellem; pugnatrix, ut ita dicam, ac bellatrix eſt, eaque habitudine, & indole utique differt ab ea gratia, quæ data eſt primo homini, cum nullis ejuſmodi difficultatibus laboraret; & quod conſequens eſt, multo eſt fortior, quam illa, & longe plus poteſt, & valet: Tertio, quod auxilia, quæ nunc conferuntur Electis, eo etiam prætermiſſo, quod dantur ad pugnam, fortaſſe Auguſtini ſententia, ſunt viviora, uberiora, & ut ajunt intenſiora; majorque ipſis energia, vis, efficacitas ineſt. Nullum autem ex his tribus pu-

gnat cum libertate indifferentiæ. Jam quod ſpectat ad *Adjutorium quo*, de illo dictum eſt ſupra in hoc ipſo Tractatu, præſertim in Append. diſput. 2. par. 4. num. 48. Quæ quidem non retexo, aut revoco; ſed addo alia, ut quique eligat, quod ſibi probabilius videbitur; & planius fiat, quam neceſſe non ſit illud explicare in ſententiam Janſenii. Ergo Adjutorium quo Auguſtinus cum beatitudine comparat, ejuſque ſimile dicit. Sed ut fieri in exemplis, & comparationibus ſolet, non contendit hæc inter ſe habere omnem prorſus ſimilitudinem, ſed tantummodo aliquam: nimirum illam, quod ſicuti beatitudo donum eſt ſpecialiſſimum Dei, & hominem reddit beatum, ac ſine illa beatus eſt nemo: ſic Adjutorium quo ſit Dei donum pariter ſpecialiſſimum, hominem recte, & ſalutariter operantem, ac perſeverantem efficiat; ac ſine illo talis ſit, aut ita ſe habeat nemo. Non contendit autem in eo etiam eſſe ſimilia, quod ſicuti beatitudo non ſtat in actibus liberis, neque cum libertate indifferentiæ; ſic Adjutorium quo, ut in illud includitur ipſum Velle, non ſtet in actu libero, neque cum indifferentiæ libertate. Cæterum ſi conſideretur totius orationis contextus, quæ continetur iis capitibus de Corrept. & Grat. duplex Adjutorium quo ſcholaſtice poteſt diſtingui: ut primum ſit divina vocatio, qua homines ſancti excitantur, ac moventur a Deo ad bene operandum; alterum vero ſit bona ipſa operatio, qua Deo vocanti obſequuntur. Vocatio, ſub qua ſancte operantur, appellari poteſt, Adjutorium quo in actu primo. Sancta vero ipſa operatio, ſeu voluntatis aſſenſio, qua vocationi obedientes ſe præbent, Adjutorium quo in actu ſecundo. Atque hoc poſterius eſt illud, quod S. Doctor ſimile dicit beatitudini. Ut id ita interpreter, & diſtinguam his adducor: quod ibidem Auguſtinus Adjutorium quo vocat *ipſum Velle*. Paulo poſt autem divinam ipſam vocationem videtur ſimiliter appellare Adjutorium quo: ac per illud dari ſanctis ait, poſſe ut velint. Vocatio autem, & poſſe pertinent ad actum primum. Verum quomodocunque Adjutorium hoc accipiatur, ex dictis nulla ratione officit libertati. Nam ut eſt actus ſecundus, evitabile eſt, ac fieri poteſt a nobis, ne ſit; cum ſit ipſamet actio libera, ſive ipſa voluntatis aſſenſio. Ut vero eſt actus primus, non eſt connexus intrinſecus cum illa actione, ſive aſſenſione voluntatis. Concluſio quæ in hac oppugnatione additur ex Auguſtino, *ſubventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ &c.* difficultatem habet in illis particulis, *indeclinabiliter*, *&* *inſuperabiliter*. Has vero intelligendas pariter dico non de omni prorſus indeclinabilitate, & inſuperabilitate; ſed tantum de aliqua; atque ea quidem, quæ rei conveniat, de qua ibi eſt ſermo; nimirum Adjutorio quo, nam de hoc ibi loquitur S. Doctor. Quoniam igitur, ut diſtinximus, hoc duplex eſt, alterum quidem actus primi, alterum vero actus ſecundi; utrumque nobis indeclinabile, & inſuperabile eſt aliqua vera ratione, quæ tamen libertati minime noceat. Etenim vocatio ſancta, quæ eſt Adjutorium quo in actu primo, eſt nobis indeclinabilis, & inſuperabilis, quia non poſſumus eam evitare, aut impedire, ne nos afficiat intrinſecus, ne nos excitet, & alliciat ad recte operandum. Eadem vero declinabilis, & ſuperabilis eſt, quia poſſumus illi pro noſtro arbitrio repugnare, vel obſequi; diſſentire, vel aſſentire. Aſſenſus vero ipſe, ſive operatio ſancta, quæ eſt Adjutorium quo in actu ſecundo, ea ratione indeclinabilis, & inſuperabilis eſt, quia fruſtrari non poteſt divinam voluntatem efficacem, ſeu divinam prædefinitionem de ipſomet voluntatis aſſenſu, & operatione ſancta; nec falſam reddere poteſt divinam præſcientiam, ſive abſolutam, quæ prædefinitionem ſequitur, ſive conditionalem, quæ prædefinitionem antecedit, ac dirigit. Eadem vero ſancta operatio, ſive aſſenſio, declinabilis, ac ſuperabilis eſt, quia, ut oſtendimus in tertio, & quinto Syſtemate, & in Appendice, facultas volendi noſtra, etiam ſub ea prædefinitione, & præſcientia retinet proximam poteſtatem conſentiendi, aut diſſentiendi; cooperandi gratiæ, aut non coope-

ran-

Digitized by Google

randi ; ac proinde determinandi, aut non determinandi tale Adjutorium. Quare indeclinabilitas, & inſuperabilitas Adjutorii quo in actu ſecundo, eſt indeclinabilitas, & inſuperabilitas conſequens, quæ libertatem non lædit. Hac vero contentus eſt Auguſtinus; quippe qui nihil aliud ibi videtur explicare, & conficere velle, quam eſſe Deum & ſecuriſſimum de futuro illo creatæ voluntatis aſſenſu, & ad eum obtinendum omnipotentiſſimum. Atque exinde habes, quid reſpondeas reliquis, quæ in hac ſecunda claſſe contra nos afferuntur. Nimirum, *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtere arbitrium*. In Deo enim volente ſalvos nos facere duo ſunt diſtinguenda, voluntas ſive propoſitum, & auxilia, quibus mediis obtinet quod ſibi propoſuit. Utique divinæ voluntati efficaci; ſeu divinæ prædefinitioni non poteſt reſiſti; eaque per ſe, intrinſecus, metaphyſice connexa eſt cum opere bono. Sed cum auxilia, quæ adhibet ad illud obtinendum ſint indifferentia, hoc eſt, talia quibus poſſit reſiſti; & ſcientia media, quæ divinæ illi voluntati prælucet, impediri poſſit a voluntate creata, ſeu fieri, ne ſit; propterea libertati indifferentiæ non eſt contraria.

LXXIV. Sed eſſe videtur in eodem loco de Cor. & Grat. quod ad hanc oppugnationis partem addi poſſit. Nam cap. 11. num. 32. hæc ſcripſit Auguſtinus. *Nunc autem quibus deeſt tale Adjutorium* (ſine quo non) *jam pœna peccati eſt*: *quibus autem datur*, *ſecundum gratiam datur*, *non ſecundum debitum*. Sunt igitur aliqui, quibus adjutorium hoc deeſt, quod cum neceſſarium ſit ad bene merendum, deeſt iiſdem libertas ad bene merendum neceſſaria. Verum nihil hic contra nos: damus totum. Nam certe Damnatis deeſt poteſtas, ac libertas agendi ſicut oportet ad Salutem. Item amentibus, aut alio morbo laborantibus, quo ſui compotes non ſint. Denique, ſi ita vis, etiam aliquibus ſanis; ſed obduratis, & obſirmatis in malo ſaltem ad aliquod tempus. De quo tamen ultimo ambigunt doctores Catholici. Eaque ſanctorum Patrum doctrina, & communi Fidelium perſuaſione, videtur eſſe præſentis providentiæ ratio; ut, quamdiu ſupereſt vita, detur pœnitentiæ locus, & auxilium tempore opportuno ad eam agendum non denegetur. Denegat quidem his ſæpe Deus, propter commiſſa peccata auxilium efficax, & congruens; non vero auxilium ſufficiens. Iidemque phyſice poſsunt reſipiſcere, & ad bonam frugem converti; ſi ob depravatos, corruptoſque mores, non poſsunt id moraliter. Et quoniam adverſarii duobus his capitibus de Cor. & Grat. tantopere fidunt, antequam ad tertiam oppugnationis partem confutandam accedo, breviſſime oſtendo, illos inconſiderate, & imperite facere, quod ad ea tam ſæpe nos provocent: ſumi nempe inde poſſe argumenta pro nobis, & contra ipſos firmiſſima. Primum, quia hoc ibi eſt cap. 11. num. 32. Adam, & Angelos, ſi non habuiſsent Adjutorium ſine quo non; & cecidiſsent, *non utique ſua culpa cecidiſſent*. Atqui cecidiſsent per actum voluntatis, ac proinde per actum a vi, & coactione liberum. Libertas igitur a vi, & coactione non ſufficit ad proprium, &, ut ajunt, perſonale peccatum. Iterum alia via. Angeli, niſi habuiſsent ejuſmodi Adjutorium, ſine culpa cecidiſſent: etiam nunc igitur homines nulla ſua propria culpa cadunt, qui Adjutorio illo carent. Atqui illi omnes, qui cadunt, non ſine propria ſua culpa cadunt: illud igitur habent, ac proinde habent ſufficientiam, ſeu quod ſatis, ne cadant, habent libertatem indifferentiæ: Deinde ibidem num. 32. dictum de Adamo: *poſſe permanere*, *ſi vellet*. Illud ſi vellet, ut vidimus ſupra cap. 4. num. 25. ſignificat poteſtatem volendi, & non volendi. Idem igitur dicendum de ſimili modo loquendi, quem S. Doctor uſurpat aliis in locis, ac præſertim qui in tertia claſse paulo poſt explicandi. Tertio, quia Adamus habet gratiam, quam Auguſtinus ibidem vocat *magnam*, eaque munitum Adamum *fortiſſimum* dicit. Sed enim gratia illa ſtetit cum poteſtate peccandi: quin igitur cum ſimili poteſtate non ſtet gratia noſtra; etiamſi aliquanto ſit fortior: eo ſenſu, quem paulo ante expoſuimus? Profecto nobis eſt diffi-

ci-

cilius non peccare; cur igitur peccare non ſit poſſibile? Quarto, Angeli boni, de quibus dicitur cap. 11. num. 32. *qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt*; utique habuerunt libertatem indifferentiæ. Atqui ſimul habuerunt Adjutorium quo, tum in actu primo, tum in actu ſecundo; nimirum & congruam vocationem, & ſanctam operationem: neque nunc igitur tale Adjutorium, quomodocunque explicetur, pugnat cum libertate indifferentiæ. Quinto Angeli illi boni non poſsunt utique gloriari de aſsenſione, & operatione ſua, quæ certe quidem fuit Dei donum, ac beneficium ſpeciale. Præterea efficaciter voluit illos Deus ſalvos eſse, & in Electorum numero: ipſorumque bonum opus ab æterno præſcivit: neque illi poterant ſeu fallere divinam præſcientiam, ſeu declinare, aut ſuperare efficacem Dei voluntatem. Quare quæ adverſarii nobis objiciunt, diluenda & ſolvenda ſunt ipſis in Angelis ſanctis. Sexto, denique exemplum a S. Auguſtino deſumptum ex alimentis ad explicandum Adjutorium ſine quo non &c. probat, eos ſaltem qui nunc peccant, ac divinæ vocationi reſiſtunt, non carere libertate indifferentiæ. Quo circa hæc libertas non fuit ſolius naturæ integræ. Mitto alia plura, quæ reputanti omnia, quæ ibi tradit Auguſtinus, facile occurrent.

LXXV. Venio jam ad ea, quæ ſunt tertiæ claſſis. Sed prius ex communi omnium doctorum, & ſapientum conſenſu ſic ſtatuo: ad libertatem indifferentiæ neceſse eſse, hæc tria ſimul concurrere. Primum eſt poteſtas, ſive ut ajunt, potentia ad unum terminum. Alterum eſt potentia ad alium terminum; ſive negantem, qualis eſt omiſſio primi; ſive affirmantem, primo oppoſitum. Tertium eſt poteſtas, ſive facultas eligendi, ſeu determinandi alterum præ altero; hoc præ illo, illud præ hoc. Quare ad hujuſmodi libertatem ſatis non eſt potentia receptrix duplicis termini oppoſiti; qualis eſt in pariete, qui alieno arbitrio, & opera, poteſt recipere diverſos, & contrarios colores; & qualem pro ſtatu naturæ lapſæ finxit in homine volendi facultatem Lutherus, in quam, velut inanime quoddam, ac mere paſſive ſe habentem, actus bonos a Deo volebat infundi. Sed neque ſatis eſt duplex poteſtas activa effectrix ſive unius, ſive duplicis termini. Qualis, pro ſtatu pariter naturæ lapſæ, opinione Calvini, & Janſenii, eſt in homine facultas volendi; quam tum actus bonos præponderante delectatione cœleſti, tum actus malos præponderante delectatione terreſtri, volunt re vera producere. Sic eadem facultas in Beatis eſt poteſtas activa producendi amorem erga Deum; atque ipſa eadem ſecundum ſe, eſt ſimul poteſtas omittendi talem actum, ac producendi oppoſitum. Neque tamen in illa eſt libertas indifferentiæ, ſeu libertas a neceſſitate ad amorem eos beantem. Item in Sole eſt poteſtas activa, ſeu vis effectrix caloris, & lucis; quin tamen poteſtas libera ſit ad terminos illos. Ea nimirum de cauſa, qua deeſt his tertium illud, quod diximus; nempe vis, & facultas eligendi, ſeu determinandi unum præ alio. Propter hæc tria, ac præſertim propter hoc tertium libertas hujuſmodi dicitur libertas a neceſſitate, libertas indifferentiæ, libertas arbitrii; &, ſi abſolute loquamur, hæc eſt, quæ ſubeſt, ac venit ſub nomine libertatis. Immo hoc eſt, quod Auguſtinus intelligit nomine voluntatis, cum in locis nobis objectis in hac tertia claſſe, tum alibi ſæpe. Facultatem ſcilicet eligendi; ſeu poteſtatem proximam, & expeditam volendi, & non volendi, pro volentis, aut non volentis arbitrio, ac determinatione. Quo poſito veriſſime dicitur, ſi quis vult, velle libere, & quidem libertate indifferentiæ: quia ſi vult, voluntate utique vult, ac proinde vult cum libera poteſtate nolendi, arbitrio atque electione ſua. In quibus libertas eſt indifferentiæ; ſive abſolute libertas. Quod autem hoc ſit ſecundum mentem, & phraſim Auguſtini pluribus demonſtratur. Primum, quod ita fert communis loquendi modus apud homines uſitatus. Sic enim ad ſignificandam plenam libertatem, qua quidpiam agimus, ſive operamur, loqui ſolemus: Hoc libere feci, quia facere volui; hoc eſt, quia volui, cum nolle

po-

Digitized by Google

potuiſſem ; cum potuiſſem id arbitratu meo omittere , aut contrarium velle . Hac mente , hoc ſenſu ſe loqui fatebuntur omnes , niſi Janſeniani , aut Calviniani fuerint . Quapropter ab omnibus , tanquam abſurdæ , & abſonæ hæ propoſitiones : *Pater æternus habet in ſua poteſtate , in ſua voluntate ſpirare Spiritum Sanctum* : ſive , *Producit Spiritum Sanctum , ſi velit* . Nimirum quia ſignificant non ſolum libertatem a coactione ; verum etiam indifferentiæ : non ſolum poteſtatem ad ſpirandum , ſeu producendum ; ſed etiam poteſtatem ad non ſpirandum , & non producendum , & quidem ſuapte electione , & arbitrio . Præterea , quia id ipſum infertur ex verbis in oppugnatione citatis , nempe illis : *voluntas ergo noſtra , nec voluntas eſſet , niſi eſſet in noſtra poteſtate* . Voluntatem enim noſtram in noſtra eſſe poteſtate apertiſſime ſignificat facultatem eligendi , ſeu determinandi : hoc eſt , nos habere expeditam poteſtatem volendi , & non volendi , prout nobis collibuerit . Tertio , quia ibi jam Auguſtinus ab adverſariis evicerat , & nominatim ab Evodio , eſſe in hominibus libertatem indifferentiæ . Quare , ea poſita , & conceſſa , nomine voluntatis in eo tertio Libro jam veniebat voluntas prorſus libera . Poſtremo , quia ſi aliter dicimus , a ſe ipſo diſſidentem , dictiſque a ſe alibi ſæpiſſime , ac diſertiſſime , repugnantem facimus S. Doctorem . Argumentationis , qua tertia hæc pars oppugnationis ſcholaſtica forma concluditur , eadem differendi forma diſtinguo majorem propoſitionem . Si particulæ illæ , *prout vult* (& idem dico de aliis ſimilibus , *ſi vult , quando vult , cum vult &c.*) ſignificant poteſtatem volendi , & non volendi ſolutam , atque expeditam ; ideſt , præter poteſtatem , ſeu virtutem activam producendi actus voluntatis proſequentem ſcilicet , & averſantem ; etiam poteſtatem electivam , ſeu vim , facultatemque eligendi utrumlibet ad arbitrium ; concedo majorem propoſitionem . Si vero particulæ illæ ſignificant duntaxat facultatem activam volendi , & facultatem activam nolendi , ſine tertia facultate , quæ eſt eligendi ; ſeu volendi , aut nolendi ad arbitrium ; nego majorem : & , in eandem ſententiam diſtincta minori , nego conſequentiam , & alia , quæ his attexuntur . Recole doctrinam paulo ante traditam de triplici facultate , qua continetur libertas indifferentiæ , ſeu libertas , quæ talis ſit , & dicatur abſolute , & ſimpliciter .

LXXVI. Ad ea , quæ afferuntur quarto loco , reſpondeo , hæc , ſi recte expendantur , pro nobis , non contra nos facere . Ibi enim totus eſt Auguſtinus , ut oſtendat Evodio , non omnem neceſſitatem libertati adverſarii : quippe cum eſſe poſſit neceſſitas una ratione , quin talis ſit alia . Quod exemplo Dei , arbitriique noſtri declarat . Deus enim eſt perfectiſſime liber , quamvis neceſſe ſit , eum non mori , & neceſſe itidem ſit eum omnia præſcire . Sic etiam libere volumus nos , quamvis neceſſe ſit , ut , cum volumus , libero velimus arbitrio , ſeu libera volendi facultate . Præterea , ut id ipſum explicet , diſtinguit inter neceſſitatem , quæ non eſt in noſtra poteſtate , ut eſt neceſſitas moriendi , & neceſſitatem , quæ eſt in noſtra poteſtate ; & non hanc , ſed priorem illam dicit eſſe inimicam libertati . Neceſſitatem vero ſecundi generis , ſeu quæ in noſtra eſt poteſtate , eam videtur dicere , qua neceſſe eſt , præſcire Deum actiones noſtras liberas ; ſeu quas edituri libere ſumus . Quæ omnia veriſſima ſunt , & doctrinæ noſtræ optime congruunt . Hæc enim eſt noſtra doctrina : quæ facturi libere ſumus ideo prævideri a Deo , quia ea facturi libere ſumus . Eſſe in ea præſcientia neceſſitatem , & metaphyſicam quidem , ſed ejuſmodi , quæ a nobis impediri , ſeu evitari potuerit ; quæ in noſtra eſt poteſtate , quam ipſimet nobis libere facimus . Immo his in locis Auguſtinus videtur jeciſſe ſemina celebris illius diſtinctionis inter neceſſitatem antecedentem , quæ pugnat cum libertate , & neceſſitatem conſequentem , quæ adeo non eſt libertati contraria , ut ex ipſa libertate naſcatur . Neceſſitas eſt , quam ipſimet nobis , ut dixi , libere facimus . Nomina vero *antecedenten-*

dentis, *&* *conſequentis neceſſitatis* primus uſurpavit Anſelmus Lib. 2. Cur Deus Homo Cap. 18. & de Concord. Præſcient. Cap. 3. & ex illo deinceps Scholaſtici omnes.

LXXVII. Jam quod alterum additur, de peccatis ex ignorantia commiſſis hæc ſcribit Auguſtinus lib. 3. de Lib. Arb. cap. 19. num. 53. *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras*. Et num. 54. *Nam illud, quod ignorans quiſque non recte facit, & quod recte volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus: non ſolum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud, quod hujus membri motum conſequitur, ideſt formam, tenoremque verborum; ſecundum quem modum dicitur alia lingua Greca, alia Latina: ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, & ab ſciente committitur; ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt*. Ex quibus habes, Auguſtini ſententia, ignorantiam, ſi invincibilis ſit, excuſare a proprio; & formali peccato. Secus vero, ſi ſit vincibilis, & quod plus eſt, ſi ſit affectata. Auguſtinus ibid. cap. 22. num. 64. *Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum: ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit*. Mitto alia. Vide Propoſitionem ſecundam ex una, & triginta confixis ab Alexandro VIII. Item peccata propria, & formalia non ſunt, quæ præterea in oppugnatione notantur. Sententia eſt Auguſtini pluribus in locis luculenter expreſſa. Ex his plures in ſuperioribus dedimus. Hic unum illud repetam ex tertio de Lib. Arb. cap. 18. num. 50. *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene: Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt: quis enim peccat in ea, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt*. Vide primam Propoſitionem ex una, & triginta proxime commemoratis: itemque Propoſitiones Baj 50. 51. 74. 75. 76. &c. Hæc Janſenianorum oppugnationibus confutandis. Sunt quædam præterea eorundem effugia; ſed vana, & irrita: quæque anno 1705. præcluſa, & coercita ſunt a Clemente XI. in Conſtitut. *Vineam Domini Sabbaoth &c.* De his etiam dicemus aliquid in Tract. de Eccleſiaſtica Hierarchia, ubi de auctoritate Eccleſiæ, & Romani Pontificis in quæſtionibus Facti. Interea quod mihi hic propoſitum fuit, oſtendere perpetuum Janſenii conſenſum cum hæreticis, & maxime cum Calvino; diſſenſumque item perpetuum a Doctrina Catholica; & potiſſimum ab Auguſtino, cum generatim in ipſius Janſenii Syſtemate, tum partite, & diviſim in quinque ejuſdem Propoſitionibus, perfeciſſe me arbitror. Cæterum ad pleniorem Doctrinam, eruditionemque veſtram vobis

Legendi præcipue Dionyſius Petavius Theolog. Dogmat. tom. 1. & 3. Antoninus Moraines; ſeu proprio nomine, Joannes Martinonus in Anti Janſenio, Joannes Ripalda de Ente ſupernatur. tom. 3. Franciſcus Annatus Opuſcul. de Grat. tom. 3. Stephanus Dechamps de hæreſi Janſeniana, Thyrſus Gonzalez in diſput. ſelect. Jacobus Platelius Synopſ. Theolog. par. 2. & 3. Dominicus Viva Theſ. damnat. tom. 1. & 2. Edmundus Simonnet. Inſtit. Theolog. tom. 2. tract. 6. Honoratus Tournely in Prælect. Theolog. tom. 1. & 2. de Grat. Jacobus Fontaine Conſtit. *Unigenitus &c.* Theologice propugnat. Eduardus de Vitry in Concluſionibus de Grat. Dei, & Lib. Hominis Arbitr. Cadomi impreſſis anno 1716. Cardinal de Biſſy Tract. Theolog. tom. 1. & 2. & in Inſtruct. Paſtor. Philippus Labbæus Bibliotheca Anti Janſeniana.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII CASINI
E SOCIETATE JESU
ENCYCLOPÆDIA
SACRÆ SCRIPTURÆ
SIVE

Selectæ in omni ſcientiæ, & doctrinæ genere
Quæſtiones ex ſacris potiſſimum
Literis enodatæ.

VOLUMEN SECUNDUM
PARS SECUNDA.

VENETIIS, MDCCXLVII.
APUD MODESTUM FENTIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ENCYCLOPÆDIÆ BIBLICÆ

PARS SECUNDA.

TRACTATUS V.

DE DUPLICI HIERARCHIA

Cœleſti ſcilicet, & Eccleſiaſtica.

CUM tractationis hujus, ut titulus ipſe præſefert, duæ futuræ ſint partes, agam in prima non ſolum aut generatim de Angelis, aut ſpecialiter de Angelis ſanctis; ſed etiam de Dæmonibus: ut de illorum peccato, de præſenti, & futura ipſorum ſorte, deque eorundem poteſtate, & actione in homines, in elementa, reſque alias corporeas. Tum quia dæmones cœleſtis Hierarchiæ pars olim fuere (Judæ 6. Apoc. XII. 4.) ex eaque exciderunt; tum quia Hierarchiæ nomen tametſi *principatum* non cujuſquemodi, ſed *ſacrum* proprie ſignificet, uſu tamen latius patet, aptaturque omni hominum, ac perſonarum cœtui, in quo ſint certi gradus, & ordines, diſtributaque miniſteria, atque munia. Sic etiam, & meliori quidem jure in altera parte tractatus non tantum diſſeram de Romano Pontifice, de Cardinalibus, & Romanis Congregationibus, de Epiſcopis, de Presbyteris, de religioſis Ordinibus &c. verum etiam de Romano Imperatore, & Romani Imperii Electoribus, de Regibus, ac cæteris, quæ vocantur, ſæculi Poteſtatibus. Quoniam in his omnibus vere eſt aliquid ſacri, & ad Eccleſiæ Hierarchiam ſuo modo quique pertinent. Hæc vero, ut ex prima Propoſitione mox apparebit, tractabo breviſſime, & ex ſacris potiſſimum Literis, in quibus partim expreſse, & apte, partim adumbrate, & abſcondite reperiuntur.

Digitized by Google

TRACTATUS QUINTI

PARS PRIMA.

De Cœleſti Hierarchia.

PROPOSITIO I.

Eſſe Angelos, dogma eſt Catholicæ Fidei; idemque rationi, ſeu naturæ lumini, non tantum negativè, ſed etiam poſitivè eſt maximè conſentaneum.

PRobatur primum. Id omne eſt dogma catholicæ Fidei; ſeu credendum eſt omnibus Fide divina, quod certum eſt contineri in divina vel Scriptura, vel Traditione; ſeu verbo Dei, vel ſcripto, vel tradito. Certum vero eſt contineri verbo Dei vel ſcripto, vel tradito quicquid habet unum ex his quatuor: nempe, vel manifeſte reperitur in aliquo ex iis libris, quos Eccleſia *integros cum omnibus ſuis partibus* (Trid.) nobis proponit, tanquam divinos; vel definitum eſt in aliquo Concilio approbato a ſummo Pontifice; vel definitum ab ipſo ſummo Pontifice ex Cathedra loquente; vel docent ſancti Patres unanimi conſenſu. Jam verò cum unumquodque ex his quatuor ſatis ſit, ut habeatur tanquam certum, eſſe aliquid revelatum a Deo vel ſcripto, vel voce, ac proinde Fide divina credendum ſit; in Angelis concurrunt, & quidem luculentiſſime, & locupletiſſime hæc omnia. Nam primo, eſſe Angelos, res eſt maxime clara, & teſtata in omnibus utriuſque Fœderis Libris, a primo, qui eſt liber Geneſis, ubi hoc expreſſum eſt in locis amplius duodecim, ad ultimum, qui eſt liber Apocalypſis, ubi eſt id ipſum non minus expreſſe in locis amplius ſeptuaginta. Deinde idem ſancitum eſt in Conciliis Nicæno I. Conſtantinopolitano I. Chalcedonenſi, C.P. II. Nicæno II. Lateranenſi IV. Lateran. V. quæ fuerunt Synodi Generales prima, ſecunda, quarta, quinta, ſeptima, duodecima, decimaſeptima. Præterea eſt idem in ſummorum Pontificum decretis, ut Vigilii, Zachariæ, Alexandri, & aliorum. Ac liquido apparet ex Ordine, ſive officio atque gradu exorcizandi, qui eſt in Eccleſia. Quarto denique illuſtratum, ac propugnatum fuit ab omnibus Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus; inſignius vero a Dionyſio Areop. ab Juſtino Mart. ab Irenæo, a Cypriano, Athanaſio, Hilario Pictav. Baſilio Magno, Gregorio Naz. Ambroſio, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, Gregorio Magno, Beda, Anſelmo, Bernardo, & Scholæ Principibus, Thoma, Bonaventura, Scoto. Mitto recentiores, qui de Angelis copioſius, & accuratius ſcripſere, quos non ſub quaque Propoſitione, ne iidem ſæpe nominentur, ſed in fine hujus primæ partis percenſebo.

Probatur quod fuit ſecundum. Nam quod ſint Angeli non ſolum nihil habet, quod rectæ rationi repugnet, ſed poteſt ex ea confici perquam ſolide, & efficaciter. Ut ex perfectione, & pulchritudine hujus univerſitatis; ex natura ſummi Boni, cui quamvis ſit liberum, eſt tamen valde conveniens, ſe ſe extra ſe ipſum large impertire, & diffundere; & ex ſimilibus. Probatur etiam, ut ajunt, a poſteriori. Siquidem eſſe Angelos ii ſolum negant, qui Deum eſſe negant. Vel qui nihil fere admittunt, niſi quod oculis cernunt. Quales olim fuerunt Sadducæi (Act. XXIII. 8.) & nunc Libertini (Prateol. &c.) Cæterum Ethnici & Poe-

Digitized by Google

Poetæ, & Philoſophi, qui ſapientiores habiti ſunt, ut Orpheus, Heſiodus, Thales, Empedocles, Pherecydes, præſertim vero Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles eſſe Angelos non obſcure docuerunt. Quod quidem licet ex Scriptura, & Traditione, quæ apud Hebræos, accipere potuerint; id tamen non amplexi eſſent tanto conſenſu, niſi naturali etiam ratione in eam ſententiam adducti fuiſſent. Legatur, quibus argumentis eſſe Mentes, ſive Subſtantias ſeparatas lib. 8. Phyſic. & 12. Metaph. approbet Ariſtoteles. Locos ſelectiores ethnicorum de Angelis habetis ex Veteribus apud Moſem Majemonidem lib. 11. More Nebochim cap. 6. ex recentibus vero apud Dionyſium Petavium Theol.Dogm.tom.3. lib. 1. cap. 1. Legendus etiam Stephanus Bubali Comm. Angelic.art.1.quæſit.1. & 2.

PROPOSITIO II.

Hæc pariter ſunt Catholicæ Fidei dogmata; quod Angeli ſint intelligentis naturæ, ac liberi arbitrii; quod natura præſtent hominibus; quod facti ſint a Deo; quod facti non ex neceſſitate, ſed liberè; quod facti non ex æterno, ſed ex tempore.

PRobatur primum; ſiquidem in ſacris Literis ubicunque Angelorum ſit mentio, quod frequentiſſimum eſſe diximus, inducuntur vel colloquentes, controverſantes, concilia, & conventus agentes inter ſe, ut III. Reg. XXII. 19. 22. Job. 1. 6. II. 1. Dan. x. 13.20. Zach. I. 11. II. 4. Judæ 9. &c. Vel alloquentes, & docentes homines, ad eoſque Dei mandata perferentes, ut Jud. II. 1. VI. 11. XIII. 3. Dan. IX. 21. Matth. 1. 2. Luc. 1. 10. 26. &c. Præterea memoratur Angelorum peccatum, ac pœna, Job IV. 18. Iſa. XIV. 12. Ezechiel. XVIII. 15. Luc. x. 18. Joan. VIII. 44. II. Petr. II. 4. Judæ 6. &c. Dividuntur in bonos, & malos. Deuter. XXXIII. 11. Eſdr. IX. 20. Job v. 27. Pſalm. lxxvII. 49. Matth. xxv. 41. Apocal. XII. 7. 8. &c. Dicuntur qui mali ſunt, tentare homines, & ſuadendo, & inſtigando ad malefaciendum impellere: Gen. III. 1. Sap. II. 24. Matth. IV. 3. 1. Petr. v. 8. &c. Qui autem boni, dicuntur advigilare ad hominum, regnorum, rerumque aliarum cuſtodiam: Pſal. xc. 11. Dan. x. 13. 20. 21. Zachar. 1. 11. IV. 10. Matth. XVIII. 10. Act. XII. 15. &c. Ante Dei ſolium aſſiſtere: Tob. XII. 15. Iſa. lxIII. 9. Dan. VII. 10. Luc. 1. 19. Apoc. IV. 5. &c. Ei preces noſtras offerre: Tob. III. 25. XII. 12. Apoc. v. 8. &c. Illum ipſi etiam deprecari pro nobis: Pſal. XXXI. 6. Zach. 1. 12. II. Machab. XV. 14. ex Concil. Senonenſi decr. 13. &c. Ejuſdem ſanctitatem, ſapientiam, juſtitiam, & laudes cæteras hymnis, & canticis celebrare; Iſa. VI. 3. Apoc. IV. 8. &c. Eum denique aperte intueri; Matth. XVIII. 10. Præterea Job XII. 19. Iſa. lxIII. 9. Hebræ. XII. 22. 1. Petr. 1. 12. Quibus omnibus Scripturæ locis natura intelligens ac liberum arbitrium partim proximè infertur, partim proprie, & expreſſe ſignificatur.

Immo iiſdem ſignificatur etiam non minus aperte natura præſtantior noſtra; quod erat ſecundum. De hoc tamen illa ſunt peculiariter. Pſal. VIII. 5. 6. *Quid eſt homo* &c. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Hebr. II. 9. *modico quam Angeli minoratus eſt*. Adde, quod eſt II. Petr. II. 11. *Angeli fortitudine, & virtute, cum ſint majores*. Et quod Job XLI. 24. de Satan. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei* &c. Et quod Matth. XI. 11. *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno Cælorum, major eſt illo*. Sic autem in Codice Encyclio Concilii Chalcedonenſis par. 3. epiſt. 32. *Secundæ poſt Deum poteſtates Angelicæ*, ce-

cœleſteſque virtutes. Legendus de hoc Suarez lib. 1. de Angelis cap. 1. a num. 4. E Simonnet in eodem tract. diſp. 1. art. 3.

Probatur tertium. Quia in ſacra Scriptura inter res omnes creatas, quæ ad Deum dominum, & conditorem ſuum laudandum invitantur; etiam Angeli, & quidem primi nominantur. Sic in Pſalm. cxlviii. 2. & in Cantico trium Puerorum Dan. iii. 58. &c. Expreſſius Paulus Apoſtolus ad Col. 1. 16. loquens de Filio Dei: *Quoniam*, inquit, *in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. Hinc in Symbolis Nicæno, & C. P. *Credo in unum Deum &c. omnium viſibilium, & inviſibilium factorum*. Et in Concilio Lateranenſi IV. cap. 1. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus &c. creator omnium inviſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam; ac deinde humanam &c.*

Hoc autem Concilii decreto ſatis probatur & quartum, & quintum; cum ibi dicatur utraque creatura condita ab initio temporis; hoc eſt ſaltem, non ex æterno. Accedunt illa Eph. I. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Apoc. iv 11. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt &c.* Adde quæ de divina Sapientia, ſeu Verbo æterno ſunt Prov. viii. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret &c.* Et Eccli. xxiv. 5. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam &c.* Sic enim concluditur. Erat Verbum, & nondum erat res ulla creata: Angeli ſunt res creatæ: erat igitur Verbum, & nondum erant Angeli. Quod proprie ſeu formaliter eſt, Angelos æternos non eſſe. Porro quando duæ præmiſſæ propoſitiones ſunt ambæ in ſacra Scriptura, ſeu revelatæ, etiam conſequens dicitur eſſe in ſacra Scriptura, ſeu revelatum. Secus vero, ſi altera tantum præmiſſa eſſet in ſacra Scriptura, ſeu revelata. Niſi forte conſequens contineretur in una tantum ex præmiſſis propoſitionibus, verbi cauſa in majore, & minor eſſet mera declaratio, ſive oſtenſio ejus, quod in majore continetur. Ut in his ſyllogiſmis. Omne Concilium œcumenicum legitime celebratum, eſt infallibile, ſive habet Spiritum Sanctum ſpecialiter aſſiſtentem. Concilium Tridentinum fuit œcumenicum, ac legitime celebratum. Ergo fuit infallibile, ſive habuit Spiritum Sanctum ſpecialiter aſſiſtentem. Item, omnis, qui in Dei lege obſervanda perſeveravit uſque in finem, ſalvus eſt. S. Joannes Franciſcus Regis in Dei Lege obſervanda perſeveravit uſque in finem. Ergo S. Joannes Franciſcus Regis ſalvus eſt. Hic etiam. Omnis legitime electus in Pontificem eſt verus Chriſti Vicarius. Benedictus XIV. eſt legitime electus in Pontificem. Ergo eſt verus Chriſti Vicarius. Quæ quamvis pertineant ad Tractatum de Fide divina, cum tamen eum vobis traditurus non ſim, ita præſentem tractatum contexui, ut hic habeatis quædam magis ſelecta, & ad praxim, & uſum maxime utilia, atque adeo neceſſaria, quæ ibi daturus fuiſſem. Interea de his conſulendi Suarez Tract. de Fide diſput. 19. ſect. 2. De Lugo in eodem tract. diſp. 1. ſect. 13. & diſp. 20. ſect. 1. 2. &c. Et ex magis recentibus Viva Theolog. ſchol. tom. 1. par. 4. diſp. 2. quæſt. 2. Ulloa tom. 3. diſp. 1. cap. 7. 8. 9. & diſp. 5. cap. 7. &c.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Angelos creatos fuiſſe, ſive ante primos ſex Mundi dies, quod olim opinati ſunt multi; ſive poſt dies illos, quod opinati ſunt aliqui; Propoſitiones ſunt, quæ etiam poſt Concilium Lateranenſe IV. ſupra laudatum, non ſunt hæreticæ: ſed prima eſt probabiliter temeraria; altera temeraria eſt indubitatè, & forte etiam graviorem meretur cenſuram.

PRobatur prima pars. Propoſitio hæretica a Theologis definitur, *Quæ certo, & immediate opponitur vel contrarie, vel contradictorie propoſitioni certo revelatæ.* Quod autem Angeli neque ante, neque poſt Mundum ſint conditi, non eſt propoſitio certo revelata; quia nullum habet ex iis quatuor, quæ de communi Doctorum ſententia initio poſuimus. Probatur hoc diviſim, ſive per partes. Non habet primum; nempe non eſt manifeſte in ullo Libro Canonico; hoc eſt, in nullo Libro Canonico ſive explicite, ſive implicite ita reperitur, ut prudenter dubitari, aut formidari non poſſit, quin ibi reperiatur. Quod intelligendum eſt etiam de aliis tribus; nimirum ut de illis etiam prudens dubitatio, aut formido eſſe non poſſit. Jam vero duo præcipue ſunt Scripturæ loci, in quibus ea propoſitio videtur implicite contineri: illud Exod. xx. 11. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt; & requievit in die ſeptimo.* Et illud Eccli. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* De utroque autem prudens eſt formidandi, & dubitandi ratio. Primum, quia de his locis aliter viſum eſt Patribus & multis, & magni nominis, qui Angelos ante ſex illos dies conditos fuiſſe docuerunt, ut Origenes, Hilarius, Baſilius, Gregorius Naz. Ambroſius, Hieronymus, Joannes Chryſoſtomus, Caſſianus, Anaſtaſius Synaita, Joannes Damaſc. &c. Deinde, quia ſunt aliqui Scripturæ loci, qui horum Patrum ſententiæ videntur favere. Ut Job XXXVIII. 4. 7. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? ... cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Itemque Job xl. 14. *Ipſe* (Behemoth, ſive Satan) *eſt principium viarum Dei.* Et ad Tit. 1. 2. *quam promiſit, qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia.* Nam cui promiſit, ſi erat præter ipſum nemo? Tertio, quia in loco Eccleſiaſtici particula illa *ſimul*, interpretatione multorum, idem valet, ac *pariter, communiter, nullo excepto.* Ut ſententia ſit, Deus creavit omnia, nullo excepto. Vide Cornelium a Lapide in hunc Eccli. locum. Præterea ſententia, propoſitioque illa de Angelis neque ante, neque poſt mundum conditis, non habet ſecundam ex his quatuor notis, & characteribus, de quibus principio diximus. Nam in loco Concilii Lateranenſis ſupra deſcripto particula *ſimul* explicari poteſt, *pariter, tam unum quam aliud, nullo excepto,* ut in loco Eccleſiaſtici. Ac verba illa, *ab initio temporis,* intelligi poſſunt de tempore, non extrinſeco, ut ajunt, quod eſt motus cœleſtium corporum; ſed intrinſeco, quod habet in ſe ipſa res omnis creata etiam permanens. Ut hoc ibi dicatur; in Angelis, æque ut in rebus corporeis, exiſtendi, ac durandi initium fuiſſe. Vide plura, quibus eam propoſitionem, ſive ſententiam in hoc Concilii loco definitam fuiſſe negant Cajetanus, & Vaſquez in 1. p. q. 61. a. 3. Tandem caret etiam tertio, & quarto revelationis certæ argumento: cum nullum produci poſſit Pontificium de illa decretum, & Patres ſint propemodum ex æquo diviſi.

Probatur ſecunda pars. Nam propoſitio temeraria generatim eſt illa, quæ ſine rationis regula profertur; quod conve-

Digitized by Google

venit in eam quoque, quæ dicitur temeraria tantum negative. Propoſitio autem temeraria poſitive, de qua loquimur, eſt illa, quæ in re theologica opponitur communi Doctorum ſenſui, ſine ullo gravi, & antea non detecto, aut expenſo, vel rationis, vel auctoritatis momento. Omnes autem ſacri Interpretes, & Doctores poſt Lateranenſe Concilium expenſis omnibus, quæ in utramque partem, in eo conſentiunt, quod Angeli conditi fuerint intra ſex divini opificii dies; illi etiam, qui id in eo Concilio definitum fuiſſe pernegant. Non dixi autem in mea propoſitione certo temerariam primam ſententiam, quia doctiſſimi aliqui viri eam ab omni nota theologica eximunt; ac durum mihi videtur notam certæ temeritatis inurere ei, qui in re, contra quam nondum manifeſte ab Eccleſia pronuntiatum ac definitum ſit, duces ſequatur eos Patres, quos paulo ante nominavi. Quamvis re vera loci illi Scripturæ, qui pro ea ſententia facere videntur, a nobis explicentur perfacile; ſi præſertim dicimus, Angelos procreatos fuiſſe primo ipſo die, ſtatim, una cum cœlo, ante reliqua omnia. De quibus conſule interpretes. Secus vero, & omnino gravius pronunciandum cenſeo contra ſecundam ſententiam, cujus qui auctores feruntur, pauciſſimi ſunt, iique valde equidem dubii, & incerti. Inter cæteros omnes omnium ſæculorum ſacros Scriptores, qui hæc attigerunt, apertiſſime convenit, Angelos non eſſe factos poſt primos illos ſex Mundi dies. Quod quidem ex hac ipſa tam concordi, conſtantique ſapientum ſententia, ex Lateranenſi decreto, ac præſertim ex verbis illis *& deinde humanam &c.* quæ hominem poſt Angelos conditum haud dubie ſignificant; & tandem ex iis omnibus Scripturæ teſtimoniis, quæ ſupra exhibuimus, probabiliſſime, ac fere certo revelatum exiſtimo. Propoſitio autem, quæ vel certo opponitur propoſitioni fere certo revelatæ, vel fere certo opponitur propoſitioni certo revelatæ, eſt propoſitio hæreſi proxima, & aliquorum judicio etiam erronea; ſive, eſt error in Fide.

Legendi, præter Doctores ſub finem ſecundæ Propoſitionis noſtræ nominatos, Pererius lib. 1. Comment. in Geneſ. Molina par. 1. quæſt. 61. Suarez de Angelis lib. 1. cap. 3. Vaſquez in primam par. diſp. 242. Valentia quæſt. 12. de Angel. punct. 2. Corderius in cap. 10. de divin. Nomin. § 3. Natalis Alex. Hiſtor. Eccl. Vet. T. diſſert. 1. art. 1.

PROPOSITIO IV.

Quod Angeli ſint omnino corporei, eſt propoſitio erronea, ſive error in Fide; quod ſint corporei tantum ex parte, eſt propoſitio temeraria; quod ſint compoſiti ex materia, & forma, ſed utraque ſpiritali, & nullo modo corporea, eſt propoſitio, & cogitatio aliquorum parum probabilis. Illud tenendum, eſſe Angelos & puros, & ſimplices ſpiritus; concretionis, & compoſitionis non ſolum corporeæ, ſed etiam incorporeæ, quam comminiſcuntur iſti, prorſus expertes.

PRobatur prima pars. Illa eſt propoſitio erronea, ſive error in Fide, quæ certo, ſed mediate opponitur propoſitioni revelatæ; ſeu, quæ certo, & immediate opponitur concluſioni theologicæ; hoc eſt, concluſioni, quæ evidenter ſequitur ex una præmiſſa propoſitione revelata, & altera non revelata, ſed aliunde vel metaphyſice, vel phyſice, vel moraliter certa. Quod autem Angeli ſint naturæ prorſus, & ex omni parte corporeæ, certo opponitur, mediate qui-

quidem propoſitioni revelatæ, immediate vero concluſioni theologicæ. Probatur id duobus his ſyllogiſmis. Angeli ſunt naturæ intelligentis, ac liberi arbitrii, natura, quæ ſit tantum corporea, non eſt intelligens, nec liberi arbitrii: ergo Angeli non ſunt naturæ tantum corporeæ. Item: Natura, quæ ſit mere corporea, non eſt præſtantior natura humana: Angeli ſunt naturæ præſtantioris humana: Ergo Angeli non ſunt naturæ, quæ ſit mere corporea. In utroque hoc ſyllogiſmo una ex præmiſſis eſt, ut liquet ex iis, quæ ſupra diximus, propoſitio revelata: altera vero eſt prorſus certa, & evidens naturali ratione. Concluſio autem ex iis recte, & perſpicue ſequitur. Quare quod Angeli ſint naturæ uſquequaque corporeæ immediate opponitur concluſioni theologicæ; quod eſt mediate opponi propoſitioni revelatæ.

Probatur ſecunda pars. Nam quamvis Lateranenſe Concilium in eo primo capite non definierit omnia, quæ docet; quod quidem magnis auctoribus dandum videtur; tamen hoc ibi certiſſime, & clariſſime docet, Angelos ne ex parte quidem eſſe corporeos. Quippe cum illos a rebus corporeis omnino ſejungat. Adde ſummum conſenſum, quo poſt illud Concilium complexi ſunt hanc ſententiam omnes interpretes, & doctores. Adde teſtimonia ſcripturæ, & argumenta, quæ afferunt, quæ videre poteris apud eos, quos paulo poſt nominabo: contradicere, temerarium profecto eſt. Neque objici poteſt, ſive quod multi Patres Angelis corpus videntur tribuere; ſive quod ſeptima ſynodus eam ſententiam vel approbat, vel ſaltem non reprobat. Nam plerique ex iis Patribus in noſtram ſententiam explicantur percommode. Alios vero conſtat in eam opinionem adductos quibuſdam ſcripturæ locis, ut Gen. VI. 2. Tob. VI 8. &c. quæ nunc, re magis, magiſque illuſtrata, & comperta, ſacris interpretibus parum negotii afferunt. Septima ſynodus de Angelis hoc ſancivit, poſſe eorum imagines pingi. De rationibus vero, quæ ibi ad hoc ſunt allatæ, ſicuti etiam de Patrum teſtimoniis, quæ ibi citata, neque examen inſtituit, neque ſententiam ullam tulit. Adde, quod Angeli in eo Concilio *incorporales* etiam dicuntur. Notandum generatim hic etiam, nihil objici novum; hæc omnia Lateranenſibus Patribus, & aliis deinceps omnibus interpretibus, & doctoribus viſa, & expenſa fuiſſe.

Probatur tertia pars, cum ſua concluſione. Hac enim potiſſimum de cauſa excogitaverunt aliqui ſpiritalem ejuſmodi compoſitionem, ne, ſi Angeli non ſolum ſunt puri ſpiritus, ſed partibus etiam ſubſtantialibus carent, æquent ſimplicitatem divinam, aut ad illam proxime accedant. Hoc autem eos dico in veras, graviſſimaſque difficultates incurrere, ut vitent, quæ nulla eſt, & ipſis tantummodo apparet. Nam etiamſi Angeli non conſtent ex ea materia, & forma; ſunt tamen in ipſis, quo infinite diſtent a ſimplicitate Dei, compoſitiones, non ſolum logica ex genere, & differentia; aut metaphyſica ex eſſentia, & proprietatibus; ſed etiam phyſicæ, & plane interiores, ex natura, & ſubſiſtentia; ex potentia, & actu; ex ſubſtantia, & accidente. Quorum omnium ut ſuo loco oſtendimus, omnino expers eſt Deus. Viciſſim vero ſi conſtent ex ea materia, & forma; multo magis quam Angeli & ſimplex, & immortalis, & in ſe ipſa immutabilis erit hominis Anima. Alia ejus ſententiæ incommoda, nec minus gravia reperietis apud ſcriptores, quos hic attexo. Legendi præcipue Dionyſius Carthuſianus art. 32. in Geneſ. Bannes in 1. p. q. 51. a. 1. Suarez metaph. diſp. 13. ſect. 14. Leſſius de div. perfect. lib. 3. cap. 3. Gaſtaldus quæſt. 50. de Ang. art. 2. Granado tract. 1. de Angel. diſp. 2. Petavius theolog. dogmat. tom. 3. lib. 1. cap. 2. 3. 4. Calmet in Geneſ. diſſert. de Gigantibus.

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

De naturali Angelorum perfectione, eorumque numero tenenda hæc quinque. Primum, eam aliquorum vocem, & propoſitionem, quod Angeli ſint entia neceſſaria, per ſe nude, & abſolute prolatam, eſſe abſonam, ſeu male ſonantem, non vero proprie intrinſecus, & per ſe hæreſim ſapere. Secundum, eſſe de Fide, quod Angeli ſint terminatæ, finitæque perfectionis. Tertium, incertum eſſe, utrum ſint omnes perfectionis ejuſdem, ſive ejuſdem ſpeciei; probabiliorem tamen videri propoſitionem negantem. Quartum, eſſe pariter de Fide, quod Angeli ſint permagno numero. Quintum, eſſe incertum, utrum majore ſint numero, quam omnes homines ab Adamo ad ultimum ex ipſius poſteris; probabiliorem tamen videri propoſitionem affirmantem.

PRobatur primum. Illa eſt propoſitio male ſonans, quæ cum habeat proprium aliquem ſenſum, ſive intellectum, ſignificationemque veram, & catholicam; ſenſus tamen ipſius magis proprius, communior, uſitatior vel immediate, vel mediate opponitur propoſitioni revelatæ, & proinde eſt falſus, ac vel hæreticus, vel erroneus. Tales hæ ſunt: *Fides juſtificat*, *Chriſtus eſt ubique*. Quarum primæ ſenſus magis pro prius, & obvius eſt Lutheranorum, alterius vero eſt Ubiquiſtarum. Propoſitio autem hæreſim ſapiens eſt illa, quæ nullum habet verum, & catholicum ſenſum, niſi methaphoricum, & tralatitium: ſi accipiatur proprie, non eſt catholica; pugnat vel immediate, vel mediate cum Fide. Talis eſt propoſitio illa Auguſtini de Roma in Concilio Baſileenſi damnata ſeſſ. 22. *Chriſtus quotidie peccat*: quæ quidem non eſt vera, & catholica, niſi ſi metaphorice, atque analogice ſumitur de Chriſti membris, quæ ſunt ii omnes, quibus Chriſti Eccleſia continetur. Jam porro hæc propoſitio, *Angeli ſunt entia neceſſaria*: eſt ſimilis duabus prioribus propoſitionibus, non vero poſteriori huic tertiæ. Oſtenditur facile. Ut enim jam inde a logicis edocti ſumus, ens neceſſarium eſt illud, quod non poteſt non eſſe. Ac de quocunque abſolute, & ſimpliciter pronunties: Hoc eſt ens neceſſarium, niſi aliquid addas, vel aliunde innuas, aut præ te feras, intelligendum eſt illud abſolute, & ſimpliciter non poſſe non eſſe. Quod quidem de Angelis non poteſt catholice dici: eorum errorem, atque hæreſim renovat, qui dicebant, Angelos eſſe æternos, ac vel non eſſe a Deo, vel ab eo ita eſſe, ut non potuerint non eſſe; genitos non factos fuiſſe: inter quos Secundinus, & Fauſtus Manichæi. Vide Auguſtinum tum in libris contra ipſos, tum in duodecimo de Civit. cap. 15. n. 2. & 3. Conſule præterea interpretes in locos ad Coloſ. II. 18. & Apoc. XIX. 10. & Hæreſeologos de erroribus Cerinthi. Vide & can. 35. Conc. Laodicen. Dici Angeli poſſunt entia neceſſaria, ſolum ex conditione; ſive ut ajunt, ex ſuppoſitione. Nempe quia, ut docet S. Thomas p. 1. q. 50. a. 1. *ad perfectionem univerſi eos ponere neceſſe fuit*. Vel quia talis ſunt naturæ, ut, poſt-

Digitized by Google

poſtquam conditi ſunt, ſemper eſſe petant; cum nulla creata vi, ſive propria, ſive aliena deſtrui poſſint. De quo enucleate Suarez lib. 1. de Angelis præſertim cap. 10. n. 9. & 10. & Vaſquez diſp. 187. Hæ autem ſignificationes, & intellectus earum vocum *ens neceſſarium* ſunt valdo diminutæ, & reſtrictæ, & omnino minus propriæ: non vero ſunt metaphoricæ, atque analogicæ. Quare concluditur, quod erat propoſitum. Idem ipſum conficitur brevius. Non poteſt catholice dici, quod Angeli ſint ens neceſſarium abſolute, & ſimpliciter; poteſt vero catholice dici, quod ſint ens neceſſarium diminute, reſtricte, ſecundum quid; hoc eſt, poſita voluntate Dei de perfectione mundi, deque ipſis ſuprema poteſtate non deſtruendis. Sed quod dicitur de aliquo diminute, reſtricte, ſecundum quid, dicitur minus proprie quam quod de eodem dicitur abſolute, & ſimpliciter. Minus igitur proprie dicitur, quod Angeli ſint ens neceſſarium ſenſu; & ſignificatione catholica, quam ſenſu & ſignificatione non catholica. Jam vero: propoſitio male ſonans, ſimilis duabus prioribus ex dictis eſt illa, cujus ſenſus catholicus eſt minus proprius, quam non catholicus: propoſitio hæreſim ſapiens tertiæ ſimilis illa, cujus ſenſus catholicus eſt analogicus, & tralatitius. Sed hujus propoſitionis, Angeli ſunt entia neceſſaria, ſenſus catholicus eſt tantum minus proprius, quam non catholicus; non vero eſt analogicus, & tralatitius. Conſequens eſt igitur, quod erat propoſitum.

Probatur ſecundum. Nam ſacræ Literæ quamplures ex perfectionibus, tum negantibus, tum affirmantibus expreſſe denegant Angelis, ſine quibus naturæ infinitas ex ſua propria, & formali notione eſſe non poteſt. Siquidem eos teſtantur eſſe ab alio, eſſe ex tempore, non omnia ſcire, non omnia poſſe, eſſe ſub poteſtate alterius, ex ejuſque nutu pendere, peccaſſe, ſupplicio affectos, & ſimilia, de quibus partim jam vidimus, partim deinceps videbimus. Præterea ſingularem excellentiam perfectionis infinitæ Deo ſoli manifeſte tribuunt. Hinc enim illa Job XXIII. 13. *Ipſe enim ſolus eſt:* & 1. Reg. II. 2. *neque enim eſt alius extra te:* & Exod. III. 14. *Qui eſt &c.* Quodque eſt etiam expreſſius, Pſalmum CXLIV. in quo David Deum ſingulariter laudat, ſic exorditur. *Exaltabo te Deus meus, Rex &c.* utique ea prædicando, quæ tua propria ſunt, neque in aliis reperiuntur; inter quæ illud verſ. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non eſt finis.* Ac proinde ſubjungit verſ. 10. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* Eandem divinæ naturæ infinitatem ita declarat Paulus Apoſt. ad Rom. XI. 35. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Nempe quia quid perfecti eſt in omnibus rebus, partim eminenter, partim etiam formaliter continet. Neque dicas, eſſe quidem de Fide, quod Angelorum natura non ſit perfectionis undique infinitæ, ſive infinitæ ſimpliciter; non autem eſſe de Fide, quod perfectionis non ſit infinitæ ſecundum quid, hoc eſt, in uno tantum genere: hoc enim concedo. Ajo tamen, etiam iſtud ſecundum, ſi recte explicetur, eſſe ita certum, ut illud negare, errori proximum videatur. Nam id eſt errori proximum, quod fere certo opponitur concluſioni certo theologicæ, vel certo opponitur concluſioni fere certo theologicæ. Porro hæc propoſitio: Nulla perfectio naturæ Angelicæ eſt in ſuo genere vere, & proprie infinita; hoc eſt, nulla perfectio naturæ Angelicæ eſt talis, cui nihil in ea ratione, ſeu genere deſit: hæc, inquam, propoſitio eſt concluſio fere certo theologica. Deducitur enim ex his duabus præmiſſis, nempe: Nulla perfectio, cui deſit conſortium aliarum omnium perfectionum, ac præſertim illarum, quas paulo ante commemoravimus, eſt perfectio, cui nihil in ea ratione ſeu genere deſit. Omnis autem perfectio naturæ Angelicæ eſt talis, cui deſint illa omnia. Minor hæc propoſitio eſt revelata, ſeu de Fide, ut jam oſtendimus. Major autem ipſo naturali lumine eſt fere certa, niſi ſit etiam certiſſima. Nam profecto facultas intelligendi, quæ ſit ab alio, & ab alio maxime pendeat, & cui nec detur, nec debeatur omnium cognitio, quæque er-

errare, ac decipi poſſit, talis eſt, cui multa, atque adeo infinita in ſuo genere deſint. Et ſimiliter facultas volendi, quæ ab alio ſit, ſummeque dependeat, quæ poſſit fruſtra velle, quæ poſſit peccare. Idemque dicendum de reliquis perfectionibus naturæ Angelicæ. Vide Suarez metaph. diſput. 35. ſect. 3. a num. 25.

Probatur tertium. Nam quamvis ex philoſophia pro certo habeam, condi potuiſſe a Deo innumerabiles Angelos ejuſdem ſpeciei; utrum vero reapſe hoc fecerit Deus, ac ſint ejuſdem ſpeciei omnes Angeli, qui conditi ſunt, incertum dixi, cum de hoc nihil ſatis conſtet ex Scriptura, & Patribus; & incertum dicant Auguſtinus cont. Priſcil. & Orig. cap. XI. n. 14. & Damaſcenus lib. 2. de Fide orth. cap. 3. §. 11. Atque ii Doctores, qui utrumque fieri poſſe exiſtimant, & quod Angeli differant ſolo numero, & quod differant etiam ſpecie, incertum pariter eſſe fateantur. Addidi, aliquanto probabilius videri, non omnes Angelos eſſe ejuſdem ſpeciei; eo præcipue argumento, quod hoc pertinet ad perfectionem, & pulchritudinem univerſitatis. Ad perfectionem quidem, ne homo, qui ſupremum obtinet locum naturæ corporeæ, infimum vero naturæ intelligentis, cum infra ſe habeat ſpecies quamplurimas, non habeat ſupra ſe, niſi unicam. Ad pulchritudinem vero, quia ordo, ſeu pulchritudo, ut docet Auguſtinus lib. 19. de Civit. cap. 13. n. 1. *in rerum parium, & diſparium diſpoſitione* conſiſtit. Quod ut probat eſſe plures Angelos in unaquaque ipſorum ſpecie; ſic etiam probat Angelorum ſpecies eſſe plures, ſeu non eſſe omnes ejuſdem ſpeciei. Quod erat propoſitum. Adde, quod Dionyſius, Baſilius, Damaſcenus, & Patres alii docent, Angelos pro inæqualitate, ac diverſitate naturæ, inæqualibus, ac diverſis gratiæ donis a Deo ornatos fuiſſe; de quo Suarez lib. 1. cap. 12. 13. &c. & Vaſquez in 1. p. diſp. 228. cap. 2. & 3.

Probatur quartum. Nam eſſe Angelos non ſolum magno, ſed etiam maximo numero ſcriptum eſt Job XXV. 3. *Numquid eſt numerus militum ejus?* Idemque ſignificat illud Dan. VII. 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies, centena millia aſſiſtebant ei.* Qui numerus pro indefinito, eoque maximo ponitur. Ita Cyrillus Hieroſol. catech. 15. n. 24. Conſule interpretes. Accedunt quæ Matth. XXVI. 53. Hebr. XII. 22. Apoc. V. 11. XIX. 14. &c. Ut dubitari, aut formidari plane non poſſit, quin hæc ſit veritas revelata.

Probatur quintum. Ecquid Angeli majore ſint numero, quam omnes omnino homines, a primo qui fuit, ad ultimum qui futurus eſt; incertum dixi, quia nihil de hoc Scriptura definit, ut adnotant Auguſtinus in Enchir. num. 9. cap. 29. & Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 18. neque Scholaſtici diffitentur. Addidi tamen probabiliorem videri ſententiam affirmantem, primum auctoritate Patrum, quorum non pauci Angelos ad homines, ut novem, vel etiam ut nonaginta novem ad unum habere ſe dicunt. Alii vero eos dicunt innumerabiles, alii propemodum infinitos. Legantur Dionyſius Cœleſt. Hierarch. cap. 14. Irenæus lib. 2. cap. 7. num. 4. Hilarius in Pſalm. CXVIII. lit. 1. num. 7. & Comment. in Matth. cap. 18. num. 6. Cyrillus Hieroſol. catech. 15. n. 24. Ambroſius in Luc. lib. 7. n. 210. Gregorius Nyſ. de hominis opificio cap. 17. Gregorius Magn. lib. 17. Moral. cap. 13. n. 18. & lib. 2. in Evang. Homil. 34. n. 3. & 6. Theophilactus in Luc. XV. 4. Bernardus ſerm. 53. in Cant. num. 4. Auctor quæſt. ad Antiochum quæ inter Opera Athanaſii q. 6. Auctor Comment. in Apocal. quæ inter Opera Anſelmi in cap. 5. Denique S. Thomas p. 1. q. 50. a. 3. & q. 112. a. 4. nec non q. 6. de Pot. a. 6. &c. Deinde ex revelatione S. Birgittæ, de qua Dionyſius Carthuſ. in cap. 14. cœleſt. Hierarch. Noviſſime hoc argumento. Quia cum homines prædeſtinati ſint pauci præ reprobis, niſi numerus Angelorum excederet numerum hominum, conſequens eſſet, extitura in omnem æternitatem plurium odia, & maledicta in Deum, quam charitatem, laudes, gratiarum actiones. Quod cum divinæ bonitati, ac miſericordiæ, quæ *ſuper omnia opera ejus* (Pſalm. CXLIV. 9.) & externæ Dei gloriæ minus conſentaneum videtur; tum etiam, ut docet S. Thomas in 1. ſent. diſt. 39.

quæſt.

Digitized by Google

quæſt. 2. a. 2. ad 4. & ex illo Suarez lib. 1. de Angelis cap. 11. n. 9. quantum de his æſtimare, aut arguere homines poſſumus, videtur alienum a recta providentiæ ratione. In his enim, *quæ a Deo principaliter intenduntur*, *ut ſunt creaturæ intellectuales*, *conveniens ſuit*, *bonum in pluribus eſſe*, *quam malum &c.* Neque dicas ex Apoc. XII. 4. dæmones eſſe tertiam Angelorum partem; nec tamen plures eſſe, quam homines prædeſtinatos, quippe quibus, ut docet Auguſtinus Enchir. num. 16. cap. 61. & 62. & lib. 22. de Civit. cap. 1. num. 2. *ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur*. Utrumque enim eſt valde incertum, nec profecto ejuſmodi, ex quo poſſit aliquid ſolide confici. Nam neque Auguſtinus declarat, utrum Angelorum ruinam ſuppleturi ſint homines numero, an gloria. Et in eo Apocalypſis loco non videtur eſſe ſermo de Angelis, ſed de Fidelibus noviſſimorum temporum, quorum tertiam partem Antichriſtus ſeducet. Quod ſi locum hunc etiam ad Angelos pertinere velis; incertum, an verba illa, *tertiam partem ſtellarum*, accipienda ſint arithmetice, ac definite; &, quod notari velim, fueritne tertia pars ex omni Angelorum numero, an vero tantum ex illis, quibus perficiendis, ac regendis præpoſitus fuerat magnus dæmon; qui ut in Scriptura *Lucifer* (Iſa. XIV. 12.) ita conſentaneum fuit hos ſtellas vocari. Potuit etiam tertia pars dici ex omni intelligente natura creata: ut reprobi Angeli ſimul & homines, cum Electis comparati, tertia pars ſint. Pauca præterea ſunt, & admodum levia, quæ objici poſſunt. Qualiacunque tamen ſunt apud Doctores, quos hic aſcribo, explicata reperietis.

Legendi præcipue Cajetanus, ac cæteri interpretes S. Thomæ, tum externi, tum noſtri in 1. p. q. 50. a. 3. Præterea de Bubalo quæſt. 50. quæſit. unico, & quæſt. 52. quæſit. 1. Gaſtaldus quæſt. 50. diſput. unica, Pererius lib. 8. in Daniel. cap. VII. ver. 10. Serrarius in cap. XII. Tobiæ quæſt. 4. 5. 6. &c. Juſtinianus in epiſt. ad Hebr. XII. 22. 23. Alcaſarius, & Cornelius a Lapide in Apocal. V. 11. & XII. 4. Nierimbergius de Sancto Michaele Archangelo cap. 3. Benedictus a Sancto Jacobo controverſ. 1. de Angelis axiom. 5.

PROPOSITIO VI.

Hæc omnis Angelorum multitudo rectè dividitur in tres Hierarchias, & Choros novem: ac vox illa, & propoſitio Eraſmi, & Magdeburgenſium, quod hæc ſint Scholaſticorum figmenta, & nugæ, *non eſt utcumque piarum aurium offenſiva, ſed injurioſa, blaſphema, & ſi plures eſſe Angelorum ordines neget, etiam hæretica.*

PRobatur prima pars. Recte Angeli dividuntur, ut diximus, ſi de ipſis hæc habemus in ſacra Scriptura, eſſe illorum tria genera, ſupremum, medium, & infimum; & in quoque genere eſſe tres ſpecies, ſeu claſſes, & ordines, pariter ſupremum, medium, & infimum. Hæc autem de Angelis habemus in ſacra Scriptura. Recte igitur dividuntur, ut diximus. Major propoſitio certa eſt, & perſpicua: probo minorem. Dan. VII. 10. Angeli dividuntur in *aſſiſtentes*, & *miniſtrantes*. Quæ diviſio aliis etiam pluribus Scripturæ locis comprobatur: ut Daniel. VII. 16. Job. XII. 15. Pſalm. CII. 20. 21. Luc. 1. 19. Hebr. XII. 22. Apoc. V. 11. &c. Præterea, ut ſuo loco videbimus, Scriptura ab Angelis miniſtrantibus ea geri docet, & geſta commemorat; ut poſſint ipſorum miniſteria recte dividi in univerſalia, & particularia; ſive in ſuperiora, & inferiora. In quibus

bus jam habes tria genera ; ſupremum aſſiſtentium; medium eorum, qui adminiſtrant cauſas univerſales, ut cœleſtia, & quæ remota ab hominibus; infimum vero illorum, qui proxime circa homines occupantur. Confirmantur hæc ipſa, & probatur, quod reliquum erat. Nam in Scriptura novem Angelorum ordines recenſentur, & propriis notantur nominibus: nimirum, *Angeli*, *Archangeli*, *Principatus*, *Poteſtates*, *Virtutes*, *Dominationes*, *Throni*, *Cherubim*, *Seraphim*. Habes hæc quampluribus in locis; præſertim vero Iſa. VI. 2. Ezech. X. 2. 3. Matth. XVIII. 10. Rom. VIII. 38. I. Cor. XV. 24. Epheſ. I. 21. Coloſ. I. 16. I. Theſ. IV. 15. I. Petr. III. 22. Nam quamvis aliqua ex his nominibus dicantur interdum promiſcue de omnibus Angelis, hæc nempe tria, *Angeli*; *Virtutes*, *Cherubim*; reliqua tamen, atque hæc ipſa tria in locis modo citatis certum officii, aut dignitatis gradum deſignant, & quidem ejuſmodi, ut poſſint omnes hi gradus, ſeu claſſes in tria illa, quæ dixi genera recte, & commode tribui; ac cuique generi tres, eo quem pariter dixi ordine, ſubjici.

Quod Eccleſia, & Patres expreſſe fecerunt: & hos omnes Scripturæ locos in hanc ipſam ſententiam, quam nunc expoſui, interpretati ſunt; ſive ex peculiari eo lumine, quod ad eam intelligendam divinitus acceperunt, ſive etiam ex Traditione. Ut hac etiam in re Dei verbum Traditum lucem attulerit verbo Scripto. De Eccleſia eſt manifeſtum ex Litaniis majoribus, aliiſque publicis precibus, ex vetuſtiſſimis Liturgiis, ex Præfatione ipſa, quæ in Miſſa ante canonem legitur, & eſt in libro Sacramentorum S. Gregorii. Ejuſdemque rei fidem faciunt Innocentius III. lib. 2. Myſt. Miſſæ cap. 62. itemque epiſtola Sophronii, & oratio Marii Corvini a Conciliis Generalibus hæc Lateranenſi V. illa C. P. III. approbatæ. Mitto quod eſt lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 12. De Patribus pariter dubitari non poteſt. Legantur ex primo ipſo ſæculo Apoſtolorum diſcipuli Ignatius Martyr. epiſt. 5. ad Trallianos ſub initium, Dionyſius Areop. de Cœl. Hierarch. cap. 6. 7. 8. 9. Martialis Læmovic. epiſt. 2. ad Toloſanos cap. 12. ſi genuinam eam reputas. Ex ſecundo ſæculo Athenegoras in Apolog. Irenæus lib. 2. cap. 30. n. 3. & lib. 3. cap. 8. n. 3. Hyppolitus volum. I. de Conſum. Mundi num. 39. Præterea Cyprianus, ſi ejus eſt ſermo de Chriſti Aſcenſione, Antonius Abbas epiſt. 5. Athanaſius orat. I. cont. Arrian. n. 42. & in illud Luc. X. 22. *Omnia mihi tradita &c.* num. 6. de commun. Eſſentia num. 51. & 52. & apud ipſum quæſt. 8. & 31. ad Antioch. Hilarius in Pſalm. 134. num. 12. Baſilius lib. 3. cont. Eunom. n. I. & lib. de ſpir. I. cap. 16. n. 38. Gregorius Naz. orat. 34. Ambroſius epiſt. 34. n. 10. Hieronymus in Pſalm. 112. §. 10. Joannes Chryſoſtomus homil. 2. de incomprehenſ. Dei natura, & homil. 4. in Geneſ. Auguſtinus cont. Priſcil. & Origen. cap. 11. n. 14. Cyrillus Alex. lib. I. in Geneſ. Gregorius Magn. lib. 4. Moral. cap. 29. n. 55. & lib. 2. in Evang. homil. 34. n. 7. 8. 9. &c. ac cæteri deinceps.

Neque dicas hos Patres in numerandis Angelorum choris diſcrepare inter ſe; eſſe, qui pauciores numerent; eſſe, qui alio ordine numerent: reſpondeo enim, ex primis hoc ſaltem evinci, eſſe plures Angelorum choros, quæ pars eſt noſtræ ſententiæ; ex alteris vero illud etiam confici, quod præterea contendimus, Hierarchias tres eſſe, & choros novem. Nam iſta quoquo ordine numerent, univerſe, apud Patres, & Doctores, Hierarchia, de qua loquimur hic, eſt Principatus ſacer conſtans ex pluribus Angelorum ordinibus gradatim diſpoſitis, eodemque proximo genere vel officii, vel dignitatis, vel etiam naturæ comprehenſis. Chorus vero nihil eſt aliud, quam ordo, ſive collectio, & quaſi concentus plurium Angelorum officio, dignitate, natura perſimilium. Cæterum dico, hæc ita diſtribui aliquanto commodius, ſervato eo ordine, quo Angelorum choros ſupra recenſui, & probabilior mihi videtur, nempe auctoribus Dionyſio Areop. cœleſt. Hierarch. cap. 7. 8. & 9. ac Doctore Angelico par. I. q. 108. a. 6. Quodnam vero ſit proprium cujuſque chori, ſive ordinis officium, opportunius deſcribam, ubi de externis Angelorum actionibus.

In-

Digitized by Google

Interea, quæ adverſus Eraſmi, & Magdeburgenſium propoſitionem pronunciavi, ſic breviter probo. Nam propoſitio, quæ ſit utcunque piarum aurium offenſiva, poteſt, etiam in aliquo proprio ſenſu eſſe vera; ſed, præterquamquod in ſenſu magis proprio eſt falſa, aliquid præterea, in re, quæ ad religionem pertinet, indecens, & indignum aut ſententia, aut verbis præſefert, quo animus pietati, ſeu veræ Fidei doctrinæ deditus offenditur. Ita offenderet, ſi quis diceret, *Magdalena meretrix*, *Matthæe uſurarie*, *& avare; Petre perjure*, *& apoſtata*, *orate pro nobis &c.* Aut legens in Breviario de S. Marcellini lapſu, dicat: *Hodie nos Eccleſia fabulam docet:* Quamquam hoc habeat aliquid etiam injurioſi, & blaſphemi. Propoſitio injurioſa, vel habet injuriam, ſeu contumeliam in Deum, aut Sanctos, aut res ſacras; & ſic eſt etiam *blaſphema;* & ſi Dei cultum avertit, aut minuit, eſt etiam *impia*. Vel continet injuriam, ſeu contumeliam in homines illos, quorum honori eſſe conſultum, pertinet ad Eccleſiæ curam, ac Religionem attingit, & ſic erit theologice *injurioſa*. Utrumque autem habet propoſitio, quam impugnamus: contemptum enim habet Scholaſticorum Doctorum, quorum hæc dicit eſſe *figmenta;* & in ipſum Dei verbum Scriptum, & Traditum eſt contumelioſa, cum *nugas* vocet, quæ per illud adeo clare, & expreſſe docemur: Denique eſt etiam hæretica, ſi plures Angelorum Ordines eſſe neget: cum illos aperte Scriptura locis ſup. cit. diſtinguat, atque diſcriminet; & tum ex Scriptura, tum ex Traditione idipſum teneat, & in publicis ſupplicationibus, ſacriſque functionibus diſerte profiteatur Eccleſia, ac doceant Patres unanimi ſenſu. Nam quod nobis objiciant, hos Ordines ab Auguſtino negari; eſt oppido falſum. Legant, quod ſcribit ad Oroſium cont. Priſcillianiſtas, & Origeniſtas cap. 11. n. 14. ſup. notato. Hæc ipſa verba S. Doctoris: *Certe ait Apoſtolus* (Col. 1. 16.) ſive ſedes, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates... *eſſe itaque Sedes*, *Dominationes*, *Principatus*, *Poteſtates in Cœleſtibus apparatibus*, *firmiſſime credo; & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo... Sed quid inter ſe differant*, *neſcio*.

Legendi præcipue Amicus diſput. 3. de Angelis ſect. 7. de la Cerda de excellent. cœleſtium Spirit. cap. 6. Benedictus a S. Jacobo controv. 9. de Angel. axiomat. 1. Boucat tom. 2. tract. 6. differt. 2. præter Suarez, & S. Thomæ interpretes in 1. p. q. 108. a. 1. 2. &c.

PROPOSITIO VII.

De naturalibus Angelorum actionibus, & primum de iis, quæ pertinent ad intelligendi facultatem, hæc tenenda: Primum, quod Angelis a Deo initio inditæ, & ingenitæ fuerint propriæ ſpecies intelligibiles rerum omnium, quas pro ſuo quique captu, & modo, naturaliter cognoſcere poſſunt. Secundum, quod non cognoſcant ratiocinando, neque componendo, aut dividendo; ſed ſimplicibus mentis conceptibus. Tertium, quod alii ex aliis plurima addiſcant, atque inter ſe verè, & propriè loquantur. Quartum, quod multa abſolutè futura etiam contingentia, etiam certò prænoſcant, non tamen in ipſis futuris, aut eorum cauſis, ſi liberæ ſunt.

Quin-

Quintum, quod pariter neque in ſe ipſis, neque in cauſa videantur ab Angelis, quæ dicuntur ſecreta cordium, & ad facultates ſive volendi, ſive intelligendi pertinent. Sextum, quod naturalia, quæ ſaltem ſunt infra ipſos, Angeli non utcunque percipiant, ſed vera mentis comprehenſione omnino pervideant.

PRobatur Primum. Nam hoc verum ſit oportet, quod antequam exiſterent res corporeæ ſecundum Eſſe ſenſibile, extiterint ſecundum Eſſe intelligibile: ſive quod antequam exiſteret hæc univerſitas rerum in ſua propria natura, extiterint rerum earundem imagines, ſeu ſimilitudines, quibus intelligi poſſent. Ducitur hoc ex illo Apoſtoli ad Hebr. xi. 3. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſæcula verbo Dei: ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. Nomine ſæculorum tum hic, tum ſupra 1. 2. & 1. Timoth. 1. 17. intelligendæ res factæ ex tempore, ac tempori ſubjectæ. Neque dicas, hunc Apoſtoli locum explicandum de illo Eſſe, quod res creatæ, antequam in ſe ipſis exiſterent, habuerunt in Verbo. *In quo* nimirum, ut ait Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad litter. cap. 6. n. 12. *ſunt omnia, quæ creantur, etiam antequam creentur*. Et in Pſalm. xliv. num. 5. *omnia opera Dei ibi erant, & opera nondum erant... in quo ſunt etiam, quæ futura ſunt &c.* Et in Pſalm. lxi. num. 17. *in Verbo illo per quod fecit omnia, antequam fierent, erant omnia: & cum facta ſunt, ibi ſunt omnia &c.* & tandem, aliis pluribus prætermiſſis, lib. 6. de Trinit. cap. 10. n. 11. *Verbum eſt, ars quædam omnipotentis, atque ſapientis Dei, plena omnium rationum viventium, incommutabilium &c. Ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipſam &c.* Hæc omnia veriſſime: ſed Apoſtolus non dicit, *ut ex æternis fierent temporalia*. Itaque loqui videtur, de quodam Eſſe *inviſibili* ſive intelligibili creato; ut expreſſius declarat Joannes Apoc. iv. 11. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Bis uſurpat verbum *creandi;* quia antequam fierent in ſe ipſis ſecundum eſſe ſenſibile, facta pariter ſunt in mente Angelorum ſecundum eſſe intelligibile: ut expreſſe Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. c. 8. n. 16. Confirmatur id. Nam, præter altiores, ac reconditiores ſenſus, quos etiam amplector, non eſt, cur etiam ſecundum proprietatem litteræ Textus & Græci, & Latini vulgati, explicari non poſſit, ac debeat illud Eccli. 1. 4. 9. *Prior omnium creata eſt ſapientia... Ipſe creavit illam in ſpiritu ſancto*. Hoc autem ſi proprie explicandum ſit probat hæc duo, & quod Angeli primi conditi fuerint, hoc eſt, initio primi diei, quod eſt etiam Job. xl. 14. & quod ab initio ſapientes fuerint; ac proinde abundantiſſime inſtructi iis omnibus, quæ ad intelligendum ſunt neceſſaria; in primis vero ſpecierum intelligibilium theſauro immenſo ditati: cum præſertim, quæ infra ſe cognoſcebant, nondum exiſterent. Adde quæ de Lucifero leguntur Ezech. xxviii. 12. 15. Neque dicas, has ſpecies ab ipſa eorum eſſentia non diſtingui, aut ab illa neceſſario manare; nam ſi concedas aliquo vero modo ipſis fuiſſe congenitas; cætera facile tibi remitto. Cæterum Angelos Verbo nimium ſimiles facere videris, ſi *pleniſſimos* eos eſſe vis *rationibus*, ſive imaginibus rerum; neque has ab ipſis diſtingui. Quod ſi dicas, quemque Angelum, vel cujuſque chori Angelos ferre in ſe ipſis impreſſas, & a ſe ipſis non diſtinctas, certas aliquas ſpecies, ſeu ſpiritales imagines, ac ſimilitudines rerum; ita ut univerſitas ſpecierum intelligibilium diviſa, diſtributaque ſit in univerſitatem Angelorum, & ab illa minime diſtinguitur; tametſi ſententiam hanc non approbo, tamen neque damnarem, aut ulla nota dignam putarem. Modo non dicas Angelos

gelos eſſe meras ſpecies intelligibiles, aut cognitiones meras; ſed fatearis, eos eſſe ſubſtantias intelligentes, completas, & quæ præterea in ſuperioribus propoſitionibus ſtabilita ſunt. Sic enim hoc tandem dicis, poſſe quemlibet Angelum ex ſe ipſo, ac per ſe ipſum, quin aliquid indipiſcatur extrinſecus, cognoſcere res illas, quarum ſpecies intelligibiles, vel aliquid quod ſit inſtar ſpeciei intelligibilis, gerit in ſua propria eſſentia, & natura. Immo in hac ſententia recte forſan, ſed neſcio quam ad ipſius mentem, explicari poſſet, quod ſcripſit Philo in libro de Mundi Opificio, *Deum, poſtquam intelligibilem Mundum conſtituit, ad illius exemplar ſenſibilem mundum condidiſſe.... feciſſe autem in Mundo intelligibili Cœlum incorporeum, & terram inviſibilem, & aeris, & vacui ſimilitudinem, pariter incorpoream &c.* Si tamen Mundum hunc intelligibilem, quem ponis diſtinctum a Deo, & creatum ab illo dicas, & creatum ex tempore, neque ante ſex dies divini Opificii; ac reliqua ſerves, de quibus proxime monui. His enim ſervatis, hæc non tam Platonica, quam Biblica ſunt; & locis paulo ante citatis ex Joanne, & Paulo Apoſtolis, ſatis conſentiunt.

Probatur ſecundum. Si Angeli ita cognoſcunt, ut uno eodemque mentis conceptu, ac ſigno naturæ videant principia, & in principiis videant concluſiones, ſeu quæ poſſunt ex ipſis inferri; & ſimiliter, ſi ipſo illo mentis conceptu, ac ſigno naturæ, quo vident ſubjecta, in ſubjectis vident & prædicata, ſeu quæ poſſunt de illis affirmari, aut negari; Angeli neque ratiocinantur, neque componunt, aut dividunt: ſed Angeli ita cognoſcunt: ergo &c. Major propoſitio non poteſt negari: cum enim ratiocinatio, tum etiam compoſitio, & diviſio plures requirunt mentis actus, & plura ſigna naturæ; nempe ut unus actus, ſeu mentis motus aliquo modo oriatur, atque exiſtat ex alio. Nam, niſi præcedant apprehenſiones ſubjecti, & prædicati, non poſſumus vel affirmando, alterum cum altero componere; vel negando, alterum ab altero dividere. Nec poſſumus aliquid colligere, ſive concludere, niſi ex præviis & apprehenſionibus, & affirmationibus, aut negationibus. Probatur igitur minor: primum, quia pertinet ad excellentiam naturæ intelligentis, ut eſſe poſſint, &, ſi eſſe poſſunt, pertinet ad perfectionem, & pulchritudinem univerſitatis, ut ſint re ipſa mentes aliquæ, quæ eo modo cognoſcant, quem nunc expoſui; nimirum nec perfectiſſimo, ut mens divina; nec ita imperfecto, ut mens humana. Deinde, cum certum ſit ex ſacra Scriptura hominibus Angelos natura antecellere, in eo potiſſimum, quod dictum eſt, hæc naturalis ipſorum præſtantia ponenda videtur; eoque factum, ut Angeli, non rationales naturæ, ſed naturæ intelligentes, immo & ſimpliciter Intelligentiæ appellentur. Tertio, quia cum Auguſtinus lib. 4. de Gen. ad Lit. cap. 22. n. 39. & cap. 31. n. 48. & in undecimo de Civit. cap. 7. &c. & ex ipſo Doctores cæteri diſtinguant in Angelis duplicem cognitionem, *matutinam* ſcilicet, qua res vident in Verbo, & *veſpertinam*, qua illas vident in ſemetipſis, ac propria ipſarum natura; præſertim ſi prima ſit ſupernaturalis, & viſio ipſa beata, quamvis altera ſit longe inferior prima; tamen propter vim intelligendi, ac ſpecies proprias, ſeu lumen intelligibile valde perfectum, quod eſt in Angelis, hæc etiam ſecunda eſt cognitio evidens, quidditativa, intuitiva, & eorum ſaltem, quę infra quemque Angelum ſunt, eſt etiam comprehenſiva, ut ajunt, & probant Doctores, & nos in ultima propoſitionis noſtræ parte planum faciemus.

Dices, eſſe aliqua, quæ Angeli ſolum conjectando, & argumentando poſſunt cognoſcere; ut quæ futura ſunt a cauſis liberis, & humanarum mentium, ac voluntatum arcana: &, quoniam in his præſertim ex ſe ipſis errare, ac decipi poſſunt; eſſe pariter, quæ poſſunt cognoſcere vel componendo, vel dividendo; cum errare, & falli hoc demum ſit, componere quæ dividenda eſſent, & quæ componenda dividere. Reſpondeo, eſſe multos, qui propter hoc argumentum adverſariis concedant, Angelos componere, dividere, aliud ex alio inferre, & colligere iis in rebus, quas non co-

gnoſcunt evidenter, & ut ſunt in ſe ipſis: qualia præſertim eſſe fatentur & futura, & ſecreta, quæ diximus. Standum tamen eſt in veſtigio, ac retro nihil cedendum. Hoc enim ex dictis tribuendum videtur perfectioni mentis Angelicæ, & lumini ipſis ingenito, ut quo ex ſe ipſis pervenire cognoſcendo poſſunt, eo non paulatim, ac per gradus perveniant, ſed ſubito; ac proinde ut prædicatum in ſubjecto, & conſequens in antecedente ſtatim, ac primo mentis incubitu, inſpectuque cognoſcant, quantum hæc naturaliter cognoſcere poſſunt. Vel igitur cognoſcunt hæc evidenter, vel probabiliter. Si primum; prorſus inutiliter, & ſupervacue facerent, ſi gradum facerent ad aliud naturæ ſignum, in quo eſt mentis aſſertio, vel affirmans vel negans; aut etiam ad illationem, collectionemque procederent. Conſtat de hoc ex viſione beata, ac Deo ipſo; unde iſta ſunt omnino excludenda. Quod ſi dicis ſecundum; facerent ſane valde imprudenter, qui ea mentis progreſſione committerent ſe periculo errandi, nec quicquam in ejus rei notitia proficerent. Utrumque autem eſt degenerare ab eo intelligendi modo *quidditativo*, & *intuitivo*, quem habent a natura; ac peccare contra divinæ Sapientiæ regulas; & ut ait S. Thomas p. 1. q. 58. a. 5. eſt, *a divina ſapientia intellectum ſubducere*; eſt, *nolle ſubdi divinæ ſapientiæ*. Quare quam facile conceditur de Angelis malis, tam eſt omnino negandum de Angelis ſanctis.

Probatur tertium. Nam Angelos colloqui alios cum aliis, & communicare multa inter ſe; cum eſt neceſſarium ad ſocietatem, & quamdam veri regiminis, & quaſi reipublicæ formam, quæ in ipſis reperitur; tum eſt expreſſum in ſacris Literis & clare, & perſæpe. Sic Zachar. I. 11. *Et reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulavimus terram; & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit*. Et II. 4. VI. 7. &c. Sic Iſa. VI. 3. *& clamabant alter ad alterum*. Judæ 9. Apoc. VII. 3. IX. 14. &c. Adde quod eſt I. Cor. XIII. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*. Adde Angelorum concilia, & ſermones etiam cum dæmone habitos, III. Reg. XXII. 21. 22. Job. I. 6. 7. 11. I. 2. &c.

Neque dicas, non poſſe explicari, quid ſit Angelorum locutio: nam primo, etiamſi hoc verum foret, non idcirco tamen negandum eſſet, quod auctoritate, & ratione eſt adeo certum. Deinde, falſum eſt, non poſſe explicari. Quamvis enim hac de re multæ ſint, & valde inter ſe diſcrepantes Doctorum ſententiæ, ſunt tamen aliquæ ex illis perquam probabiles. Addo & meam; ſeu potius unam, aut alteram ex illis aliquantum refingo, & paulo aliter expono. Nempe quod Deus ſicuti primis duobus hominibus quando dedit, ut eſſent, dedit ſimul, ut ſcirent aliquam linguam, ſive *ἰδίωμα idioma*, quo propriæ mentis conceptus ſibi mutuo ſignificarent: hoc eſt, infudit ambobus quemdam mentis habitum, ac ſpecies aliquas intelligibiles, quibus aliter, atque aliter motis, & excitatis, intelligeret alter, quid alter haberet in mente: ſic pariter fecerit in omnibus Angelis: dederit illis una cum natura non ſolum inſtrumenta loquendi, ſed artem quoque, ſeu certam, perfectamque notitiam de recto eorumdem uſu. Nam præter id, quod in illis impreſſas, & ab initio inſitas diximus rerum naturalium proprias imagines, ac ſimilitudines, quæ quodammodo ad mentis oculos pertinent; hoc eſt, quarum ope Angeli eas res intuentur, uti ſunt in ſeipſis, nulla ratiocinatione, nullaque compoſitione, aut diviſione; acceperunt etiam a Deo intelligibilia quædam ſigna, ſive alterius generis ſpecies, quæ pertinent ad mentis veluti aures; quarum ſcilicet ſpecierum diverſa motione, atque pulſu, tanquam ex ſpiritali aliquo ſono, ac voce incorporea, ad Angelum eo modo loquentem mentem intendant, & quod ſibi ſignificat, non tanquam viſu, ſed tanquam auditu percipiant. Neque iterum dicas, ad hoc opus eſſe ſpecies intelligibiles fere infinitas; nam primum, nihil in hoc abſurdi. Deinde, ſicut diverſa viginti duorum characterum collocatione, & diſpoſitu, exprimuntur vel voce, vel ſcripto infiniti mentis conceptus; ita quid ſimile fieri poteſt paucarum ſpecie-

cie-

Digitized by Google

cierum, ſeu characterum intelligibilium motione, & ordinatione diverſa. Hoc autem præter cætera intereſt inter locutionem Angelicam, & humanam, & nominatim quæ fuit primorum parentum; quod ſpecies, ſeu ſigna illa, & notas intelligibiles, quibus continebatur ſcientia humani idiomatis ipſis congenita, Adam in mente Evæ, & hæc viciſſim in mente Adami movebant longo circuitu per ſenſus primum externos, atque exinde per ſenſus internos: contra vero ſpecies illas, ſeu ſigna, & notas intelligibiles, amplitudine ſignificationis, & modo ſignificandi longe perfectiores, quibus continetur ſcientia idiomatis Angelici, pariter nativa, & ingenita, unus Angelus in mente alterius vel proxime movet, vel ſaltem movet nulla media re, aut operatione corporea. Nec mirum, quod poſſit etiam proxime movere. Sicut enim quia voluit Deus, res corporeas ab Angelis adminiſtrari, dedit illis certam aliquam, definitamque poteſtatem in corpora, non qua illa efficerent, ſed qua loco moverent, & ut opus eſſet diſponerent, & ordinarent: ſic etiam, quia eoſdem voluit, & ipſorum naturæ debitum fuit, ſermonis communicationem habere inter ſe; dedit iiſdem certam pariter, definitamque poteſtatem in hujus generis ſpecies, non ut illas producerent, ſed ut excitarent, & commoverent, vel per ſe, vel per aliquid ad eas proxime attingens, cum iiſdemque connexum. Itaque hæc eſt in Angelis proxima ſimul colloquendi facultas: ars ſcilicet, & vis movendi, excitandive has ſpecies, de quibus dictum eſt modo. Atque ipſorum locutio, ſi verax ſit, ut ſemper eſt in Angelis ſanctis, in apta, & interno propriæ mentis conceptui reſpondente, harum ſpecierum motione conſiſtit. Mentis vero auditus, eſt illa mentis perceptio, qua Angelus experitur, atque perſentit in ſe ipſo tales ſpecies, tali motu, & ordine excitari; in eaque motione conceptum mentis alienæ, ac per illum ipſam quoque rem ab alio Angelo mente conceptam intelligit. Neque vero ſequitur hinc, ut poſſint Angeli ſive boni, ſive mali ſimiliter cum homine loqui. Nam ſpecies in homine qua via acquirunt, eadem excitantur, nempe per ſenſus, ut dictum eſt.

Eſſe alia etiam poteſt rei hujus explicatio, ut mihi videtur, æque probabilis, ſed paulo altius repetenda. Etenim ejus, quod eſt Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, multorum Patrum, quorum verba refert Petavius lib. 2. de Trinit. c. 7. interpretatio eſt, colloqui inter ſe divinas Perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Item, quod Pſalm. 11. 7. 8. 9. *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu &c.* & toto Pſalmo CIX. *Dixit Dominus Domino meo &c.* Pater loquatur ad Filium, ſententia eſt non ſolum Patrum, & ſacrorum Interpretum, ſed ipſius etiam Pauli Apoſtoli, ut videre eſt in Epiſtola ad Hebr. cap. 1. Jam vero ita videntur hæ collocutiones theologice explicandæ, ut per æternam Generationem, quæ Proceſſio eſt ſecundum actionem intelligendi, Pater Filio, una cum divina Natura, tradiderit omnia (*omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Et nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater: &, quis ſit Pater, niſi Filius.* Luc. x. 22.) atque ita communicarit cum ipſo omnia divina conſilia, & decreta. Inter hæc vero eſt etiam conſilium, ac decretum faciendi hominem, ac cætera, quæ memorantur in eo duplici Pſalmo. Quæ pariter omnia a Patre, Filioque ex æterno, & omnino æqualiter accipit Spiritus Sanctus, ſecundum actionem volendi, ſive amandi, quæ Spiratio, & communi etiam nomine Proceſſio appellatur. Porro quemadmodum in divinis Perſonis non neceſſe eſt ponere duas intellectiones, & duas itidem voluntates, *eſſentialem* ſcilicet, & *notionalem*; ſed ipſamet intellectio, & voluntas eſſentialis, addita Relatione, ſive habitudine propria Perſonę producentis fit notionalis, & dicitur activa Proceſſio, uti ſuo loco expoſuimus: ſic etiam non eſt neceſſe, ut ponantur in Angelis duæ mentis conceptiones, vel duæ voluntatis deliberationes, una, quæ communicatur cum alio Angelo, & altera, ut ita dicam reflexa, per quam fiat hæc communicatio; ſed ipſamet actio intelligendi, & volendi, ſi ita editur, ut ſimul

ad alium Angelum dirigatur, eſt id quod communicatur, & per illum reſpectum, atque ordinem, quem habet ad Angelum illum, eſt ſimul id, per quod fit hæc communicatio. Ex quo etiam illud habes, quod ordinatio, ſive habitudo ſit ejuſdem generis, ac actus ille, qui ordinatur, & communicatur. Ut ſi unus Angelus cum alio communicat cogitationem ſuam, ea ordinatio ſit actus intelligentiæ; ſi vero communicat deliberationem aliquam, ordinatio ſit actus voluntatis. Quanquam quia hæ Angelorum communicationes, ſeu locutiones externæ, hoc eſt, ad alium directæ, ac ſpectantes, ſunt locutiones, communicationeſque liberæ; ſemper imperantur ab ipſorum facultate libera, & tanquam conditionem, ſine qua eſſe non poſſunt, ſemper requirunt prævium voluntatis imperium.

Explicandum ſupereſt, qui fieri poſſit, ut Angelus advertat, atque cognoſcat cogitationem, vel deliberationem alterius Angeli, ex ſola illa ordinatione, ſive reſpectu, qui cum ſit plane interior, nec re ipſa ab eo vel cogitatione, vel deliberatione diſtinctus, æque ſecretus, & abſconditus eſt. Inſiſtendum vero eſt in eodem exemplo, & ad eandem imaginem hoc etiam eſt declarandum. Nam ſicut in Divinis Natura non generat, neque ſpirat; ſed generat, & ſpirat Perſona; ſive, ut diſtinctius loquamur, ſicut intellectio, & voluntas divinæ in ſtatu abſoluto fœcundæ non ſunt; in ſtatu autem relativo ſunt ipſę divinę Proceſſiones activę, vel illas conſtituunt; ſic pariter cogitatio, ac deliberatio unius Angeli; in ſtatu, ut ita dicam, abſoluto ſunt infœcundæ, & occultæ remanent; ad alium vero Angelum ordinatę, & directę, vel pariunt in ipſo ſpeciem, ac ſimilitudinem ſui, per quam poſſint cognoſci; vel ſi hęc ſpecies, ac ſimilitudo jam erat eidem primitus indita a Deo, eam commovent, atque excitant; vel certe aliquid pręſtant, unde Angelo illi innoteſcant. Res hęc omnino ad vivum reſecari non poteſt: nempe tunc ſolum videnda, cum nobis dabitur, ut ſperamus, quorum protectione defendimur, eorum ęterna ſocietate gaudere.

Probatur quartum. Futura abſoluta, libera, de his enim nunc loquimur, a Deo multis modis ſunt revelata; & quidem, pro Angelorum perſpicacia, admodum clare, & aperte. Poſſunt igitur multa ejuſmodi ab illis certo prænoſci. Probo antecedens. Siquidem ut in Prolegomenis docui, plurimis, & graviſſimis Auctoribus, in ſacra Scriptura, partim primario, partim ſecundario ſunt prorſus omnia ſive, ut ait Cornel. a Lapide in Proemio num. 13. *Sacra Scriptura ſcibile omne complectitur*. Et quamvis ibi plurima ſint, quæ ſine ſupernaturali lumine, eoque magno, & extraordinario, percipi nequeant; tamen multa ſint etiam neceſſe eſt, quæ poſſint Angeli naturaliter aſſequi; cum ſint ibi non pauca, quæ homines, etiam minus docti, & acuti facile intelligunt. Præterea revelata ſunt quoque multa per verbum Traditum, quod Angeli probe norunt, ac tenent. Adde innumeras revelationes privatas, quæ ſi extra mentis ſecretum prodierint, niſi ſpecialis Dei providentia obſtet, notæ etiam dæmonibus eſſe poſſunt. Tandem quod aliqui addunt, hæc futura ſcripta eſſe etiam in Cœlo; quod eſt *ſicut liber* Iſa. XXXIV. 4. & Apocal. VI. 14. ſi hoc ita explicant, ut ſtellæ ſint tantummodo ſigna ac notæ futurorum; & humanis voluntatibus bene, aut male agendi neceſſitatem non afferant; non errant illi quidem in Fide: Veruntamen fruſtra, ac temere ſcientiam illam affectant, quæ vel nulla eſt, vel tantum in Angelis eſſe poteſt, qui immenſa cœlorum volumina aſſidue volvunt, ac verſant, & cæleſtium illorum characterum conjunctiones & concurſiones pene infinitas ſoli poſſunt notare, & diſtinguere. Quare hic etiam poſſent ab Angelis multa futura prænoſci. Vide tamen Pererium lib. 2. Comment. in Geneſ. cap. 4. & 5. & Conſtitutiones Sixti V. *Cœli, & terra &c.* & Urbani VIII. *Inſcrutabilis &c.* Jam quod reliquum erat, ſi hæc futura ab Angelis vel viderentur in ſe ipſis, vel in cauſis ſuis certo prænoſcerentur, futurorum cognitio non haberetur Iſa. XLI. 23. tanquam propria, ac certa nota, ſive argumentum divinitatis. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in fu-*

tu-

turum, *&* *ſciemus*, *quia dii eſtis vos*. Nec ſoli Deo tribueretur Iſa. xliv. 7. & xlvi. 10. Sap. xix. 1. Eccli xxiii. 29. &c. Accedit ratio. Nam vel futura non poſſunt proxime in ſe ipſis cognoſci, ut multi contendunt; vel, ut fatentur omnes, ſi poſſunt ita cognoſci, ab eo tantum poſſunt ita cognoſci, in quo ſit intelligendi vis infinita. Et ſimiliter. Effectus in cauſa libera vel non poteſt certo cognoſci, ut multi volunt; vel, ut fatentur omnes, ſi poteſt certo cognoſci, ab eo ſolum poteſt, qui cauſam illam infinito mentis exceſſu non tantum comprehendat, ſed & ſupercomprehendat. Quæ ſunt Dei ſolius.

Probatur quintum. Siquidem hoc etiam ſoli Deo tribuendum Sacræ Literæ docent. Immo docent hoc etiam expreſſius. Sic III. Reg. VIII. 39. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*. Et II. Paral. VI. 30. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum*. Item Jerem. XVII. 9, 10. *Pravum eſt cor omnium*, *&* *inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor &c.* Quem locum exponens Hieronymus ait: *Hinc diſcimus*, *quod nullus cogitationum ſecreta diſcernit*, *niſi ſolus Deus*. His adde, quæ Pſalm. xliii. 22. Prov. xxi. 1. 2. Sap. 1. 6. Act. 1. 24. Rom. VIII. 27. 1. Cor. II. II. XIV. 25. Hebr. IV. 12. 13. &c.

Accedit hic quoque ad auctoritatem ratio. Quia naturæ, ſeu cauſæ liberæ, ut Angelo, & Animæ rationali in ſuas actiones dominium, & arbitrium hujus etiam generis deberi videtur, ut quæ intra ſe, ac per ſe ſola facit, eorum ſola ipſa ſibi ſit conſcia; nec alium habeat teſtem, niſi quem habuit adjutorem; *qui operatur omnia in omnibus* 1. Cor. XII. 6.

Probatur ultimum. Quilibet Angelus ſententia valde probabili comprehendit ſe ipſum, ac cæteros Angelos, non ſolum inferiores, ſi quos habet, ſed etiam æquales: ergo Angeli comprehendunt res naturales, quæ ſaltem ſunt infra ipſos, ut homines, belluas, plantas, & quæ inanima ſunt, ſive cœleſtia, ſive terreſtria: Concluſio valet; cum nihil ſit cauſæ, quamobrem Angeli minus cognoſcant naturas corporeas, quam incorporeas: ſiquidem utraſque cognoſcunt per ſpecies proprias, ac proinde etiam cognitione illa, quæ ab Auguſtino *veſpertina* dicitur, eas clare intuentur, & prout ſunt in ſeipſis. Probo igitur antecedens. Comprehenſio a Scholaſticis ſic vulgo definitur. *Cognitio adæquans intrinſecam cognoſcibilitatem objecti*. Jam vero quod Angelus, quantus eſt in genere entis, ſive perfecti, tantum valeat intelligendi vi, nec major ipſius, ut ita dicam, intelligibilitas, quam intellectivitas ſit, probatur ex ſacris Literis, quæ Angelorum naturam a mentis præſtantia, & inſito lumine maxime commendant. Itaque illos & *Sapientiam creatam* Eccli 1. 4. & *aſtra matutina* Job. XXXVIII. 7. & ſimpliciter *ſtellas* Job. XXV. 5. Apoc. 1. 16. & *lampades* Ezech. 1. 13. Apoc. IV. 5. & *plenos oculis* Ezech. 1. 18. Apoc. IV. 6. immo & *oculos Domini* appellant Zachar. IV. 10. Apoc. V. 6. Et, ſi Auguſtinum interpretem ſequimur de Gen. ad lit. imperf. cap. 5. n. 21. & lib. 1. cap. 17. n. 32. &c. Angelos ſignant nomine *lucis*, quam factam perhibent primo ipſo mundi die Gen. 1. 3. Unde Angeli Mentes, & Intelligentiæ vocantur, perinde quaſi mens, & intelligentia ſit id totum, quod ſunt.

Acedit ratio, quia ſi aliqui Angeli ſe ipſos non comprehenderent, neque ſe ipſos comprehenderent Angeli ſupremi; cum nihil in hoc afferri poſſit, quod diſpar ſit. Si vero ſupremi Angeli ſe ipſos non comprehenderent, eſſet intra fines naturæ pars aliqua entis, ac veri, quæ totam naturam lateret; quo quidem valde manca, & imperfecta videretur. Quoniam ens eo dicitur verum, quo ad facultatem intelligentem refertur; quæ ipſi propterea, in ſuo genere, atque ordine, ſemper reſpondere, & æquiparari debet.

Dices, ex omni natura intelligente, ac libera non poſſe concedi, quod Angelus comprehendat, niſi ſeipſum. Nam quod velit, aut cogitet alius Angelus, non poteſt cognoſcere, niſi volente illo: quid autem velit, aut cogitet homo, non poteſt cognoſcere, niſi ex externo aliquo ſigno, aut indicio, quod ſæpe obſcurum, ambiguum, & tantum probabile eſt.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo primum, ut adnotant Suarez, & alii in hac quæſtione, res aliqua ut dicatur vere, & proprie comprehendi, ſatis eſſe, ſi videatur illius eſſentia, & natura, proprietates, ac cætera, quæ in ea reperiuntur, & inſunt per ſe: non requiri, ut videantur etiam, quæ illi ſuperveniunt, ex ipſius arbitrio, ſive ex alio accidente. Ajo deinde iſta etiam videri ab Angelis, non quidem ut exiſtentia, ſed ut poſſibilia: Videri quid ſint; non videri an ſint. Sicut enim antea dixi, & hic paulo diſtinctius, ſive etiam paulo aliter expono, Deus ut auctor naturæ initio impreſſit in Angelis ſpecies proprias duplicis generis: ideſt, ſpecies proprias, non tantum rerum naturalium, ſed etiam naturalium mentis conceptuum, & aliarum interiorum actionum. Per has ſecundi generis ſpecies quilibet Angelus cognoſcit, quid ſint illi actus intelligendi, & volendi, quos alii Angeli, aut homines naturaliter poſſunt habere. An vero illos habeant re ipſa, cognoſcit per eaſdem ſpecies, ſed ut motas, & excitatas extrinſecus, vel ab aliquo Angelo, vel ab externo aliquo ſigno, ſive indicio. Cognitio actuum interiorum, ut poſſibilium, eſt evidens, immo eſt, ut ajunt, quidditativa, intuitiva, comprehenſiva. Cognitio vero eorundem, ut exiſtentium, eſt interdum certa, interdum vero ſolum probabilis; prout fuerit fide dignus, hoc eſt bonus, aut malus ille Angelus, qui eas ſpecies movet, & earum ſpecierum motione loquitur: Vel prout fuerit externum illud indicium, ac ſignum, ex quo, ſive ut melius, & caſtigatius loquamur, *in quo* ſine ulla ratiocinatione, aut compoſitione, interiores illi actus, una cum ipſo illo ſigno, & indicio cognoſcuntur.

Legendi in Tract. de Angelis de prima Propoſitionis noſtrę parte pręcipue Cajetanus, Molina, Bannes, Valentia. De ſecunda Ferrarienſis, Joannes a S. Thoma, Philipp. Maurus. De tertia Maſtrius, Męratius, Arriaga, Sfortia Pallavicinus. De quarta Amicus, Petavius, Raynaudus, Boucat. De quinta Dion. Carthuſianus, Vaſquez, Martinonus, Simonnet. De ſexta Suarez, Granado, Madernus, Eſparza &c.

PROPOSITIO VIII.

De Angelorum voluntate tenenda pariter ſex; ſed partim naturalia, partim ſupra naturam; quoniam ita inter ſe cohærent, ut viſum non fuerit, ea disjungere. I. Non eſſe in Angelis inferiorem appetitum, hoc eſt, facultates Concupiſcentem, & Iraſcentem, neque ullam ex notis undecim perturbationibus, ſeu cupiditatibus. II. Nullos eſſe Angelos natura malos, ſed mali qui ſunt, tales factos eſſe propria voluntate, & arbitrio. III. Quamvis Angeli, magis quam homines, liberi ſint, & actionum ſuarum domini, non poſſe tamen, æque ut homines, voluntatem mutare, & ab eo quod ſemel amplexi liberè ſunt, dimoveri, aut averti. IV. Poſſe Angelum, primo ipſo temporis momento, quo eſſe incipit, facultatem liberam, qua præditus eſt, exercere. V. Quamvis Angeli in voluntatis propoſito ſint adeo im-

Digitized by Google

immobiles, & in cogitando, ac deliberando tam celeres, viæ tamen & ad bene, aut male merendum liberi curſus datum ipſis a Deo, quod pluribus temporis intervallis, ſive momentis reſpondeat. VI. Peccaſſe ſuperbia.

PRobatur primum. Nam ſi ſermo eſt de appetitu inferiore, qualis eſt in hominibus, eum non eſſe in Angelis, tam certum eſt, quam certum eſt, eſſe Angelos ſenſus, & corporis prorſus expertes: cum iſtiuſmodi appetitus ſequatur ſenſum, eique proxime pareat, ex quo appetitus ſentiens, ſeu *ſenſitivus* dicitur; & cum aliqua ſemper mutatione corporis agatur motibus ſuis, qui propterea *paſſiones*, ac perturbationes vocantur. Quod ſi quis dicat, eſſe in Angelis appetitum quemdam inferiorem, ſed incorporalem; cui appetitus ſuperior dominetur, vel πολιτικῶς *politice*, uti nunc in homine appetitui inferiori imperitat voluntas, & ratio; vel δεσποτικῶς *diſpotice*, ut illi imperabat pro ſtatu naturæ integræ; hunc quoque, licet non ita certi rejiciendum cenſemus. Siquidem opus eſſet admittere in Angelis duplicem pariter cognoſcendi vim, inferiorem, & ſuperiorem. Quæ quidem tum valde minuunt Angelorum ſimplicitatem ſupra a nobis aſſertam; tum fundamento ſolido carent, in quo ſatis nitantur; tum denique videntur plane ſuperflua. Facultates enim intelligendi, & volendi, cum ferantur in verum, ac bonum, ſecundum univerſales veri, ac boni rationes; particulares etiam, magiſque contractas veri, & boni rationes complectuntur, quæ minoribus iſtis facultatibus, quas fingis in Angelis, poſſent attribui.

Neque dicas, eſſe in homine facultates majores, & tamen locum relinqui minoribus: namque hæ corporeæ ſunt, & ab illis toto genere differunt, ac proinde alias rationes ſequuntur. Neque addas, in S. Scriptura tribui Angelis Amorem, & Odium; Deſiderium, & Fugam; Gaudium, & Triſtitiam, quæ ſunt partis Concupiſcentis: & pariter tribui Spem, & Deſperationem; Audaciam, & Timorem; ac denique Iram, quæ ſunt partis Iraſcentis. Reſpondeo enim, duas iſtas partes, ſeu duplicem vim appetitus ſentientis tendere in bonum ſenſibile; primam quidem in bonum ſenſibile, quod tale ſit abſolute; alteram vero in bonum ſenſibile difficile; & arduum: eoque tendere utramque cum agitatione, ac perturbatione aliqua corporis. Quæ, ut diximus, in Angelis, qui ſenſu, & corpore carent eſſe non poſſunt. Quod attinet ad illa undecim, quæ numerantur; iſtis nominibus notantur motus non ſolum inferioris appetitus, ſed etiam ſuperioris; ſignificantur non ſolum paſſiones, ſed etiam voluntatis actus. Quare poſſunt illa omnia, altiori ſaltem aliquo modo, & ab omni corporea agitatione, & commotione magis remoto, eſſe in Angelis; cum eorum aliqua modo perfectiſſimo ſint, & nomen retineant etiam in Deo.

Probatur ſecundum: ſic enim expreſſe Judæ 6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Adde, quod eſt Eccli. XXXIX. 21. *Opera Domini univerſa bona valde.* Quod etiam Gen. I. 31. *Omnia vero per ipſum facta ſunt.* (Joan. I. 3.) Item, quod ſcriptum eſt de Lucifero Iſa. XIV. 12. & Ezech. XXVIII. 15. & iterum univerſe de Angelis malis II. Petr. II. 4. *Angelis peccantibus non pepercit &c.* Probatur præterea ex Conciliis: ſic enim in Lateranenſi IV. cap. *Firmiter &c. Diabolus & alii dæmones a Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.* Et ſic etiam Carthaginenſe IV. cap. I. & Bracarenſe I. can. 7. ac Tullenſe II. epiſt. ſynod. §. 3. Idem Patrum omnium ſenſus, quorum teſtimonia reperies apud Scriptores ſuo loco recenſendos. Cum ſit igitur hæc veritas certo revelata, ſententia contraria non ſo-

ſolum falſa, ſed & hæretica eſt: ac de illa etiam damnati ab Eccleſia Manichæi, Priſcillianiſtæ, & alii. Repugnat etiam evidenter rationi. Siquidem peccatum, nam de hoc mali genere loquimur, ex dictis contra Janſenium in præcedente tractatu, non poteſt eſſe, niſi in natura, quæ ab antecedenti peccandi neceſſitate libera ſit. Natura vero, quæ ſit ita libera, natura mala non eſt: nec qui ſunt hujus naturæ, mali ſunt a natura; ſed ſuapte electione, & arbitrio.

Quod ſi dicas, eſſe aliquos Angelos natura malos ideo, quod ad peccandum ſint natura propenſi. Primum, iſta propenſio nullo fundamento adſtruitur; & cum dicatur eſſe a natura, quæ paſſionibus caret, ac ſimplex, & intelligens eſt; explicari non poteſt. Deinde iiſdem de cauſis non poteſt probari, & intelligi, quod hæc voluntatis inclinatio ad peccandum, ſi eſt in aliquibus Angelis, non ſit etiam in omnibus. Tertio, his prætermiſſis, eſto aliquos Angelos natura ad peccandum inclinet, ſi eos ad pravum voluntatis aſſenſum tantummodo inclinat, non etiam antecedenti neceſſitate conſtringit; conſequens eſt, ut iiſdem ſuppeditet, unde illi inclinationi poſſint reſiſtere, nec ab ea vinci, niſi volentes. Hac vero natura qui eſt, natura malus dici non poteſt. Ut liquet in homine; de quo Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 9. n. 6. & in libro de dono Perſever. cap. 11. n. 27. *Ignorantia, & difficultas etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus.* Conſule Doctores ſcholaſticos in tract. de Grat. quæſt. de Statu puræ Naturæ.

Probatur tertium. Nam cum Angeli & clarius, & citius videant, quid ſit agendum; cumque in illis non ſit duplex appetitus, & interior ea pugna, & diſſenſio, quam deſcribit Apoſtolus ad Rom. VII. 15. 16. 17. &c. *Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio &c.* & ad Galat. V. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem &c.* Sequitur, ut ſint Angeli liberi, ac ſui juris, ſive actionum ſuarum domini, magis quam homines. Siquidem ignorantia, & difficultas libertatem interdum tollunt, ſemper minuunt. His ipſis duobus evincitur alterum, quod præcipue contendimus. Nam quod homines adeo inconſtantes, ac mobiles ſint, tum in electione eorum, quæ ſunt ad finem, tum in ipſa intentione & propoſito finis, hæ duæ ſunt potiſſimæ cauſæ, nova, quæ facile ipſis ſupervenit, ſive cognitio, ſive corporis, aut animi paſſio, & affectio. Utroque autem incommodo Angeli carent: quippe qui in rei cujuſlibet naturali notitia nullos, ut diximus, habent proceſſus; ſed eam totam primo mentis contuitu ſubito penetrant, intimeque pervadunt: nec defatigationi, tædio, ægritudini ſubjecti ſunt, aut ulla cupiditate incitantur, vel retardantur.

Neque dicas, his duobus hoc tantum evinci, quod Angeli, ſpectata ipſorum natura, mutare voluntatem non poſſint moraliter; non vero, quod id non poſſint etiam phyſice: nam ego hoc tantum negavi, quod multi ajunt, poſſe Angelos voluntate mutari æque, ut homines: ſatis eſt autem, Angelos id facere non poſſe moraliter, ut verum ſit, illos minus id poſſe, quam homines. Addo præterea, quod hoc magis declaret, atque confirmet. Angeli enim in natura intelligente medium obtinent gradum, inter ſummum, in quo eſt Deus, & infimum, in quo homines: propius igitur quam homines ad Dei & libertatem, & immutabilitatem accedunt; ſeu diſtant inde minus: quanquam confiteor, eos etiam infinite diſtare.

Probatur quartum. Quippe eadem ratio eſt de primo temporis momento, quo Angelus eſſe incipit, quæ de reliquis deinceps. Planum fit hoc ipſum, expenſis iis duobus, quæ ad actionem liberam ſunt neceſſaria. Quod enim attinet ad facultatem ipſam liberam, ea nihil impedimenti habet ex ſe, quo minus, quandocunque eſt, poſſit libere agere. Satis eſt enim, ut prius natura ſit indifferens: neceſſe non eſt, ut voluntatis indifferentia voluntatis ejuſdem determinationem, ſive electionem antecedat tempore. Ut in Deo eſt evidens; ac Theologi ſcholaſtici oſtendunt de Chriſto. Neque dicas, primam illam actionem,

nem, quæ fit una cum Angelo, tribuendam ſoli Deo Angeli conditori; nam eadem ratio eſt de actionibus ſequentibus, quæ eodem modo ſe habent ad Deum Angeli conſervatorem, & perpetuum quodammodo conditorem. Quod vero attinet ad intelligentiam, quæ voluntati præire, ac prælucere boni, & mali cognitione aliqua debet; nihil hinc pariter impedimenti habet in Angelis; qui ex dictis non egent tempore, aut ratiocinatione; immo nec compoſitione, aut diviſione; ſed ſimul unico mentis intuitu iſta omnia advertunt, atque perſpiciunt. Quod explicari pariter poteſt exemplo Dei, & Chriſti.

Confirmantur hæc teſtimonio S. Scripturæ; & maxime ex iis, quæ de Lucifero ſcripta ſunt Ezech. XXVIII. 15. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ*. Hoc eſt, ut Patres, & Interpretes explicant, ab utraque facultate, intelligendi ſcilicet, & volendi optime paratus, & inſtructus a primo ipſo temporis momento, quo eſſe cœpiſti. Ut ipſi etiam ad litteram, ſive hiſtorice congruat illud Eccli. I. 4. *Prior omnium creata eſt ſapientia;* & illud Job xl. 14. *Ipſe eſt principium viarum Dei*. Neque dicas, hic eſſe ſermonem de donis ſupernis, quibus omnes Angeli, & inſigniter Lucifer eo ipſo temporis puncto, quo conditi ſunt, ornati fuerunt. Nam quemadmodum Lucifer, ac cæteri Angeli, ſimul ac extitere, potuerunt dono Gratiæ edere actiones liberas ordinis ſuperioris; ſic pariter actiones liberas ordinis inferioris potuiſſent edere bono naturæ. Diſcrepantia iſta eſt in ſolo ordine, ſeu genere actionum: quæ propterea argumenti ex ſacris Literis ducti vim non infirmat.

Probatur quintum. Scripturę, Concilia, & Patres in Angelorum via, atque curſu duas partes diſtinguunt, initium, & conſummationem: & ut de omnibus memorant, quod ſancti, quod cœleſtibus tum naturę, tum Gratię donis referti principio fuerint, ſic in Angelis bonis laudant perſeverantiam; contra vero malis exprobant lapſum, defectionem, averſionem a Deo, cui antea adhęſerant. Recolenda, quę in hac ipſa Propoſitione, ex his tribus theologicis locis ſupra dedimus par. 2. Quibus adde, quod de Lucifero, legitur Ezech. XXVIII. 12. 13. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum &c. donec inventa eſt iniquitas in te &c.* Quę, proportione ſervata, conveniunt in omnes Angelos. Ita quod eſt Joan. VIII. 44. diabolus *in veritate non ſtetit*. Ex quibus Auguſtinus lib. 12. de Civit. cap. 9. n. 2. *qui eos*, inquit, *cum bona voluntate, ideſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam.... Iſti autem, qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cum a bono ſponte defecit &c.* & lib. de Correp. & Grat. cap. 10. n. 27. *Diabolus, & angeli ejus etſi beati erant, ante quam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent &c.* & cap. 11. n. 32. *Angeli ſancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt &c.* Hęc vero deſignant duas operationes Angelicas, ſeu, quę Scholaſtici vocant, duo *theologica inſtantia*, duas *moras Angelicas*. Quibus reſpondent, ut minimum, duo momenta temporis. Dixi, ut minimum; quia valde probabile eſt, Angelos in utroque illo actu fuiſſe longiori temporis ſpatio: non quidem quia non potuerint illa peragi ab Angelis momentis duobus, ut recte notat Suarez lib. 5. cap. 11. ſed quia Scriptura ita loquitur, ut videatur, aliter factum. Nam verba illa Ezechielis, *in deliciis paradiſi Dei fuiſti;* & quod Iſa. XIV. 12. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Item, quod ſcribit Judas, *Angelos dereliquiſſe ſuum domicilium;* & quod Apoc. XII. 7. *Et factum eſt prælium magnum in cœlo; Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & angeli ejus;* ſi de illis etiam, quæ dixi intelligi debet, aut poteſt; eas duas Ange-

lorum moras, ſive operationes videntur aliquantum protrahere, & ad longius noſtri temporis ſpatium extendere.

Dices, Angelos malos ne momento quidem Deo adhæſiſſe; ſed ſtatim peccaſſe: primum, quia ſcriptum 1. Joan. III. 8. *ab initio diabolus peccat*. Deinde, quia non cohæret cum immobilitate voluntatis Angelicæ nuper aſſerta, quod ſecunda eorum actio libera fuerit primæ plane contraria. Ad primum reſpondeo, illud *ab initio* non eſſe accipiendum mathematice, ſed moraliter. Sic enim exigunt teſtimonia Scripturarum, Conciliorum, e Patrum ſuperius allata. Immo intelligendum non tam de peccato, quod diabolus ipſe patravit per ſe; quam de peccato, quod diaboli ſuaſu, & inſtinctu patratum eſt a primis hominibus, Quemadmodum intelligendum eſt illud etiam Joan. VIII. 44. *ille* (diabolus) *homicida erat ab initio*. Conſulite Interpretes. Ad alterum vero reſpondeo, hoc argumento maxime confirmari, quæ modo dicturus ſum; peccaſſe ſcilicet Angelos, revelata, & injuncta illis a Deo re aliqua, quæ nova, & dura ipſis accidit. Sic igitur.

Probatur, quod erat ſextum, & ultimum. Nam tentari, ſive probari Angelorum fidem, atque conſtantiam, eorumque meritum compleri, & conſummari certamine aliquo, convenientiſſimum fuit, & ſecundum eam providentiæ legem, quæ expreſſa eſt Tob. III. 21. *ſi in probatione fuerit, coronabitur*. Et II. Timoth. II. 5. *non coronabitur, niſi legitime certaverit*. Quo pertinet illud Chriſti Domini apud Matth. x. 22. & XXIV. 13. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Et conſentanea ſunt, quæ Gen. II. 17. & XXII. 1. Tob. XII. 13. Sap. III. 5. & x. 12. Philip. II. 8. 9. Apocal. II. 7. & XXI. 7. &c. Itaque ſecunda mora Angelica, ſeu ſecundo inſtanti theologico hæc comprehenduntur: quod Deus revelaverit Angelis Incarnationis myſterium, eſto non ita diſtincte, uti deinde Apoſtolis, & Eccleſiæ; & quod ſimul præceptum adjunxerit adorandi Hominem Deum, eumque habendi tanquam proprium ipſorum etiam caput, ac regem, ejuſque Matrem, tanquam reginam. Quod Lucifer, qui inter cœleſtis militiæ principes erat, indigne tulerit, in re tanta præferri hominem Angelo, & maxime ſibi: nec ſolum Dei præcepto parere recuſaverit; ſed aliis etiam ut id ipſum facerent perſuadere conatus ſit. Quod ei conſenſerint multi; ſed longe plures adhæſerint Michaeli, qui cum pariter eſſet *unus de Principibus primis* (Dan. x. 13.) Deo ſe obedientiſſimum præbuit, ac Luciferi conatibus inſigniter obſtitit. Porro hoc fuiſſe Angelorum peccatum inde arguo, quod adorationis ejus, quam diximus ipſis a Deo imperatam, expreſſe meminit Paulus Apoſtolus; hæc enim ad Hebr. 1. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Ideo apponit illam particulam *iterum*, quia decretum de Incarnatione Deus ab æternitate per internam locutionem communicavit cum Filio, quando illi, una cum Natura divina, dedit ſua omnia, quod Apoſtolus verſiculo præcedenti expreſſit ex Pſalm. II. 7. Deinde vero idem ipſum decretum, ſub initium temporis, per locutionem externam, communicavit cum Angelis; & præceptum addidit, de quo diximus, in hoc verſiculo expreſſum ex Pſalm. XCVI. 7. Præterea hoc etiam argumento permoveor, quod Iſaias teſtatur XIV. 13. 14. eo aſpiraſſe Luciferum, ut par cum Deo regnum, & ſolium haberet, ut Deus quodammodo fieret. Quantacunque autem ejus ſuperbia fuerit, non videtur credibile, ita occæcatum fuiſſe, ut non videret, id nec obtineri poſſe, nec omnino fieri, niſi tantum eo modo, quo id homini datum iri, audiebat a Deo ipſo. Peccavit igitur, quod per hypoſtaticam Unionem nollet uſque eo hominem tolli, ut ſederet ad dexteram Dei; vellet illuc evehi Angelum. Peccavit, quod divinos honores nollet haberi Chriſto; vellet haberi ſibi.

Quod ſi quis diceret, peccaſſe quidem ſuperbia Luciferum; ſed quia affectavit Angelorum imperium. Quod cum theocraticum eſſet; hoc eſt, cum Angeli Deum regem haberent; ſequi, ut Dei locum ambierit. Atque ita eſſe explican-

eandum, quod eſt apud Iſaiam loco cit. *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum . . . ſimilis ero Altiſſimo :* Et quod apud Ezech. XXVIII. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate , & peccaſti &c.* Quaſi dicat , peccaſti ambitu; peccaſti, quod Angelos ad defectionem ſollicitaris , quod apud ipſos egeris , ut te in regem eligerent. Si quis, inquam, hoc diceret, ejus ſententiam non improbarem; præſertim cum poſſit cum ea ſententia, quam proxime expoſui; bene componi . Nam *multitudo negotiationis*, quem loquendi modum uſurpavit Ezechiel , eſt multiplex Luciferi ambitus , & dignitatis , & dominatus . Utrumque appetivit ipſe, & indignatus eſt homini dari . Immo probo etiam , qui aliis etiam in rebus affectaſſe dicunt ſimilitudinem aliquam divinæ poteſtatis; ſic tamen , ut primum ipſius peccatum fuerit, nolle ſubjici homini Deo . Legendi præcipue de prima hujus Propoſitionis parte Sanningh , Ripa , Salmanticenſes, Platelius, Contenſonus , Fraſſen. De ſecunda Holchot , Mediavilla, Nazarius, Hacherus, Hervæus, Godoy. De tertia Major , Lao, Hibernicus, Sylvius, Quiros, Laurentius a S. Thereſia. De quarta Moncæus, Peſantius, Eſtius, Arrubal , Membrius , de Aravio . De quinta Medina , Mezger , Malonius , Turrianus, Viva , Tournely . De ſexta Viguer , Catherinus , Ruar , Herrera , Hecheverria, Maignan &c.

PROPOSITIO IX.

De modo , quo Angeli ſe habent ad locum , & tempus ita retinemus communes , ac pervulgatas Scholaſticorum ſententias ; ut tamen admittendum , & Angelis tribuendum putemus medium quoddam præſentiæ genus inter illud , quo loco , & tempori præſens eſt ſummus ſpiritus , qui eſt Deus ; & illud , quo loco , & tempori præſens eſt ſpiritus infimi ordinis , qui eſt hominis anima : nam animas belluarum non eſſe propriè ſpiritus , ſumimus hìc ex Philoſophia .

PRobatur hoc ſyllogiſmo . Si poteſt inveniri medium id quod dixi præſentiæ genus, nec ex eo ſequitur aliquid abſurdi, aut incomodi , admittendum , eſt, & Angelis tribuendum . Poteſt autem inveniri, nec ſecum videtur afferre aliquid abſurdi, aut incommodi ; admittendum eſt igitur , & Angelis tribuendum . Major propoſitio , ea conditione ſervata, quæ ibi exprimitur, non poteſt negari, his duabus præſertim de cauſis. Primum, ex illo axiomate, & auctoritate, & ratione apud Scholaſticos ipſos receptiſſimo, quod Angeli medium obtineant intelligentis naturæ inter Deum, & hominem; medium, inquam, ſic tamen, ut diſtent a Deo infinite, ab homine autem ſolum finite : cum Angelorum perfectio , ut vidimus , circumſcripta terminataque ſit. Deinde , quia medio hoc præſentiæ genere poſito , ac rite explicato, multa, quæ de Angelorum loco, & tempore Scholaſtici diſputant inter ſe, facile componuntur. Tota igitur difficultas eſt in minore propoſitione , quam ſic explano . Doctor Eximius Metaph. diſp. 30. ſect. 7. n. 51. præter alias plures, quas notat, eſſe dicit hanc *aliam notandam differentiam inter divinam ſubſtantiam, & alias immateriales ; quod aliæ, cum ſunt in loco extenſo , quamvis habeant totam ſubſtantiam ſuam in toto, & totam in qualibet parte ; non tamen habeant totam ſuam præſentiam in qualibet parte : ſic animam rationalem , licet ſit tota in toto , & tota in qualibet parte ; non tamen habere in qualibet parte totam præſentiam, ſive ubi-*

tationem, *& unionem ſuam*, *ſicut habet in qualibet parte totam ſubſtantiam ſuam*. *At vero divinam ſubſtantiam ita eſſe totam*, *ubicunque eſt*, *ut ibi etiam habeat ſuam totam præſentiam*, *& Immenſitatem*. *Quod quidem*, *ſicut admiratione dignum eſt*, *ita etiam divina eminentia*, *& perfectione digniſſimum eſſe*, dicit. Porro quod ait hic Suarez de Anima rationali, puto negandum de Angelis; & ſic exiſtimo, inter præſentiam divinam, & præſentiam Angelicam hoc intereſſe, quod illa ſit infinita, ſit neceſſaria, ſit immutabilis, ſit ipſe Deus; contrario autem hæc ſit finita, ſit contingens, ſit mutabilis, non ſit ipſe Angelus. Cæterum eſſe multum quoque, quod differat inter præſentiam Angeli, & præſentiam Animæ rationalis; atque hæc inter cętera; quod præſentia Animæ ſit multo reſtrictior, & anguſtiori ſpatio definita, cujuſmodi eſt brevis humani corpuſculi modus. Deinde, quod huc maxime facit, quod Anima ſit in loco extenſo, individua quidem ſubſtantia, ſed dividua præſentia. Contra vero Angelus ſit, aut eſſe naturaliter poſſit, ſi velit, in ſpatio longe ampliori; nec ſolum ſubſtantia, ſed etiam præſentia plane individuis. Sicuti vero Angelus ſe habet ad locum, ſeu ſpatium manens; ſic etiam proportione ſe habet ad tempus, ſeu ſpatium movens. Verumque adeo eſt, & facile intelligitur, quod in hac quæſtione docet S. Thomas, Angelum ſine loco, & tempore, moveri in loco, & tempore; quia individua non ſolum ſubſtantia, ſed etiam præſentia dividuo loci, & temporis ſpatio reſpondet.

Dices, non poſſe explicari, quid ſit hæc utraque præſentia; & quomodo, cum ſit individua, ſimul reſpondeat, atque cohæreat pluribus & loci, & temporis partibus. Deinde utcunque id explicetur, non poſſe vitari hoc incommodum, quod ſicuti Deus in ſingulis locis, & temporibus præſentiſſimus eſt locis, & temporibus univerſis, quia, ut notatum reliquit Anſelmus Monolog. cap. 21. 22. &c. eſt in ſingulis tota & Immenſitate, & Æternitate ſua: ſic pariter pro ipſius menſura, & modo dici poſſet de Angelo; ſi in ſingulis loci, & temporis partibus eſſet tota præſentia ſua. Hoc vero eſto dari poſſit de loco Angeli, qui certos fines, ac limites habet; omnino negandum eſt de Angeli tempore, quod termino caret, & a Theologis ævum appellatur.

Reſpondeo ad primum, me nomine præſentiæ hic intelligere formam illam, ſeu propriam illam rationem, qua res in certo aliquo loco, aut tempore conſtituitur. Porro cum ſit Anima in corpore per unionem, neque enim opus eſt alio; Unio autem in Anima ſimul, & corpore recipiatur, quoniam connexa eſt cum materia, & in ea nititur, & inſiſtit, res eſt corporea, ac proinde etiam dividua, & partibus corporis cohærens totidem partibus ſui. Contra vero præſentia Angeli, ſive ſit aliquis modus, ut multi volunt; ſive, quod probabilius, & naturæ Angelicæ magis conſentaneum duco, poſita ſit in aliquo actu, qui Angeli ſubſtantiam tali loco, & tempori, ut ita dicam, affigat, & ex ſe indifferentem determinet; quoniam hic modus, vel actus eſt ab Angelo, & in Angelo tantum recipitur, eſt plane incorporalis, & partibus caret. Quomodo autem præſentia individua adæquet ſpatium manens, & movens, etiam longe extenſum, & quamvis partibus careat, nulli ejus parti deſit; intelligi poteſt exemplo divinæ Immenſitatis, & Æternitatis; quæ cum ſint ipſe Deus, nempe actus puriſſimus, ac ſimpliciſſimus, reſpondent tamen utriuſque generis ſpatio plane infinito. Quemadmodum ſuo loco expoſuimus.

Ad ſecundum; memineris eorum duorum, quæ ſupra notavimus; utramque Angelorum præſentiam eſſe finitam, atque mutabilem. Res igitur ita ſe habet. Quam late patet, atque pertingit ille actus, vel modus, per quem Angelus præſens eſt loco; ei omni loco præſens eſt in ſingulis ejus loci partibus. Et ſimiliter, quamdiu durat, ac perſeverat ille actus, vel modus, per quem præſens eſt tempori; ei omni tempori præſens eſt in ſingulis ejus temporis partibus. In quo nihil abſurdi. Neque enim propterea eſſet in Angelo *interminabilis*

vitæ

Digitized by Google

vita tota ſimul, & perfecta poſſeſſio; ut vere eſt in Deo. Quoniam vita Dei, quæ eſt ipſe Deus, eſt unicus, atque immutabilis actus, ſimpliciter infinitus, qui ſpatio temporis noſtri utrinque interminato reſpondet. Vita vero Angeli ab Angelo ipſo diſtinguitur, & contexta eſt ex actibus, aliis poſt alios in infinitum futuris; quorum ſinguli certæ ſolum reſpondent noſtri temporis parti. Nam quod aliqui ajunt, Ævum non ſolum fine, ſed omni etiam mutatione, ac ſucceſſione carere, nec præteriti, & futuri; prioris, & poſterioris differentias admittere; vel eſt omnino negandum, ex iis, quæ ſuo loco diximus de notione, & nomine Dei in illud Exod. III. 14. *Qui eſt*; vel ita diſtinguendum, ut ſi ſermo ſit de ipſo naturæ æviternæ Eſſe, ſive exiſtentia, poſſit id adverſariis in hac quæſtione permitti: ſi vero loquantur de naturæ æviternæ vita, & operatione, pernegari debeat.

Cæterum hoc duplici præſentiæ divinæ, & Angelicæ notato, ſervatoque diſcrimine; ad alia plura, quæ de Angelorum loco, & tempore Scholaſtici ambigunt, definienda, & explananda, exemplo eſſe poterunt Immenſitas, & Æternitas Dei. Quod vobis marte veſtro experiundum relinquo. Legendi præcipue Fonſeca lib. 6. metaph. cap. 2. q. 4. Molina p. 1. q. 4. a. 13. diſput. 13. & 14. Corduba lib. 1. q. 55. dub. 8. Trigos p. 1. q. 10. a. 4. dub. 2. Gillius de Eſſent. Dei lib. 2. tract. 10. a cap. 15. Ruiz de Scientia Dei diſput. 28. Navarrete controv. 52. Herice in 1. p. tract. 1. diſput. 6. cap. 4. num. 67. Granado tract. 4. diſput. 3. & 4. Palanco diſput. 5. q. 2. n. 20. &c.

PROPOSITIO X.

De Angelorum cuſtodia, quæ inter externas ipſorum actiones numerari poteſt, & una eſt ex præcipuis, hæc quatuor tenenda. I. Eſſe de Fide, quod ſancti Angeli ſint a Deo cuſtodes hominibus dati. II. Eſſe Fidei proximum, quod hæc cuſtodia non ſit tantum generalis, & in commune; ſed ſit etiam particularis, & cujuſque propria: ut ſinguli homines cuſtodiantur a ſingulis Angelis. III. Eſſe certum nec poſſe ſine temeritate negari, quod hoc beneficium ſit univerſale; nec ſoli prædeſtinati, vel ſoli juſti, aut fideles, nec ſoli adulti, aut initiati baptiſmo, ſed omnes prorſus homines, ſtatim ab ortu, ſuo quique Angelo in cuſtodiam tradantur. IV. Eſſe valde veriſimile, atque probabile, quòd cuilibet homini ſicut Deus ſtatim ab ortu adjungit Angelum bonum ad tutelam; ſic Lucifer apponat Angelum malum ad perniciem.

PRobatur primum. Nam hæc Angelorum cuſtodia eſt certo revelata; cum ſit expreſſe in pluribus Scripturæ locis: ut Pſalm. xc. 11. *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*. Item Zach. 1. 10. *Iſti ſunt, quos miſit Dominus, ut perambulent terram*; & IV. 10. *Septem iſti*

oculi

oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram. Et ad Hebr. 1. 14. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*. Mitto alia ſexcenta non minus clara, & expreſſa. Præterea hæc eſt, & ſemper fuit Eccleſiæ doctrina, ac fides; qua cuſtodes Angelos & invocat, & colit, eiſdemque aras, ac templa dedicat. Hoc ipſum docent Patres ſummo conſenſu, inter quos Hilarius cap. 18. in Matth. num. 5. ſic ſancit: *praeſſe Angelos, abſoluta auctoritas eſt*.

Dices, hac ſententia minui amorem hominum erga Deum, qui ſi eos cuſtodiret ſolus, ſolus ea de re eſſet ab illis amandus. Amatur autem magis, qui amatur unice. Præterea externæ etiam Dei gloriæ hac ſententia detrahi, qui, ſi homines ſolus per ſe cuſtodiret, ſuam & potentiam, & ſapientiam magis oſtenderet.

Reſpondeo, iſtis argumentis, ſi quid valerent, poſſe ſimiliter confici, convenientius fore, Deum, quæ agit una cum cauſis ſecundis, per ſe ſolum efficere. Procreari homines, non ab hominibus, ſed a Deo ſolo; produci, & circumvehi lucem, non a luminaribus, ſed a Deo ſolo; & alia horum ſimilia, quæ ſapiens nemo dicat. Ratio eſt; quia cauſæ ſecundæ non ſolum ſunt inſtrumenta Dei, ſed ipſam illam vim, atque actum inſtrumenti proprium habent a Deo: quare nihil ipſi amoris, aut gloriæ detrahere, nec quicquam derogare in ullo genere poſſunt. Immo ex hac ſententia contrarium potius ſequitur. Nam Angeli quicquid erga homines faciunt, Deo illos mittente, movente, & cum iiſdem proxime, ac ſpecialiſſime concurrente, faciunt. Ex quibus ſicut Dei in nos beneficium non minuitur, ſed potius augetur, ita non minuendus amor in Deum noſter, ſed potius augendus. Sic pariter, ſi bene reputaverit, quantum, & quale ſit, quod Deus eas mentes condiderit, & tanta virtute, ac poteſtate donarit, quibus potuerit rerum creatarum, ac præcipue hominum cuſtodia committi; ea in re magis explendeſcit ipſius potentia, & ſapientia, quam ſi hæc, ut ſolus creavit, atque conſervat, ita etiam ſolus adminiſtraret, & cuſtodiret. Adde, quod hujus univerſitatis perfectio, & pulchritudo tum naturalis, tum quæ ſupra naturam, de quibus utique Deus eſt maxime & amandus, & laudandus, hanc poſtulant conſenſionem, colligationemque partium inter ſe; hanc veluti harmoniam, atque concentum; ut inferiora a ſuperioribus pendeant, ab eiſque adminiſtrentur, atque curentur. Lege Auguſtinum lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 24. n. 45. lib. 83. Quæſt. q. 79. n. 1. lib. 3. de Trinit. cap. 4. n. 9. 10. &c. Demum, quicquid ſit quod nobis de hac re videatur; ſtandum eſt teſtimonio Dei, non ratiocinationibus noſtris. Cum igitur Deus aperte dicat, hominum cuſtodiam a ſe Angelis demandatam, ita tenendum eſt, ac fide divina credendum. Quod in aliis etiam queſtionibus a vobis notari, ac reputari volo.

Probatur ſecundum. Nam preter illos Scripturę locos, quibus generatim oſtendi, eſſe certo revelatum, quod cuſtodiendis hominibus Angelorum miniſterio, & opera Deus uti voluerit; ſunt alii etiam, quibus oſtendi poteſt, eſſe probabiliſſime, ac fere certo revelatam Angelorum cuſtodiam, ut ita dicam, particularem: nec ſolum regnorum, & provinciarum, ut Daniel x. 13. 20. 21. &c. ſed ſingulorum hominum, quę fuit ſecunda aſſertio noſtra. Tale eſt illud Matth. XVIII. 10. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*. Item quod eſt Gen. XLVIII. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis*. Judit. XIII. 20. *Cuſtodivit me Angelus ejus... & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari*. Pſalm. XXXIII. 5. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos*. Eccle. v. 5. *neque dices coram Angelo: Non eſt providentia*. Daniel XIV. 33. 34. Act. x. 3. 4. Accedit, quod hos Scripturæ locos ita interpretatur Eccleſia. Nam quamvis de hoc nihil ſit in ullo Generali Concilio, aut ab ullo Romano Pontifice definitum; hunc tamen eſſe, ac ſemper fuiſſe Fidelium ſenſum conſtat ex illo Act. XII. 15. cum Petro e carcere liberato, et pul-

Digitized by Google

pulſante oſtium domus, *ubi erant multi congregati*, exiſtimarunt illi primo, non Petrum, ſed Petri Angelum eſſe, *dicebant: Angelus ejus eſt*. Adde interpretationem Patrum. Illuſtre eſt illud Hieronymi in locum Matthæi proxime laudatum. *Magna*, inquit, *eſt dignitas Animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum*. Cætera reperietis apud Auctores ſuo loco recenſendos. Adde tamen locum Auguſtini, qui ab illis omittitur: ſic enim de extremo Judicio in lib. 20. de Civit. cap. 14. *An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, & vitam ſuam quiſque ab Angelo ſibi adhibito audiet recitari? Non ergo unus liber erit omnium, ſed ſinguli ſingulorum*. Quæ quicquid futurum ſit de libris, quod ſpectat ad Angelos, eſt ipſa aſſertio noſtra.

Dices, *puſillos*, quos Chriſtus nominavit apud Matthæum, non pueros fuiſſe, ſed Apoſtolos, ſic enim locum illum exponendum cenſet Calmetius. Quod autem Apoſtolis, aut aliis etiam tum Eccleſiæ, tum Sæculi Principibus aſſignetur certus aliquis Angelus ad cuſtodiam, non probat, idem fieri cum cæteris hominibus. Deinde, eſſe ſententiam fortaſſe falſam, ſed tamen nulla nota dignam, quod unus Angelus cuſtodiat duos, treſve homines ſimul. Immo eſſe ſententiam valde probabilem, quod idem Angelus cuſtodiat multos conſequenter, hoc eſt, alium, denato alio.

Reſpondeo ad primum, etiamſi divinus Magiſter locutus ibi non ſit de pueris, ſed de Apoſtolis, ut aliquibus placet; nihil tamen de aſſertione noſtra remittendum. Primum, quia Apoſtoli eo tempore, in re illa ſe habebant, ut cæteri homines: nondum Eccleſiis præerant. Deinde, quia Eccleſia, & Patres, qui dati ſunt nobis a Deo Scripturarum interpretes, vel locum illum intelligunt de pueris, vel certe ita intelligunt, ut quod Chriſtus dixit de illis, quos ibi vocat *puſillos*, exiſtiment & ad pueros, & ad cæteros homines pertinere. Certe modus ille loquendi, *Angeli eorum* ſignificat, eſſe Angelos etiam aliorum. Euſebius Cæſar. lib. 13. Præpar. Evang. cap. 7. hæc habet: *Angelum unicuique ad cuſtodiam datum, ex Scriptura didicimus*. Tertio, quia hæc doctrina eſto non eſſet in verbo Dei Scripto, eſt tamen tanto Patrum, & Eccleſiæ conſenſu recepta, ut probabiliſſimum ſit, ac fere certum, eam eſſe ſaltem in verbo tradito. Quo etiam, Fidei proxima eſt: & inficias ire, & contradicere, non tantum eſt temerarium, ſed etiam hæreſi proximum: Vel ut ait Suarez lib. 6. cap. 17. nu. 8. *fere erroneum*. Nempe, quia ſententia contraria ſequitur ex duabus præmiſſis propoſitionibus, altera revelata, altera non quidem evidente, ſed theologice certa: ut apparet in hoc ſyllogiſmo. Singulorum *puſillorum* cuſtodes ſunt ſinguli Angeli; ſed quicquid in hac re dicitur de *puſillis*, convenit cæteris etiam hominibus. Singulorum igitur hominum cuſtodes ſunt ſinguli Angeli.

Ad ſecundum reſpondeo, particularem Angelorum cuſtodiam a me ita defendi, ut ſatis habeam, ſi præter Angelos, qui cuſtodiunt regna, provincias, civitates, & minores fortaſſe etiam cœtus, ac præſertim capita, ſive illos, qui præſunt; admittantur Angeli, qui proxime & ſingulatim cuſtodiant quemque etiam privatum. Utrum autem inter hos immediatos, ut ita dicam ſingulorum cuſtodes ſint aliqui, in quorum tutela ſint duo, treſve ſimul; vel etiam plures, alius poſt alium; quæſtiones eſſe neque dogmaticas, neque primarias. Equidem longe probabilius exiſtimo, quod idem Angelus non cuſtodiat eodem tempore duos. Tum ex modo loquendi Scripturarum, & Patrum; tum ex ipſa hujus officii natura, quæ identidem poſtulat præſentiam, vel aliud operæ, quod duobus ſimul, præſertim inter ſe longe diſjunctis, præſtari nec ab Angelo poteſt: tum etiam ex Dei magnificentia, ac munificentia erga homines. Ex quo etiam opinor, nec uno vita functo cuſtodiendum dari eidem Angelo alium. Quod perſuaſum video etiam Auguſtino loco ſupra laudato ex lib. 20. de Civitate Dei cap. 14. Quanquam hoc eſt magis incertum.

Pro-

Digitized by Google

Probatur tertia pars Propoſitionis. In hoc enim conſentiunt omnes doctores catholici, & quidem argumentis graviſſimis; tum ab auctoritate, quia Scripturæ, & Patres de hac Angelorum cuſtodia loquuntur ampliſſime, non eam reſtringunt, ac limitant: tum a ratione, quia cum homines per ſe ſoli pares non ſint reſiſtendo dæmonibus, Angelorum præſidium inter auxilia ſufficientia ad ſalutem merito computatur. Hæc vero nulli denegantur. Præterea, quia cum omni ætati, conditioni, ac generi hominum multa ſemper inſtent pericula, tum intrinſecus, tum extrinſecus, præſertim a dæmonibus, qui nocere non ſolum Animæ, ſed etiam corpori omni arte, ac via nituntur; Dei bonitati, & ſuaviſſimæ erga nos providentiæ conſentaneum fuit, omnes prorſus homines Angelica ope, & cuſtodia muniri.

Dices, gravia quoque eſſe argumenta contraria; tum ab auctoritate, quia cum loco ſup. cit. ad Hebr. 1. 4. dicantur Angeli, *in miniſterium miſſi*, *propter eos*, *qui hæreditatem capiunt ſalutis*, non videtur illis aliquid curæ, aut negotii datum eſſe de Reprobis. Præterea, quia ſunt aliqui Patres, ut Didymus, & Evagrius apud Damaſcenum in S. Parallelis Liter. A. titul. 7 immo & Baſilius comment. in Eſaiam num. 20. & 21. qui ſolis juſtis hominibus adeſſe tutelares Angelos docent. Tum etiam a ratione. Nam quomodo Angeli cuſtodiunt Reprobos, ſi eos perire ſinunt? Vel cur illis cuſtodes dati, ſi certo ſunt perituri?

Reſpondeo, iſthæc omnia levia eſſe; & fallacia: & primum quæ a ratione. Nam ſimilia objici poſſent defendentibus, Chriſtum non eſſe mortuum pro ſolis prædeſtinatis; nec ſolis prædeſtinatis dari, quod ſatis ſit ad ſalutem. Quæ propoſitiones non ſolum certæ ſunt, ſed ſunt certo revelatæ, ac prorſus de Fide. Sicut igitur Chriſtus vere ſanguinem fudit pro quolibet etiam ex Reprobis, & cuique ex ipſis datur Gratia vere ſufficiens; & tamen omnes Reprobi pereunt: ſic quod pereant, non probat, iiſdem non dari proprios Angelos ad veram, & ſufficientem cuſtodiam. Et ſicuti ratio, & cauſa fuit, cur Chriſtus mortem ſubierit etiam pro reprobis, ac Deus illis quoque decreverit gratiæ ſuæ auxilia, quamvis prænoſcerent, eos certo perituros: ſic quod certo ſint perituri, non propterea illis quoque adhibenda non eſt cuſtodia Angelorum. Nimirum, ut queri poſſint ſolum de ſe, ac ſibimetipſis tantummodo imputare, quod pereunt. Verumque adeo ſit illud Oſe. XIII. 9. *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*. Et illud Iſa. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Præterea ſunt illi etiam hujus cuſtodiæ fructus, quod reprobi non tantum peccant, neque tantum noxii, aut graves ſunt Electis, quantum dæmones cupiunt, & adnituntur. Quare *mitti* Angelos *in miniſterium*, & occupari etiam erga illos, qui pereunt, redundat in bonum eorum, *qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Atque ita explicatur locus Apoſtoli nobis objectus; nimirum ut Dei, & Angelorum ſint Electi non unica, ſed præcipua cura: & horum ſaluti conferat, & aſſerviat ipſa illa opera, quæ impenditur reprobis.

Ex Patribus vero in eo, quod in hac quæſtione præcipuum eſt, nulli nobis non favent. Quod enim velint, unicuique ſuum Angelum cuſtodem attribui, eo ipſo probatur, quod Angelos a malis hominibus non dicunt utcunque abeſſe; dicunt, *abſcedere*: & cum non dicant, abſcedere omnino, & illos penitus incuſtoditos relinquere; nulla in re ſunt nobis contrarii. In hac enim quæſtione eodem fere modo loquendum cenſemus de Angelis, quo de Gratia, ac de Deo ipſo, ut auctore, & largitore Gratiæ loqui ſolent Theologi. Nempe quod Angeli non deſerant, niſi deſerantur; & quos dicuntur deſerere, non ita deſerant, ut omnem prorſus eorum curam abjiciant. Quod iis etiam argumentis evincitur, quibus Theologi probant, Deum hominibus excæcatis, & obduratis non omnia gratiæ ſuæ auxilia uſquequaque ſubtrahere. Accedit, quod ſicuti eſt evidens, ejuſmodi homines conſervari a Deo, ut auctore naturæ; ita certum videtur hoc ſaltem in genere ab Angelis cuſtodiri. Immo adde, quod diximus, eſſe, cur hi quoque cuſtodiantur,

Digitized by Google

tur, ne noceant Electis, & alia, quæ ſupra tetigimus. Vide SS. Tomam p. 1. q. 113. a. 6. & in 2. ſent. diſt. 11. q. 1. a. 4. & Bonaventuram ibidem.

Probatur quarta, & ultima Propoſitionis aſſertio. Hoc enim Patres nulli negant; & aliqui tradunt diſerte, ut Tertullianus in libro de Anima cap. 39. & 57. Origenes homil. 35. in Luc. §. 1. & lib. 3. Periarch. cap. 2. num. 4. Immo Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis *eſſe* ait *Traditionem Majorum, quæ fidem ſibi vindicat, quod ſicuti Deus ad uniuſcujuſque vitæ tutelam, ac præſidium Angelum adhibet; ſic ex adverſo naturæ corruptor pari machinatione contranitatur, & pravo quodam, & malefico adjuncto dæmone, humanæ vitæ perniciem afferat.* Quod ipſum cum Magiſtro in 2. ſent. diſt. 11 docent quamplures ex Scholaſticis, tum antiquis, tum recentibus.

Adeſt & ratio. Nam Lucifer ex ſecundo illo viæ ſuæ momento, quo vidit, ſe non ſolum poſthaberi, ſed etiam ſubjici homini; & illi Dei nomen, ac poteſtatem, & omnino divinos honores impertiri; eo totum ſe vertit, & in eodem etiam nunc immobiliter perſtat, ut illos ſibi omni arte, atque opera uſurpet. Itaque aras, & templa, & ſacrificia, quique eum colant, & adorent, ſemper habere ſtuduit. Et quæ in hominum, & Angelorum gubernatione fieri videt a Deo, ea quantum poteſt, & ipſi permittitur, imitari conatur. Unde etiam ſimia Dei vulgo appellatur. Infixum illi, & immutabile eſt, *ſimilis ero Altiſſimo.* (Iſa. XIV. 14.) Accedit ſumma Dei, & Chriſti gloriæ imminuendæ, & hominibus nocendi cupiditas: quo apprime facere ducit, ſi præter dæmonum turmas toti humano generi infeſtas, ſingulis hominibus oppugnatorem, inſidiatoremque ſuum adjiciat.

Dices; ſi præter dæmones, qui ſane plurimi ſunt terra, mari, in aere, apud inferos, dæmon etiam ſuus addatur cuique mortalium; alterutrum neceſſe fore; vel quod Angeli mali ſint ut minimum tertia pars ex omni Angelorum numero, quod ſupra negatum eſt; vel Angelus ſimul eſſe poſſit pluribus in locis inter ſe diſſitis, quod omnino negandum videtur.

Reſpondeo, neutrum ſequi. Neque enim ita de hac re cogitandum videtur, quaſi Angeli bonus, & malus hominum lateri affixi ſemper adhæreant; nec poſſint ab eo, quem quiſque vel tuetur, vel oppugnat, interdum diſcedere, & alia interea exequi. Eo magis, quod Angeli ad loca etiam remotiſſima quam celerrime accurrunt; atque ut multi volunt, momento, & nullo prorſus temporis intervallo: ita ut nec opus ſit Angelo e terra ad Cœlum, vel illinc ad nos tranſeunti, quæ ſunt media, decurrere. Eo fere modo, quo ſi Deus momento conderet alterum mundum, eſſet momento in locis remotiſſimis, in quibus antea non erat: ſi tamen vera eſt ſententia illa multorum, quod Deus nunc non ſit extra Mundum.

Cæterum quod attinet ad numerum dæmonum, ſi vis, Cœli ſedes, ex quibus dejecti ſunt, implendas eſſe eodem prorſus numero hominum, concedi tibi non poteſt, dæmones eſſe tertiam partem Angelorum. Sunt fortaſſe tertia pars ultimæ Hierarchiæ, vel etiam ultimi Chori. Credibilius enim videtur, Angelos, quos decepit Lucifer, ex inferioribus ordinibus fuiſſe. Illud mihi eſt valde probabile, dæmones una cum iis omnibus, qui damnantur, & a Lucifero dici pariter poſſunt ſeducti, & draconis cauda ad inferos tracti, eſſe tertiam partem totius intelligentis naturæ: ſive Electos & Angelos, & homines ſimul ſumptos, eſſe numero duplo majori, quam Angelos ſimul, & homines reprobatos; uti dictum eſt ſupra.

Quod autem Angeli naturaliter eſſe poſſint duobus, vel pluribus ſimul in locis inter ſe diſſitis, ego etiam negandum arbitror; ſic tamen, ut ab ea ſententia non ſim admodum alienus: haud equidem propter illa, quæ hic objiciuntur; ſed ex verbis Chriſti Domini apud Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt.* Quid enim eſt, quod ſignificat primum illud, *in Cœlis?* Interpretes, & Doctores vulgo reſpondent, eum omnem locum, in quo Deus aperte cernitur, *Cœlum* merito nuncupari. Recte quidem; verum hoc figurate, non

Digitized by Google

proprie omnino, & ad litteram; quæ, quantum fieri poteſt, ſervanda ſemper eſt. Dici ergo fortaſſe poteſt, ſanctis Angelis, quando in miniſterium mittuntur, hoc divinitus dari, & ſupra ipſorum naturam, ut in Cœlo remaneant. Quod ipſum fieri cenſeo in Apparitionibus, ut ajunt, perſonalibus Chriſti, Deiparæ, ac Cœlitum aliorum, de quibus dicam Propoſit. XIII.

Legendi præcipue de hac tota re ex ſacris Interpretibus Serrarius in Tob. cap. III. & VI. Pererius in Daniel. lib. 4. & lib. 8. Ribera in Zachar. cap. I. & IV. Salmeron, Maldonatus, Cornelius a Lapide in Matth. XVIII. 10. Lorinus, Sanchez, Novarinus in Act. XII. 15. Ex Theologis Scholaſticis Suarez lib. 6. de Angelis cap. 17. & Caſtaldus de poteſt. Angelica tom. I. quæſt. ult. Ex Dogmaticis Becanus tom. I. tract. 3. cap. 6. & Petavius tom. 3. lib. 2. cap. 7. & 8. Ex Doctoribus Myſticis, & Aſceticis Dionyſius Carthuſ. in element. Theolog. & de lumine Chriſtianæ theoriæ, Ludovicus Bloſius in ſacello Animæ fidelis, & in Inſtructione vitæ Aſceticæ, Andreas Victorellus, & Ludovicus de la Cerda in Tractat. de Angelis Cuſtodibus &c.

PROPOSITIO XI.

Reliqua miniſteria, quæ Angeli obeunt circa naturas rationis expertes, quoniam connexa ſunt cum iis, quæ de rebus phyſica, & aſtronomica ſacræ Scripturæ dixi in ſecundo Prolegomeno; ea ipſa vobis hic ſub oculos referam, ſed breviſſimè, & aliquanto magis definitè, & diſtinctè. Tres igitur hujus propoſitionis ſunt partes. Prima erit de illis, quæ in utraque re, phyſica ſcilicet, & aſtronomica ſunt certo falſa, nec ſine aliqua nota poſſunt defendi. Secunda de illis, quæ ſi falſa ſunt, ſunt tamen probabilia, nec ſolum ſine ulla nota, ſed etiam commode defenduntur. Tertia de illis, quæ vera, & tenenda eſſe judico, & proprio circa ipſa Angelorum miniſterio.

PARS PRIMA.

I. INter illa, quæ ſunt certo falſa, nec poſſunt ſine nota defendi, ſunt omnia Copernicanorum ſyſtemata: ea communi ratione, quod S. Scripturæ certo adverſantur. Primum, quia, ut ſuo loco notavi, Scriptura tam ſæpe, tam conſtanter, tam diſerte Solis curſum, Terræ quietem, ſtabilitatemque teſtatur; ut id ad ſenſum dumtaxat vulgi dictum accipere; & prorſus contrario rem intelligi velle, ſit non modo alienum a recta ratione, ac regula interpretandi Scripturam, ſed omnem ipſius auctoritatem evertat. Deinde, quia Scriptura ſemper de Terra loquitur, tanquam de re a Cœlo, & cœleſtibus omnibus non ſolum ſejuncta, ſed & prorſus diverſa. Neque cum *Cœli concentum* memorat Job. XXXVIII. 37. inter aſtrorum choros Terram etiam admittit. Neque cum tot in locis *Cœli militiam* nominat, ei Terram quoque adſcribendam docet. Adde, quæ ſcripta ſunt I. Geneſ. Terram primo die, immo in ipſo rerum initio creatam a Deo; ter-

Digitized by Google

tertio autem die etiam ornatam; ſtellas vero quarto die conditas fuiſſe. Siquidem ut detur hic, omnia momento eſſe facta, quod tamen Deus in hac operum ſuorum deſcriptione Terram a ſideribus ita diſcreverit, argumento eſſe debet, eas eſſe res generis, atque ordinis longe diverſi. Quod contra Copernicani autumant, qui Terram unum ex Planetis eſſe volunt; eademque natura, indole, mobilitate, qua ſunt ſtellæ cæteræ errantes. Tertio his omnibus illud etiam accedit, quod Patres, ut videre eſt in ipſorum commentariis, & Eccleſia, ut ſatis apparuit in cauſa Galilei proprium, planum, & obvium Scripturæ ſenſum tuentur, nec ab eo diſcedi patiuntur.

II. Neque dicas, rem eſſe mere phyſicam, non Fidei, ac morum: nam cuicuimodi ſit, ſi eſt adeo clare, & aſſeverate in ſacra Scriptura; ſi de hoc ipſo convenit inter Patres tanto conſenſu; ſi de eodem Eccleſia non ſilendum, aut diſſimulandum, ſed apertam, publicamque ſententiam ferendam ſibi eſſe judicavit; & opinioni contrariæ unam ex gravioribus notis inuſſit: ei, qui his omnibus tribuat, quantum profecto eſt tribuendum, religioni eſſe debet in eadem opinione perſiſtere. Ajo præterea, rem iſtam, etſi per ſe phyſica, ſive aſtronomica ſit, ex adjunctis tamen, eique adnexis, quæ in ſecundo Prolegomeno expoſui, ad religionem etiam ſpectare. Illud graviſſimum, quod hoc exemplo divinæ Scripturæ auctoritas, ut dicebam, in diſcrimen adducitur. Scripta dici ſimiliter poſſent ex indoctorum ſenſu, & vulgi opinione alia plura, quæ ſunt in libris Moyſis, & in reliquis Scripturæ partibus, præſertim hiſtorialibus; demum illa omnia, quæ religionem per ſe non attingunt. Quaſi vero in omnibus Libris canonicis non loqueretur Deus; vel Deo loquenti habenda fides eſſet, pro re, de qua loquitur, non pro ſumma ipſius veracitate, & ſapientia.

III. Verum hæc communia; ſunt etiam propriæ cujuſque ſyſtematis labes. Adnoto hic pauca quædam in duobus celebrioribus, Carteſiano ſcilicet, ac Newtoniano: hæc enim ex iis omnibus, quæ recens cogitata, & inventa, Academias hodie obtinent, & ſtudiis ferme paribus propugnantur. Quod ad primum; ſatis eſt cum eo conferre, & contendere locos illos Scripturæ, in quibus agitur de procreatione Mundi: ut Gen. I. Job XXXVIII. Pſalm. CIII. Eccli. XLIII. &c. Hæc enim ſi repútes, Carteſii vortices fabulam dices, & commentum prope poeticum. His adde, quod animantibus brutis ſenſum, ac vitam negat, quæ ſacra Volumina indubitate ipſis attribuunt. Quid, quod ſibi parum cohæret, neque ad Geometricas leges, atque eas etiam, quas ipſe præfinit, eſt ſatis exactus; & in alias plures difficultates incurrit, e quibus ſe explicare non poteſt? Habetis hæc apud Huetium, & Auctores alios, quorum nomina huic etiam Propoſitioni, ſeu Epiſodio adſcribam, ſicut in reliquis omnibus præcedentibus feci.

IV. Scio extitiſſe nuper aliquot viros clariſſimos, qui collabentem Carteſii Hypotheſim fulcire, & conſtabilire ſtuduerint: præſertim vero Joannem Bernoullium in *novis meditationibus de ſyſtemate Carteſiano*. Verum in iis meditationibus multa diſplicent: intelligentioribus ſatis erunt hæc pauca. Primo, fluidum ponit denſius prope centrum vorticis, quam remotius a centro; cum tamen in vortice partes denſiores, ob majorem vim centrifugam, magis recedant, neceſſe ſit. Diſtinguit ille quidem duplex denſitatis genus: alterum conſiſtere dicit in craſſiore textu cujuſvis particulæ ex iis, quibus vortex componitur; alterum in majori propinquitate particularum licet rariorum: & ait, craſſiores particulas longius a centro recedere, ſed intervallo majore diſſitas inter ſe; levioribus vero particulis centrum verſus ſibi invicem multo propioribus, medium denſius conſtitui. Verum quoniam vi centrifuga ſit partium omnium niſus in extima vortici; videtur perſpicuum, ut ibi major eſt preſſio, ſic & majorem particularum conſtipationem fieri debere; ac proinde ſecundum etiam denſitatis genus majus fore. Deinde, ubicunque ſtatuatur Planeta, ſi plus materiæ continet (ut utrumque illud complectar denſitatis genus) ſi plus, inquam, materiæ continet, quam æqualis fluidi moles,

les, recedet ſemper a centro vorticis; ſin vero minus, accedet: nempe ob majorem in illa hypotheſi vim centrifugam, in hac vero minorem. Nam nullum in eo, aut in fluidi partibus gravitatis genus admittitur a vorticum defenſoribus; qui idcirco vortices adhibent, ut ea virium genera explicent ſola vorticis centrifuga vi. Quocirca non habebitur oſcillatorius ille motus, quem vocant, uti contenditur. Præterea fluidum variat, & nunc quidem paulo rarius, nunc vero denſius Planeta ipſo eſſe vult, ut impreſſionem in eum faciat quam maximam; tum illum agendo in gyrum, ne ex motu rectilineo per tangentem orbitæ, & ex aſcenſu ſimul compoſitis, per curvam excurrat, quæ Soli dorſum, ſive convexitatem obvertat; tum, ut propriis hujus facultatis vocabulis uti pergam, cogendo ut oſcillet. Ne dicatur autem motus oſcillatorius per vim medii reſiſtentis elidi, quemadmodum motus Penduli in aqua; denſitatem fluidi adeo exiguam eſſe dicit, ut reſiſtendi vis in ea ſit fere nulla, & quantum per plura etiam ſæcula nequeat ſenſu deprehendi. Non video ſane, quid proficere, & qua demum ratione poſſit ſe hinc expedire per eam duplicem denſitatem: cujus profecto vi fieri nequit, ut idem fluidum, & tam vehementer agat in corpus idem, & curſui illius omnino non reſiſtat, ſi motum eumdem non habet, ac corpus ipſum. Denique his accedunt, quæ omnium vorticum generi communia ſunt; impediri Cometarum tranſitum, ſi illi in orbes parabolicos, vel ellipticos ferantur; interrumpi communicationem motus vorticis generalis per vortices particulares, in quibus Secundarii circa Primarios revolvantur; deſtrui paulatim ipſos particulares vortices actionibus vorticis generalis; & alia ejuſdemmodi.

V. Newtonus tametſi omnia ſeverius expendit, & ad calculum, ac geometricam trutinam revocat; ipſius tamen ſyſtematis quoque multa ſunt incommoda, & difficultates habet graviſſimas. Nam primo, ut alibi notavimus, hypotheſis eſt, & ea quidem hypotheſis, quæ non modo ex ſolis quæ vocant phænomenis, non poteſt proxime colligi; ſed neque poteſt oſtendi, eam cum phænomenis plane congruere. Deinde, neque hujus hypotheſis Auctor, & qui eam defendunt, videntur ſibi ſatis cohærere, & conſiſtere. Cum enim hoc ſtatuant, corpora, earumque partes in ſe invicem agere, & aliam attrahere aliam, pro quantitate materiæ, ac menſura diſtantiæ, ſeu magis exacte, ac definite, ipſorumque verbis; cum velint, *omnes materiæ particulas ſe mutuo attrahere in ratione reciproca duplicata diſtantiæ, quæ inter illas intercedit;* hac lege, neceſſe eſſet, aut ſtellæ inerrantes, ſive quas Fixas nuncupamus, vi mutuæ actionis in ſe ipſas incurrerent, & ad efficiendum immenſum aliquod corpus, atque congeriem prope infinitam perpetuo tenderent: neque ab hac concurſione, & conjunctione poſſent aliter, quam Dei voce, vel Angelorum opera prohiberi. Hoc autem re vera, & contra rectam philoſophandi rationem, eſſet Deum, & Angelos habere pro machina; quod iſti per jocum, ſed, ut paulo poſt videbimus, injuria nobis exprobare ſolent; qui cœleſtium orbium converſionibus præeſſe volumus Angelos, vel eas in ſolam Dei vocem, nutumque referendas putamus.

VI. Neque melius convenit inter illa, quæ de Planetis tradunt, quibus nihil planius, expeditius, ſimplicius cogitari poſſe gloriantur. Hæ vero ſunt ipſorum notæ leges: *Corpus omne perſeverare in ſtatu ſuo, vel quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogatur ſtatum illum mutare. Eſſe omnem motum per ſe rectilineum; ſive, in certam plagam determinatum &c.* His autem poſitis, corpus quod movetur in gyrum, cum a recta linea ipſius orbitam tangente perpetuo deflectat, vim eſſe aliquam neceſſe eſt, quæ in illud perpetuo pariter agat; ac de recto itinere continenter deductum in itinere obliquo, inflexoque retineat. Itaque cum velint, Planetas, non omnes quidem uno eodemque impetu, ſed cuique apto, & utique magno, a Deo, cum Mundum conderet, quaſi jactos, libratoſque fuiſſe; & Primarios circum Solem volvi, Secundarios vero circum

ſuos

ſuos Primarios; ſequitur, vim eſſe aliquam, & profecto magnam, quæ, quantum illi a centro ſui motus conantur recta recedere, tantum repetitis actionibus eos ad centrum ipſum inclinet, ac flectat, & a ſuis, quas vocant, Tangentibus ſine ulla intermiſſione detorqueat. Jam vero, ut demus, hanc vim attrahentem, & a recto curſu detorquentem Planetas nihil minuere de impetu a Deo ipſis impreſſo; eſt tamen aliud ad intelligendum valde difficile. Vel enim medium, ſeu ſpatium illud, quod ſecant, & decurrunt Planetæ, eſt ejuſmodi, ut ipſis aliquantum reſiſtat; vel eſt adeo tenue, ac prope nullum, ut nihil reſiſtat. Si primum; moverentur quotidie tardius, ac remiſſius; ac proinde opus jam ſæpe fuiſſet, impetus ipſis a Deo primitus inditos renovari, ac redintegrari. Sin vero alterum dicant; non eſſet, quo recipi poſſet, & ad illos perferri ea tanta vis, quanta opus ad ipſorum curſus incitatiſſimos obliquandos, & incurvandos. Itaque agerent corpora, ſeu materiæ particulæ propemodum in diſtans, & quidem ſpatio, ſive intervallo pene infinito. Itaque hic iterum principiis, ſeu cauſis omnibus mechanicis, ut mihi videntur, deſtituti neceſſe habent a peculiari vel Dei lege, vel Angelorum miniſterio Hypotheſi ſibi non ſatis aptæ, & cohærenti fulcimentum aſciſcere: vel etiam ad qualitates occultas, & abditas rerum virtutes confugere. Quod Peripateticis vitio dant, & indigna philoſopho reputant.

VII. Tertio denique nulli forſitan ſunt, qui in Cœli ſyſtemate a ſacris Literis magis diſſentiant, quam Newtoniani: quippe qui Terram, & Planetas eodem prorſus ordine, ac numero habeant; nec ſolum circumvehi Terram putant ad ſimilitudinem Planetarum; ſed & Planetas incoli credunt ad ſimilitudinem Terræ. Quinimo in horum ſyſtemate id ipſum ſequitur de ſtellis inerrantibus. Nam Fixas omnes habent, tanquam totidem Soles: nimirum, ut ſphæræ, ſive univerſitatis alicujus quæque ſit centrum; quæque certum planetarum numerum habeat ſibi ſubjectum, ac ſuum veluti regnum. Quare in toto Cœlo ſidereo, quod ipſis, uti etiam reliquis Copernicanis, eſt interminatæ, & plane incredibilis & altitudinis, & amplitudinis, innumerabiles quaſi Mundos conſtituunt, quos inhabitari volunt, ac certis providentiæ legibus a Deo ipſorum conditore, ac procreatore gubernari. Quæ quidem res non mere philoſophica, ſed & theologica eſt; & a ſacris, ut dixi, Literis prorſus aberrat. Cum enim hi Planetarum, ac tot Mundorum habitatores, non ſint Angeli, difficile explicabunt, quid aliud eſſe poſſint, quam homines. Si vero homines ſunt, contra eſt illud Apoſtoli Act. XVII. 26. *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.* Et alia, quæ ſolent afferri adverſus Præadamitarum ſyſtema. Sed fac, eos neque Angelos, neque homines eſſe; ſed alias rationis participes, ſive intelligentes naturas: ſic etiam a Scriptura diſſentiunt Newtoniani, eaque vel ſola refelluntur, argumento quidem negante, ſed tamen magni ponderis. Nam ſi vere eſſent iſti Cœlicolæ, cum ſint pars rerum creatarum, & quidem maxima, ac prope infinita, ipſorum mentio aliqua fieri debuit, ſive ubi recenſentur Opera Domini, & ad eum laudandum invitantur; ſive ubi agitur de Chriſto, ut rerum omnium creatarum primogenito; ut rege, & capite, & hominum, & Angelorum; ut Redemptore, Inſtauratore, Salvatore, Judice, & ſimilibus. In his autem locis, & omnino in tota Scriptura neque indicium, neque veſtigium, aut umbra eſt ulla iſtiuſmodi rei. Cum e contrario Scriptura ubique nominet homines, & Angelos; immo etiam, ut vidimus, Angelorum ordines diſtinguat, propriiſque nominibus notet. His adde illa omnia, quæ tum ex Scriptura, tum ex Patribus, & Doctoribus, ac præſertim ex SS. Auguſtino, & Thoma afferuntur ab iis, qui Mundum eſſe unicum peculiari diſputatione prætendunt. Vide Suarez diſput. 29. Metaph. ſect. 2. & Conimbricenſes lib. 1. de Cœlo cap. 8.

VIII. Neque dicas; quod Deus condiderit innumerabiles Mundos, & habitatores cuique aptos, & convenientes,

tes, in majorem ipſius gloriam, magnificentiam, amplitudinemque cedere: nam hic iterum moneo; ſtandum teſtimonio Dei, non ratiocinationibus noſtris. Ubi ſermo ſit de bonis internis, ſeu de divinis perfectionibus, quicquid eſt majus, & omnino melius ipſum, quam non ipſum, id omne dicendum eſt, eſſe in Deo; quia Deus eſt Ens, quo majus, ac melius cogitari non poteſt. De bonis autem Dei externis, quales ſunt res creatæ, quicquid nobis videtur majus, atque præſtantius, etiamſi in hoc non fallamur, ut facile poteſt contingere; non continuo tamen dicendum eſt, eſſe factum a Deo: primum, quia Deus eſt ſumme, ac perfectiſſime liber; eaque, quæ ſunt extra Deum, quantacunque ſint, ipſi ſunt prope nihil; tamque eſt apud Deum Mundus unus, quam innumerabiles Mundi. Deinde, quia *incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* (Rom. XI. 33. 34.) Neque illa, quæ per ſe cæteroqui magis facerent ad externam Dei gloriam, ſive ad ipſius potentiam, & magnitudinem declarandam; eodem faciunt, habito reſpectu ad eos altiſſimos, atque ſanctiſſimos fines quos ſibi proponere potuit.

SECUNDA PARS.

IX. INter illa, quæ ſi falſa ſunt, ſunt tamen probabilia, ac poſſunt ſine ulla nota defendi, reponendum cenſeo Syſtema *Univerſalis gravitatis* Gallice editum an. 1724. In quo Auctor illud conatur oſtendere, corpora prorſus omnia mundi univerſi in eo loco eſſe poſita, ad quem pro ſuo pondere pertinent. Sic quidem, ut ſi perturbarentur, & commiſcerentur omnia, & in antiquum chaos redigerentur; fieret tamen deinde, ut in eundem locum ſe reſtituerent ipſa per ſe, ſuapte vi, & gravitate. A quibus non admodum diſcrepant, quæ tradit V.C. Euſebius Amort; hoc eſſe ſyſtema Moſaicum: Conditum a Deo chaos immenſum, in quo permixta, & confuſa eſſent omnia, nullo prorſus ordine, aut conſenſione, & colligatione partium. Deinde ventum, ſeu motum excitatum a Deo; eoque factum, ut partes craſſiores propius ad centrum accederent; quæ vero tenuiſſimæ, ac ſubtiliſſimæ erant, in extremas univerſitatis oras, atque ambitus remotiſſime a centro recederent. Hæc primo Mundi die; die autem altero, eodem motu, & agitatione partium craſſiorum, tria aquarum genera extitiſſe. Supremum, quod obtinerent Sidera; medium, deſtinatum Planetis; infimum, quicquid reliquum eſt uſque ad centrum. Hoc ipſum vero aquarum genus infimum, tertio die ſimiliter fuiſſe tripartito diviſum, parteſque craſſiores, ac ponderoſiores, quæ prope centrum ſubſederant, appellatas fuiſſe Terram; tenuiores autem, extanteſque aliquanto ſupra, dictas fuiſſe ſimpliciter Aquas, & Mare; quæ vero his leviores ſeſe altius extulerant, Aera. Quæ deinceps alia, vide apud ipſum tom. 2.

X. Sed & tom. 3. & 4. his conſentanea docet: nempe Planetarum ſedes, quo altiores ſunt, eo ſubtiliori materia contineri; quemque Planetam ea ætheris parte, ſive regione, ubi curſus peragit ſuos, & quam innatat, ac ſupervehitur, eſſe leviorem; illa vel ſola naturaliter ſuſtentari. Hæc autem omnia intellectu, explicatuque difficillima ſunt, ut in ſecundo Prolegomeno oſtendi; & ut nihil contrarium haberent ex phyſicis, & mathematicis; pugnare tamen, aut non ſatis conſentire mihi videntur cum S. Scriptura. Non ſolum enim divini hujus Operis ratio, & modus, ut in primo Geneſis capite, & aliis ſacris Libris deſcribitur, omnino alius fuiſſe videtur, verum etiam nomen ipſum *virtutis*, qua hæc omnia conſiſtere, & locum ſuum obtinere, ac tueri dicuntur, longe aliud ſignificat, quam proprium cujuſque corporis pondus, ac niſum in centrum. Sic Pſalm. XXXII. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Matth. XXIV. 29. *Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur*. Marc. XIII. 25. *Stellæ Cœli erunt decidentes, & virtutes, quæ in Cœlis ſunt, movebuntur*. Item

Job

Digitized by Google

Job xxxviii. 4. 6. 11. 33. Prov. viii. 28. 29. &c.

XI. Non minus probabilia eſſe arbitror, quæ in re phyſica a me cogitata, & propoſita ſunt in ſecundo Prolegomeno. Illud præcipue, quod ex ſententia Eccli. xviii. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*, & interpretatione Gregorii Moral. lib. 32. cap. 12. n. 16. dixi, in ipſo primi diei exordio, ſimul, puncto temporis a Deo procreatos fuiſſe non ſolum Angelos, ſed rerum etiam corporearum naturas, ſive ſubſtantias; deinceps vero ſex diebus ſuam cuique additam ſpeciem, ornatum, & adjumenta cætera, quibus & ſenſibus percipi poſſent, & hominis bono, atque univerſitatis pulchritudini, & perfectioni ſervirent. Sic autem mihi videbatur recte explicari, quod de duplici rerum ſtatu, ſeu de duplici *mundo, intelligibili, ac ſenſibili* ſcripſerunt Veteres, maxime vero, quod eſt Hebr. xi. 3. *aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. Id quod alterutro ex his duobus modis factum fuiſſe, opinatus ſum. Vel quod cujuſque ſubſtantiæ particulæ, ſive illæ uniuſmodi, ac ſimplices fuerint, ut volunt Atomiſtæ; ſive ex materia, & forma compoſitæ, ut placet Peripateticis; cum prius ſolutæ, disjunctæ, diſperſæ a Deo conditæ fuerint, poſtmodo ipſius voluntate, & imperio, & ſi vis etiam Angelorum opera, ſimul cohæſerint, eoque apparere, ac ſubjici ſenſibus, & vires ſuas exerere cœperint. Quo etiam commode explicari putavi illud Sap. xi. 18. *omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa*. Vel quod Deus, productis initio primi diei prorſus e nihilo rerum corporearum ſubſtantiis, quæ, ſive illas ſimplices, ſive compoſitas eſſe velis, per ſe tamen ſub ſenſus non cadunt; ſubinde immenſam prope vim atomorum ediderit, ex quibus quæque ſubſtantia ſpeciem acceperit, & quodammodo ſibi corpus aptarit, quo cerni, tangique, ac cæteris uſurpari ſenſibus poſſet.

XII. Dices contra hoc ſecundum; male atomos, ſive particulas iſtas vocari, & haberi tanquam ſpecies, & accidentia, quæ prorſus inania, & ſine ulla ſubſtantia, ſive ſubjecto, cui inhæreant, quodque conveſtiant, eſſe non queunt, niſi divinitus: cum particulæ iſtæ, ſive ſimplices ſint, quales eas eſſe dicunt Atomiſtę; ſive compoſitæ, quales admittuntur etiam a Peripateticis; ſint quædam ſubſtantiæ, & corpuſcula, tenuiſſima illa quidem, &, ſi vis, individua; ſed tamen ejuſmodi, quæ per ſe ſtare, & conſiſtere etiam naturaliter poſſint. Verum ad hæc reſponſum jam eſt ſuo loco; eaque explicata, quæ ex Sacramento Euchariſtiæ objici poſſunt. Quid enim, ſi in unoquoque corpore mixto diſtinguatur duplex ſubſtantia, altera principalis, altera vero acceſſoria; & hæc inter ſe differre dicantur? Primum, quod ſubſtantia principalis non ſit per ſe proxime, ſive immediate ſenſibilis; ſubſtantia vero acceſſoria ſit per ſe ſenſibilis, remote quidem, quando ſoluta eſt, & in ſuas particulas, ſive atomos diviſa, & diſperſa; proxime vero, quando hę particulæ, ſive atomi in unum congregentur, & coeant. Secundum, quod ſubſtantia principalis ſit fortaſſe compoſita ex duplici principio, ſive virtute, activa ſcilicet, & paſſiva; ſubſtantia vero acceſſoria ſit ſimplex, ſed probabiliter eterogenea, hoc eſt, ſint particulæ aereæ, ſint particulæ aqueæ, ſint terreæ, ſint etiam, ſi placet, & neceſſe videtur, aliorum generum. Tertium, quod ſubſtantia principalis, ut ſibi aptum eſt, configuret, diſponat, & moveat ſubſtantiam acceſſoriam; hæc vero ſe habeat tanquam inſtrumentum ad pulſandos ſenſus, ad repellenda contraria, & ad cęteras actiones in alia corpora: nec poſſit ita moveri, & in tali conformatione, & diſpoſitu partium naturaliter permanere, niſi per virtutem ſubſtantiæ principalis. Quartum, quod principalis ſubſtantia ſit vere & proprie ſubſtantia, & natura ſive eſſentia phyſica Mixti; ſubſtantia vero acceſſoria ſit aliquid ipſi ſuperveniens, atque accidens; quæque, pereunte vel ex toto, vel ex parte una ſubſtantia principali; recipiatur, & innitatur in alia, nova tamen figura, novo contextu, atque motu. Hæc ſi teneantur, nihil objici poteſt, quod ſatis proba-

Digitized by Google

probabiliter non poſſit refelli. Immo, quod ante omnia ſervandum eſt, dogma Fidei, ſeu definitio Tridentini, in Sacramento Euchariſtiæ nihil *remanere ſubſtantiæ panis, & vini; manere dumtaxat ſpecies* (ſeſſ. 12. can. 2.) & ſancte ſervatur, & forſitan aliquanto commodius declaratur. In hac enim ſententia, ſive ſyſtemate ſubſtantia principalis panis, & vini, quæ ſola vere, & proprie eſt ſubſtantia panis, & vini, per Conſecrationem tota perit, nihil certe ex ea remanet in Euchariſtia. Manet tantummodo ſubſtantia acceſſoria, quæ non eſt ſubſtantia panis, & vini; ſed eſt ſubſtantia extranea, communis, & vaga. Et quod fieri non poteſt, niſi divinitus, ita manet ſubſtantia acceſſoria, ut, ſubſtantia principali penitus ſubtracta; eandem ſpeciem ſenſibus exhibere pergat. Quare non ſequitur in hoc ſyſtemate, quod nuper dicebatur, accidentia naturaliter ſtare ſine ſubjecto. Nam ſubſtantia acceſſoria non eſt accidens panis, & vini, ut eſt per immenſum hunc mundi ambitum in atomos, & particulas diſperſa; vel, ut eſt alibi aliter congregata. Subſtantia acceſſoria eſt ſpecies, ſive accidens panis, & vini, ut eſt ita figurata, & diſpoſita; ut habet hunc numerum, hoc vinculum hanc ſimilitudinem, & diſſimilitudinem partium; ut habet hanc vim, & actionem in ſenſus; denique, ut eſt proxime, atque actu ipſo proprium inſtrumentum ſubſtantiæ panis, & vini. Hæc vero, ſubſtantia panis, & vini penitus deficiente, naturaliter ipſi conſtare nequeunt.

XIII. Præterea non minus probabile arbitror, quod in eodem Prolegomeno, inter multa, quæ de re aſtronomica tertio loco, tentandi, & experiendi cauſa dixi, præponendum cæteris cenſui, & ſyſtema *Magneticum*, atque *Harmonicum* nuncupavi. Nihil enim in eo eſt, quo ipſi cum Sacra Scriptura non ſatis conveniat; nec videtur oſtendi aliquid poſſe, quo eidem non conveniat etiam cum Cœlo. Hæc igitur ſunt in eo ſyſtemate: Terram eſſe prorſus immotam; moveri ſolem, cœleſteſque omnes orbes; & ſtellas a ſtellis, inferiores a ſuperioribus, errantes ab inerrantibus regi. Nimirum eſſe vim aliquam prope magneticam, quæ potius phyſice, quam mechanice ſit explicanda: hoc eſt, potius per temperationem, cognationemque corporum, quam per quantitatem materiæ, menſuramque diſtantiæ. Hac vi cum reliquas univerſitatis hujus partes teneri; tum maxime inter ſe apta, & connexa eſſe ſydera. Et de hac mutua ſyderum conſenſione recte explicari illum *Cœli concentum*, cujus meminit Job XXXVIII. 37. Atque has eſse *Cœlorum virtutes*, de quibus in Pſalmo XXXII. 6. Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. &c. Quemque Planetam certis aliquibus ſyderibus, vel cœli ſyderei punctis a natura, eſſe devinctum; iis agi, ducique; iiſdem altius, demiſſiuſve ſuſpenſum teneri, pro majori, vel minori pondere ſuo, vel, quod videtur probabilius, & huic ſyſtemati magis cohærens, & conſentaneum, pro actione contraria aliorum ſiderum, ſeu Cœli ſiderei partium.

XIV. Jam vero quod attinet ad eum Planetarum motum, qui ſecundum longitudinem dicitur, hic ea ratione explicatur, ut Planetæ, qui minus diſtant a principio ſui motus, & circumfuſi ſunt corpore fluido, minus denſo, craſſove, magis aſſequantur motus Cœli ſiderei, ſive Fixarum quibus ſubjecti ſunt, & a quibus quotidianis revolutionibus aguntur. Nempe Saturnus magis, quam Juppiter; Juppiter magis, quam Mars; hic vero magis, quam Sol; Sol magis, quam Luna; quæ maxime recedit a periodo Cœli ſiderei: quia cum maxime diſtet a Fixis, ſive a motus ſui principio, languidiori, remiſſiorique vi rapitur; & habet quod ſibi reſiſtat aliquanto magis, quam quantum reſiſtitur Planetis ſuperioribus.

XV. Quod autem attinet ad motum, qui ſecundum latitudinem; ſeu, qua vi, & cauſa fiat, quod curſus quotidiani in ſpiram deflectant; nimis fortaſſe operoſum, nec ullo ſatis fundamento nititur, quod in ea diſputatione conſtitui; ſtellas, quæ ſunt in utroque vortice, ſeu prope polos, dimidia tantum parte ſui in Planetis dominari. Verti autem in ipſas, alias quidem citius, alias vero tardius, unamquamque eo temporis ſpatio,

Digitized by Google

tio, quo Planeta ipſi adnexus, & a natura ſubjectus, annum conficit ſuum. Eaque lege, atque ordine verti in ſe ipſas, ut dum ſtellæ Auſtrales faciem obvertunt Planetæ, ſeu partem illam oſtendunt, in qua eſt magnetica virtus; ſtellæ Boreales eam abſcondant. Et ſimul atque hæ faciem in Planetam convertere incipiunt, illæ viciſſim incipiant avertere. Alternis his Fixarum aſpectibus Planetas attrahi, ac retrahi; accedere, & retrocedere, ac periodos ſuas peragere docui. Ut non videantur hæc levia, &, ut dixi, nullo ſatis fundamento nixa; ſimplicius, atque expeditius foret, has vices in ſolos Planetas rejicere. Fac enim illos ita eſſe a natura temperatos, ut dimidia ſolum parte ſui ſtellis Auſtralibus, & Borealibus ſint addicti; & ita quidem addicti, ut utris ex parte illa plus oſtenderint, ab illis trahantur: fac præterea, eoſdem ita in ſe ipſos convolvi, ut intra illud temporis ſpatium, quo annum ſuum abſolvunt, iis ſideribus, ſeu Cœli punctis ſe totos oſtendant; nihilo ſecus Planetarum acceſſus, & receſſus, ac motum, qui ſecundum latitudinem dicitur, explicare poteris.

XVI. Neque dicas, hæc etiam parum ſolida, & ad arbitrium conficta; nam ejuſdemmodi ſunt Hypotheſes cæteræ, quæ circumferuntur. Numquid enim non ad arbitrium conficti vortices Carteſiani; aut Planetarum librationes, ac projectiones excogitatæ a Newtono? Potuit igitur ſimiliter adſtrui ad modum Hypotheſis hæc ſtellarum quaſi reſpublica, & ratio, ac forma phyſici dominatus. Et meliori quidem jure, cum nihil hic ſit, quod ſacris Literis repugnare videatur. Neque iterum dicas, non poſſe hæc ipſa explicari, quin habeatur reſpectus ad quantitatem materiæ, & menſuram diſtantiæ; nam iſta non prorſus excludo. Ab his tractationibus philoſophicis non ablego Mechanicam, ac Geometriam; ſed locum ſuum volo eſſe Phyſicæ. Nego, cujuſvis materiæ particulas ſe mutuo attrahere: & proinde nego etiam, quod ſequitur ab eo, in quo plus ſit materiæ, illud trahi, & adduci, in quo minus ſit. Dico, eſſe materiam, quæ tantum trahat; & eſſe, quæ tantum trahatur. Nec quamlibet materiam a qualibet trahi, vel quamlibet trahere; ſed talem, & tali modo temperatam, atque permixtam; & quod huc refert tali virtute, ſeu ſpiritu imbutam, & informatam. Nam in hoc ſyſtemate ſubſtantia corporum mixtorum, eſt ſpiritus quidam, non incorporeus, ut Angelus, aut hominis Anima: immo eſt etiam infra ſpiritum vitæ, qualis eſt anima belluarum, atque plantarum; ſed qui ad ſpiritum vitæ magis, aut minus accedat. Accedit autem maxime, qui eſt in aſtris; ac per ſe ſolus fortaſſe eſt principium, & cauſa interior aliquorum motuum, ut motus vertiginis, & ſimilium. Aliorum vero motuum, ac viciſſitudinum, quibus non videtur ſatis eſſe poſſe ſolum principium interius; in hoc ſyſtemate cauſæ ſunt exteriores illi ſtellarum aſpectus, attractioneſque, quas ſupra deſcripſimus. Nec dicimus, rem omnino ita eſſe; quis enim *novit ordinem Cœli, & ponet rationem ejus in terra?* Item, *quis enarrabit Cœlorum rationem?* (Job. XXXVIII. 33. 37.) Dicimus, hæc non omni probabilitate carere, ac poſſe ſine nota defendi.

TERTIA PARS.

XVII. Quod verum, ac certe his probabilius cenſemus, eſt ſyſtema Peripateticum. Siquidem in re phyſica quæ in eo prima ſunt, ut rerum generationes, neque prorſus de nihilo; neque ſolum ad ſpeciem, aut ſine ullo novæ, & ſolidæ rei exortu; propria vitæ ratio in plantis, ac præterea ſenſus, & cognitio aliqua in animalibus brutis; virtutes, & qualitates corporum, ſive quæ vocant, accidentia abſoluta, hæc omnia pluribus, & valde luculentis Scripturarum teſtimoniis approbari poſſunt; quod a me factum eſt propria diſputatione loco ſæpe citato. Quare hoc ſyſtema, etiamſi mihi ita præſcriptum non eſſet, cæteris tamen anteferendum putarem. Quanquam Recentioribus aliquid concedendum exiſtimem; & ad eam vim interiorem, & arcanam, quæ cuique corpori ſubeſt, adjun-

adjungi velim etiam principia mechanica; ac pondus, motum, collocationes, conformationeſque partium multum valere confitear ad ea explicanda, quæ ſenſus pellunt, ac nobis apparent; eademque habeam inter præcipua inſtrumenta naturæ.

XVIII. Hoc, ut dicebam, ex Recentioribus; ex Academia vero, ſive ex Platonicis illud aſſumendum arbitror, quod rebus omnibus corporeis præſideant Angeli. Non quidem, ut eas generent, ac producant; ſed ut loco moveant, ut Univerſitatis, atque hominum bono illas attemperent, defendant, cuſtodiant. Quod contra opinatus eſt Ariſtoteles lib. 12. Metaph. t. 44. ubi cæleſtia tantum corpora ab Intelligentiis moveri, & adminiſtrari docet. Sed hæc in re Scripturæ, & Patribus magis convenit cum Platonicis. Sic enim Apoc. XIV. 18. *Angelus, qui habebat poteſtatem ſupra ignem* Et XVI. 5. *Et audivi Angelum aquarum*. Quos in locos Arethas *Hinc ſcimus*, inquit, *Angelicas poteſtates præpoſitas eſſe creaturis; hanc quidem aquis, hanc autem igni, hanc autem alii cuidam particulari creaturæ*. Quæ ipſa dicit Andreas Cæſarienſis Commentar. ſuorum cap. 43. & 47. ex Patribus vero Origenes homil. 14. in Numer. n. 2. *Opus eſt*, inquit, *ipſi mundo etiam Angelis, qui ſint ſuper beſtias, & Angelis, qui præſint exercitibus terrenis. Opus eſt Angelis, qui præſint animalium nativitati, virgultorum, plantationumque, & cæteris pluralibus incrementis*. Et homil. 23. in Joſue num. 3. *Puto audenter dicendum quod etiam de iis Virtutibus, quæ Mundi hujus miniſteria ſuſceperunt, illa terræ, vel arborum germinationibus præſit, illa fontibus, ac fluminibus, alia imbribus, alia ventis, alia marinis, alia autem terreſtribus animalibus &c.* Item homil. 10. in Jerem. num. 6. *omnibus rebus Angeli præſident, tam terræ, & aquæ, quam aeri, & igni &c.* Et homil. 1. in Ezech. num. 7. *Omnia Angelis plena ſunt*. Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad litter. cap. 24. n. 45. *Ac per hoc ſublimibus Angelis Deo ſubdite fruentibus, & Deo beate ſervientibus ſubdita eſt omnis natura corporea, omnis irrationalis vita &c.* Et in libro LXXXIII. queſt. q. 79. n. 1. *unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet poteſtatem Angelicam ſibi præpoſitam, ſicut aliquot locis divinæ Scriptura teſtatur*. Sic etiam lib. 3. de Trinit. cap. 4. n. 9. Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 4. *In hoc mundo viſibili nihil, niſi per creaturam inviſibilem diſponi poteſt*. Damaſcenus lib. 2. de Fid. cap. 4. *Diabolum fuiſſe ait ex iis Angelicis Virtutibus, quæ præſunt terreſtri ordini*. Confirmantur hæc ſententia S. Thomæ p. 1. q. 110. a. 1. q. 113. a. 3. &c.

XIX. Tandem de Cœlo, & ſideribus omnino veram, aut ſaltem cæteris præferendam exiſtimo ſententiam, in quam conveniunt non ſolum philoſophi ethnici, ſed etiam Chriſtiani Patres, & Doctores, ea moveri ab Angelis: ſive hi motum cieant, eaque volvant, & circumvehant; ſive ipſis a propria forma, & principio, maximo impetu intrinſecus actis, eorum curſum dirigant, atque determinent. Ac præterea, ſive ea moveant per facultatem loco movendi, ſive dumtaxat intelligendo, & volendo; quandoquidem ut communiſſimum, ac receptiſſimum eſt apud Doctores, quod pertinet ad hujus generis motum, natura corporea ad nutum obediens Angelis eſt. Sententiam hanc propugnavi in diſputatione de re Aſtronomica Proleg. 2. Confirmatur autem his etiam Scripturarum, & Patrum teſtimoniis, quæ nuper exhibui. Nam ſi verum eſt, naturam omnem corpoream adminiſtrari ab Angelis, verum quoque eſt, ab illis aliquo pacto cæleſtes orbes moveri; cum nihil ſit aliud, quo hi ab Angelis adminiſtrari dicantur. Apprime autem mihi videtur valere illa ratio; tum a priori, quia hi motus adeo admirabiles ſunt, ut principium mentis particeps, vel internum, & informans, vel externum, & tantum aſſiſtens, poſtulare videantur. Quorum primum quamvis olim docuerint multi, & aliqui etiam ex Patribus; cum tamen hodie vulgo rejici ſoleat, ac religioni etiam ſit aliquibus, illud admittere; ſupereſt, ut dicamus ſecundum; nec ſane eſt, cui poſſit id miniſterii, & operæ niſi Angelis dari. Tum etiam à poſteriori, quia cauſa efficiens iſto-

Digitized by Google

iſtorum motuum ſatis idonea, intra naturam ipſam corpoream tamdiu quæſita, nondum eſt inventa: atque Hypotheſes illæ, quibus hodie tantum tribuitur, ut detur ipſis Telluris motus, quem ſumunt; res ſunt imaginariæ, ac ſplendida quædam commenta virorum ingenio, & calculo potentium: neque ulla eſt ejuſmodi, de qua prudenter affirmes, res ita ſe habet.

XX. Dices, hoc non eſſe philoſophori, ad explicanda naturæ phænomena Angelos advocare. Mancam fore naturam corpoream, ſi ad eos motus edendos ſatis virium ſola ipſa per ſe non haberet; defectuque illo multum Conditoris potentiæ, & ſapientiæ derogari. Verum reſpondeo, non eſſe quidem boni philoſophi, ubicunque cauſa lateat, effectum aſcribere Angelis: eſſe tamen boni philoſophi id facere, ubi auctoritas, & ratio hoc tantopere perſuadeant. Ad id, quod additur, dico; cauſam non eſſe in ſuo genere mancam, & imperfectam, nec defectum, ſeu vitium habere, quod ipſa ſe loco movere, & ad producendum effectum aptare non poſſit. Manca, vitioſaque eſſet, ſi rite applicata effectum tamen non ederet. Etenim applicatio cauſæ ſæpe requirit mentem, eamque operam, quæ illum naturæ ordinem ſuperat, in quo eſt cauſa, & virtus ipſa, quæ applicatur. Id vero divinæ potentiæ, & ſapientiæ adeo non derogat, ut eam potius maxime commendet. Sic enim partes hujus univerſitatis nectuntur, & colligantur invicem: & corporeæ ex incorporeis, inferiores ex ſuperioribus pendent. Et Angelis, quæ rerum creatarum pars ſunt nobiliſſima, datum eſt id, quod eſt in natura præſtantius, ut movendis, applicandiſque cauſis, & maxime univerſalibus, qualia ſunt cęleſtia corpora, univerſitatis bono, & conſervationi conſulant.

Legendi præcipue de prima Propoſitionis parte Ricciolius Almageſti tom. 2. lib. 9. ſect. 4. Huetius Cenſura Philoſoph. Cart. Daniel in Mundi Itinere, Amort Philoſoph. tom. 2. & 4. De Gamaches Aſtronom. Phyſic. De ſecunda Cabeces Philoſoph. Magnet. Kircher de triplici Magnete, Van-Muſſchenbroek Phyſic. Experiment. diſſert. 1. De tertia Caſtaldus de Poteſtate Angel. tom. 1. diſt. 1. & Bubali de Angel. art. 1. part. 2. difficult. 1. &c.

PROPOSITIO XII.

De Angelorum poteſtate in corpora, ſeu de veris, fictiſque prodigiis, hoc primum adverſus Spinoſam, & alios homines impios, qui Deum vel non diſtingunt a natura, vel ſuper illam non ſatis efferunt, tenendum eſt, poſſe fieri, immo fieri interdum re ipſa vera miracula. II. Rectè Doctores, ac Fidei Promotores in cauſis, & actis Sanctorum inter miracula ita diſtinguere, ut alia ſint abſoluta, alia verò tantum relativa; ut miraculis etiam relativis nomen, ac pondus veri miraculi interdum ſit tribuendum, ac differant a ſimplici gratia; utque inter miracula etiam abſoluta aliud ſit alio majus; nec duo tantum eorum ſit gradus, ſeu claſſes, ut aliqui vellent, ſed tres omnino, ſuprema, media, infima. III. Nihil eorum, quæ ad aliquam ex tribus his claſ-

ſibus pertinent fieri poſſe, ſive ab Angelis propria virtute, ſive ab hominibus imaginandi vi, vel temperamento corporis, vel alia quavis naturali facultate. IV. Poſſe verò hæc fieri, immo & facta certò fuiſſe per divinam virtutem a ſanctis non ſolum Angelis, ſed etiam hominibus; & cum hos, tum maxime illos hujus divinæ virtutis inſtrumenta fuiſſe non tantùm moralia, verum etiam phyſica. V. Deum nec adhibere dæmones ad patranda miracula abſoluta; neque illis dare, aut permittere, ut edant miracula relativa, quæ quidem in ſuo genere rationem veri miraculi habeant. VI. Quamvis poteſtas, ſeu gratia miraculorum conferri poſſit etiam homini improbo, negandum tamen, quod ajunt aliqui Doctores, eam dari poſſe etiam ſeductori, ſive impoſtori, qui illa abutatur ad confirmationem falſæ doctrinæ: nec minus negandum, quod addunt Doctores alii, hanc poteſtatem datum iri Antichriſto, eumque vera, & propria per illa patraturum eſſe miracula.

I. PRobatur primum; nec ex Scriptura de more, vel ſacra auctoritate, ſed ex ratione, & quidem naturali tantummodo. Ideo Spinoſa tract. Theologico-Politici cap. *6.* & qui ejus ſimiles ſunt negant & facta eſſe unquam, & fieri potuiſſe vera miracula, quia opinantur, hæc a Dei immutabilitate abhorrere: ſic autem opinantur falſo, opinantur abſurde, opinantur impie: illa igitur falſo, abſurde, impie negant. Probatur aſſumptio. Opinantur falſo; quia hoc immutabilitati ſummæ nihil prorſus officit, aut derogat: nec, poſſe miraculum facere, eſt poſſe mutari; cum ad hoc neceſſe non ſit, ut Deus ex tempore novam cogitationem, voluntatemque ſuſcipiat. *Mutat opera, non mutat conſilium*, ait Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 4. n. 4. Vide S. Thomam q. *6.* de Potent. a. 1. ad *6.* & 1. p. q. 105. a. *6.* ad 3. Opinantur abſurde, quia non poſſe facere miracula maxime officit, ac derogat ſummæ libertati, ſummæ potentiæ, ſummæ, quam vocant, independentiæ; quæ quidem evidenter poſtulant, Deum nulla agendi neceſſitate conſtringi, nulla difficultate, aut vi contraria ab agendo prohiberi, nullo certo agendi modo, ſive ordine, aut lege teneri. *Potentia quippe ſua*, ut ait Auguſtinus lib. *6.* de Gen. ad lit. cap. 13. n. 23. *numeros creaturæ dedit, non ipſam potentiam numeris alligavit. Nam Spiritus ejus ita faciendo mundo ſuperferebatur, ut & facto ſuperferatur, non corporalibus locis, ſed excellentia poteſtatis.* De quo iterum lege S. Thomam lib. 2. cont. Gent. c. 25. 26. 27. Denique opinantur impie, quia de Deo ita cogitant, ut hæc adeò falſa, & abſurda ex ipſorum ſyſtemate neceſſario conſequantur. Ajunt enim, unicam eſſe rerum omnium ſubſtantiam, atque hanc eſſe Deum; res extenſas, ac res cogitantes eſſe Dei attributa, vel affectiones, ſeu modos attributorum, atque ex Deo ipſo neceſſario manare; nihil eſſe contingens, ſed omnibus ex ne-

neceſſitate divinæ naturæ definitum, ac determinatum eſſe, quomodo exiſtant, & operentur; res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuiſſe, quam quo ſunt productæ. Hæc, & alia plura his conſentanea Spinoſa in ſua Ethica par. 1. de Deo. Quibus nihil poteſt magis impie dici; ac merus ſunt atheiſmus.

Neque dicas, non poſſe Deum facere aliquid ex tempore, aut ex æterno decernere præter ordinem, ſeu legem naturæ in moralibus, ergo neque in phyſicis. Nam primo negatur antecedens. Sunt enim quædam præcepta naturæ ſecundaria, quæ cum non univerſalem, ſed particularem recti regulam contineant, fieri poteſt ut pro aliqua circumſtantia ſit e bono communi, ea mutari. In his autem Deus diſpenſare poteſt, ac re ipſa diſpenſavit, ut in Polygamia. De quo conſule Bellarminum tom. 3. lib. unic. de Matrimon. cap. 11. n. 33. Deinde dato antecedente negatur concluſio. Multum enim intereſt inter præcepta naturalia, & inter rerum naturalium diſpoſitionem, & ordinem, ſive curſum, tenoremque cauſarum ſecundarum. Illa dicuntur proprie, Lex naturæ; hæc tantum figurate. Eſt autem ratio, cur Deus non poſſit facere contra naturæ legem proprie talem, ſeu contra præſcripta naturæ, ſaltem quæ prima, & præcipua ſunt, quia nimirum faceret contra ſanctitatem ſuam, faceret contra ſe ipſum, qui eſt prima, & ſumma recti regula, unde in cordibus hominum ſcripta eſt lex naturæ, ex illo Pſalm. IV. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Nihil autem afferi poteſt, quo minus Deus poſſit aliquid facere contra legem naturæ minus proprie talem. Immo ſumma ejus libertas, excellentia, & perfectio contrarium prorſus evincunt. Hæc ipſa fere totidem verbis Auguſtinus lib. 26. cont. Fauſtum cap. 3. *Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis curſum, ſolitumque naturæ, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. Contra illam vero ſummam naturæ legem.... tam Deus nullo modo facit, quam contra ſe ipſum non facit*. Et hic pariter legendus S. Thomas 1. 2. q. 91. a. 2. & q. 94. a. 4. necnon in 4. ſent. diſt. 33. q. 1. a. 2. &c. & 2. 2. q. 104. a. 4. ad 2. q. 154. a. 2. ad 2. &c.

II. Probatur ſecundum, & ſimul explicantur, quæ plura ibi poſita ſunt. Miraculum late ſumptum, & ut aliquo modo complectitur etiam ea, quæ minus proprie dicuntur miracula, definiri poteſt; Effectus inſolitus, vel ratione cauſæ, vel ratione ſui admirationem movens, & proxime aptus ad divinum aliquid conteſtandum. Ex quo etiam, *ſigillum Dei*, a Theologis appellatur. Legatur Toletus in cap. 3. Joannis annot. 2. & de Lugo diſput. 2. de Fide ſect. 1. n. 20. Miraculum proprie tale eſt illud, quod fit præter ordinem totius naturæ. Dicitur, *præter*, quia in miraculo ſemper eſt aliqua exceptio a communi lege, ſive curſu, inſtitutoque naturæ: & aliis de cauſis, quas in tertia aſſertione exponemus. Miraculum minus proprie tale eſt illud, quod fit præter ordinem naturæ corporeæ. Primi generis miracula dicuntur, *abſoluta*; ſive, abſolute, & ſimpliciter talia; talia ſecundum ſe. Miracula ſecundi generis dicuntur, *relativa*; ſive miracula ſecundum quid; miracula quoad nos. Quare nomen miraculi de abſolutis, ac relativis, non univoce, ſed tantum analogice dicitur. Et miracula quidem abſoluta ſuperant vires totius naturæ creatæ; nec poſſunt fieri, niſi a Deo, aut divina virtute, ut in tertia, & quarta aſſertione planius fiet. Miracula vero relativa ſuperant tantummodo vires naturæ corporeæ, quales ſunt vires humanæ; ac fieri poſſunt naturali virtute etiam ab Angelis. Quanquam ut habeant in ſuo genere rationem veri miraculi, multa requirantur, de quibus dicemus in quinta aſſertione. Illud præcipuum, quod Angeli dum talia efficiunt, agant nomine Dei; aut ſpeciali Dei juſſu, & motione. Quod ſignificatum videtur Exod. XXIII. 21. *Et eſt nomen meum in illo*. Et Matth. VII. 22. *in nomine tuo virtutes multas fecimus*. Sic enim hæ Angelorum operationes, quæ per ſe materialiter tantum, ut ita dicam, forent miraculum relativum, participant divinam auctoritatem; & accipiunt

piunt

piunt extrinſecus, ut ſint tanquam ſigillum Dei; ac de ipſius mente, & voluntate fidem facere proxime poſſint. Quod miracula abſoluta habent intriſecus, & per ſe. Differt autem a miraculo non ſolum proprie, ſed etiam minus proprie tali ſimplex Gratia; quia hæc non prætergreditur ordinem naturæ, ſive incorporeæ, ſive corporeæ; neque eſt effectus ita inſolitus, & admirabilis, uti ſunt miracula, vel tantum relativa. Sed eſt effectus, ſive aſſecutio alicujus finis, ſolito dumtaxat citior, aut felicior, Deo ſpeciali benevolentia providente, ut ad illum obtinendum adhibeantur ea, quæ ſunt naturaliter magis apta, & conducentia. Qualia ſunt verbi cauſa ad recuperandam valetudinem medicus idoneus, medicamentum opportunum, & ſimilia; quæ continentur intra terminos naturæ etiam corporeæ. Hæc plana ſunt; & rite tantum expoſita, ſatis ipſa ſe approbant, nec difficultatem alicujus momenti poſſunt habere.

Quod autem inter miracula etiam abſoluta unum ſit alio majus, probatur Chriſti Domini verbis, quæ ſunt Jo: XIV. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*. Quod explicatur facile ea ratione, quam attigit S. Thomas p. 1. q. 105. a. 8. *miraculum non dici ex comparatione potentiæ divinæ, quia quodcunque factum divinæ potentiæ comparatum minimum eſt ſecundum illud Iſa. xl. 15. 17. dici miraculum per comparationem ad facultatem naturæ, quam excedit*. Quod autem alia magis, alia minus excedant facultatem naturæ, &, quod in hac ſecunda aſſertione ultimum fuit, quod hujus exceſſus tres ſint præcipui, magiſque notabiles gradus, ac differentiæ, ſic oſtenditur. Ut enim ibidem adnotat, & diſtinguit Doctor Angelicus, aliqua excedunt facultatem naturæ propter magnitudinem illius rei, quæ fit, ſeu, facti ſubſtantia. Alia vero propter contrariam habitudinem illius, in quo res fit; ſeu, propter ſubjecti repugnantiam. Alia demum, quoad modum dumtaxat, vel ordinem faciendi rem. Inter ſupremi gradus, ſeu primæ claſſis miracula, ut docent Auguſtinus tract. 17. in Joan num. 1. & Doctor idem Angelicus q. 6. de Potentia a. 2. ad 9. par. 3. q. 75. a. 8. ad 3. & aliis pluribus in locis principem obtinent locum Myſteria Incarnationis, & Euchariſtiæ. Verum hæc, & ſimilia altioris ſunt ordinis, ac theologice ſupernaturalis. Illa ſupernaturalitatem, ut ita dicam, ex ſe tantum philoſophicam habent; quod idem corpus ſimul ſit in pluribus locis; uti etiam quod duo corpora ſimul ſint in eodem loco. Item, quod Sol, quod Luna, aut reliqua ſidera retrocedant, aut ſtent. Quæ ſi adminiſtrantur, & naturali virtute moventur ab Angelis; quamvis per ſe miraculum eſſet tantummodo relativum; quia tamen hæ ſunt cauſæ univerſales, ex ſpeciali lege, qua Deus ſibi ſoli hoc faciendum reſervavit, numeratur inter miracula abſoluta, & quidem primæ claſſis. Aliter dicendum, ſi moventur ab Angelis virtute ſupernaturali, ita ut ſint mera inſtrumenta phyſica. Quod etiam apparet ex iis verbis Joſ. x. 14. *Obediente Domino voci hominis*. Sic enim, erit hoc miraculum per ſe abſolutum, & ex rei magnitudine erit primæ claſſis. Secundæ claſſis eſt, reddere vitam mortuo, aut viſum oculis capto. Quo etiam pertinet uſus aliorum ſenſuum, ac membrorum, ubi organa, & inſtrumenta corporis, quæ illuc ſunt neceſſaria, vel ſublata fuerint, vel penitus vitiata, & corrupta. Tertiæ claſſis eſt, vulnus, ulcus, vel gravem alterius generis morbum ſanare momento, vel minima temporis mora, redintegratis etiam ſubito viribus. Quod a Chriſto factum legitur in ſocru Simonis Luc. IV. 38. Quo etiam ſpectare poteſt ex magna ſerenitate ingens, & ſubita pluvia, & ſimilia. Hanc D. Thomæ partitionem, & miraculorum gradus probavit, & amplexus eſt Innocentius VIII. Conſtit. XIX. *Sacroſanctam matrem Eccleſiam &c.* tit. *S. Leopoldi Auſtriæ Principis Canonizatio &c.* §. 6. eamdemque ſequuti ſunt omnes DD. pauciſſimis exceptis, qui duas priores claſſes confundunt; ſed, ut videtur, non ſatis recte, cum alia excedant facultatem naturæ ratione ſui, alia vero ratione ſubjecti; in quo diſcrimen aliquod notabile eſt.

Ne-

Digitized by Google

Neque dicas, Doctorem Angelicum in alia miraculorum divisione, qua dicit, alia fieri ſupra, alia contra, alia ſolum præter naturam; quod mortuus revocetur ad vitam, in primam hujus diviſionis partem includere. Nihil enim contra nos iſthinc. Siquidem in ea ipſa prima parte duos gradus diſtinguit. *Quædam dicuntur fieri ſupra naturam*, ait q. 6. de Potent. a. 2. ad 3. *ſupra naturam quidem, in quantum illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo poteſt: quod quidem contingit dupliciter; vel quia ipſa forma inducta a Deo, omnino a natura induci non poteſt, ſicut forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus Electorum, & ſicut etiam Incarnatio Verbi: vel quia etſi talem formam poſſit in aliquam materiam inducere, non tamen in iſtam: ſicut ad cauſandam vitam natura potens eſt; ſed quod in hoc mortuo natura vitam cauſet, hoc facere non poteſt*. Et ſimiliter certi gradus ſervantur in duabus reliquis partibus. Quamvis propter diverſos rerum reſpectus hæc ſecunda diviſio aliquantum a prima diſcrepet.

Quod ſi iterum dicas, male a nobis miraculum definiri, *Effectum inſolitum &c.* cum miracula proferri multa poſſint & ſtabilia, & continua. Ut quæ de Manna leguntur Sap. XVI. 20. 21. 22. & quæ de Euchariſtia definita ſunt a Concilio Trident. ſeſ. 13. cap. 3. & 4. can. 2. & 3. Reſpondeo primum cum S. Thoma in 2. Sent. diſt. 18. q. 1. a. 3. ad. 2. *inſolitum* ibi non uſurpari pro *raro*; ſed pro eo, quod excludit conſuetum naturæ ordinem. Addo deinde, quod velle videtur S. Auguſtinus lib. 21. de Civit. cap. 8. n. 3. & tract. 24. in Joan. num. 1. *inſolitum* in ea definitione ſumi etiam poſſe pro *raro*. Quoniam miraculum per ſe, & ex genere habet, ut rarum ſit: & ſolum ex accidente, aut aliqua circumſtantia, ac peculiari inſtitutione Dei, certa quædam miracula facta olim ſunt, & fiunt hodieque ſtabiliter, & continue. Ratio eſt, quia quicquid eſt præter ordinem naturæ per ſe habet, ut non ſit in natura. Quare, ſi ſemel fit; per ſe habet, ut non iterum fiat: &, ſi iterum fit; habet, ut non fiat tertio, & deinceps; ac proinde, ut rarum ſit.

III. Probatur tertium. Nam ſicuti ſupra negavimus, Angelos futura, aut cordium ſecreta naturali virtute cognoſcere, quia hoc ſacræ literæ ſoli Deo tribuunt, eique ſoli tribuendum teſtantur, ita dicimus de veris, propriiſque miraculis. Sic Exod. XV. 11. *quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia*. Pſal. LXXI. 18. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus*. Pſal. LXXVI. 15. *Tu es Deus, qui facis mirabilia*. Pſal. LXXXV. 10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia*. Eccli XI. 4. *Quoniam mirabilia opera Altiſſimi ſolius &c.* His accedit illud Apoſtoli ad Hebr. 2. 5. *Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ:* multo minus autem hominis phantaſiæ, aut corporis, quamtumvis bene temperato, & compoſito.

Itaque ex hoc Pauli loco ſumi poteſt & ratio. Ideo enim Deus poteſt immutare ordinem naturæ, & facere vera, & abſoluta miracula, quia naturæ conditor, ac dominus eſt, eamque habet ſibi prorſus ſubjectam, & obedientem ad nutum. Sed hæc dici non poſſunt de Angelis, ac cæteris, quæ in aſſertione poſita ſunt; ergo non poſſunt immutare ordinem naturæ, & facere vera, & abſoluta miracula.

Idem ipſum paulo aliter; miraculum abſolutum, ſeu tale ſit ex re ipſa, quæ fit; ſive ex ſubjecto in quo fit; ſive ex modo, quo fit; eſt quidam effectus, ſeu motus naturæ, non ſecundum naturalem ipſius capacitatem, ſed ſecundum potentiam obedientialem. Sic autem moveri non poteſt, niſi ab illo, qui in ea pleniſſime, & abſolutiſſime dominatur. Brevius, præſertim de Angelis. Hæc facultas Angelica in corpora: poſſunt ea loco movere quam celerrime; poſſunt adjungere, ſive applicare cauſas ad agendum; agendi virtutem ipſis ſuperaddere non poſſunt; niſi quam efficit plurium cauſarum concurſum. Hæc autem omnia ſunt infra tres claſſes expoſitas.

Deinde; quicquid continetur intra vires, & facultatem naturalem, ſive Angelicam, ſive humanam; non poteſt proprie miraculum dici: tum quia non habet per ſe, ut admirationem moveat

ſed

ſed ſolum ex accidente, in eo, qui rerum naturam ignorat. Tum quia prætergredi ordinem naturæ, quod Theologi cum S. Thoma ponunt in definitione miraculi; intelligendum eſt de ordine non ſolum paſſivo, ſed etiam activo. Quare ſaltem re ipſa, ſive in ſenſu reali, idem eſt, ac excedere facultatem naturæ. Et tres illæ claſſes, proxime expoſitæ, ad quas revocantur omnia vera, & propria miracula, ſunt, ut vidimus, tres gradus hujus exceſſus: ac proinde tam non poteſt homo, vel Angelus naturali virtute aliquid ex illis efficere, quam non poteſt natura, quæ ſupra ſe ipſam a Deo elevata non ſit, facultatem ſuam excedere.

Præterea miraculum proprie tale, per ſe habet ut ſit, aut eſſe proxime poſſit ſignum, ac nota veræ Religionis. *Fidei adteſtantur miracula*, ait Auguſtinus lib. 22. de Civ. cap. 9. Sive eſt, ut diximus, tanquam Dei ſubſcriptio, ac ſigillum, ex quibus certo conſtat de divinitate, &, quod conſequens eſt, de veritate Scripturarum. Talis autem vis intrinſecus, & per ſe non ineſſet miraculis, ſi ab Angelis, vel hominibus edi poſſent propria virtute. Diſerte Auguſtinus tract. 24. in Joan. num. 2. *Habet*, inquit, *aliquid intus hoc, quod miramur foris......magnum quiddam, præclarum quiddam, & omnino divinum, quod fieri, niſi a Deo non poſſit.*

Dices, eſſe quidem miracula, quæ ſoli Deo ſunt tribuenda; verum hæc non eſſe, niſi miracula primæ claſſis, vel ad ſummum etiam ſecundæ: tum ex illo Pſalm. cxxxv. 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus;* tum etiam, quia miracula tertiæ claſſis ſupra deſcripta non videntur eſſe aliquid majus, quam quod dæmonum vi utique naturali a magis Ægyptiis factum ſcribitur Exod. VII. 2. *Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones:* aut quantum valere imaginandi vim, & aptam corporum temperationem contendunt Avicenna, Marſilius Ficinus, & alii antiqui, recenteſque philoſophi; ac ſuaderi poſſe videtur ex fœtibus verſicoloribus ovium Jacobi Gen. XXX. 39. & concentu Davidicæ citharæ. 1. Reg. XVI. 23. Reſpondeo ad primum, *mirabilia magna* ibi idem eſſe, ac miracula vera, & abſoluta. Ita interpretes ex Chryſoſtomo, ex Auguſtino, & aliis Patribus: maxime vero ex ſequentibus ejuſdem Pſalmi verſiculis, in quibus Dei opera magna, & mirabilia, quæ recenſentur, ſunt ex omnibus tribus claſſibus ſupra explicatis, & plura quidem etiam ex tertia.

Quod ad ſecundum; ſi ex virgis Magorum integris, & incorruptis veri angues extitiſſent, non tertii, ſed ſecundi ordinis prodigium fuiſſet: quale tunc factum eſt in virga Aaronis, *tulitque Aaron virgam.... quæ verſa eſt in colubrum*. (Exod. VII. 10.) Notandum vero eſt, quid ſtatim ſequatur: *Vocavit autem Pharao ſapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter*. Primo igitur tantum temporis interceſſit, ut potuerint dæmones, rebus maxime aptis, & efficacibus occulte adhibitis virgas illas corrumpere, & ad generationem colubri proxime parare. Deinde, cum Scriptura dicat, factum ſimiliter *per incantationes*, non obſcure ſignificat, factum ſimiliter, non re vera, ſed in ſpeciem. Ut enim monet Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 16. n. 2. *Magica pleraque ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt*. Quod etiam lib. 20. cap. 19. n. 4. Vel ergo ſic affecti inſpectantium oculi, ut quæ non erant, viderent; vel ſubductæ a dæmone magorum virgæ, ac ſuffecti ſerpentes magnitudine pares, e vicino agro, vel flumine illico advecti: vel illuſum aliter oculis ut cenſent in hiſtor. Vet. Teſt. Salianus, & Natalis Alexand. Puto, nec veros fuiſſe ſerpentes; nec tamen meras præſtigias, aut oculorum ludibria: ſed qualia ſunt aliarum etiam belluarum corpora, ut ſimiæ, hirci, draconis, quando iſtorum ſpecie dæmon videndum ſe præbet. De quo in ſequentibus Propoſitionibus. Ex aere circa eas virgas denſato effinxerunt dæmones corpora ſerpentium ſimilia, & ipſi ea ſerpentium more motabant.

Avicennam, & veteres alios philoſophos egregie confutavit S. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 102. 103. 104. Recentes ni-

Digitized by Google

nihil novi, aut ſolidi in hac controverſia contra nos attulerunt: & quicquid id eſt, expoſitum, & confutatum reperietis apud Scriptores, quos ſuo loco vobis legendos proponam. Tantum ad id, quod objicitur ex Gen. xxx. 39. & 1. Reg. xvi. 23. reſpondeo, ſejungenda in utroque, quæ facta ſunt naturaliter, & quidem virtute corporea, ab iis, quæ facta ſunt præter naturæ ordinem, miraculo vel abſoluto, vel ſaltem relativo. Fit naturaliter, & quidem intra terminos naturæ corporeæ, quod fœtus ex genitricis imaginatione maculam contrahat: cum facultates imaginatrix, ac generatrix, ſint inter ſe valde connexæ, ſibique invicem conſentientes. Quod quidem eſt notius, quam ut explicari neceſſe ſit. Adde quod ſcribit Doctor Angelicus p. 3. q. 13. a. 3. ad 3. *dicendum, quod imaginationi, ſi fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, quantum ad aliqua, puta quantum ad caſum de trabe in alto poſita: quia imaginatio nata eſt eſſe principium motus localis, ut dicitur 3. de Anima text.* 48. *Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ eſt ſecundum calorem, & frigus, & alia conſequentia: eo quod ex imaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paſſiones, ſecundum quas movetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ vero diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non tranſmutantur ab imaginatione, quantumcunque ſit fortis: puta figura manus, vel pedis, vel aliquid ſimile.* De quibus eſt illud Matth. vi. 27. *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Fieri igitur naturaliter potuit, & ex ſola facultate corporea, ut oves, quæ ante oculos habebant virgas illas diſcolores, & *in aſpectu earum concipiebant: parerent maculoſa, & varia, & diverſo colore reſperſa.* Quod autem hoc factum ſit in fœtibus ovium tanto numero, cum alias nec in ovibus, neque in cæteris animalibus accidat, niſi raro; Videtur eſſe præter conſuetum naturæ corporeæ ordinem, & in ſpecialem Angelorum operationem referendum. Id quod ea etiam confirmant, quæ leguntur cap. ſequenti xxxi. 11. 12.

Similiter naturale fuit, & intra fines corporalis naturæ, quod fidium concentus, qui mulcebat aures, leniret etiam, atque hilararet animum. Nimirum hic quoque propter conſenſionem, & quamdam quaſi neceſſitudinem, quæ intercedit inter appetitum, & ſenſum. Quod ita expreſſit Auguſtinus lib. 10. Confeſ. cap. 33. n. 49. *omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſui diverſitate habent proprios modos in voce, atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur.* Quamvis autem non minus fortaſſe, quam tenebris, amici, & addicti ſint dæmones atræ bili, ac triſtibus affectionibus, & perturbationibus animi; ac melancholia imminuta, deſit ipſis inſtrumentum præcipuum, quo vexare, & angere homines ſolent: ſi tamen *ſpiritus nequam, qui Saulem exagitabat*, ad citharæ pulſum vere ab illo recedebat; factum videtur hoc ſuperiori virtute, & poteſtate. Conſuli poterunt de his omnibus, præter Scriptores ſuo loco percenſendos, Pererius in Gen. xxx. Serrarius in Tob. viii. Cornelius a Lapide, & Gaſpar Sanchez in 1. Reg. xvi. Suarez diſp. 12. metaph. ſect. 8. n. 26. Valentia in 2. 2. quæſt. 96. punct. 2.

Venio nunc ad miracula tertiæ claſſis, qualia eſſe diximus, quod, nullo adhibito naturali remedio, ſolo Crucis ſigno, aut ſacrarum Reliquiarum contactu, vulnus ſtatim coeat, & cicatricem ducat; magna febris in ipſo incremento ceſſet, vires, & valetudo priſtina ſubito redeant, & ſimilia. Si hæc conferantur cum iis duobus, quæ contra nos adducuntur ex Sacra Scriptura, quoad illud, quod in illis factum diximus naturali virtute, & conſenſu, ſive facultatis imaginantis cum generante, ſive facultatis ſentientis cum appetente; miracula tertiæ claſſis ſunt certiſſime aliquid majus, cum in tota ſive corporali, ſive incorporali natura, nulla prorſus ſit cauſa, aut virtus, & facultas, quæ eo modo agere poſſit. Si vero conferantur cum iiſdem duobus, quoad id, quod reliquum eſt, & admirationis plus habet, diſtinguenda res eſt; &, ſi velis ad illud efficiendum opus fuiſſe divina virtute; do tibi; miracula tertiæ

Digitized by Google

claſſis nihil majus habere : ſecus vero, ſi ſatis fuit ſola naturalis poteſtas Angelica. Horum omnium ratio planiſſima ex iis, quæ dicta ſunt.

IV. Probatur quartum. Veris, abſolutiſque prodigiis, quæ ſupernaturali, ſeu divina virtute ſancti & Angeli, & homines ediderunt, pleniſſimi ſunt ſacri Libri, atque omnis Eccleſiaſtica hiſtoria. Ut de hac aſſertionis parte laborandum non ſit. Quod autem iiſdem prodigiorum illorum cauſæ fuerint, non tantum morales, ſed etiam phyſicæ: hoc eſt, quod non tantum meritis, aut precibus Deum permoverint ad efficienda miracula; ſed ipſi etiam, virtute a Deo accepta, effectum illum phyſice attigerint, his argumentis probatur. Primum quidem, quia quod pertinet ad homines, Gratia, ſive poteſtas miraculorum una eſt ex iis, quæ vocantur gratis datæ; neque omnibus conferuntur, ſed tantum aliquibus, & quidem non ſemper ſanctioribus, ac Deo acceptioribus; nam Joannes, quo *major non ſurrexerat inter natos mulierum* (Matth. XI. 11.) *ſignum fecit nullum* (Joan. X. 41.) Nimirum de Gratia, ſeu poteſtate hac ſcripſit Apoſtolus 1. ad Cor. XII. 4. 5. &c. *Diviſiones vero gratiarum ſunt ... alii datur gratia ſanitatum ... alii operatio virtutum, alii prophetia &c. Hæc omnia operatur* (ſive impertit) *unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Et ver. 28. & 29. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes Virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? &c.* His poſitis ita concludo: virtus meritorum, & precum, ut notat S. Thomas q. 6. de Pot. a. 4. *pertinet ad gratiam gratum facientem;* Differt igitur a gratia miraculorum. Præterea aliæ gratiæ gratis datæ, quæ ibi ab Apoſtolo numerantur, attingunt phyſice effectum ſuum: hæc igitur quoque. Quod vero ſpectat ad Angelos, eorum etiam eſt ſimilis ratio; cum ad facienda miracula peculiaris ordo Angelorum ſit a Deo ſpecialiter deſtinatus. *Virtutes*, inquit Gregorius lib. 2. in Evang. homil. 34. n. 10. *vocantur illi ſpiritus, per quos ſigna, & miracula frequentius fiunt*. Efficientia autem miraculorum duntaxat moralis in meritis, aut precibus poſita, communis eſt omnibus Angelis ſanctis.

Secundum argumentum deſumitur ex illo, quod Gregorius idem notatum reliquit lib. 2. dialog. cap. 30. *ſanctos homines utroque modo miracula exhibere, aliquando ex prece, aliquando ex poteſtate*. Quorum primum pertinet ad genus cauſæ moralis, ſecundum ad genus cauſæ phyſicæ. Ut expoſuit S. Thomas q. 6. de Potent. a. 4. *Quod aliquis, inquit, ex poteſtate facit, operando facit, non ſolum impetrando: ergo Angeli, & S. homines etiam agendo miracula faciunt*. Recte idem concludit non ſolum de hominibus, ſed etiam de Angelis; imo primum de Angelis; quia homines, ut docet ibi Gregorius aliquot exemplis, & compertum eſt ex ſacris hiſtoriis utroque illo modo *mira faciunt, ex poſtulatione, & ex poteſtate;* Angeli vero ſemper, aut fere ſemper ſecundo modo. Non enim præmittunt preces, ut plerunque homines ſancti, ſed Dei nomine, & poteſtate imperant rebus, in quibus miracula efficiunt. Quod maxime apparet ex his Scripturæ locis Exod. XXIII. 20. 21. &c. Jud. II. 1. 2. &c. Pſalm. CII. 20. 21. Daniel. III. 61. &c. Immo in ipſis illis prodigiis, quæ homines *exhibent ex prece*, Angeli operantur *ex poteſtate*. Quod ex illis Scripturarum, & Patrum dictis colligitur, quibus in præcedente Propoſitione oſtendimus, res omnes corporeas moveri, & adminiſtrari per Angelos. Maxime vero ex Auguſtino LXXXIII. quæſt. q. 79. num. 1. & Gregor. lib. 4. dial. cap. 4.

Tertio denique ſic idem oſtenditur. Ideo adverſarii non concedunt Angelis, & hominibus efficientiam miraculorum pluſquam moralem, ne minus verum videatur, quod ſacræ Literæ docent, *mirabilia opera eſſe Altiſſimi ſolius; Deum ſolum mirabilia facere;* & quæ alia dedimus in præcedente aſſertione: ſed hæc ratio nulla eſt. Probatur hæc aſſumptio

ptio

Digitized by Google

ptio. Quia quamvis ea miraculorum efficentia, quam tribuimus Angelis, & hominibus ſit etiam in genere phyſico; eſt tamen efficientia meri inſtrumenti; & eſt efficientia ſupernaturalis: hoc eſt inſtrumenti ad hoc ipſum ſupra naturam ſuam elevati; inſtrumenti, quod a Deo movetur, non ſecundum ſuam naturalem vim, atque actum; ſed ſecundum potentiam obedientialem activam, quæ ad hoc proportionem non habet, niſi meri inſtrumenti. Ex quibus, ut advertunt Auguſtinus in Pſalm. lxxi. 18. & Theodoretus in Pſalm. cxxxv. 4. ſolus Deus agit ibi propria virtute; ſolus agit ibi tanquam cauſa principalis. *Miraculorum editiones*, inquit Theodoretus, *quæ a ſanctis fiunt, divinæ ſunt, hoc eſt divina virtute fiunt; & ideo regius Vates jure dicit, ſolum Deum eſſe magnorum mirabilium effectorem*. Verba Auguſtini ſunt hæc num. 20. *Facit mirabilia ſolus, quoniam quicunque faciunt, ipſe in eis operatur*: illi ſunt mera inſtrumenta.

Dices in effectione miraculi Angelos ea ſolum ratione dici poſſe inſtrumenta phyſica, quia, ut ait S. Thomas q. 6. de Potent. a. 4. *diſponunt materiam*. Nam ſi plus aliquid illis daretur, hac in re nihil plus daretur Chriſto ut Homini, quam Angelis. Reſpondeo, Angelos ex S. Thoma alia præterea duo conferre, ut exiſtat miraculum. Siquidem ut ait ibidem, & in Summa p. 1. q. 110. a. 4. ad 1. *Angeli dicuntur miracula facere, uno modo, precibus impetrando, ſeu quia ad eorum deſiderium Deus miracula facit. Alio modo, quia materiam diſponunt ſua naturali virtute ad hoc, quod miraculum fiat; ſicut dicitur, quod in reſurrectione colligent pulveres mortuorum, qui divina virtute reducentur ad vitam. Tertius modus eſt, quod operentur etiam aliquid coagendo.*

Nec ſequitur, quod in genere cauſæ phyſicæ ad patranda miracula, nihil plus demus Chriſto ut homini, quam Angelis. Quamvis enim etiam Chriſti Humanitas non ederet miracula virtute ſua propria, ſed ſupernaturali, & divina; quamvis etiam Chriſti Humanitas, vel in ſolo genere cauſæ ſecundæ non ederet miracula, tanquam cauſa principalis; ſed eſſet inſtrumentum, & organum Verbi; tamen erat organum, & inſtrumentum conjunctum, & quia tale erat idcirco ea miraculorum poteſtas, & virtus in illa permanens erat, ut ſignificatur Luc. vi. 19. & viii. 46. erat ad longe plura, & majora; erat in illa multo nobilioribus, atque excellentioribus titulis. Vide quæ præterea notat Suarez tom. 1. in tertiam Partem diſput. 31. ſect. 3. 4. 5. &c.

Probatur quintum ea ratione, quam pariter attigit S. Thomas q. 6. de Pot. a. 5. quia verum miraculum cum non poſſit fieri niſi divina virtute, habet intrinſecus, & per ſe divinam auctoritatem; ſive eſt, ut ſæpe diximus, tanquam Dei ſubſcriptio, & ſigillum: & ut ait ibi Doctor Angelicus, eſt *quoddam divinum teſtimonium, indicativum divinæ virtutis, & veritatis*. Jam vero cum dæmonum *voluntas tota ſit ad malum*, & ad homines decipiendos, & avertendos a Deo ſemper, & in omnibus ſpectent; ſi ipſis daretur poteſtas patrandi vera miracula, illorum fraudes, ac perverſos conatus Deus auctoritate, ſigillo, & ſi ita etiam loqui placet cum S. Thoma, teſtimonio ſuo confirmaret, & roboraret. Quod a ſumma veritate, ſanctitate, bonitate eſt maxime alienum.

Atque hæc ipſa ratio evincit, quod in hac aſſertione erat ſecundum, dæmonibus neque dari, aut permitti, ut edant miracula relativa. Quod aliquanto diſtinctius examinatur, & concluditur. Etenim miracula dæmoniaca non ſolum fiunt divina virtute, ſed neque fiunt divina auctoritate, ſeu nomine Dei. Quod ſi interdum ponitur in Angelis bonis, ut eſt Exod. xxiii. 21. *& eſt nomen meum in illo;* non decet eſſe in Angelis malis. Deinde cum dæmones, ut notat S. Thomas loco proxime laudato, *ſecundum hoc ligari dicantur, quod impediuntur ab illis agendis, ad quæ eorum naturalis virtus ſe extendere poſſet; ſolvi autem, cum permittuntur agere divino judicio, quæ ſecundum naturam poſſunt;* non ſolum nihil verum eſt eorum, quæ videntur facere præter ordinem totius

 natu-

naturæ; ſed etiam mira quædam, quæ, ab ipſis fieri videntur præter ordinem naturæ corporeæ, plerumque nihil habent veritatis, aut ſtabilitatis; res phantaſticæ, & ephimeræ ſunt. Fiunt præterea a veneficis, hominibus nequiſſimis, & impuriſſimis; fiuntque ab illis, non Dei, aut Sancti alicujus ope implorata, ſed invocato dæmone, & magicis artibus. Fiunt ad malos fines, & maximo Animarum, ac ſæpe etiam corporum detrimento. Quibus omnibus longiſſime diſtant, & facile diſcernuntur a miraculo non ſolum abſoluto, ſed etiam relativo. Etſi enim hoc vulgò definitur; illud, quod fit præter conſuetum ordinem ſolius naturæ corporeæ; hæc tamen definitio philoſophica eſt, & ſolum declarat, quid maxime interſit inter miraculum abſolutum, & relativum. Cæterum definitio theologica a nobis initio tradita, utriuſque generis miraculo hoc addit; ut ſit proxime aptum ad aliquid divine conteſtandum. Quod miraculum relativum, formaliter, & ſecundum ſe habet ex eo, quod eſt opus factum nomine Dei; illative autem, & quoad nos, ex multarum rerum concurſu: in primis autem ex veritate, & ſtabilitate ipſius operis; deinde ex ejus miniſtro; ex modo, quo fit; ex utilitate, ex fine, & ſimilibus. In quibus cum deficiant, ac peccent miracula dæmonum, ſequitur, quod erat probandum.

Dices, dæmones feciſſe divina virtute miracula abſoluta, cum uxorem Lot verterunt in ſtatuam ſalis Gen. XIX. 26. Sap. X. 7. & Samuelis Animam ab inferis evocarunt I. Reg. XXVIII. 12. &c. Eccli XLVI. 23. Feciſſe autem divina auctoritate miracula relativa, cum Dei juſſu deceperunt Achab III. Reg. XXII. 22. & Job tam ſubitis, & inſolitis malis affecerunt Job. I. 12. &c. II. 6. &c. Omnino non videri abſurdum in iis miraculis, quæ ſpectant vel ad exercendos & probandos homines juſtos, vel ad puniendos injuſtos, uti Deum opera dæmonum.

Reſpondeo ex doctrina, & verbis S. Thomæ ſupra allatis, aliud eſſe exhibere in miraculis aliquod miniſterium, ut colligendo cineres mortuorum, diſponendo materiam, & ſimilibus; aliud vero, *coagere*, & ſimul operari miracula, ſive abſoluta, ſive tantum relativa. Primum dari interdum etiam dæmoni poteſt. Secus vero ſecundum. Quia dæmoni, *cujus voluntas tota eſt ad malum*, & ut docet Suarez lib. 8. de Angelis cap. 8. ex Patribus, ac theologis fere omnibus, *in eo, quod libere agit ſemper peccat, nec unquam ceſſat ab omni actuali peccato*; dæmoni, inquam, divinam auctoritatem, & poteſtatem dari non decet. Et ſi quando hoc Deum non dedecet, ut eſt ſumme verax; ſemper tamen eum dedecere videtur, ut eſt ſumme ſanctus, & bonus. Atque eſto id non dedeceat ex natura rei, ac Deus pro ſua abſoluta potentia poſſit auctoritatem, & poteſtatem illam etiam dæmoni dare, præſertim quando miraculum nihil faciat ad finem intentum a dæmone; vel quando dæmon non ſe habeat, tanquam inſtrumentum liberum, ſed tanquam inſtrumentum agens ex neceſſitate, ac proinde miracula ſolum materialiter, ut ita dicam, non formaliter edat; eſto, inquam, hoc modo non dedeceat Deum miracula per dæmonem facere; tamen pro præſenti rerum ordine, & providentia, Deus hoc nunquam fecit; nec contrarium probari poteſt. Quod ad tuendam aſſertionem noſtram eſt ſatis.

Itaque uxorem Loth in ſtatuam ſalis converſam a dæmonibus, nego. Nam ſi placet, hoc factum fuiſſe per Angelos, adhiberi convenienter potuerunt Angeli boni; ut ad cædendos Aſſyrios Iſa. XXXVII. 36. immo & ad ferendas, & effundendas ſeptem phialas iræ Dei Apoc. XV. 7. XVI. 1. Veram Samuelis Animam ab inferis excitam fuiſſe, concedo: factum id tamen dico, non vi carminum, & magicis artibus, ſed Dei providentia, & imperio; &, ſi vis, id quoque per Angelos, ſed Angelos ſanctos; quos forſitan ſignant verba illa I. Reg. XXVIII. 13. *Deos video aſcendentes de terra*. Quod ad reliqua duo; tametſi Deus voluit punire Achabum, & Jobum exercere; quæ tamen dæmones in illos feciſſe leguntur locis cit. non Dei nomine, ſed Dei permiſſu fecerunt: qui cum eſſent ex ſe ad de-

Digitized by Google

decipiendum, & nocendum parati, ipſos non cohibuit, ſed habenas, eatenus ut ibi fertur, laxavit. Hæc expenſa, & explicata jam ſunt apud omnes interpretes, & in Hiſtoria V. T. apud Scriptores paulo ante memoratos.

Probatur ultimum. Quod gratia miraculorum poſſit interdum dari etiam homini malo, communis eſt ſententia Doctorum, & comprobatur tum Pauli Apoſtoli loco ſup. cit. 1. Cor. XII. 4. &c. de gratiis gratis datis; tum eo etiam, quod eſt in eadem Epiſt. XIII. *ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero &c.* Neque hoc difficultatem habet; cum etiam homo malus ea gratia bene uti poſſit, ut ad confirmandam veram doctrinam: nec ſit ita averſus a Deo, eoque ſtatu; ut hoc donum ipſi conferre, ſi non dedecet Deum, ut eſt prima veritas; dedeceat, ut eſt ſumma ſanctitas. Quod proxime de dæmonibus diximus. Quæ duo reliqua ſunt, hoc eſt, de falſis doctoribus, ac de Antichriſto, ſatis plana ſunt ex præcedenti aſſertione. Dari enim iſtiuſmodi hominibus virtutem divinam, ſeu poteſtatem patrandi verum miraculum, & ad hoc cum ipſis tanquam cauſam principalem concurrere, perinde eſſet, ac ſi rex non ſolum ſubſcriptionem ac ſigillum ſuum alicui traderet, quibus poſſet ille, ſi vellet, falſo fidem facere: ſed etiam perinde eſſet, ac ſi ſcriptum, ipſum, quo certo ſcit, & advertit falſum contineri, manu propria ſubſcriberet, & obſignaret. Quo quidem falſus teſtis jure, & merito dici poſſet: id, quod dici de Deo, rationi, & fidei abſonum foret. Quam enim *impoſſibile eſt mentiri Deum*, (Hebr. VI. 18.) tam fieri non poteſt, ut falſo teſtimonium reddat.

Accedit, quod etiam ex ſpeciali Dei inſtituto, & providentia veritati adſtipulantur miracula, & inter ſigna, & characteres externos veræ Religionis principem obtinent locum. Hoc veluti comitatu ſtipari, & diſtingui veros Apoſtolos voluit, Marci ult. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo &c.* & 20. *Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*. Hebræ. 11. 4. *conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus &c.* Hæc potiſſimum, immo hæc unice divinus ipſe Magiſter, & Doctor objecit incredulis Joan. x. 37. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi... ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Et xv. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent &c.* Si autem vera miracula etiam pſeudo-Apoſtoli, ac pſeudo-Chriſti facerent, argumentum veræ doctrinæ ex illis deſumptum nullum foret, neque hæc providentiæ ratio ſibi conſtaret.

Nec refert, quod dicunt adverſarii, errorem a Deo confirmari indirecte: ſeu, confirmationem falſæ doctrinæ eſſe finem intentum ab homine, qui eſt inſtrumentum miraculi; Deum, qui eſt cauſa principalis, omnino aliud intendere. Nam deberet hoc ipſum poſſe cognoſci ab iis, qui vident miraculum, ne in errorem acti dicantur a Deo. Unde autem poſſit illud dignoſci, cum res, & circumſtantiæ ſuadeant, ad confirmationem doctrinæ ſpectare miraculum? Ad hoc enim tota quæſtio revocatur: Utrum Deus poſſit facere, vel dare poteſtatem, ut fiat verum miraculum, in iis circumſtantiis, in quibus prudenter creditur, miraculum non fieri ad alium finem, quam ad ſuadendam, & comprobandam eam doctrinam; vel ſaltem, miraculum fieri etiam ad hunc finem. Intra hos terminos quæſtio vertitur, & a Doctoribus agitatur, ut videre eſt apud Granado tract. 1. de Fide diſp. 8. num. 10. Card. de Lugo diſput. 2. de Fide ſect. 1. a num. 15. & Ripalda diſput. 4. de Fide ſect. 5. a num. 44. Præterea hoc ipſum dicere poſſent Infideles adverſus miracula Chriſti, & Apoſtolorum: ipſis quidem propoſitum fuiſſe, confirmare doctrinam ſuam; aliud vero fuiſſe propoſitum Dei. Quo doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, ut diximus, nullum ex miraculis veritatis argumentum haberet; nec ſtaret providentiæ ratio ſupra deſcripta.

Dices cum aliquibus, miracula non eſſe teſtimonium, ſeu locutionem Dei, nam cæteroquin attingerentur per ipſum actum Fidei theologicæ. Poſſe igitur falſum

ſum miraculo confirmari. Reſpondeo; miracula non eſſe quidem teſtimonium, ſeu locutionem Dei proprie talem; eſſe tamen analogice talem, de quo vide Auguſtinum tract. 24. in Joan. num. 2. & lib. 22. de Civit. cap. 8. n. 22. Per analogicam vero iſtiuſmodi locutionem Deus non revelat myſteria, ſed revelationem myſteriorum, quæ jam extat, & prædicatur, ſignificat eſſe ſuam, hoc eſt, eſſe a Deo. Quare miracula ſunt, & habentur, tanquam conditiones externæ, actum Fidei præeuntes. Et quamvis miraculum alia etiam oſtendere, & ſuo modo ſignificare poſſit; ſi verum eſt, quod illa ſignificet, nam hoc non ſemper eſt certum; cum non poſſit fieri, niſi divina virtute; ſemper illa ſignificat divinæ auctoritatis interpoſitu. Hæc vero ſive per veram locutionem, ſive alio quovis modo interponi non poteſt, ut falſum habeatur pro vero.

Inſtabis cum Ripalda: Quod miracula ſint veræ Religionis inſignia, ac Dei quaſi ſubſcriptio, & ſigillum, non habent per ſe intrinſecus, ſive ex natura rei; ſed ex externa Dei diſpoſitione: rebus igitur aliter conſtitutis, ſive alia providentia poterit Deus poteſtatem patrandi vera miracula dare homini, qui illa ad arbitrium ſuum, ſive ad veræ, ſive ad falſæ doctrinæ confirmationem utatur. Diſtinguo antec. Miracula non habent per ſe intrinſecus, & ex natura rei, quod ſint veræ Religionis inſignia, ſubſcriptio, & ſigillum Dei, re ipſa, & in actu ſecundo, concedo antec. Potuit enim Deus non ſolum in alia rerum omnium hypotheſi hoc ſigno non uti; ſed ipſam Religionem Chriſtianam propagare, & tueri ſine miraculis, ſaltem externis, ac ſenſibilibus, nam de his loquimur hic; ac Scripturarum, & Traditionum ſuarum divinitatem aliter notam facere, & comprobare. Vide Auguſtinum lib. 22. de Civit. cap. 5. Miracula non habent per ſe, intrinſecus, & ex natura rei, quod ſint veræ Religionis inſignia, ſubſcriptio, & ſigillum Dei in actu primo, & ſecundum proximam eorum aptitudinem, nego antec. Cum miracula non poſſint fieri, niſi divina virtute, ac ſint opus ſpecialiſſimum Dei, ex natura ſua ſunt maxime apta ad iſlum uſum, ad quem a Deo re ipſa ſunt adhibita. Ac, niſi conſtet contrarium, pro illo recte accipiuntur. Itaque ad concluſionem, primum nego, quod ſumitur; ſeu nego ſuppoſitum. Nam ſi in alia providentia miracula non eſſent notæ, ſive argumenta veræ doctrinæ, neque eſſent confirmatio doctrinæ falſæ. Ex ea enim, quod fieri ſolent pro vero, vim habent perſuadendi falſum; & maxime quidem in ſententia Ripaldæ. Deinde diſtinguo conſequens; poſſet Deus in alia providentia eam poteſtatem dare, ſi ea providentia talis eſſet, ut judicio prudenti conſtaret; Deum nolle per illud miraculum interponere auctoritatem ſuam; ſeu, nolle uti illo miraculo, ſecundum ipſius aptitudinem, concedo: ſecus autem nego conſequentiam. Breviſſime: Ea eſt natura miraculi, ut, ſi ſerventur illi termini, intra quos cum Ripalda diximus quæſtionem hanc diſceptari; quæcunque rerum conſtitutio, ac providentia fuerit, idem tenendum ſit. Quoniam in omni providentia, intra terminos illos, eadem ratio valet. Locum concludo verbis Granadi ſupra laudati. *Mihi quidem in hac difficili controverſia diſtinguendum eſſe videtur. Quando enim attentis omnibus circumſtantiis, prudenter exiſtimari poſſet, & deberet, aliquod miraculum deſervire ad confirmandam falſam doctrinam, tunc impoſſibile omnino erit, patrari a Deo, ſive per ſe ipſum, ſive interventu alicujus inſtrumenti creati. Quando vero id poſſet, aut non deberet prudenter credi, tunc recte poterit Deus miraculum edere quamtumvis dicat falſus miniſter, illud fieri a Deo, ut confirmet aliquam falſitatem.* Nimirum, quia, ut oſtendimus in præcedente aſſertione, & in hac etiam primo argumento, quod eſt a priori, & ad omnem providentiam pertinet, ſi intra expoſitos terminos illud faceret Deus, eſſet falſi atteſtator. Faceret enim aliquid, quod per ſe eſt maxime aptum ad perſuadendum; immo in illis circumſtantiis re ipſa perſuadet, eam doctrinam eſſe ſecundum mentem Dei.

Inſtabis adhuc, præſertim de Antichriſto. Deus, ut eſt Apoc. xx. 3. Deus dæmo-

monem *ſolvet modico tempore*, & Antichriſtum permittet eatenus facere miracula relativa, & imitari ac fingere miracula abſoluta, ut prudenter credibile futurum ſit, ea fieri Dei auctoritate, & poteſtate ad confirmandam Antichriſti doctrinam, & ſicut ſcriptum eſt Matth. XXIV. 4. *dabunt ſigna magna*, *& prodigia*, *ut in errorem inducantur* (*ſi fieri poteſt*) *etiam electi;* Ergo in iiſdem circumſtantiis, eodemque juſtiſſimo fine ſibi propoſito, poterit dare Antichriſto virtutem, & poteſtatem patrandi vera miracula abſoluta. Probatur hoc: quia perinde eſt, decipi homines per actiones, quæ excedant facultatem ſolius naturæ corporeæ; ac decipi per actiones, quæ excedant facultatem totius naturæ creatæ. Hoc enim diſcrimen in re præſenti non eſt reputandum; ſive, ut ſchola loquitur, de materiali ſe habet.

Reſpondeo primo, antecedens non eſſe ſaltem univerſaliter verum. Nam quæcunque ope dæmonis faciat, aut fingat Antichriſtus, iis non reddet prudenter credibilem doctrinam ſuam. Ejus enim doctrina non erit utcunque falſa; ſed erit manifeſte oppoſita doctrinæ Chriſtianæ, quæ credibilis, & credenda eſt evidenter. Adde, quod de ipſius doctrinæ, & prodigiorum falſitate jam præmoniti ſumus in multis Scripturæ locis, ac præſertim Matth. XXIV. 24. II. Theſ. II. 9. Apoc. XIII. 13. 14. &c. Quo ſatis diſcerni, & caveri poterunt. Quare locus Matthæi nobis objectus, facit potius a nobis; ac loquitur emphatice de fallaciis, & fraudibus Antichriſti, & aliorum deceptorum, ut homines reddat magis attentos. Tantumque abeſt, ut Deus facturus ſit prudenter credibilem Antichriſti doctrinam miraculis veris; ut, ne prudenter credibilis fiat miraculis falſis, eorum falſitatem tanto ante detexerit. Deinde, dato antecedente, nego conſequentiam, & quod ad illam probandam ſubjungitur. Multum enim intereſt, & in re præſenti eſt maxime attendendum, utrum decipiantur homines miraculis falſis, an miraculis veris; ſeu actiones, quæ ſint miracula falſa, an per actiones, quæ ſint miracula vera. Illud fit eo ſolum, quod Deus hominem decipi permittat: hoc vero non fieret, niſi Deus ipſe deciperet. Ratio eſt; quia Deus ad miracula falſa concurrit proxime quidem, ſed tanquam cauſa univerſalis, ac ſolo generali concurſu: at miracula vera efficit ipſe ſua divina virtute, tanquam cauſa particularis, & principalis, & ita quidem, ut etiamſi inſtrumentum creatum adhibeat, vel hominem, vel Angelum, tamen Deo ſoli tribuantur; ut explicatum eſt ſuo loco. Quare tam non ſequitur; Deus ad finem juſtiſſimum, & ſanctiſſimum permittet, Antichriſtum ope dæmonis facere miracula falſa; ergo iiſdem circumſtantiis, eodemque fine ſibi propoſito, poterit eidem poteſtatem dare faciendi miracula vera: quam non ſequitur; Deus juſtiſſime, & ſanctiſſime, nimirum propter bona, quæ ex ipſis elicit, permittit peccata; ergo iiſdem circumſtantiis, & ad eoſdem fines, nullo pariter juſtitiæ, & ſanctitatis ſuæ detrimento, poteſt peccare. Quemadmodum neque hoc ſequitur; poteſt Deus permittere, ut *Satanas transfiguret ſe in Angelum lucis* (II. Cor. XI. 14.) ad decipiendos homines; ergo poteſt ipſemet, medio Angelo lucis, decipere homines. Et ſimilia. Concludo hic etiam breviſſime.

Vel Antichriſti tempore concurrent tales circumſtantiæ, ut ſi fiat miraculum, prudenter exiſtimari poſſit, ac debeat, illud eſſe factum ad ſuadendam, & comprobandam Antichriſti doctrinam; vel tales circumſtantiæ, non concurrent. Si primum; Deus adeo daturus non eſt Antichriſto poteſtatem faciendi miraculum, ut eam nec dare poſſit. Cum miraculum in illis ſaltem circumſtantiis ſit tanquam teſtimonium Dei, ac vera aliqua divinæ auctoritatis interpoſitio. Sin vero alterum; fortaſſe propter peculiarem, & intimam Antichriſti conjunctionem cum dæmone, neque tunc dare poterit divinam illam virtutem, non ut eſt ſumme verax, ſed ut eſt ſumme ſanctus; & omnino quicquid erit, utrum dare poſſit, an non poſſit; certe non dabit: cum ipſe per Apoſtolum II. Theſ. II. 9. teſtetur ſe non daturum, & dicat expreſſe Antichriſti *virtutes*, *& ſigna*, *& prodigia* fore *mendacia:* idemque tum ex hoc, tum ex aliis Scripturæ locis ſentiant

tiant

Digitized by Google

tiant fere omnes Patres, & Doctores, ut videre apud Scriptores, quorum accuratum catalogum hic attexo.

Legendi pro prima aſſertione Bellarminus tom. 2. lib. 4. cap. 14. Bozius de ſignis Eccleſiæ Dei tom. 1. lib. 5. Leſſius de Provident. lib. 1. cap. 2. §. 9. Granata Iſagog. ad Symbolum Fidei par. 2. cap. 27. Gravina de notis Eccleſ. controv. Pichler Controv. 3. cap. 2. art. 4. Maignanus Philoſoph. ſacr. par. 1. cap. 1. propo. 13. Fibus de via verit. & vitæ cap. 2. Bagatta de Admirandis orbis Chriſtiani tom. 1. proleg. 1. & 2. Scacchus de notis, & ſignis ſanctitatis ſect. 8. Chaſſanæus de gloria mundi par. 1. Petavius lib. 14. de Incarnat. cap. 13. Thyrſus Gonzalez de verit. relig. Cathol. cap. 7. & in Manuductione ad converſionem Mahumet. lib. 3. Calmet in differt. de veris, fictiſque prodigiis præfixa commentariis in Exodum, Huttevillus de Religione per facta probata &c. cap. 1. & 2.

Pro ſecunda Aſſertione Bartolus in tract. Teſtium §. *Qualites autem* num. 57. Pignatellus tom. 10. Conſult. 173. Salmanticenſes tom. 6. curſus Theolog. tract. 15. Viguer in Inſtitution. tit. de Gratia divina cap. 2. Card. Lauræa in 3. Sent. tom. 4. diſp. 20. Caſtellinus de certitudine Gloriæ Sanctor. cap. 8. punct. 10. Petraſancta in Thaumaſia veræ religionis lib. 1. num. 5. Bordonus de miraculis diſput. 1. 2. &c. Segneri in Incredulo par. 2. cap. 4. & 5. Auctor Tractatus de Canonizat. Sanctor. ad Cardin. Montis Regalis par. 3. 4. &c. Rocca de eodem argumento cap. 23. 24. &c. Contelorus de eodem par. 2. Matta de eodem par. 3. cap. 8. Caralaps de eodem tract. de miraculis §. 7. Matthæuccius de eodem tit. 3. cap. 2. Præ omnibus vero Card. Proſper de Lambertinis, nunc Benedictus XIV. fæliciter regnans lib. 4. part. 1. cap. 1.

Pro tertia Aſſertione Joannes Picus Mirandul. de vi Imaginationis, Fracaſtorius lib. de ſympathia, & antipathia cap. 2. Vairus lib. 2. de Faſcino, Valleſius de ſacra Philoſophia cap. 11. 12. &c. Moura de Enſalmis ſect. 2. Andreas Laurentius de ſtrumis cap. 4. Zachias in quæſtionibus Medico-Legalibus lib. 1. 3. & 4. Codronchus lib. 2. de morbis veneficis, Sibylla decad. 3. peregrinar. quæſt. cap. 8. Medina lib. 2. de recta Fide in Deum cap. 7. Victoria in relectionibus de arte magica q. 5. Nazarius de magia par. 1. Antonius Cordub. lib. 4. q. 1. Ferrarienſis in lib. 3. cont. Gent. cap. 102. 103. &c. Fienus de virib. imaginat. q. 12. Donatus de Medica hiſtoria mirabili lib. 2. cap. 1. Nimanus orat. de imagin. q. 7. Levinus Lemnius de miraculis occultis naturæ cap. 50. Totius tom. 5. tit. de Faſcino, & Incantat. Gregorius Toloſanus lib. 6. cap. 20. Vulpes tom. 3. par. 2. diſput. 3. Vaſquez in 3. par. q. 13. diſp. 57. Del Rio diſquiſit. Magic. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 7. 8. &c. Raphael a Turre q. 96. Gaſpar a Reies q. 23. & 24. Caſtaldus de Pot. Angelica tom. 1. diſt. 2. art. 5. dub. 1. 2. 3. &c. Zipæus Conſult. Canonic. lib. 3. par. 3. Salmeron tom. 4. in Evang. par. 2. tract. 13. Pererius in Gen. XXX. 39. Serrarius in Tob. VI. 8. Cornelius a Lapide, Franciſcus Mendoza, Gaſpar Sanchez in 1. Reg. XVI. 23. &c.

Pro quarta Aſſertione Cajetanus in 3. par. q. 13. a. 2. Paludanus in 4. Sent. diſt. 1. q. 1. num. 32. Gregorius Ruyz in 4. Sent. controv. 8. Suarez in 3. par. tom. 1. diſp. 31. & lib. 4. de Angel. cap. 39. Cabrera ibid. a. 2. diſput. 1. Valentia tom. 4. diſput. 1. q. 13. punct. 2. Andreas de Vega lib. 7. ſuper Concil. cap. 13. Conink tom. 1. de Sacram. q. 62. a. 2 Tannerus diſput. 1. q. 5. dub. 7. Puteanus q. 13. a. 2. dub. 2. Becanus de Incarn. cap. 10. num. 10. Martinonus in eodem tract. diſput. 12. ſect. 2. & 3. Bonacina de eodem diſput. 2. quæſt. 9. punct. 3. propoſ. 2. Barradas tom. 2. in Evangel. lib. 5. cap. 24. &c.

Pro quinta Aſſertione Alphonſus a Caſtro de impia ſortilegarum hæreſ. cap. 4. Eſtius in 2. ſent. diſt. 7. §. 16. Bannez, Zumel, Porrecta, Joannes a S. Thoma, & alii S. Thomæ interpretes in 1. p. q. 110. a. 4. Silveſter lib. 2. de Strigimagis, Torreblanca lib. 2. de magia cap. 1. & 2. Ludov. Mercatus tom. 1. lib. 2. claſ. 3. Pomponatius de Incantationibus cap. 3. & 4. Anianus de natura

Digitized by Google

ſura dæmonum lib. 4. cap. 4. Raynaudus theol. natural. diſp. 4. q. 4. Grillandus tract. de ſortilegiis num. 26. Malleus maleficorum ex variis auctoribus p. 2. Sebaſtianus Medices de mirabilibus Dei cap. 2. Andreas Cattaneus lib. de mirabilib. cap. 5. & 6. Fraſſen in Scoto Academ. tract. 1. diſput. 3. in Append. de ſtrigibus §. 3. Huetius demonſtr. Evangel. Prop. 9. cap. 39. & 162.

Pro ſexta Aſſertione Turrecremata lib. 4. de Eccleſia, Hadrianus, & Petrus de Wallenburg tom. 1. tract. 8. Maldonatus in Matth. VII. 22. Baronius ad an. Chriſti 34. num. 214. & iterum ad an. Chriſti 765. num. 1. Malvenda lib. 7. de Antichriſto, Acoſta de noviſſimis temporibus par. 1. Fevardentius Annot. in lib. 1. S. Irenæi cap. 8. & in lib. 2. cap. 56. Viegas, Alcaſar, Ribera, & alii interpretes in Apoc. XIII. 13. Granado tract. 1. de Fide diſput. 8. num. 10. Card. de Lugo diſput. 2. ſect. 1. num. 15. 16. &c. Lumbier de Fide quæſt. 4. a. 2. & habita facultate Marin. tract. 14. de Fide diſput. 6. ſect. 2. & 3.

PROPOSITIO XIII.

De Angelorum, & hac occaſione de aliis omnis generis Apparitionibus hæc tenenda, quæ hic ſingillatim exponuntur, & ſimul, quantum neceſſe eſt, approbantur.

I. PRimum eſt; quod Angeli appareant non ſolum per immutationem imaginationis, ac ſenſus, ut volebant aliqui, de quibus S. Thomss p. 1. q. 51. a. 2. ſed etiam vere aſſumptis corporibus. Item, quod hæc corpora non ſint ex materia cœleſti, ut placuit aliis, de quibus S. Bonaventura in 2. ſent. diſt. 8. q. 2. ſed ex noſtrate aere, & quidem aliis etiam naturis, ſive ſubſtantiis permixto. Et tandem, quod in his corporibus non ſolum ſit ſpecies, ac color, quibus ſub aſpectum cadant; ſed etiam ſint dura, mollia, ac cæteris qualitatibus prædita, quibus tangi, contrectarique, ac reliquis uſurpari ſenſibus poſſint. Probantur hæc ſimul omnia, tum ratione, quia nihil horum videtur excedere naturalem Angeli poteſtatem, cum ſolo motu, ac rerum corporearum collocatione, aliarumque ad alias appoſitione perfici poſſint. Tum etiam auctoritate: nam ſi res non ita ſe haberet, minus proprie, ac commode explicari poſſent plures Scripturæ loci, in quibus hæc deſcribuntur; ut qui de Angelis ab Abraham, & Loth hoſpitio receptis Gen. XVIII. 4. & XIX. 2. quique de Angelo, qui luctatus eſt cum Jacobo Gen. XXXII. 24. & ſimiles alii.

Neque obeſt, quod eſt Luc. XXIV. 39. dictum a Chriſto Domino: *palpate, & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Ego enim non dixi, poſſe Angelos naturali facultate efficere ex aere, & aliorum etiam elementorum mixtione veram carnem, & oſſa vera: dixi, poſſe efficere corpus ſolidum, quod attrectanti reſiſtat, atque etiam carnem, & oſſa magna ſimilitudine referat; non tamen tanta, ut inter verum, & apparens nihil ad ſenſum interſit, nec poſſit ab eo, qui id attentius exploret, deprehendi falſitas. Idque ſignificant verba illa: *ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut;* hoc eſt, qualia *me videtis habere;* nempe carnem, & oſſa vera. Quod contra inferebant Marcionitæ. Legantur Maldonatus, Cornelius a Lapide, atque ex recentioribus Calmet in hunc Evangelii locum.

II. Secundum eſt, quod Angeli non uniantur vere, & phyſice aſſumptis corporibus; neque in iiſdem edant actiones ullas vere vitales; ſeu quæ tales dicuntur quoad ſubſtantiam, ut actiones videndi, audiendi, imaginandi, appetendi; ſeu, quæ tales dicuntur quoad modum, ut actiones ambulandi, loquendi, ridendi, comedendi. Quæ diſtinctio eſt Pat. Vaſquez in 1. Par. diſput. 186. cap. 2. Pro-

Digitized by Google

bantur hæc pariter ſimul. Quia ſi ſpectes naturam corporis aſſumpti, id neque eſt inſtructum, neque inſtrui naturaliter poteſt organis aptis, & alia ſupellectili, ſive inſtrumentis neceſſariis ad exercenda opera vitæ. Si vero ſpectes naturam ſpiritus aſſumentis, is non eſt proprie forma, ſive ens incompletum; ſed eſt aliquid in ſuo genere perfectum, & integrum, ex quo ſimul, & corpore conflari minime poteſt unum per ſe, & principium vitale corporeum. Porro eſt his conſentaneum, unionem, ſeu vinculum illud, quod inter hæc ipſa duo intercedit, non eſſe pluſquam morale, ſive analogicum. Nam beneficio majoris unionis, quantacunque ea fingatur, ex his duobus ſimul extremis, quorum naturam modo deſcripſimus, proficiſci non poſſent actiones, quæ eſſent vere, & proprie vitales; & ad habendas actiones, quæ vitales non ſint, niſi analogice, unio major non requiratur. Hæc vero analogica unio ex iis, quæ docet S. Thomas p. 1. q. 51. a. 2. ad 2. definiri poteſt: præſentia motoris in mobili ipſum repræſentante. Quo neceſſe ſunt hæc tria: primum quod Angelus ſit in corpore aſſumpto. Secundum, quod velit illud movere, eoque uti apposite ad repræſentandum ſe ipſum; nempe ad ſimilitudinem animæ, quæ per externas operationes ſe manifeſtabat. Seu clarius; quod Angelus in eo corpore velit ſe gerere, tanquam internum principium motuum, & actuum ejuſdem corporis. Tertium, quod corpus illud ſit ita conformatum, & aptum, ut poſſit ita moveri; & agi, ſive hunc uſum habere. Actiones autem, quas vitales duntaxat analogice diximus, per ſolum motum de loco in locum peraguntur; & cum externam aliquam ſimilitudinem gerant actionum vere vitalium, interiori tamen principio, & facultate ab illis penitus differunt. Quapropter Angeli non ſolum proprie non vident per corpus aſſumptum; ſed nec proprie ambulant, cum & pedes corporis aſſumpti careant organis, & cæteris adjumentis ad vitalem inceſſum neceſſariis; & Angeli quantumvis intime præſentes, ſint tamen principium motus duntaxat externum, nec formæ informantes, ſed ſolum aſſiſtentes a Scholaſticis nuncupentur.

Dices: ergo Angeli ſemper fingunt, ac mentiuntur, quoties nobis apparent: non ſunt enim, quod præferunt, nec vere faciunt, quæ facere videntur. Reſpondeo, iſtud non ſequi. Nam per illas figuras, repræſentationes quæ ſenſibiles ea ſemper intelligi volunt, ac ſignificant Angeli, quæ veriſſima ſunt. Interdum ipſa corpora aſſumpta res illas ſignificant, quibus denunciandis Angeli mittuntur a Deo. Ut quatuor Animalia Ezech. 1. 5. 6. &c. & Apoc. IV. 6. 7. &c. Sæpiſſime vero tum corpora, tum ſimilitudines actionum noſtrarum ſignificant aliquam Angelorum nobis apparentinm proprietatem, virtutem, excellentiam. Quo pertinet illud Raphaelis Tob. XII. 10. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Nam erat Raphael *juvenis ex filiis Iſrael*, ut præſeferebat; nec ea vere, & proprie faciebat, quæ facere videbatur; ſed id vere, & proprie & erat, & faciebat, quod per ea ſigna, & imagines adumbrari, ac denotari convenientiſſime potuit. Quod quidem ſi mentiri, ac fingere eſſet; non ſolum non liceret uti hieroglyphicis notis, ac ſymbolis, quod tamen tota fecit Antiquitas; ſed univerſa Theologia Myſtica, & magna pars divinæ Scripturæ, in quibus per ſigna ſenſibilia, ac rerum noſtrarum ſimulacra deſcribuntur res intelligibiles, & quæ ſupra nos ſunt, plena eſſent fictionibus, & mendaciis. Legantur SS. Dionyſius Areogapita Cœleſt. Hierarch. cap. ult. §. 4. 5. &c. & Thomas par. 1. q. 51. a. 3. ad 1.

III. Tertium eſt, quod omnes Dei Apparitiones, quæ memorantur in libris V. T. ſint factæ per Angelos Deum repræſentantes, & ipſius nomine agentes. Probatur: quia de celebrioribus Dei Apparitionibus, quarum Scriptura non ſemel meminit, uno in loco is, qui apparuit, dicitur Deus, & Dominus; alio autem in loco, in quo de eadem Apparitione ſermo redit, idem ipſe vocatur Angelus. Sic tres viri, qui apparuerunt Abrahamo in convalle Mambre, appellantur, *Dominus* Gen. XVIII. 1. 3. &c. & XIX. 18.

Digitized by Google

18. 24. habeturque apparitio illa a SS. Patribus ut apparitio trium divinarum Perſonarum; cum tamen iidem tres viri expreſſe dicantur, *Angeli*, Gen. XIX. 1. & 15. & ad Hebr. XIII. 2. Similiter Angelus fuit, & talis expreſſe dicitur Gen. XII. 11. & 12. qui Abrahamo de Cœlo inclamavit, *non extendas manum tuam ſuper puerum &c.* idemque ſtatim ſubjungit, *cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*. Sic etiam Angelus fuit, & talem fuiſſe, expreſſe teſtatus eſt Jacob Gen. XXXI. 11. quem vidit innixum ſcalæ; & tamen ipſe ille Angelus ibidem ver. 13. ait: *Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti lapidem, & votum voviſti mihi*. Et cap. XXVIII. 13. dixerat, *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac &c.* Præterea ſi quando Deus ipſe apparuit, tunc certe fuit, cum *de medio rubi dixit ad Moyſen*: *Ego ſum, qui ſum &c.* Exod. III. 14. Et cum eidem tradidit legem in monte Sina, *locutuſque eſt cunctos ſermones hos: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti:* & cætera, quæ leguntur Exod. cap. XX. & ſequentibus. Atqui conſtat, eum, qui hæc omnia locutus eſt Moyſi, fuiſſe Angelum. Id enim diſerte teſtatus eſt Stephanus Act. VII. 30. *Moyſi apparuit Angelus in igne flammæ rubi*. Et, ver. 35. *Moyſen Deus principem, & redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo*. Et ver. 38. de eodem: *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine, cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina*. Et ver. 53. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis*. Nec minus luculenter teſtatus eſt Paulus Apoſtolus ad Gal. III. 19. *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris*. Et ad Hebr. II. 2. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo &c.* Mitto alias plures Dei Apparitiones, de quibus idem conſtat. Ut quando apparuit Agar Gen. XVI. 7. 9. 13. 14. & quando iterum apparuit Jacob XXXII. 30. Et Filiis Iſrael Jud. II. 1. 4. Et Gedeon. Jud. VII. 2. 9. Et parentibus Samſonis Jud. XII. 22. 23. Ac ſimiles alias.

Quod ſi primariæ Dei Apparitiones, in quibus is, qui videndum ſe præbet, & loquitur, tam clare, & aperte Deum ſe profitetur, ſunt tamen factæ, per Angelos; non videtur poſſe dubitari, quin eodem modo factæ ſint reliquæ omnes. Quod enim de illis Scriptura docet expreſſe, de aliis, de quibus ſemel tantum, & magis præciſe loquitur, docere tacite cenſenda eſt.

Accedit communis ratio ex ea providentiæ lege, cujus Dionyſius Areop. & Auguſtinus ſæpe meminerunt, & ex illis S. Thomas 1. 2. q. 98. a. 3. *quod Deus adminiſtrat res medias per ſupremas; & infimas per medias*.

Neque dicas, eſſe aliquos Patres, qui velint, Jacobo præſertim, & Moyſi apparuiſſe Filium Dei: iſtud enim contra nos minime facit. Qui hoc ſolum contendimus, omnes ejuſmodi Apparitiones factas eſſe per Angelos. Poſſe autem ab Angelis unam potius divinam Perſonam repræſentari, quam aliam, probabilius cenſemus; & docet Suarez lib. 6. de Angelis cap. 20. num. 17. 18. &c. Immo ita interdum ab Angelis factum fuiſſe arbitramur. Et ſi vis Perſonam Filii Jacobo, & Moyſi repræſentatam, non admodum repugnamus.

Sed neque in eo difficultas eſſe poteſt, quod in his Dei Apparitionibus interdum leguntur verba illa, *Hæc dicit Dominus Deus*; interdum vero hæc alia, *Ego ſum Dominus Deus tuus*; aut ſimilia. Hoc enim facit potius a nobis: utrumque enim, licet paulo aliis verbis in una, eademque Dei Apparitione legitur. Ut videre eſt Gen. XVI. 8. 10. XXII. 12. &c. Præterea utroque illo modo loquitur, qui alium repræſentat, & ipſius nomine agit; hiſtorice nimirum, & poteſtative, ut ita dicam, ſive auctoritative. Sic in eodem Miſſæ Sacrificio, prius tanquam narrando, atque exponendo dicimus: *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem &c.* Deinde ex Perſona Chriſti, quam ibi gerimus, pronunciamus, *Hoc eſt*, Ambroſius de Sacrament. lib. 4. cap. 4. n. 14. Et ſic etiam in Sacramentali Judicio, audita rei confeſſione, preces aliquas præmittimus, *Miſereatur tui omnipotens Deus &c.* deinde pro poteſtate illum abſolvimus, Chriſti ſcilicet auctoritate, quem ibi pariter repræſentamus.

Difficultas in eo eſt, ut mihi quidem

Digitized by Google

videtur, non levis: cum Dei Apparitiones quatuor potiſſimum generum a Myſticis doctoribus diſtinguantur, *Viſibiles*, *Vocales*, *Imaginariæ*, *Intellectuales*; utrum hæc dicenda ſint de ſolis Dei Apparitionibus primi generis, quæ fiunt per corpora aſſumpta; an vero univerſe de reliquis omnibus.

IV. Quartum eſt igitur, Dei Apparitiones ex his omnibus quatuor generibus memorari in Libris F. V. & omnes factas eſſe per Angelos licet non una ratione. Primo modo apparuit Adamo, & Evæ, apparuit Cain, Noe, Abraham, Loth, Saræ, Agar, Iſaac, Jacob, Moyſi, Aaron, Nadab, Abiu, & 70. Senioribus &c. & omnino prioribus mundi ætatibus; homines enim adhuc rudes conveniens fuit externa illa, ac ſpectabili forma ad religionem, ac pietatem inſtitui; & illud fieri per Angelos, ex eo providentiæ ordine, de quo dictum paulo ante; & per Angelos repræſentantes Deum, ut majori auctoritate fieret, & fieret ſine idololatriæ periculo.

Dei apparitiones, ſeu melius, manifeſtationes vocales ad poſteriores etiam ætates pertinent. Quanquam hæ quoque Samuelis temporibus non eſſent ita frequentes: *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta*. (1. Reg. III. 1.) Erat autem hic ſermo Domini exterior, eoque pulſabantur aures, interdum quidem re nulla exhibita oculis; ut quando Deus vocavit Samuelem ibid. 4. 5. &c. & forte etiam quando vocavit Abraham, Gen. XII. 1. & XXII. 11. 12. Immo etiam quando vocavit Adam, Gen. III. 8. 9. Interdum vero hæ divinæ voces extitere ex aliquo corpore pariter prodigioſo: ut ex rubo ardenti Exod. III. 4. &c. de nube, Exod. XVI. 10. 11. ac de columna nubis, num. XII. 5. & Pſalm. XCVIII. 7. de medio ignis in monte Horeb, Deut. IV. 12. In ſibilo auræ tenuis, III. Reg. XIX. 12. In turbine, Job. XXXVIII. 1. Item reſponſa dabantur de Propitiatorio, Num. VII. 89. Ac per Urim, & Tummim, 1. Reg. XXIII. 11. 12. &c. Quamvis de his ultimis reſponſis dubium ſit, quo pacto redderentur; ecquid per voces externas, an ſecus.

Apparitiones Dei imaginariæ aliæ vigilantibus, aliæ dormientibus factæ leguntur. Hæc diſtinctio traditur Num. XII. 6. & ſcribit de illa Doctor Angelicus 2. 2. q. 174. a. 3. eamque appoſitis exemplis illuſtrat S. Bonaventura Proceſ. 7. Relig. cap. 18. *Aliæ ſunt*, inquit, *imaginariæ viſiones, quæ vigilanti non corporaliter, ſed imaginarie oſtenduntur, ut viſiones Ezechielis, Danielis, & aliorum Sanctorum in Veteri, & Novo Teſtamento*. Pleraque Prophetarum viſa hoc genere comprehendi, putat. Pergit vero: *Aliæ ſunt imaginariæ, quæ dormientibus oſtenduntur, ut Jacob vidit Dominum innixum ſcalæ* (Gen. XXVIII. 13.) *& Pharao* (Gen. XLI. 1. 2. &c.) *& Nabuchodonoſor* (Dan. II. 1.) *ſomnia viderunt præſagia futurorum*. Hæ vero poſteriores duæ, non fuerunt apparitiones Dei, de quibus hic diſputamus; ſed rerum aliarum viſiones, repræſentationeſque, ad præſignificanda futura; quas adverſarii etiam concedunt factas eſſe per Angelos. Illa Dei apparitio, quæ legitur facta in ſomnis Abimelech, Gen. XX. 3. Item, quæ Haaco, Gen. XXVI. 24. Jacobo, Gen. XXXI. 11. 13. & Gen. XLVI. 2. Balaamo, Numer. XXII. 8. Gedeoni, Judic. VII. 9. Salomoni, III. Reg. III. 5. &c.

Apparitiones Dei intellectuales, de quibus hic loquimur, illæ non ſunt, quæ quomodocunque ad intelligentiam pertinent, ac mentem attingunt. Nam ſi Deus ſub ſpectabili, humanaque forma ſe exterius exhibeat; ſi idem hominibus voce externa loquatur; ſi præſtet hæc ipſa per ſola phantaſmata, ſeu ſpecies imaginarias in interiore hominis ſenſu; quod hæc mens advertat, ad eamque iſtorum notitia perveniat; non continuo iſtæ apparitiones, aut viſiones intellectuales cenſendæ ſunt. Tales ſunt, & dicuntur, quæ mentem vel ſolam, vel potiſſimum occupant. Fiunt autem per ſpecies intelligibiles, vel immiſſas, vel excitatas divinitus; & ſuperfuſo lumine divinitus pariter auctas, & illuſtratas; quo quidem in alium quaſi ſtatum atque ordinem transferuntur. His autem mediis, & quaſi inſtrumentis, ſine converſione ad phantaſmata, & ſine inquiſitione rationis, exiſtit in mente hominis cognitio,

tio,

Digitized by Google

ſio, & quidam quaſi conſpectus divinæ præſentiæ; vel etiam, in Teſtamento Novo, cognitio, & conſpectus Chriſti, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, ut præſentium, quando hi proprie, ac vere apparent, ut in inſequenti aſſertione dicemus.

Toſtatus q. 2. in caput 9. libri 3. Regum duplicem diſtinguit apparitionem intellectualem. *Quartus*, inquit, *modus, quo Deus apparet, & loquitur eſt per immutationem intellectus: ſcilicet, quod Deus elevet intellectum alicujus ad intelligendum aliquid ſupernaturaliter, quod aliter intelligere non poterat. Et illud fit dupliciter; aliquando cum ecſtaſi, & raptu, ſicut fuit in B. Paulo* II. *Cor.* XII. 4. *aliquando ſine ecſtaſi, & ſic fuit in Eliſeo* IV. *Reg.* III. 15. 16. & XIII. 15. 19. & *multis aliis Prophetis*. Sic enim forſitan didicit Moyſes, quæ de Mundi opificio, & primis Parentibus ſcripſit Gen. I. II. &c. Sic de innocentia Suſannæ didicit Daniel, quæ ſunt Dan. XIII. 45. 46. &c. Hujus generis apparitione, ſeu revelatione vidit Nathan *translatum* Davidis *peccatum* II. Reg. XII. 13. vidit Jahaziel, quæ prędixit Joſaphat, & multitudini Judęorum II. Paral. XX. 14. 15. &c. quęque Ezechiæ prędixit Iſaias IV. Reg. XX. 4. 5. &c. Item Abraham vidit Chriſti diem; *vidit, & gaviſus eſt*, ut eſt Joan. VIII. 56. Quarum apparitionum, ſeu viſionum, ac revelationum intellectualium ſimiles multę leguntur in omnibus ſacris Voluminibus. Illę celebres apud Myſticos, quę leguntur factę Davidi, & ab ipſo deſcribuntur II. Reg. XXIII. 3. 4. *Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum &c. Sicut lux auroræ oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat:* Pręclare in hunc locum ſcripſit Richardus Victor. lib. 5. de Contempl. c. 9. ſelectiora quędam ex Patribus dedi ſuper hoc in Dionyſio Areop. qui eſt dialogus Platonis Chriſtiani de contemplatione, num. 25. & 64.

Jam porro, quod alterum fuit in hac quarta aſſertione noſtra, hęc omnia ſuo quęque modo facta eſſe opera Angelorum, de tribus prioribus generibus, ſola eorum expoſitione, ſatis demonſtratum exiſtimo. Etenim in præcedenti aſſertione, quę divinę apparitiones exemplo, atque argumento fuerunt, reliquas pariter omnes factas eſſe per Angelos, ad hæc tria genera pertinent; ut ſingulas reputanti facile conſtabit. Apparitio Dei facta Abrahamo Gen. XVIII. I. &c. viſibilis fuit. Facta Moyſi de medio rubi Exod. III. 4. &c. vocalis. Facta Jacobo Gen. XXVIII. 12. &c. imaginaria. Adde rationem communem, ut dixi, omnium. Hęc ipſa vero, ſi rem recte exiſtimes, idem probant de apparitione Intellectuali. Numquid enim mens Angelica non eſt humana ſuperior? Numquid Angeli medii ſunt inter Deum, & hominis phantaſiam; & non itidem medii ſunt inter Deum, & hominis mentem; ut conveniens fuerit per illos fieri apparitiones imaginarias, non vero intellectuales? Omnino non videtur poſſe afferri cauſa, cur Deus noluerit in his apparitionibus Angelorum opera uti, cum uti poſſet; & voluerit uti in cęteris omnibus, cum utique poſſet non uti.

At enim, quid ſi Deus aliquam ex his apparitionibus etiam ſanctis Angelis abſconditam velit? Reſpondeo, nos hic loqui de eo quod in hoc genere Deus videtur feciſſe; non de eo, quod facere potuit. Quid enim ſi ſanctis Angelis abſconditam velit aliquam apparitionem, etiam externam? Non caſus, ſive hypotheſes extraordinarias inquirimus hic; ſed quæ Deus conſueto, & ſtabili providentiæ ordine facit; & in Libris Teſtamenti V. memorantur.

Dices, eſſe multis in locis T. V. apparitiones, locutiones, revelationes intellectuales; & ibi nuſquam mentionem eſſe de Angelis. Reſpondeo primum, etiamſi Angeli non nominentur expreſſe; ex iis tamen, quæ dicta ſunt, ibi ſemper intelligendos. Ajo deinde, falſum eſſe, ibi Angelorum mentionem non fieri. Non ſolum Angelus dicitur, ſed & proprio nomine Gabriel appellatur, qui locutus eſt Danieli. Atqui de hoc ſcriptum Dan. VIII. 16. *Gabriel fac intelligere iſtam viſionem*. Et 17. *Et ait ad me: Intellige fili hominis*. Et 19. *dixitque mihi: Ego oſtendam tibi, quæ futura ſunt*. Item IX. 21. 22. *Ecce vir Gabriel, quem videram &c. & docuit me,*

& lo-

Digitized by Google

& locutus eſt mihi, *dixitque: Daniel nunc egreſſus ſum*, *ut docerem te*, *& intelligeres* &c. Et ſimiliter Zach. I. 9. *Et dixit ad me Angelus*, *qui loquebatur in me*: *Ego oſtendam tibi quid ſint hæc*. Explicationes hæ quidem ſunt intellectuales apparitionum non intellectualium. Verum ſi Angeli locuti proxime ſunt ad hominis mentem, tanquam nuncii, & interpretes; quidni etiam locuti ſint ex perſona Dei, ſeu Deum ipſum repræſentando, ubi ſermo eſt de divinis apparitionibus intellectualibus? Quippe cum auctoritate, & ratione generatim conſtet, Deum in V. T. hominibus apparuiſſe per Angelos.

Sed affero etiam exemplum divinæ apparitionis, quæ valde probabiliter, ſaltem interdum, facta eſt in ſola hominis mente; ac teſtimonio Scripturæ facta eſt ab Angelo. Quod ille, qui nomine Dei Moyſi tradidit Legem in monte Sina; & tunc, & deinceps cum eo loquebatur, eſſet Angelus, expreſſum eſt, ut in præcedente aſſertione notavimus, in pluribus Scripturæ locis; præſertim vero Act. VII. 38. Sic enim ibi de Moyſe loquitur S. Stephanus: *Hic eſt*, *qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo*, *qui loquebatur ei monte Sina*, *& cum patribus noſtris &c.* Quod autem ille Angelus ex perſona ipſa Dei, ſeu Deum repræſentans, ac Dei nomine interdum ſaltem locutus ſit, vel ſolum, vel potiſſimum ad Moyſis mentem, ſeu locutione, ac revelatione intellectuali, eſt maxime veriſimile; eoque accedit teſtimonium Dionyſii Areop. qui cap. 4. de Cœleſt. Hierarchia §. 2. docet, intellectuales apparitiones, ſeu manifeſtationes per Angelos fieri, earumque exemplum ſtatuit in Lege tradita Moyſi. Quod etiam repetit §. 3. his verbis. *Quin imo ſapienter etiam Theologia docet*, *eam* (Legem) *per Angelos ad nos dimanaſſe*, *quaſi id ordo divinæ legis ſanxerit*, *ut per ſuperiora iſta quæ inferiora ſunt*, *ad divinum Numen adducantur*. *Etenim non ſolum ſuperioribus*, *inferioribuſque mentibus*, *verum etiam æqualibus*, *ſeu coordinatis*, *a ſuperſubſtantiali rerum omnium primordiali ordine lex iſta conſtituta eſt*, *ut per ſingulas Hierarchias primi eſſent*, *ac medii*, *noviſſimique ordines*, *ac virtutes*; *inferioribuſque diviniores myſtæ eſſent*, *ac manuductores ad divinum acceſſum*, *& illuſtrationem*, *atque communionem*. Legatur præterea Corderius in annot. ac cæteri S. Dionyſii interpretes.

Inſtabis, ad intellectualem apparitionem opus eſſe, ſpecies rerum intelligendarum vel novas infundi, vel quæ in mente jam inerant, novo lumine perfundi, & colluſtrari. Utrumque autem excedere Angelorum vires. Reſpondeo apparitiones præſertim intellectuales eſſe aliquid præter ordinem totius naturæ, ac recenſeri poſſe inter illa miracula, quæ ſub ſenſus non cadunt. Cum autem, ut dictum eſt in ſuperioribus, multa miracula, immo pleraque faciat per Angelos, & eo modo, quo ibi eſt explicatum; quid vetat inter hæc miracula poni apparitiones divinas intellectuales? Immo & imaginarias; nam etiam nova phantaſmata cudere, aut veteribus novum lumen affundere, non eſt Angelicæ facultatis naturalis, ſed tantum obedientialis.

Addo præterea, etiamſi Angeli non poſſint efficere duo illa quæ diximus, non idcirco nihil eſſe, quod agere poſſunt in hominis mente. Diſerte de hoc Auguſtinus ſermon. 18. num. 4. in illud Pſalm. CXVIII. 34. *Da mihi intellectum*, ait Deum hoc facere conſueviſſe per Angelos, atque illud ſubjungit: *Deus per ſe ipſum*, *quia lux eſt*, *illuminat pias mentes &c. Sed ſi ad hoc miniſtro utitur Angelo*, *poteſt quidem Angelus aliquid agere in mentem hominis*, *ut capiat lucem Dei*, *& per hanc intelligat*. Eſt de hoc ipſo locus illuſtris apud Auguſtinum lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 22. 23. &c. Item apud Cyrillum Alex. lib. 1. Joan. cap. 9. apud Bernardum ſerm. 41. in Cant. num. 3. Vide plura apud Suarez lib. 6. de Angel. cap. 13. & 16. Quicquid autem illud ſit, quod in intellectuales apparitiones conferunt Angeli, ſi tamen aliquid conferunt, vera eſt aſſertio noſtra, omnes factas eſſe per Angelos, diverſa tamen ratione, nempe pro diverſo illorum miniſterio, & opera. Quæ quia major exhibetur ab Angelis in apparitionibus externis, eæ magis Angelis tribuen-

buen-

Digitized by Google

buendæ. Contra vero minus apparitiones internæ, quia in illis vel minorem exhibent operam; vel agunt, ut dixi, facultate non naturali, ſed obedientiali.

V. Quintum eſt, de Apparitionibus, quæ feruntur in N. T. quod pertinet ad Apparitiones, ſeu manifeſtationes vocalem Patris in Chriſti Baptiſmo, & Transfiguratione Matth. XVII. 5. & Luc. III. 22. &c. & viſibilem Spiritus Sancti, ſpecie columbæ, & in linguis igneis Matth. III. 17. & Act. II. 3. &c. aſſentiendum Thyræo, & communi aliorum ſententiæ, qui has quoque putant factas eſſe per Angelos, quemadmodum diximus de Apparitionibus T. V. Quod autem attinet ad Apparitiones Chriſti, poſt ipſius in Cœlum aſcenſum, Deiparæ, & Sanctorum diſcedendum eſſe ab his Auctoribus, qui volunt, has etiam Apparitiones, vel omnes, vel fere omnes factas ſimiliter. Tenendum, quoties Chriſtus, Deipara, & quicunque alii vere apparuerunt, & apparent, ſicuti vere apparuit Deus in T. V. tenendum, inquam, apparuiſſe, & apparere per ſe ipſos, ſive in propriis perſonis.

Probatur. Nam ſecus, verum non eſſet, eos apparere. Non video enim, quid aliud ſit apparere, quam peculiare aliquod ſignum, ſive indicium præſentiæ ſuæ exhibere. Neque dicas ſidus vere apparere, quamvis longe abſit: nam iſtud eſt aliud apparitionis genus; ſiquidem hoc ipſum apparet, ſidus illud a nobis diſtare, ac longe poſitum eſſe. Cæterum in re noſtra proprie non diceretur Rex, aut Princeps aliquis Romam venire, ac Romæ ſe videndum præbere; eo ſolum, quod Romam veniat, ac Romæ ſit, qui ipſum repræſentet, & ejus nomine agat. Immo ipſi illi Doctores, quos in hac Propoſitionis parte deſerimus, cum nobiſcum defendant, Deum in V. T. apparuiſſe per Angelos, & tamen vere apparuiſſe; ea ſe ratione tuentur, quod Deus ibi præſentiſſimus eſſet, & Angelos ipſos, tanquam cauſa principalis moveret. Hæc verba ſunt eximii Doctoris lib. 6. de Angelis cap. 20. num. 45. *Quæ reſponſio vera quidem eſt; oportet autem addere, non quamcunque repræſentationem ſufficere, ut res dicatur apparere, eo modo, quo dicitur apparere Deus. Nam per imaginem, vel per hiſtrionem res etiam abſens repræſentatur. Deus autem cum apparet, non ut abſens, ſed ut intime exiſtens in re, ſub cujus ſpecie apparet, repræſentatur: ut quando apparuit in igne rubi, ut ibi realiter præſens repræſentabatur, & ſic de aliis. Ideoque dicendum eſt, in his apparitionibus ſemper repræſentari Deum, ut præſentem realiter, & ſub illa externa ſpecie latentem. Nec obſtabit, quod etiam Angelus ibi exiſtens, ſeu movens, aut loquens repræſentatur: quia ſicut in ipſomet Angelo intime eſt Deus; ita per eandem externam ſpeciem, ſimul poteſt repræſentari Angelus, ut proximum movens, & Deus, ut in toto illo, quod apparet, intime exiſtens, & inhabitans.* Et ita dixit Auguſtinus cap. 9. n. 1. cont. Adimantum, *id quod apparet, dici Deum, propter inhabitantem Perſonam Dei, & Angelum ex perſona ſervientis creaturæ.* Atque id ipſum inculcat Suarez cap. ſeq. num. 22. Hæc autem aſſertioni noſtræ tuendæ ſunt ſatis. Neque enim ab Apparitionibus N. T. Angelorum miniſterium excludo; ſed illud contendo, Chriſtum, Deiparam, ac Cœlites alios, quibus apparent, apparere per ſe ipſos; hoc eſt, in propriis Perſonis; ſive, eſſe ibi re vera præſentes. Quod ex adverſariis alii nunquam, alii factum rariſſime volunt. Ex quo ſequi dico inter iſtiuſmodi Apparitiones N. T. vel nullas, vel pauciſſimas eſſe veras, aut tales poſſe vere, & proprie dici. Quod eſt valde durum ac perfectioni, dignitati, ſanctitati Legis Gratiæ minus conſentaneum.

Adeſt & alia ratio, qua maxime ducor, quod ſancti illi homines, qui talium Apparitionum honore dignati ſunt, perſuaſum videntur habuiſſe, Chriſtum, & Deiparam ſibi vere fuiſſe præſentes, ſeque cum iiſdem colloquutos. Et contraria ſententia cum detrahit multum de tam inſigni beneficio; tum etiam imminuit illum pietatis, amoris, ac reverentiæ ſenſum, ergo Chriſtum, & Deiparam, quo certe magis afficitur, qui credit, eos ipſos ſibi adeſſe de cœlo; quam qui purat, hoc agi per alium, ac ſe ſolos Angelos præſentes habere. Vi-

de

Digitized by Google

de quid de ſe ipſo teſtatus ſit S. Franciſcus apud Waddingum Annal. tom. 2. ad Annum Chriſti 1224. cap. 12. num. 11.

Objicies argumentum ſane graviſſimum Doctoris eximii: ex lib. *6.* de Angel. c. 21. n. 23. Nam tom. 2. in 3. par. diſput. 51. ſect. 4. a noſtra ſententia minus videtur alienus. Sic autem videtur ex illo poſſe concludi. Ex noſtra ſententia alterutrum ſequi: nempe, ut Chriſtus, & Deipara vel identidem cœlum relinquant, ac Cœleſtium aſpectui ſe ſe improviſo ſubducant; vel ſimul ſint pluribus in locis; in Cœlo ſcilicet, & in terra. Tantum autem miraculum adſtrui a nobis ſine neceſſitate, aut nullo ſatis gravi momento.

Reſpondeo, ſi ſermo ſit præſertim de Chriſto, me libenter amplecti ſecundum, quod conſequi dicitur ex noſtra ſententia. Adſtruimus autem miraculum illud eo fundamento, quod ita eſt neceſſarium, ut ſervetur & Apparitionum veritas, & beneficii præſtantia: quibus duobus argumentis ſententiam noſtram ſtabilivimus. Nec durum videri debet, Chriſtum, qui tot ſimul locis ſemper præſentiſſimus eſt in Euchariſtia; duobus ſimul, aut tribus interdum locis ſit itidem præſens in hiſce Apparitionibus.

Dico præterea, etiamſi Chriſtus deſcendat de Cœlo, non tamen neceſſario ſequi, ut a Superorum aſpectu ſe ſubtrahat. Non quod ſimul ſit in locis pluribus, ſed quod, ubicunque eſt, ab illis undique cerni poſſit. Non enim eſt minus miraculum, Beatorum intuitum ſive incorporeum, ſive corporeum elevari ad videndum Chriſtum, cujus corpus, ut docet Suarez in 3. p. 57. a. 4. & diſput. 51. Sect. 1. *totum eſt extra ſuperficiem ultimam, ſeu convexam Cœli Empyrei, eamque tangit, & calcat;* quam ad videndum eundem alicubi agentem in terra.

Cæterum diſtinguendum dico, inter Apparitionem, & Repræſentationem. Nam quando aliquibus vel interna, vel etiam externa viſione oſtenduntur quædam vitæ Chriſti myſteria, ut Nativitatis, Fugæ in Ægyptum, & quod frequentius eſt, Paſſionis, & Crucis, hæ meræ repræſentationes cenſendæ, quæ per ſolos Angelos fiunt, Chriſto, & Deipara plerumque abſentibus. At vero quando iiſdem apparent eo modo, aut non multum diſſimili, quo Chriſtus auditus, ac viſus eſt Paulo appropinquanti Damaſcum, ut eſt Act. IX. 3. 4. &c. XXII. *6.* 7. &c. & 1. Cor. XV. 8. Itemque Petro Roma diſcendenti, ut fert Romana Traditio, ac ſcribit Ambroſius Serm. cont. Auxentium num. 13. aliique plures auctores idonei, iſtiuſmodi Apparitiones, quæ ſane plurimæ ſunt, & leguntur in Vitis Patrum, in Actis Sanctorum, & in Eccleſiaſtica hiſtoria, non eſt cur veras eſſe negemus: ac veræ cum ſint, dico & Perſonales eſſe. Non nego, in his etiam aliquid operæ impendi ab Angelis: immo illos exiſtimo interdum & voces, & corpora ipſa effingere; præſertim quando, qui apparent, corpore carent. Tantum defendo, eum ibi ſubeſſe, ac vere eſſe præſentem, qui dicitur apparere: ſicut in divinis Apparitionibus T. V. præſens erat vere, atque intime Deus. Legatur S. Thomas par. 3. q. 57. a. *6.* ad. 3.

VI. Ultimum eſt in hac Propoſitione. Chriſtum non ſolum vere, & proprie appariturum, ſive in ſua Perſona præſentem fore, ac per ſe judicaturum in univerſali Judicio; ſed etiam vere, & proprie apparere, ſive in ſua Perſona præſentem eſſe, ac per ſe judicare in Judicio particulari.

Pars prior certiſſima eſt, & in ſacris luculenter expreſſa Literis: præſertim Act. 1. 11. verbis, illis, *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in Cœlum? Hic Jeſus, qui eſt, qui aſſumptus eſt a vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Accedunt alii Scripturæ loci, quibus hæc Chriſti judicis apparitio deſcribitur, ut Pſal. XCVII. 8. 9. Iſa. lXVI. 15. 16. Matth. XVI. 27. XXIV. 30. XXV. 31. Marc. VIII. 38. XIII. 26. Luc. XI. 27. Joan. V. 27. 28. &c. Quare duplicem Chriſti adventum agnoſcunt, ac profitentur Catholici omnes in ſymbolo; alterum, *quo Filius Dei Unigenitus... propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt &c.* alterum vero, quo

ite-

Digitized by Google

iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos.

Adeſt & ratio; quia actum præcipuum ſupremæ illius poteſtatis, & juriſdictionis, quam Chriſtus habet in omnes homines, & Angelos, eum maxime convenit exercere per ſe: neque illis committi judicium, qui pariter ſunt judicandi. De quo S. Thomas p.3. q. 59. a. 6.

Objicies illud Matth. XIX. 28. *vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Quod ſi judicabunt homines, quidni etiam judicent Angeli? Reſpondeo primum generatim non omnia munera, vel ornamenta, & quaſi laureolæ, quæ dantur Apoſtolis, conveniens eſſe & Angelis dari: ſicut viciſſim, non omnia, quæ congruunt Angelis, item congruere Apoſtolis. Deinde ad rem præſentem: non ibi ſedebunt Apoſtoli, tanquam ſupremi judices; ſed tanquam aſſeſſores, ſeu minores judices. Non ſedebunt loco Chriſti, ſed prope Chriſtum, qui, ut in iſto ipſo loco exprimitur, *in ſede majeſtatis ſuæ*, judicium per ſe ipſum exercebit. Quæſtio autem eſt, an aliquis Angelus appariturus, & judicaturus ſit loco, & nomine Chriſti. Quod prorſus negamus; nec ſolum auctoritati, ut eſt manifeſtum, ſed etiam rationi repugnare dicimus: exemplum autem Apoſtolorum adeo non probare contrarium; ut potius ſententiam noſtram confirmet.

Probatur altera pars aſſertionis. Quia Judicium particulare pariter, ac Judicium univerſale in ſacris Literis ſignificatur, atque deſcribitur tanquam adventus, & apparitio Chriſti. Matth. XXIV. 44. *eſtote parati; quia, qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt. 46. Beatus ille ſervus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem &c.* Marc. XIII. 35. *Vigilate ergo; neſcitis enim quando dominus domus veniat.* Et ſimiliter Luc. XII. 40. *eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* & 43. 46. &c. Item Joan. XIV. 2. 3. *vado parare vobis locum .... iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis;* 1. Theſ. III. 13. *ad confirmanda corda veſtra ſine querela, ante Deum, & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et v. 2. 3. *ſicut fur in nocte, ita veniet: cum enim dixerint, pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus;* 1. Tim. VI. 14. *ut ſerves mandatum ſine macula, irreprehenſibile, uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Jacob. v. 7 9. *Patientes igitur eſtote fratres, uſque ad adventum Domini ... Ecce judex ante januam aſſiſtit.* 1. Joan. II. 28. *Et nunc filioli manete in eo: ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.* Apoc. II. 5. *Sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum, de loco ſuo: 25. id quod habetis, tenete, donec veniam.* Et III. 3. *Veniam ad te, tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.*

Neque dicas, hos Scripturæ locos intelligendos de Judicio univerſali: nam commode poſſunt intelligi de utroque. Quin imo inter hos ipſos ſunt aliqui, qui commodius intelliguntur de Judicio particulari, & ad hoc tantummodo ſpectare videntur. Neque addas, duos tantum Chriſti adventus in ſacris Literis enunciari, unum ad redimendum, alterum ad judicandum mundum: nam ea ſunt de adventu Chriſti publico; & apparitione Chriſti non ſolum perſonali, ſed etiam externa, & aſpectabili ab omnibus. Nos autem hìc loquimur de adventu Chriſti; ut ita dicam privato, apparitione perſonali quidem, ſed intellectuali; qualis convenit Animæ a corpore ſeparatæ. Ac præter locos, quibus probatur veritas particularis Judicii, quales ſunt Eccli XI. 28. 29. Joan. V. 22. Hebr. XI. 28. 28. &c. alii ſunt, ut vidimus, quibus docemur, hoc quoque Judicium vero Chriſti adventu, & apparitione fieri.

At enim ſi allata Scripturæ verba accipiantur, atque explicentur, ſecundum propriam, & planam eorum ſignificationem, admittenda erit Replicatio Chriſti, ſeu multiplex ipſius præſentia, & quidem fere continuo, ac locis quampluribus; nempe quot locis eodem ſæpe momento Animæ e ſuis corporibus exeunt. Eſto, id conſequatur: num accipienda, ex-

Digitized by Google

explicandaque dices minus proprie, quæ in ſacris iiſdem Libris de Euchariſtiæ Sacramento ſcripta ſunt clare, & plane, ne miraculum idem, & plura etiam, eadem aſſiduitate, & frequentia, ac locis totidem admittere, neceſſe ſit? At, quæ in ſacra Scriptura de hoc Sacramento dicuntur, eorum interpretatio definita jam eſt ab Eccleſia. Ita quidem; ſed hoc tantum probat, ſententiam, quam hic tuemur, non eſſe de Fide, quod minime dicimus. Exemplum a me allatum eo ſolum ſpectat, ne miraculum quantumvis magnum nobis ratio ſit diſcedendi a proprio divinorum verborum intellectu. Alia eſt, ut ſuo loco vidimus, regula interpretandi S. Scripturam ab Auguſtino tradita lib. 3. de doctrina Chriſti cap. 10. n. 14. & ab Eccleſia adoptata.

His accedit, quod qui opinantur Judicium particulare fieri per Angelos, non ſolum non ſatisfaciunt Scripturæ, ſed neque ſatisfaciunt rationi. Nam quæ in hoc genere dixi de Judicio univerſali, valent etiam in Judicio particulari. Si quidem in hoc etiam decernuntur æterna & præmia, & ſupplicia. Immo in hoc decernuntur primo; ac ſententia, quæ feretur in Judicio univerſali eam ſequitur, quæ lata eſt in Judicio particulari, eique prorſus reſpondet, atque cohæret. Quare actus eſt judicialis primarius, ſupremæque poteſtatis, & juriſdictionis; quemque propterea per ſe ipſum facere convenit, qui dixit de ſe Joan. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio:* ideſt, non ſolum publicum, & univerſale, ſed etiam privatum, & particulare.

Qui vero fatentur, ne hoc quidem Judicium per Angelos fieri; opinantur autem, Animas, ſimul atque e corporibus egrediuntur, elevari ad videndum Chriſtum, ſupremo Cœli loco ſedentem, ipſiuſque ſententiam, propriamque ſortem; hi miraculum adſtruunt nihilo minus; nec Scripturæ ſatis conſentiunt, quæ tot locis, & tam luculentis Chriſtum venire, præſentemque judicare vita functos confirmat.

Quod autem opinantur alii, apud Bellarminum lib. 2. de Purgator. cap. 4. n. 15. non Chriſtum venire ad judicandos ſingulos, ſed Animas judicandas ad ipſum adduci, minus etiam probabile eſt. Non ſolum enim contradicit Scriptura locis allatis; ſed etiam ratio repugnat. Videturque abſurdum, deferri in Cœlum Animas Reproborum, gravibus criminibus *coinquinatas* (Apoc. xxi. 27.) & illinc perpetuo excludendas.

Unum eſt, quod objici poteſt, vel potius quæri. Quid enim, dicet aliquis, Judicium particulare fieri cœpit ſolum poſt Chriſtum? Reſpondeo, etiam antea factum fuiſſe; nec factum ab Angelis, ſed a Deo, ob eam rationem, quam bis attigi. Cæterum eſſe, cur illud quoque Judicium, peculiari quadam ratione, ſive, ut ajunt, appropriatione, tribueretur Perſonæ Filii. Eſt enim Verbum, Sermo, Sapientia Patris. Sapientia autem in judicio principem obtinet locum. *Vivus eſt enim Sermo Dei, & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis &c.* (Hebr. iv. 12.)

Legendi præcipue de his omnibus Thyræus in toto Opere de Chriſti, & Spirituum Apparitionibus, Pereſius in cap. 3. Exod. Serrarius in cap. 5. Tob. Lorinus in cap. 9. & 22. Act. Apoſt. Malonius in 2. Sent. diſt. 8. Cajetanus, ac cæteri interpretes S. Thomæ in 3. par. q. 57. a. 6. ad 3. Suarez in eundem locum, & lib. 4. de Angel. cap. 33. necnon lib. 6. cap. 20. & 21. Vaſquez par. 1. diſput. 184. 185. &c. S. Thereſia tract. de Septem Manſionibus Manſ. 6. cap. 8. 9. 10. Ludovicus a Ponte lib. 3. in Cantic. Cant. Exhort. 30. §. 3. Alvarez de Paz de Vita Spirituali tom. 3. lib. 5. cap. 10. 11. 12. Matthæuccius in Pract. Theologico-Canonica Titul. 3. cap. 3. art. 2. de Apparitionib. Gravina de diſcernendis viſionibus part. 1. lib. 2. Card. Bona de diſcret. Spirit. cap. 15. 16. &c. Card. de Lambertinis nunc Bened. XIV. lib. 4. par. 1. cap. 32.

Digitized by Google

PROPOSITIO XIV.

De Dæmonibus hæc tenenda, quæ hic ad certa capita revoco, & ſuis quæque momentis ſtabilio, ac defendo.

I. PRimum eſt, quod inter dæmones aliquis ſit principatus, ſive gubernationis, ac regiminis forma: Probant id ſacræ Literæ. Sic enim Matth. xxv.41.*diabolo, & Angelis ejus* Marc.III. 22.*in principe dæmoniorum &c.* Luc. XI. 18.*Si autem & Satanas in ſe ipſum diviſus eſt; quomodo ſtabit regnum ejus?* Joan. XII.31.*nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Epheſ. VI.2.*adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum &c.* Apoc. IX. 11. *regem Angelum abyſſi*. Et XII. 7. *draco pugnabat, & angeli ejus &c.*

Hujus autem rei eſt multiplex ratio. Primum natura ipſa dæmonum, qui cum ex pluribus, & fortaſſe ex omnibus Ordinibus ceciderint, naturali perfectione, ac viribus alii aliis præſtant, Lucifer autem omnibus. Deinde ex mala ipſorum voluntate; nempe ut, ſervatis officiorum, ac munerum gradibus, magis hominibus noceant. Tertio ex ipſa Dei providentia, quæ malum hoc permittit; bona vero, quæ ad gloriam ſuam, & Electorum ſalutem ex illo elicit, prædefinit. Ita fit, quod de Judæis ſcripſit S. Leo Serm. XI. de Paſſione Domini, ut dæmones, *dum proprio incumbunt ſceleri*, aſſerviant propoſito Dei. Addi etiam poteſt, pœnam eſſe juſtiſſimam, ut Angeli, qui Lucifero libere conſenſerunt, ei ſubjecti ſint, vel inviti: ipſe autem, qui loco Chriſti ſedere ad dexteram Dei, & Angelis, & hominibus imperare voluit, detruſus ad inferos, malorum caput, ac rex habeatur, & dominatu fungatur ſe digno.

Neque objicias, quod de inferis ſcriptum eſt Job. x. 22. *ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Nam re vera ibi nullus eſt ordo, ubi eſt ſumma averſio ab ultimo Fine, de qua dictum eſt in ſuperioribus. Ille autem, quem nos hic ſervari defendimus in dæmonum miniſteriis, tam non eſt verus ordo, quam non eſt in electione eorum, quæ ad malum finem conferunt, vera ſapientia.

II. Secundum eſt, omnes Angelos, qui peccaverunt, damnatos fuiſſe, & æternum quidem damnatos, ſive ultimo ſupplicio affectos. Probantur hæc ſimul ex illo II. Petr. II. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*. Quo in loco nulli excipiuntur. Et ſic etiam Matth. xxv. XI. *Diſcedite &c. qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*. Et Apoc. XII. XII. 7. *Et factum eſt prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & angeli ejus; & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo*. In hanc ſententiam hos Scripturæ locos explicant Patres; quorum teſtimonia refert Suarez lib 8. de Ang. cap. I. & alii Auctores, quos ſuo loco proponam.

Ratio autem non videtur eſſe illa, quam iſti afferunt; ſive, quod Angeli voluntate mutari, & ad pœnitentiam flecti non poſſint; ſive quod flecti, mutarique non poſſint, ſine magna difficultate. Nam licet hoc ſecundum ſit verum; potuerunt tamen Dei miſericordia, & gratia expugnari. Illa igitur, niſi fallor, eſt ratio, ad quam tandem ſunt cæteræ revocandæ. Chriſtum mortuum eſſe pro hominibus, non mortuum eſſe pro Angelis: Ideo autem Deum noluiſſe Chriſtum mori pro Angelis, quia Angeli proprie in Chriſtum ipſum peccarunt. Hoc enim, ut vidimus, fuit peccatum Luciferi, in quod alii conſenſerunt: nolle Chriſtum ſibi præmonſtratum adorare; ac velle loco ipſius ſedere ad dexteram Dei: Sunt etiam valde probabiles quinque rationes, quas affert Vaſquez in I. Part. diſput. 239.cap. 7., quæ cum hac noſtra non pugnant, ſed optime cohærent.

Digitized by Google

Dices, quid eſt, quod ſcriptum eſt in Epiſt. Judæ ver. 6. *Angelos*, qui peccaverunt, *in judicium magni diei*... *reſervari?* Quod idem additur in Epiſt. Petri loc. cit. Quid eſt, quod plurimi eorum per hunc aerem libere volitant, ludunt etiam interdum, rident, cachinnantur; & apud Matth. VIII. 29. ita de Chriſto conqueſti feruntur: *Quid nobis, & tibi, Jeſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Non videntur iſta eorum, qui jam ſint condemnati, & ultimo affecti ſupplicio.

Reſpondeo, duplicem hic adhibendam eſſe diſtinctionem. Diſtinguendum inter ſupplicium ſubſtantiale, ſive eſſentiale; & ſupplicium accidentale. Primum conſtat ex pœna damni, & pœna ſenſus; hoc eſt, ex cruciatu illo, quem dæmonibus importat res ſenſibilis, nempe ignis, a quo vere torquentur. Secundum habetur ex loco, ex Sociis, ex infamia publicæ condemnationis, & aliis circumſtantiis. Rurſus diſtinguendum eſt inter judicium publicum, & univerſale in fine mundi; & quaſi privatum, & particulare ſolorum Angelorum, ſub mundi initium. His expoſitis, dico, malos Angelos reſervari in judicium magni diei, dilatione publicæ ſententiæ, ac pœnæ gravioris accidentalis; non dilatione ſententiæ privatæ, omnino irrevocabilis, ac pœnæ ſubſtantialis, ſive eſſentialis, tum quæ damni, tum quæ dicitur ſenſus. Quod clare ſignificat Juda; ait enim, malos Angelos *reſervari*, non utcunque, ſed *vinculis æternis ſub caligine*. Id quod expreſſit & Petrus: & confirmavit verſ. 9. ubi loquens de hominibus ait, *iniquos in diem judicii reſervari cruciandos*; profecto non ſine præſenti cruciatu. Itaque quocunque ferantur dæmones, ſecum ſemper inferos portant, quoad ſubſtantiale ſupplicium. Et tam vere, & proprie non lætantur Angeli mali, quam vere, & proprie non triſtantur Angeli ſancti. Riſus autem illi, & cachinni dæmonum, qui auditi aliquando feruntur, ſignificationes ſunt gaudii non veri, & formalis, ſed phantaſtici, & radicalis; quod bene explicat Maurus tom. 1. lib. 3. quæſt. 190. a num. 16. Querela illa dæmonum apud Matthæum fuit de anticipatione pœnæ accidentalis; quod ex humanis corporibus ejicerentur a Chriſto, & ad inferos regredi compellerentur. Quod univerſaliter fiet in extremo Judicio.

III. Tertium eſt, eſſe incredulitatem gravi cenſura dignam, negare, etiam inter Chriſtianos eſſe, qui vere & obſideantur, & poſſideantur a dæmone; ſive, Obſeſſos, & Energumenos.

Probatur. Obſeſſus eſt, quem dæmon externis infeſtationibus vexat; tanquam malus comes. Energumenus, ſive Poſſeſſus eſt, quem dæmon torquet, & agitat intus; tanquam malus hoſpes. In utroque autem genere, etiam poſt Evangelii promulgationem, & apud Chriſtianos, imo & Catholicos tot, & talia, & voce, & ſcripto circumferuntur exempla; ut quam eſt levitatis credere omnia, tam ſit profecto magnæ cujuſdam temeritatis omnia inficiari. Præſertim vero, cum eorum plurima teſtati ſint Patres omnium Eccleſiæ ſæculorum, Græci, & Latini: quorum teſtimonia accurate collegit Jodocus Coccius in ſuo Theſauro Cathol. tom. 1. lib. 4. de Angel. art. 7. & plurima legantur in actis, & cauſis Sanctorum, in quibus nihil horum probatur, niſi diligentiſſimo examine, ac certis indiciis, & argumentis; qualia ſunt, quod qui ita infeſtantur a malis ſpiritibus, extraneis, & antea ignotis linguis loquantur; pandant occulta, quæque ipſis non ſunt audita, aut viſa, comperiant; & quæ plura recenſet Caſtaldus de Poteſt. Angelica tom. 3. diſp. 7. q. 1. art. 2.

Accedit poteſtas a Chriſto in Eccleſia relicta exigendi dæmones e Fidelium corporibus: ut conſtat ex ipſius Eccleſiæ praxi, & ex precibus, & adjurationibus ab illa inſtitutis; imo ex ipſa etiam formula, qua traditur ordo Exorciſtæ, nempe: *habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos*. (Pontifical. Roman. & Concil. Carthag. IV. can. 7.) Nomine energumeni intellige tum energumeneum proprie talem, ideſt, poſſeſſum; tum minus proprie talem, ideſt, obſeſſum. Adde alia plura de his ſtatuta, & ſancita a Conciliis tum Generalibus, tum

Pro-

Digitized by Google

Provincialibus, quæ facile reperies ex Indicibus Collectionum Labbeianæ, Harduinianæ &c. verbo *Dæmoniacus*, *Energumenus*, *Exorciſta &c.* Itaque ſic habendum, negare univerſe Energumenos, & Obſeſſos, eſſe hæreſim; cum ſit id certiſſime in S. Scriptura. Negare autem, eos interdum reperiri, aut repertos eſſe etiam inter Chriſtianos, eſſe errorem in Fide, vel hæreſi proximum; cum ex verbo Dei Tradito proxime inferatur, vel per verbum Dei Traditum ſit probabiliſſime, ac fere certo revelatum.

Dices, indignum videri, hominem baptizatum, Jeſu Chriſti ſigillo obſignatum a malis ſpiritibus occupari. Reſpondeo, quando factum eſt certum, ratiocinationes eſſe vanas, & fallaces, quibus probatur, fieri non potuiſſe. Præterea non ſunt judiciis noſtris iſta metienda. Cui non videatur indignius, *aſſumi Chriſtum a diabolo*, *ſtatui ſuper pinnaculum Templi*, & rapi per aerea *in montem excelſum?* At, inquies, hæc teſtatur Matthæus IV. 5. 8. & accipiunt prorſus ad litteram Hieronymus, Gregorius, & alii Patres. Ita: ſed hujus etiam rei, quam hic defendimus, ſunt manifeſta ſigna; fidem faciunt Patres, & Eccleſia; Chriſtus, & Apoſtoli præſignificarunt. Tandem, inter cauſas, propter quas Theologi docent, permitti dæmonibus hanc poteſtatem in hominum corpora, hæ ſunt quoque duæ; peccatorum expiatio in hac vita, & exercitium virtutis, & maxime tolerantiæ; quæ ambo in ſolos Chriſtianos conveniunt.

IV. Quartum eſt, non ſolum homines, ſed etiam domos, & alia loca infeſtari a ſpiritibus. Quod ſignificatur Luc. XI. 24. atque etiam Tob. VIII. 3. Iſa. XIII. 21. 22. itemque XXXIV. 14. &c. Et probatur etiam graviſſimorum virorum teſtimoniis, ac certis exemplis, quæ diligenter collecta ſunt, & expenſa a Thyræo in libro *de Locis infeſtis* par. 1. 2. & 3. Accedunt hic pariter ſacræ preces, & adjurationes hujus rei propriæ, & alia efficacia remedia purgandis domibus, & eliminandis ſpiritibus ab Eccleſia præſcripta: quæ ſunt in Ritual. Rom. & aliis Eccleſiaſticis libris.

Dices, ſpiritus, qui domos infeſtant, aut poſſident, non ſemper eſſe dæmones: ſæpe eſſe Animas eorum, qui domos illas, cum viverent, incoluerunt; ſeu damnatas ad æterna ſupplicia, ſeu quæ purgatoriis pœnis expiantur. Imo etiam ſæpe ſpiritus quoſdam, ſi meri ſunt ſpiritus, qui ab Antiquis Lares appellabantur, ingenio miti, & perfacili; domorum habitatoribus adeo non moleſtos, ut eorum potius commodis ſerviant; & munia etiam domeſtica, tanquam famuli, obeant, quod a dæmonum ſuperbia, ſævitia, & implacabili in homines odio eſt alieniſſimum.

Reſpondeo, primum a nobis ultro concedi: cenſemus tamen has infeſtationes plerumque eſſe a dæmonibus; & cum ſit valde incertum, an animæ propriis exutæ corporibus poſſint aerea corpora ſibi conformare; ſi quando ſpectabili forma videndas ſe præbent, ea in re probabiliter intercedit opera Angelorum, ſive bonorum, ſive malorum, pro diverſa Animarum ſorte. Quod autem alterum erat.

Spirituum genus, medium inter homines, & Angelos; ſive Angelos neque bonos, neque prorſus malos, hominum amicos, aut ſaltem non inimicos, omnino negamus. Caſſianus Collat. 7. cap. 32. & alii Doctores diſtinguunt quidem inter hos ſpiritus; & alios mites, feſtivoſque dicunt, alios contra tetricos, & truculentos. Verum Doctores iſti hos omnes dæmones putant. Neque hæ diſtinctiones ſunt naturæ, atque indolis, ſed officiorum, ac decipiendi, & nocendi artium: quo ſemper ſpectant dæmones. Benevolentiam ſimulant, ſed ut capiant incautus. Famulantur, ſed magna mercede, quanta eſt Animæ exitium; quo & gloriantur, & odium explent in homines ſuum. Eo etiam agnoſcas, hos omnes eſſe dæmones, quod qui mites nuper erant, ſubito, & ſine cauſa efferantur, ac truces fiunt: & illos ipſos, cum quibus paulo ante jocabantur, adorſi, vel enecant, vel, ubi res bene vertat, verberibus cædunt, aut aliter male multant.

Quintum eſt; ut ſint in re magica plena omnia præſtigiis, ac ſenſuum tum exte-

Digitized by Google

exteriorum, tum interiorum illuſionibus; inter illa tamen, quæ vere a dæmonibus in hoc genere fiunt, eſſe veneficorum, ſive virorum, ſive mulierum deportationes ad certa loca, nocturnos eorundem conventus, epulationes, tripudia, & ſimilia, quæ alioqui exiſtimant mera ſomnia. Non videtur autem iſtorum veritas poſſe univerſe negari: eamque docte, & ſolide probat Martinus Delrio in ſuo Opere Magicarum diſquiſitionum; præſertim ex actis judiciariis quamplurium tribunalium, in quibus diligens de his habita quæſtio. Legatur Appendix ad librum quintum ſub ſectionem 19.

His addi poſſunt aliqui Scripturæ loci, in quibus videntur hæc deſignari. Hujuſmodi eſt illud Iſa. XIII. 21. 22. *habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi . . . & ſirenes in delubris voluptatis*. Et XXXIV. 13. 14. *Et erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum; & occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum; ibi cubavit lamia &c.* Piloſi, ait Cornelius a Lapide, ſunt dæmones ſpecie hircorum; lamiæ ſunt ſtryges, & ſagæ, quæ ſuos cœtus in his deſertis agere ſolent. Legantur Baſilius Magn. & Cyrillus Alex. in hos Iſaiæ locos, Can. *Epiſcopi, eorumque miniſtri &c.* Cauſa 26. q. 5. non omnia dicit eſſe ludibria ſenſuum, & imaginationis, quæ in his translationibus fiunt; ſed aliqua tantum, quæ tunc vulgo ferebantur, ac dæmonum vires excedunt. Ita hunc Canonem explicat Turrecremata in 2. Volumen Cauſar.

Ultimum eſt, Luciferum non fuiſſe primum inter omnes Angelos, fuiſſe tamen inter primos. Non fuit primus, quia non videtur veriſimile, Deum permiſiſſe, ut mens, & natura, quam omnium perfectiſſimam procrearat, ab eo perpetuo eſſet averſa, æternumque damnata. Fuit inter primos; propter illa, quæ de ipſius pulchritudine, & excellentia ſcripta ſunt præſertim Ezech. XXVIII. 12. 13. &c. Quod & ipſius ſuperbia, ambitioque confirmat.

Quæres; quis ergo Angelorum princeps? Reſpondeo, eſſe S. Michaelem: eoque maxime ducor, quod Angeli ſancti, qui utique omnes Lucifero repugnarunt, Angeli Michaelis dicuntur Apoc. XII. 7. quemadmodum Angeli mali, qui omnes Lucifero conſenſerunt, dicuntur Angeli draconis. *Et factum eſt prælium magnum in Cælo, Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & angeli ejus &c.* Quare ipſemet Michael *ſtans* ante Joſue, & *evaginatum tenens gladium*, ſe, *Principem exercitus Domini*, dixit expreſſe Joſ. V. 13. 14. Atque is eſſe videtur Eccleſiæ ſenſus, quæ Michaelem, *Paradiſi Præpoſitum*, vocat, & aliis titulis ornat idem ſignificantibus, ut videre eſt in ipſius Officio.

Dices: ſi primus eſſet inter Angelos, eſſet e ſupremo choro, ac proinde ex Angelis non Miniſtrantibus, ſed Aſſiſtentibus; ad quos pertinent tres ſuperiores ordines, Seraphim, Cherubim, Throni, & fortaſſe etiam Dominationes. Non videntur autem hæc poſſe dici de Michaele, qui ſemper verſatur in aliquo miniſterio erga homines; &, ut olim Synagogam, ita nunc cuſtodit, ac defendit Chriſti Eccleſiam.

Reſpondeo, S. Michaelem eſſe unum ex iis ſeptem, qui Deo proximiores aſſiſtunt, immo & ſupra illos. Quod probatur partim ex dictis, partim ex illo Exod. XVII. 16. *Manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec*. Item Iſa. lXIII. 9. 10. 11. 12. &c. *Angelus faciei ejus ſalvavit eos*, Dan. X. 13. Hi autem ſeptem ſpiritus, vel ad nullum pertinent ex novem Ordinibus, ſed ſunt ſupra omnes; vel ſi ſunt è ſupremo Ordine; ac proinde e genere Aſſiſtentium, non obeſt, quo minus eis multa quotidie demandentur a Deo; nam quæ minora, & ordinaria ſunt, exequuntur per alios; vel momento eunt, & redeunt; vel etiam divina virtute, dum Dei mandato agunt in terris, ipſius ſolio adſtant in Cœlo. Michaelem autem inter homines verſatum tunc præcipue puto, cum Deum ipſum repræſentavit in Rubo, in monte Sina, & omnino in aliis divinis Apparitionibus Teſtamenti veteris; vel etiam cum edita ſunt miracula magis ſtupenda, & inſignia, & ad univerſale hominum bonum ſpectantia.

Legendi præcipue pro prima Propoſitionis

Digitized by Google

tionis noſtræ parte, ſeu pro prima aſſertione Guillelmus Pariſienſ. de Univerſo par. 2. cap. 14. Dionyſius Carthuſianus in 2. Sent. diſtinct. 6. Binsfeldius lib. 6. de Maleficiis prælud. 10. Molina in 1. Part. q. 190. diſp. unica.

Pro ſecunda Maldonatus in Matt. VIII. 29. Toletus in cap. VIII. Lucæ annot. 63. Lorinus in II. Petri II. 4. Suarez lib. 8. de Angel. cap. 1. & 2.

Pro tertia Hieronymus Mengus in Flagello, & Fuſte dæmonum, Petrus Antonius Stampa de Fuga Satanæ, & Complementum Artis Exorciſticæ, quæ omnia extant tom. 3. Mallei maleficarum: item Raynaudus tom. 9. in libro de Angelo malo homines colaphizante cap. 10. Calmet in differt. de Energumeneis præfixa Commentariis in Lucam. Card. de Lambertinis lib. 4. par. 1. cap. 29.

Pro quarta De Moura de Incant. Opuſc. 1. ſect. 2. Serrarius in cap. VIII. Tob. quæſt. 7. 8. &c. Laurentius Anania lib. 3. de natura dæmonum cap. 22. Fraſſen in Scoto Academico tom. 2. tract. 1. diſput. 3. art. 3. Appendice.

Pro quinta Victoria Relect. 12. de Arte Magica, Bartholomæus de Spina quęſt. de Strigib. cap. 12. 22. &c. & Apolog. in Ponzinibium de Lamiis; Malleus Maleficarum par. 2. q. 1. cap. 2.

Pro ſexta Joannes Echius in octo Homiliis de S. Michaele, Granado tract. 13. diſput. 2. ſect. 6. Nierimbergius de cultu S. Michaelis, S. Aloyſius Gonzaga in Meditat. de Angel. par. 2.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX

Ad partem primam Tractatus de Angelis: alteram enim Partem dabimus in alio Volumine.

QUoniam eſſe in his aliqua video, quæ brevitatis cauſa ſunt a me levius tractata, quam ut defendi a vobis, & propugnari commode poſſint; ea paulo magis explicanda, & ſtabilienda aliquot Additionibus cenſui. Faciam hoc autem in iis præcipue, de quibus proxima nobis futura eſt concertatio: atque eo ordine faciam, quo diſputabuntur.

ADDITIO I.

De Angelorum peccato.

PEccatum Angelorum fuit inordinatus appetitus Unionis hypoſtaticæ: peccavit Lucifer, quod inordinato amore propriæ excellentiæ, nempe, ut Angelis, & hominibus imperaret, & divinos ferret honores, deſiderio ex ſe efficaci concupivit, naturam ſuam hypoſtatice uniri divinæ Perſonæ; & indigne tulit, hoc datum iri humanæ naturæ: ex quo Chriſtum, ſeu Deum hominem adorare, & Angelorum caput, ac regem agnoſcere recuſavit. Reliqui autem Angeli, qui Luciferi partim exemplo, partim etiam ſuaſione, ac ſollicitatione in ejus partes pertracti ſunt, peccarunt ſimiliter, quod vel individuæ Luciferi naturæ, vel certe naturæ Angelicæ, ex inordinato pariter propriæ excellentiæ amore idem appetiverunt; inviderunque Chriſto, & hominibus honorem illum; ac ſimili modo Dei hominis imperium detrectarunt, & divinæ voluntati repugnarunt.

Sententia ſic expoſita ita probatur. De Angelorum peccato ex Scriptura, & Patribus illud univerſim ſtatui poſſe videtur, Angelos peccaſſe ſuperbia, & tanta quidem ſuperbia, quanta pro illo ſtatu cadere in Angelos maxima potuit; & tali ſuperbia, ut aliquo vero ſenſu dici poſſit, eos appetiiſſe æqualitatem cum Deo. Probatur hoc; ſiquidem Iſa. XIV. 13. 14. hæc legimus: *Qui dicebas in corde tuo: in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum &c. ſimilis ero Altiſſimo*. Et Ezech. XXVIII. 2. *elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum .... dediſti cor tuum, quaſi cor Dei .... elevatum eſt cor tuum quaſi cor Dei &c.* Hinc nomen Angeli, qui Lucifero principaliter obſtitit, *Michael; Quis ut Deus?* Accedunt Patres, quorum teſtimonia refert Suarez lib. 7. c. 12. Res eſt adeo certa, ut S. Thomas p. 1. q. 53. a. 3. aſſeverate pronuntiet: *Angelus abſque omni dubio peccavit, appetendo eſſe, ut Deus*. Probata majore propoſitione, venio ad minorem. Sed æqualitas cum Deo, quæ ſit major illa, quæ habetur per Unionem hypoſtaticam, nec eſt poſſibilis, nec Angelo eſt bona, & conveniens; quippe quæ Angeli naturam penitus deſtrueret, & chimæram ex Angelo faceret; ac proinde appeti ab Angelo ſine maximo errore, & ſtultitia non potuit. Æqualitas autem minor illa, quæ habetur per Unionem hypoſtaticam; nec eſſet proprie æqualitas, nec eſſet res, & ſcopus ſuperbiæ maximæ. Reſtat igitur, ut peccarint Angeli, ac Lucifer appetendo æqualitatem illam cum Deo, quæ habetur ex Unione hypoſtatica.

Probatur præterea noſtra ſententia hoc enthymemate. Inter illa omnia, quæ de Angelorum peccato ſacra nobis auctoritate traduntur, plura ſunt, quæ non poſſunt recte explicari, & intelligi, niſi in noſtra ſententia; & nulla ſunt, quæ in noſtra ſententia recte explicari, & intel-

intelligi non poſſint. Nulla igitur ſententia magis quam noſtra ſacræ auctoritati congruit.

Probatur Antecedens, quoad primam partem. Primum, quod de Angelorum peccato ſacra auctoritate docemur, eſt ſumma illa ſuperbia, de qua proxime dictum eſt, & oſtenſum, eam non poſſe intelligi, niſi de inordinato appetitu hypoſtaticæ Unionis, quem pariter hic modo deſcripſimus.

Secundum, quod de Angelorum peccato docet ſacra auctoritas, eſt, illos voluntatem mutaſſe; a Deo, cui *amore caſto antea adhæſerant*, ſe avertiſſe; *in veritate non ſtetiſſe &c.* (Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. 10. n. 27. ex Joan. VIII. 44.) Non eſt autem credibile, Angelos voluntatem mutaſſe, in re præſertim omnium graviſſima, niſi ex nova notitia, quæ magnam ipſis attulerit perſeverandi difficultatem. Id vero aliud eſſe non potuit, quam Myſterium Incarnationis ipſis ad certamen, & coronam, ſecunda illa mora, ſive Angelico inſtanti, patefactum a Deo.

Tertium eſt, quod diabolus ab initio fuit adverſarius, & inimicus Chriſti, & primus Antichriſtus, qui alios Antichriſtos ſubinde excitat; hoc eſt, alios Chriſti adverſarios, & inimicos. Quo ſpectat illud Joan. VIII. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio.* Quæ a Chriſto dicta ſunt in Judæos, dum necem ipſi moliebantur; & ſignificant, diabolum ab initio infenſum Chriſto fuiſſe, peccaſſeque odio, & invidia ipſius excellentiæ, ac proinde inordinato amore excellentiæ propriæ.

Quartum denique: quæ ſacræ Literæ Iſa. XIV. 13. 14. docent appetiviſſe Luciferum, ſunt omnia propria decora, & excellentiæ Chriſti Domini, eique in aliis Scripturæ locis, fere iiſdem verbis, tribuuntur. Hæc de Lucifero: *Qui dicebas in corde tuo: In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo &c.* Hæc autem de Chriſto: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Matth. XXVIII. 18. *Aſcendit ſuper omnes Cœlos.* Epheſ. IV. 10. *Sedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis.* Hebr. I. 3. *Sedet in dextera Dei &c.* X. 12. Affectavit igitur Lucifer Chriſti locum, poteſtatem, & dignitatem; quæ eſt ipſa noſtra ſententia.

Altera pars Antecedentis eſt plana, & perſpicua. Nam quod in aliis Scripturæ locis, & apud Patres in peccato Angelorum ſuperbiæ adjungitur invidia, hoc etiam in noſtra ſententia veriſſimum eſt. Inviderunt, & invident Chriſto, & hominibus. Quod præterea eadem ſacra auctoritate dicuntur, *prævaricatores, tranſgreſſores, inobedientes;* hoc etiam eſt maxime verum in noſtra ſententia. Siquidem Chriſto Domino ipſis divinitus præmonſtrato præceptum, vel naturale, vel etiam poſitivum ipſum adorandi, & accipiendi in caput, ac regem, tranſgreſſi ſunt. Quod eſt adeo verum in noſtra ſententia, ut illam multi probent eo, quod ſcriptum eſt ad Hebræos I. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dixit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* De quo nos ſupra loco ſuo. Quoniam igitur de Angelorum peccato multa docet ſacra auctoritas, quæ non poſſunt commode explicari, & intelligi, niſi in noſtra ſententia; ac nulla docet, quæ in noſtra ſententia non explicentur, & intelligantur recte, & percommode; ſequitur, ut noſtra ſententia ſit cæteris præferenda.

Objicies primo, Unionem quoque hypoſtaticam, ſi Deus nolit eam conferre, eſſe aliquid, quod omnino non poſſit exiſtere, aliquid impoſſibile. Vel igitur neque hæc ab Angelis appeti potuit; vel appeti potuit illa etiam æqualitas cum Deo, quæ talis abſolute, & ſimpliciter dicitur. Reſpondeo, diſtinguo antec. eſt aliquid impoſſibile, extrinſece, & per accidens, concedo; intrinſece, & per ſe, nego antec. Ex hoc autem ſequitur, ut deſiderio ex ſe efficaci non potuerit appeti, reduplicative ut habenda nolente Deo; potuerit tamen appeti ſpecificative, & ſecundum ſe.

Inſtabis: quamvis æqualitas cum Deo abſolute, & ſimpliciter talis non potuerit appeti voluntate abſoluta, potuiſſe tamen appeti voluntate conditionali; ea

ſcilicet appoſita conditione, *ſi eſſet poſſibilis*. Reſpondeo primum, deſideria iſtiuſmodi conditionalia ex ſe efficacia non eſſe, nec ad rei executionem ſpectare; ac velleitates potius, quam voluntates vocari. Quod contra de peccato Angelorum teſtantur ſacræ Literæ, & ſatis verba illa declarant: *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum &c.* Ajo præterea, nec ea conditione appoſita, potuiſſe ab Angelis appeti æqualitatem illam; quippe quæ non ſolum eſt impoſſibilis; ſed neque eſt Angelis bona, & conveniens, quoniam eos penitus deſtrueret: Angelus enim, ut diximus, æqualis Deo, non eſt Angelus.

At enim, etiam Unio hypoſtatica Angelo, cui daretur, propriam ſubſiſtentiam, ſeu Perſonalitatem adimeret. Ita quidem, ſed individua illa ipſius natura tota remaneret, quæ libentiſſime ſubſiſtentiam Angelicam cum divina commutaret. Exemplo eſt Paulus Apoſtolus, qui ut eſt ad Philip. I. 23. deſiderabat *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, quamvis non ſubſiſtentiam ſolum, ſed & naturæ humanæ partem, ideſt corpus amitteret.

Inſtabis adhuc, etſi Unio hypoſtatica eſſe non poteſt dumtaxat extrinſecus, & ex accidente; etſi naturæ Angelicæ eſt bona, & conveniens, hoc eſt, quæ illam maxime perficeret; non poſſe tamen intelligi, quomodo eam deſiderio ex ſe efficaci potuerint concupiſcere Angeli, qui certe non ignorabant, illam naturæ humanæ, non vero Angelicæ ex æterno decretam fuiſſe, nec poſſe aut contra Dei voluntatem obtineri, aut Dei voluntatem mutari. Quod igitur pertinet ad rem præſentem, inter Uunionem hypoſtaticam, & æqualitatem abſolutam cum Deo, diſparem nullam eſſe rationem. Reſpondeo, Nego antec. Multa ſimilia ſunt, quæ rem iſtam declarent. Numquid enim dæmones, cum a ſanctis viris, aut olim a Chriſto ex humanis corporibus pellerentur, & ad inferos redire cogerentur, non vehementiſſime, & ex ſe quidem efficaciſſime percupiebant eorum corporum poſſeſſionem retinere, & in hoc ſaltem acre libere verſari? Scilicet Chriſti ipſius imperio, quoad poterant, repugnabant. Atqui ſciebant, divinæ voluntati neminem poſſe reſiſtere. Exemplum eſto in re contraria. Quam ſæpe in eo, qui pecunia carere ſe videt, deſiderium erogandi pecuniam in pauperem, eſt ex ſe adeo efficax, ut in illo & par meritum ſit, & par futurum ſit præmium, ac ſi re ipſa erogaſſet! Quid, qui deteſtatur peccatum a ſe commiſſum? Cum velit is, non fuiſſe peccatum, vult aliquid extrinſece, &, ut ajunt, ex ſuppoſitione impoſſibile. Et tamen id velle nec remiſſe, nec inefficaciter poteſt. Ratio eſt, quia cum volendi facultas libera ſit, ſi qua duo ſunt ſimul conjuncta, ſi præſertim non ſunt conjuncta per ſe, ſed ex accidente, ea disjungere poteſt, ac vel amore, vel odio; vel deſiderio, vel fuga in alterum ſeorſim ab altero ferri.

At, inquies, quæ ſunt Iſa. XIV. 13. 14. *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo;* verba ſunt non ſolum concupiſcentis, ſed ambientis, & affectantis rem concupitam, nec ſane illam deſperantis. Quæ ad unionem hypoſtaticam ſpectare, non eſt credibile. Ut enim potuerint Angeli illam appetere, ſperare quidem certe non potuerunt. Reſpondeo, his verbis exprimi deſiderium vehemens, quod ex ſe efficax dixi: hoc eſt, ad exequendum, & perficiendum ſpectans, ac tendens; ſive, ita movens, & determinans voluntatem, & per illam cæteras facultates, ut, ſi res, quæ expetitur, non eſt in propria poteſtate, nec obtineri poteſt ab alio, quæratur omni ope, & opera, quod ad eam, quantum fieri poteſt, accedat, & illam quoquo modo ſuppleat, atque compenſet. Huc etiam faciunt exempla proxime allata. Nam quem peccati vere, & ex animo pœnitet, non ſolum vult illud non fuiſſe antecedenter, ut ajunt, & in ſenſu diviſo a ſuppoſitione, quod fuerit; ſed etiam conſequenter, & in ſenſu compoſito, quod jam factum ſit, illud in ſemet ipſo deſtruere, & abolere conatur; veniam petit, lacrymas fundit,

dit,

Digitized by Google

dit, de illo ſe accuſat, pro illo, eo modo quo poteſt, ſatisfacit; pœnitentiæ bono bonum innocentiæ ſupplere, & compenſare curat. Similiter in re noſtra: quia deſiderium Unionis hypoſtaticæ in Angelis ex ſe efficax fuit, ac vehemens, non in eo ſolum ſe continuerunt, ut illam appeterent ſpecificative, & ſecundum ſe; ſive, antecedenter, & in ſenſu diviſo a divino decreto de illa non Angelo, ſed homini conferenda: ſed reduplicative, ſeu conſequenter, & in ſenſu compoſito ejus decreti, eodem deſiderio acti, atque permoti non quidem Unionem ipſam affectant; ſed quæ illi debita ſunt, & locum, & honores, & titulos invadere, uſurpare, ſibique arrogare omni arte, atque ope nituntur. Quæ, Deo ſcilicet id permittente, quam ipſis deſperanda non fuerint, teſtatur eventus.

Aliud reſtat, quod hic ſubjicere poſſis: eſſe etiam exemplum deſiderantis rem intrinſece impoſſibilem, quæque deſiderantem ipſum penitus deſtruat; nimirum in damnatis & Angelis, & hominibus: qui Deum, ac ſe ipſos non eſſe vehementer optant. Reſpondeo, male comparationem inſtitui inter Damnatos, quorum mens eſt maxime perturbata, & Angelos, qui erant fere beati, &, ut eſt Ezech. XXVIII. 12. erant *pleni ſapientia*. Dico præterea, nec bene comparari motum voluntatis tendentis ad removendum malum cum motu voluntatis tendentis ad acquirendum bonum. In priore motu ſubjectum, quod vocant, venit tanquam terminus a quo; in altero motu venit tanquam terminus ad quem. Porro in motu non eſt neceſſe, manere terminum a quo; neceſſe eſt autem manere terminum ad quem. Extra metaphoram: ut verum ſit, dolorem, cruciatum, aut alterius generis malum non eſt neceſſe, eum eſſe: ut autem in eo ſit bonum, ac perfectio aliqua, ipſum eſſe neceſſe eſt. Denique deſiderium, quo damnati ſive Angeli, ſive homines optant, non eſſe Deum, ac ſe in nihilum redigi, non eſt ejus prorſus generis, quod ſupra deſcripſimus, tendens ad executionem, & opus; &, quodcunque ſit, proficiſcitur ab judicio, quo miſeri Deum, ac ſeipſos non eſſe, vel bonum ſibi, vel minus malum exiſtimant. Quod de æqualitate cum Deo abſolute, & ſimpliciter tali exiſtimare non poterant Angeli, antequam peccarent, neque adhuc mentis errorem, ſive ſpeculativum, ſive etiam practicum, niſi quo ducitur omnis, qui peccat, & error eſt cordis potius, quam mentis, haberent.

Objicies ſecundo loco, ſententiam hanc ſicuti nec expreſſe nec directe, ſed illative, & interpretative a nobis probatur ex Patribus; ſic pariter illative, & interpretative ex iiſdem Patribus oppugnari. Probatur hoc. Patrum ſententia, & doctrina eſt: Si non peccaſſet Adam, Chriſtum nullo modo venturum fuiſſe: non fuit igitur Chriſtus Angelis adhuc viatoribus præmonſtratus. Probatur hæc conſecutio. Incarnationis myſterium decretum fuit poſt prævisum Adæ peccatum. Cum igitur Angeli ante Adamum peccarint, & Adamo peccandi auctores fuerint, fieri non potuit, ut myſterium illud Angelis adhuc viatoribus, & innocentibus revelatum fuerit.

Reſpondeo, ſententiam noſtram recte colligi ex Patribus; male autem contra illam concludi. Nam primum eſt valde dubium, utrum Patres doceant, Adamo non peccante, Chriſtum nullo modo venturum; de eoque ambigitur inter Doctores momentis fere paribus. Deinde, eſto iſtud ſit verum, nego conſequentiam, & diſtinguo ultimum antecedens, quo hæc probatur: Incarnationis myſterium decretum fuit poſt prævisum Adæ peccatum ſcientia Viſionis, ſeu ſcientia abſoluta; nego antec. poſt prævisum Adæ peccatum ſcientia media, ſeu ſcientia conditionali; concedo antec. Explico diſtinctionem, & quam vim habeat contra adverſarios, declaro. Cum enim Deus per ſcientiam mediam præviderit, fore, ut, ſi Angelis proponeret Incarnationis myſterium, aliqui ex illis difficultati, ut dixi, ſuccumberent; ac præterea fore, ut, ſi hi tentarent hominem, homo tentationi cederet; hac ſcientia prælucente, potuit Deus unice, & plane individuo decreto, immo, ut probabilius reor, & alibi expoſui, etiam unico

Digitized by Google

ſigno (quanquam id ad hanc ſententiam tuendam non eſt neceſſarium) potuit, inquam, Deus myſterium Incarnationis abſolute decernere; ſimulque peccatum & Angelorum, & hominum permittere; itemque abſolute, & efficaciter velle humani generis Redemptionem. En igitur, quod dicunt Patres, ſi dicunt, Adamo non peccante, Chriſtum nullo modo venturum; niſi ratione noſtra præiviſſet in Deo ſcientia conditionalis de peccato Adami, non extiturum fuiſſe illud decretum, quod nunc expoſui, de myſterio Incarnationis. Vel etiam, ſi ita vis, exiſtimant Patres, niſi ea ſcientia præiviſſet in Deo, nullum omnino decretum de Myſterio illo fuiſſe extiturum. Quod eſt, Adamo non peccante, Chriſtum non venturum ex vi præſentis decreti; vel etiam nullo modo venturum.

Inſtabis: quid ſi divina decreta, ſive ſanctiones ſint, ſive permiſſiones, diſtinguenda ſint iis ſignis, quibus a Theologis valde communi ſententia diſtinguuntur? Reſpondeo, ſtare tamen ſyſtema noſtrum, nimirum ut prælucente ſcientia, non abſoluta, ſed tantum conditionali de Adæ peccato, decreverit Deus Incarnationis myſterium. Quo ſententiæ, quam hic defendimus, ſatis conſultum. Tantum ſi admittitur diſtinctio, diſcretioque illa ſignorum, dicendum ſcientia viſionis, ſeu ſcientia abſoluta prius præviſum fuiſſe myſterium Incarnationis ut propoſitum Angelis ad adorationem, quam Angelorum ipſorum peccatum, ut abſolute futurum. Quod nobis nihil incommodat.

Idem urgebis aliter. Angeli didicerunt Incarnationis myſterium ex Apoſtolis, & Eccleſia; ipſis igitur revelatum non fuit cum adhuc eſſent in via. Probatur Antecedens teſtimonio Apoſtoli, qui ad Eph. III. 8. 9. &c. *Mihi*, inquit, *omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes.... ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei &c.* Quem in locum Theodoretus ait: *Nam nec Poteſtates ſciebant myſterium. ſed per Eccleſiam didicerunt.* Nec deſunt alii Patres, qui locum eundem ita exponant. Ergo &c. Reſpondeo, diſtinguo primum Antec. didicerunt ex Apoſtolis, & Eccleſia, quoad rem ipſam, ſive ſubſtantiam myſterii, nego Antec. quoad aliquas circumſtantias, ac peculiares quoſdam effectus, qualis maxime fuit Vocatio Gentium, de qua ibi agit Apoſtolus, concedo Antec. Quod locus Apoſtoli, & ſimilia Patrum dicta intelligenda non ſint de ſubſtantia myſterii, videtur certum. Numquid enim myſterium illud, etiam quoad ſubſtantiam, ignorabat Angelus Gabriel, cum denunciavit Mariæ Luc. I. 31. 35. *Ecce concipies in utero, & paries Filium &c. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque &c.* Num ignorabant Angeli, cum monuerunt paſtores Luc. II. 11. 14. *natum eſſe Salvatorem, qui eſt Chriſtus Dominus*... ac Deum laudantes dicebant, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus &c.* Prætermitto alia plura; quid locus Apoſtoli ſupra recitatus ex Epiſt. ad Hebr. I. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Ut detur, his verbis non probari, Incarnationis myſterium ſub initium temporis fuiſſe Angelis præmonſtratum; probat certe, Angelos illud non didiciſſe primum ex Apoſtolis, & Eccleſia.

Quæ præterea objiciuntur, leviora ſunt, & ex dictis facile refelluntur. Conſulite Auctores, quos vobis ſuo loco legendos propoſui.

ADDITIO II.

De miraculis Antichriſti.

Sententia noſtra eſt, Antichriſtum nulla vera patraturum eſſe miracula. Probatur teſtimonio Apoſtoli, qui in ſecunda ad Theſſal. II. 9. loquens de Antichriſto hæc habet: *Et tunc revelabitur ille iniquus &c. cujus eſt adventus, ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Et ne nobis liberum ſit hunc locum reſtringere, aut aliter accipere, quam

quam præ ſe verba ferant, Patres, qui nobis dati ſunt a Deo Scripturarum interpretes, ſummo conſenſu illum exponunt in hanc ipſam ſententiam noſtram. Ita Juſtinus, Irenæus, Hippolytus, Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Ephrem Syrus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Gregorius Magnus &c. Nempe hi omnes deſerte confirmant, Antichriſtum nullum verum miraculum eſſe patraturum. Eorumque doctrina ad hæc duo capita revocatur. Primum eſt, quod res, quæ excedunt vires totius naturæ creatæ, atque eſsent, ſi fierent, vera, & abſoluta miracula, eas Antichriſtus faciet ſolum in ſpeciem. Non erunt veræ, & ſolidæ res; ſed fictæ, & apparentes: erunt meræ oculorum præſtigiæ, ac ludibria ſenſuum. Alterum eſt, quod res illæ, quas Antichriſtus vere faciet, nam aliquas vere faciet; excedent quidem vires naturæ humanæ, non vero excedent vires dæmonis: quare non erunt vera miracula. Non excedent vires dæmonis, quia tunc ſolvetur a Deo ad *modicum tempus*; (Apoc. xx. 3.) Hoc eſt, Deus permittet in illo genere dæmonem facere, quicquid naturaliter poteſt facere Angelus, & Angelus quidem natura præſtantiſſimus, qualis erat Lucifer. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei*. (Job. xli. 24.) Utrumque hoc, quod proxime dixi, complexus eſt Auguſtinus lib. 20. de Civit. cap. 19. & his verbis expreſſit. *Tunc enim ſolvetur ſatanas, & per Antichriſti in omni ſua virtute mirabiliter quidem, ſed mendaciter operabitur*. Ex mox explicat, unde dicatur mendaciter operari. Nempe, ait, *vel ex hoc, quod mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt, ut quod non facit, facere videatur*. Vel ex eo, quod etiamſi prodigia illa, ſeu res illæ prodigioſæ, quas faciet, erunt veræ; tamen reputari non poterunt vera miracula, niſi per errorem; nimirum apud illos, *qui neſciunt virtutem diaboli*; præſertim quando ſolutus tantam poteſtatem, & facultatem habebit, quantam, poſteaquam e Cœlo dejectus fuit, habuit nunquam. Atque huc affert exemplum ignis, quo diabolus exuſſit greges, & paſtores ſancti Jobi, qui certe non fuit ignis phantaſticus: & tamen cum fuerit ignis verus, non extitit vero miraculo.

Accedit ratio theologica, qua non ſolum conficitur, Deum non eſſe Antichriſto daturum poteſtatem patrandi vera miracula, ſed ut eſt præſens ipſius providentiæ ratio, eam illi nec dare proxime poſſe. Voluit quippe Deus, eſſe miracula proprios veluti characteres, & inſignia veræ Religionis, veræque doctrinæ. Ut conſtat in Lege veteri ex miraculis Moyſis, Joſue, Eliæ, Eliſæi, & aliorum Prophetarum: in Lege autem nova ex miraculis Chriſti, Apoſtolorum, & aliorum, qui præſertim Apoſtolorum exemplo Evangelium promulgarunt. Id quod eſt adeo verum, & hominibus perſuaſum, ut inter ſigna, quæ vocant, credibilitatis noſtræ Fidei, unum ex præcipuis a Patribus, & Doctoribus habeantur miracula. Quare cum longo tot ſæculorum curſu multæ extiterint hæreſes, ſeu falſæ ſectæ, ut Arriani, Manichæi, Lutherani, Calviniani, & alii plurimi, nulla eſt, quæ pro ſe verum proferre miraculum poſſit. Sicut igitur Deus his non dedit, neque in hac rerum conſtitutione, & ordine dare potuit, ut vera miracula ederent; ita dicendum de Antichriſto: & quidem de Antichriſto magis, quo magis erit Chriſto, & veritati inimicus, eaque auctoritas, quam ſibi miraculis conciliaret, ad Religionis everſionem uſquequaque ſpectaret.

Confirmatur ſecundo. Quia miracula non utcunque ſunt ſigna credibilitatis, ſed vel intrinſecus, & ex natura ſua; vel extrinſecus, ex inſtitutione, & placito Dei; vel, quod probabilius exiſtimo, partim ex uno, partim ex altero, ſunt ſigna, quæ Dei mentem proxime conteſtantur. Sive, ſunt tanquam ſubſcriptio, & ſigillum, quo Deus declarat, eſſe de mente ſua doctrinam illam, quæ miraculo confirmatur. Breviſſime miraculum eſt quædam interpoſitio divinæ auctoritatis locutoriæ. Quocirca apud Patres, & maxime apud Auguſtinum hæc ſæpe leguntur: *Miracula habent linguam ſuam, habent eloquentiam ſuam, atteſtantur, conteſtantur*, & horum ſimilia. Immo leguntur etiam in ſacris Literis, a Chriſto ipſo uſurpata. Sic Joan. v. 36.

Ego

Digitized by Google

Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea: ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. Item x. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* & 38. *ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Conteſtandi verbo uſus etiam Apoſtolus ad Hebr. 11. 4. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis &c.* Quemadmodum igitur Deus, ſive ad puniendos homines improbos, ſive ad exercendos, & probandus juſtos, ſive ad alium ſanctiſſimum finem, non poterit confirmare, & conteſtari verbis, quæ docturus eſt Antichriſtus, ac de illius doctrina dicere, *Hæc doctrina eſt vera*; &, ſi hoc diceret, eſſe deceptor, & atteſtator falſi: ita nec poterit hoc ipſum dicere factis: &, ſi hoc diceret, eſſet pariter deceptor, & falſi atteſtator; quantumvis dicatur intendere fines alios ſanctiſſimos, ut dicit Medina, & qui alii Doctores catholici Deum Antichriſto virtutem miraculorum effectricem daturum contendunt.

Confirmatur tertio. Siquidem miraculum non ſolum eſt ſignum ac nota credibilitatis; non ſolum eſt tanquam Dei ſubſcriptio, ac ſigillum; ſed habet præterea aliquid plus, omnino animadvertendum, & in hujus ſententiæ defenſione ante oculos habendum. Nam Deus non efficit miracula, tanquam cauſa univerſalis, quæ alicui det facultatem, ac generalem præſtet dumtaxat concurſum. Miracula ſunt opus ſpecialiſſimum Dei: eorum Deus eſt cauſa particularis, principalis, immo & unica. Semper enim vera illa ſunt: *Qui facit mirabilia ſolus.* Pſal. lxxi. 18. *Mirabilia opera Altiſſimi ſolius.* Eccli. xi. 4. *Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Joan. xiv. 10. Quare ſi Deus per Antichriſtum aliquod verum miraculum faceret, non perinde faceret, ac ſi rex aliquis cuipiam miniſtro traderet ſigillum ſuum, & illo utatur ad arbitrium: ſed idem potius faceret, ac ſi Rex aliquis ſciens, & advertens ſcriptum quoddam miniſtri ſui eſſe falſum; nec ſolum falſum, ſed ſibi maxime injurioſum, ac toti regno exitiale; ſcriptum tamen illud vel obſignaret ipſemet manu ſua, vel miniſtri manum apprehenderet, eamque tanquam inſtrumentum moveret, ad imprimendum illud ſigillum. Quo quidem Rex ille & teſtis falſus eſſet, & aliis etiam de cauſis abſurdiſſime ageret. Quæ de Deo nefas eſt cogitare.

Itaque accedit his tribus etiam quarta illa ratio. Eſto enim Antichriſti doctrinam confirmari vero miraculo, non eſſet contra præſens divinæ Providentiæ inſtitutum; eſto cum divina veracitate non prorſus pugnaret; auctoritati tamen illi, quam Deus habet ad confirmandas doctrinas, & ſumma eſſe debet, nonnihil ſaltem officeret, eamque imminueret. Ac præter hoc ipſum, eſſet etiam alias ob cauſas indigniſſimum, & indecentiſſimum Deo. Siquidem auctoritatem conciliaret impoſtori, ac deceptori maximo; & maximo Jeſu Chriſti, ac Dei inimico. Qui ſcilicet Meſſiam, ac Deum ſe faciet, nec Deum, præter ſe, alium coli patietur.

Objicies, Apoſtolum II. ad Theſal. II. 9. Antichriſti miracula vocare, *prodigia mendacia;* non quod falſa erunt; ſed quia falſam doctrinam confirmabunt, ac proinde homines in errorem inducent. Probatur hoc ex iis, quæ ibidem ſubjungit ver. 10. & 11. *eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati &c.* Reſpondeo, convenire inter doctores catholicos, quod verum miraculum ſuperet vires totius naturæ creatæ, nec poſſit fieri, niſi divina virtute. Hoc autem poſito, quæſtio eſt, utrum Antichriſtus hanc divinam virtutem ſit accepturus. Negamus nos, iis argumentis, quæ proxime expoſuimus: inter quæ primum, quod ſcilicet duximus ex epiſtola ad Theſſalonicenſes, non eo tantum nititur, quod Apoſtolus Antichriſti prodigia dicit *mendacia;* quanquam hanc etiam vocem Patres, & maxime Auguſtinus lib. 20. de Civit. cap. 19. omnino exponunt in noſtram ſententiam: ſed præterea inſiſtit in aliis Apoſtoli verbis, quibus ea prodigia fore dicuntur, *ſecundum operationem Satanæ*. Quo Apoſtolus ſatis declarat,

ea

Digitized by Google

ea falſa: hoc eſt, ejuſmodi, quæ vel illudant ſenſibus, eiſque exhibeant res tantummodo apparentes; vel non excedant dæmonum poteſtatem; præſertim cum ſoluti fuerint, ac ſuis viribus uti permittantur.

Illud vero, quod additur ex eadem Epiſtola, *ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio &c.* Auguſtinus loco proxime laudato ſic explicat: *Deus mittet, quia Deus diabolum facere iſta permittet, juſto ipſe judicio, quamvis faciat ille iniquo malignoque conſilio*. Si eſſent vera miracula, non diceret Auguſtinus, *facere iſta permittet*. Nam verum miraculum eſt opus ſolius Dei: & cum illud facit per cauſam ſecundam, ſive hominem, ſive Angelum; ea cauſa ibi agit, tanquam merum inſtrumentum; quod verum eſt de ipſa etiam Chriſti Humanitate, ut ſuo loco docuimus eoque ſpectat illud Joan. XIV. 10. nuper allatum: *Pater autem in me manens, ipſe facit opera*.

Inſtabis. Miracula Antichriſti vel erunt vera, vel adeo ſimilia veri, ut diſcerni nequeant: cum dixerit Chriſtus Matth. XXIV. 24. *dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*. Parum autem refert, ſeu de materiali ſe habet, utrum Antichriſtus decipiat homines miraculis falſis, an miraculis veris; ſi a veris falſa diſtingui non poterunt. Quare ſi Deus ad juſtam improborum vindictam, & alios ſanctiſſimos fines, poterit Antichriſto permittere, ut faciat miracula falſa; poterit etiam ad eoſdem fines ipſi dare, ut faciat miracula vera.

Reſpondeo, ibi Chriſtum non loqui de ſolo Antichriſto, ſed de aliis omnibus deceptoribus, qui Antichriſtum præceſſerint: ait enim, *ſurgent pſeudo-chriſti, & pſeudo-prophetæ, & dabunt &c.* Quare argumentum hoc nimis probaret. Deinde dico, illud a Chriſto Domino fuiſſe dictum emphatice, ut ſcilicet homines magis attentos, & cautos redderet. Nec intelligendum eſſe de impoſſibilitate, quam vocant, metaphyſica, aut phyſica dijudicandi miracula falſa a miraculis veris; ſed tantum de impoſſibilitate morali: hoc eſt, de magna difficultate. Quæ ipſa minueretur, ſi homines adhiberent debitam diligentiam, ſi ea ſervarent, quæ ad dignoſcendos, cavendoſque hujuſmodi impoſtores, eorumque fraudes præmonent ſacræ Literæ, & Patres, & nominatim hic ipſe Evangelii locus. Maxime vero, ſi Deum orarent, ſicut oportet, ac cæteris divinæ Gratiæ auxiliis, pro eo ac debent, reſponderent.

Quod additur, perinde eſſe, ac de materiali ſe habere, homines decipi ab Antichriſto miraculis veris, ac decipi miraculis falſis, cum in eo nitatur, quod falſa a veris diſcerni non poterunt, ex iis, quæ nunc dicta ſunt, penitus concidit. Cæterum, addo, etiamſi detur id quod ſumitur, & in quo argumentum nititur, multum tamen referre, nec ad præſentem quæſtionem de materiali ſe habere, utrum decipiantur homines vero, an falſo miraculo. Nam ſi deciperentur vero miraculo, deciperentur Dei auctoritate locutoria vere interpoſita, deciperentur, falſa doctrina a Deo ipſo ſuo vero ſigillo obſignata, deciperentur Deo falſum atteſtante. Nihil autem horum poſſet vere dici, ſi deciperentur miraculo falſo, etiamſi falſitas deprehendi non poſſet. Itaque poteſt Deus falſum miraculum fieri permittere, & in pœnam peccati lumen ad ejus falſitatem detegendam negare. Et, ſi non poteſt hoc lumen negare, erit id propter ipſius bonitatem, ac clementiam; vel certe non erit veracitatis cauſa, ſed alio nomine.

Tandem, quod his adnectitur tanquam concluſio: ſi Deus, ad juſtam improborum vindictam, & alios ſanctiſſimos fines, poterit Antichriſto permittere, ut faciat miracula falſa, poſſe etiam ad eoſdem fines ipſi dare, ut faciat miracula vera; eſt omnino negandum. Et ſimile eſt, ac ſi quis diceret: ſi Deus juſto judicio, ſanctiſſimoque fine ſibi propoſito, poteſt permittere dæmoni, ut homines tentet, & ad peccandum inducat; poterit eadem juſtitia, & ſanctitate homines tentare, & ad peccandum inducere per ſe ipſum. Nempe, ut diximus, ad miraculum falſum concurrit Deus, tanquam cauſa univerſalis, & illud operatur

tur dumtaxat phyſice, & per accidens. Verum autem miraculum operatur per ſe, tanquam cauſa particularis, ac principalis, ac fere unica, & ſola: ita ut, ſi quando adhibet inſtrumentum cauſæ ſecundæ, id non reputetur. Eſt miraculum verum Dei ſigillum, ac teſtimonium, ac reliqua, quæ ſupra notavimus.

Rurſus inſtabis. Poteſt Deus ut hominem puniat mittere Angelum vel bonum, vel malum ad eum decipiendum: poteſt igitur per verum miraculum etiam proxime ipſe decipere. Et probabis Antecedens eo, quod legitur de punitione, ac deceptione Achabi III. Reg. XXII. 20. 21. &c. *Et ait Dominus: Quis decipiet Achab &c. Et dixit Dominus; Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.* Reſpondeo idem ipſum, quod ex Auguſtino ſupra reſpondi ad locum nobis objectum ex ſecunda ad Theſſal. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio &c.* Nimirum ait S. Doctor, *Deus mittet, quia Deus diabolum facere iſta permittet, juſto ipſe judicio, quamvis faciat ille inique, malignoque conſilio.* Itaque nego Antec. ſi de miſſione vere, & proprie tali ſermo ſit; ſecus vero, ſi nomine miſſionis intelligatur permiſſio. Ut ſane intelligenda eſt in eo, quod ex tertio Regum adducitur ad id probandum. Verba illa, *Quis decipiet Achab?* ſunt ad captum cum Prophetæ, cui facta eſt imaginaria illa Apparitio, tum multo magis eorum, quibus enuncianda erat. Illa vero: *Egredere, & fac ita*, ſunt permittentis, ac licentiam dantis; non præcipientis, ac ſtimulantis. Conſule Interpretes. Quibus illud etiam addendum exiſtimo, etiamſi non tantum permiſſio, ſed vera etiam illa fuiſſet, fore tamen quo exemplum allatum a re noſtra diſcreparet. Non enim ibi fuiſſet interpoſitio ulla divinæ auctoritatis locutoriæ; nec falſum aliquid Deus ſigillo, teſtimonioque ſuo comprobaſſet.

Quod ſi adhuc inſtes. Poteſt Deus juſte, & ſancte velle hominem decipi, ſive hominem errare: poteſt igitur juſte, & ſancte per ſe ipſum decipere hominem, eumque in errorem inducere: diſtinguo Antec. poteſt juſte, & ſancte velle deceptionem activam, ſeu fraudem, & dolum; nego Antec. Iſta Deus tantum permittit, non autem vult; ſeu, non intendit. Poteſt Deus juſte, & ſancte velle deceptionem paſſivam, ſive errorem; iterum diſtinguo: ſi in errore ſit culpa, & malum morale; nego iterum Antec. ſi in eo errore culpa non ſit, neque malum morale; tertio diſtinguo: poteſt errorem hujuſmodi velle, & pro eo auctoritatem ſuam interponere; nego Antec. Aliter; omitto Antec. nam de hoc longum eſſet diſputare, neque eſt hujus loci.

At, inquies, nonne Deus poteſt eſſe cauſa erroris etiam per ſe, infundendo illum in hominis mentem? Poteſt igitur multo magis errorem confirmare miraculo. Reſpondeo, Antecedens vel eſſe omnino falſum, vel tot exceptiones habere, ut etiamſi nullum eſſet diſcrimen inter infuſionem, ſive immiſſionem erroris, & erroris confirmationem, de qua nunc diſputamus; inde tamen adverſus noſtram ſententiam male concluderetur. Nam primo plurimi ſunt, graviſſimique doctores, qui a prima, & ſumma Veritate alienum exiſtimant, ut ſit cauſa per ſe ullius erroris, vel tantum phyſici, ac ſpeculativi: Et illi, qui opinantur, Deum eſſe poſſe cauſam per ſe erroris phyſici, ac ſpeculativi, v. c. hujus, *Cœlum eſt lapideum*. Non ita exiſtimant de errore morali, & practico, v. c. hoc, *Mendacium eſt honeſtum*. Negant præterea, Deum eſſe poſſe cauſam per ſe erroris ſpeculativi in re dogmatica, ſive ad religionem ſpectante. Et, ſi qui ſunt, qui putant, Deum eſſe poſſe cauſam per ſe erroris, etiam in re dogmatica, & ad religionem ſpectante, id ſolum intelligi volunt de errore in aliquo articulo, qui ſubſtantialis non ſit cujuſmodi hic eſſet, *Gratia non eſt qualitas inhærens animæ*. Nulli autem ſunt inter doctores catholicos, qui ita opinentur de errore in articulo aliquo ſubſtantiali: nedum ſint, qui ita opinentur de errore in omnibus articulis, ſive in tota religionis ſubſtantia: qualis erit doctrina, quam tradet Antichriſtus, & falſis miraculis approbare, ac perſuadere conabitur.

Cæterum, omiſſo etiam Antecedente, nega-

Digitized by Google

negatur concluſio. Ratio eſt: quia quod Deus doctrinam aliquam confirmet miraculo, eſt quod illam confirmet auctoritatis ſuæ interpoſitu; ſive, quod externo aliquo ſigno declaret, eam eſſe de mente ſua. Sic autem confirmare errorem, eſt atteſtari falſum, & mentiri. Quod a Deo non poſſe fieri, hic tanquam certiſſimum ſumimus. Contra vero, infundere errorem, præſertim mere phyſicum, ac ſpeculativum, non eſt ejuſmodi. Et qui hoc defendunt, eodem modo ſentiendum dicunt de iſto errore, quo de reliquis vitæ hujus ærumnis, ſeu malis phyſicis, ut de paupertate, de cruciatu, de morte. Quæ juſte, & ſancte inferuntur a Deo. Neque dicas, plus eſſe infundere errorem, quam illum tantummodo comprobare miraculo: eſto enim plus ſit in genere phyſico, non eſt plus in genere morum: Ex quo dicimus repugnare Deo, nempe tanquam atteſtationem falſi, & mendacium. Neque novum eſt, quod Deus non poſſit facere aliquid in genere morali, quod poteſt facere in genere phyſico. Sic Deus cum poſſit condere hominem ſine dono integritatis, poteſt ante hominis electionem efficere in ipſo naturales motus appetitus ſenſitivi, qui ſunt phyſice quædam inclinationes ad malum: non poteſt autem in ipſo efficere ſimiles inclinationes morales; quales eſſent, adhortationes, & conſilia ad male agendum. Brevius: poteſt Deus concurrere ad actionem malam in genere phyſico; non poteſt autem ad eam concurrere in genere morali. Ne plura: qui defendunt, poſſe Deum inſerere hominum menti hoc judicium, *Cœlum eſt lapideum;* fatentur, Deum non poſſe dicere, Ita eſt. Quod ſi non poteſt dicere verbo, nec poteſt dicere facto, quo auctoritatem ſuam locutoriam ſimiltier interponat. Et, ſi quis putaret, infuſionem ejus erroris eſſe aliquod factum, quo Deus auctoritatem ſuam illam interponeret; huic negandum eſſet, poſſe Deum errorem illum infundere.

Objicies præterea: poteſt dare Deus, & interdum dat poteſtatem conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ etiam homini, quem prævidet ea poteſtate abuſurum ad peſſimos fines, ut ad veneficia, & alia execranda facinora. Poteſt igitur dare poteſtatem, ſeu Gratiam miraculorum ei etiam, quem prævidet illa abuſurum ad confirmationem falſæ doctrinæ. Probatur id recte concludi. Primum, quia Deus non minus agit tamquam cauſa particularis, & principalis in iis miraculis, quæ multa, & maxima fiunt in Euchariſtiæ ſacramento, ſive in conſecratione panis, & vini, quam in iis miraculis, quæ adverſarii, pariter divina virtute, fieri poſſe a falſis doctoribus, & factum iri contendunt ab Antichriſto. Deinde, quia non eſt neceſſe, ut unus, & idem ſit finis cauſæ principalis, & miniſterialis, vel inſtrumentalis: fines habent quandoque diverſos, & plane contrarios. Et ſicut in conſecratione panis, & vini bene componuntur hæc duo, quod Deus optimum, ſacerdos vero interdum peſſimum finem intendat; ſic etiam in aliis miraculis componi recte poterunt hæc itidem duo, quod Deus ad juſtam hominum punitionem, alioſve fines ſanctiſſimos; Antichriſtus vero ac cæteri falſi doctores ſpectent ad confirmandos errores ſuos.

Reſpondeo, conceſſo Antec. negari conſeq. ad cujus probationem dico, etſi multa in utroque ſint paria, eſſe tamen hæc valde diſparia, & diſſimilia. Primum, quod tranſubſtantiatio, ac cætera, quæ divinitus fiunt in Euchariſtiæ Sacramento, quamvis ipſa facti ſubſtantia maxime excedant vires totius naturæ creatæ, atque ex hoc afferantur etiam tamquam exempla miraculorum primæ claſſis; cum tamen cerni oculis nequeant, neque ſint ſubjecta ſenſibus; vel minus proprie dicuntur miracula, vel certe non ſunt miracula ejus generis, intra quod præſens controverſia verſatur. Deinde, fac, eleventur a Deo oculi eorum, qui interſunt Miſſæ ſacrificio, ad ea contuenda; nemo eſſet tamen, qui illa acciperet, tamquam facta ad comprobandum pravum, & ſacrilegum ejus ſacerdotis propoſitum. Secus vero in re noſtra. Siquidem & miracula, de quibus nunc diſputamus, ſigna ſunt ſenſibilia declarantia mentem divinam; ſive, ſunt externa quædam Dei teſtificatio, & quaſi locutio: & intra hos terminos a do-

ctoribus agitatur hæc quæſtio, utrum fieri poſſit verum miraculum in iis circumſtantiis, in quibus prudenter dubitari non poſſit, quin factum ſit ad comprobandam doctrinam, quæ traditur, & doctrina illa ſit falſa. Quod nos omnino negamus.

Inſtabis: quid ſi Deus eorum, qui Sacro interſunt, oculos elevaret, ut dictum eſt; & malus ſacerdos apud Indos, aut gentes alias, qui hoc ignorarent, ut iis aliquid falſum perſuaderet, doctrinam ſuam converſione admirabili totius ſubſtantiæ panis in carnem, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, ſe comprobaturum ediceret? Reſpondeo, ſi concurrent circumſtantiæ illæ, quas diximus, Deum vel non editurum ea miracula; vel inſpectantium oculos non elevaturum ad ea videnda; vel aliud facturum, quo conſtaret, eum pro illa doctrina auctoritatem ſuam non interponere; aut certe, quo circumſtantiæ illæ mutarentur, ac poſſet de eo prudenter dubitari.

Adhuc inſtabis, miracula non habere intrinſecus, & ex ſua natura, ut ſint ſigillum Dei, & interpoſitio divinæ auctoritatis locutoriæ, ſed ex externa Dei diſpoſitione. Spectata igitur ſola rerum natura fieri poſſe, ut falſa doctrina confirmetur vero miraculo. Reſpondeo, omitto Antec. nego conſeq. Nam vel ea eſt providentiæ ratio, ut miracula ſint Dei ſigillum, & interpoſitio divinæ auctoritatis locutoriæ, & ſi hoc ſit, ſtant ea omnia, quæ diximus, nec poteſt falſa doctrina confirmari vero miraculo. Vel alia providentiæ ratio fingitur, qua miracula non ſint tale ſigillum, neque talis interpoſitio; & ſi hoc ſit, divinæ auctoritatis pondere carent, nec habent vim confirmandi doctrinam. Omiſſi Antec. quia ibi ſubeſſe facile poteſt aliquid falſum. Vera enim, & abſoluta miracula cum non poſſint fieri niſi divina virtute, habent intrinſecus, & ex natura ſua, ut ſint proxime apta ad aliquid divine conteſtandum. Immo talis eſt natura miraculi, ut, quæcunque ſit providentia, ſeu diſpoſitio, & conſtitutio rerum, niſi Deus vel ſignate, vel exercite, ut ajunt, declaret, ſe nolle per miracula ſuam auctoritatem interponere, ac mentem conteſtari ſuam; ſemper prudenter credetur id facere, & confirmare velle miraculo doctrinam miniſtri, ſive inſtrumenti, per quod miraculum operatur. Atque hoc eſt, quod dixi ſupra, miracula partim ex propria natura, partim ex Dei ordinatione habere, ut ſint divinum ſigillum, ac divinæ mentis conteſtatio.

Sed eſt rurſus, quo inſtes: multa eſſe miracula, præſertim quæ fiunt apud Fideles, quibus Deus non interponit auctoritatem, ſed tantum bonitatem, ac benevolentiam oſtendit: Fiunt illa ſublevandæ miſeriæ, non confirmandæ doctrinæ. Miracula igitur nec ex ſua natura, nec univerſe ex præſenti Dei providentia habent, ut ſint divinum ſigillum, ac divinæ mentis conteſtatio. Reſpondeo, plures eſſe poſſe unius, ejuſdemque miraculi fines, pro rebus, & circumſtantiis a nobis diſtinguendos. Et quamvis non ſemper unice, nec ſemper directe, aut proxime ſpectent ad confirmandam veram doctrinam a Deo traditam; tamen, hac providentia, eo ſpectant ſemper. Sic nota, ſeu ſignum credibilitatis, quod pro vera Religione ſumitur ex miraculis, non ſolum conſtat ex iis miraculis, quæ ab Evangelii præconibus fiunt apud Infideles; ſed etiam ex illis, quæ ab aliis ſanctis hominibus fiunt apud Fideles, cujuſmodi nullum, ut diximus, pro ſe falſæ ſectæ poſſunt proferre. Res commode explicantur analogia regii ſigilli, cujus quamvis pro rebus, & circumſtantiis diverſus ſit uſus, ſemper tamen regiam auctoritatem ſecum affert, ac regis mentem declarat. His adde, quod paulo ante notavimus, intra eos terminos quæſtionem hanc diſceptari; ſcilicet, utrum fieri poſſit a Deo verum miraculum in iis circumſtantiis, in quibus prudenter dubitari non poſſit, quin factum ſit in confirmationem falſæ doctrinæ. Quamobrem etiamſi daretur, miracula in hac providentia non ſemper in actu ſecundo habere rationem divini ſigilli, aut eſſe interpoſitionem divinæ auctoritatis locutoriæ, id intelligendum non eſſet in iis circumſtantiis, de quibus eſt præſens hæc quæſtio.

Tan-

Digitized by Google

Tandem eo etiam inſtabis, quod miracula, ſi eſſent conteſtatio, ac declaratio divinæ mentis, & interpoſitio auctoritatis locutoriæ, pertinerent ad objectum formale divinæ Fidei, & ipſius pars eſſent: quod eſt contra communem Theologorum ſententiam; quibus miracula ſunt externæ tantum conditiones aſſenſum Fidei præeuntes. Verum ſicuti paulo ante dixi, unius, ejuſdemque miraculi plures eſſe poſſe fines; ita nunc reſpondeo, plures eſſe poſſe conſiderationes, ac reſpectus. Retinenda hic etiam analogia ſigilli. Nam ſicuti ſigillum Regis non eſt proprie locutio, aut ſcriptura regia; ſed eſt ſignum, quod fidem facit, ſcripturam, ſeu locutionem, ſanctionemve aliquam eſſe regiam; ita miracula non ſunt proprie divinæ locutiones, ſeu revelationes vel ſcriptæ, vel traditæ, quæ nobis patefaciunt myſteria noſtræ Fidei: ſed ſunt ſigna, quæ fidem faciunt, eorum myſteriorum revelationes tum ſcriptas, tum traditas, eſſe a Deo, ſive eſſe divinas; & Eccleſiam, quæ hoc ipſum declarat, eſſe veram Eccleſiam, ac Religionem, quæ his revelationibus continetur, una cum aliis ſignis, & argumentis, reddunt evidenter credibilem, & credendam. Sic autem conſiderata miracula pertinent ad notas, ſeu ſigna, & argumenta, quæ dicimus credibilitatis; & ſunt conditiones præviæ ad actum, ſive aſſenſum Fidei, quæ tamen ab illo non attinguntur. At vero, ſicuti ad credendum, aliquod ſcriptum, vel decretum eſſe ſcriptum, ac decretum regium, moveri proxime poſſumus regio ſigillo, quo illud obſignatum videmus; ſic pariter ad credendam divinitatem Scripturarum, & Traditionum, & omnino ad credendum doctrinam aliquam eſſe divinam, ſive eſſe de mente Dei, moveri proxime poſſumus miraculis, quibus hæc comprobantur, & confirmantur. Sic tamen, ut ad hæc credenda, non qualicunque mentis aſſenſu, ſed aſſenſu divinæ Fidei, ſeu Fidei theologicæ, neceſſe ſit, ut ex definitione Eccleſiæ, vel aliunde, hæc tria ſint nobis omnino certa; nempe, & miraculum eſſe factum, & miraculum eſſe verum, & miraculum eſſe factum ad ea comprobanda, & confirmanda. Hæc, ſi conſtent, Scripturæ, Traditiones, doctrina illa, quarum divinitas creditur, erunt objectum materiale hujus aſſenſus; miracula vero erunt pars objecti formalis, ac ſe habebunt tanquam externa Dei locutio in cæteris aſſenſibus Fidei. In quo quidem nihil video abſurdi.

Objicies tertio. Inter miracula Antichriſti, quæ memorantur Apoc. XIII. eſſe aliqua, quæ non videntur poſſe fieri, niſi divina virtute. Primum eſt, quod Antichriſtus vel ipſemet reſurget ex mortuis, vel aliquem ex ſuis primariis miniſtris revocabit ad vitam, aut percuſſum lethali vulnere ſtatim ſanabit. Reputanda ſunt verba ipſa, quibus de hoc Scriptura loquitur, tanquam de re valde magna, & mirabili. Sic enim ver. 3. & 4. *Et vidi unum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis ejus curata eſt. Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam. Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adoraverunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ?* Alterum eſt, quod ignem evocabit e Cœlo: de quo pariter Scriptura loquitur, tanquam de aliquo vero miraculo: Hæc ver. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem facere de Cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum &c.* Nihil majus feciſſe videtur Elias III. Reg. XIX. 38. cum e Cœlo pariter ignem elicuit: nec factum illud Scriptura videtur magis extollere. Dicere autem, ſubitam illam ignis accenſionem in Elia fuiſſe verum miraculum, quia facta fuit in confirmationem veræ Religionis, & doctrinæ: in Antichriſto autem non fore verum miraculum, quia fiet ad confirmandum errorem, eſt reſpondere per id, quod eſt in quæſtione, ſive, ut ajunt, eſt petitio principii.

His duobus, & aliis etiam, quæ in hoc eodem genere objici poſſunt, penitus diluendis, redigenda vobis in mentem ea omnia, quæ ſupra diximus de natura, & diſtinctione miraculorum. Quod hic faciam, quam potero, breviter, & perſpicue. Miraculum late ſumptum, & ut complectitur miracula, tum quæ abſoluta, tum quæ tantum relati-

ra dicuntur, eſt effectus, & quidem ſenſibilis (nam de his modo loquimur) præter ſolitum naturæ ordinem; ſive curſum, tenoremve. Hæc miraculi phyſica notio. Idem vero theologice poteſt ſic definiri: Opus Dei ſpeciale, & extraordinarium, cadens ſub ſenſus, & proxime aptum ad aliquid divine conteſtandum. Hoc eſt maxime idoneum, quod adhibeatur a Deo, tanquam ſubſcriptio, ac ſigillum, ad ea firmanda, quæ vult, ac mentem de illis ſuam declarandam. Porro miraculum, aliud eſt abſolutum, aliud relativum.

Miraculum abſolute tale, eſt effectus ſenſibilis præter ſolitum ordinem totius naturæ creatæ: ex quo etiam vires omnes creatas excedit. Quod in ejus deſcriptione, ad majorem perſpicuitatem, poteſt etiam expreſſe addi. Ut ſit propterea miraculum abſolute tale, effectus ſenſibilis & præter ordinem, & ſupra vires naturæ univerſæ creatæ. Porro miracula abſolute talia trifariam, ſive in tres claſſes dividuntur. Vel enim excedunt vires totius naturæ ſubſtantia ipſa facti, ſeu magnitudine rei, quæ fit; ut quod unum corpus ſimul ſit in pluribus locis, vel plura corpora ſimul ſint in eodem loco; & hæc ſunt miracula primæ claſſis. Vel excedunt vires totius naturæ, propter indiſpoſitionem, vel repugnantiam ſubjecti, in quo res fit; ut quod reddatur vita mortuo, vel viſus oculis capto; & hæc ſunt miracula ſecundæ claſſis. Vel excedunt vires totius naturæ, quoad modum, quo res fit; ut ſi momento, & nullo adhibito remedio, ſanetur gravis morbus, aut plaga; reparatis etiam ſubito viribus: quæ miracula ſunt tertiæ claſſis. Quamvis autem verum, & abſolutum miraculum a nulla cauſa ſecunda fieri poſſit propria virtute; pleraque tamen, & quidem ex his omnibus claſſibus, fieri docuimus per Angelos virtute divina: eoſque a Deo elevatos in his admirandis operibus agere diximus, tanquam inſtrumenta non ſolum moralia, ſed etiam phyſica. Quæ miraculorum poteſtas, atque efficientia, tum moralis, tum aliquando etiam phyſica datur quoque ſanctis hominibus. Data eſt etiam interdum hominibus malis. Non poteſt autem æque probari, eam datam eſſe aliquando dæmonibus: & fortaſſe ratione ſtatus, & majoris perverſitatis, ipſis dari non decet. Utcunque de hoc ſentiendum videatur, profecto nec data eſt unquam, nec dari poteſt ſeu dæmonibus, ſeu malis hominibus, qui ea abutantur ad decipiendum, erroreſque ſuos diſſeminandos. Quare nec dabitur, nec, ut erunt circumſtantiæ, dari poterit Antichriſto; qui proinde nec patraturus eſt, nec patrare poterit vera ulla, & abſoluta miracula.

Quod autem attinet ad miracula relativa; hæc ſunt, quæ fiunt præter ordinem, & ſupra vires ſolius naturæ corporeæ. Ut autem in ſuo genere vim, & pondus miraculi habeant, neceſſe arbitror, ea peculiari Dei juſſu, & motione, imo & Dei ipſius nomine fieri. Ita ſcilicet divinam auctoritatem accipiunt, & fiunt tanquam ſubſcriptio, & ſigillum Dei; ideſt, proxime apta ad aliquid divine conteſtandum. Quod eſſe dixi è propria ratione, ac notione miraculi, tum abſoluti, tum relativi: eo tamen diſcrimine, quod opera, quæ fiunt præter ordinem, & ſupra vires totius naturæ creatæ, habent eam proximam aptitudinem intrinſecus, & ex natura ſua; nimirum propter hoc ipſum, quod fieri non poſſunt, niſi divina virtute. Quæ vero fiunt præter ordinem, & ſupra vires ſolius naturæ corporeæ, eam proximam aptitudinem aſſiſcunt extrinſecus; ſi nempe, ut dixi, fiunt nomine Dei, eoque ſpecialiter jubente, & movente. Ita miraculum relativum, theologice conſideratum, eſt concretum, cujus forma non ſolum eſt diſtincta a ſubjecto, ſed eſt etiam externa: ac proinde Angeli in hujuſmodi miraculis ſuapte vi, & virtute id ſolum efficere poſſunt, quod in illis eſt quodammodo materiale, nempe opus ipſum mirabile, humanam vim, induſtriamque ſuperans. At quod in illis eſt tanquam formale, eſt prorſus a Deo, & ab ipſo eſt omnino expectandum. Utrum autem adſit, (quoniam res eſt non ſolum externa, ſed etiam inviſibilis) a nobis dignoſcitur ex rei, quæ fit ſtabilitate, utilitate,

hone-

Digitized by Google

honeſtate, convenientia, & ſimilibus. Præterea ex fine, ad quem fit; utrum ſcilicet ad tuendam Religionem, aliis etiam ſignis credibilem, & credendam; & Dei cauſam propugnandam; an vero ad adſtruendam doctrinam oppoſitam, & propugnandam cauſam diaboli. Ex modo, quo fit; utrum invocato nomine Dei, vel ſigno Crucis, aut adhibitis precibus; an vero magicis circulis, atque carminibus, aut ope dæmonis aliter implorata. Ex miniſtro etiam, a quo, ſeu per quem fit; utrum per hominem ſanctum, an vero per ſceleſtum, & impium: & ex aliis circumſtantiis. Ex quibus etiam diſcerni poſſunt ficta quædam miracula, quibus dæmones, & dæmonum ope venefici imitari, ac ſimulare conantur miracula abſoluta; ut Magi Pharaonis miracula Moſis; & Apollonius Tyanæus miracula Chriſti.

Illa eſt concluſio: utriuſque generis miracula, & abſoluta ſcilicet, & relativa eſſe a Deo. Miracula abſoluta, quia fieri non poſſunt, niſi divina virtute. Et ſic quidem, ut Deus ſemper ſit cauſa principalis, ac ſingularis; cauſa vero ſecunda, ſi adhibetur, ſit merum inſtrumentum, ac vix reputetur. Miracula relativa, quia vera miracula in ſuo genere non ſunt, niſi fiant nomine Dei, ipſiuſque impulſu, & concurſu valde ſpeciali. Itaque miraculum utriuſque generis a nobis recte definitum: Opus Dei ſpeciale, & extraordinarium &c. proxime aptum &c. vel intrinſecus tamen, vel extrinſecus; intrinſecus, ſi eſt miraculum abſolutum; extrinſecus, ſi eſt relativum. His expoſitis.

Reſpondeo ad primum ex duobus nobis objectis, quod habet ſpeciem miraculi abſoluti, ea omnia fore meras præſtigias, ac ſenſuum illuſiones. Quod equidem non temere dico, aut ex meo ſenſu; ſed Patribus auctoribus, & aliis præterea momentis, & argumentis, quibus ſententia noſtra firmata eſt ſupra, quæ utique graviſſima, atque efficaciſſima ſunt. At enim ſcriptura dicit, hæc factum iri. *poteſtate magna*. Ita quidem, ſed non divina; ait enim: *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam*. Quod idem eſt, atque illud Apoſtoli II. ad Theſ. II. 9. *ſecundum operationem ſatanæ*. Hic autem ſumimus tanquam certam, communi doctorum omnium catholicorum ſententia, verum & abſolutum miraculum non poſſe fieri ulla poteſtate, & virtute, niſi divina. Quæſtio autem eſt, utrum hanc poteſtatem, & virtutem Deus daturus ſit Antichriſto: quod ait Medina, nos vero negamus; ac nobis ſuffragatur hic etiam locus Apocalypſeos nobis objectus: quippe cum ibi dicatur beſtia poteſtatem, & virtutem hanc a dracone acceptura. At ſcriptura illud etiam teſtatur, hoc factum magnam apud homines admirationem habiturum. Utique; ſed, ut notat Auguſtinus loco ſopra laudato de Civit. apud eos, qui neſciunt, quid poſſit diabolus, præſertim ſolutus; hoc eſt, quando naturales ſuas vires, & artes exerere, atque adhibere permittitur. Illud etiam notatum volo, non eſſe in ſacris Literis, quod Antichriſtus curaturus ſit plagam mortis momento. Poterit autem dæmon ſubito parare & occulte adhibere efficaciſſima remedia, quibus lethale etiam vulnus brevi temporis ſpatio ſanetur. In quo verum quidem eſſet factum, ſed non verum miraculum.

Ad ſecundum reſpondeo, ignem in Cœlo accendere, & illinc demittere, non excedere naturalem dæmonis facultatem, præſertim ſoluti, & pro viribus agere permiſſi. Sic, permittente Deo, abſumſit oves Jobi, & pueros, qui eas cuſtodiebant, ut legitur Job. I. 12. 16. Quapropter locus nobis objectus ex Apoc. XIII. 13. ad ſummum probaret, Antichriſtum facturum aliqua miracula relativa; quæ miracula ſecundum quid, appellantur; neque de his contra Medinam diſputamus. Cæterum nec inferioris hujus generis vera ulla miracula faciet Antichriſtus, niſi tantum materialiter; nimirum quia faciet aliqua, imo & plurima, quæ ſuperent, & valde quidem ſuperent hominis facultatem: cujuſmodi erit in primis facere, ut ignis deſcendat e Cœlo. Hinc locutiones illæ ſacræ Scripturæ: *Et fecit ſigna magna; Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam; Et dabunt ſigna magna &c.*

Mira-

Digitized by Google

Miracula relativa proprie, & theologice talia, hoc eſt, accepta etiam ſecundum, quod in iis eſſe dixi tanquam formam, nec faciet, neque in iis circumſtantiis facere poterit. Sic enim accepta, etiam miracula relativa ſunt interpoſitio divinæ auctoritatis locutoriæ, ſunt Dei ſubſcriptio, & ſigillum; nec ſolum in actu primo, ſed, hac providentia, etiam in actu ſecundo, & pertinent ad ſigna credibilitatis noſtræ Fidei. Quare confirmare non poſſunt doctrinam autem falſam, & ipſi maxime oppoſitam.

Ad exemplum Eliæ dico, inter illa duo multum intereſſe. Et quidem eſſe diſcrimen non ſolum intrinſecus, & in facto ipſo; ſed etiam extrinſecus, & quoad nos. Diſcrimen interius, & in opere ipſo illud eſt, quod Elias ignem deduxit e Cœlo divina ope, & ſanctorum Angelorum, qui licet aliquid facerent, quod naturalem ipſorum facultatem non ſuperabat, agebant tamen nomine Dei, ejuſque imperio, & motione ſpeciali. Contra vero Antichriſtus faciet quidem aliquid ſimile, ſed virtute, & operatione ſatanæ, ac Dei permiſſu tantum. Diſcrimen vero exterius, & quoad nos conſtat ex his. Elias erat omnium exiſtimatione vir ſanctus, ſpectatæ, probatæque virtutis. Antichriſtus vir erit nequiſſimus, ac perditiſſimus, *homo peccati*, *filius perditionis* (II. Theſ. II. 3.) Elias tuebatur cauſam manifeſte piam, & juſtam; ac Religionem tuebatur aliunde etiam evidenter credibilem, & credendam, iis etiam, cum quibus agebat. Contra vero Antichriſtus, qui inter cætera impia dogmata illud etiam propugnabit, ſe verum eſſe deum, & una cum dæmone unice adorandum, *qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. (ibid. 4.) Elias quæ docebat, & miraculo confirmare volebat, faciebant contra dæmonem, & ad dæmonis regnum evertendum ſpectabant. Quare ſuſpicio eſſe non potuit, ignem illum extitiſſe opera dæmonis; ſed alia vi ſuperiori, dæmonem alligante, ne aliquid ſimile faceret invocatus a ſacerdotibus Baal. Contra vero quæ docebit, & miraculo illo confirmare conabitur Antichriſtus, tendent ad ea perficienda, quæ adverſus Dominus, & adverſus Chriſtum ejus jam inde uſque a mundi initio cogitaverat Lucifer. *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam: & adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ; & adoraverunt beſtiam... omnes, qui inhabitant terram: quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*. (Apoc. XIII. 3. 4. 8.) Denique Elias e Cœlo ignem obtinuit, invocato nomine Dei, eaque religione, ac prece, quæ memorantur III. Reg. XVIII. 36. 37. *accedens Elias propheta ait: Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me: ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens*. Contra vero omnia ſuperſtitioſe aget Antichriſtus. Ac certe nihil horum ſimile de illo legitur. Quare falſo jactatur, & eſt omnino negandum, quod eſt in oppugnatione, nihil minus facturum, quam fecit Elias, nec minus in ſacris Literis factum illius extolli, & magnifice exponi.

Poſtremo, quod additur, verum fuiſſe Eliæ miraculum, non item verum fore miraculum Antichriſti, ea ratione defendere, quod illud factum ſit pro vera, hoc autem fiet pro falſa doctrina; eſſe principium petere, & adverſario ſatiſfacere velle per id quod eſt in quæſtione: ad id reſpondeo, plures inter utrumque factum a nobis notatas eſſe differentias, quamobrem unum in ſuo genere dicendum ait verum miraculum, contrario autem alterum. Cæterum illa etiam ſatis per ſe ſola valet; nec eſt petitio principii, aut aliud habet vitii, cum a nobis aliunde demonſtratum ſit, non poſſe falſam doctrinam confirmari vero ullo miraculo; & ita quidem demonſtratum, ut adverſarii paribus ſane argumentis non probent, ſi tamen ullis pro-

Digitized by Google

probant, in Antichriſti facto verum futurum eſſe miraculum.

De aliis, quæ objici poſſunt, conſulendi Auctores ſuo loco propoſiti; in primis vero Bellarminus de Notis Eccleſiæ Not. xi.

ADDITIO III.

De Angelorum locutione.

NIhil hic addendum ad ea, quæ ſupra dicta ſunt loco ſuo, niſi quod prima ex duabus ſententiis ibi propoſitis, explicanda eſt aliquanto magis enucleate, & diſtincte, &, ſi videbitur, nonnihil etiam corrigenda. Ergo quemadmodum Deus primis Parentibus indidit ſpecies intelligibiles, omnium verborum, & literarum, quibus continetur lingua Hebraica, ſi hæc fuit lingua primæva; ſic Angelis, præter ſpecies rerum intelligendarum, quas non poſſunt per ſenſus acquirere, vel in mente, vel in alia facultate menti ſubjecta, & adnexa, ab eaque vel re, vel ratione diſtincta, inſeruit alterius generis ſpecies; hoc eſt, ſpiritales quaſdam notas, & intelligibiles characteres, aptos ad exprimendos propriæ mentis conceptus, quique verbis, ac literis, ſive vocibus noſtrorum idiomatum eminenter, & excellenti quadam ratione reſpondeant. Et cum Deus voluerit, idque exigat ipſorum natura, poſſe Angelos inter ſe colloqui, ac propriæ mentis cogitatus ſibi invicem pandere; dedit cuilibet poteſtatem, & artem excitandi, pulſandive in alio Angelo, ipſo non repugnante, neque diſtante, hæc ſigna, ſeu characteres intelligibiles, eo fere ordine, licet multo celerius, quo per voces homo homini loquens movet, atque excitat ſpecies intelligibiles literarum, verborumque noſtrorum, & propriæ cujuſque ſignificationis. Hoc vero non eſt, Angelum habere poteſtatem in mentem alterius abſolute, & ſimpliciter, ut habet Deus, ſed tantum ſecundum quid: nec poſſe inſpicere alienæ mentis ſecreta; ſed ſolum poſſe patefacere ſecreta mentis ſuæ. Et quoniam hæ alterius generis ſpecies, ſeu ſpiritales voces, & characteres, non ſunt ſimulacra, & imagines rerum, & ſolo motu, pulſuque manifeſtant, quod eſt in mente; convenienter dicuntur locutio, vox, & ſonus ſpiritalis; & ad mentis potius auditum, quam viſum pertinent; atque auris aptius, quam oculi analogia explicantur. Hæc prima ſententia aliquanto brevius, & fortaſſe clarius expoſita.

Quod ſi velis, datam cuilibet Angelo poteſtatem producendi, ſive efficiendi in alio Angelo, permittente ipſo, aliqua ſigna intelligibilia; ac per hæc, tanquam per voces, excitandi, movendique eas ſpecies, & characteres, de quibus proxime dixi; equidem haud repugno. Sed videris pluribus facere, quod fieri poſſet paucioribus: & plus quam neceſſe ſit, retinere velle ſimilitudinem locutionis, & auditionis humanæ; a qua paulo magis differre Angelicam, probabilius videtur. Præterquamquod poſſe unum Angelum in mente alterius ſigna iſta producere, eſt nimium poteſtatis in mentes alienas Angelis dare; atque eam poteſtatem, quæ, ut videtur, convenit ſoli Deo. Cui laus, honor, & gloria.

TRA-

TRACTATUS VI.

Theologia Myſtica

Accomodata ad veram ſanctitatem, & acquirendam, & dijudicandam, ſelectis Quæſtionibus expoſita.

ETSI aliqui fortaſſe dicent, me imprudenter facere, & nimis audacter, qui primus ex hoc loco Theologiam Myſticam doceam; quia tamen quo magis id mecum animo reputo, eo magis e veſtra, & publica re fore video; leve eſſe duxi, & ab inſtituto, & munere meo prorſus alienum, ne minus aliquibus placeam, nolle vobis prodeſſe, ac quæcunque futura ſit hæc paucorum reprehenſio, ſive obtrectatio, eam præ communi utilitate negligendam exiſtimavi. His etiam accedit, quod ſuſcepti a me Operis ratio id omnino exigit. Cum enim Encyclopædiam Biblicam ſcribam, in qua mihi propoſui obſcurioribus, ac difficilioribus in quaque ſcientia, & diſciplina quæſtionibus, ex divina Scriptura aliquid novæ lucis afferre; ab hoc doctrinæ orbe excludi non poteſt Myſtica Theologia, quæ non modo ſcientia eſt omnium princeps, ſed & in divina ipſa Scriptura principem obtinet locum, ibique luculentius quam cæteræ ſcientiæ, omnique ex parte continetur. Hanc vobis igitur tradam: & quoniam, ut in prima quæſtione apparebit, eſt maxime cum ſanctitate conjuncta, ac *ſcientia Sanctorum*, appellatur Prov. xxx. 3. & Sap. x. 10. ſic illam exponam, ut ejus cognitio conferre plurimum poſſit, primo quidem ad veram virtutem & ſanctitatem Dei ope acquirendam, cui potiſſimum rei ſtudendum eſt omnibus; deinde vero, tanquam ad finem externum, ac ſecundarium, ad agendas, ac diſceptandas Dei Servorum cauſas, de ipſorumque virtute, & ſanctitate recte, ſapienterque judicandum. Quod ſtudiorum genus in hac urbe, atque hoc præſertim tempore, exemplo nimirum, & favore Principis, apprime floret. Habetis hujus Tractatus argumentum, conſilium, & modum. Ante tamen quam ad rem ipſam aggrediar, præmittenda, & illuſtranda ſunt adhuc tria; primum de Myſtica ipſa Theologia, alterum de Sanctitate ut acquirenda, tertium de Sanctitate ut judicanda. Quæ unica quæſtione quam breviſſime expedio.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA
Procœmialis, ſive Iſagogica.

PROPOSITIO I.

Theologia Myſtica rectè definitur: Dei, ac rerum divinarum ſcientia experimentalis. Seu paulo clarius, & explicatius: Scientia Dei, ac rerum divinarum, ex intima conſuetudine, ſive communicatione, & conjunctione cum Deo ipſo.

I. PRobatur hæc definitio. Quod enim Theologia Myſtica ex ſuo genere proximo ſit ſcientia, & quidem de Deo, ac rebus divinis, cum ex ipſo Theologiæ nomine ſatis conſtat, tum hoc de illa diſertiſſime docet Myſticorum facile princeps Dionyſius Areopagita, qui c. 1. de Myſt. Theolog. §. 1. *ſimplicia, & abſoluta, & immutabilia Theologiæ myſteria aperiri per illam*, ſcribit.

II. Quod autem ipſius differentia primaria in eo poſita ſit, quod ſit experimentalis, & eo quidem experientiæ modo, qui nunc expoſitus eſt, habeturque per omnes Contemplationis gradus, & maxime per ſublimiores, quibus Anima magis perfecte, atque intime jungitur Deo, ita probatur. Primum quia Patres & Doctores, qui de re Myſtica inſignius ſcripſerunt, nihil communius, atque conſtantius de illa confirmant, ac prædicant, quam hanc Dei, divinorumque ſapientiam. Ita Dionyſius in toto capite, immo & libro ſupra laudato: & cap. 2. de div. Nomin. §. 9. ubi S. Hierotheum *Dei, ac rerum divinarum ſcientiam aſſecutum* dicit, *non ſolum ex Scripturis, & Sanctorum ſermonibus, ſed etiam & multo magis divina patiendo;* hoc eſt, experiendo. Iterumque cap. 3. §. 2. eumdem *divina, quæ laudibus celebrabat, paſſum*, ideſt, expertum teſtatur. Dionyſium ſecuti cæteri omnes. Elegantiſſime vero, & clariſſime rem hanc explicarunt Caſſianus Collat. 12. cap. 12. & 13. Bernardus ſerm. 31. in Cant. num. 4. 5. 6. 7. & Bonaventura in Itinerario mentis in Deum cap. 7. & in libro de ſeptem Itineribus Æternitatis itin. 5. & 6. qui de hoc ipſo exponunt illud Pſalmi XXXIII. 9. *Guſtate, & videte &c.* & illud Lucæ XXIV. 39. *Palpate, & videte &c.* Et ſimiliter, quod eſt Apoc. II. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum &c. quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Quibus omnibus utique ſatis clare ſcientia experimentalis exprimitur.

III. Probatur deinde hoc ipſum, & fortaſſe efficacius: nempe quia ex hac Theologiæ Myſticæ differentia a cæteris theologicis diſciplinis, facile colliguntur, atque explicantur ea omnia, quæ illi Patres, & Doctores tanquam propria tribuunt, & per quæ aliqui eam etiam definiendam cenſent. Ut quod ſit, *Dilectio ecſtatica;* quod ſit *ſcientia affectuoſa, ac de Deo ut amabili, & amato;* ſeu *ſcientia charitatis;* quod ſit *ſapientia*, hoc eſt, *ſapida, dulciſſimaque de Deo, ac rebus divinis notitia &c.* Etenim experientia illa, ex qua, & in qua eſt hæc ſcientia, habetur, ut diximus, per omnes Contemplationis gradus; in quibus aliqui poſiti ſunt, ut ſuo

Digitized by Google

loco videbimus, in ardentiſſima charitate, quæ Animam cum Deo perfecte conjungit. Ad quos gradus qui pervenit, inquit Dionyſius de Myſt. Theol. cap. 1. §. 3. *ſupra mentem cognoſcit*, *Deo ſecundum meliorem partem copulatus*. Ad quos gradus qui pervenit, inquit Bonaventura itiner. 5. diſt. 6. *Deum cognoſcit ſuperintellectualiter*, *experimentali notitia*, *per ardentiſſimam*, *immo ſuperfervidam dilectionem*. Tandem ex hac noſtra definitione facile intelligas, quæ de Theologia Myſtica reperiuntur apud alios Patres, & Doctores. Nempe quod ſit *ſcientia*, *quæ non humano*, *ſed tantum divino magiſterio diſcitur*; quod divinas perfectiones, divina myſteria, & quæ Paulus vocat, *profunda Dei* (1. Cor. 11. 10.) altius *ſcrutetur*; ac proinde *tum ex magiſtro*, *tum ex rebus*, *quæ ſciuntur*; *tum ex modo*, *quo ſciuntur*, *ſit prorſus arcana*; unde illi *myſticæ* nomen. Quod aliqui in ſuis definitionibus videntur negligere; nos autem, tanquam rei congruens, quantum debemus, attendimus. Immo ſi quis nomini aliquanto preſſius inhærens Theologiam Myſticam definiat, ſcientiam de Deo, & rebus divinis undique arcanam; recte pariter definiat; Hæc enim ejus eſt propria ratio. Arcana eſt ex magiſtro, qui eſt ipſe Deus. Arcana ex magiſterio, quod eſt intima conſuetudo, & communicatio cum Deo. Arcana ex rebus, quæ diſcuntur, quæ ſunt, ut diximus, *profunda Dei*.

IV. Objicies tria. Primum, ſi hæc vera eſſent, Theologiam Myſticam non fore, niſi in hominibus ſanctis, ac divina paſſis, vel ſaltem ad aliquem contemplationis gradum evectis. Quod de omnibus, qui de re myſtica ſcribunt, aut docent, credere non eſt neceſſe. Secundum, ex noſtra definitione nec colligi, nec explicari facile poſſe, quomodo hæc ſcientia ſit practica: quod tamen de illa diſerte affirmant, ac multis propugnant præſertim Myſtici recentiores; neque illam eſſe dicunt ex intima communicatione, & conjunctione cum Deo; ſed ad eam communicationem, conjunctionemque ſpectare, ac tendere. Tertium, Theologiam Myſticam latius extendi, quam ut illi definitio noſtra omni parte congruat. Ut enim notat Cornelius a Lapide cap. 5. in Eccleſiaſti. hæc diſciplina eſt illa ipſa, quæ *Sapientiæ* nomine in ſacris Libris ſæpe deſcribitur. Hæc vero non ſolum eſt *Perfectorum*, & *Proficientium*, ſed *Incipientium* quoque. *Sapientia clamitat... in ſummis, excelſiſque verticibus... in mediis ſemitis... in ipſis foribus &c. ſi quis eſt parvulus veniat ad me: & incipientibus locuta eſt*. (Prov. VIII. 2. 3. IX. 4.) Quod & alii inſignes Myſtici ſentiunt.

V. Reſpondeo ad primum, diſtinguendum eſſe inter Myſticam, quæ eſt ex experientia propria, & Myſticam, quæ eſt ex experientia aliena. Illa acquiritur intrinſecus, magiſterio divino, ex intima communicatione, & conjunctione cum Deo; ac dici poteſt experimentalis proxime, ſive immediate. Hæc vero acquiritur extrinſecus, magiſterio humano, nimirum ex ſcriptis, aut ſermonibus illorum, in quibus fuit ea propria experientia, ſive communicatio, & conjunctio cum Deo: quo experimentalis eſt tantum remote, ſive mediate, & doctrinalis potius, quam experimentalis dicenda eſt. Illa igitur eſt in hominibus ſanctis, & quidem quos Deus ad veram, & propriam rerum divinarum contemplationem evexit, Hæc autem eſt etiam in aliis.

VI. Ad Secundum diſtinguendum eſt iterum inter Myſticam directam, & Myſticam reflexam. Myſtica directa eſt proxime de Deo, & divinis perfectionibus, quas Dionyſius loco ſupra citato vocat, *ſimplicia*, *& abſoluta*, *& immutabilia myſteria*, tum quia Myſtica directa in ipſis attingit, quæ ſunt magis profunda, & arcana, & a communi cognitione remota; tum quia illas percipit, modo arcano; ideſt, non per ratiocinationes, aut demonſtrationes, veruntamen ſecuritate, ac certitudine tanta, ut evidentiam omnem ſuperet, ac ſolum infra apertum Dei contuitum poſita ſit. Quod diſertiſſime notat Bernardus Serm. 13. in Cant. num. 7. *Non tamen adhuc illum* (Deum) *dixerim apparere ſicuti eſt*, *quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat*, *quam quod eſt*. Myſtica reflexa eſt proxime de Myſtica ipſa directa: hoc

eſt,

eſt, de iis omnibus modis tum cognitionis, tum amoris, quibus per Myſticam directam Deus, & divina attinguntur, & quaſi guſtantur, attrectanturve. Quamvis autem hi modi, ſeu divinorum perceptiones non ſint in noſtra poteſtate, ſed ſint opus Gratiæ, & magnæ quidem, & extraordinariæ Gratiæ; quia tamen de illis, & ad illas eſſe etiam poteſt & diſcretio, ſive judicium practicum, & directio, præparatioque aliqua etiam noſtra; eodemque nos quoque concurrimus, & quidem in aliquibus etiam libere; propterea concedimus, Myſticam reflexam ex parte practicam eſſe. Id vero negamus de Myſtica directa, quam non ad praxim, & opus, ſed ex praxi, & opere eſſe dicimus: neque ſpectare, ac tendere ad conjungendam cum Deo intime Animam; ſed ex hac conjunctione, ſive per hanc conjunctionem Deum, ac divina aliquo vero modo experiri, & poſſidere. Tandem illud animadverto, ex Myſtica directa facile colligi, & explicari reflexam.

VII. Ad tertium diſtinguendum pariter inter Myſticam proprie, ſive ut ajunt, ſtricte talem, & Myſticam latiori quadam ſignificatione minus proprie uſurpatam. Myſtica proprie talis eſt illa, in qua ſervatur propria ratio theologiæ myſticæ, hoc eſt, arcanæ. Nempe quod tendat in Deum, ut arcanum, ſive abſconditum, ex illo Iſa. xlv. 15. *vere tu es Deus abſconditus:* & in eum tendat modo arcano, qualis eſt experimentalis, proxime declaratus. Myſtica minus proprie talis multa quidem ſuperinducit, quibus latius patet, quam definitio noſtra; ſed iiſdem a proprio Myſticæ ratione diſcedit, notionemque huic nomini ſubjectam non retinet.

VIII. Ad id quod additur ex Cornelio, adhibenda eſt diſtinctio his conſentanea, nimirum ſpectari poſſe Sapientiam per ſe ſolam, & cum comitatu virtutum omnium tum moralium, tum intellectualium, quæ ipſius *ancillæ* dicuntur Prov. ix. 3. Sola ipſa idem eſt, ac Theologia Myſtica proprie talis, vel cum illa cohæret, & proprie eſt *Perfectorum*, ac Viæ, quam vocant, *Unitivam*. Adjuncto autem inferiorum virtutum miniſterio, curat etiam duos reliquos hominum ſtatus, ac vias. Scilicet per ancillas loco nobis objecto dicit: *Si quis eſt parvulus, veniat ad me &c.*

IX. Poſtremo ſi petas definitionem Theologiæ Myſticæ etiam late acceptæ, ac ſecundum eas omnes partes, quam in hac triplici confutatione diſtinximus; ajo, rem eſſe valde heterogeneam; quippe quæ complectitur omnem theoriam, & praxim vitæ ſpiritualis, ſive quæ quovis modo conferunt ad ultimum finem: Definiri tamen, ſeu deſcribi ſic poſſe. Scientia, ſive ſi placeat, Sapientia; nam de hoc non laboro: Sapientia, inquam, quæ per ſupernaturales virtutes omnis generis hominem ducit ad ſuum ultimum finem, & in hac vita mortali aliquatenus etiam ejus poſſeſſionem anticipat. Quod exercitatione virtutum quæ ad unamquemque pro ipſius ſtatu pertinent, ducit hominem ad ſuum ultimum finem, eſt Myſticæ late ſumptæ, quæ proprio nomine Aſcetica nuncupatur. Quod autem ultimi finis poſſeſſionem anticipat, id vero eſt Myſticæ proprie talis, quæ, ut melius videbimus, ubi agemus de Contemplatione, maxime nititur Dei cognitione, & amore extraordinariis, & excellentibus; quo in hac vita mortali ſimilitudinem affert, & initium aliquod vitæ beatæ. Ex Recentibus more ſolito.

X. Legendi præcipue Joannes Gerſonius Theolog. Myſt. ſpeculat. Conſider. 2. 3. &c. & iterum Conſider. 29. 30. &c. S. Laurentius Juſtinianus de Connubio Verbi, & Animæ cap. 19. Dionyſius Carthuſ. in librum S. Dionyſii de Theol. Myſt. qu. 3. Henricus Harpius lib. 3. Theolog. Myſt. par. 1. cap. 6. Ludovicus Bloſius de Inſtit. ſpirit. cap. 2. S. Thereſia de Caſtello Animæ Manſione 6. & 7. S. Joannes a Cruce lib. 2. noctis obſcuræ cap. 5. Ludovicus a Ponte in Introduct. ad Meditationes §. xi. & in Proemio ad Ducem ſpirit. Alvarez de Paz in Præfat. ad totum Opus de Vita ſpirit. §. 4. Antonius a Spiritu S. Director. Myſt. tract. 1. diſp. 1. Sect. 1. Joſephus a Spiritu S. in Iſagoge ad Theol. Myſt. lib. 1. ſect. 1. Dominicus a S. Trinitate Biblioth. theolog. lib. 7. cap. 4. Maximilianus Sandæus lib. 1.

Digitized by Google

Theolog. Myſticæ Comment. 5. Exercit. 2. Balthaſar Corderius in Iſag. ad Theolog. Myſt. S. Dionyſii cap. 1. & 2. Cardin. Bona in via compendii ad Deum cap. 3. Honoratus a S. Maria in Tradit. Patrum de Theol. Myſt. tom. 1. p. 2. diſſert. 1. a. 1. Michael Godinez cum ſcholiis, & commentar. Emmanuelis de la Reguera lib. 1. c. 1. &c.

PROPOSITIO II.

Sanctitas, ut acquirenda, de qua in hac propoſitione agimus, primo multum differt, nec ſolum ex accidente, aut ſecundum magis, & minus, ab ea ſanctitate, quæ una cum Fide, Spe, & Charitate, ac reliquarum virtutum habitibus a Deo in animam infunditur. Deinde, differt etiam ex parte, & plus quam extrinſecus, & quoad nos, ab ea ſanctitate, quæ Eccleſiæ ſententia illis tribuitur, qui in ſanctorum numerum ab ea referuntur. Tertio, idem eſt, ac Perfectio chriſtiana, nec dici poſſunt illam adepti, niſi qui ad perfectorum gradum, ſive ſtatum pervenere. Quarto, debent omnes, non quidem eadem via, aut per Conſilia Evangelica, ſed tamen eodem, ut explicabimus, obligationis onere ad eam aſpirare, & contendere.

I. PRobatur prima pars propoſitionis. Qui ſanctitatem habent infuſam, juſtis omnibus communem, eo ipſo vivunt vita ſupernaturali, illorumque animæ anima eſt Gratia Sanctificans. Sive hoc intelligendum ſit in ſenſu analogico, ſive in ſenſu morali, ſive in aliquo etiam vero ſenſu phyſico: de quo diſſentiunt Doctores. Legatur S. Thomas q. 27. de Verit. a. 3. ad 21. & 2. 2. q. 23. a. 2. ad 2. Ex Myſticis vero Alvarez de Paz tom. 1. lib. 2. par. 1. cap. 1. & Michael Godinez cum ſcholiis ſupra laudatis lib. 1. cap. 2. At vero qui ſanctitatem adepti ſunt Perfectorum, propter hoc, quod ad habitus virtutum infuſos addiderunt etiam acquiſitos, quicunque illi ſint, & quomodocunque explicandi, præter id, inquam, vivunt non ſolum vita ſupernaturali, ſed aliquo veriori ſenſu etiam divina; ipſorumque animæ anima eſt non tantum Gratia; ſed & ipſe Deus. Non quidem ut illi Deus uniatur, tanquam forma: ſed ut in illa ſpecialiſſime inhabitet, illam ſpecialiſſime regat, ac moveat; ſalva quidem libertate indifferentiæ; cæterum eo fere modo, quo Angeli ſe habent ad corpora aſſumpta, de quo S. Thomas p. 1. q. 51. a. 2. ad. 2. hæc habet: *Dicendum, quod corpus aſſumptum unitur Angelo non quidem ut forma, neque ſolum ut motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum*. Quibus hæc ſubjicit: *corpora ſenſibilia divina virtute ſic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates*. Aſſumit igitur Deus ſimiliter Sanctorum animas, & in illis eſt tanquam motor in mobili, non qualicunque, ſed Deum ipſum motorem, ac divinas ejus virtutes, & perfectiones repræſentante.

II. Quod autem non omnes juſti, ut Myſtici aliqui vellent, ſed ſoli homines ſancti, ſive perfecti ſic aſſumantur a Deo, ac vivant vita divina ita explicata,

Digitized by Google

cata, mihi videtur multo probabilius. Primum argumento negativo ex Concilio Tridentino, quod Seſ. *6.* cap. 7. omnes Juſtificationis cauſas, totamque ejus rationem, & modum minutiſſime exponens iſtiuſmodi aſſumptionis, & vitæ divinæ, quæ per Deum ipſum proxime habetur, nullam mentionem facit. Deinde argumento poſitivo, auctoritate præſertim S. Thomæ, qui in 2. Sent. diſt. *26.* q. 1. a. 1. ad 5. & 2. 2. q.23.a.2.ad 2.aliiſque pluribus in locis *ſolum effective*, *ac mediante aliqua forma*, *ideſt Gratia*, *&* *charitate*, *Deum vivificare juſtorum animas*, docet. Præterea, quia non videtur omnino decens, ſive conveniens, aut veriſimile, quod Deus modo tam ſpeciali, & eximio non ſolum inhabitet, ſed etiam aſſumat, ac moveat homines, in quibus non eſt major ulla ſanctitas, ſive Animæ munditia, quam quod culpa lethali carent: a peccatis venialibus, & interdum quoque in ſuo genere graviuſculis, ac plene deliberatis non abſtinent; multæ ſunt adhuc in illis, & minus rectæ, ſive ordinatæ affectiones erga bona terrena; eorum actiones, etiam quæ cæteroqui bonæ, nihil heroicum, nihil divinum præſeferunt, ipſorum vita, & mores nondum ſunt ita *formati*, ac perfecti per Gratiam, *ut congruant ad repræſentandum* Dei ſanctitatem, ac perfectionem. Porro vivere per Gratiam, ac vivere per Deum ipſum, ſeu vivere vita dumtaxat ſupernaturali, ac vivere vita etiam divina, modo expoſita, videntur differentiæ majores, quam quæ accidentales, ac ſecundum magis, & minus a Scholaſticis appellantur. Cæterum non eſt mihi quæſtio de voce. Tenetis, quid rei eſſe opiner, quo præcipue differunt homines tantummodo juſti ab iis, qui proprie ſancti, & perfecti.

III. Probo ſecundam propoſitionis partem. Nam præter miracula, & alia ejuſdemmodi argumenta, ac veluti inſignia Sanctitatis, quibus Deus illos illuſtrat, quos inter ſanctos referri, & haberi vult ab Eccleſia; quæ dici poſſunt differentiæ ſanctitatis externæ, & quoad nos; præter hæc, inquam; ſanctitas, de qua in hac propoſitione agimus, eſt ſolum ſanctitas Viæ; ſanctitas vero, de qua in Canonizatione Sanctorum Eccleſia ſententiam fert, eſt etiam ſanctitas Patriæ: ſed ſanctitas Viæ, & ſanctitas Patriæ multum inter ſe differunt, & plus quam extrinſecus, & quoad nos. Sequitur ergo quod erat probandum. Major propoſitio eſt certa. Ut enim docet Bellarminus tom.2.Controv.4. de Eccleſia Triumphante lib. 1. cap. 7. & ex decretis, ac Bullis Canonizationum imo ex formula, ac verbis ipſis, quibus in Canonizatione utitur ſummus Pontifex, ſtatim poſſet oſtendi, *Canonizatio nihil eſt aliud*, *quam publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera ſanctitate*, *&* *gloria alicujus hominis jam defuncti*: *&* *ſimul eſt judicium*, *ac ſententia*, *qua decernuntur ei honores illi*, *qui debentur iis*, *qui cum Deo feliciter regnant*. Quibus expreſſe ſignificantur non ſola ſanctitas Viæ, ſed etiam ſanctitas Patriæ. Minor eſt pariter certa. Nam ſanctitas Viæ, & ſanctitas Patriæ, præter alia, quibus inter ſe differunt, differunt etiam illis duobus, ex quibus ſanctitatem definiendam cenſet S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 8. nempe *ex munditia*, *&* *ex firmitate*. Porro ſanctitas Patriæ eſt munditia ab omni prorſus vel leviſſima culpa. Secus vero ſanctitas Viæ; cum Concilium Tridentinum Seſ. *6.* Can. 23. anathemate feriat eum, qui *dixerit*, *hominem poſſe in tota vita peccata omnia*, *etiam venialia*, *vitare*, *niſi ex ſpeciali Dei privilegio*, *quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*. Ac ſcriptum ſit Prov. XXIV. 16. *Septies enim cadet juſtus*, *&* *reſurget*. Item ſanctitas Patriæ non poteſt amitti; ſecus vero ſanctitas Viæ. Unde illud Apoſtoli 1. Cor. IX. 27. *ne forte cum aliis prædicaverim*, *ipſe reprobus efficiar*. Et ad Philip. II. 12. *cum metu*, *&* *tremore veſtram ſalutem operamini*. Prætermitto alia, maxime obſervanda. Profecto poſt celebre illud Elogium Joannis Baptiſtæ quod eſt Matth. XI. 11. *non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*, ſubjunxit Chriſtus Dominus, *qui autem minor eſt in regno Cælorum*, *major eſt illo*.

Præterea ipſa illa ſanctitas Viæ, quam Eccleſia teſtatur in Dei ſervis fuiſſe, dum viverent, etiam ſola per ſe differt intrinſecus a ſanctitate viæ, quæ qualiſcun-

cunque ſit, ſive quæ ſit, ut ajunt, præciſe talis. Cum enim in ſanctitate viæ multi ſint gradus, quibus ſemper poteſt accreſcere, ſitque alius alio perfectior; Eccleſia, tum ut in re tanti momenti cautius agat, tum quia, quos inter Sanctos Confeſſores ſcribit, tanquam exemplar abſolutiſſimum Chriſtianæ perfectionis, Fidelibus ad imitandum proponit; idcirco in eorum vita nihil mediocre probat; neque contenta eſt ſanctitate, niſi quæ ad ſublimiores gradus pervenenerit. Sed de hoc magis diſtincte, ac definite in ſecunda quæſtione propoſitione ſecunda.

IV. Probo tertiam propoſitionis partem. Sancti Patres, & ſacri Interpretes pro eodem omnino habent, quod eſt Levit. XI. 44. & XIX. 20. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*; & quod ſcriptum eſt Matth. V. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Item, quod eſt 1. Petr. I. 15. 16. *in omni converſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt* (Levit. XI. 45.) *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum*. Et quod eſt Jacob. I. 4. *ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes*. Legatur Cornelius a Lapide in locum modo cit. Matthæi. Sanctitas igitur nobis in hac vita acquirenda, idem eſt ac Chriſtiana, ſeu theologica perfectio.

Accedunt argumenta a ratione, quibus probari ſolet *ταυτότης tautoſis*, ſive identitas rerum: ut, quod hæc duo ſint maxime inſeparabilia; quod reciprocentur, ſeu convertantur invicem ex omni parte; quod affirmatione mutua alterum de altero dicatur. Et quæ plura in re certa, & perſpicua congerere non eſt neceſſe.

Tandem inter earum etiam notiones, ſeu definitiones maxime convenit. Siquidem ſanctitas, tum ex iis, quæ dicta ſunt in prima propoſitionis parte, tum ex Dionyſio de div. Nomin. cap. 12. §. 1. tum ex S. Thoma 2. 2. q. 81. a. 8. recte definitur: Mundities a culpa, & conſtantia recte factorum digna Deo ſpecialiſſime Animam, & inhabitante, & regente. Perfectio autem, de qua nunc loquimur, recte videtur definiri: Vitæ ratio, in qua nihil eſt vitii, nihil non eſt virtutis ad eam ſpectantis. Seu, Vitæ ratio negative, ac poſitive congruens ad repræſentandam Dei ſanctitatem, ac bonitatem ſive, ad repræſentandum Deum motorem, ac ſpecialiter aſſiſtentem.

V. Probo quod ultimum erat. Nam quod non omnes eadem via, aut Evangelicis, quæ vocant, conſiliis ſervatis, conſtat, tum a poſteriori, quoniam in omni hominum ſtatu, qui ſane multi ſunt, & valde diverſi in Eccleſia Chriſti, fuerunt homines ſanctiſſimi, quos Eccleſia ipſa publice colit; quamvis, ſi Martyres excipias, ſane pauciores, quam qui aliquod religioſæ vitæ inſtitutum ſequuti ſunt. Tum etiam a priori, quoniam non omnes vocantur ad ſtatum religioſum; neque illa vitæ ratio, quæ univerſe, & per ſe melior eſt, & perfectior, talis eſt etiam habito reſpectu ad certas perſonas, & circumſtantias. Quod clare docet Apoſtolus 1. ad Cor. VII. 7. 9. 24. &c. XII. 4. 5. 6. &c. & ex illo theologi, ac rerum ſpiritualium magiſtri. Legatur S. Thomas lectione 2. in cap. VI. primæ ad Cor. prope finem, & S. Franciſcus Saleſius lib. 8. de Amore Dei cap. 9.

VI. Quod autem pari obligationis onere incumbendum ſit omnibus ad acquirendam ſanctitatem, ac perfectionem propriam ſui ſtatus, nam de hac intelligenda eſt aſſertio noſtra, ſic oſtenditur. Quando Deus, & Prophetæ in Lege Veteri, Chriſtus, & Apoſtoli in Lege nova, illa edixerunt, quæ ſupra notavimus, *Eſtote ſancti; eſtote perfecti; in omni converſatione ſancti ſitis; ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes*: itemque illa, *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo*. Deut. XVIII. 13. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto* Eccli. XXXIII. 23. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus* Matth. X. 38. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie &c.* Luc. IX. 23. *Æmulamini autem chariſmata meliora*. 1. Cor. XII. 31. *Elegit nos, ut eſſemus ſancti, & immaculati*. Eph. I. 4. *De cætero fratres perfecti eſtote* II. Cor. XIII. 11. *exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu*. Coloſ. I. 28. *Hæc eſt enim volun-*

Digitized by Google

voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 1. ad Theſſalonic. IV. 3. *Quicunque voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei, conſtituitur*. Jacob. IV. 4. *Qui dicit, ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare... Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo*. 1. Joan. II. 6. 15. Et quod ſimul eſt Deut. VI. 5. & Matth. XXII. 37. Marc. XII. 30. Luc. X. 27. &c. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*. Et alia quamplurima horum ſimilia: quando, inquam, Deus, & Dei nomine Prophetæ; Chriſtus, & Chriſti nomine Apoſtoli hæc edixerunt, non locuti ſunt ad eos tantum, qui religioſis Ordinibus nomen daturi erant: locuti ſunt ad omnes prorſus Fideles, cujuſvis ſtatus, & conditionis; neminem exceperunt.

VII. Neque dicas, eos qui religioſis Votis non ſe obligarunt, pro exceptis habendos. Nam contra eſt primo, quod res tam clare, tam frequenter, ac ſemper univerſaliter indicta exceptionem iſtam non admittit. Deinde, quod Patres hos Scripturæ locos ſic exponunt, ut dicant iis affici, & obligari omnes æqualiter: *non ſolum Monachos, ſed etiam conjugatos; non ſolum Clericos, ſed etiam laicos; univerſam Eccleſiam, cuncta ipſius membra, per officia propria diſtincta, & diſtributa Chriſtum ſequi, ſe abnegare, crucem ſuam tollere, ad ſanctitatem, ad ſupremum perfectionis faſtigium eniti, & contendere debere*. Ita prorſus, ac verbis ipſis, atque etiam gravioribus, & ſignificantioribus Baſilius in Sermone de Renunciat. ſæculi num. 1. & 2. Joan. Chryſoſtomus lib. 3. adverſus Vituperat. vitæ monaſt. num. 13. Auguſtinus ſerm. 96. cap. 7. n. 9. Leo Magn. Serm. 9. de Quadrageſ. num. 1. & alii omnes, quotquot rem hanc attigerunt. Tertio, quia Chriſtus ipſe Marc. XIII. 37. profitetur, ſe nullum excipere. *Quod autem vobis dico, omnibus dico*. Ut ad rem præſentem notavit Baſilius loco nuper cit. num. 2.

VIII. Accedit ratio theologica qua etiamſi hæc non eſſent omnibus æque præſcripta, eſſent tamen ab omnibus æque ſervanda. Primum, quia ſic melius conſulitur æternæ vitæ, & ſaluti, quæ omnibus cordi eſſe maxime debet, nec minus Sæcularibus, quam Religioſis. Præterea, & multo quidem magis, quia quæ in allatis Scripturæ locis expreſſa ſunt, Deo ſunt omnino debita, propter ſummam ipſius excellentiam, ſupremumque dominium: quæ nomina, ſeu tituli communes ſunt omnibus. Tertio, ex profeſſione ipſa Chriſtianæ religionis. Sive enim Baptiſmi naturam conſideres, *quicunque baptizati ſunt*, ut ait Apoſtolus ad Gal. III. 27. *Chriſtum induerunt*. Hoc eſt, acceperunt ipſius inſignia, ei ſe famulos, ſectatores, imitatores adjunxerunt. Sive, ut ſcribit in hunc Pauli locum Chryſoſtomus, *facti ſunt debitores exprimendi vita, & moribus Chriſtum*. Sive conſideres ritum, quo ex Apoſtolorum Traditione adminiſtratur Baptiſmus; ibi iis omnibus bonis, & illecebris, quibus dæmon capere homines ſolet, ut divitiis, voluptatibus, honoribus ter nuncium remittimus. *Abrenuncio, Abrenuncio, Abrenuncio*. Sic autem profiteri, & proteſtari, etſi Votum proprie non ſit, de quo vide Bellarminum tom. 2. Controv. 2. lib. 2. de Monach. c. 19. & Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. de Voto cap. 2. n. 6. & 7. eſt tamen gravis aliqua obligatio, quam qui baptizatur his verbis ſuſcipit; vel declarat, ſe illam per baptiſmum ſuſcipere. Cui obligationi quomodo ſatisfaciant, qui ea bona tam cupide quærunt, ac retinent tam tenaciter, haud ſane intelligo. Legantur Concilia Aquiſgranenſe anni 816. cap. 114. & Pariſienſe anni 829. lib. 2. cap. 7. ubi hanc ſententiam tuentur, & hoc idem argumentum pertractant. Legendi etiam Patres, qui ritus modo deſcripti, & obligationis, quæ inde oritur, meminerunt, ut Tertullianus de Corona Milit. cap. 3. n. 30. & lib. de Baptiſmo cap. 6. n. 46. Origenes homil. 12. in Numer. num. 4. Ambroſius lib. de Myſt. cap. 2. n. 5. & 6. & lib. 1. de Sacram. cap. 2. n. 5. & 6. Hieronymus Epiſt. 5. ad Heliodorum §. 2. Ante omnes vero Dionyſius Areop. de Eccl. Hier. cap. 2. §. 5. qui ex illis *Abrenunciationibus* conſequens eſſe dicit, *ut non ſolum ab omni*

Digitized by Google

omni malitia ſit recedendum , ſed obdurandum viriliter , & imperterrite ſemper obſiſtendum ipſi noxiæ remiſſioni ; nec a ſacro ſit unquam amore ceſſandum ; ſed continenter , ac perpetuo pro viribus illi inſiſtendum , & ad perfectiorem divini principatus ſublimationem ſancte ſemper negotia cuique ſua dirigenda .

IX. Objicies contra primam propoſitionis partem, vitam divinam , ſi recte explicetur, communem eſſe juſtis omnibus, etiam valde imperfectis; quippe qui præditi ſunt Gratia ſanctificante, quæ eſt participatio quædam divinæ naturæ : & quamvis in illis ſint multæ maculæ, & minus ordinatæ affectiones , & cupiditates; cum tamen ſint amici Dei, ejuſque Filii adoptivi; decens eſſe, nec ſolum veriſimile, ſed prorſus certum ,quod in illis ſpecialiter habitet Deus ; ac de omnibus juſtis intelligendum , quod eſt Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me , ſermonem meum ſervabit , & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus , & manſionem apud eum faciemus* . Quod ſi vita divina in eo ponatur quod Deus ſit animæ anima non ſolum efficienter, ac media Gratia habituali , ſed etiam vero aliquo modo per ſe ipſum ; idque explicandum putetur exemplo aſſumentis & aſſumpti, motoris & mobilis; ſive etiam formæ ſeu virtutis aſſiſtentis, quomodo volebant Platonici ſe habere ad corpus hominis Animam; iſtjuſmodi vita divina nec ipſis Perfectis communis eſt : datur pauciſſimis , & fortaſſe nullis . Saltem nemo eſt , cui datum , poſſit ſatis probari.

Contra ſecundam partem propoſitionis, de illis quos Eccleſia faſtis ſuis adſcribit , hoc ſolum tenendum videri, quod ſalvi ſint, vel etiam quod regnent cum Chriſto . Huc vero neceſſe non eſt ſublimis illa ſanctitas, ac virtutes eximiæ, & heroicæ, de quibus dictum eſt ſupra .

Contra tertiam, ſanctitatem nihil demum eſſe, quam charitatem , quæ magna eſſe poteſt etiam in eo, cui multa deſint ad Perfectionem Chriſtianam .

Contra quartam , obligationem illam, quam diximus eſſe æqualem in omnibus; vel eſſe gravem, vel eſſe levem . Si primum , Seculares, qui ad Perfectionem non tendunt, peccarent graviter ; quod videtur nimis durum , & contra communem perſuaſionem , & praxim . Sin vero alterum , Religioſi , qui ad Perfectionem non tendunt , peccarent leviter ſolum; quod videtur nimis laxum, & contra naturam , & eſſentiam ſtatus religioſi, qui ſtatus eſt Perfectionis acquirendæ, ſeu tendentium ad Perfectionem ; & ex hoc definitur, & ab omni , quod non eſt ipſe, diſtinguitur. Non eſt igitur obligatio illa æqualis in omnibus.

X. Reſpondeo ad primum, nos etiam fateri, ac certum habere, Gratiam ſanctificantem eſſe participationem aliquam divinæ naturæ, ac Deum ſpeciali modo habitare in homine juſto . Negamus vero iſtam & participationem, & habitationem eſſe ſpecialiſſimam illam, quam ſupra expoſui, & in qua poſitam dixi vitam magis proprie divinam . Quæ diſtinguenda eſſe etiam Auguſtinus monet epiſt. 187. ad Dardanum cap. 5. n. 17. Homines juſti ſunt quidem & amici, & filii Dei: ſed ſunt aliqua, quæ non communicantur cum amicis, niſi valde intimis, nec conceduntur filiis, niſi maxime charis , & patris maxime amantibus. Locus Joannis nobis objectus , ut accipitur de omnibus juſtis, qui *ſervant* Chriſti *ſermonem* , hoc eſt , præcepta; explicandus eſt de *manſione* Dei afferentis Animæ vitam ſupernaturalem per Gratiam. Ut vero explicatur de *manſione* Dei afferentis Animæ vitam etiam quamdam divinam per ſe ipſum ; accipiendus eſt de ſolis Perfectis , qui ſervant Chriſti ſermonem , hoc eſt, non ſolum præcepta , ſed etiam conſilia ad illud vitæ inſtitutum, quo vocati ſunt , pertinentia : abnegant ſe ipſos, tollunt crucem ſuam, Deum ex toto corde, ex tota mente, totaque anima , ac viribus omnibus diligunt ; atque heroicis virtutibus, ſeu virtutibus purgati animi , virtutes exemplares , quæ ſunt in Deo, & in Chriſto , maxime repræſentant.

XI. Quod autem ſint aliqui homines, utique pauci, nam homines vere perfecti pauci ſunt , quibus datur hæc vita altioris ordinis , probant ipſæ eorum actiones nobiliſſimæ, ac vel perfectæ charitatis,

tatis, vel a perfecta charitate imperatæ; quæ præter charitatem, & alia ſupernaturalia principia, ex quibus certe proficiſcuntur, Deum motorem, & quaſi formam aſſiſtentem oſtendunt, atque exprimunt. Multa præterea de hac vita divina apud Patres, & in ſacris Literis ſcripta reperiuntur. Ut, *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Pſalm. XLIV. 14. *Accedet homo ad cor altum; & exaltabitur Deus*. Pſalm. LXIII. 7. 8. *regnum Dei intra vos eſt*. Luc. XVII. 21. Quæ Bernardus in libro de præcept. & diſpenſat. cap. 20. n. 60. & 61. interpretatur de hac vita divina, & Animam dicit, quæ Deum perfecte amat, *ex ipſo vivere, uti corpus ex ipſa*. Clariora ſunt, quæ ſcribit Apoſtolus ad Philip. I. 21. *Mihi vivere Chriſtus eſt;* & ad Galat. II. 20. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus*. Ex quibus verbis Origenes præfat. in Joan. dicere non dubitavit. *Quiſquis perfectus eſt, vivit in eo Chriſtus, ac de eo dicitur Mariæ: Ecce filius tuus Chriſtus*. Sic autem illa expoſuit Doctor Angelicus lect. 6. *Illa proprie dicuntur vivere, quæ moventur a principio intrinſeco. Anima autem Pauli conſtituta erat inter Deum, & corpus: & corpus quidem vivificabatur, & movebatur ab anima Pauli, ſed anima ejus a Chriſto*. Non quia Chriſtus, ut homo eſſet in Paulo; ſed quia in Paulo erat Deus, tanquam motor in mobili aſſumpto ad repræſentandam Chriſti vitam, quæ, ut ajunt Baſilius Conſtit. Monaſtic. cap. I. n. I. & cap. 4. Ambroſius in Luc. lib. 4. cap. 4. n. 46. & Auguſtinus de vera Relig. cap. 16. n. 30. &c. eſt exemplar viſibile, nobis propoſitum, ut ipſius imitatione exprimamus in nobis Dei ſanctitatem, ac perfectionem, quam videre non poſſumus. Quod ipſum dixit ſatis clare idem Apoſtolus: *ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris;* (II. Cor. IV. 10.) *donec formetur Chriſtus in vobis;* (Gal. IV. 5.) *qui eſt imago Dei inviſibilis*. Et explicari poteſt clarius pariter ex Origene, & S. Thoma. Ille enim lib. 2. de Princip. cap. 6. n. 7. de Chriſti humana natura divinæ comparata differens, docet illam, ejuſque operationes *indeclinabiliter eoſdem motus ſuſcepiſſe:* quod illam nimirum conſideraret, tanquam divinitatis inſtrumentum intime conjunctum, & ad omnem divinam motionem maxime pronum, ac ſequax; ipſius autem operationes, ut *quamdam divinitatis umbram*. Qua ratione S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 20. n. 33. & ex illo etiam diſtinctius S. Thomas p. 3. q. 32. a. 1. ad 1. divinam naturam luci, humanitatem interpoſito corpori, & humanæ naturæ operationes umbræ compararunt. Quamobrem, ut pie, & eleganter ſcripſit Franciſcus Le Roy Occupat. Animæ &c. par. 6. cap. 9. ſicut in horologio aliquo ſciotherico gnomonis umbra ſolaris motus æmula eſt, nec aberrat unquam vel in minimo, ſed *indeclinabiliter eoſdem in ſe motus ſuſcipit:* ita quælibet Humanitatis Chriſti operatio divinorum ſenſuum, ac motuum certiſſimus index, atque expreſſa repræſentatio eſt; ejuſque vita velut ectypon divinæ vitæ: ut qui Chriſtum exacte imitatur, hoc ipſo neceſſe ſit, eum in nobilem divinitatis imaginem, quoad vitæ mortalis conditio patitur, conformari.

XII. Quod ſi velis hæc Pauli dicta ita explicari, ut in hominibus perfectis inhabitet Chriſtus, etiam ut homo, nempe ſecundum Animam, per quam ex Communione Euchariſtica in ipſis remaneat, poſt etiam quam panis, & vini ſpecies penitus defecerunt; etſi hanc ſententiam non amplector, tamen nec omni ex parte rejicio. Habet patronum maxime Hilarium lib. 8. de Trinit. n. 13. 14. 15. &c. Nolim tamen, hoc etiam ad omnes juſtos extendi, ſed ſolis dari perfectis, qui vita, & actionibus Chriſtum maxime referunt. Quique propterea hac etiam ratione dici poterunt, vitam divinam vivere, quod ipſorum animæ præſentiſſima, & aliquo vero modo conjuncta ſit anima Chriſti, quæ hypoſtatice eſt unita Verbo. Plura de hoc infra.

XIII. Cæterum vitam illam divinam, de qua ſupra dicebamus, non minus clare expreſſit Apoſtolus, cum ſcripſit I. ad Cor. VI. 17. *Qui autem adhæret Domino unus ſpiritus eſt*. Quod utique intelligendum eſt tantum de illis, quorum eſt pura

ra ab omni affectu erga bona terrena, & firma in ſummo bono voluntatis adheſio; qui ſunt homines ſancti. Ac de illis intelligendum, ut ait Herſentius in cap. 1. S. Dionyſii de Myſt. Theol. *per intimam transfuſionem, ſive illapſum eſſentiæ Dei in eſſentiam animæ; per quam nimirum ſpeciali modo anima Dei ſedes conſtituatur, aut etiam Deus animæ anima dicatur*. Quo ſecutus eſt non tantum Dionyſium, ſed & Patres alios, ut Hilarium in Pſalm. 60. num. 11. & in Pſ. 62. num. 10. & 11. Auguſtinum lib. 3. Confeſſ. cap. 6. num. 10. & epiſt. ad Dardanum 187. cap. 5. n. 17. Cyrillum Alex. in Joan. xv. 1. & dial. 1. de Trinit. pag. 407. Petrum Chryſologum ſerm. 19. Gregorium Magnum lib. 24. Moral. cap. 11. n. 12. Bernardum lib. 5. de Conſid. cap. 5. n. 12. Qui ultimus facta comparatione cum Angelis rem hanc aliquanto enucleatius explicat. *Quod ſi dicas*, inquit, *poſſe ineſſe & Angelum, non inficior. Memini ſcriptum:* Et Angelus, qui loquebatur in me (Zach. 1. 14) *Atqui differentia & in hoc. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus ſic ineſt, ut afficiat, ut infundat; vel potius, ut infundatur, & participetur: ita ut unum perinde cum noſtro ſpiritum eſſe dicere quis non timuerit, etſi non unam perſonam, unamve ſubſtantiam. Habes enim:* Qui adhęret Deo, unus ſpiritus eſt. *Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ ineſt; Deus ut vita.* Quod explicat etiam diſtinctius ſerm. 5. in Cant. num. 8. Idem ipſum ſcholaſtice exponit Suarez lib. 2. de Angelis cap. 5. n. 14.

XIV. Tandem ſententiam noſtram confirmant ampliationes illę cordis, ac pectoris, quas ex magno, &, quoad peculiarem hunc modum, etiam novo habitatore in ſemet ipſis factas teſtantur David Pſalm. cxviii. 32. *dilataſti cor meum;* & Paulus ii. ad Cor. vi. 11. *Cor noſtrum dilatatum eſt:* & factam in Philippo Nerio etiam exterius, & ad ſenſum, accepimus. Hanc ipſam novam vitam divinam ſignificant mutationes cordis cum corde Chriſti, quę in actis Sanctorum multę leguntur; ut de Gertrude, de Catharina Genuenſi, de Catharina Riccia, de Lutgarde, in primis vero de Catharina Senenſi. De Lutgarde hęc ipſius vitę Scriptor Thomas Cantipratanus refert lib. 1. cap. 5. Cum Lutgardes dixiſſet: *Volo cor tuum, Domine;* iſque reſpondiſſet: *Quin ego potius & cor tuum;* tum vero ſubjeciſſe Lutgardem: *ſit ita, Domine &c. Factumque ex ea die quamdam permutationem cordium, vel potius unionem ſpiritus creati, & increati per gratiæ excellentiam*. Nam gratia, & charitas ad vitam ſupernaturalem ſe habent ut forma; quando autem ſunt excellentes adducunt vitam divinam a nobis deſcriptam, in eaque ſe habent ut vinculum, ſive unio inter Deum, & animam. De Catharina Senenſi in ipſius vita cap. 47. B. Raymundus hęc ſcribit: cum illa a Domino aliquando peteret, ut ipſi proprium cor auferret, propriamque omnem voluntatem eriperet; Chriſtum Jeſum ſiniſtrum ejus latus aperire viſum, ipſiuſque cor inde extrahere; & poſt aliquot dies cor aliud lucens, ac ſplendens in eumdem locum inferre, & includere, verbis iis: *En Filia mea chariſſima, habes cor meum pro corde tuo*. Quanquam hic illud notandum, his mutationibus cordium non ſolum ſignificari vitam illam, quam diximus vivere animam Perfectorum proxime ex Deo ipſo; ſed pręterea oſtendi, eam animę vitam redundare, ac diffundi etiam in corpus. Quod in prima epiſtola ad Fratres declaravit Magnus Antonius. Ait enim, *Spiritum Sanctum operantem in homine perfecto ita ipſius corpus immutare, ut jam ſit omnino ſub ſpiritus poteſtate, terrenamque habitationem fieri ex parte corpus ſpirituale, quale futura eſt in reſurrectione Juſtorum*. Neque id minus expreſſe docuit Catharina ipſa Senenſis apud Le Roy par. 3. cap. 13. §. 2. nempe *vi Sanguinis Chriſti, & igne divini amoris ita immutari hominis animum, ut etiam ipſa caro fragilis odorem virtutis ſentiat; & corpus una cum anima in omni ſuo exercitio ad Deum clamare, atque aſpirare videatur*. Atque hoc eſſe fateor pauciſſimorum, ac ſolum perfectiſſimis, atque ſanctiſſimis dari.

XV. Inſtabis, quid ſi eſſet aliquis,

qui

Digitized by Google

qui Deo pure, & firmiter adhæreret, qui nihil haberet vitii, nihil non haberet virtutis; & tamen non aſſumeretur a Deo ad vitam illam divinam, de qua dictum eſt; numquid propterea ſanctus, ac perfectus non eſſet? Reſpondeo, primam hanc propoſitionis partem a nobis defendi præſertim adverſus eos myſticos Doctores, qui contendunt, eam vitam divinam, quam ipſi pariter explicant exemplo aſſumentis, & aſſumpti; motoris, & mobilis, communem eſſe omnibus juſtis. Contra hos igitur argumentum retorqueo. Quid ſi eſſet in aliquo Gratia Habitualis, nec tamen ipſius anima aſſumeretur a Deo eo fere modo, quo aſſumunt Angeli corpora; numquid propterea Deo charus, Dei amicus, Dei filius adoptivus non eſſet? Sic ergo habendum: quemadmodum docent iſti, vitam divinam, etiam ſic explicatam, Gratiæ ſanctificanti, & charitati, quæ eſt in omnibus juſtis, adnexam eſſe; partim ex natura ipſa Gratiæ, & charitatis, partim ex lege, ac promiſſione Dei: ſic ego, ut mihi videor, convenientius, ac Dei lege, & promiſſione, rerum naturæ magis conſentanea, dico, eam vitam divinam, ſæpe jam declaratam, adnexam eſſe charitati perfectæ, quæ animam cum Deo uſquequaque conjungit, & ex qua denominationem accipit via, ſeu vita *unitiva*, quæ propria eſt Perfectorum.

XVI. Inſtabis iterum, eſſe, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 9. Gerſonius tract. de Myſt. Theol. pract. conſid. 1. ac cæteri omnes Myſtici, eſſe tres hominum ſtatus, &, pro his tribus ſtatibus, diſtingui tres vias, ſeu vitas, Purgativam, quæ eſt Incipientium; Illuminativam, quæ eſt Proficientium; & Unitivam, quæ eſt Perfectorum. Videri valde conveniens, ac rerum ipſarum naturæ maxime conſentaneum, hos omnes ſtatus, ac vias participes eſſe hujus vitæ divinæ, ſed inæqualiter, pro charitatis menſura: nempe initium habere in Incipientibus, augeri in Proficientibus, compleri, conſummarique in Perfectis. Reſpondeo, hac inæqualitate ſervata, facile poſſe inter nos convenire: ſic tamen, ut non ſolum ſit diſtinctio graduum, ac diſſimilitudo, ſecundum magis, & minus; ſed etiam diverſa ejus vitæ ratio, alio, atque alio modo explicanda. Nimirum quod Deus in Incipientibus ſit animæ vita, ſive animæ anima ſolum remote, & in ſenſu metaphorico, ſeu analogico. In Proficientibus autem ſit animæ vita, & quaſi anima non adeo remote, in ſenſu morali, & interdum etiam phyſico, ſed minus proprio. Denique in Perfectis ſit animæ vita, & quaſi anima magis proprie, & ſtabiliter; hoc eſt, omnino in ſenſu phyſico, non tamen formali, quem vocant, ſed æquivalenti. Rem magis declaro. Deus in Incipientibus ſolum efficienter, ac media Gratia, & charitate, multa ipſorum animæ præſtat, eorum ſimilia, quæ præſtat anima corpori. In Proficientibus vero præſtat longe plura iſtiuſmodi, atque ea ferme, quæ agit anima in corpore bene temperato, ac recte valenti. Nec ſolum hæc exhibet media Gratia & charitate, ſed quandoque etiam per ſe proxime; ut forma tamen, ſeu virtus mere aſſiſtens, ac ſimplex motor. Eo ſcilicet modo, quo Angeli ſe habent ad cœleſtes orbes, ſi eos vere movent. Tandem in Perfectis exhibet etiam plura, & longe nobiliora, ac præſtantiora; eaque proxime, ac per ſe ipſum; non quidem tamquam forma informans, ſed neque tamquam forma, ſeu virtus dumtaxat aſſiſtens, ac movens. In eorum anima, ut diximus, ita ſe gerit ſive ad illas ita ſe habet, ut virtus aſſiſtens, ac movens ſe habet ad mobile ipſam repræſentans; nempe ut habent ſe Angeli ad ea corpora quibus apparent, ac videndos ſe præbent.

Huic ipſi rei explicandæ exemplum aliquod peti etiam poſſet ab humana Chriſti natura aſſumpta a Verbo. Sed illud eſt planius ac minus periculi habet; modo ſervetur homini, ut monui, ſua propria actio, & electio. Plura de hoc quæſt. 2. propoſ. 2. num. 14.

XVII. Ad id, quod contra ſecundam propoſitionis partem objicitur, reſpondeo, ex iis tantum quæ ibi jam dicta ſunt id ſatis refelli. Cæterum, ſi argumentum illud valeret, nec miracula fore neceſſaria; ſine quibus tamen Eccle-

ſia neminem Sanctorum catalogo adſcribit. Dicendum igitur primo, falſum eſſe, de illis plus nihil eſſe tenendum, aut credendum, quam quod ſalvi ſint, ac Cœlo recepti, & beati. Cum Canonizatio ſit publicum Eccleſiæ teſtimonium non ſolum de præſenti ipſorum Gloria, ſed etiam de vera ſanctitate, qua eam Gloriam promeriti ſunt, dum eſſent in via; & ab eadem Eccleſia proponantur Fidelibus, tanquam exemplari, & norma Chriſtianarum virtutum. Deinde etiamſi de illis nihil majus tenendum, credendumve foret, quam quod in oppugnatione dicitur; hoc ipſum tamen requireret eam ſanctimoniæ, & virtutum præſtantiam, de qua dictum a nobis. Non quia ſine illa verum eſſe non poſſit, eos æternam ſalutem, ac beatitudinem adeptos; ſed quia ſine illa non poteſt via ordinaria de hac ipſa veritate conſtare; & conſtare tam certo, quantum ad definiendam quæſtionem de facto graviſſimo, & hujus generis judicia facienda, Eccleſia partim conveniens, & optimum factu, partim etiam neceſſarium exiſtimavit. De quibus omnibus in ſequenti propoſitione clarius, & diſtinctius videbimus.

XVIII. Ad tertium reſpondeo ſanctitatem in charitate quidem conſiſtere; non tamen in charitate ſola, ſed reliquarum virtutum, pro cujuſque ſtatu, ac vitæ inſtituto, chorum ducente. Quod ſatis apparet ex propria ipſius notione: ſive illa definiatur ex Dionyſio de div. Nomin. cap. 12. §. 2. *Ab omni ſcelere libera, perfectaque, & omni ex parte immaculata puritas*. Sive ad munditiam addatur expreſſe ſtabilitas, atque ex noſtra doctrina definiatur, ut ſupra: munditia a culpa, & conſtantia recte factorum, dignæ Deo ſpecialiſſime inhabitante, ac regente hominis Animam. Præterea, vera ſanctitas, de qua hic agimus, non conſiſtit in charitate qualicunque, immo nec in charitate magna, ſed in charitate, pro ſtatu Viæ, perfecta. In quo autem eſt perfecta charitas; hoc eſt, ut ſacræ Literæ ſæpe declarant, qui Deum ex toto corde, ex tota mente, totaque anima, atque omnibus viribus diligit, in eo eſt etiam Chriſtiana, ſeu theologica perfectio; nimirum, ut definitum eſt ſupra, vitæ ratio, in qua nihil eſt vitii, & nihil deeſt virtutis, quod ad illam pertineat. Quod nihil habeat vitii intelligendum ſano ſenſu

Ad id vero, quod dicunt fieri poſſe, ut ſit magna charitas in eo, qui a perfectione ſui ſtatus longe diſtet; ut in homine, qui licet negligenter, ac remiſſe, diu tamen ſervierit Deo, ejuſque gratiam, & amicitiam vel nunquam amiſerit, vel amiſſam cito recuperaverit. Reſpondeo, iſtiuſmodi hominem longe quidem abeſſe a Perfectione, ſed a vera ſanctitate non minus. Ejus vero charitatem eſſe magnam, uti eſt magna nobilitas, quæ talis ſit ex ſola generis, ſive familiæ antiquitate, non etiam ex divitiarum ſplendore, & amplitudine honorum, ac rerum geſtarum. Magna eſt illa charitas extenſive, ut ajunt, non intenſive: crevit diu potius quam multum. Vel multum crevit, ſed ſemper intra eoſdem fines, ſive in eodem ordine: nunquam ſe extulit ad ordinem ſuperiorem, Charitatis heroicæ, de qua ſuo loco dicemus, Charitatis *Unitivæ*, quæ propria eſt Perfectorum, atque Sanctorum; cui adnexam eſſe diximus vitam divinam ſupra expoſitam: de qua charitate potiſſimum loquutus videtur Chriſtus Dominus Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit &c.*

Inſtabis: quid ſi aliquis magna pro Chriſto faciat, & toleret; ſed idem interea multa etiam peccata venialia, nec adeo minuſcula, nec ſubreptitia, quæ vocant, ſed interdum prorſus deliberata, plene advertens, & volens committat? Dico, in homine illo charitatem nec eſſe magnam; nedum ſit perfecta, qualem hic requirimus: &, quantacunque ſit, eum non minus a vera ſanctitate, quam a Chriſtiana perfectione diſtare.

XIX. Ad quartum reſpondeo, obligationem illam eſſe gravem, & hominem, qui profiteretur, nolle ſe ad perfectionem ſui ſtatus ullo modo aſpirare, & incumbere, eo vel ſolo peccare graviter, Imo graviter etiam peccaret, multorum judicio, qui id profiteretur vita ſolum, & facto ipſo. Ut, ſi nihil boni faceret, niſi quod eſt graviter præceptum, aliunde,

de, hoc eſt, ex alia obligatione ab illa, de qua nunc diſputamus; nihil mali fugeret, niſi quod eſt graviter aliunde interdictum: nimirum peccaret ea vel ſola ratione, quod ſic agens Perfectioni haud ſane ſtuderet. Similiter etiam, ſi non omnia quidem peccata venialia, quorum illi eſſet occaſio, & copia, ſed tamen tot, & alia, eaque conſiderate, meditate, ac plena animi deliberatione paſſim committeret; ac generatim ſi ita viveret, qualiter vivere, exiſtimatione communi, & maxime ſapientum, hoc eſt, ſanctorum Patrum, qui de hoc ſcripſerunt, judicio, non eſſet Perfectioni ſtudere. Quod autem ſic opinari non ſit nimis durum, ac rigidum, probant ex ipſis Patrum teſtimoniis, & aliis argumentis ſupra allatis; ac luculentius expoſitum videri poterit apud Scriptores, quod ſub finem Propoſitionis de more vobis legendos præſcribam.

XX. Diſtinguenda tamen eſt duplex ad Perfectionem via. Una eſt per præcepta: quæ omnia ſi quis exacte, & ſtabiliter ſervet, ita ut contra illa nihil faciat, non ſolum grave, ſed etiam leve, niſi quæ, *ſine ſpeciali Dei privilegio*, prorſus vitari nequeunt, (Trid. ſeſſ. 6. can. 23.) homo erit valde perfectus. Siquidem hoc denique eſt eſſe ſanctum, atque perfectum, omnibus obligationibus proprii ſtatus omnino ſatisfacere. Altera via eſt, ſecundum Conſilia, & maxime tria illa, quæ Conſilia Evangelica antonomaſtice vocantur. Ad quæ pariter ſi quis uſquequaque vitam conformet, atque exigat ſuam, erit multo etiam perfectior. Ut enim ſublimior, & excellentior eſt via, ita etiam & terminus. Porro prima via ita eſt ſecundum præcepta, ut etiam conſilia, multa præſertim, quæ faciunt ad omne vitæ inſtitutum, & admittat, & illis inhæreat, nulla quidem obligatione ſuſcepta, nec prorſus ex neceſſitate; ſed ut res magis ex ſententia, & propoſito cedat; hoc eſt, ut facilius, ac melius impleantur præcepta. Secunda autem via ita eſt ſecundum conſilia, ut illis etiam ſe obliget, & tribus quidem præcipuis ſe obliget Voto. Ex hac triplici obligatione ſtatus Religioſus ab aliis diſtinguitur, ac recte definitur. Vitæ ſecundum conſilia Evangelica ducendæ ſtabilis ratio, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ Votis, ſub certa, & ab Eccleſia approbata Regula, editis. Horum vero illa eſt concluſio: non minus qui prima, quam qui ſecunda incedunt via, ad Perfectionem contendere debere. Nam peccare, ſeu graviter, ſeu leviter, & obligationibus proprii ſtatus deeſſe tam non licet unis, quam alteris. Quoniam vero ſecundæ viæ terminus eſt, ut dixi, per ſe præſtantior, & pluribus ad illum, ac perfectioribus mediis, ſive inſtrumentis eſt opus; propterea Religioſi, qui & illi termino quærendo, & his mediis, ſive inſtrumentis adhibendis ſe obligarunt; contra Perfectionis ſtudium omnibus injunctum, pluribus modis, & partibus poſſunt delinquere. Eorum vita ſanctior, atque perfectior eſſe debet, quia eſt via ad ſanctitatem, atque perfectior eſſe debet, quia eſt via ad ſanctitatem, & perfectionem per ſe majorem. Plus eſt, quod ab ipſis exigitur, ſed non exigitur magis. Minus debent alii non minus. Neque dicas, minus obligare præcepto, quam Vota: nam hoc diſcrimen, ſive inæqualitas, quæcunque ea ſit, nihil, aut perparum facit ad rem præſentem, cum utraque graviter obligent.

XXI. Dices, hac diſtinctione duplicis viæ planum fieri, qua ratione dici poſſint Religioſi hac in re majori obligatione teneri: majori ſcilicet objective, ut ajunt, hoc eſt, ad plura, & majora; æquali autem, aut fere æquali ſubjective; hoc eſt, ad plura, & majora, non tamen magis debita. Verum hac ipſa duplici via proxime explicata non mitigari, & emolliri, quod dictum eſt ſupra culpa etiam veniali poſſe contra ſtudium Perfectioni debitum graviter delinqui. Hoc autem per ſe nimis durum, ac multis præterea ſcrupulis, & dubitationibus obnoxium videri.

Reſpondeo, quod dictum eſt ſupra, hoc proprie non eſſe, per culpam venialem peccari contra Perfectionis ſtudium graviter poſſe: ſed per magnam negligentiam vitandi culpas veniales, ſive potius per magnam licentiam eas committendi. Si nempe eas prorſus non caveas,

ſi tot

ſi tot, & talia paſſim in eo genere pecces, quæ ſi aliquis in alio ſtudiorum genere peccaret, cenſeretur nolle proficere; cenſeretur contra ſtudium illud peccare graviter: quod grave peccatum ibi non eſſet per ſe in genere morum; ſecus autem hic; nimirum in re, cui ſtudium debetur, & quidem obligatione ex ſuo genere gravi. Neque id videri debere nimis durum, & inſolens reputanti locutiones Scripturarum, & Patrum, ac cœtera argumenta ſupra propoſita. Neque eſt id vexare, & conturbare animos dubitationibus, & ſcrupulis vanis; ſed juſtum metum, ac veram religionem illis incutere: eſt eos commonere pacti cum Deo initi, onerisque ſuſcepti in Baptiſmo, in Confirmatione, & quod ad ſecundam ſpectat viam, Votis, ac Profeſſione religioſa.

Addo, vix eſſe ſcrupulis locum. Qui enim patrat aliquod lethale peccatum, ſine dubitatione, contra ſtudium Perfectionis graviter delinquit, cum ipſa Perfectionis fundamenta deſtruat, quæ ſunt Dei Gratia, & charitas. Qui vero a lethalibus abhorret, diuque abſtinet, vix unquam contingit, eum eſſe ita effrænem, & effuſum in venialia, ut dici propterea poſſit, eum omnem curam, & ſtudium Perfectionis abjeciſſe. Cæterum ſi id in aliquo accidat, & ille ſatis advertat, vitam ſuam ſaltem ex parte corrigere, vel id ſincere, & firme ſecum ſtatuere, ac proponere, vel alio quopiam modo ſtudium illud renovare, & reſumere debet. Quo adſtringitur obligatione gravi; ut ſi nihil horum faciat, tunc vero proprie, & formaliter contra ejuſmodi ſtudium graviter peccet.

Præterea, ſi res ſpectetur per ſe, & ut plerumque contingit; ac ſi ſermo ſit de unaquaque actione particulari, non autem de multarum concurſu, & conſuetudine; ea eſt ſapientum virorum valde facilis, & plana doctrina, hominem contra eam curam, & ſtudium quod perfectioni acquirendæ debent omnes impendere, per particulares actiones non magis, aut minus peccare, quam quantum peccet contra præcepta, ſi primam tenet viam; &, ſi tenet ſecundam, quam quantum peccet vel contra præcepta, vel contra conſilia, quæ quidem illi inſtar ſunt præceptorum. Ita ut obligatio, qua cuique incumbendum eſt ad perfectionem proprii ſtatus, per peccatum lethale graviter, per veniale autem leviter violetur. Immo peccatum, quo contra hanc obligationem ſeu graviter, ſeu leviter delinquitur, includi, & contineri, ſive, ut ajunt, imbibi in ipſo illo peccato, quo itidem ſeu graviter, ſeu leviter delinquitur vel contra præcepta, vel contra conſilia. Sic quidem, ut in omni peccato, pro menſura ejus malitiæ vel gravis, vel levis, quam habet in alio genere, ſit etiam hæc ſpecialis malitia, ſive inhoneſtas, quod per ipſum negligitur, vel graviter, vel leviter ſtudium illud, quod Perfectioni debitum diximus, & oſtendimus.

XXII. Inſtabis ex oppoſito, & doctrinam hanc oppugnabis a nimia laxitate, & indulgentia. Dices, adductis ſupra argumentis probari, non ſolum ad Perfectionem tendendum eſſe omnibus, ſed etiam eo eſſe tendendum perfectiori via.

Verum, ſi hoc eſſet, ſicuti Perfectionis ſtudium præcipitur omnibus, ſic præciperentur omnibus tria religioſa Vota, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; quæ proinde non conſilia, ſed præcepta Evangelica eſſent, & dici deberent. Id vero eſt contra communem Doctorum, & Eccleſiæ ſenſum; & eſt adeo falſum, ut Deus neque tanquam conſilium dans, aut tantum ſuadens, vocet omnes ad ſtatum Religioſum. Ac vere ea vivendi ratio, quamvis per ſe melior, atque perfectior, tamen, ut ſupra notavimus, talis non eſt ad omnes, neque illam amplecti omnibus expedit.

At, inquies, quid ſi aliquis a Deo vocetur ad ſtatum Religioſum, vocetur clare, vocetur diu; ut addubitare non poſſit, quin Deus ſit, qui vocat; &, quod conſequens eſt, quin id ſibi maxime expediat; neque tamen Deo ita vocanti conſentiat, & obſequatur?

Reſpondeo, ſi hoc ille non faciat, ſive divinæ vocationis contemptu, ſive quod Perfectioni omni penitus renuntiet, ſi ſperet, ſe Dei præceptis in eo etiam, quod retinet, vitæ genere obedientem futurum, idque conſtitutum, & fixum

animo

Digitized by Google

animo habeat, licet ab omni culpa excuſari non poſſit, gravis tamen peccati non eſſe ſtatim damnandum. Nam vitæ ratio, quam ſequitur, non eſt per ſe mala; neque is præcepto repugnat, ſed conſilio; paratus etiam conſilium ſequi, ac bona temporalia abdicare, ſi id ſibi non ſolum expedire, ſed propter proximum peccandi periculum, quod ipſi afferant, vel alia cauſa, & circumſtantia, etiam neceſſarium exiſtimet. Legantur Toletus Sum. cap. 2. n. 6. Suarez de Relig. par. 2. tom. 3. lib. 4. cap. 3. n. 7. & lib. 5. cap. 11. n. 4. Leſſius in diſput. de ſtatu vitæ deligen. num. 44. & 94. S. Franciſcus Saleſius lib. 8. de Amore Dei cap. 8. A Ponte in Duce ſpirit. tract. 4. cap. 10. §. 2. &c.

Confiteor tamen eſſe practice non parum difficile, Deo in re tali, & eo ſingulari modo vocanti diſſentire, & reſiſtere ſine gravi erga ipſum irreverentia: & multo eſſe difficilius, poſſe hominem illum, quantum neceſſe eſſet, bene ſperare, & ſibi polliceri de illa vitæ ratione, quam ſequitur, Deo tam clare, & tam, ut ita dicam, enixe diſſuadente, & alio ipſum vocante. Animadvertendum denique, eſſe multa conſilia, quæ ex circumſtantiis aſſumunt vim, & naturam præcepti; non ſolum quoquomodo, ſed etiam graviter obligant.

Legendi præcipue de prima Propoſitionis parte Rusbrochius de ſeptem Amoris grad. cap. 9. & de ornatu ſpiritual. Nuptiar. lib. 3. cap. 4. Thaulerus ſerm. 2. in Fer. Paſchal. & ſerm. 2 in Feſto SS. Trinitatis. S. Laurentius Juſtin. lib. 14. de Ligno vitæ cap. 10. Bloſius Inſtit. ſpirit. cap. 12. §. 4. n. 2. & 3. S. Joannes a Cruce de Flamma viva §. 2. & 3. S. Thomas a Villa nova in Serm. de dedicat. Eccleſ. Ludov. A Ponte in Cant. lib. 8. Exhort. 30. §. 4. & lib. 9. Exhort. 3. §. 3. &c.

De ſecunda Contelorus de Canoniz. Sanct. cap. 14. Scacchus de notis, & ſignis ſanctit. ſect. 1. cap. 2. Lezana Theolog. tom. 3. tit. 4. diſt. 4. q. 11. De Matta de Canoniz. SS. p. 1. cap. 1. p. 2. cap. 15. & p. 4. cap. 6. Card. Lauræa tom. 2. in 3. ſent. diſt. 32. a. 3. 4. 5. &c. Lapius Opuſc. de Heroicitate &c.

De tertia Suarez par. 2. de Relig. tom. 3. lib. 1. cap. 4. n. 10. & lib. 5. cap. 4. n. 19. Alvarez de Paz tom. 1. de vita ſpirit. lib. 3. cap. 2. Alphonſus Rodericius Exercit. Perfect. p. 1. trac. 1. cap. 2. Lancicius Opuſc. ſpirit. 3. & 16. Bucellenus Aſcet. conſiderat. tom. 3. cap. 14. Sangiure Exercit. vitæ Chriſt. par. 1. cap. 18. & par. 2. cap. 1. Le Gaudier de natura, & ſtatibus Perf. p. 1. cap. 4. n. 4. & p. 4. cap. 1. n. 16. & 17. &c.

De quarta Bellarminus de Gemitu Columbæ lib. 2. cap. 7. Alvarez de Paz tom. 1. de vita ſpirit. lib. 3. cap. 3. §. *Vis audire &c.* Plati de Bono ſtatus Religioſi lib. 1. cap. 12. Marchantius in Tribunali ſacrament. tom. 3. tract. 2. tit. 1. Card. Bona de principiis vitæ Chriſt. par. 1. cap. 6. Elizalde de recta doctrina morum par. 3. lib. 8. q. 13. a §. 3. Rogacci Exercit. Spirit. die 6. Medit. 3.

PROPOSITIO III.

Ad Sanctitatem dijudicandam quod attinet, tenenda ſunt hæc. Primum, canonizandi, ſive Eccleſiæ faſtis ſolemniter adſcribendi homines ſanctos, conſilium eſſe ſapientiſſimum; ritum autem, & modum omni ex parte probandum. Secundum, hoc facere non poſſe, niſi Romanum Pontificem, ſive una cum Concilio, ſive extra Concilium. Tertium, in hoc judicio Pontificem ex Cathedra loqui; errare, ſeu falli, aut fallere omnino non poſſe. Quartum, de illis, de quibus

fit

Digitized by Google

ſit hoc judicium, hæc eſſe credenda, & habenda de Fide, ſi minus reflexe, ut ajunt, at ſaltem directè: præſentem ſcilicet ipſorum gloriam, ſeu beatitudinem; verum illorum martyrium, ſi agatur de martyribus; aut veram ſanctitatem, & uſque in finem perſeverantiam, ſi illi, de quibus agitur, non ſint martyres; & tandem quod digni ſint cultu Duliæ, ſive iis bonoribus, qui ipſis decernuntur.

I. PRobatur prima pars propoſitionis ab iis, quibus credibile eſt Eccleſiam adductam fuiſſe, ut id facere inſtitueret; quæ Bellarminus tom. 2. Controv. 4. de Eccleſ. Triumph. lib. 1. cap. 7. quinque enumerat. Primum, quod Deus ipſe aliquid ſimile fecit, ac voce & oraculo ſuo plures virtute, ac meritis inſignes viros inter Sanctos quodammodo retulit: ut in Eccleſiaſtico a cap. xliv. & in toto ferme eo Libro, qui *Actus*, ſive *Acta Apoſtolorum* inſcribitur.

Secundum, quia hoc ſatis clare Eccleſiæ faciendum præſcripſit: & cum ſit quaſi naturale præmium virtutis honor, hunc Sanctis voluit etiam apud mortales haberi maximum. Sic enim Eccli. xliv. 15. *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Eccleſia.*

Tertium, ut ſint Fidelibus incitamento, & exemplo ad veram ſanctitatem acquirendam: nimirum ex illo Pauli Apoſtoli ad Hebr. xiii. 7. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.*

Quartum, ut ſit debita conjunctio, communicatio inter Eccleſias triumphantem, ac militantem, illinc quidem patrocinii, ac defenſionis, hinc vero precum, laudum, & gratiarum actionum, & aliæ ſimiles utrinque partem, ſibi invicem reſpondentes.

Quintum, ne errent Fideles in re maxime ſalutari, & neceſſaria, qualis eſt cultus, & invocatio Sanctorum.

Addi poteſt, ac debet & ſexta cauſa graviſſima, atque juſtiſſima, quæ expreſſa eſt in formula ipſa Canonizationis: *Ad honorem ſanctæ, & individuæ Trinitatis; ad exaltationem Fidei catholicæ &c.* ſic nempe veram Chriſti Eccleſiam magis, magiſque illuſtrari, & diſtingui. Nam quæ duo ſunt veræ Eccleſiæ ſigna, ſeu notæ præcipuæ, Sanctitas, & Miracula, hæ ambæ in Canonizatione Sanctorum maxime elucent, atque explendeſcunt.

II. Ritus autem dividi poteſt in proximum, & remotum. In ritu proximo, ſive in illis cæremoniis, quæ in ipſa hujus rei functione uſurpantur, ſi externam earum ſpeciem intuemur, nihil eſt, quod ad ſplendorem, & dignitatem deſiderari poſſit. Si vero in arcanam earundem ſignificationem intendimus animum, nihil magis religioſum, & ſanctum, nihil ad rem ipſam, quæ agitur, magis aptum, atque conveniens potuit cogitari. Illas erudite, & accurate declarant Joannes Baptiſta Mari in diatriba de Oblationib. Juſtinianus Chiapponius in differt. de Oblation. Myſter. Joannes Baptiſta Memmius Rit. ſac. a cap. 7.

Nec minus probanda, quæ pertinent ad ritum remotum; qualia ſunt omnia acta prævia, in primis vero forma illa judicii, quam exactiſſimam, ac ſeveriſſimam ſemper quidem Eccleſia ſervavit; nunc vero etiam magis, poſt inſtitutam a Sixto V. ſacrorum Rituum Congregationem, & alia ab aliis Summis Pontificibus, ac præſertim ab Urbano VIII. decreta. De quibus Contelorius a cap. 22. De Matta par. 5. cap. 1. Memmius cap. 6. Luculentiſſime vero Card. Lambertinus tom. 1. lib. 1. a cap. 16. & tom. 2. lib. 2. a cap. 8.

III. Probatur ſecunda pars Propoſitionis, quæ exponitur per hæc duo: & quod

quod Pontifex id poſſit, & quod non poſſint alii: Quod Pontifex id poſſit, & quidem etiam ſine Concilio, probatur hoc enthymemate. Pontifex ſine Concilio poteſt ſupremo, ac prorſus irreformabili, ut ajunt, infallibilique judicio definire, & ſancire de rebus Fidei, ac morum ſeu diſciplinæ. Poteſt igitur etiam Sanctos canonizare. Hæc concluſio plana eſt, & clara. Nam quod hic, & ille Sanctus ſit vere talis, ſitque colendus & invocandus pertinet ad rectam Eccleſiæ gubernationem, ipſiuſque integritatem, & ſanctitatem. Et quamvis ſanctitas; & Gloria Servi Dei, quæ ut videbimus, in Canonizatione definitur, ſit aliquod factum; eſt tamen factum dogmaticum, factum connexum cum Jure non minus, quam alia plura facta, quæ ab Eccleſia ſunt definita, ac definiri potuiſſe adverſarii concedunt. Connectitur enim cum hoc articulo, ſeu dogmate catholico, quod Sancti ſint colendi, & invocandi. Hic enim articulus, ſive dogma uſum, & praxim ſtabilitati, & unitati Eccleſiæ convenientem non poſſet habere, niſi ſcires, qui ſint vere Sancti, colendi, & invocandi; & ſcires id certo, & ſcires id publice, atque communiter; nimirum ex credendorum, & agendorum regula viva, quæ eſt Summus Pontifex, & Eccleſia, *columna, & firmamentum veritatis*. (1.Tim.III.15.) Jam vero enthymematis antecedens his evincitur. Primum, quia in S. Scriptura, ut Matth. XVI. 18. & 19. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Luc. XXII. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c.* & aliis in locis firmitas Fidei Petro, & ſucceſſoribus abſolute promittitur; nec ſolum ut Pontifex non dependeat ex Concilio, ſed Concilium dependeat ex Pontifice: additur enim, *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Deinde, quia idem conſtat ex decretis multorum Conciliorum, ex ſanctionibus Canonicis antiquiſſimis, ex SS. Patrum teſtimoniis quamplurimis. Quæ videre eſt apud Bellarminum lib. 1. & 2.de Rom. Pontifice. Tertio, quia hæc fuit conſtans, & ab ipſis Eccleſiæ primordiis ad noſtra uſque tempora deducta praxis, qua Sancti PP. & alii Eccleſiarum antiſtites controverſias de rebus Fidei ortas ad Sedem Apoſtolicam deferebant, & in ejus ſententia, ac reſponſis, tanquam divinis oraculis acquieſcebant. Quarto, quia ex eadem praxi conſtat, ipſa Concilia, eorumque decreta firmitatem non habere, niſi ab eadem Apoſtolica Sede convocata, confirmataque ſint. Quinto demum, quia id ipſum evincit ratio. Male enim conſtituta foret Eccleſia, ſi ſuprema hæc auctoritas in Pontifice non eſſet. Siquidem controverſiarum Judicem, qui fallere, aut falli nequeat, & cui propterea poſſit omnino fidere, vel difficillime, & rariſſime, cum Generalia Concilia difficillime, & rariſſime congregentur; vel nunquam haberet, quoniam de ipſis Conciliis an ſint legitime congregata dubitare poſſet.

Hæc argumenta docte, atque erudite poſt Bellarminum & Suarez tractarunt multi. Ut autem mihi videtur nulli melius, quam Card. de Aguirre in libro de Auctor. infallib. & ſumma Cathedræ S. Petri, Thyrſus Gonzalez in Manuduct. adverſus Maumeth. par. 1. lib. 3.cap.6.§.11. Franciſcus Leytam in toto eo libro, cui titulus, *Pontificiæ dignitatis clypeus*, Joannes Baptiſta Ricciolius in toto pariter tractatu, qui inſcribitur Immunitas ab errore tam ſpeculativo, quam practico definitionum Sedis Apoſtolicæ, Card. Lauræa par. 1. de Fide diſput. 2. Chriſtophorus Raſsler de externa Fidei Regula art. 16. 17. 18. Matthæus Petitdidier in toto Tractatu de auctoritate Summi Pontificis. Qui, & maxime Thyrſus graviſſimorum Auctorum teſtimoniis, atque inter hos Andreæ Duvalii Doctoris Sorbonici, Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, & aliorum plurium Gallorum pariter Scriptorum, illud etiam oſtendunt, hanc ſententiam ab omnibus nationibus, omnibus religioſis Familiis, omnibus ſtudiorum Univerſitatibus, ipſaque etiam Sorbona, ſaltem majore ſui parte defendi. Opinionem autem contrariam ad earum propoſitionem, ſeu ſententiarum claſſem pertinere, ait Duvalius, quæ *præciſe tolerantur*. Toletus vero, Bellarminus, Suarez, Valentia, aliique viri doctiſſimi gravibus etiam cen-

cenſuris eam notant, & *erroneam*, *hæreſi proximam*, atque aliqui etiam *hæreticam vocant*.

IV. Hæc, ut poſſit id facere Pontifex etiam ſine Concilio: nunc, ut non poſſint id facere alii; quod ſic oſtenditur. Vel enim id poſſent facere auctoritate propria, vel delegatione Pontificis. Non auctoritate propria, ſiquidem, ut quarto, & quinto loco videbimus, Canonizatio proprie talis, ut a ſimplici Beatificatione diſtinguitur, eſt quædam deciſio dogmatica, ſive de Fide; eſt ſpecialiſſimo modo in eo genere cauſarum quæ dicuntur, *majores;* eſt ſupremum judicium, ac definitiva ſententia, quæ ultimo datur, ac rem totam abſolvit, ac terminat; eſt directa ad totam Eccleſiam, eamque totam obligat, & adſtringit. Hæc autem excedunt poteſtatem cujuslibet particularis Epiſcopi, & illorum, qui Epiſcopi nomine comprehenduntur, uti ſunt Archiepiſcopi, Metropolitani, Primates, Patriarchæ; ac cæterorum omnium, excepto Generali Concilio, quod tamen legitime congregatum, celebratumque ſit, & a Pontifice confirmatum.

Sed neque poſſunt id facere, tanquam delegati a Pontifice: quia certitudo, infallibilitas, & omnino validitas, quę ad talem actum requiritur, eſt adnexa Pontifici, neque in alium transferri, aut cum alio communicari poteſt. Probatur tum a poſteriori, quia, ut optime notat Contelorus cap. 6. perpetua Eccleſię conſuetudine receptum eſt, ut, etſi multa ad Canonizationem pręvia, ut vitę inquiſitio, examinatio teſtium, & ſimilia committantur aliis, ſolus tamen Pontifex ipſe per ſe, Sanctum, & Fidelibus rite colendum, & invocandum, pronuntiet. Neque ab ipſis Eccleſię primordiis, ad id uſque temporis, auditum eſt unquam, vel Nuntium Apoſtolicum cum poteſtate Legati de Latere, vel ipſum de Latere Legatum, vel alium quempiam huic ſententiæ ferendæ, in locum, & vicem ſuam fuiſſe a Pontifice ſubſtitutum.

Tum etiam, & multo quidem magis a priori. Quia certitudo, infallibilitas, & quaſi validitas hujus actus eſt ex ſpeciali aſſiſtentia, quam vocant, Spiritus Sancti, quæ promiſſa eſt Petro, & ipſius ſucceſſoribus. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua &c.* Non ſic autem rogavit pro aliis: neque eſt in manu Pontificis Spiritum Sanctum allegare, ut ita dicam, & mittere ad alium, ut illi, pro ſe, ſeu loco ſui ſpecialiter adſit.

Accedunt aliæ hujus rei confirmationes ex ipſis humanis legibus deſumptæ. Nam jura, quæ dicuntur mere perſonalia, perſonam, ut pariter dicitur, non egrediuntur, neque cum aliis communicari poſſunt. Sic cap. 7. de R. I. in 6. L. 196. ff. ibidem text. in Inſt. lib. 2. tit. 5. de *uſu*, & *habit*. §. 1. cum text. in L. 8. in ingreſſu ff. ibidem Tiraquel. de retr. conſang. §. 26. gloſſ. 7. n. 7. & ſeq. Lenz de nom. & act. ceſſ. cap. 20. n. 6. & ſeq. Sed jus definiendi, ſeu decidendi, & ſanciendi de Fide, propter ſuam excellentiam, & divinitus ei alligatam Spiritus Sancti aſſiſtentiam, quia principalis, & ſummus eſt Pontificiæ poteſtatis actus, qui ex ſua natura ſoli Deo competit, & ſine dono prorſus ſupernaturali, & gratuito homini dari non potuiſſet; eſt aliquid maxime perſonale: nequit igitur alteri committi.

Item, ſi viſum eſt inconveniens, ut Vicarius humanus, qualis eſt Vicarius Epiſcopi, alium ſibi Vicarium ſubſtituat, multo inconvenientius erit, ut Vicarius Chriſti hoc agat, maxime in actu principali ſuæ, vel potius divinæ poteſtatis. Sed primum viſum eſſe inconveniens, probat textus in cap. *Clericos*. 4. X. *de offic. Vicar.* Quod ex Car. in Clem. 2. in 2. q. de *reſcript.* & in Vicario Papæ locum habet. Idque teſtantur etiam Robert. Maranta in ſpecul. aur. p. 4. de Jud. n. 22. cum Baldo in L. *aliquando* 5. ff. *de offic. Proc.* & Felin in L. 9. *Perpetuus*. Idem igitur multo magis dicendum de ſecundo, atque ex ſua natura inconveniens reputandum, ut Chriſti Vicarius in actu principali officii ſui, quando nomine, & loco Dei de Fide decidit, poteſtatem, ac vices ſuas alteri demandet.

Idem confirmatur tertio ex iiſdem fontibus. Nam illa, quæ ſunt, & dicuntur

de

Digitized by Google

de electa perſona induſtria, ex ſua natura committi alteri nequeunt: ut declarant Joan. Andr. in cap. fin. *de offic. deleg.* in verbo *injungitur*. Joan. Mil. in verbo *Mandatum an tranſeat*. Panormit. in cap. fin. *de dolo. & contum.* Bald. in cap. *Si pro debilitate*. 3. col. 3. *de offic. delegati*. Immola, & Abbas in cit. cap. fin. ibid. Alexand. in L. *a Judice*. 5. Cod. de Jud. Robert. Maranta cit. loc. n. 27. Sed poteſtas definiendi de Fide, cum ſit actus proprius Dei, vel maxime *de electa perſona induſtria* ſolius Chriſti Vicarii eſt, qui nempe, & non alius Deum repræſentat: hæc igitur poteſtas ex ſua natura alteri committi, ſeu delegari non poteſt.

V. Probatur tertia pars Propoſitionis. Quod Pontifex in Canonizatione Sanctorum non poſſit errare, ſeu falli, aut fallere, ſi in eo judicio ex Cathedra loquitur, quinque ſuperioribus argumentis facile conficitur. Nam ſi quando ejus judicium eſt infallibile etiam extra Concilium, tunc certe eſt, quando ex Cathedra judicat. Accedit, quod Pontifex pronuncians ex Cathedra, ut mox videbimus, totam Eccleſiam informat, eamque ita obligat, ut aſſentire omnino debeat. Quare ſi erraret Pontifex, erraret etiam Eccleſia; quod quidem dici non poteſt.

Quod autem in Canonizatione Sanctorum loquatur ex Cathedra, clare, & per ſe ſtatim apparet ex formula, qua ſummus Pontifex in Canonizatione ſententiam pronuntiat. Sic enim, præmiſſis iis omnibus, quæ in Cæremoniali Leoni X. inſcripto exponit Chriſtophorus Marcellus lib. 1. ſect. 6. cap. 2. Pontifex loquitur. *Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis; ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra: matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, B. N. N. Sanctos eſſe decernimus, & definimus, ac Sanctorum catalogo aſcribimus. Statuentes ab Eccleſia univerſali illorum memoriam quolibet anno, die eorum natali, nempe &c. pia devotione recoli debere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* His verbis, & ſi placet id quoque addere, his circumſtantiis, utique Pontifex loquitur tanquam Eccleſiæ caput, & Magiſter; nec ſolum magiſter Fidei, ac rerum credendarum, ſed etiam ut magiſter morum, ac diſciplinæ, ſeu rerum agendarum. Loquitur ex tota auctoritate, ac poteſtate ſua: ac demum ſic loquitur, ut, ſi unquam ex Cathedra loquitur, profecto ex Cathedra hic etiam loquatur.

VI. Idem probatur aliquanto diſtinctius; quanquam eruditionis cauſa potius, quam quod ita neceſſe ſit. Ut Pontifex vere, ac proprie dicatur ex Cathedra loqui, requiruntur hæc duo; & quod loquatur ad totam Eccleſiam, & quod eam obligare velit; & ita quidem, ut, ſi loquitur aliquid docendo, velit doctrinam illam eo loco haberi, quo alia catholica dogmata, ſive alias Eccleſiæ definitiones: ſi vero loquitur aliquid præſcribendo, velit præſcriptionem, ſanctionemque illam haberi eo loco, quo alias Eccleſiæ leges, & præcepta. Uno verbo; ut Eccleſiam obligare velit tota, ideſt ſuprema auctoritate ſua. Hæc duo, expenſis meliorum Auctorum ſententiis, mihi videntur poſſe conſtitui. Atque eadem fere, licet paulo aliter tradit Raſsler in libro ſupra laudato de externa Fidei regula art. 16. Dici etiam poſſet, tunc Pontificem ex Cathedra loqui, quando loquitur ad totam Eccleſiam, & loquitur ferens ultimam, ac definitivam ſententiam. Sed hæc re ipſa, & ſubſtantia non differunt a duobus proxime dictis, & fortaſſe non ſunt ita clara.

Sunt tamen alii, qui Melchiorem Canum ſequuti de Locis Theolog. lib. 5. cap 5. q. 3. præter hæc duo, quæ dixi, illud tertium requirant, nempe quod Pontifex non faciat id temere, aut parum conſiderate; ſed re prius diligenter excuſſa, ac bene perſpecta, deque virorum ſapientum, & maxime purpuratorum Patrum conſilio; non vero uno, vel altero dumtaxat auditis, & illis interdum, qui minus audiendi eſſent. Sci-

Digitized by Google

licet Spiritum veritatis adeſſe Pontifici, ſpeciali quidem, ſed humano modo: hoc eſt, Pontifici agenti ex ratione, & conſilio; agenti, ſicut homines agere ſolent, ac debent in negotiis graviſſimis, in quibus vertitur regni, aut reipublicæ ſalus. Quo etiam pertinere arbitrantur, ut Pontifex loquatur, tanquam organum Spiritus Sancti, ac prorſus ex Deo: nulla vel propria, vel aliena cupiditate, aut perturbatione incitatus; nullis privatis rationibus, nullo veteri præjudicio, nullo partium ſtudio, aut alio ſimili inſtinctu, actuque permotus. Verba ipſa Melchioris Cani ſunt hæc: *Sedis Apoſtolicæ judicia intelligi, non quæ occulte, malitioſe, inconſulte per ſolum Romanum Epiſcopum, aut etiam cum paucis ſibi faventibus proferuntur: ſed quæ ab eo ex conſilio plurimorum virorum ſapientum, plene prius re examinata, prodeunt*. Tum illud etiam ſubjungit, *commune eſſe omnibus Eccleſiæ judicibus, etiam Conciliis, ut, ſi decreta ediderint temeritate quadam, ſive judicio repentino, quaſi vento incitati, nihil omnino conficiant, quod ſolidum, quod grave, quod certum habeatur*. Hæc ille, & alia plura in eamdem ſententiam; quæ quidem magnam habent probabilitatis ſpeciem, ac ſecundum rectam rationem dici videntur; re tamen vera omnem Eccleſiæ auctoritatem vel infringunt, vel eludunt. Vim omnem ac fidem detrahunt non modo Pontificum, verum etiam Conciliorum decretis. Quibus facile objicere poſſent Heterodoxi, non ſatis curæ, ac ſtudii impenſum fuiſſe in rerum examine, & horum ſimilia. Quare hoc tertium puto non eſſe admittendum. Fateor equidem, ſummum Pontificem graviter per ſe peccaturum, ſi re non bene examinata, aut deliberata, ac poteſtate, & auctoritate ſua ſuprema leviter utens, præcipitanter aliquid de Fide ſtatueret: ſic tamen, ut tunc *illicite* quidem, neutiquam vero *invalide* ageret. Res enim ardua, & negotium graviſſimum magnam quoque circumſpectionem, & curam requirunt. Quod tamen non obſtat, aut impedit, ne actus ab agendi poteſtatem habente exercitus in ſe ſit *validus*, & perfectus. Nam ſi falſa, aut injuſta, & noxia eſſet illa opinio, quam Pontifex mente concepiſſet; infinita ſua potentia, ac providentia faceret Deus, ne illam ex Cathedra enuntiaret. Sed vel efficax aliquod impedimentum apponeret, vel ita Pontificis animum immutaret, ut, quod factum legitur Numer. XXIII. & XXIV. *non malediceret, ſed benediceret:* hoc eſt, loco ſententiæ falſæ, vel injuſtæ, & noxiæ, veram, juſtam, ſalutaremque pronuntiaret.

Quod ſi placet hoc tertium quoque admittere, illud ſaltem ita temperandum eſſe judico, & quidem ad mentem ipſius Cani, ut quando Pontifex loquitur ad totam Eccleſiam, & quam diximus obligationem, vult in eam inducere, ſemper exiſtimandum ſit, in rei cognitione tantum diligentiæ adhibitum, quantum neceſſe fuit, niſi contrarium certo conſtet. Atque illud ſaltem tenendum, Spiritum Sanctum ſic adeſſe Pontifici, ut vel nunquam permiſſurus ſit, cum in his judiciis inconſulte, ac temere agere; vel ſit proviſurus, ne illa temeritas in errorem, ac vitium trahat Eccleſiam; ſive quod nota, & manifeſta ſit omnibus; ſive quod res ipſa, quantumvis temere acta, ſit vera; &, ſi eſt aliquid quod faciendum præſcribitur, ſit juſtum, ſit conveniens, ſit ſalutare.

Cæterum etiamſi hoc tertium ſine ulla moderatione, ac diſtinctione admittatur, aſſertioni tamen noſtræ non officit. Siquidem adeo in re præſenti non deeſt hoc tertium, ut in ea ipſa formula, quam nuper attulimus, teſtetur expreſſe Pontifex *& maturam deliberationem præhabitam, & divinam opem ſæpius imploratam, & venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. in conſilium adhibitos*. Quod autem non deſint & alia duo, apparet tum ex aliis ejuſdem formulæ verbis *decernendi, definiendi, Eccleſiæ univerſalis &c.* tum ex Bullis Canonizationum, quæ ſententiam hanc ſubſequuntur, & ex aliis de quibus mox dicturi ſumus.

VII. Probatur quarta pars Propoſitionis. Duo hic demonſtranda ſuſcepimus, & quæ ſint credenda de illis, quos Pontifex Sanctos pronunciat ex Cathedra,

& qua

& quæ fide credenda ſint. Quod ea ſint credenda, quæ ſunt in aſſertione poſita, ipſa Pontificiæ ſententiæ verba ſatis oſtendunt: ea quippe omnia proprie intelliguntur de illis, qui ibi vocantur Sancti, & in Sanctorum catalogo ſcripti dicuntur, quos veneratur, & quorum patrocinium, atque opem implorat Eccleſia.

Accedunt Bullæ, Conſtitutiones, ac Literæ Apoſtolicæ, quæ poſt Canonizationem dantur a Pontifice ad univerſam Eccleſiam. Hæ ſententiam hanc ipſam magis declarant; & illius, qui inter Sanctos relatus eſt, veram ſanctitatem a Gloria, ſeu Dei viſione, ac beatitudine diſtinctam: hoc eſt, ſanctitatem non ſolum Patriæ, ſed etiam viæ, aut verum martyrium atteſtantur etiam expreſſius, ac diſtinctius. Earum exempla tibi paſſim occurrent in Bullario. Affero ſpecimen aliquod ex Bulla Benedicti XIII. data an. 1729. die 19. Martii poſt Canonizationem S. Joannis Nepomuceni, & virtutibus, ſeu vitæ ſanctimonia, & martyria inſignis. Sic ergo ibi Pontifex. *Beatum Joannem Nepomucenum Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis in Regno Bohemiæ Presbyterum, & Canonicum, de cujus ſanctitate, & martyrio, & cauſa martyrii, & miraculis plene conſtabat, & conſtat, ſanctorum Martyrum canoni adſcribendum decrevimus, & definivimus, prout præſentium tenore decernimus, definimus, & adſcribimus; eundemque per omnes Chriſtifideles tanquam vere ſanctum, & Chriſti martyrem honorari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes, ut ab univerſa Eccleſia in ejus honorem ædes ſacræ, & altaria &c.* Ex quibus vides, ea omnia, quæ dixi, de illis eſſe credenda, quos Pontifex in Sanctorum numero habendos definit, ac præcipit. Tandem, ſi nihil aliud credendum foret, quam æterna ipſorum ſalus, & Gloria; quilibet puer, aut infans, qui poſt Baptiſmum ante uſum rationis decedat; quilibet etiam adultus, qui poſt Baptiſmum ſtatim moriatur, poſſet a Pontifice eodem ritu, & formula Sanctorum catalogo adſcribi; nec exigerentur virtutes heroicæ, nec tam diligenti trutina eſſent probandæ.

VIII. Quod vero eadem credenda ſint Fide divina, & maxime, illos una cum Chriſto regnare, ac frui Deo, quod in ea definitione fateor eſſe præcipuum, a multis ita probatur: quia nempe hæc eſt quædam concluſio, quæ ſequitur ex duabus præmiſſis propoſitionibus, quarum una eſt revelata; ut, *mundo corde Deum videbunt* (Matth. v. 8.) vel, *qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum* (VII. 21.) vel, *qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit* (x. 22.) & aliæ ſimiles, ut Matth. x. 32. XIX. 17. 29. Joan. XII. 26. &c. Altera vero eſt moraliter, & plus etiam, quam moraliter certa; quales ſunt hæ; *ſed hic fuit mundo corde*, ſed *hic fecit voluntatem Patris cæleſtis*, ſed *hic perſeveravit uſque in finem &c.* quæ ſunt certæ cum ex actis præviis ad canonizationem, tum etiam & multo maxime ex canonizatione ipſa, ſive ex ſententia definitiva Pontificis. Concluſionem vero, ſeu propoſitionem, quæ ex duabus iſtiuſmodi præmiſſis ſequitur, eſſe de Fide, probant multis rationibus, & exemplis; de quibus vide Dominicum Viva tom. 1. Theol. ſcholaſt. par. 4. de Fide q. 2. & 3.

Alii vero idem probant, quia hæc eſt quædam concluſio, quæ ſequitur ex duabus præmiſſis propoſitionibus, quæ quidem ambæ ſunt revelatæ; ſed una eſt revelata in S. Scriptura, ut, *mundo corde Deum videbunt*, & aliæ ſupra allatæ. Altera vero, ideſt, *hic fuit mundo corde &c.* eſt revelata Pontifici a ſpiritu ſancto, qui in canonizatione & ſimilibus aliis judiciis eum ſpecialiter movet, ac regit, & interiori quadam veluti voce ad ipſum loquitur. De quo revelationis genere, & argumento inde ſumpto conſule Joannem de Ulloa Theolog. Scholaſt. tom. 3. de Virtut. theolog. diſput. 4. cap. 8. §. 83. & cap. ult. a §. 90.

IX. Hæ duæ ſunt præcipuæ ſeu magis tritæ, ac celebratæ viæ tuendi hanc ſententiam, ac vobis indicandæ fuerunt: ego vero alia via ingredior, quam puto planiorem; ſeu potius rem aliter explico. Dico, illa eſſe de Fide, quia proprie, & immediate ſunt revelata, & quidem in S. Scriptura. Seu quia ſunt con-

concluſio, quæ ſequitur ex duabus præmiſſis propoſitionibus, quarum una eſt revelata, & totam in ſe, obſcure quidem, & implicite, ſed tamen vere, & proprie, ſive formaliter concluſionem continet. Altera vero, ſeu dicenda ſit revelata, ſeu talis dici non poſſit, eſt mera applicatio propoſitionis prius præmiſſæ ad inferendam concluſionem: ſive, eſt ejus prioris propoſitionis declaratio, & explicatio aliqua, & quidem certiſſima, in qua error, & falſitas ſubeſſe non poteſt. Ita ut revelatio ſit Dei ſolius; revelationis autem declaratio, ſeu propoſitio, &, ut ſic loquar, approximatio ſit Pontificis, Deo tamen illum ad hoc ipſum ſpecialiter movente, ac regente.

Ex quibus hoc argumento rem concludo. Omnia, vel multa, vel ſaltem aliqua, quæ in Eccleſia olim controverſa, vel in controverſiam vocata fuerunt, & nunc poſt definitionem alicujus Concilii Generalis ab omnibus Catholicis creduntur, & credenda ſunt Fide divina, quantum ad præſentem difficultatem ita ſe habent, ſicuti ſe habent illa, de quibus eſt hæc quarta pars noſtræ Propoſitionis. Nihil eſt igitur, cur hæc quoque credenda non ſint Fide divina. Probo antecedens. Nam tota hujus rei difficultas huc tandem revocatur, utrum de illis ſit aliqua Dei revelatio; & an de hac ipſa revelatione ſatis certo conſtet. Sic ergo diſſero. Controverſia olim fuit, utrum in Chriſto admittendæ ſint duæ voluntates, & duæ operationes, an vero una tantum. Eccleſia in ſexta ſynodo, quæ fuit Concilium C. P. III. auctoritate Agathonis Papæ a Conſtantino Pogonato convocatum an. 680. re prius diligentiſſime expenſa, & cognita, ac Spiritu Sancto ei ſpecialiter aſſiſtente, pronunciavit eſſe duas. Quo ſimul interpretata eſt, ac declaravit, per hanc propoſitionem: *In Chriſto fuit non ſolum natura divina, ſed etiam natura humana perfecta, & integra*, quæ eſt utique propoſitio revelata, ſignificari, licet non expreſsè, & explicitè, duas etiam Chriſti voluntates, & operationes. Similiter controverſia fuit, utrum libri illi S. Scripturæ, qui nunc dicuntur Deuterocanonici, ſint vere divini. Eccleſia in Concilio præſertim Tridentino, poſt diligentiſſimum examen, ſpeciali pariter illuſtratione, & impulſu Spiritus ſancti, libros illos divinos eſſe pronunciavit, & *ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, pro ſacris & canonicis* habendos decrevit. (Trid. ſeſ. 4.) Qua definitione nobis ſimul expoſuit de his etiam libris, eorumque Scriptoribus propoſitiones illas revelatas 1. Tim. 3. 16. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum &c.* & 2. Petr. 1. 21. *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Sit etiam controverſia veluti quædam, ac quæſtio eſt in S. Rituum Congregatione propoſita, utrum hic, & ille ad numerum Sanctorum ſint adjungendi. Summus Pontifex, poſt longa, & accuratiſſima examina, inquiſitiones, conſultationes omnibus notas, arcano pariter, ac ſpeciali lumine, & inſtinctu divini ſpiritus ipſum movente, ac regente, *Sanctos eſſe decernit, & definit, ac ſanctorum catalogo adſcribit*. Quo nemo non videt eum ſimul declarare, propoſitionibus illis revelatis, *Omnes mundo corde Deum videbunt; Omnes, qui faciunt Dei voluntatem, intrabunt in regnum cælorum*, & ſimilibus contineri, comprehendi, ſignificari licet obſcure, & implicite etiam homines illos, de quibus ea fuit propoſita quæſtio: & quos utique ſingulos Chriſtus Dominus, cum eas propoſitiones pronunciavit, & Spiritus Sanctus, cum illos dictavit Evangeliſtæ, menti præſentiſſimos clare, & diſtincte habuerunt. Eſt igitur par, & ſimilis ratio de Sanctis, eorumque ſanctitate, & Gloria, ac de illis, quæ quondam controverſa, nunc poſt Generalium Conciliorum ſanctiones, ab omnibus Orthodoxis habentur de Fide, & ut talia creduntur.

Neque dixeris, hæc in verbo Dei, vel ſcripto, vel ſaltem tradito aliquanto clarius, aut minus obſcure, & abſcondite contineri. Eſto enim hoc verum ſit, præſertim de aliquibus; tamen ita erant in verbo Dei, ut neceſſe fuerit, hoc ab Eccleſia declarari. Neque hujus declarationis neceſſitas obeſt, quo minus vere, & proprie dici poſſint divinitus revelata, ac propter Dei teſtimonium

monium credi. Quod eſt credi Fide divina.

Neque iterum addas, has interpretationes, ac declarationes, tum ad duplicem Chriſti voluntatem, & operationem, tum ad certos divinæ Scripturæ libros, tum ad alia ſpectantes, fuiſſe Conciliorum Generalium, ipſiuſque adeo Eccleſiæ, ac proinde eſſe certiſſimas: nam idem ipſum oſtendimus de interpretationibus, ac declarationibus Summi Pontificis loquentis ex Cathedra; atque illi Doctores, cum quibus in hac quarta Propoſitionis parte diſputamus, tametſi negant eſſe de Fide, Canonizatum eſſe ſalvum, ac beatum, dicunt tamen eſſe certiſſimum, & auctoritatem Summi Pontificis erroris, & falſitatis omnis immunem nobiſcum & confitentur, & propugnant. Ita Dominicus Bannes in 2. 2. q. 1. a. 10. Joannes a S. Thoma 2.2. diſput. 9. a. 2. Antonius Corduba Quæſt. theol. lib. 4. q. 12. Franciſcus Suarez de Fide diſput. 5. ſect. 8. n. 8. & alii.

Denique illud addo, quod dixi de propoſitione hac univerſali, *Omnes mundo corde Deum videbunt*, dici pariter poſſe de hac alia univerſali, *Quicquid ad univerſam Eccleſiam pertinens definit Pontifex ex Cathedra loquens, veriſſimum, eſt*. Quam illi, contra quos hic diſputamus, revelatam fatentur, & pro certo habent. In ea vero implicite quidem, ſed formaliter venit quælibet definitio Pontificis, & locutio ex Cathedra.

X. Objicies contra primam Propoſitionis partem, conſilium canonizandi homines ſanctos deſumptum eſſe ex apotheoſi ethnicorum; immo etiam ritum proximum, parte ſaltem aliqua. Quod autem ſpectat ad ritum, quem diximus remotum, ſive ad modum, qui ſervatur in cauſis Sanctorum, multa eſſe, quæ Urbani VIII. decretis poſſint opponi; præſertim vero, quod importune videntur prohiberi pia hominum ſtudia erga homines ſanctos paulo ante vita functos, quæ longo annorum curſu refrigeratis animis, ac pene obliterata ipſorum memoria, vel nulla exiſtent, vel valde remiſſa. Deinde, quia illos, quorum ſanctitas approbata jam fuit *communi Eccleſiæ conſenſu* ſic excipit, ut tamen ad examen eorum virtutes, ſi Confeſſores, martyrium vero, & cauſam martyrii, ſi Martyres ſint, revocari velit. Quod quidem periculoſum, & Eccleſiæ ipſi injurioſum videtur.

Contra ſecundam Propoſitionis partem objicies ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, de qua videre poteris Martene tom. 4. cap. 30. multos olim canonizatos fuiſſe ab Epiſcopis. Quod ſi cum Bellarmino, quem in hac re ſequuti ſunt cæteri, qui de illa ſcripſerunt, diſtinguatur inter Canonizationem particularem, ſeu minus proprie talem, quæ vere nihil eſt aliud quam Beatificatio, & Canonizationem proprie, & abſolute talem; inſtabis, & dices, hanc ſecundam quoque tribuendam Epiſcopis. Qui enim vel propria auctoritate, vel tanquam delegatus Pontificis poteſt beatificare, eadem auctoritate, vel delegatione poteſt & canonizare. Quoniam *Beatificatio*, ut contendit multis Auguſtinus Mathæuccius quæſt. procemial. cap. unic. a n.7. *non differt eſſentialiter a Canonizatione*. Et ut alii tradunt apud Contelorum cap. 2. n. 4. *Beatificatio in effectu aliud non eſt, quam particularis quædam canonizatio, minori apparatu celebrata*.

Contra tertiam Propoſitionis partem objicere poteris ex quibuſdam Theologis recentioribus, viris cæteroqui doctiſſimis, ut Pontifex pronunciet ex Cathedra ſententia plane infallibili, non ſatis illa tria, quæ ſupra a nobis partim aſſerta, partim permiſſa ſunt; nempe, ut loquatur ad totam Eccleſiam; ut tota auctoritate ſua obbligare eam velit; ut loquatur, & ſtatuat de conſilio virorum ſapientum, & maxime Cardinalium. Non ſatis eſſe conſilium, adjungendum eſſe conſenſum. Opus eſſe præterea, ut aſſentientes habeat omnes, aut fere omnes Epiſcopos; quod acriter propugnat Honoratus Tournely: vel ſaltem ut aſſentientes habeat Cardinales; ut contendit Edmundus Simonnet. Nimirum hanc eſſe Apoſtolicam Sedem, Pontificem una cum Sacro Cardinalium Collegio. Pontificem ſolum, ſicuti poteſt in hæreſim labi, & errare in Fide; ſic etiam poſſe falli, & fallere in Canonizatione Sanctorum.

Con-

Digitized by Google

Contra quartam Propoſitionis partem. Si in illa argumentatione ea vis, & efficacitas foret, quam præfert, propoſitio; qua quis negaret, aliquem canonizatum, eſſe ſalvum, & beatum, eſſet hæretica. Hoc autem primo repugnat doctrinæ S. Thomæ, & ab aliis ſummis viris negatur. Deinde ſimili modo confici poſſet, hanc propoſitionem, *Chriſtus non eſt riſibilis*, eſſe proprie hæreticam, quoniam propoſitio contradicens, ideſt, *Chriſtus eſt riſibilis*, ſimiliter concluditur in hac propoſitione revelata, *Chriſtus eſt homo verus*. Quod repugnat doctrinæ communi. Cum propoſitionem illam, *Chriſtus non eſt riſibilis*, & alias oppoſitas concluſioni theologicæ afferant Doctores tanquam exemplum propoſitionis dumtaxat Erroneæ; nec dicant eſſe hæreſim pertinaciter illud negare, ſed eſſe, & vocari, Errorem in Fide.

XI. Ad primum nego Canonizationem Chriſtianorum ſumpſiſſe originem ex Apotheoſi Gentilium. Sunt hæ ſolitæ heterodoxorum artes, & calumniæ, quibus Eccleſiæ catholicæ inſtituta, & hoc quidem maxime, quo illa tanto opere aſſurgit, atque enitet, deprimere, & obſcurare conantur. Quod videre eſt apud Rodulphum Hoſpinianum Tract. de origin. &c. Feſtor. cap. 6. & Joan. Albertum Fabricium Bibliograph. antiq. cap. 8. n. 24. Refelluntur autem his duobus præcipue argumentis. Primum ſunt illa ſex, quæ ſupra expoſuimus, & maxime cultus, & invocatio Sanctorum, quæ hujus rei neceſſitatem attulerunt. Quale eſt enim, quod hoc referatur ad ethnicos, ejuſque cauſa & origo accerſatur, tam longe, cum præſto ſit, & maxime obvium intra Eccleſiam ipſam, unde hoc naſci non ſolum veriſimilius potuit, ſed prorſus neceſſe fuit. Alterum eſt ſumma inter Canonizationem, & Apotheoſim diſcrepantia; tum in cultu, & honoribus, qui decernebantur, tum in hominibus, ac meritis, quibus, & propter quæ decernebantur, tum in modo ipſo decernendi. Quæ omnia recte ponderant Memmius ſupra laudatus cap. 1. Card. Lambertinus lib. 1. cap. 1. Joannes Marangonius de rebus Gentilium ad noſtra ductis cap. 31.

At, inquiunt, eſt ſaltem hoc ſimile, quod in Canonizatione offeruntur columbæ, turtures, & aliæ aviculæ; in Apotheoſi vero, ut apud multos legitur, & expreſſum etiam videmus in Cæſarum nummis, ſi, qui conſecrabatur, vir erat, ut ipſe Imperator, ex illius rogo evolabat, aut alio modo in ejuſdem funere apparebat aquila; ſin vero erat mulier, pavo. Legatur Antonius Auguſtini de Antiq. Rom. dial. 4.

Reſpondeo, id vel non eſſe ſumptum aliunde, vel ſumptum eſſe ex ſimilibus quibuſdam oblationibus, indictis in veteri Lege. Spiritum Sanctum eo ſenſim Eccleſiam perduxiſſe, ut omnes Teſtamenti veteris figuras impleret. Legatur Bellarminus tom. 3. lib. 2. cap. 32. n. 12. & 13. Cæterum, fac, vel hoc, vel aliquid ſimile, quod rebus noſtris congruat, ad nos manaſſe & eſſe deductum ex ethnicis: emendatum eſt, expiatum, conſecratumque ab Eccleſia; & tam non eſt improbandum, quam Patres improbandum non cenſuerunt, quod aliqua Paganorum templa ſervarentur, ac vero Deo dedicato Chriſtianis ſacris addicerentur. De quo vide Auguſtinum epiſt. 47. ad Publicolam num. 3. Theodoretum Ser. 8. de Martyrib. Gregorium Magnum Regiſtr. lib. XI. Indict. 4. epiſt. 76. ad Mellitum. Legendus iterum Marangonius ſupra laudatus a cap. 43.

XII. Pro decretis Urbani VIII. illud primo generatim reſpondeo, de his, & ſimilibus æſtimandum eſſe, penſatis ac reputatis omnibus. Hoc eſt, opus eſſe inter ſe conferre, & contendere utilitates, & damna. Explorandum diligenter, utrum ex his duobus lancem deprimat. Nam ſi re aliqua interdicta, tantum reſpicias ad ea commoda, quæ haberet illius permiſſio, minus recte, & juſte interdicta tibi videbitur. Quis neget multum boni fore ſive in divinæ Scripturæ communiore uſu, ejuſque tranſlationibus in linguas vernaculas; ſive in antiquo Euchariſtiæ adminiſtrandæ, & impertiendæ ritu; ſive in ipſa etiam ſacra Communione ſub utraque ſpecie, & aliis ejuſdem modi? Ex quibus tamen quia plura, & graviora eſſent mala, ſeu damna, quæ ſequerentur, & commoda

præ-

Digitized by Google

præponderantur incommodis; ſapientiſſime fecit Eccleſia, quod de illis aliter ſtatuerit.

Ajo deinde prohiberi, & ſimul declarari ab Urbano ea, quæ ſunt externi, & publici cultus; quæ jam ante vetuerant alii ante ipſum Pontifices & Concilium Trid. ſeſſ. 25. vide Bellarmin. lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 10. Caſtellinum de cert. glor. Sanct. cap. 2. Breviſſime Matthæuccius quæſt. procem. n. 24. Dico præterea, quicquid ſanctis hominibus venerationis, & cultus, recenti adhuc ipſorum memoria, tollitur his Urbani decretis, abunde compenſari ex ſolemnitate, & difficultate ipſa Canonizationis. Nam quo certior eſt eorum ſanctitas, & miracula, & majori lumine, & auctoritate propoſita; eo majoribus ſtudiis, ac religione coluntur.

Quod autem additur in oppugnatione de illis, qui Eccleſiæ conſenſu, vel Apoſtolicæ Sedis conceſſu publicum, religioſumque cultum jam obtinuerant; id cum ex verbis ipſis Urbani, tum ex aliorum deinceps Pontificum ſanctionibus ita eſt intelligendum, ut novum illud examen, quod nobis objicitur, tunc ſolum habendum ſit, quando aliquem ex iis a cultu tantum permiſſo ad cultum præceptum provehi volumus. Quod quidem nulla ſit Eccleſiæ, aut Sedis Apoſtolicæ injuria; nullo, quæ approbata jam ſunt, reprobandi periculo. Siquidem permiſſiones illæ, conceſſiones, approbationeſque cultus non ſolum longe aberant, ut abſunt hodie quoque, ab ultima, ac definitiva ſententia; ſed etiam ejuſmodi erant, per quas Eccleſia, ac Sedes Apoſtolica nihil plus reciperet, quam quod de illorum Dei Servorum virtutibus, & miraculis, vel martyrio, & cauſa martyrii, communi, ac diuturna voce, & fama; vel alia valde gravi ratione conſtaret, quantum ſatis ad eum cultum interea permittendum, dum rebus juridica forma, ac ſeveriori judicio examinatis, ad ulteriora gradus fieret. Quod optime componitur cum his duobus, & quod examen iſtud recte, & juſte præſcribatur, & utcunque ceſſerit, ut nihil falſi, & abſurdi ab Eccleſia, aut Sede Apoſtolica receptum videatur. Conſule Card. Lambertinum, qui de his ex inſtituto, & locupletiſſime differit tom. 1. lib. 1. cap. 32. & iterum tom. 2. lib. 2. a cap. undecimo.

XIII. Ad ſecundum reſpondeo, doctrinæ, qua Bellarminus, & alii, quorum nomina, & ſcripta ſuo loco adnotabimus, partem hanc oppugnationis refellunt, hanc eſſe ſummam. Epiſcopos olim Cultum decernentes erga Martyres, aut Confeſſores in ſua diœceſi, eos non canonizaſſe, ſed beatificaſſe tantum. A Beatificatione ad Canonizationem factum non eſſe tranſitum, nec fieri potuiſſe, niſi accedente conſenſu, immo & definitione vel expreſſa, vel ſaltem tacita, ſive implicita Summi Pontificis, aut Eccleſiæ.

Jure illo uſos Epiſcopos uſque ad tempora Alexandri III. ut apparet, atque extat lib. 3. Decret. tit. 45. de Reliq. & Ven. SS. cap. 1. & 2. ſos autem jure illo ſalva ſemper; & integra auctoritate Summi Pontificis non ſolum canonizandi, ſed etiam beatificandi. At vero a tempore Alexandri III. uſque in præſens a ſolis Romanis Pontificibus Dei Servos inter Beatos relatos fuiſſe. Inter Sanctos autem ſolemni ritu multo ante ab iiſdem Pontificibus referri cœpiſſe. Quanquam Canonizationis forma ſtabilis, & fixa non fuerit, niſi a tempore Leonis X.

Quod autem inſtant, Beatificationem a Canonizatione non differre eſſentialiter; ut propterea qui poteſt primum, & alterum poſſit. Id vero prorſus negandum. Nam Canonizatio, eſt ultimum judicium, ſeu definitiva ſententia de ſanctitate, de Gloria, de cultu illius hominis, qui Chriſtianis Faſtis adſcribitur. Quod dici non poteſt de Beatificatione. Atque hæc eſt vera, & primaria differentia. Cæteræ, quæ vulgo afferuntur, vel non ſunt univerſaliter veræ, aut certæ, vel ex hac, tanquam ex radice, aut fonte prodeunt. Nam quod aliqui ajunt, eo differre Beatum a Sancto, quod illius cultus circumſcriptus ſit certo aliquo ac definito loco, aut hominum genere, non eſt uſquequaque verum; cum ex natura rei nihil ſit repugnans, in ea extenſione, ſive amplitudine cultus; nec ſit abſurdum coli ab omnibus, qui ab aliquibus colitur; immo

Digitized by Google

Sixtus IV. B. Joan. Bonum, & Clemens X. B. Roſam Limanam in univerſa Eccleſia ab omnibus coli permiſerint, & probarint. Quod vero dicunt alii communius, in eo eſſe diſcrimen, quod in Beatificatione conceditur cultus, in Canonizatione autem præcipitur; ne hoc quidem eſt ſemper, & omnino verum; cum pariter nihil abſurdi habeat præſcriptio illa cultus, modo ſervetur ordo, & reſpectus ad Canonizationem, tanquam ad ulteriorem, & ultimum actum. Ac re ipſa Innocentius III. B. Guilelmi Heremitæ, & iterum Clemens X. BB. Roſæ Limanæ, & Stanislai Koſchæ cultum imperaverint. Poſtremo quod ſentiunt alii, hoc intereſſe inter Beatum, & Sanctum, quod hunc æternam ſalutem, ac beatitudinem eſſe aſſecutum ſit de Fide; non ſit autem de Fide hæc aſſecutum eſſe illum: differentia eſt vera quidem, ſed ut vidimus, eſt admodum controverſa. Et cum hæc, tum reliquæ duæ proxime notatæ, quatenus veræ ſunt, ſequuntur ex prima illa, quam initio poſuimus; quæ ſola non tantum vera, ſed & certa eſt, ac Sanctum, ſeu Canonizatum ab omni, qui talis non ſit, primo, ſtabiliter, univerſaliterque diſtinguit.

Si enim ſummus Pontifex, ut vult Matthæuccius, etiam in Beatificatione ſententiam proferret definitivam, & quoad eſſentiam, ſive ſubſtantiam, ſupremam quoque, & ultimam; injurioſum eſſet Fidei, vel ſi res Fidei non eſt, injurioſum eſſet Pontificiæ auctoritati, nova poſt Beatificationem examina inſtitui.

Nec refert, quo inſtat Matthæuccius, non examinari amplius virtutes. Nam nova exiguntur miracula, ac quæſtio de illis diligentiſſima, ac ſeveriſſima habetur. Quæ nova inquiſitio, ac perveſtigatio veri profecto non fieret, ſi id eſſet omnino exploratum, & a ſummo Pontifice ex Cathedra definitum.

Quanquam cum Beatificatio præſertim qualis habetur a tempore Alex. III. ſit proxima diſpoſitio ad Canonizationem, & quædam quaſi inchoata definitio; fatemur, non poſſe ſine theologica temeritate negari, Beatum æternam ſalutem adeptum eſſe, & una cum Chriſto regnare. Quemadmodum ejuſdem temeritatis eſſe cenſemus affirmare, in Beatificatione poſſe errare Pontificem.

Quod ſi quæras, quæ ſit formula Beatificationis; reſpondeo, eam non eſſe uniuſmodi, fixam, & ſtabilem; nec a Pontifice pronunciari, ſed eſſe expreſſam in aliquo Brevi; ac fere ſemper hæc duo tantum ſignificare Pontificem: ſe titulum, ſive appellationem Beati concedere, & cultum: hunc vero reſtricte, definiteque, ut diximus. Ex qua ipſa formula ſententia adverſus Matthæuccium noſtra maxime confirmatur. Itaque ſpectatis, ac reputatis omnibus, hæc mihi videntur ita poſſe definiri: ut ſit Canonizatio, ultimum judicium quo verum martyrium, aut veram ſanctitatem hominis jam vita functi, præſentemque ipſius gloriam, ſeu beatitudinem Eccleſia definit; ac publicum ejuſdem cultum Fidelibus omnibus præcipit. Beatificatio vero ſit, judicium aliquod prævium, ac proxime ſpectans ad Canonizationem, quo verum martyrium, aut veram ſanctitatem hominis jam vita functi, præſentemque ipſius gloriam, ſeu beatitudinem Eccleſia ſignificat, collato ipſi Beati titulo, & publico aliquo cultu.

XIV. Urgebis adhuc. Multa ſunt definita ab Eccleſia in ultimis Conciliis, ac præſertim in Tridentino, quæ in Conciliis ſuperioribus definita jam fuerant. Definitiones igitur Eccleſiæ non ſemper eſſe ultimum actum, ſupremumque judicium: ac propterea dici etiam poſſe, definiri in Canonizatione magis expreſſe, & ſolemnitate, ac celebritate majori, illud idem, quod in Beatificatione definitum jam fuerat minus expreſſe, nec tam ſolemniter, tantoque apparatu.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, diſtinguendum primum conſequens. Definitio Eccleſiæ non ſemper eſt ultimum judicium, ſive ultimus actus, per ſe, & ex natura ſua; nego conſequentiam: per accidens, & ex nova circumſtantia, præſertim quæ rem aliquantum immutet; conc. conſeq. Ut enim notat Valentia tom. 3. Comment. theolog. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 40. cum a Pontifice Romano vel per ſe, vel una cum Concilio,

Digitized by Google

cilio, definitiones ejuſmodi quæſtionum Fidei inſtituuntur, quæ apud orthodoxos quidem ſunt alioqui exploratæ, & cum hæreticis tantum (ut fere fit) controverſæ, non idcirco inſtituuntur, ut quaſi de re adhuc dubia, & ancipiti diſceptetur; ſed ut in re alioqui certa, rurſus diligenter diſcuſsa, & contradicentium argumentis, & cavillationibus prorſus confutatis, atque depulſis, illuſtriori quadam auctoritate, & ſententia, veritas ipſa Fidei magis, magiſque commendetur Fidelibus, *per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum*. (Hebr. VI. 18.) & damnetur, ac profligetur hæreſis contraria, vel nondum penitus extincta, vel iterum excitata. Cum præſertim ſæpe contingat, iſta redintegrari cum novi alicujus erroris acceſſione; aut novæ rationis prætextu, & obtentu.

Ex quibus ſecunda concluſio, ſeu conſequutio eſt prorſus neganda: cum Beatificationis ratio ſit longe diſpar. Quippe quæ per ſe, & natura ſua reſpectum, atque ordinem habet ad Canonizationem. Dicunturque vulgo Beatificatio quidem *actus præcedens, & præparatorius*. Canonizatio autem *actus præparatus, & extremus*. Quæ quam vere dicantur, planum eſt, tum ex utriuſque forma; tum ex aliis, quæ ſupra notavimus, quæque plura per ſe quiſque ex iiſdem fontibus ducere poterit.

XV. Inſtabis tertio, Concilium eſſe ſupra Pontificem; ac proinde ſententiam, quam ſummus Pontifex dicit in Canonizatione, per ſe & ex natura ſua, nec irreformabilem, ut ajunt, nec ultimam eſſe.

Reſpondeo, id recte concludi; verumtamen ob id ipſum, quod ita recte concluditur, argumenta, quibus in ſecunda Propoſitionis parte oſtendimus, poſſe Pontificem, etiam ſine Concilio, definire, ac terminare controverſias Fidei, & morum infallibili, & irreformabili plane judicio; hoc etiam evincunt, Concilium non eſſe ſupra Pontificem; immo nec eſſe illi æquale, ſeu paris auctoritatis; ſed Pontificem eſse ſupra Concilium. Quod etiam argumento magis peculiari, & proprio ſic breviter confirmari poteſt.

Nam ſi Concilium majori, vel pari poteſtate præditum eſset, primum non eſset in Petro ejuſque ſucceſsoribus poteſtas inter homines ſuprema; cum repugnet, & ad contradictionem impliect ſupremam poteſtatem in ſolidum, ut ajunt, ſeu totam diviſim penes duos reſidere.

Deinde, data eſt Petro, & ipſius ſucceſsoribus abſolute, & ſine ulla exceptione poteſtas *in omnes agnos, & oves*, ſive in totum Fidelium gregem. Si vero Concilium majorem, vel æqualem poteſtatem accepiſset, Pontifici poſset reſiſtere, nec poſset ab illo obligari; ac proinde pars eſset potiſſima gregis, in quam Pontifex poteſtatem non haberet.

Tertio ſimiliter datæ ſunt Petro, & per illum cuilibet legitimo ipſius Succeſſori *claves regni Cælorum*, ſive poteſtas *quidvis ligandi, & ſolvendi*, quod ad bonum Eccleſiæ regimen ſpectet. Si vero Concilium majorem, vel parem auctoritatem poſſet Pontifici opponere; eſſent multa, quæ ligare, aut ſolvere non poſſet; vel ligaret, & ſolveret fruſtra. Mitto Chriſtum rogaſſe pro Petro, ut confirmaret Fratres; non ſic autem pro Fratribus, ut confirmarent Petrum; quod ſupra notavi, & in confutatione tertiæ oppugnationis planius fiet.

Interea ad id confirmandum, quo ultimo inſtabas, ne dicas, contra nos facere, quod Eccleſia eſt, ut ſcriptum eſt 1. Tim. III. 13. *columna, & firmamentum veritatis*; & quod Generali Concilio ſpecialiter adeſt Spiritus ſanctus, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis* (Act. XV. 28.) Nam hæc veriſſima ſunt; ſed intelligenda de Eccleſia, & Generali Concilio ſuo Capiti conjunctis, ac rite ſubjectis. *Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere*. (Act. XV. 7.) Nempe per os Petri. Ita conjuncta, & ſubjecta, quemadmodum aliis in rebus Fidei, & morum, ſine ullo erroris periculo, judicare, ac definire; ſic etiam Dei ſervos canonizare poſſe confiteor.

XVI. Ad ea, quæ objiciuntur contra tertiam Propoſitionis partem, reſpondeo, hæc vetera eſſe, & jam profligata. Ex quo enim hæretici bellum Romano Pon-

tifici apertius indixere, theologi aliqui, ut ſe ab illorum factione ſejungerent, nec tamen concederent Pontifici omnia, quæ antiqua praxi, & conſuetudine jam obtinebat, ſibique vindicabat, quæque illi communi conſenſu adjudicabant, & tribuebant Doctores catholici; medias quaſdam de ipſius poteſtate, & auctoritate ſententias excogitarunt. Hujus generis ſunt hæ duæ, quibus adſtruitur neceſſitas conſenſus ſive Epiſcoporum, ſive Cardinalium, ut videre eſt apud Melchiorem Canum lib. 6. præſertim cap. 8.

Cæterum refelluntur ambæ iis quinque argumentis, quæ ſupra notavi, & compendio propoſui. Ut enim illis conficitur, Romanus Pontifex conſtitutus eſt a Chriſto ſupremus in terris Fidelium omnium Paſtor, &, quod conſequens eſt, Doctor quoque, & Magiſter totius Eccleſiæ. Paſtor autem in deſignandis paſcuis ſalutaribus non pendet ex ipſarum ovium judicio; nec firmitas ſententiæ magiſtri ex conſenſu diſcipulorum. Sed res contrario ſe habet. Rurſus Petrus, in eoque Pontifex a Chriſto poſitus tanquam fundamentum, in quo reliqua Eccleſia inſidit, & nititur. Firmitas autem fundamenti non ab ædificio ipſi impoſito, ſed contra ædificii firmitas e fundamenti ſoliditate, & ſtabilitate deſumenda eſt. Denique eſt ipſi injunctum ſpecialiter, ut in fide Fratres confirmet ſuos; & ad hoc ipſum ſpecialiter Chriſtus oravit, ne illius fides deficiat. Non igitur illius ſententia de rebus fidei, ac morum, judicio Fratrum eſt roboranda, & conſtabilienda; ſed contra Fratrum judicium illius ſententia, tanquam certiſſima veritatis regula eſt confirmandum.

Neque dicas cum Tournely, Eccleſiæ regimen non eſſe mere monarchicum, ſed ariſtocratia temperatum. Nam quod ille opinatur ad Pontificiæ definitionis firmitatem, ac certitudinem opus eſſe Epiſcoporum conſenſu; id enim vero non eſt Monarchiam temperare, ſed penitus tollere, ac meram Ariſtocratiam facere. Quæ vero pro ſe affert hic Auctor, id tantum evincunt, Epiſcopos ſedere in Concilio, non tanquam conſiliarios, ſed tanquam judices. Quod quidem ipſi concedimus. Addimus tamen quod recte notat Gravina de S. Depoſ. Fid. cap. 19. n. 20. *Etiamſi Epiſcopi habeant in Conciliis Votum deciſivum, adhuc ſub Pontificis moderatione, & judicio ultimo ſubdi: ejus enim eſſe confirmare Fratres*. Prætera dicimus, non opus eſſe, ad dirimendas Fidei, & morum controverſias, Concilium cogere; & multo minus extra concilium ſingulorum Epiſcoporum ſententias exquirere, & aſſenſum obtinere. Male conſtitutam fore Eccleſiam, ſi ejuſmodi controverſiæ, quæ paſſim, & facile oriuntur, non poſſent finiri ſine Generali Concilio, quod rariſſime, & difficillime congregatur. Multo autem pejus conſtitutam fore, ſi ad eas finiendas, petendus, & obtinendus ſeorſim eſſet ſingulorum Epiſcoporum aſſenſus. Sive enim nullum vis Epiſcopum excipi; res erit moraliter impoſſibilis, ac prorſus deſperanda: cum experientia compertum ſit, nullas ferme hæreſes extitiſſe, quæ non plures etiam Epiſcopos fautores, & patronos habuerint. Sive excipis aliquot, & paucorum, ut ait Tournely, non vis haberi rationem; præterquam quod hoc ipſum perdifficile eſſet, Pontifici ſuprema auctoritate carenti fere omnes Epiſcopos aſſentientes, & obſequentes eſſe; cum definiri non poſſit, quot, & qui ſint, quorum ſuffragium tuto negligere liceat; reclamitarent ii ſemper, nec controverſia finem haberet.

Neque iterum inſtes cum Simonnet, Sedem Apoſtolicam non eſſe ſolum Pontificem, ſed Pontificem cum Cardinalium Collegio; vel, ut alii volunt, Pontificem cum Clero Romano; vel, ut opinantur alii, Pontificem cum cœtu aliquorum Epiſcoporum. Nam Sedes Apoſtolica nihil eſt aliud, quam Cathedra Petri. Hanc vero unus tenet. *Nullum ego diſcrimen inter Apoſtolicam Sedem, & Apoſtolicæ Sedi inſidentem invenio*; ait Melchior Canus lib. 6. cap. 8. ſup. cit. Legantur Dominicus Gravina de Sacro Depoſit. Fidei cap. 19. n. 20. & Card. Lauræa par. 1. de Fide diſput. 5. art. 7. ubi multa de Cathedra Petri in hanc ſententiam.

Præter hæc vero, opinio eorum, qui Sedem

Digitized by Google

Sedem Apoſtolicam non in ſolo Pontifice, ſed in illo una cum Cardinalibus, aut Clero Romano, aut cœtu aliquorum Epiſcoporum conſtituunt, illud pariter peccat, quod Eccleſiæ regimen ex Monarchico Ariſtocraticum facit. Etenim in omni ſæculari regimine, quod proprie, & abſolute monarchicum ſit, in Optimatibus, in primis regni proceribus, in Senatoribus, in Conſiliariis nullum eſt ejuſmodi jus. Liquet id ex Imperatore ipſo Juſtiniano in L. 12. §. 1. Cod. *de Legib.* & Novell. 143.

Imo adeo Rex, & Monarcha non obligatur Procerum, & Magnatum ſuffragiis; adeo non eſt neceſſe, ut eos aſſentientes habeat, ut ſolutum ipſi ſit, & liberum eos nec adhibere in conſilium. Peccat quidem ille interdum, ſi id non facit; jure tamen, & *valide* agit, atque decernit. Deeſt actui prudentia, non deeſt auctoritas, & juriſdictio. Idem igitur dicendum de rigimine Eccleſiaſtico, ſi vere, & abſolute monarchicum eſſe conceditur. Quale eſſe probat Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 9. Lege etiam vindicias Viti Erbermanni. Item Card. de Aguirre, Leytam, & alios ſcriptores ſupra laudatos. Quibus etiam adde Eugenium Lombardum lib. 3. §. 9.

XVII. Tandem quod additur, Pontificem poſſe errare, atque etiam in hæreſim labi, diſtinguendum eſt, ac de Pontifice loquente ex Cathedra, omnino negandum; de Pontifice autem non ſic loquente, ſeu de Pontifice, ut homine, & doctore privato; dari poteſt adverſariis, non quod verum ſit, ſed quia ad rem præſentem non facit. Sententia eſt valde probabilis, Chriſtum oraſſe pro Petro, ejuſque Succeſſoribus, ut non deficiat ipſorum fides, etiam quando extra Cathedram, ut ita dicam, privatim loquuntur, aut ſeribunt. Nec deſunt viri doctiſſimi, qui hoc propugnent cum Bellarmino lib. 4. de Sum. Pontif. cap. 7. & ab objectis quibuſdam erroribus in Fide Pontifices vindicent. Cæterum Pontifex ex Cathedra loquens, atque in actu ipſo definiendi operatur, ut ita dicam, ut Deus; hoc eſt, ut Dei vices gerens, perſonamque ſuſtinens. Extra talem actum operatur, & pronunciat, ut homo. Sententia ex Cathedra, cum obliget, ut diximus, totam Eccleſiam, eam facile poſſet in errorem agere. Secus vero ſententia privata, & quæ ejuſmodi obligationem non affert. Ex quibus longe diſpar ratio inter hæc duo. Recole tamen, quæ ſupra dicta ſunt num. VI. de Locutione ex Cathedra.

Præterea notatum hic volo, male ita concludi: Poteſt Pontifex ſine Concilio errare aliis in rebus ad totam Eccleſiam ſpectantibus; poteſt igitur æque, vel multo magis errare in Canonizatione Sanctorum. Nam etiam dato antecedente, quod falſum eſt, & diſtinguendum, ut hic modo diximus; nulla eſt concluſio. Duplex eſt enim, ut ſic loquar, infallibilitas, firmitas, certitudo Pontificiæ ſententiæ ab ipſius principiis. Una interior, & divina, ex Spiritu Sancto ſpecialiter aſſiſtente. Altera exterior, & humana, vel potius mixta; quæ eſt ex iis omnibus actis, quæ ſententiam præcedunt. Prima in omnibus Pontificiis definitionibus, ſive ſententiis prolatis ex Cathedra, ſumma eſt, ac proinde æqualis. Secunda eſt inæqualis, & quamvis in aliis etiam rebus, quæ definiuntur ſit magna; in Canonizatione Sanctorum eſt certe in ſuo genere maxima. Non ſolum enim examinantur diligentiſſime teſtes humani de vita, & virtutibus prorſus eximiis, & heroicis Servi Dei; ſed exiguntur etiam miracula, quæ ſunt quædam veluti teſtimonia Dei. Et quidem non ſolum ante, ſed etiam poſt Beatificationem. Eademque non approbantur, ac recipiuntur, niſi ſint certa, & indubitata; ac ſæpe etiam ſunt plane evidentia, & perſpicua. Quo ſecundo genere infallibilitatis, firmitatis, certitudinis, quod utique ſuſcipit magis, & minus, æterna ſors, & felicitas Sanctorum definita a Pontifice in Canonizatione, vincit alia multa, quæ ab Eccleſia, ſeu per Concilia Generalia, ſeu tantum per Caput, Doctoremque ſuum, Romanum Pontificem definita fuerunt. Ut, amoto etiam ſpeciali lumine, & afflatu Spiritus Sancti, ſententia Pontificis in Canonizatione, ex iis omnibus, quæ præmittuntur, certiſſima ſit, ac veriſſima reputanda.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Tandem ad illa quæ objiciuntur quarto loco, reſpondeo, ex ipſis etiam noſtræ ſententiæ defenſoribus eſſe multos, qui propoſitionem negantem homini a Pontifice inter ſanctos relato veram ſanctitatem, & gloriam, imo & Salutem æternam, temerariam quidem, & impiam, atque hæreſi proximam, non vero hæreticam putent. Ea nimirum ratione, quod propoſitio contradicens, vel contraria non eſt certo de Fide; ſeu, non eſt certo revelata. Ego vero hac etiam ex parte reſiſtendum exiſtimo, ac ne id quidem adverſariis concedendum.

Dices, non eſſe de Fide, Pontificem ſine Concilio, etiam loquentem, ac definientem ex Cathedra, errare non poſſe. Eſto, non ſit de Fide: talibus tamen argumentis probatur, & tam certo, ut ſi eſt propoſitio hæretica negare illa de homine inter ſanctos relato a Concilio Generali, propoſitio ſit pariter hæretica negare eadem de homine inter ſanctos relato a Pontifice.

Quod ſi dicas, nec fore hæreticum negare illa de homine ſanctis adſcripto a Concilio Generali, quia Eccleſia non poteſt definire ſine ullo erroris periculo quæſtiones de aliquo facto. Reſpondeo, veram ſanctitatem, & Gloriam hominis juſti, non eſſe factum qualecunque, ſed factum maxime connexum cum Jure; hoc eſt, cum Dogmate catholico, & quidem uno ex præcipuis, quale eſt cultus, & invocatio Sanctorum. Eccleſiæ autem, ac rei catholicæ maxime intereſt, poſſe hujuſcemodi facta a Conciliis, & Pontificibus ſine ullo errandi periculo definiri. Quo certum eſt hanc quoque poteſtatem ipſis a Chriſto attributam.

Inſtabis: Ipſi illi, qui ſententiam noſtram defendunt, fatentur, ſanctitatem, & gloriam hominis Sanctorum catalogo adſcripti eſſe de Fide tantum directe, non vero etiam reflexe. Hoc eſt, Summus Pontifex in Canonizatione ſolum definit, hominem illum eſſe Sanctum; non definit præterea, hoc ipſum eſſe de Fide; ſive eſſe revelatum. Reſpondeo, ut aliquid credatur, & credendum ſit Fide divina, ſatis eſſe definitionem directam vel Pontificis, vel Concilii a Pontifice confirmati. Quam multa enim ita creduntur, de quorum Revelatione Concilia nihil indicarunt; nedum definierint, Revelationem illam exiſtere? Hoc ipſo, quod aliquid proprie definitum eſt, habendum pro certo, Revelationem exiſtere.

At, inquies, definitiones Conciliorum etſi videntur interdum dumtaxat directæ, vi, & poteſtate tamen ſunt etiam reflexæ, ſeu reflexis æquales. Eo ipſo enim, quod Concilium de re illa canonem condit, quod eam credi jubet, ac firmiter teneri, quod anathemate ferit eos, qui contradixerint, aut ſimilibus formulis utitur; ſatis definit, rem illam eſſe de Fide, ac proinde eſſe revelatum: niſi etiam dici poſſit, ipſam illam definitionem, eſſe externam Dei locutionem, ac Revelationem; ſeu divinæ locutionis, ac Revelationis externæ partem. Verum ad iſta reſpondeo, hæc omnia dici poſſe in re noſtra: Siquidem iiſdem loquendi modis uſi ſunt Pontifices in definienda ſanctitate, & gloria Servorum Dei, ut in ipſorum Bullis, & Conſtitutionibus extat. Nam *Sanctos eos eſſe, fideliter, firmiterque teneri debere decernunt;* & anathemate percellunt eos, qui aſſentire, & obſequi detrectaverint; eoſdemque indignationi, & iræ omnipotentis Dei, ac BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli ſubjiciunt. Ita Joannes XV. de S. Uldarico Epiſcopo, Pius II. de S. Catharina Senenſi, Sixtus IV. de S. Bonaventura, Innocentius VIII. de S. Leopoldo, Leo X. de S. Franciſco de Paula, Clemens VII. de S. Antonino, Sixtus V. de S. Didaco, Clemens VIII. de S. Raymundo, Paulus V. de S. Franciſca Romana, & ſic alii deinceps. Accedunt, quæ ſupra diximus, Pontificem ex Cathedra loqui, quando ad univerſam Eccleſiam ita loquitur, ut eam tota, ſupremaque auctoritate ſua obbligare velit. Hæc eſt, ut ex communi Doctorum ſenſu explicat Raſsler de externa Fidei regula art. 16. num. 244. *Loqui ex Cathedra cenſetur tunc, quando aliquid Eccleſiæ univerſæ tanquam Fide divina credendum proponit, ac pro hæreticis vult illos haberi, qui oppoſitum pertinaciter volunt ſuſtinere.*

XIX.

Digitized by Google

XIX. Unum reſtat, quod majorem habet difficultatem. Non eſt certo de Fide, quod de Fide eſſe negant viri præſtantiſſimi & doctrina, & ſanctitate, inter quos S. Thomas. Reſpondeo S. Thomam de hac re parum, nec ſatis aperte locutum. Lucas Caſtellini, Card. Lauræa, & alii, quos infra de more recenſebimus, eum fuiſſe contendunt in noſtra ſententia. A nobis certe eſt S. Bonaventura, uti etiam S. Antoninus, & alii Veteres; præter quamplurimos ex recentioribus. Tunc vero propter eos, qui nobis in hac ſententia contrarii ſunt, dicam eam eſſe tantum probabilem, non etiam certam, quando mihi ſatisfiet de his, quæ modo afferebam ex Conſtitutionibus, ac Bullis Pontificum, & de obligatione, quam in univerſam Eccleſiam importat ſententia Pontificis ex Cathedra edita.

Et quidem argumenta etiam, quæ ſupra propoſui, non ſolum probabilius, ſed prorſus certo rem conficere mihi videntur. Quoniam vero ducta ſunt ab exemplo eorum, quæ definita ſunt in Conciliis Generalibus, ne ſit aliquid diſpar, licet minimum, & parvi momenti, quod adverſarii poſſint obtendere; argumentum ſumo ex definitione ſolius S. Pontificis, & exemplum affero, quod ad rem noſtram omni parte congruat. Etenim quod Concilio Tridentino ſpeciali modo aſtiterit Spiritus Sanctus, ut pariter ſpeciali modo aſſitit ſimilibus aliis Conciliis œcumenicis, eſt certo de Fide, & qui hoc pertinaciter negaret, hæreticus cenſeretur. Verum de hoc in verbo Dei, ſive ſcripto, ſive tradito nullas alias revelationes habemus, niſi quibus conſtat hæc propoſitio univerſalis, *Omni Concilio Generali legitime congregato ſpecialiter adeſſe Spiritum Sanctum*. Nam quæ afferuntur, hoc demum omnes ſignificant. Quod autem in eas revelationes, & in hanc propoſitionem univerſalem includatur etiam Concilium Tridentinum, non habemus niſi ex Actis ipſius Concilii, & ex Bullis, tum Pauli III. qua indictum, tum Pii IV. qua confirmatum fuit. Cum igitur hæc omnia prorſus in rem noſtram conveniant, ut ea inter ſe conferenti, ac ſedulo expendenti apparebit; ſequitur, ut eadem ſit utriuſque ratio; & tam non obſtet aſſertioni noſtræ, quod Sanctitas, & Gloria ſint aliquod factum; ſint factum definitum a Pontifice, & ſolo Pontifice, & tali numero Pontifice, ac cætera, quæ nobis objicere ſolent; quam non obſtant hæc ipſa aſſertioni illi de Tridentino: ac proinde tam ſit certo de Fide, hominem in catalogo Sanctorum a Pontifice deſcriptum, eſſe vere talem, quam eſt certo de Fide, Concilio Tridentino ſpecialiter aſſuiſſe Spiritum Sanctum. Plus hoc non contendo.

XX. Quid eſt igitur, inquies, quod hæc propoſitio *Chriſtus non eſt riſibilis*, dicatur erronea, non etiam hæretica; cum propoſitio ipſi oppoſita, ideſt, *Chriſtus eſt riſibilis*, certiſſime includatur in hac propoſitione revelata, *Chriſtus eſt homo?* Reſpondeo, propoſitionem illam negantem idcirco tantum erroneam dici, quia propoſitio affirmans aliquo modo certiſſime quidem includitur in propoſitione revelata; ſed certitudine ſolum naturali, & philoſophica, nempe ex lumine rationis; non vero etiam ſupernaturali, ac theologica, ex definitione Eccleſiæ. Eſt autem theologorum ſententia valde communis, nihil credendum Fide divina, ſi præſertim non ſit omnino clare, & expreſſe in aliquo Libro canonico, quod non ſit ab Eccleſia definitum, eaque definitione ad credendum propoſitum. Totum ſcilicet Fidei, & Salutis noſtræ negotium peragi, gubernarique ſupra naturam. Nolle Deum, nos ipſos humanis ratiocinationibus eſſe nobis Fidei magiſtros, & credendi regulam; velle hæc nobis Eccleſiam præſtare lumine illo, quo ei præſto ſemper eſt, & aſſiſtit.

Dico præterea; Doctores, qui negant, Eccleſiæ definitionem eſſe adeo neceſſariam; ſed quicquid in divina Scriptura certo continetur, utrovis modo certum ſit contineri, certitudine thelogicane, an vero tantum, ut ita dicam, philoſophica, exiſtimant eſſe de Fide; Doctores, inquam, iſti propoſitionem illam negantem habent tanquam hæreticam: vel ſi erroneam putant, hoc ideo ſentiunt, quia propoſitio affirmans, Chriſtum eſſe riſibilem, in hac propoſitione revelata,

Chri-

Chriſtus eſt homo, non includitur proprie, & formaliter, ſed virtualiter tantum, & quaſi in radice; quod autem hoc tantummodo continetur in S. Scriptura, dicunt eſſe revelatum dumtaxat remote, ſive mediate. Vel diſtinguunt hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt riſibilis*, ut deducta eſt, & conſequitur ex his duabus, *Chriſtus eſt homo; omnis homo eſt riſibilis;* una revelata, altera naturæ lumine certa, atque evidente; & ut incluſa eſt, & continetur in propoſitione revelata, *Chriſtus eſt homo*. Propoſitionem autem ipſi oppoſitam, ut deductæ ex duabus illis præmiſſis, ſive oppoſitam ipſi, ut concluſioni theologicæ, Erroneam dicunt. Eandem vero ipſi oppoſitam, ut incluſæ in propoſitione revelata, & una cum illa revelatæ, dicunt hæreticam. Conſule Card. de Lugo Tract. de Fide diſput. 1. ſect. 12. & diſput. 20. ſect. 3. & Antonium de Panormo in Scrutin. doctrin. cap. 3. art. 18. & cap. 5. art. 4. De hac vero tota Propoſitione, præter illos, qui ſuis in locis citati ſunt, legendi præcipue.

De prima Propoſitionis parte Rocca, Memmius, Card. Lambertinus omnes cap. 1. & Joannes Marangonius de rebus ethnicorum ad uſum ſacrum traductis cap. 31. & 43. Quod ad decreta Urbani VIII. Contelorus a cap. 22. de Matta par. 5. a cap. 2. Scacchus ſect. 10. c. 1. Matthæuccius queſt. procem. a num. 24. Card. Lambertinus loco ſup. cit.

De ſecunda Propoſitionis parte Sanchez in Summa tom. 1. lib. 2. cap. 43. n. 9. Azorius tom. 2. lib. 1. cap. 26. q. 4. Barboſa in Collect. tom. 1. lib. 2. tit. 9. cap. 5. n. 24. & alii apud Diana Coordin. tom. 3. tract. 3. reſolut. 9. n. 2. & apud Pignatellum tom. 4. Conſult. 53. Præterea Caſtellinus, Contelorus, Scacchus, Card. Lambertinus de Beatificationis, & Canonizationis diſcrimine.

De tertia Propoſitionis parte Suarez in Defenſione Fidei catholicæ lib. 3. & tract. de Fide diſput. 10. Dominicus Gravina de ſacro Depoſ. cap. 19. n. 20. & catholic. Præſcript. lib. 4. Bannes in 2. 2. q. 1. a. 10. Joannes a S. Thoma in 2. 2. diſput. 9. art. 2. Valentia ibid. diſput. 1. q. 1. punct. 7. §. 40. Vitus Pichler de Rom. Pontif. & de Conciliis. Franciſcus Macedo de Primatu Petri Vindic. 111. & in Corrollario de auctor. S. Pontif. ſect. 2. Gonzalez Tellez in lib. 1. Decret. tit. VI. cap. 4. n. 17. Jacobus Wieſtner Inſtit. Canonic. lib. 1. tit. XXXI. &c. Et tandem Nicolaus Pallavicinus in defenſione Rom. Pontificatus tom. 1. par. 1. lib. 1. cap. 17. & lib. 2. cap. 12. & lib. 3. cap. 2.

De quarta Propoſitionis parte præter S. Bonaventuram, S. Antoninum, & alios antiquos Doctores, quos in hoc loco citare non ſolemus, legendi præcipue Alphonſus a Caſtro de juſta hæreticor. punitione tom. 2. Ambroſius Catharinus de certa Gloria Sanctorum, Bellarminus lib. 1. de Beat. Sanctor. cap. 9. Gregorius Valentia in 2. 2. diſput. 1. q. 1. punct. 7. §. 41. Angelus Maria Verricellus in quæſt. Moral. & Legalib. tract. 8. q. 24. Adamus Tannerus Theol. Schol. tom. 3. diſp. 1. de Fide q. 4. dub. 7. n. 290. aſſert. 3. Lucas Caſtellinus cap. 3. punct. 48. Aloyſius Turrianus in 2. 2. diſput. 16. dub. 3. Ricciolius in Opere ſup. laudato de Immunitate ab errore &c. lib. 1. cap. 6. q. 6. Cardinal. Lauræa par. 1. de Fide diſput. 6. art. 3. prætrea alii plures Scholaſtici in tract. de Fide, ut Amicus, Arriaga, Maurus, Ulloa, Viva &c.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De Martyrio, & Virtutibus heroicis.

PROPOSITIO I.

Ad verum, & proprium Martyrium requiruntur hæc quatuor. I. Quòd mors, aut neceſſaria mortis cauſa re ipſa inferatur. II. Quod inferatur ex odio Fidei, vel rei ad Fidei doctrinam ſpectantis. III. Quod perpeſſio, & acceptatio mortis ſit voluntaria. IV. Quod cauſa movens ad mortem ſic acceptandam ſit Fides, vel aliud, non ſolum boneſtum, & juſtum, ſed etiam ſupernaturale, ſeu per Fidem propoſitum.

I. PRobatur primum:. Hæc enim eſt communis ſententia Patrum, & ſacrorum Interpretum in illud Matth. x. 39. *qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*, eos vere eſſe Martyres, qui pro Chriſti Fide re ipſa occiduntur. *Perdit animam*, inquit Tertullianus in Scorpiaco cap. 11. *qui confeſſus occiditur; ſed inventurus &c.* Item Cyprianus epiſt. 37. *Cum voluntati, & confeſſioni noſtræ in carcere, & vinculis accedit & moriendi terminus, conſummata martyris gloria eſt*. Ambroſius lib. 4. in Luc. cap. 4. n. 41. *tolle martyrum certamina, tuliſti coronam: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines*. Auguſtinus tum in hunc Matthæi locum, tum in illud Eccli. IV. 33. *uſque ad mortem certa pro juſtitia*, ita ſcribit ſerm. 284. num. 5. *parum eſt aſpera tolerare; ubi uſque ad ſanguinem certamen, ibi glorioſiſſima, & plena victoria*. Et ſerm. 107. num. 10. *Martyr dicitur, qui pro juſtitia occiditur*. Quod & Iſidorus Ethymol. lib. 7. cap. 11. Et tandem Laurentius Juſtin. in Serm. de Innocentibus, *qui cruciantur, ſed non occiduntur, dicuntur voluntate, non actu martyres*.

Ratio autem eſt illa quam affert S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 4. *Martyrem dici, quaſi teſtem Fidei Chriſtianæ, per quam nobis viſibilia pro inviſibilibus contemnenda proponuntur*, nimirum ex definitione Fidei, quam tradit Apoſtolus *ad Heb.* XI. 1. *Ad martyrium ergo pertinere, ut homo teſtificetur fidem, oſtendens opere, ſe omnia præſentia contemnere, ut ad futura, & inviſibilia bona perveniat. Quandiu autem homini remanet vita corporalis nondum opere oſtendit, ſe corporalia cuncta deſpicere. Conſueverunt enim homines & conſanguineos, & omnia bona poſſeſſa contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conſervent. Unde & Satan contra Job induxit* (Job. II. 4.) Pellem pro pelle, & cuncta, quæ ho-

Digitized by Google

mo habet, dabit pro anima ſua, *id eſt, pro vita ſua corporali. Et ideo ad perfe-ctam rationem martyrii requiritur, quod aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum.*

Accedit & alia ratio, quam attigit Doctor Angelicus in eadem quæſtione art. 2. & 3. & in IV. Sent. diſt. 49. q. 5. a. 3. inter actus, quos edit fortitudo, præſtantiſſimum cenſeri martyrium. *In fortitudine autem*, ut idem docet 2. 2. qu. 123. a. 3. ad 1. *difficilius, & principalius eſſe ſuſtinere, quam aggredi; & in illis, quæ ſuſtinentur, præcipuum locum tenere mortem; & maxime ſi cum doloribus corporalium tormentorum conjuncta ſit.*

II. Utraque ratio idem probat de illo, cui mors illata fuerit in cauſa neceſſaria; hoc eſt in ea cauſa, quæ non poſſit effectu carere, niſi miraculo. Nam hic etiam facto ipſo, ſive opere oſtendit, ſe præ bonis dumtaxat *ſperandis, & non apparentibus*, de quibus eſt Fides, bona præſentia, quæ poſſidet, vitamque adeo ipſam poſtputare. Et idem, quæ ſunt per ſe extrema tolerat, licet ex accidente divinitus ſupervivat.

Id quod Chriſtus ipſe edocuit Matth. xx. 23. ubi Zebedæi Filiis ambobus martyrium prædixit, *Calicem quidem meum bibetis*; quamvis Joannes *Romæ miſſus in ferventis olei dolium purior, & vegetior exiverit, quam intraverit*. Ita Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, & in comment. in hunc Matth. locum ex Tertulliano lib. de Præſcript. cap. 16. Itaque SS. Patres pro martyribus habent, ac prædicant tres Pueros, imo & ipſum Danielem, de quibus Tertullianus in Scorpiac. cap. 8. & Cyprianus epiſt. 58. ad Lucium Rom. Pontif. & maxime Theclam, de qua Ambroſius lib. 2. de Virginib. cap. 3. n. 19. & 20. & Baronius in notis ad Martyrol. ad diem 23. Septembris, & in Annalib. ad annum Chriſti 47. Ac denique alios, a quibus ita non eſt amiſſa vita, ut tamen dici poſſit mors tolerata; dupliciter victus tyrannus, nempe quod ipſos ſummis cruciatibus nec expugnare, nec interficere potuerit. Hæc mortis dilatio, ut ait Cyprianus epiſt. 58. proxime laudata, *non meritum Chriſti Confeſſoribus minuit, ſed magnalia divinæ protectionis oſtendit.* Quod ipſum ſignificare voluit Auguſtinus, aut quicunque alius eſt auctor Sermonis olim 46. de Sanctis, nunc 224. in Append. *non ſola dat palmam exuſtio illa flammarum: pervenitur non ſolum occaſu, ſed etiam contemptu carnis ad coronam.*

III. Probatur ſecundum. Tritum eſt enim, & in ore omnium Doctorum, quod ſcribit Auguſtinus Serm. 2. Enarrat. in Pſalm. 34. num. 13. *Martyres non facit pœna, ſed cauſa.* Quod totidem verbis repetit aliis plurimis in locis; & Gregorius Mag. Regiſt. lib. 2. epiſt. 51. de trium capitulorum cauſa, deſumptum dicit ex Cypriano, apud quem vere eſt in lib. de Unit. Eccle. & in epiſt. 52. ad Antonianum; licet non verbis ipſis, ſed re, & ſententia. Sicuti etiam eſt apud Chryſoſtomum homil. 55. alias 56. in Matth. num. 2. & apud Theodoretum Sermon. 8 de Martyribus. Ex quibus ſic habendum, mortem ſive in ſe ipſa, ſive in cauſa illatam, eſſe, ut ſic loquar tamquam materiale Martyrii; cauſam vero mortis inferendæ, ac reliqua duo, quæ ſupra poſita ſunt, eſſe tamquam formale.

Jam vero, quod hæc cauſa ſit odium Fidei, aut rei connexæ cum Fide, ipſe ille docuit, qui Martyrium ad eum honorem evexit, & illi eam virtutem contulit, de quibus deinde videbimus. Sic enim divinus Magiſter Matth. v. 10. 11. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: Beati eſtis cum maledixerint &c.* x. 21. 22. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum &c.* Item xvi. 25. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Et ſimiliter Matth. xxiv. 9. 10. Necnon Marc. xiii. 13. Luc. xxi. 16. 17. Joan. xv. 18. 21. xvii. 14. &c. Quo & illa ſpectat, quæ ſunt Act. v. 33. & 41. ad Galat. v. 11. ad Hebr. xi. 37. 38. &c. Quæ omnia complexus eſt Petrus epiſt. prima iv. 15. 16. maxime verbis illis: *Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus,*

Digitized by Google

mus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine.

Hinc Auguſtinus Epiſt. 108. ad Macrobium cap. 5. n. 14. *Si martyres non facit cauſa, ſed pœna, cum diceretur,* Beati qui perſecutionem patiuntur; *fruſtra eſt additum*, propter juſtitiam. Quam ſententiam fuſius exponit epiſt. 185. ad Bonifacium cap. 2. u. 9. Serm. 2. in Pſalm. 35. num. 13. & 14. & in Sermone 274. de S. Vincentio Martyre. Maxime vero, & omnino ad illud, quod hic approbamus in Pſal. II. 1. & 2. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* & in Pſalmum CXVIII. 23. *ſederunt principes, & adverſum me loquebantur.* & 161. *Principes perſequuti ſunt me gratis.* Sicut etiam in Pſalm. XXIV. 19. *odio iniquo oderunt me.* Et in Pſalm. LXVIII. 5. *oderunt me gratis.* Quibus locis, & aliis ſimilibus ſignatur odium in Chriſtum, & Chriſtianam religionem, quos tyranni inſectati ſunt Martyres.

Ratio autem, cur id requiratur, ea eſt. Quia cum ſit Martyrium quædam profeſſio, & proteſtatio Fidei, quæ fit moriendo, ſeu per mortem ipſam; nulla eſſet in hoc facto vis iſtud ſignificandi, ſeu profitendi, ac proteſtandi Fidem, ſi qui vitam eripit, non ex odio Fidei, ſed alia prorſus cauſa moveretur.

Quæ ratio valet etiam, ſi id, quo incitatur tyrannus, vel perſecutor non ſit proprie odium Fidei, ſed rei alicujus ad Fidei doctrinam ſpectantis. Et planum eſt ex locis allatis. Nam ſic etiam, qui morti datur, *patitur ut Chriſtianus, patitur propter juſtitiam &c.* Atque exemplis confirmatur: in primis vero Joannis Baptiſtæ, & ſeptem Fratrum, Matriſque Machabæorum; quorum alteri mortem attulit illud, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (Marc. VI. 18.) alteris vero, quod nollent *edere contra fas carnes porcinas.* (II. Mach. VII. 1.) Quibus accedunt alia plurima ex omni hiſtoria Eccleſiaſtica T. N. ut Stanislai Cracovienſis, Thomæ Cantuarienſis, Joannis Nepomuceni, Petri martyris, & aliorum. Hi enim directe, & proxime non propter Fidem ipſam, ſed propter virtutes, exercitationes, & munera Fidei adnexa interfecti ſunt.

IV. Probatur tertium, in quo hoc primum requiri contendimus, ut mortis acceptatio ſit voluntaria, voluntate, ſive intentione vel actuali, vel virtuali, hoc eſt, quæ aliquando extiterit, & in effectu aliquo ſuo adhuc moraliter perſeveret; vel ſaltem habituali, hoc eſt, quæ aliquando extiterit, & revocata non fuerit. Probatur autem tum quia martyrium eſt quædam profeſſio, ac teſtificatio Fidei; tum quia eſt actus virtutis: & quidem inter actus Fortitudinis habetur præſtantiſſimum; quæ ſine hac voluntate, & animi intentionibus non fiunt, tum quia, quæ gratiam conferunt, etiamſi ſint Sacramenta, quæ illam conferunt ex Opere operato, nulli tamen ratione jam utenti, ſive adulto ſunt fructuoſa, niſi voluntarie acceptentur, ac ſuſcipiantur. Id vero maxime valet in Martyrio, quod & ſupernos hoſce fructus ampliſſimos, & ſpecialem in Cœlo laureolam affert.

Legantur SS. Cyprianus epiſt. 56. ad Tibaritanos, Auguſtinus lib. 1. de adulterinis Conjug. cap. 14. n. 15. & de Civit. lib. 10. cap. 21. & lib. 13. cap. 7. & Thomas 2. 2. q. 124. a. 2. & par. 3. q. 68. a. 7. &c.

V. Præterea mortis acceptationem eſſe voluntariam, ex ipſa voluntarii notione, hoc etiam ſignificat, eam non eſſe prorſus inviti, ac reſiſtentis. Quo negamus, illos, qui occumbunt in bello, etiam pro ſola Religione ſuſcepto, vel perſecutori repugnant, & vim vi repellere conantur, eſſe vere martyres. Probatur autem maxime exemplo Chriſti, cujus mors veri martyrii forma fuit. *Martyrum caput, & exemplar Chriſtus.* (Auguſtinus in Pſalm. 63. num. 3.) Ut proinde canat Eccleſia *Rex gloriæ Martyrum &c.* De Chriſto autem Iſa. LIII. 7. & Act. VIII. 32. legitur: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum &c.* Et 1. Petr. II. 23. *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſte.* Adde his illa

Chriſti ad Petrum Matth. xxvi. 52. 53. *Converte gladium tuum &c. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum*. Itemque Joan. xviii. 11. Ejus præterea mortis ſymbolum fuit Agnus paſchalis Exod. xii. 43. 46. Numer ix. 12. &c. Joan. xix. 36. 1. Cor. v. 7. Ac Sæpiſſime in ſacris Literis vocatur, *Agnus;* ut Iſa. xvi. 1. *Emitte Agnum, Domine &c.* Jerem. xi. 19. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*. Joan. i. 29. *Ecce Agnus Dei &c.* Et Apoc. v. 6. *vidi Agnum ſtantem, tanquam occiſum &c.*

Hinc de Martyribus pariter canit Eccleſia, *Cæduntur gladiis more bidentium; Non murmur reſonat, non querimonia. Sed corde impavido &c.* Ac Tertulianus lib. 4. contra Marcionem cap. 39. *Accipe*, inquit, *prædicatum in Zacharia* ix. 16. *& ſalvos eos faciet Dominus illo die, velut, oves populum ſuum &c. Nemo oves appellat eos, qui in bello armati & ipſi ex eadem feritate certantes, cadunt: ſed qui in ſua proprietate, atque patientia, dedentes potius ſemet ipſos, quam vindicantes, trucidantur*. Quod ipſum notat etiam Auguſtinus lib. 22. de Civit. cap. 9. *Martyres non repugnando, ſed moriendo viciſſe*.

Adeſt & ratio: quia Martyrium ex ipſa hujus vocis ſignificatione teſtimonium eſt, &, ut receptum eſt ab omnibus, eſt teſtimonium, quod moriendo, ſeu morte ipſa redditur. Porro qui moritur repugnando, & quantum poteſt ſe defendendo, oſtendit invitum, & coactum & prorſus nolentem ſe mori. Teſtimonium autem inviti, coacti, ac prorſus nolentis, ſed nullam poteſtatem, niſi remotam, ad contrarium habentis, ex ipſo naturæ lumine, nullum eſt. Hæc ex nomine martyrii; ex re autem; omnes in martyrii definitione ponunt, quod ſit voluntaria mortis acceptatio: qualis non eſt morientium in pugna ipſa, niſi tantum remote, aut ſecundum quid.

Accedit huc etiam, quod ex S. Thoma dictum eſt ſupra, potiores, ac præſtantiores Fortitudinis partes eſſe *ſuſtinere, quam aggredi*. Cum igitur Martyrium ſit præſtantiſſimus actus Fortitudinis, eſt ſuſtinentis ac perferentis; non aggredientis, ac repugnantis. Illius, qui Chriſti exemplo ſe in crucem agi permittat; non illius, qui exemplo Judæ Machabæi, & aliorum, pugnans hoſti potentiori ſuccumbat.

VI. Probatur quod ultimum fuit. Martyrium non poteſt perfici, niſi ſaltem per duos: unum, qui mortem afferat, alterum, qui illam ſubeat: *cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget &c.* Ita Chriſtus Dominus ad Petrum Joan. xxi. 18. Quem in locum Auguſtinus tract. 51. in Joan. num. 10. *Ubi ſatis*, inquit, *expreſſit, non a ſe ipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti*. Quapropter Eccleſia ex eodem Auguſtino, ſi is eſt auctor Sermonis olim 44. de Sanctis, nunc 223. in Append. in Communi Officio unius Martyris *duo nobis præcipue conſideranda* proponit: *induratam videlicet tortoris ſævitiam, & Martyris invictam patientiam*. Cum igitur ad hunc veluti actum duæ perſonæ ſint neceſſariæ, & ut monet Eccleſia, a nobis conſiderandæ; quod ex Auguſtino, & aliis Patribus dictum, & ſtabilitum eſt ſupra *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*, intelligendum eſt non ſolum de cauſa, quæ movet tyrannum, ſeu tortorem ad ſæviendum; ſed etiam de cauſa, quæ movet martyrem ad perferendum: quoniam utraque recte dicitur cauſa Martyrii.

Et ſimiliter cum tyranni, & Martyris ſint partes contrariæ, & ſibi invicem ex adverſo reſpondeant, idem dicendum de cauſis, quibus ad eas partes agendas impelluntur. Quare quod ibi addidimus ex Matthæo, *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam;* & ex Petro, *Nemo veſtrum patiatur ut homicida, aut fur &c. Si autem ut Chriſtianus &c.* ac reliqua, quæ ibi notata ſunt ex Scripturis, & Patribus, æque ſignificant odium juſtitiæ, ac religionis in tyranno, ut earundem amorem, ac ſtudium in Martyre.

Itaque ex iis omnibus ita concludo. Qui non patitur ut Chriſtianus, ſeu qui non patitur propter juſtitiam late quidem, ſed theologice acceptam, ut complectitur omnes virtutes Chriſtianas, non eſt vere Martyr: ſed qui patitur propter

ali-

Digitized by Google

aliquid minus honeſtum, & juſtum, ut propter vanam apud homines gloriam, pro qua certo non eſt honeſtum, & juſtum vitam profundere; item qui patitur propter aliquid honeſtum quidem, & juſtum, ſed tantum philoſophice, aut politice, ut pro amico, & pro patria, quin hæc ipſa per Fidem in Deum referat; non patitur ut Chriſtianus, ac propter juſtitiam theologice acceptam. Igitur vere martyr non eſt.

Idem pariter probat argumentum, quod ibidem allatum eſt a ratione. Cui hoc aliud adjicio peculiare, & proprium loci hujus, ſive hujus ultimæ partis. Etenim ad Martyrium opus eſt Gratia, & magna quidem Gratia. *Martyres & armantur a Deo, & ab eodem armato adjuvantur*. (Auguſtinus Serm. 313. cap. 3. n. 3.) *Vicit in eis, qui vixit in eis*. (Idem Serm. 280. cap. 4. n. 4.) Præterea *Martyrii & meritum, & premium maximum eſt*. (Idem lib. 13. de Civ. cap. 7. & Serm. 280. cap. 3. n. 3.) *Martyres in Eccleſiis ſummum locum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt*. (Idem in Pſalm. 67. num. 36. & Serm. 9. in Pſalm. 118. num. 2.) Cum his autem, & ſimilibus, quæ de Martyrio prædicantur a Patribus, & Doctoribus, componi non poteſt, quod ſit vere martyr, qui ad mortem acceptandam, & obeundam honeſtate aliqua ducatur dumtaxat naturali, & civili; non ſpectet altius ad ea, quæ ſunt ordinis ſuperioris, & Fidei lumine revelata, & cognita.

VII. Tandem veram eſſe Propoſitionem noſtram univerſe, & ſecundum omnes quatuor ejuſdem partes hoc enthymemate evincitur. Nullum colit, aut habet pro vero Martyre Eccleſia, cui ex his quatuor vel unum tantum deſit. Ad verum igitur martyrium requiruntur hæc quatuor. Dato antecedente, negari non poteſt concluſio. Illud autem, quibus per ſe clarum non eſt, confutatione objectorum luculentius demonſtrabitur.

VIII. Objicies adverſus ea, quæ diximus, primo requiri, & eſſe tanquam materiale martyrii, B. Virginem Dei Matrem haberi tanquam martyrem a pluribus Patribus, & Doctoribus, quos citat Ildephonſus de Flores in Appendice de Martyrio Deiparæ; & *Martyrum reginam* vocari ab Eccleſia; quamvis S. Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. 2. n. 61. diſerte ſcribat, *nec litteram, nec hiſtoriam docere, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe*. Ac rejiciatur tanquam apochryphum, quod de morte ipſi ab Judæis illata legitur apud Iſidorum lib. de vita & morte Sanct. cap. 68. & apud Bedam in cap. 2. Lucæ. Præterea haberi in numero martyrum, & ritu martyrum coli ab Eccleſia SS. Pontifices Marcellum, & Martinum, itemque Euſebium Vercellen. Epiſc. & alios plures, qui nullo affecti lethali ſupplicio finem vivendi fecerunt.

Itaque verum videri, quod ſcribit Joannes Chryſoſtomus in orat. de S. Euſtachio num. 2. *non mortem tantum martyrem facere, ſed animi quoque propoſitum: non morte ſola, ſed etiam voluntate martyrii coronam comparari*. Et quod Auguſtinus de Bono Conjugali cap. 21. n. 25. *Virtutes animi aliquando in opere manifeſtantur, aliquando in habitu latent: ſicut martyrii virtus emicuit, apparuitque tolerando paſſiones; ſed quam multi ſunt in eadem virtute animi, quibus tentatio deeſt, qua id, quod intus eſt in conſpectu Dei, etiam in hominum procedat; nec tunc eſſe incipiat, ſed tunc innoteſcat*. Quo martyres dici illi poſſunt apud Deum; immo etiam apud Eccleſiam, ſi ea virtus, & præparatio animi poſſit aliunde ſatis probari, & oſtendi. Quo tandem pertinet etiam quod ſcripſit Gregorius Magnus lib. 1. in Evang. homil. 3. n. 4. *Habet & pax noſtra martyrium ſuum: quia etſi carnis colla ferro non ſubdimus, ſpiritali tamen gladio, carnalia deſideria in mente trucidamus, ipſo adjuvante &c.*

Ad primum dico, reſponſionem communem ex S. Thoma in IV. ſent. diſt. 49. q. 5. a. 4. ad 4. & 2. 2. q. 124. a. 4. ad 1. hanc eſſe. Patres, & Eccleſiam *loqui de martyrio per quamdam ſimilitudinem*; non agnoſcere in Deipara veram, & propriam martyrii rationem. Eam vocare non ſolum Reginam Martyrum, ſed etiam Patriarcharum, Angelorum, Sanctorum omnium. Nempe quod dignitate, ſanctitate, gloria ſupergreſſa eſt univerſos. Et fortaſſe quia, quæ propria

ſunt

Digitized by Google

ſunt cujuſque cœleſtis ordinis ornamenta, decora, palmæ, coronæ; excellentia meritorum, ac ſpeciali Dei privilegio ea omnia eſt conſequuta ex illo Eccli. XXIV. 25. *In me gratia omnis viæ*. Et Apoc. XII. 1. *in capite ejus corona ſtellarum duodecim*. Ut enim ait Beda homil. in Natal. S. Benedicti, *duodenario ſæpe numero ſolet in Scripturis univerſitas deſignari*.

Addo præterea, poſſe etiam valde probabiliter verum, & proprium Deiparæ martyrium defendi; ea ratione, quæ aſſertioni noſtræ non officit. Nimirum tanta cum Filio charitate conjunctam fuiſſe; ut mors illata Filio neceſſitatem moriendi attulerit matri; ac ſervata miraculo fuerit, & juxta Crucem miraculo ſteterit; ut Eccleſia, & Fides in ea ſervarentur, & ſtarent. Ideo vero ſolos animi cruciatus in aliis hominibus ad martyrii, quod diximus materiale, non admitti, vel quia cruciatus corporis acriores, ac vehementiores ſunt, ut docet S. Thomas in IV. Sent. loco cit. *dolores tactus aliis omnibus doloribus præeminent;* vel potius quia dolores animi ſunt ejuſmodi, ut ſi mors ſequitur, non poſſit oſtendi, ab ipſis fuiſſe importatam; ſi vero non ſequitur, non poſſit oſtendi prohibitam fuiſſe divinitus. Secus vero in re noſtra: cum Dei teſtimonio certiſſimum ſit, *gladium pertranſiiſſe animam Virginis*. (Luc. II. 35.) Quæ verba ſignificant dolorem animi ſummum, & mortem per ſe, & natura ſua neceſſario adducentem. Quo illam *vere martyrem, & pluſquam martyrem fuiſſe confirmant* Ildephonſus Epiſc. Tolet. ſerm. 2. de Aſſumpt. & Bernardus in Serm. Dominicæ infra Octav. Aſſumpt. num. 14. Bernardinus autem Senenſis tom. 2. ſerm. 61. art. 3. cap. 2. *Tantus*, inquit, *fuit dolor Virginis, quod ſi in omnes creaturas divideretur, omnes ſubito interirent*. De hoc eodem multa in hanc ipſam ſententiam Birgitta in Serm. Angelico cap. 17. & 18. Item Revelationes Mariæ de Agreda, & Marinæ de Eſcobar. Legantur præterea Auctor Sermonis de Aſſumpt. B. V. S. Hieronymo inſcripti. Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 15. Rupertus lib. 3. in Joan. cap. 16. Eadmerus in lib. de excellentia B. Mariæ cap. 5. extat inter Opera Anſelmi. S. Antoninus Sum. Theolog. par. 4. tit. 15. cap. 24. §. 1.

Inſtabis, Judæis non fuiſſe propoſitum una cum Filio & Matrem occidere. Primum, negatur hoc: nam propter Chriſtum odio ipſis erant omnes ejus & diſcipuli, & propinqui, & maxime Mater. Illis nocere quantum poterant, eoſque omnes perdere, ac funditus delere volebant. Quicquid cruciatus, & mali ex morte Chriſto illata ad eos redundavit, præter Hebræorum expectationem forſitan fuit; neutiquam vero præter voluntatem, & intentionem. Deinde, quid ſi aliquis incenſus odio in Religionem Chriſtianam telum dirigat in unum ex duobus Chriſtianis ſimul junctis, eodemque ictu alterum quoque confodiat, in quem pariter eadem cauſa eſt male animatus; numquid is ſecundus, ſi adſint cætera, quæ requiruntur, vere martyr non erit? Plura de hoc apud laudatum Ildephonſum de Flores, apud Salmeronem, Toletum, A Lapide in locum ex Luca nuper allatum.

IX. Ad ſecundum reſpondeo de SS. Marcello, Martino, & aliis ipſorum ſimilibus tenenda eſſe, quæ S. Thomas in IV. diſt. 49. q. 5. a. 3. ad 7. docet his verbis. *Ad ſeptimum dicendum, quod ſi aliquis propter Fidem vulnus mortale accipiat, & ſupervivat, non eſt dubium, quod aureolam meretur, ſicut de B. Cæcilia patet, quæ triduo ſupervixit; & de multis Martyribus, qui in carcere ſunt defuncti: ſed etiamſi vulnus non mortale accipiat, & tamen exinde mortem incurrat, creditur aureolam promereri; quamvis quidam dicant, quod aureolam non meretur, ſi ex injuria, vel negligentia propria mortem incurrat*. Quam opinionem S. Thomas non approbat; nam ſtatim ſubjungit: *Non iſta negligentia eum ad mortem perduxiſſet, niſi præſuppoſito vulnere, quod pro Fide acceptum eſt. Et ita vulnus propter Chriſtum ſuſceptum eſt ei plena occaſio mortis; unde propter hoc aureolam non videtur amittere; niſi ſit talis negligentia, quæ culpam mortalem inducat, quæ ei & auream auſert, & aureolam*. Deinde omnino ad rem præſentem addit: *Si vero ex vulnere mortali ſu-*

Digitized by Google

li ſuſcepto non moriatur aliquo caſu contingente ; vel etiam vulnera non mortalia ſuſceperit , & adhuc carcerem ſuſtinens moriatur, adhuc aureolam meretur. Unde & quorumdam Sanctorum Martyria in Eccleſia celebrantur , qui in carcere mortui ſunt aliquibus verberibus longe ante ſuſceptis ; ſicut patet de Marcello Papa. Nimirum ille cruciatus extenſione, & continuatione , ſive aliarum ærumnarum acceſſu, lethalis fuit. Immo his illata dici poteſt mors non tantum in cauſa, ſed etiam in ſe ipſa. Sublati ſunt morte, ſi minus cruenta, at ſaltem violenta; non ætati , aut naturæ debita. Quare idem Doctor Angelicus in Summa 2. 2. q. 224. a. 4. ad 3. hæc ſcribit: *Dicendum , quod ſicut art. 3. dictum eſt, Fortitudo principaliter conſiſtit circa pericula mortis, circa alia autem conſequenter. Et ideo nec martyrium proprie dicitur pro ſola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapina divitiarum, niſi forte ſecundum quod ex his ſequitur mors*.

De S. Euſebio Vercellenſi videtur eſſe alia ratio; atque idem de illo dicendum, quod ſupra num. 2. dictum eſt de S. Joanne Evangeliſta , de S. Thecla, & aliis ex Cypriano, & Ambroſio, atque etiam ex Baronio, ut de S. Gregorio Epiſc. de quo in Martyrolog. die 30. Septembr. ita eſt. *In Armenia S. Gregorii Epiſcopi, qui ſub Diocletiano multa paſſus, tandem in pace quievit*. Legimus enim in Officio S. Euſebii, eum *Scythopolim miſſum famem, ſitim, verbera , diverſaque ſupplicia perpeſſum, pro Fide ſtrenue vitam contempſiſſe, mortem non metuiſſe, corpus carnificibus tradidiſſe*. Quare cujuſquemodi vulnera ſint, exilia, carceres, aut aliæ ærumnæ pro Fide toleratæ , ſi ex illis vere ſequitur mors, verum martyrium reputandum eſt. Et tale pariter eſt reputandum, ſi ea ſint per ſe lethalia, ſed mors divinitus non ſequatur.

X. Ad tertium reſpondeo, diſtinguendum eſſe duplex martyrii genus; unum, quod proprie , & abſolute , & ſimpliciter tale ſit; alterum vero, quod tale ſit minus proprie , ac ſecundum quid , ſive aliquo addito: ut ſi dicas , eſſe martyrium in voto , eſſe martyrium , ſecundum præparationem animi; ſecundum ſimilitudinem actionis; ſecundum æqualitatem meriti; aut aliquid ſimile addas. Diſtinctionem hanc Patrum dictis nobis objectis eſſe adhibendam, probatur, argumentis iiſdem, quibus probata eſt Propoſitio noſtra; & maxime, quod Eccleſia neminem habet pro martyre, aut ritu martyrum colit , cui unum aliquod ex quatuor a nobis requiſitis defuerit . Deinde ipſi Patres, qui nobis objiciuntur, etſi non verbis ipſis , æque tamen ſignificantibus eandem diſtinctionem uſurpant, aut uſurpare nos docent.

S. Joannes Chryſoſtomus homil. 1. in ſecundam ad Cor. num. 5 *aliud martyrii genus eſt*, inquit, *opum jacturam forti animo perferre*. Nam de martyrio proprie tali expoſit. in Pſalm. 110. num. 2. *Martyrum* , inquit , *coronæ per mortem texuntur*. Et homil. de S. Pelagia num. 1. *Martyrum victoria mors eſt* . Et homil. de S. Luciano Martyr. num. 2. *Martyrium eſt Baptiſmus, quo quis proprio ſanguine abluitur, & in quo peccatorum abolitio , & animæ fit purgatio mirabilis , & ſtupenda*. Quod utique intelligit de martyrio proprie tali . Ad quod orat. 8. cont. Judæos num. 8. pertinere ait, *non ſolum pro negato idolis incenſo mori, ſed etiam pro juſtitia occidi ; ut factum eſt in Abel, & Joanne Baptiſta*.

S. Auguſtinus vero in loco , quo oppugnamur , ita diſtinguit inter eum , qui eſt martyr ſolo animi habitu , & eum , qui eſt martyr & animi habitu , & opere; ut dicat , illud inter utrumque intereſſe, quod intereſt inter illum, qui continens eſt a concubitu, ſolo animi habitu, ſive animi præparatione, ut Abraham ; & illum , qui continens ſit etiam opere, ac re ipſa, ſicut Joannes. Porro quemadmodum Joannes vere , & proprie continens, & virgo fuit; & Joanni data propria virginum laurea, non autem Abrahamo ; ſic etiam in re noſtra de vero , & proprio martyrio . Id ipſum docet , & ſic pariter diſtinguit Auguſtinus inter martyrium proprie, & minus proprie tale in libro de S. Virginitate cap. 45. n. 46. ut hi duo loci apprime faciant pro aſſertione noſtra; nec minus ſane, quam alii ſuo loco a nobis allati.

S. Gre-

Digitized by Google

S. Gregorius pariter, quæ ſcripſit lib. 1. in Evang. hom. 3. loco ſupra deſcripto, eadem diſtinctione uſus explicat in noſtram ſententiam lib. 2. homil. 35. n. 7. 8. 9. *Duo quippe*, ait, *ſunt martyrii genera; unum in mente, aliud in mente ſimul, & actione. Itaque eſſe martyres, poſſumus, etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe a perſequente, martyrium in aperto opere eſt. Ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione*. Porro martyrium proprie tale cum ſit Fidei profeſſio, & conteſtatio apud homines, debet eſſe in morte, vel cauſa mortis aperta; non vero in occulto animi motu; niſi forte hic ipſe ſit revelatus, ut diximus de martyrio Virginis.

XI. Objicies contra ſecundum auctoritatem Martyrologii Romani. Sic enim ibi die 28. Februarii. *Alexandriæ commemoratio ſanctorum Preſbyterorum, Diaconorum, ac cæterorum miniſtrorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſime mortem oppetiere. Quos velut martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit*. Id quod intelligendum de vero, & proprio martyrio, contendit Theophilus Raynaudus tom. 18. *de Martyrio per peſtem* par. 2. cap. 2. & multiplici auctoritate confirmat in libro cui titulus, *Theologia antiqua de veri martyrii notione*.

Præterea, tanquam veros martyres celebrari, & ritu martyrum coli, qui prævenerunt carnifices, ac ſe vel ignibus, vel aquis ad certam mortem dedere. Quod de S. Apollonia 9. Februar. de S. Pelagia 9. Junii, de trecentis SS. Martyribus 24. Auguſti in eodem Martyrologio legimus. Adde S. Pelagiæ ſocias Matrem, & Sorores. Adde SS. Bernicem, & Proſdocem filias S. Domninæ, de qua parum clare, & caſtigate idem Martyrologium. His omnibus oppugnatur quod diximus, ad verum martyrium requiri mortem illatam odio Fidei; & quod conſequens eſt, & ſubinde notavimus, requiri mortem illatam ab alio; nec poſſe martyrium haberi, niſi ſaltem per duos.

Tertio denique, eſſe verum martyrium, etiamſi odium Fidei, aut rei connexæ cum Fide nec unica, nec præcipua cauſa ſit mortis inferendæ. Incitatos, & inſtinctos fuiſſe Boleslaum in S. Wenceslaum potiſſimum regnandi cupiditate; Henricum autem ſecundum Angliæ regem in S. Thomam Cantuar. epiſc. illorum calumniis, qui *ad eum detulerunt, Epiſcopum multa contra regnum, & publicam quietem moliri*. (Offic. Lect. 5.) Accedit, quod rex Servi Dei mortem non imperavit; ſed nefarii ſatellites impium facinus perpetrarunt, illuc non Fidei odio, ſed, ut regis gratiam inirent, adducti.

Reſpondeo, Martyrologium intelligendum eſſe de martyrio minus proprie tali; ſive, ut loquitur S. Thomas ſup. cit. de martyrio *ſecundum quandam ſimilitudinem*. Quod particula illa, *velut martyres*, ſatis oſtendit: & magis declarant hæc duo. Primum, quod Sacra Indicis Congregatio an. 1646. ſub Innocentio X. librum Raynaudi de martyrio per peſtem proſcripſit. Ac ne dubitari poſſit, quin hoc factum ſit, propter illam ſententiam, ea eſt expreſſe notata in illa cenſura, quæ ad ipſum ex Urbe, ſicut rogabat, benigne tranſmiſſa eſt. Deinde etiam, quia Aloyſius Gonzaga ſanctis, non Martyribus, ſed Confeſſoribus eſt adſcriptus: quamvis in ipſius Canonizationis actis rite probatum, & admiſſum fuerit, eum in hoc, quod diximus, eximiæ charitatis miniſterio luem illam traxiſſe, qua conſumptus eſt. Nec Magdalena de Pazzis in ea celebri ecſtaſi, ac viſione illum abſolute, & nullo addito, *martyrem*; ſed *martyrem interiorem*, *martyrem incognitum* appellavit: non minus utique ex vita, quam duxit, quam ex morte, qua occubuit. Legantur de hoc Cardinales Baronius in notis ad eum Martyrologii locum, Lauræa par. 2. de Fide diſput. 20. art. 5. Lambertini lib. 3. cap. 11. n. 7. 8. &c. Et ita intelligi volumus, quod de hoc ipſo attigimus alibi.

XII. De S. Apollonia, & aliis ſupra memoratis quod legitur, factum eſt impulſu, & inſtinctu ſpeciali Spiritus Sancti. Nam cæteroqui non edidiſſent actum virtutis, nec exemplum heroicæ fortitudinis; ſed contra fortitudinem potius

Digitized by Google

tius egiſſent, ac peccaſſent graviſſime, ut in Conciliis Romano ſub Melchiade an. 313. & Carthaginienſi I. an. 340. definitum eſt. Cum igitur martyria illa fuerint extra communes leges, & ordinem, objici nobis non debent, qui agimus hic de ordinariis, & uſitatis. Addo, nec ibi defuiſſe tyrannos, & tortores odio Fidei actos, quibus imputandæ ſint illæ mortes, non tanquam cauſæ immediatæ, ac phyſicæ, ut ajunt, ſed tanquam cauſæ mediatæ, & morali. Scripſerunt præclare de his SS. Ambroſius lib. 3. de Virgin. cap. 7. n. 33. Joannes Chryſoſtomus tribus homiliis, quæ extant tom. 2. noviſſimæ editionis una de S. Pelagia a pag. 584. & duabus de SS. Bernice, & Proſdoce a pag. 634. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 1. cap. 26. Legendus & Baronius ad annum Chriſt. 309. num. 10. & 870. num. 41.

Idem vero dicendum de illis, qui provocaverunt tyrannos, aut ſe ultro ingeſſere, & obtruſere Martyrio. Quæ per ſe non licent. Ut enim ait Petrus Chryſologus ſerm. 151. *Perſecutorem qui provocat, facit; corrigit, qui declinat*. Quod etiam expreſſe docet Gregorius Nazianz. orat. 10. de S. Cæſario; & eſt communis ſententia Doctorum, cum S. Thoma 2. 2. q. 124. a. 1. ad 3.

XIII. Ad ultimum dico, in utroque illo martyrio odium Fidei, vel juſtitiæ fuiſſe cauſam moventem præcipuam; immo etiam fuiſſe unicam, hac ratione, quod ſcilicet ſi Wenceslaus, & Thomas a Fide, vel juſtitia defeciſſent, nequaquam occiſi fuiſſent. Fuit ejuſmodi cauſa, ut verum fuerit abſolute, & ſimpliciter, ſine ulla additione, aut exceptione, eos Fidei, vel juſtitiæ odio interemptos fuiſſe. Quod ſatis eſt; nec verum martyrium hac ex parte plus aliquid petit. Sive odium illud ſit in tyranno ipſo, ſive in aliquo calumniatore, qui tyrannum falſa delatione moveat, ſive in aliis ejus mortis auctoribus. Seu fateantur, ac præſeferant odium illud, ſeu negent, diſſimulent, alia prætendant. Ut de Conſtantio teſtantur Hilarius in libro contra ipſum num. 7. & 8. & Lucifer Calaritanus in libro *Mor. pro Dei Filio*. De Juliano Apoſtata, & Valente teſtatur Gregorius Nazianz. orat. 3. & 32. Legantur Sanderus lib. 2. & 3. de Schiſmate Anglicano, Suarez in Defenſ. Fidei Cathol. lib. 6. cap. 10. & 11. & ex Recentioribus Card. Capiſuccus Controver. 27. de Martyrio quæſt. 1. §. 16. & Maurus Theolog. Scholaſt. tom. 3. lib. 11. quæſt. 93. num. 10.

XIV. Objicies contra tertium: Innocentes ab Herode occiſos (Matth. 11. 16.) quos Eccleſia veneratur, ut veros martyres; quamvis in illis nec fuit, nec eſſe potuit ulla voluntas, ſive intentio moriendi pro Chriſto.

Præterea ex S. Cypriano epiſt. 56. ad Thibarit. Qui odio Fidei occiditur in fuga, eſt verus martyr. Ergo ille etiam, qui odio Fidei occiditur in bello. Nam qui fugiens jaculo transfigitur, moritur invitus.

Reſpondeo ad primum, nos hic loqui de martyrio Adultorum. Cum enim multa ſint in Baptiſmo, & Martyrio ſimilia, nil mirum, hoc etiam ſimile eſſe, quod etiam martyrio apta ſit omnis ætas; nec poſtulet niſi mortem ab illis, in quibus non poteſt eſſe etiam moriendi voluntas. Omittendum non eſt, opinionem eſſe aliquorum, Infantes, quorum facta cædes ab Herode, Martyres eſſe, & martyrum honores tuliſſe ex ſpeciali Chriſti recens nati privilegio. Profecto nullis aliis infantibus poſtea honores illi ab Eccleſia decreti, quamvis ex hiſtoria Eccleſiaſtica conſtet, multos illa etiam ætatula, Chriſtianæ religionis odio, ab Judæis, & barbaris interfectos. Utrum autem hoc tempore decernerentur, ſi cauſa alicujus infantis aut etiam pueri odio religionis occiſi in S. Rituum Congregatione ageretur, haud ſcio. Multum ſane pro parte affirmante SS. Innocentium exemplum valeret. Expectandum de hoc Eccleſiæ judicium. Conſule Card. Lambertinum lib. 1. cap. 14. num. 3. 4. 5. & lib. 3. cap. 15. num. 6.

XV. Ad id, quod additur ex Sancto Cypriano, dico, eum loqui de illis, qui ſic fugiunt, ut tamen in ipſis ea ſit intentio, & voluntas moriendi pro Chriſto, quam diximus. Cui voluntati per ſe non repugnat actio fugiendi, ſicut videtur per ſe repugnare actio præliandi. Nam qui præliantur adeo non permit-

Digitized by Google

tunt ſibi mortem inferri; ut hoſtem conentur occidere, ne ab illo occidantur. Qui vero dumtaxat fugiunt, non ſunt ita animati: hac ſaltem ratione ſe occidi permittunt, quod tyrannum, aut ſatellitem, tortoremve publicum, aut alios a tyranno immiſſos & vivere, & perſequi, & ſuis uti viribus ſinunt: vim vi non prohibent. Fugiendi actio conjungi poteſt cum ea voluntate, qua quis ita paratus animo ſit, ut ſi perſecutor, atque inſectator eum aſſequatur, ſine ulla repugnatione amplectatur mortem, ac ſe interfici patiatur. Immo ſi adverteret, illum ſibi a tergo jam imminere, nequaquam gladium educeret, ut ſe tueretur. Quare hi fugientes inferenti mortem videntur negative potius, quam poſitive reſiſtere. Recole dictum Gregorii Nazian. paulo ante citati, *Perſecutorem corrigit, qui declinat*. Qui autem cum illo pugnant, cum plus quam corrigere volunt.

Præterea, fac eſſe parum, ac prope nihil, quod inter fugientem, ac præliantem hac ex parte diſcrepet: illud certe eſt inter utramque actionem clare, & ſolide diſpar, quod fugere non eſt alienum ab ove, & agno; ſicuti eſt profecto alienum vulnerare, & occidere. *Nemo oves appellat eos, qui in bello armati & ipſi ex eadem feritate certantes, cadunt: ſed qui in ſua proprietate, atque patientia, dedentes potius ſemet ipſos, quam vindicantes, trucidantur.* Tertullianus loco ſup. cit. Nimirum hæc ex ea ipſa Chriſti doctrina, & exemplis, quibus martyres informabat. Sic enim ad Apoſtolos Matth. x. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* Et Joan. VIII. 59. *Jeſus autem abſcondit ſe*. Et XII. 36. *Hæc locutus eſt Jeſus, & abiit, & abſcondit ſe ab eis &c.* Contra vero Petrum, qui ſtricto gladio parabat eum defendere iis verbis prohibuit: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Matth. XXVI. 53. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. XVIII. 11. Hæc ſunt ejuſmodi, ut etiamſi inter fugam, & bellum, quod ad rem præſentem, nullum eſſet diſcrimen, ex propria ipſorum ratione, & natura; eſſet tamen ex Chriſti voluntate, & ut ita dicam, inſtitutione.

XVI. Hoc certe eſt Eccleſiæ judicium, hæc praxis, & uſus. Nec milites, qui in bello cæduntur ab infidelibus, habentur tanquam veri martyres: ſed pro illis oratur, & celebrantur exequiæ publicæ. Cum cæteroqui notiſſimum ſit, quod ſcribit Auguſtinus ſerm. 159. n. 1. *injuriam facere martyri, qui orat pro martyre... Hoc habere Eccleſiaſticam diſciplinam, ut pro martyribus non oretur, pro cæteris autem defunctis oretur.* Quam Eccleſiæ diſciplinam, inſtitutum confirmat, quod ex Zonara, Curopalate, & Glyca refert Baronius ad an. Chriſti 964. n. 35. Cum Nicephorus Imperat. C. P. legem tuliſſet, ut milites in bello juſto contra infideles cæſi, martyres haberentur, ei Polyeſtum C. P. Patriarcham, & cæteros Græcos Antiſtites obſtitiſſe. Et quod ſimile fruſtra tentatum a Phoca, tradit Spondanus in Epit. tom. 1. ad an. Chriſti 394. n. 4.

Sed dices, divinus idem Magiſter qui Matth. x. 23. dixit, *Fugite*; Luc. XXII. 36. dixit, *qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*. Reſpondeo, longe diſparem eſſe rationem. Nam Chriſtus ibi loquitur de vera fuga, & quidem in Perſecutione; ut verba ſonant, & Patres intelligunt ſummo conſenſu. Vide Athanaſium in Apolog. de Fuga ſua. Hic autem obſcurum eſt, quem gladium deſignet, quemve ejus uſum eſſe velit. Convenit inter Patres, & S. Interpretes, Apoſtolos, qui duos gladios exhibuere, non bene intellexiſſe Chriſti verba. Lege Maldonatum & Cornelium a Lapide in hunc Lucæ locum. Petrus, qui uno ex iis duobus gladiis ad Chriſti defenſionem eſt uſus, verbis ſupra relatis ab illo increpitus, & cohibitus eſt.

Inſtabis: quid ſi Infidelis Fidelem adoriatur, eique mortem denuntiet, niſi Fidem abneget; numquid is reſiſtere, ac ſe ipſum defendere non poterit? Ajo non ſolum poſſe, ſed, niſi aliud exigant circumſtantiæ, per ſe etiam debere: faciendum tamen cum moderamine inculpatæ

Digitized by Google

patræ tutelæ; & quando ſpes ſit evadendi mortem. Ea eſt ratio; quia ex præcepto naturæ unuſquiſque vitam ſuam tueri debet. Videndum tamen, hoc ipſum quomodo explicent, & quid in eo excipiant Theologi. Legatur La Croix lib. 2. tract. 1. cap. 3. & tract. 3. cap. 2. Item lib. 3. par. 1. tract. 4. cap. 1. Illud vero tenendum; hunc, etſi faciat quod per ſe debet, ſi tamen pugnans occidatur, non fore martyrem. Sic qui tyrannum non provocant; qui in ignem ipſis paratum non ſe ultro immittunt, utique faciunt, quod debent: & tamen ſi eis parcat tyrannus, non ſunt veri martyres. Scilicet Deus vult, omnes eſſe juſtos, & ſanctos; non omnes vult eſſe martyres.

XVII. Inſtabis, martyrium eſſe actionem imperatam quidem a Charitate, ſed editam a Fortitudine. Fortitudo autem, ut docet Ariſtoteles lib. 3. Ethic. cap. 7. præcipue verſatur circa pericula mortis, quæ ſunt in bello. Quare magis proprie videntur martyres dici, qui reſiſtentes, ac bellum gerentes occiduntur, quam qui ſe occidi permittunt. Reſpondeo, hoc argumento probari, magis proprie martyrem appellari Judam Machabæum, quam Chriſtum. Dicendum eſt igitur, Ethicam Chriſtianam Fidei lumine imbutam multa videre, ac perſequi, de quibus in Ethica Ariſtotelica nihil eſt, aut eſse potuit. In Ethica ergo Chriſtiana Fortitudo potiſſimum ſpectat ea mortis pericula, quæ habet profeſſio Fidei, & vitæ Chriſtianæ, & adverſus illa hominem confirmat.

Animadvertendum præterea quod ait S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 2. eſse in vero etiam martyrio aliquam belli ſpeciem, ſeu ſimilitudinem. Hæc verba Doctoris Angelici: *Manifeſtum eſt autem, quod in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem, & juſtitiam non deſerit propter imminentia pericula mortis; quæ etiam in quodam certamine particulari a perſecutoribus imminent. Unde Cyprianus in quodam Sermone* (epiſt. 9. ad Martyr. & Conf. ſ.) *Vidit admirans præſentium multitudo cæleſte certamen, & in prælio ſtetiſſe ſervos Chriſti, voce libera, mente incorrupta, virtute divina &c.* Quibus etiam ſubjungit: *Et propter hoc de martyribus legit Eccleſia, Fortes facti ſunt in bello.* (ex Epiſt. ad Hebr. xi. 34.)

XVIII. Adhuc inſtabis ex Ethica præſertim Chriſtiana, ſibimet ipſi mortem conſciſcere non eſſe per ſe actum Fortitudinis, aut virtutis; quacunque tandem id cauſa fiat. (S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 5.) Magis autem accedere ad illum, qui ſe ipſe interimit, eum qui ſe permittit occidi ab alio, quam qui alium afferentem mortem conatur, quantum poteſt, repellere. Hunc igitur magis, quam illum, fortiter facere. Reſpondeo, hoc pariter argumento probari, re ſaltem ſpectata per ſe, fortius occubuiſſe Judam Machabæum, quam Chriſtum. Ergo dicendum, poſſe aliquem dupliciter ſibi mortem conſciſcere, & contra fortitudinem peccare; vel exceſſu, vel defectu. Primo modo ſi vitam nihil penſi habeat, ſeque facile, & ſine juſta cauſa certo mortis periculo objiciat. Secundo modo, ſi mala præſentia, quæ ipſum premunt, perferre nequeat. In utroque extremo vitium; ibi temeritas, ſeu nimius vitæ contemptus; hic vero intolerantia, & imbecillitas animi. Porro qui ſe pro Fide ſinit occidi, magis quam ille, qui pro Fide ſimul, & vita pugnat, ad eum accedit qui ſibi mortem conſciſcit, & contra fortitudinem peccat exceſſu; concedo: ad eum qui ſibi mortem conſciſcit, & contra fortitudinem peccat defectu; nego. Ad hunc enim magis accedit, qui pro Fide ſimul, & vita propugnat; neutram vult amittere. Uno verbo; major eſt fortitudo martyris, ut talis, quam militis, quia martyr magis, quam miles, pro Chriſto vitam contemnit.

Nec ſolum majorem fortitudinem, ſed majorem etiam per ſe charitatem oſtendit. Quod approbat Doctor Angelicus 2. 2. q. 124. a. 3. *Martyrium*, inquit, *inter omnes actus virtuoſos maxime demonſtrat perfectionem charitatis: quia tanto magis oſtenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit. Manifeſtum eſt autem, quod inter omnia alia bona præſentis vitæ maxime amat homo ipſam vitam, & e contrario maxi-*

Digitized by Google

me odit ipſam mortem, & præcipue cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia a maximis voluptatibus abſtrahuntur &c. Quo etiam adducit illud Joan. xv. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Martyr autem Chriſti exemplo vere animam ponit; miles eam dumtaxat periculo exponit. In quo quidem fortiter agit, & magna in Deum charitate, ſi ejus cauſam tuetur; ille autem agit fortius, ac per ſe charitate majori.

XIX. At, inquies, S. Thomas in iſtiuſmodi militum morte verum martyrium agnoſcit tum in quæſtione proxime citat. art. 5. ad 3. tum etiam & multo clarius in IV. Sent. diſt. 49. q. 5. a. 3. ad 2. ubi hæc habet: *cum quis propter bonum commune non relatum ad Chriſtum mortem ſuſtinet, aureolam non meretur: ſed ſi hoc referatur ad Chriſtum, aureolam merebitur, & martyr erit; utpote ſi rempublicam defendat ab hoſtium impugnatione, qui fidem Chriſti corrumpere moliuntur, & in tali defenſione mortem ſuſtineat.* Reſpondeo, his duobus in locis Angelico Doctori propoſitum eſſe, explicare, qua ratione bonum humanum, quale eſt præcipue bonum reipublicæ, poſſit eſſe cauſa martyrii; ſi nempe referatur in Deum. Ex quo ſequitur, ut milites, qui in bello occiduntur propter bonum reipublicæ relatum in Deum, hac ex parte, ſive, quod attinet ad martyrii cauſam, poſſint eſſe veri martyres. Utrum autem ſit aliud, quod impediat, & obſtet, quo minus hi vere, & proprie martyres dicantur, S. Thomas clare non docet. Aut certe, ſi his veram, & propriam martyrii rationem, atque coronam concedere videtur in eo, quod ſcripſit in libros ſententiarum, denegavit poſtea in Summa. Nam q. 124. a. 5. citatis cum ſibi tertio loco objeciſſet: *ſi aliquod aliud bonum eſſet cauſa martyrii, maxime videretur, quod illi eſſent martyres, qui pro defenſione reipublicæ moriuntur; quod Eccleſiæ obſervatio non habet: non enim militum, qui in bello juſto moriuntur, martyria celebrantur. Ergo ſola fides videtur eſſe martyrii cauſa.* Ad hæc ita reſpondet, ut dicat, *quamvis bonum divinum ſit propria martyrii cauſa, tamen quia bonum humanum poteſt effici divinum, ut ſi referatur in Deum; ideo poſſe eſſe quodcunque bonum humanum martyrii cauſam, ſecundum quod in Deum refertur.* Ad id vero, quod additur in oppugnatione, non eſſe hanc Eccleſiæ conſuetudinem, ut qui in bello juſto moriuntur tamquam martyres celebrentur, nihil contradicit; videtur hoc omnino concedere. Quando autem mens Doctoris Angelici dubia eſt; ex iis quæ ſcripſit in Summa, explicanda ſunt illa, quæ ſcripſit in libros Sententiarum.

Illud etiam notandum, poſſe ſic quoque S. Thomam intelligi; ut ſi Chriſtiano militi jam victo, antequam lethale vulnus accipiat, optio detur ab hoſte, utrum malit mortem oppetere, an deficere a Fide, vel relinquere defenſionem boni communis ab ipſo in Deum relati; & ille in propoſito perſtet, ac mortem eligat; ſi hæc re ipſa inferatur, verus ſit martyr. Quod ultro fatemur. Imo ſic arbitramur, iſtiuſmodi optionem, atque electionem, vel expreſſam, vel tacitam, ſive implicitam; vel verbo ſimul, & facto, vel facto tantum in vero martyrio ſemper intercedere. Quod contra per ſe contingit in morte militis Chriſtiani. Ejus enim, ut ex actione ipſa pugnandi, & habitu morientis apparet, nulla eſt talis electio. Siquidem nec Fidem, nec vitam vult amittere; ſed utramque vult retinere; eſto, illam magis.

XX. Sed eſt, quo inſtari poſſit ſubtilius. Quid ſi aliquis eo animo, & voluntate pugnet, ut non vitam propriam, ſed religionem tantummodo tueatur: nec ideo hoſtem ſuperare, & interficere conetur, ne ſuperetur, & interficiatur ab ipſo; ſed ne ab ipſo detrimentum capiat Religio? Reſpondeo, quomodocunque hunc bellatorem animatum eſſe fingas, mori pugnando non eſſe ovis, & agni; non eſſe acceptantis mortem, eamque voluntarie amplectentis, tanquam unum ex duobus ſibi ad eligendum propoſitis: ſed eſſe rejicientis, ac repellentis utrumque; ideſt, & mortem, & defectionem a Fide, vel juſtitia. Sive is

mori

Digitized by Google

mori nolit, eamque inferentem pro viribus repellat, ut ſalva ſit religio, ſive hoc faciat, quod una cum religione ſe quoque ſalvum eſſe velit. Actio repugnantis non præſefert, ut diximus, eum vitæ contemptum, quem præſefert actio acceptantis, ſeu non repugnantis. Et cum martyrium, ſit teſtimonium, attendendum, actio externa, quid præferat.

Illud autem intereſt inter illum, qui pro Chriſto vitam ſibi eripi ſinit a tyranno, & illum, qui ita reſiſtit, quod intereſt inter illum, qui merces projicit, ut navem allevet in tempeſtate, vel merces piratis exhibet, ſecus facienti minitantibus mortem; & illum, quem reſiſtentem, & contranitentem piratæ per vim mercibus ſpoliant. Siquidem, projectio, & exhibitio illa mercium eſt ſimpliciter voluntaria, involuntaria vero ſecundum quid. Contra vero ſpoliatio reſiſtentis, repugnantiſque pro viribus.

Urgebis adhuc. Hæc eſt definitio martyrii: Mortis odio Fidei illatæ voluntaria acceptatio, & perpeſſio. Porro id convenit illi etiam, qui pro Fide pugnans occiditur. Igitur &c. Do majorem propoſitionem, & admitto definitionem, cui cæteroquin addendum aliquid videretur de cauſa movente martyrem ipſum. Nego autem minorem. Nam in ejuſmodi homine eſt quidem mortis perpeſſio; immo etiam perpeſſio aliquo modo voluntaria, cum ſit illi & laudi, & merito. Verum in eo non eſt ſimiliter mortis acceptatio.

At, inquies, ubi eſt mortis perpeſſio aliquo modo voluntaria, quæque habeat laudem, & meritum; ibi eſt & voluntaria mortis acceptatio. Diſtinguo: acceptatio, quæ ſit proprie talis, & qualis ſacra auctoritate, & theologica ratione in martyre requiritur; nego: acceptatio minus proprie talis, ut libera ipſa belli ſuſceptio, & congreſſio; vel quæ non ſit in ſigno, quod vocant, ad martyrium apto; ut ſi poſtquam ſupremum lethale vulnus accepit, dicat, Libenter morior pro religione, pro Chriſto; & alia ejuſdem modi; concedo. Sed hæc non intelligunt Doctores, cum dicunt, Martyrium eſſe voluntariam mortis acceptationem.

XXI. Unum reſtat in hac tertia propoſitionis parte, quoad adhuc explanandum videtur. Nam veriſſimum eſt, quod Ariſtoteles docet lib. 5. Ethic. cap. 9. & 11. neminem volentem ab alio injuſtum, ſive injuriam pati. Ex quo commune illud effatum, *Scienti, & volenti non fit injuria*. Si ergo ad martyrium requiritur voluntaria mortis acceptatio, ſequitur, ut injuria non fiat martyri ab eo, qui illum interficit; quod quidem videtur abſurdum.

Reſpondeo, hoc quoque argumentum ſi quid probat, illud in primis probare de Chriſto. Nemo enim eſt martyrum, cui mors fuerit tam voluntaria, quam Chriſto. Quippe qui interfectorum ſuorum & vires, & voluntates in manu, & poteſtate ſua, ac ſibi plane ſubjectas habebat. Unde etiam illud Joan. x. 18. *Nemo tollit eam* (animam) *a me: ſed ego pono eam a me ipſo &c.* Itaque diſtinguendum inter actionem, qua infertur mors, quæ eſt tyranni, & tortoris; & perpeſſionem ipſam mortis, quæ eſt martyris. Item diſtinguendum inter voluntatem imperantis, exhortantis, exequentis, aut alio modo intendentis rem aliquam, & voluntatem dumtaxat permittentis. Præterea diſtinguendum inter permiſſionem, quæ eſt in genere phyſico, cujuſmodi eſt non reſiſtere vim facienti; & quæ eſt in genere etiam morali, qualis eſſet credere juri ſuo. Jam vero martyres, & Chriſtus D. amabant quidem perpeſſionem mortis, actionem vero injuſtam, & impiam interfectorum odio habebant: & tantum libere permittebant; permittebant autem in genere phyſico; hoc eſt, non reſiſtebant: non permittebant in genere etiam morali, non enim cedebant juri ſuo; cum nec cedere poſſent, martyres quidem, quia non erant propriæ vitæ domini; Chriſtus autem, quia hoc omnino inconveniens, & indignum fuiſſet. Sic Deus amat ea bona, quæ pro ſua ſumma ſapientia, & potentia elicit ex peccato. Peccatum autem odio habet; ac libere quidem permittit; ſed in genere phyſico, quia illud non impedit, & tanquam cauſa univerſalis ad ipſum ſolum phyſice concurrit. Non vero permittit in genere morali, cum ſanctiſſimis,

Digitized by Google

mis, ac ſeveriſſimis legibus illud omnino vetet, ab eoque mortales deterreat. Sicut igitur quod Deus peccatum permittat, non obeſt, quo minus ipſi injuria peccando fiat: ita & Chriſto, & Martyribus facta eſt ab occiſoribus injuria graviſſima, quamvis volentes, ſeu permittentes occiderint.

Neque dicas, voluntatem, qua Chriſtus, & Martyres amplexi ſunt mortem, non fuiſſe voluntatem tantummodo permittentis; nam quoad aliqua fuit voluntas, ut diximus, odio habentis, ac permittentis; quoad alia vero fuit amantis, & deſiderantis. Ut ut loqui velis, fuit voluntas retinentis jus ſuum, ac proinde *injuriam*, *& injuſtum patientis*.

XXII. Objicies contra id, quod dictum eſt quarto loco: Quod Virgo Deipara ſine ulla prorſus peccati macula concepta fuerit, eſſe aliquid ſupernaturale, ſeu theologicum; nec tamen martyrem fore, qui hoc ſanguine, & vita defenderet. Reſpondeo, ad verum martyrium ſatis fortaſſe non eſſe, ſi cauſa movens martyrem ſit ex genere eorum, quæ ſupernaturalia, & theologica dicuntur: opus eſſe præterea, ut ad Fidei doctrinam proprie pertineat: hoc eſt, ut ab Eccleſia ſit definitum; ſeu, Fidelibus ad credendum, vel agendum ab ipſa propoſitum. Primum quia martyrium eſt quædam teſtificatio Fidei, &, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 4. *martyr dicitur, quaſi teſtis Fidei Chriſtianæ*. Deinde, quia illi omnes, quos tanquam veros martyres veneratur Eccleſia, mortui ſunt cauſa Fidei, vel rei alicujus, quam eſſe Fidei adnexam, & ad Fidei doctrinam ſpectare, Eccleſiæ definitione, ac propoſitione, vel expreſſa, vel tacita, vel formali, vel virtuali, & æquivalenti, quam vocant, certiſſimum eſt.

In re autem, quæ nobis objicitur, ſunt aliqua ſic definita, & propoſita. Primum eſt, quod ſententia, quæ affirmat, Dei Matrem a culpa originis immunem fuiſſe, ſit ſententia pia, eique faveat Eccleſia. Secundum, quod Feſtum Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod jamdiu Eccleſia celebrat, ſit de hoc ipſo. Hoc eſt, quod objectum religioſi hujuſce cultus non ſit expiatio, ſeu ſanctificatio Deiparæ; ſed ſit exemptio, immunitas, *præſervatio* ab ejuſmodi culpa. Tertium denique, quod practicum eſt, & ad actionem pertinet; quod Feſtum hoc celebrandum ſit, quod pia ſententia non ſit oppugnanda, & ſimilia, quæ a Summis Pontificibus præcepta, vel prohibita ſunt. Has ob cauſas ſi quis ſanguinem funderet, eum dico hac ex parte verum martyrem fore.

Contra vero ſi quis hoc ipſum faceret ad tuendam, & conteſtandam veritatem ipſam myſterii, ſeu piæ ſententiæ; dico, eum facturum quidem laudabiliter, quoniam ea veritas certa eſt certitudine morali theologica, vel directa, vel etiam reflexa; vel abſoluta, vel ſaltem, &, ut minimum, reſpectiva. Cum tamen veritas illa nondum ſit definita, eum verum martyrem fore, non dico: tum propter rationem ſupra allatam ex natura ipſa, & notione martyrii; tum etiam, & multo quidem magis, propter Eccleſiæ praxim, ac ſenſum. Quæ confirmat cenſura illa, qua Cæſar Carena de Offic. SS. Inquiſit. tit. 17. §. 11. & Laurentius de Portel in Dub. Regularib. verbo, *Conceptio Deiparæ* num. 6. notatum ferunt annuente Paulo V. an. 1619. eum, qui in ejus mortis perpeſſione non ſolum laudem, & meritum, ſed veram quoque martyrii rationem fore pugnabat. In quo tamen animadvertendum, ea contigiſſe ante Conſtitutiones Alexandri VII. *Sollicitudo omnium Eccleſiarum &c.* Innocentii XII. *In excelſa Sedis Apoſtolicæ ſpecula &c.* & Clementis XI. *Commiſſi nobis divinitus &c.* Quibus licet ea veritas definita non ſit, multum tamen inclaruit.

XXIII. Dices, ſecum pugnare iſta, & quod honeſtum, & laudabile ſit veritatem piæ ſententiæ ipſo etiam capite tueri, & quod, ſi adſint cætera, non ſit verum martyrium. Siquidem, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 124. ſæpe citata a. 5. *omnis veritas, quæ ſecundum pietatem eſt, & omnium virtutum opera, ſecundum quod referuntur in Deum, poſſunt eſſe cauſa martyrii*. Video ſane in hoc eſſe magnam difficultatem: & ideo in ea morte verum fore martyrium non nego; ſed tantum non aſſero aut defendo.

Dici

Dici tamen poteſt, Doctorem Angelicum intelligendum de omni veritate, quæ ita eſt ſecundum pietatem, ut definitione Eccleſiæ ſit certa, ſive ad doctrinam Fidei certo pertineat: ac dici poſſit, *veritas Fidei:* & ſimiliter de omnium virtutum operibus, quæ ita referantur in Deum, *ut ſint quædam proteſtatio Fidei*, ſeu *confeſſio Fidei perfecta*. Nam his ipſis verbis utitur; & cum doctrinam ſuam confirmet martyrio S. Joannis Baptiſtæ, ſic accipiendus videtur.

XXIV. Inſtabis, quod laudem, & meritum haberet, qui mortem oppeteret, pro veritate piæ ſententiæ, a nobis tract. 3. propoſit. 10. ea etiam ratione defendi, quod qui eam veritatem certam exiſtimat, quamvis ſciat; eam non eſſe veritatem Fidei, nec ab Eccleſia definitam, ipſique liceat illam non profiteri, non licet tamen eandem negare. Hoc autem probat, in ea mortis perpeſſione, de qua nunc diſputamus, non ſolum laudem, ac meritum, ſed etiam verum martyrium fore. Quoniam, ut ait S. Thomas art. cit. ad 2. *Vitatio mendacii etiam contra veritatem geometricam, vel alterius ſpeculativæ ſcientiæ, quæ per ſe ad pietatem non pertinet, poteſt eſſe cauſa martyrii.*

Reſpondeo, me ibi illud contendere non ſolum honeſtum, & laudabile fore pro veritate piæ ſententiæ ſanguinem fundere; ſed quando optio ſit, aut moriendi, aut ejus veritatis negandæ, nobis, quibus ea veritas eſt moraliter certa, fore etiam neceſſarium. Ita ſcilicet, ut eligere alterum, hoc eſt, veritatem illam negare, eſſet inhoneſtum, & vituperatione dignum. Eſſet honeſta, & laudabilis ejus veritatis aſſertio, ac defenſio, etiamſi ſtaret vita, quia poſthaberetur bonum minus bono majori, ut ibi oſtendo. Eſſet inhoneſtum, & vituperatione dignum, nos in iis circumſtantiis renuntiare piæ ſententiæ, ejuſque veritatem inficiari, quia hoc fieret contra mentem, fieret, ut ibi explicavi, contra honorem Deiparæ, & Eccleſiæ, in re nobis moraliter certa; hoc eſt, ſaltem reſpective timeretur magis malum pœnæ, quod vocant quam culpæ; mors, quam mendacium.

Etſi vero malle ſe occidi, quam mentiri, non eſt actio ſolum laudabilis, ſed eſt etiam verum martyrium, non facit id tamen contra ea, quæ nuper dicebam. Nam qui moreretur pro veritate piæ ſententiæ, ut talis veritas eſt, directe quidem, & proxime eam atteſtaretur, atque defenderet: & cum ea veritas ad pietatem pertineat, & Deiparæ, & Eccleſiæ, ut dixi, multum interſit; faceret valde laudabiliter, & magno merito: verumtamen cum veritas illa definita non ſit, nec proprie ſit doctrina Fidei, verus martyr, ſeu Fidei teſtis non eſſet. At vero qui moreretur pro veritate piæ ſententiæ, dumtaxat ut veritas eſt; hoc eſt, ne veritatem illam abnegando mendacium diceret, & contra veritatem peccaret; eſſet utique verus martyr, ac teſtis illius Fidei, cui omne mendacium peccatum eſt, & morte ipſa vitandum. Verum hic martyr, ut vere martyr, non defenderet, aut conteſtaretur directe, & proxime veritatem piæ ſententiæ, ſed ſolum indirecte, & remote, ſive mediate. Martyr eſſet veracitatis, ſeu veritatis generatim ſumptæ; non veritatis illius particularis. Sic qui ſe occidi permitteret pro veritate aliqua geometrica, ut tali, eam quidem directe, & immediate defenderet; ſed quia veritas illa, quantumvis certa, ad pietatem non pertinet, ſtulte faceret. Qui vero ſe occidi permitteret pro veritate aliqua geometrica, ſolum quia veritas eſt: hoc eſt, ne veritatem illam abnegando in mendacii culpam incurreret; eſſet quidem verus martyr, ac veræ Fidei teſtis: ſed directe, & immediate moreretur pro veracitate, ſeu pro veritate generatim ſumpta: & ut refertur in Deum; ac ſolum indirecte, & mediate moreretur pro veritate illa geometrica.

XXIV. Objicies univerſe contra totam Propoſitionem noſtram ex Mauro tom. 3. quæſt. 97. num. 4. & 5. & ex Lambertino tom. 3. cap. 16. 17. & 20. & aliis ad verum martyrium non ſatis eſſe quatuor illa, quæ diximus: requiri præterea, ut martyr ad mortem ſe rite præparet, ſervatis præceptis, quæ ipſum tunc maxime afficiunt. Et primum, quod ad

præ-

præcepta affirmantia, ut ſi martyr eſt Cathecumenus, baptizetur, ſi poteſt; ſi lethalis peccati reus, ut illud Pœnitentiæ Sacramento expiet, & ſi Sacerdotis copia non ſit, ut actum perfectæ contritionis edere conetur. Si vero eſt hæreticus, neceſſe eſt, ut ab hæreſi, & errore diſcedat ſuo, ac Fidem catholicam ampleſtatur: & ſi Schiſmaticus eſt, ut ad Eccleſiam redeat. Præterea, ſi quid alienum poſſidet, ut illud domino reddat; ſi inimicitias gerit, ut reconcilietur cum inimico, & ſimilia. Deinde, quod ad præcepta negantia, cavere debet, ne tyrannum provocet, ne temere, & ſine gravi cauſa illi ſe offerat; ne prævertat carnifices, ac ſe ipſum interimat: immo ſi eſt ſub ditione, & imperio ethnicorum, ne illorum templa, & aras evertat, ne idola comminuat, aut aliter eos irritet, & contra Chriſtianam religionem commoveat. Quæ omnia proxime laudati Scriptores luculentis ſanctorum Patrum teſtimoniis, antiquiſſimis Eccleſiæ ſanctionibus, & multis, ac certis exemplis confirmant.

Reſpondeo, nos iſta omnia concedere, &, ſi opus ſit, propugnare: nihil autem eorum Propoſitioni noſtræ adverſari, quæ de illis quatuor eſt *poſitive*, ut ajunt, non *excluſive*. Illa requirimus, non rejicimus alia: dicimus eſſe neceſſaria, ſatis eſſe non dicimus. Ideo vero de illis diſſeruimus, eaque ſtabilire curavimus; quia ſunt magis controverſa, vel certe fuerant magis explananda, & illuſtranda; & quia iis quatuor, tanquam partibus, & conſtitutivis, quæ vocant, continetur eſſentia, ſive ſubſtantia martyrii. Cætera quæ plura hic objiciuntur, primum communia ſunt omnibus Fidelibus proxime morituris; deinde dicuntur melius requiſita, conditiones; diſpoſitiones præviæ. Aut ſi vis, horum aliqua æque pertinere ad eſſentiam martyrii, & in illam includi; ne fiat quæſtio de voce, facile erit, ea ad unum ex tribus poſterioribus revocari. Ut propterea, ſi martyrium ſit definiendum, ſecundum omnes ſuas partes tum eſſentiales, tum integrales, dici poſſe videatur: Voluntaria mortis acceptatio, & perpeſſio Chriſti cauſa, Chriſti exemplo, Chriſti virtute.

Inſtabis, hæc duo ſibi invicem adverſari: primum, quod ad verum martyrium requiratur charitas, & quidem etiam habitualis, quæ ſemper cum Gratia ſanctificante conjungitur, vel eſt prorſus idem; ut proinde qui culpæ lethalis eſt ſibi conſcius, ſacramentalem Confeſſionem, vel ſi hoc non poteſt, perfectam contritionem præmittere debeat. Alterum vero quod martyrium ſit inſtar Baptiſmi, ejuſque vices ſuppleat; cum tamen Baptiſmus Sacramentum ſit mortuorum, quod charitatem, & gratiam ſanctificantem ſive animæ vitam non invenit, ſed adducit.

Reſpondeo per ſe quidem verum martyrem eſſe poſſe illum quoque, in quo Gratia, & Charitas habituales non præcedant martyrium, ſed per illud, aut in illo conferantur. Sic Auctores paulo poſt de more citandi; qui docent, ſolam Attritionem cum Martyrio, ex ſpeciali Chriſti D. privilegio, ad obtinendam juſtificationis gratiam eſſe ſatis. Verum cum hæc ſententia certa non ſit, & unuſquiſque, imminente morte, æternæ ſaluti ſuæ conſulere debeat, quanto melius, ac certius moraliter poteſt; propterea ab illo, qui graviter peccavit, antequam martyrium ſubeat, peccatorum Confeſſionem, vel ſi id non poteſt, Contritionem perfectam præmittendam diximus. Quod quidem planiſſimum eſt. Quamvis enim certum ſit, Attritionem ſolam cum Sacramento Baptiſmi, atque etiam Pœnitentiæ ſatis eſſe, ut deleantur peccata; tamen ab illo qui ea ultimo confitetur, immo etiam ab illo, qui aliquod lethale peccatum commiſerit, & jam morti proximus Baptiſmum ſuſcipiat, exigitur Contritio perfecta, non ratione Sacramenti, ſed ratione præcepti charitatis, quod tunc maxime obligat. Quanto magis igitur id ipſum exigitur, & faciendum eſt in martyrio, quod Sacramentum non eſt, ac licet Baptiſmi vices ſuppleat; ambigitur tamen inter Doctores, utrum illi æquiparetur etiam in hoc; ac ſicut in Baptiſmo, ita & in martyrio ad peccatorum veniam, remiſſionemque ſola Attritio ſit ſatis.

Legendi præcipue, præter Auctores ſuis in

Digitized by Google

in locis memoratos, Suarez, Raynaudum, Maurum, Lauræam, Capiſuccum, Lambertinum, & alios: De prima Propoſitionis parte Cajetanus in Comment. ad 2. 2. q. 124. a. 4. Dominicus Soto in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. a. 2. Hurtadus de vero Martyrio reſolut. 35. & 62. Fraſſen in Scoto Academ. tom. 10. tract. 1. diſput. 1. a. 1. Guyet de Feſtis propriis Sanctor. lib. 2. cap. 7. q. 7. Card. Gottus Theolog. tom. 13. q. 2. de Baptiſmo dub. 2. §. 1.

De ſecunda Propoſitionis parte Wiguer Inſtit. theolog. tit. de virt. Fortitud. c. 6. §. 1. Henriquez in Summa tom. 1. lib. 2. cap. 37. n. 3. & 4. Caſtellinus de certit. Gloriæ Sanct. cap. 8. punct. 20. Rocca de Canoniz. Sanct. cap. 35. Leſſius de Juſtit. & Jure lib. 2. dub. 6. & lib. 3. dub. 3. Gobat Theolog. experiment. tract. 2. cap. 18. Bordonus tom. 3. controv. 13.

De tertia Propoſit. parte Vaſquez in 3. par. diſput. 153. Tannerus diſput. 1. de Baptiſm. q. 4. Leſſius de virtut. lib. 3. cap. 1. n. 36. præterea Layman, Decaſtillo, Conink, & alii plures apud Platelium p. 5. cap. 2. §. 2. apud Bonacinam tom. 1. diſp. 1. punct. 1. & apud La Croix lib. 6. par. 1. tract. 2. cap. 1.

De illis vero, qui pro Religione pugnantes occiduntur, Leſſius iterum de Juſt. & Jure lib. 3. cap. 1. dub. 3. n. 36. Fraſſen in Scoto Acad. tom. 10. tract. 1. diſput. 1. art. 1. q. 3. Clericatus de Baptiſm. deciſ. 27. n. 14. Anacletus Reiffenſtuel in Theolog. Moral. tract. 7. q. 6. diſt. 3. n. 47. Raynaudus de Martyr. per peſtem par. 2. cap. 5. a num. 1. Molpheſius in Sum. tract. 1. cap. 11. n. 30. Maurus Theolog. Schol. tom. 3. q. 97. n. 1. & 2. Schiara in Theol. bellica tom. 2. lib. 8. difficult. 23. Card. Lauræa in 3. Sent. par. tom. 3. diſput. 20. Matthæuccius de Canoniz. tit. 4. cap. 1. §. 1. n. 32. Card. Gottus Theol. tom. 13. q. 2. dub. 3. §. 3. Card. Lambertinus lib. 3. c. 18.

De quarta Propoſit. parte Alphonſus de Caſtro lib. 1. de juſta hæretic. punitione cap. 8. dubit. 4. Granado tom. 1. in 3. par. controv. 2. tract. 1. diſp. 3. ſect. 31. art. 353. Sylveſter de Saavedra de ſacra Deipara diſput. ultim. num. 470. Verricellus de Apoſtol. Miſſion. tit. 1. q. 29. n. 7. Candidus Parthenotimus diſſert. 2. cap. 5. & alii plures a nobis nominati tract. 3. ſub finem Propoſit. 10.

PROPOSITIO II.

De virtutibus heroicis hæc defendimus. I. Omnem Chriſtianam virtutem, ſive theologicam, ſive moralem rectè dividi in heroicam, & communem. II. Omnem virtutem heroicam rectè pariter dividi in heroicam ex rebus, quas agit, & heroicam ex modo agendi. III. Virtutes heroicas aliqua vera ratione dici divinas, & differre a communibus excellentia non tantum rerum, quas agunt; aut modi, quo agunt; ſed etiam principii, ſive facultatis, qua agunt. IV. Ut Heros Chriſtianus, ſive homo abſolutè ſanctus, atque perfectus dicatur, nec ſatis eſſe unam virtutem heroicam, nec neceſſarias eſſe omnes.

I. PRobatur primum. Nomine virtutis heroicæ intelligitur virtus eminens, & excellens, quæ communes, ſive ordinarios humanæ virtutis termi-

Digitized by Google

nos ſupergreditur, eoque & rara, & admirabilis eſt. Quod autem cujuslibet Chriſtianæ virtutis, tum theologicæ, tum moralis ſint aliquæ partes, & exercitationes, quæ hanc eminentiam, atque præſtantiam, raritatem, admirabilitatem habeant, oſtenditur, percurrendo virtutes ſingulas, & in illis deſignando, & notando aliqua, quæ ſunt huius generis, & in ſacris Literis, aut a SS. Patribus maxime commendantur.

In Fide tale reputandum eſt, quod in Virgine Deipara admirata eſt Eliſabeth Luc. I. 45. *Beata, quæ credidiſti*. Nimirum credidiſſe tam prompte tam firmiter res adeo novas, & magnas. Et quod in Abrahamo ſuſpexit Apoſtolus Rom. IV. 18. *contra ſpem in ſpem credidit*. Perſtitiſſe in fide, cum verbis repugnare videretur res ipſa, præceptum promiſſis. Quam ipſam fidem in S. Joſepho una cum Sponſa, & Puero in Ægyptum fugiente agnovit Chryſoſtomus homil. 8. in Matth. num. 3. Similiter in Spe, hujus generis eſt, & tale merito reputatur cum factum ipſum Abrahami, & S. Joſephi; tum quod eſt in Jobi, & Tobiæ Libris; inter tot adverſa nihil eorum ſpem infractam, aut imminutam fuiſſe. Et quod de Matre, & Filiis Machabæis in ſecundo Machab. cap. VII. 6. 11. 14. &c. Quæque de cæteris ſanctis Martyribus in ipſorum actis leguntur. Mitto alia plura non minus eximia, ſingularia, admiranda, ac proinde prorſus heroica, quæ de tribus theologicis virtutibus, & quatuor Cardinalibus, ac reliquis omnibus, quæ his adnectuntur, accurate ac diſtincte recenſent Matthæuccius Tit. 2. cap. 1. 2. & 3. & Card. Lambertinus lib. 3. cap. 21. 22. 23. & 24. Apud quos videri facile poterunt. Hæc ad rem præſentem plus ſatis.

II. Probatur ſecundum. Ratio virtutis heroicæ poſita eſt, ut diximus, in quadam altitudine, & excellentia virtutis, quæ inter illos ipſos, qui ea virtute præditi ſunt, eſt paucorum, ac ſemper admirationem movet. Hoc autem virtutes poſſunt habere, tum ex illis, quæ in ſuo quæque genere agunt, ſi nempe grandia, ſi ardua ſint, vel ex ſe ipſis, vel ex aliqua circumſtantia. Tum etiam ex modo, quo agunt: ut ſi quis agat ea quidem, quæ ſunt ordinaria, & communia, ſed prompte, ſed facile, cum alacritate, cum delectatione, & gaudio, maximaque cum diligentia, &, quod huc etiam pertinet, cum ſtabilitate, & perſeverantia. Recte igitur virtus heroica dividitur in heroicam ex rebus, & heroicam ex modo.

III. Confirmatur hoc ipſum, & explicatur analogia, & convenientia, quæ intercedit inter virtutes, ſive actiones heroicas, ac vera miracula: cum ſint utraque aliquid præter ſolitum, aliquid rarum, & admirabile. Sicut igitur miracula alia quidem dicuntur, quoad ſubſtantiam, alia vero ſolum quoad modum; & hæc etiam ſunt vere, & proprie miracula, & talia cenſentur, ut videre eſt apud S. Thomam p. 1. q. 105. a. 8. ſic etiam virtutes, ſive actiones heroicæ, aliæ dici poſſunt quoad ſubſtantiam, aliæ tantum quoad modum; & hæ quoque ſunt vere, & proprie heroicæ, & tales ſunt habendæ.

Immo id etiam ſimile eſt inter hæc duo. Nam quæ aliqui generaliter vocant miracula quoad ſubſtantiam, alii ſubtilius diſtinguunt, atque omnia, quæ fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ, ut ejus vires excedunt, tres in claſſes, ſeu genera tribuunt. Sic enim S. Thomas loco citato. *Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter. Uno modo quantum ad ſubſtantiam facti, ſicut quod duo corpora ſint ſimul, vel quod Sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere poteſt: & iſta tenent ſummum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, ſed quantum ad id, in quo fit: ſicut reſuſcitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & ſimilia. Poteſt enim natura cauſare vitam, ſed non in mortuo: & poteſt præſtare viſum, ſed non cæco. Et hæc tenent ſecundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi. Sicut cum aliquis ſubito per virtutem divinam a febre curatur, abſque curatione, & conſueto proceſſu naturæ in talibus &c. Et hujuſmodi*

di tenent infimum locum in miraculis. Non abſimili ratione, ſi placet excellentiam virtutis heroicæ propriam ſubtilius diſtinguere, ac minutius concidere. Uno modo actio aliqua communes virtutis etiam ſupernaturalis terminos excedit facti ſubſtantia, ſeu quia id, quod fit, grande eſt, & arduum per ſe ipſum. Ut eſt martyrium, aut vera charitas, & benevolentia erga inimicos. Secundo modo terminos illos excedit, non propter illud, quod agitur, ſed propter illum, qui agit; ſive, ut dixi, ex aliqua circumſtantia. Ut ſi puer ſtatis diebus jejunet, quod de S. Nicolao Myrenſi Epiſcopo legitur vel Rex miniſtret in noſocomiis, quod legitur de S. Ludovico Galliæ Rege. Tertio tandem excedit, & ſupra fines illos ſe tollit, ex modo, quo agitur. Ut ſi homo religioſus moderatoris, ac præpoſiti ſui, nihil admodum grave, aut difficile imperantis juſſa ſemper exequatur prompte, alacriter, eademque attentione, diligentia, cura, qua obſequutus eſt prima vice; ejus obedientia procul dubio heroica erit; nec tamen ex rebus, ſed ex modo.

IV. Probatur tertium. In hominibus ſanctis, in quibus eſt perfecta charitas, & qui, ut infra videbimus, ſunt veri heroes Chriſtiani, Deus ſpecialiſſime inhabitat; &, quod multis argumentis oſtendi in prima quæſtione diſp. 2. num. 1. & 2. & iterum num. 9. 10. &c. & infra magis eniteſcet. Deus illos quodammodo aſſumit, ac movet apte, & congruenter ad repræſentandum ſe ipſum: hoc eſt, ad exprimendam ſimilitudinem divinarum virtutum, quas S. Thomas 1. 2. q. 61. a. 5. ex celebri, ac pervetuſta diviſione virtutum, vocat *virtutes exemplares*; & de hac ſimilitudine aſſequenda per virtutes heroicas, quas ibi ex eadem diviſione vocat *virtutes purgati animi*, dictum exiſtimat Matth. v. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Uti etiam ad Eph. v. 1. *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi*. Sicut igitur quia virtus heroica eſt *virtus jam aſſequentium divinam ſimilitudinem*, ut ait ibidem S. Thomas, propterea aſſurgere dicitur ſupra virtutem communem excellentia actionum, vel modi quo agit: ſic etiam quia ad hoc ipſum Deus hominem aſſumit, ac movet eo modo, quem ſuo loco explicamus, propterea dicimus, virtutem heroicam ſupra communem aſſurgere etiam excellentia principii, ſeu facultatis, qua agit: & eſſe ab utroque aliqua vera ratione divinam.

V. Quod confirmatur. Siquidem antiqui philoſophi, vel ex aliqua Scripturarum notitia, vel ex Hebræorum conſuetudine, heroes ſuos, licet umbratiles, ac veræ, & ſolidæ virtutis vacuos appellabant *Semideos*, non ſolum quod illos ea ſpecie, atque umbra virtutis putabant ad deos accedere; ſed quod putabant, in illis ineſſe aliquid divinum, ut nec noſtri omnino generis eos eſſe crederent, eiſdemque & lucos, & fana dicarent. Sic Plato in Epinomide, in Cratylo, in Timæo, & fortaſſe etiam Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 12. & 14. & lib. 9. Ethic. cap. 1. 7. 8 & alii ante hos. Quod de veris heroibus chriſtiane explicat Auguſtinus & in Deum ſpecialiſſime in ipſis inhabitantem refert Serm. 128. cap. 2. n. 3. *Martyres*, inquit, *nonne teſtes ſunt Chriſti, & teſtimonium perhibent veritati? Sed ſi diligentius cogitemus, quando illi martyres perhibent teſtimonium, ipſe ſibi perhibet teſtimonium. Ipſe enim habitat in Martyribus, ut perhibeat teſtimonium veritati*. Et Serm. 280. cap. 4. n. 4. *vicit in eis* (martyribus) *qui vixit in eis. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus*. (Gal. 11. 20.) Quod qua ratione fieri potuerit declarat etiam diſtinctius Bernardus Serm. 5. in Cant. num. 8. *Illud autem ſcitote, nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, & videlicet nullo mediante noſtri, ſuive corporis inſtrumento, ita nobis immiſceatur, vel infundatur, quo ejus participatione docti, ſive doctiores, vel boni, ſive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis eſt, nullius ego capax. Nec ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt. Sequeſtretur proinde prærogativa hæc ſummo, ac incircumſcripto Spiritui, qui ſolus cum docet Angelum, ſive hominem ſcientiam, inſtrumentum non quærit noſtra corporea.*

Digitized by Google

poreæ auris, ſicut nec ſibi oris. Per ſe infunditur, per ſe innoteſcit, purus capitur a puris. Solus nullius indiget &c. Quem in locum Suarez lib. 2. de Angelis cap. 5. n. 14. *Solus Deus*, inquit, *operatur in mente, vel in alio ſpiritu, cum efficacia, & ſuprema poteſtate in illum; ideoque ſolus etiam dicitur illabi menti hominis, vel Angeli:* & in ipſis *manſionem facere, & inhabitare, & operari* ſpecialiſſimo modo. Nam cæteroquin omnibus eſt præſentiſſimus, & juſtis etiam per Gratiam.

VI. Probatur ultimum. Heroem Chriſtianum eum hic appellamus, & intelligi volumus, in quo eſt Chriſtiana Perfectio, ac vera ſanctitas non ſolum infuſa, ſed etiam acquiſita. Hæ vero, ut apparet ex ipſarum definitionibus a nobis datis quæſt. 1. prop. 2. *n.* 4. & aliis, quæ in tota ea propoſitione tradidimus, non ſunt, niſi illorum, qui perfecte impleant ea duo, quæ præſcribuntur Pſal. XXXVI. 27. *Declina a malo, & fac bonum*. Hæc autem illi ſolum implent perfecte, qui ita ſervant omnia præcepta, ut vitent etiam peccata omnia venialia, ſaltem quæ prorſus deliberata: & inſuper ſequuntur conſilia, non quidem omnia, ſed ea, quæ proprie pertinent ad illam vitæ rationem, & inſtitutum, quod Deo vocante, ſive inſpirante cęperunt.

Quæ quidem cum fieri non poſſint ſine virtutibus, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum a nobis explicatum, heroicis; quod una ſatis non ſit, facile oſtenditur. Fac enim, eſſe in aliquo verbi cauſa eximium tantum vel tuendæ virginitatis, vel corporis affligendi ſtudium. Cum eo poteſt conjungi negligentia reliquorum conſiliorum; immo etiam negligentia aliqua præceptorum. Fieri poteſt, atque adeo facile factu eſt, ut neque quod malum eſt declinetur; nec quod bonum agatur plene, & perfecte.

Hæc ipſa confirmat Eccleſiæ conſuetudo. Siquidem Eccleſia nullum inter Sanctos adſcribit, quem certo non conſtet virtutibus heroicis excelluiſſe quampluribus. Cujus rei fidem faciunt acta Canonizationum, & Pontificiæ ipſæ Bullæ, ſive Apoſtolicæ Literæ, quæ ſub Canonizationem dari ſolent, in quibus eæ virtutes commemorantur, prædicanturque.

VII. Quod tandem in heroe Chriſtiano neceſſe non ſit eſſe omnes virtutes heroicas, ex ipſius pariter Eccleſiæ uſu & judicio aperte colligitur. Quamvis enim Eccleſia hac in re quam cautiſſime agat, & quos Sanctis annumerat, eoſdem Fidelibus, tanquam veræ, conſummatæque ſanctitatis exempla proponat; ſi tamen de aliquo rite probetur excellentia trium virtutum theologicarum, earumque virtutum moralium, quibus illum operam dare; & exerceri, pro ipſius vitæ ſtatu, aut munere, oportuit; ſibi, & cauſæ hac ex parte ſatiſfactum declarat; neque plus exigere, ut videre eſt apud illos, qui de Canonizatione ſcripſerunt; & pariter conſtat ex Actis Canonizationum &c.

Et jure quidem, & merito. Qui enim his virtutibus ita præcellat, is peccata ne levia quidem prorſus advertens, & volens committet; nec ea prætermittet, quæ propria ſunt ſtatus, vel muneris ſui, licet præcepta non ſint.

Immo non ſolum neceſſe non eſt, ut in homine ſancto, & perfecto ſint omnes virtutes heroicæ; ſed plerunque nec eſſe poſſunt. Nam quamvis in omni vitæ genere, ſive hominum ſtatu ab Eccleſia vel poſitive, vel negative approbato locus ſit Sanctitati, ac Perfectioni; non eſt tamen ſimiliter locus actionibus, ſive exercitationibus omnium virtutum, & maxime actionibus, ſive exercitationibus heroicis: Ut eſt manifeſtum. Et quod vulgo dicitur, virtutes omnes morales connexas eſſe inter ſe, ita eſt intelligendum, ut in quo eſt una, præſertim perfecte, & eximie, ſint etiam reliquæ omnes, ſecundum aliquam animi bene affecti præparationem; non vero exercitatione, actuque ipſo, vel habitu inde acquiſito. Ut perſpicuum eſt in Martyribus, atque iis præſertim, qui ex Fidei hoſtibus ſubito ad eam profitendam converſi, & proprio ſanguine baptizati, præter fortitudinem, quæ in ipſis certe heroica fuit, nulla alia morali virtute præditi, vel, quod ſatis eſt ad rem noſtram, inſignes, atque admirandi fuerunt. Huc facit quod ſcripſit Au-

Digitized by Google

Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. n. 34. *Non enim ſinguli quique habent omnia, ſed hi illa, alii alia: quamvis ipſum donum, a quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, ideſt Spiritum Sanctum*. Quod accipiendum non ſolum de illis donis, quæ dicuntur, gratiæ gratis datæ, ſed etiam de virtutibus heroicis, quæ donum ſunt ſpecialiſſimum Dei; & ex ipſius ſpecialiſſima aſſumptione, & motione, ut vidimus, exiſtunt. Quod & Auguſtinus ipſe multis confirmat Epiſt. 167. ad Hieronymum cap. 3. n. 10. 11. &c. Immo & Hieronymus ipſe diſertius in dialogo adverſ. Pelag. lib. 1. circa medium, ab iis verbis; *Quamdiu habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus &c.*

VIII. Objicies contra primam propoſitionis partem, virtutem heroicam Chriſtianam male definiri ab excellentia, a raritate, ab admirabilitate; his enim non ſatis diſtingui a virtute heroica naturali, ſeu philoſophica, de qua Ariſtoteles lib. 7. Ethic. cap. 1. *Imitati, ac feritati*, inquit, *licet poni contrariam excellentem, præſtantemque virtutem, quæ ſupra nos eſt, quæque eadem heroica, ac divina dicenda eſt, ut apud Homerum Priamus de Hectore loquens eum facit virtute præſtanti eſſe.*

Non hic mortali eſt, ſed divum ſemine natus.

Reſpondeo, quæ nos initio diximus, non eſſe definitionem, ſed quamdam notionem, ſeu deſcriptionem virtutis heroicæ ex iis, quæ de illa recepta ſunt apud omnes, ac proinde ad id, quod ibi agitur, efficiendum ſatis, ut putamus, idoneam. Præterea etiamſi definitio eſſet, nego illud peccare, quod nobis objicitur. Ibi enim loquimur de virtute chriſtiana quidem, non tamen ut chriſtiana, ſed ut heroica eſt. Qui autem exponit aliquam notionem communem duobus, reprehendi non poteſt, quod in ea explicatione duo illa non ſatis diſtinguat.

Dices, quid ergo eſt, quod differunt virtus heroica chriſtiana, & virtus heroica philoſophica? Reſpondeo, excellentiam illius eſſe theologicam, ſeu vere, & proprie ſupernaturalem; & virtutes communes, quas ſupergreditur, eſſe pariter ſupra naturam. Contra vero excellentiam alterius eſſe tantummodo naturalem, & intra eoſdem naturæ fines pariter contineri virtutes illas communes, ſupra quas evehitur. Hæc de communi ſententia. Addendum exiſtimo, excellentiam, ſive, ut ita dicam, heroicitatem virtutis philoſophicæ non eſſe abſolute, & ſimpliciter talem, ſed diminute; & ſecundum quid. Ea eſt ratio: quia vera excellentia virtutis eſt aliquid ſupra nos, & quod vera, & propria aliqua ſignificatione, ſive intellectu appellari poſſit, divinum. Quod antiqui ipſi philoſophi confeſſi ſunt, ut apparet ex loco Ariſtotelis nuper citato; ſed cujus modi illud eſſet, non agnovere. Quocirca in virtute philoſophica, ſeu naturali diſtinguendum potius reor plus, & minus, quam heroicum, ſive excellens, & commune. Ut ut ſentiendum ſit de virtutum naturalium excellentia, ut poſſibili; heroes profecto illos, quos Antiqui magnificant, & in Cœlum ferunt, tales re vera non fuiſſe, & a virtutis excellentia, longe abfuiſſe, demonſtrat Card. de Aguirre in tract. de Virtut. & vit. diſp. 12. ſect. 3. & 4.

IX. Etſi autem veram excellentiam in ſolis chriſtianis, ſeu ſupernaturalibus virtutibus reperiri cenſeo; atque eas ſolas proprie dividi in heroicas, & communes; fateor tamen, virtutem heroicam chriſtianam nec mihi definiendam videri ab excellentia, & quæ excellentiam ſequuntur. Nimirum his duobus cauſis. Primum, quia per illam res definitur comparate, non ſimpliciter, & ſecundum ſe. Deinde, quia non definitur per differentiam primariam: cum prædicatio excellentiæ, quæ comparativa eſt: nitatur in aliqua prædicatione abſoluta; qualis eſt, quod virtus heroica chriſtiana aſſequatur divinam ſimilitudinem: quod imitatione, quam poteſt in homine mortali eſſe perfecta, repræſentet virtutes exemplares, quæ ſunt in Deo, & in Chriſto, & ſimilia. Quæ tamen ipſa nituntur in alio, neque in illis mens acquieſcit, ſed ultra progreditur, & inquirit, quid tandem ſit, quo virtus heroica chriſtiana ad Dei ſimili-

militudinem pervenit; ac divinum exemplar refert, atque exprimit tam perfecte.

X. Ut his ſatisfiat, confugiendum de more ad ſacras Literas, & illinc petenda reſponſio. Duo inter ſe oppoſita extrema, ſeu duplicem hominem in uno eodemque homine diſtinguunt ſacræ Literæ. Hominem ſcilicet animalem, & hominem ſpiritualem. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei &c. Spiritualis autem judicat omnia.* (1. Cor. II. 14. 15.) *prius quod animale; deinde quod ſpiritale.* (Ibid. xv. 46.) *Hi ſunt animales, ſpiritum non habentes.* (Jud. 19.) Similiter hominem terrenum, & hominem cœleſtem. *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cælo, cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* (1. Cor. xv. 47. 48. 49.) Et pariter hominem veterem, & hominem novum, ſeu renovatum a Chriſto, & agentem, quæ Chriſti ſunt, ſeu viventem ſecundum Chriſtum. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati &c.* (Rom. VI. 6.) *deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem &c. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* (Epheſ. IV. 22. 23. 24.) Porro in hoc duplici homine extrema inter ſe maxime oppoſita ſunt immanitas, ſeu feritas, quæ inſignis quædam vitioſitas, & improbitas eſt; & virtus heroica, ſeu divina, de qua loquimur. Quæ media ſunt, prout ad unum, vel alterum hominem, extremumque pertinent, ſunt aut communia vitia, aut virtutes communes. Ut autem media dicantur, habere debent hæc duo. Primum, ut ad ſuum extremum ita accedant, ut ad illud nullo modo perveniant; hoc eſt neque actionis ſubſtantia, nec modo. Deinde, quod eſt fere idem, aut ex illo ſequitur, ut ad unum extremum ita accedant, ut ab altero non prorſus recedant; hoc eſt, ut non ſint illi extreme oppoſita; & cum ad unum hominem pertineant, nonnihil tamen habeant ex homine adverſo, & contrario. Itaque virtus, quæ ita ſit hominis ſpiritualis, cœleſtis, ſecundum Chriſtum, ut actionis vel ſubſtantia, vel modo pura ſit, & libera ab omni affectione animali, ac terrena veteris hominis; cum ad extremum ſuum, hoc eſt, ad rationem virtutis heroicæ abſolute pertingat, virtus heroica abſolute denominari poteſt. At vero virtus, quæ ita ſit hominis ſpiritualis, cœleſtis, ſecundum Chriſtum, ut actionis ſubſtantia, & modo aliquid trahat etiam ex homine animali, ac nonnihil admixtum habeat terreni ponderis, & affectionis contrariæ; virtus media, & communis dicenda eſt: ac proportione ſervata idem dicendum de vitiis.

His poſitis, virtus heroica definiri poſſe videtur: Virtus, quæ in ſuo genere ita fertur ad cœleſtia, & divina, ut actionis vel ſubſtantia, vel modo nihil inhæreſcat terrenis, & humanis. Seu: Virtus hominis, quæ in actionis ſubſtantia, vel modo nihil humani retinet. Quod ſi videtur hæc definitio congruere virtuti heroicæ, potius ut eſt idem, aut fere idem, quod virtus purgati animi, quam ſecundum propriam rationem virtutis heroicæ; Definiri etiam poteſt: Virtus hominis adhuc mortalis, ex principio agendi, & ex actione ipſa, aliqua vera & propria ratione, divina. Prima definitio eſt virtutis heroicæ chriſtianæ, ut illi convenit cum virtute purgati animi, vel eſt prorſus idem. Altera eſt virtutis heroicæ chriſtianæ; ut proprie chriſtiana virtus heroica eſt.

XI. Objicies contra ſecundam propoſitionis partem, male dividi virtutem heroicam in eam, quæ talis eſt quoad ſubſtantiam; & eam, quæ talis eſt quoad modum. Has non eſſe duas ſpecies virtutis heroicæ; ſed duas partes, & partes ejuſmodi, quarum alterutra ſublata, virtus heroica tollitur. Reſpondeo, hæc ex omnibus, quæ ſupra dicta ſunt, ſatis refelli; & præſertim miraculorum exemplo, quorum ſimiles eſſe virtutes heroicas diximus. Ut res tamen magis perſpicua fiat, diſtinguendum inter virtutem manentem, ſive habitualem; & moventem, ſive actualem. De hac eſt certe falſum, quod hic objicitur. Siquidem

dem

Digitized by Google

dem martyrium, ſi vere martyrium eſt, eſt actio ſemper heroica ex S. Thoma p. 1. q. 124. a. 3. neque tamen martyres omnes, ut ex Chryſoſtomo in præcedente propoſitione notavimus, prompte, alacriter, cum gaudio amplexi, ac perpeſſi ſunt cruciatus, & mortem. Ad eorum aliquos accomodari poteſt, quod ex 1. Reg. VI. 12. *Ibant autem in directum vaccæ ... & itinere uno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant &c.* ſcribit Gregorius lib. 7. in Job cap. 30. n. 42. & iterum lib. 2. in Evangel. homil 37. n. 4. de quibuſdam ſanctis viris: *pergunt, & gemunt; d ut ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non deflectunt greſſus &c.* Quod pergunt, neque deflectunt, actio heroica eſt quoad ſubſtantiam: quia vero iiſdem mœrent, ac gemunt, non eſt heroica etiam ex modo. Viciſſim vero omnes actiones Beatæ Virginis, ut pium eſt credere, fuerunt heroicæ: nec tamen in omnibus vincenda fuit ingens aliqua difficultas, aut aliud faciendum, quo actio illa, ſubſtantia, & magnitudine facti heroica diceretur. Fuerunt igitur aliquæ heroicæ ex modo; hoc eſt, præter illa, quæ ſupra dicta ſunt, ex intentione, ex diligentia, ex charitate, & omnino ex perfectione, qua editæ ſunt: quæ pariter omnia complectimur nomine modi.

Quod ſi ſermo ſit de virtute heroica permanente, ſive habituali, quicquid illud ſit, in quo eam phyſice conſiſtere velis; exiſtimatione morali; ſive ſapientum judicio, non cenſetur habere virtutem heroicam, quæcunque illa ſit, qui ſemel tantum aliquid eximium, vel re, vel modo, vel utroque, in eo genere fecerit; niſi forte ſi actio illa præſtantiſſima, & ſumma fuerit. Cum autem ad denominandam virtutem heroicam permanentem, plures, & excellentes actiones requirantur, ſatis ad hoc eſſe dicimus, ſive actiones illæ excellant modo. Hoc tamen diſcrimine, quod ſi actiones illæ ſunt heroicæ tantum ex modo, ad denominationem illam præſtandam multo plures ſint neceſſariæ. Immo id ipſum ſequi arbitror ex longa, nec interrupta ſerie bonarum actionum & quoad modum, & quoad ſubſtantiam communium. Si tamen ea ſeries ejuſmodi ſit, quæ difficultatem, & admirationem, quam non habet in ſingulis illis actionibus, habeat in univerſis. Quæ quidem ita ſe habet, quoad nos, & ut res plerunque contingit. Nam apud Deum id, quod per ſe commune, exiguum, & factu facile eſt, interdum fit modo adeo excellenti, & perfecto, ut ſolum ipſum ad eam denominationem tribuendam ſit ſatis. Quod diviſionem a nobis propugnatam mirifice comprobat.

XII. Objicies contra tertiam propoſitionis partem: ſine iſtiuſmodi principio divino; hoc eſt, ſine ſpeciali Dei illapſu in animam Juſti, ejuſque aſſumptione, & motione ſupra deſcriptis; ex ſolo habitu virtutis infuſo, cum Dei gratia excitante, & adjuvante, exiſtere actiones ſupernaturales etiam heroicas.

Probatur hoc. Ex ſolo habitu charitatis, & præſertim ſi erit aliquanto auctior, atque perfectior quam erat in via, nam *Charitas nunquam excidit;* (1. Cor. XII. 8.) & ex ſolis aliis principiis creatis exiſtit in Beatis amor ille, quo beati ſunt: quin opus ſit, Deum in ipſos illabi, & in illis manere, & agere, tanquam animæ vitam, ſeu tanquam motorem in mobili ipſum repræſentante, & quæ alia ſupra expoſita ſunt.

Reſpondeo, a nobis negari & aſſertionem, & probationem. Utraque enim falſa eſt, & ſecum pugnat; cum rejiciat principium ſive illapſum divinum, & ea ponat in Anima, quæ ſine illo eſſe nequeunt. Ut enim ex SS. Auguſtino, Thoma, Bonaventura docet Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. n. 16. toties in Animam juſti illabitur Deus, & ad illam Filius, & Spiritus Sanctus mitti dicuntur, Pater vero, qui non eſt Perſona procedens, venire dicitur, quoties in ea ſunt novo, ac perfectiore titulo, & ad nobiliores, & præſtantiores effectus. Sive, ut ipſe explicat, quando augetur inſigniter gratia, & charitas, vel notabiliter immutatur operandi modus, atque ex ordinario, & communi fit gradus ad extraordinarium, & excellentem; & ex hoc rurſus ad alium multo excellentiorem, ac perfectiorem. Sed hæc omnia veriſſime contingunt primum quidem in hominibus per-

Digitized by Google

perfectis, & qui heroice agunt; deinde vero in Beatis, qui Deum aperte contuentur, ac fruitive, ut ajunt, & inamiſſibiliter diligunt: in utriſque igitur, una cum principiis creatis, quæ non excludimus, nec ſua actione privamus, admittendus eſt hic Dei illapſus, atque illorum aſſumptio, ac vita divina, quam ſuo loco expoſuimus; ac dici poteſt in illis quidem virtus heroica in actu primo; in his vero beatitudo pariter in actu primo.

XIII. Dices, a multis non ſolum rejici, ſed aliqua etiam cenſura notari Henricum Gandavenſem, quod in illapſu divinitatis in Animam beatitudinem poneret. Reſpondeo, hoc fieri ab illis, qui exiſtimarunt, Henricum id docere de beatitudine in actu ſecundo, non vero tantum de beatitudine in actu primo. Qui opinati ſunt, illum in hoc illapſu reponere beatitudinem ipſam formalem, non vero hujus beatitudinis cauſam. Quod fortaſſe tantum volebat Henricus, quæque expreſſa eſt aliorum inſigniorum Doctorum ſententia. S. Thomas p. 1. q. 43. a. 6. ad. 3. *Dicendum*, inquit, *quod ad Beatos eſt facta miſſio inviſibilis in ipſo principio beatitudinis*. S. Bonaventura in IV. Sent. diſt. 49. q. 4. ad 3. dicit, Deum eſſe intime præſentem beatis non tantum *ut eos conſervat in eſſe naturæ*, *ſed ut eos conſummat in eſſe gloriæ*. Ægidius lib. 4. de beatit. q. 3. a. 1. n. 9. *Non poteſt*, inquit, *dubitari*, *quod in Patria detur nova inexiſtentia in Beato*, *ſicut in templo*, *&* *ſubinde*, *quod detur nova miſſio divinarum Perſonarum*. Et Cajetanus in Comment. p. 1. q. 12. a. 2. *oportet enim videntem Deum eſſe quodammodo Deum &c.* Plura de hoc apud Suarez loco ſupra laudato, ubi multis perſequitur *ſingularem præſentiam*, *&* *exiſtentiam*, *quam Deus habet in Beatis*.

XIV. Inſtabis, & quæres, quid ſit, quod Deus, qui ſpeciali titulo eſt in omnibus juſtis, non dicatur tamen illos aſſumere, neque eſſe in illis animæ animam, ſive animæ vitam, niſi tantum, ut ajunt, in ſenſu analogico, aut metaphorico. Idem vero Perfectos, & Chriſtianos heroes, & multo magis Beatos dicatur quodammodo aſſumere, & eſſe in eiſdem animæ animam, ſeu vitam animæ in ſenſu & morali, & phyſico etiam, quanquam non proprio, & formali, ſed æquivalenti.

Reſpondeo, hoc eſſe diſcrimen, quia Deus in hominibus juſtis eſt tanquam motor in mobili; ſeu tanquam virtus aſſiſtens, eoſque movens ad actiones quidem ſalutares, ſed communes, & ordinarias, per ea gratiæ actualis auxilia, quæ, ut Doctores myſtici, & ſcholaſtici ajunt, Gratia habitualis plura *connaturaliter* exigit. Quo dici poteſt exempli cauſa eſſe in illis eo fere modo, quo Angeli ſunt in iis Cœli orbibus, quos movent, ac verſant, prout univerſitatis bonum, & conſervatio petit. Quos certe non dicuntur aſſumere, nec animare, niſi tantum analogice, ac metaphorice. At vero in hominibus perfectis, & quorum ſunt actiones heroicæ, ac multo magis in Beatis, eſt Deus, tanquam motor in mobili, non qualicunque, ſed motorem ipſum repræſentante. Eſt in illis tanquam virtus non utcunque aſſiſtens, vel utcunque movens; ſed movens extraordinariis auxiliis, ac modis; & movens apte, & congruentur ad manifeſtandum per illorum actiones ſe ipſum. Eo fere modo, quo S. Thomas p. 1. q. 51. a. 2. ad 2. docet Angelos eſſe in illis corporibus, quæ ſibi aptant, quando nobis apparent. Quare dicimus, Angelos ea corpora aſſumere, & illa animare etiam phyſica quadam ratione, non quidem propria, ſed æquivalenti; hoc eſt, imitante eum modum, quo forma vitæ animat corpus. De quo Suarez lib. 4. de Angelis cap. 36. n. 7. & 8. *Ideo Angelus dicitur aſſumere corpus*, *quia illo utitur ad ſe præſentandum*. *Hæc autem repræſentatio in hoc principaliter conſiſtit*, *quod Angelus aſſumens corpus*, *ita illo utitur*, *ut una perſona cum ipſo eſſe*, *&* *in illo*, *ac per illud*, *non tanquam extrinſecus motor*, *ſed tanquam intrinſecum principium operari videatur*. *Ita ut per illa corpora ſe repræſentent*, *ad eum modum*, *quo anima per externas operationes ſe manifeſtat*; *non quidem ad æqualitatem*, *ſed cum quadam imitatione*. Quibus alia plura ſubjungit omnino ad rem noſtram.

Quamvis igitur Deus ſpecialiter inhabitet

bitet in omnibus juſtis; quia tamen in aliis, quos diximus, quorum actiones vere Deum repræſentant, & divinam ſimilitudinem aſſequuntur, multo etiam ſpecialius inhabitat; & in illis ita eſt, ut per ipſorum actiones ſe repræſentet ad eum fere modum, quo anima per externas operationes ſe manifeſtat; propterea hos, & non illos aſſumere dicimus; in his, & non in illis eſſe animæ animam, ſive eſſe vitam etiam in ſenſu phyſico æquivalenti. Vide alia plura, quæ diximus q. 1. prop. 2. Cæterum de modo loquendi, ut libet: res habes quid inter ſe diſcrepent.

XV. Objicies contra ultimam partem, nimis anguſtam, & humilem Chriſtiani herois ideam a nobis conſtitui, qui in illo interiorem malarum cupiditatum oppugnationem, & peccata ipſa licet venialia, & minus deliberata relinquimus. Hanc doctrinam non eſſe probandam; primo, quia homo perfectus eſt ille, in quo nihil eſt vitii, nihil deeſt virtutis, quæ ad ipſum pertineat. Deinde, quia virtutes purgati animi, ad quas revocari virtutes heroicas neceſſe eſt, utrumque reſpuunt, & peccata, & malas ipſas cupiditates, ut vel ex ſolo illarum virtutum nomine apparet. Tertio, quia canon Tridentini, in quo hæc doctrina maxime nititur, nimirum *non poſſe vitari omnia peccata etiam venialia, niſi ex ſpeciali Dei privilegio*, intelligendus eſt de impotentia, ſive impoſſibilitate, ut ajunt, morali, non phyſica, aut metaphyſica: nempe, ut vitari difficile poſſint; non vero, ut vitari ſimpliciter non poſſint. Quemadmodum intelligendi ſunt loci ſimiles S. Auguſtini, in quibus ait, eſſe quædam præcepta, quæ mortales exequi non poſſunt. Quarto demum, quia ſic eſſe non poſſet in hominibus juſtis, atque perfectis univerſale propoſitum vitandi omnia peccata venialia; neque liceret, ad hoc voti religione ſe obſtringere. Quod tamen ſanctos juxta & doctos aliquos homines feciſſe compertum eſt.

Reſpondeo, Perfectionem, quam in heroe chriſtiano adverſarii requirunt, non eſſe vitæ mortalis, ſed vitæ beatæ. Ad eam Perfectionem pervenire nec naturæ eſſe, nec gratiæ: niſi gratia ſeu privilegium fuerit maxime extraordinarium, & ſingulare; quale præterquam B. Virgini, fortaſſe conceſſum eſt nemini. Quod non ſit naturæ eſt dogma Fidei adverſus Pelagianos, de quorum celebri Apathia Honoratus a S. Maria in Tradit. PP. de Contemplat. tom. 2. p. 3. diſſert. 8. Quod vero neque ſit gratiæ, ordinariæ, & communis ut etiamnunc aliqui vellent, quorum eſt oppugnatio præſens, egregie probat ex Scripturis, Conciliis, & Patribus Suarez lib. 9. de Gratia cap. 8. a n. 18. Id omnino tenendum, & illorum, quæ nobis hic objiciuntur.

XVI. Ad primum dicendum, ſolum in Patria deſiturum omne peccatum, ac peccati fomitem. Quare, ſi nomine vitii hæc intelligat adverſarius, concedenda ipſius aſſertio de Perfectione Patriæ; neganda de Perfectione viæ. Ac de utraque legendus Alvarez de Paz tom. 1. lib. 3. cap. 2. Immo & S. Thomas Sect. 2. in Epiſt. ad Philip. III. 12. & 2. 2. q. 24. a. 8. ad 2. & 3.

Ad ſecundum dicendum, virtutes purgati animi non ſic appellari, quod in appetitu inferiore nihil contrarium experiantur; cum de hoc queratur ipſe Apoſtolus ad Rom. VII. 17. 18. &c. & II. ad Cor. XII. 7. Neque quod in homine ſint, qui ne leviter quidem unquam offendat, aut peccet; quoniam ut docet Tridentinum Seſ. 6. cap. 11. *in hac mortali vita homines quatumvis ſancti, & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadunt; & illorum quoque ea vox eſt humilis, & verax, Dimitte nobis debita noſtra*. Sic ergo appellari a ſuperiore potiſſimum animi parte, ejuſque motibus plene deliberatis, ac propriis ipſarum virtutum actionibus, quæ utique purgatiſſimæ ſunt, & ut diximus, ita feruntur ad cœleſtia, & divina, ut nihil inhæreſcant terrenis, & humanis. Ita ſunt hominis ſpiritualis, ut nihil admixtum habeant ex homine animali.

Ad tertium, ne diſputemus de modo loquendi, eſto eam voces impotentiam, ſive impoſſibilitatem moralem, eſt in eo genere una ex majoribus. Et vitare culpas

pas omnes, etiam leves, ſine ſpeciali privilegio, res eſt non ſolum valde difficilis, ſed quæ fieri plane non poteſt. Quod certum eſt, tum ex capite undecimo ejuſdem Seſſionis nuper citato, tum ex omnibus Scripturarum, & Patrum teſtimoniis, ac cæteris argumentis, quibus hæc ſententia probatur. Nec novum eſt, aut ignotum, eſſe aliquas & demonſtrationes, & neceſſitates, & impoſſibilitates morales, quæ phyſicas vincunt, ac methaphyſicas æquant; & nihilo minus quam illæ aut connectuntur cum terminis ſuis, aut illis opponuntur. Talis cenſetur, demonſtratio Dei ex pulchritudine mundi. Talis, neceſſitas conſentiendi alicui ſupernæ vocationi, ſive auxilio disjunctim, & vage, ex innumeris, quæ poſſunt haberi. Talis, impoſſibilitas deſcribendi poema Virgilii jactu fortuito literarum; vel jactu talorum ter decies millies repetitoexhibendi ſemper eundem numerum. De quibus vide Bellarminum de Juſtific. lib. 3. cap. 2. Elizalde de vera Relig. quæſt. 31. num. 537. Huetium Demonſtrat. Evang. Axiomat. 4. num. 1. 2. 3.

XVII. Ad id vero quod additur ex Auguſtino, ſunt diſtinguenda præcepta. Nam ſi ſermo eſt de veris præceptis, quæ proprie nos obligant, & adſtringunt, eaque qui non obſervant, proprie peccant; hæc præcepta ſi quibus in locis Auguſtinus dicit non poſſe obſervari, ita eſt accipiendus, ut non poſſit hoc fieri ſine gratia; vel etiam data gratia ordinaria, & communi, ut non poſſit hoc fieri, præſertim ab aliquibus, ſine magna difficultate, non vero ut non poſſit hoc ſimpliciter fieri. Quemadmodum ipſe declarat in libro de Nat. & Grat. primum cap. 43. n. 50. ubi ait, *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Et ſubinde cap. 69. n. 83. in quo illa: *Eo quippe ipſo quo firmiſſime creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. De quo recole, quæ a nobis dicta ſunt in Enchir. adver. Janſen. Prop. 1.

Si vero ſermo ſit de aliis præceptis, quæ minus proprie talia dicuntur, cujuſmodi ſunt, quæ Auguſtinus pertinere ait ad *perfectionem juſtitiæ*; de his ita eſt intelligendus, ut in hac vita mortalium, ſine gratia maxime extraordinaria, ac penitus ſingulari, non ſolum facile non poſſint impleri, ſed nec impleri poſſint ſimpliciter, aut ullo modo.

Sic enim habendum, quam ἀπάθειαν *apathian*, cupiditatum, perturbationum, affectuum vacuitatem, vocavit S. Hieronymus adverſus Pelagium ad Cteſiphontem, S. Auguſtinum eodem ſenſu, & ſignificatione vocaſſe, *juſtitiæ perfectionem*. Ita in libro de Spir. & Lit. cap. 1. n. 2. & 3. & alibi ſæpe. Atque, ut idem concludit de Nat. & Grat. cap. 63. n. 72. *Facere eſt ergo juſtitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare; perficere autem, omnino adverſarium non habere. Omnino non concupiſcere perfectio boni eſt*, ait idem tract. 41. in Joan. num. 12. Quippe eodem modo definit S. Doctor, quid ſit *facere*, & *perficere bonum*, in libro de Perfect. Juſt. cap. 11. n. 28. lib. 1. ad Bonif. cap. 10. n. 19. lib. 3. cont. Julian. cap. 26. n. 62. & lib. 5. cap. 7. n. 30. & aliis pluribus in locis. Quid ſit, *perfectio boni*, lib. de Continent. cap. 8. n. 20. lib. 1. ad Bonif. cap. 10. n. 19. lib. 1. de Nupt. & Concupiſc. cap. 27. n. 32. lib. 1. Retract. cap. 15. n. 2. &c. Quid ſit, quod ipſe vocat, *bonum imperfectum* lib. de Geſt. Pelagii cap. 9. n. 21. lib. 2. cont. Fauſtum cap. 27. &c. Quid ſit, *eſſe omni ex parte perfectum* lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 27. n. 3. lib. 2. cont. Jul. cap. 8. n. 13. de Geſt. Pelag. cap. 14. n. 37. Quid ſit, *eſſe ſine peccato*, lib. 19. de Civit. cap. 4. lib. 1. de pec. merit. cap. 39. n. 69. lib. de Nat. & Grat. cap. 63. n. 72. de Geſt. Pelag. cap. 14. n. 30. &c. Ex his apparet, quæ ſit perfectio Patriæ, & quæ perfectio viæ: & qualis olim fuerit adverſus Pelagianos controverſiæ ſtatus, quem ſic proponit Auguſtinus lib. de Spir. & Lit. cap. 2. n. 4. *Putant ſine adjutorio Dei per ipſam vim voluntatis humanæ vel juſtitiam poſſe perficere. Nos autem dicimus* (ibid. cap. 3. n. 5.) *humanam voluntatem divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, reſiſtendo concupiſcentiæ carnis*, (lib. 5. cont. Julian. cap. 6. n. 24.) *quod hic fieri po-*

ri po-

Digitized by Google

ri poteſt; non ea prorſus carendo, quod hìc fieri non poteſt; (lib. 1. de peccat. merit. cap. 39. n. 69.) *niſi forte miraculo ineffabili omnipotentiſſimi creatoris*. (lib. de Nat. & Grat. cap. 43. n. 50. &c. lib. 1. de pec. merit. cap. 39. n. 69.) Hæc ſi accurate diſtinguantur, plana eſt S. Auguſtini mens de præceptorum, ut ajunt, poſſibilitate, & impoſſibilitate, & a Lutheri, Calvini, Baji, Janſenii, aliorumque prava intelligentia, & calumniis facile vindicatur. *Nempe*, ut ait S. Doctor de Perfect. Juſtit. cap. 5. n. 11. *generalis prohibitio eſt, Non concupiſces; & generalis juſſio, Diliges*: ſed utraque duplicem ſenſum habet; alterum de facienda, alterum de perficienda juſtitia: *illud in opere eſt, illud in fine* (ibid. c. 15. n. 36.) *Nunc enim fieri bonum poteſt, ut male concupiſcentiæ non conſentiatur; perficietur autem bonum, cum ipſa concupiſcentia finietur*. (lib. de Contin. cap. 3. n. 6. & cap. 8. n. 19 & 20.) *Hoc enim lex potuit dicendo, Non concupiſces, non quod hìc valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus*. (Epiſt. 196. ad Aſellic. c. 2. n. 6.) S. Auguſtino prorſus inhæret S. Thomas 2. 2. q. 44. a. 6. quem ita concludit: *& ideo plene, & perfecte in patria implebitur hoc præceptum: in via autem impletur, ſed imperfecte*. Cum nimirum Sancti, ut ait Auguſtinus lib. 5. cont. Jul. cap. 7. n. 30. *etſi non hìc perficiunt bonum, quod volunt, ut non concupiſcant; faciunt tamen bonum, ut poſt concupiſcentias ſuas non eant*.

Illud autem notandum cum S. Thoma ibid. ad 3. ſive putentur duo eſſe præcepta, unum de facienda, alterum de perficienda juſtitia; ſive dicatur, eſſe idem præceptum, quod ſolum in Patria poteſt impleri perfecte; non fruſtra hìc eſſe poſitum. Sic Auguſtinus de perf. Juſt. cap. 8. n. 19. *Cur ergo non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, ſi quo currendum eſt, neſciatur*. Alteram quoque affert cauſam ibid. c. 5. n. 11. & alibi ſæpe ut lib. 3. de peccat. merit. & remiſs. cap. 13. nu. 23. *in quibuſdam etiam juſtos ſuos, quoniam adhuc extolli poſſunt, non adjuvat ad perficiendam juſtitiam. Nec in eo ipſo vult nos damnabiles eſſe, ſed humiles*. (lib. 2. de peccat. merit. cap. 19. n. 33.) Quod pariter notandum eſt, ne putentur proprie peccare, qui his concupiſcentiæ motibus oppugnantur. Plures tandem ejuſdem præcepti cauſas congerit lib. de Spir. & Lit. cap. 36. n. 64. & in Pſalm. 146. n. 11. Quæ ita concludit: *Hoc præceptum implebimus, cum Deum videbimus facie ad faciem; cum ipſe conſolidabit ſanitatem, & non erunt jam impoſſibilia nobis, quæ modo impoſſibilia ſunt*. Recole quæ diximus in Enchir. adverſ. Janſen. Propoſ. 1. & 3.

XVIII. Ad quartum, & ultimum dico, propoſitum illud, licet univerſale ſit, & nullum particulare peccatum explicite deſignet, reſpicere tamen peccata etiam venialia, ut committuntur: ac proinde reſpicere ſingula, non omnia; vel potius reſpicere quidem omnia, ſed diſtribute, & diviſim, non copulate, & conjunctim. Porro peccata ſingulatim accepta, quantumvis levia, & minima, poſſunt vitari. Alioquin peccata non eſſent, nec imputarentur, aut punirentur. Quare in noſtra etiam ſententia locus eſt illi propoſito. Hæc eſt expreſſa S. Thomæ doctrina p. 3. q. 87. a. 1. ad 1. ex S. Auguſtino epiſt. 187. num. 18. &c. Atque idem dicendum de Voto: de quo ad ea, quæ diximus, illud etiam accedit, quod Votum, quo ſe ſancti, & docti homines obligarunt, fuit de peccatis venialibus plene deliberatis; aut certe tale, ut peccatis venialibus, ſolum plene deliberatis, graviter violari potuerit. Plura de hoc Theologi, qui præſertim de moribus ſcribunt. Quorum ſententias expendit La Croix lib. 3. p. 1. de Voto a num. 402.

XIX. Inſtabis, memorari, & commendari ab Eccleſia, quod fecit S. Andreas de Avellino, ut Voto ſe obligaret maxime *arduo quotidie proficiendi in virtutibus*. Jam vero ſi homo poteſt in hoc genere quotidie proficere, poterit etiam eo tandem pervenire, ubi omnibus & peccatis, & perturbationibus careat. Reſpondeo, iſtud non ſequi: immo ſequi contrarium. Nam ſi homo in ſtatu viæ, quem dicunt, poteſt quotidie in virtute, & ſanctitate proficere;

T 2 poteſt

poteſt ab omni immunditia, ſeu vitioſitate ſe quotidie magis & mundum, & liberum reddere; cum in his duobus ſanctitatem reponat Dionyſius Areop. de divin. Nom. cap. 12. §. 2. Nunquam igitur in ſtatu viæ eſt ab omni vitio penitus, & uſquequaque mundus, ac liber. Hinc illud Apoc. XXII. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc*. Et Eccli. XVIII. 22. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari*. Quæ Trident. ad rem præſentem citat Seſ. 6. cap. 10.

XX. At, inquies, ex S. Thoma p. 3. q. 15. a. 2. *quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis*. Poterit igitur ita perfici virtus, ut vis illa penitus atteratur. Nego pariter iſtud ſequi, pro ſtatu viæ. Nam quod *caro non concupiſcat* amplius *adverſus ſpiritum*, (Gal. 5. 17.) non poteſt obtineri, niſi fomite penitus ſublato, & extincto; vel ſaltem ligato.

Ligari autem fomitem, apud Myſticos eſt, externa Dei providentia, & tutela arceri ab homine ea omnia, quæ in ipſius inferiore appetitu poſſent motus minus ordinatos ciere, & afficere. Fomitem vero penitus tolli, & extingui, eſt interiore aliquo Dei dono inferiorem appetitum ita rationi ſubjici, ut neque ante, neque contra rationis, & voluntatis imperium moveatur. Ut illas non prævertat, neque ipſis reſiſtat. Quo nec ſanctiſſimi homines pervenere, aut pervenire queunt; neque ſunt illis conceſſa; ſed omnino extraordinaria, & ſingulariſſima ſunt. Plura de his Suarez lib. 9. de Grat. cap. 7. & Lancicius Opuſc. 4. præſertim cap. 7.

Legendi præcipue, præter Scriptores ſuis in locis memoratos, de prima propoſitionis parte Caſſaneus in catalogo Gloriæ Mundi par. 3. conſider. 49. Maſcardus de probation. Concluſ. 262. num. 4. Maderna in Opuſc. theolog. tom. 2. tract. 6. quæſt. 3. art. 2. Card. Lauræa tom. 2. in III. Sent. diſt. 32. præcipue art. 3. 4. 5. & ultimo.

De ſecunda propoſitionis parte Felix de Matta par. 2. cap. 15. & par. 4. cap. 6. Clericatus in Deciſionib. Miſcellan. deciſ. 108. De Eſparza de virtutib. Moral. q. 5. Illation. de virtute heroica, præcipue ab art. 10. Lapius in Opuſcul. de Heroicit.

De tertia propoſitionis parte S. Thomas a Villanova ſerm. de Dedic. Eccleſ. Leſſius lib. 12. de div. Perfect. & lib. 2. de ſummo Bono. Manſi Biblioth. Moral. tract. 7. ſerm. 15. De la Reguera Theol. Myſtic. lib. 1. q. 6.

De quarta Scacchus de notis, & ſignis Sanct. ſect. 1. cap. 8. Contelorus de Canoniz. Sanctorum cap. 15. Caſtellinus de certitudine Gloriæ Sanctor. in Append. ad cap. 4. ſect. 1. Lezana Theolog. tom. 3. tit. 4. diſt. 4. quæſt. 11.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De Meditatione, & Contemplatione; veris, falſiſque miraculis, Viſionibus, Apparitionibus, Revelationibus, aliiſque ſanctitatis characteribus externis.

PROPOSITIO I.

De Contemplatione hæc affirmamus. I. Contemplationem a ſimplici meditatione univerſè, & ex ipſo genere hoc differre, quòd in illa mens evehitur ad novum cognoſcendi modum, altiorem humano, & angelico ſimilem. II. Contemplationis plures eſſe ſpecies, & gradus. III. Ex his tamen nullum pervenire ad apertam, & claram Dei viſionem; quam nec Moyſi, nec Paulo Apoſtolo, neque ulli mortalium datam contendimus, Dei Matre tamen excepta. IV. Perfectæ contemplationis cum ſuperna beatitudine magnam eſſe convenientiam, & ſimilitudinem; & utramque in Θεοποίησι, *Theopyſi, Deificatione, ſeu Transformatione animæ in Deum, quam explicabimus, eſſe reponendam.*

I. PRobatur primum. Angeli, ut in præcedente Tractatu oſtendimus, non intelligunt colligendo, & concludendo unum ex alio, in quo eſſet ratiocinatio; immo nec componendo, & dividendo, in quo eſſet proprie judicium affirmans, aut negans: ſed eſt in illis ſimplex veritatis intuitus; non qualis eſt in nobis, quæ mera dicitur mentis apprehenſio; ſed qui concluſiones in principiis, & prædicata in ſubjectis, remque totam ſubito pervidet, ac proinde altiori modo, ſive eminenter, ut ajunt, judicium, ratiocinationemque continet.

Jam vero, quod in contemplatione attollatur mens hominis ad ſimplicem rerum cœleſtium, ac divinarum intuitum nunc expoſitum, probatur ex communi definitione contemplationis, quæ apud Doctores reperitur, hac ſententia, atque etiam his fere verbis: *Elevatio Animæ in Deum, per ſimplicem mentis intuitum, & ardentiſſimæ charitatis affectum.* In eo conſentiunt omnes, quod in contemplatione Anima ceſſet a communibus operationibus mentis, ac tota occupetur, ac defigatur in Deum, & videndo, & amando. Videndo, inquam, non clare, & aperte, nec ſine ſpecie; immo nec ſine corporalium phantaſmatum

tum interventu, ſaltem ad longum tempus; ſed ſine inquiſitione rationis, quæ meditationis eſt propria. De quo explicant illa, *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*, Pſalm. xxxiii. 9. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus*, Pſalm. xlv. 11. Itemque illud Matth. v. 8. *Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt*. In quem locum S. Thomas 1. 2. q. 69. a. 2. *Ea, quæ in Beatudinibus ponuntur tanquam præmia, poſſunt eſſe vel ipſa beatitudo perfecta, & ſic pertinent ad futuram vitam: vel aliqua inchoatio beatitudinis, ſicut eſt in viris perfectis, & ſic præmia pertinent ad præſentem vitam*. Et ibid. ad 3. *In hac etiam vita*, inquit, *purgato oculo per donum intellectus, Deus quodammodo videri poteſt. Et hoc*, ait 2. 2. q. 180. a. 6. *hoc contingit, quando omnes operationes Animæ reducuntur ad ſimplicem contemplationem intelligibilis veritatis.... ut ſcilicet ceſſante diſcurſu figatur ejus intuitus in contemplatione unius ſimplicis veritatis*. Et tandem quod eſt Cant. iv. 9. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum*. In quem locum S. Bonaventura in tract. de ſeptem itineribus æternit. itin. 3. diſt. 2. inquit; *Iſte eſt oculus contemplationis, de quo dicit Sponſus, Vulneraſti &c. ideſt, tua intelligentia ſimplificata penetraſti omnia, pertingendo ad cor meum*. Quod ibi deinceps, & diſt. 1. fuſius exponit. *Sciendum*, inquit, *quod cum Meditatio æternorum ſit quædam inveſtigatio, & inquiſitio.... ſpiritus humanus per ipſam Meditationem in æternis non figitur, nec quietatur, donec per Contemplationem ei oſtendatur, quod per Meditationem quærebatur*. Et in tertia parte Centiloq. cap. 46. *Contemplatio eſt verus, certuſque intuitus de quacunque re*.

II. Eos, qui recentius ſcripſerunt, ſuo loco de more percenſebimus; nunc aliqua de hoc ipſo ex Antiquis. Myſticorum princeps Dionyſius cap. 1. theol. Myſt. §. 3. figuram Contemplationis proponit in Moyſe faſtigium montis tenente, & Deum, quantum mortali fas eſt, intuente. In iis vero, quæ facta ſunt infra, & in ipſo montis aſcenſu Meditationem videtur agnoſcere. Et contemplationis eſſe dicit, *per vacationem omnis cognitionis, ſupra mentem cognoſcere*. Hoc eſt, communes operationes, ſive uſitatum cognoſcendi modum relinquere, & alium novum, ſive extraordinarium Dei munere accipere, qui eſt ſupra hominis mentem. Nam ſic etiam videtur explicari poſſe iſte locus. His adde aliam Contemplationis figuram, quam Dionyſii exemplo excogitavit Gerſon Theol. Myſt. ſpec. conſid. 24. Nam hæc quoque idem probat, & declarat.

S. Baſilius epiſt. 8. num. 7. dicit, *intervalla quædam conſuetæ cognitionis a Sole intelligibili fieri*. Et in Conſtit. Monaſt. cap. 1. n. 1. *Animam* dicit, *rerum corporearum adminiſtratione, & omni inferiori miniſterio relicto, ad ſpiritualia ſpectacula intuenda evocari, & aſcendere*. Quod & Platonice exponit cap. 2. n. 2. & 3. Sicut eodem Platonico more, currus, equorum, & aurigæ aſſumpta metaphora, id ipſum exponit ſed multo luculentius, & ad rem noſtram expreſſius, Divus Ambroſius in libro de Virginitate cap. 17. n. 107. Item in libro ſecundo de Abraham cap. 8. n. 54. & lib. de Iſaac, & Anima cap. 4. n. 11. Idem, deſumpta metaphora currus ex iv. Reg. ii. 11. declarat Gregorius Nyſſenus homil. 10. in Cant. iis verbis ex Græco Latine redditis. *Quod ſi id noſtræ Animæ uſuveniat, quod audivimus uſuveniſſe Eliæ: & in igneo curru aſſumpta quoque mens noſtra ſublimis transferatur ad cæleſtes pulchritudines intuendas &c.* Auguſtinus etiam de hoc figurate loquitur lib. 22. cont. Fauſtum cap. 54. ac Meditationem Liæ, Contemplationem Racheli comparat. *Naſcuntur*, inquit, *eis facilius, atque copioſius ex illo ſermone Fidei, quo prædicant Chriſtum crucifixum, & quicquid humanitatis ejus citius humana cogitatione percipitur, & infirmos etiam Liæ oculos non perturbat. Rachel autem clara aſpectu, mente excedit Deo, & videt in principio Verbum Deum, apud Deum &c. ... ut Dei virtutem, & Divinitatem ineffabiliter cernat, vacare vult ab omni negotio, & ideo ſterilis &c.* Et Auctor libri de Spiritu, & Anima, qui inter Auguſtini Opera legitur, cap. 32. *Meditatio*, inquit, *eſt occultæ veritatis ſtudioſa inveſtigatio. Contem-*

tem-

templatio, perſpicua veritatis jucunda admiratio. Legenda etiam quæ ſcribit Auguſtinus ipſe de Meditationis progreſſu, & tranſitu ad Contemplationem Confeſ. lib. 7. cap. 10. n. 16. & cap. 17. n. 23. &c.

Gregorius Magnus Dionyſium ſequutus Contemplationis figuram pariter, & exemplum ponit in Moyſe. *Mons* (ait Moral. lib. 5. cap. 36. n. 66.) *Mons eſt ipſa noſtra contemplatio, in quam nos aſcendimus, ut ad ea, quæ ultra infirmitatem noſtram ſunt, videnda ſublevemur*. Legenda pariter, quæ ſcribit de hoc ipſo lib. 6. cap. 37. n. 57. & lib. 10. cap. 8. n. 13. Item lib. 15. cap. 16. n. 20. lib. 22. cap. 20. n. 50. lib. 24. cap. 6. n. 10. 11. 12. Mitto alia plurima. Illuſtria pariter ſunt, & omnino legenda, quæ de hoc ipſo ſimplici divinorum intuitu ſcribunt Petrus Damiani lib. 6. epiſt. 5. Anſelmus orat. 19. ad Chriſtum §. 3. Hugo de S. Victore homil. 1. in Eccleſiaſtem §. 2. Hugo de S. Charo in Cant. 1. 6. Maxime vero quæ ſcribunt Bernardus Serm. 87. de Diverſ. num. 2. Serm. 41. in Cant. num. 2. 3. &c. Sermone 49. in Cant. num. 4. &c. lib. 2. de Conſid. cap. 2. n. 5. in quo *poteſt*, inquit, *Contemplatio definiri, verus, certuſque intuitus animi de quacunque re: Sive, apprehenſio rei non dubia*. Et Richardus Victorin. in Opere inſigni de Contemplatione quinque libris comprehenſo, quod inſcribitur, *Beniamin Major*. Libro autem 1. cap. 4. Contemplationem, & Meditationem ita definit: *Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa. Meditatio vero eſt ſtudioſa mentis intentio, circa aliquid inveſtigandum diligenter inſiſtens*.

Adeſt & ratio aliqua, quæ hoc idem confirmet. Nam ſicut eſt aliquid ſupremum in animalibus brutis, quo, ut loquitur S. Thomas in 3. Sent. diſt. 35. a. 2. ad 1. quo, inquam, continuantur cum homine, ideſt vis æſtimandi: ſic eſt aliquid ſupremum in homine, quo continuatur cum Angelis, ideſt vis contemplandi, ſive intuendi verum. Quod homo naturaliter facit per habitum intellectus, per quem habet, ut videat veritates primorum principiorum. Facit vero ſupra naturam, & multo quidem perfectius, atque excellentius per dona Spiritus Sancti, intellectus ſcilicet, & ſapientiæ, per quæ habet, ut videat alias etiam veritates, & principaliter divinas.

III. Probo, ſeu potius expono ſecundam propoſitionis partem, quæ plus hoc opus non habet. Multæ ſunt apud Patres, & Doctores Contemplationis diviſiones: hæ ſunt magis receptæ & vulgatæ. Dividitur in acquiſitam, & infuſam: hoc eſt, in eam, quæ obtineri poteſt, & ſolet ab homine, qui Dei gratia ad illam ſe rite præparet; & in eam, quæ eſt ex ſola gratia, & Spiritu Sancto, qui *dividit ſingulis pro ut vult* (1. Cor. XII 11.) *& ubi vult ſpirat; & vocem ejus audis, ſed neſcis, unde veniat*. (Joan. III. 8.) Deinde dividitur in Activam, & Paſſivam: hoc eſt, in illam, quæ ita eſt ex gratia, ut ad illam, & in illa multum quoque agat Anima ipſa, utique ejuſdem gratiæ viribus: & in illam, ad quam, & in qua Anima potius agitur; uti ſunt ecſtaſes, raptus, Apparitiones, & ſimilia. Tertio tandem, & planius, atque expeditius dividitur in ordinariam, & extraordinariam. Prima eſt, quæ id tantum habet, quo poſſit vere, & proprie contemplatio dici, ſecundum definitionem ſupra traditam. Altera huic ſuperaddit alia Dei dona, ſeu communicationes magis ſpeciales, vel ad cognitionem, vel ad amorem, vel ad utrumque ſpectantes. Ex quibus contemplatio diverſas etiam denominationes ſuſcipit, ut mox videbimus.

IV. Hæ ſunt contemplationis diviſiones generales. Dividitur etiam in ſuas ſingulas ſpecies. Quæ quoniam ſunt aliis aliæ perfectiores, & ad cœleſtem beatitudinem magis, & magis accedunt, contemplationis Gradus etiam vocantur.

Primus eſt ſimplex veritatis intuitus, de quo dictum eſt in prima propoſitionis parte: ex eoque, & ſimul ex amore, qui cognitioni reſpondeat, ac ſemper eſt intelligendus, conſtat contemplatio ordinaria. Cæteri gradus, de quibus deinceps dicemus, ad extraordinariam pertinent.

Secundus gradus eſt ſeceſſio, ſive avocatio Animæ ab exterioribus ad interiora;

ra; quando Deus illius facultates alio diſtractas ſubito, & pro poteſtate colligit, atque ad ſe ipſum in ea ſpecialiter inhabitantem convertit. *Regnum Dei intra vos eſt*. Luc. XVII. 21.

Tertius gradus eſt ſpirituale ſilentium; quod fit, quando Anima inſolitæ lucis, & pulchritudinis admiratione defixa, ſuis omnibus facultatibus hæret, earumque exercitationes, ac motus ſuſpendit, aut ſuſpendere videtur.

Quartus gradus eſt quies; ideſt, quædam pax, & jucunditas Animæ nihil extra Deum quærentis, quem ſibi præſentiſſimum intuetur, licet nondum ſine phantaſmatum interpoſitu, & quaſi umbra. *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus illius dulcis gutturi meo*, Cant. II. 3. *Bonum eſt, nos hic eſſe... faciamus hic tria tabernacula &c.* Matth. XVII. 4.

Quintus eſt ſomnus ſpiritualis; ideſt in corde hominis ea divinæ charitatis plenitudo, & diffuſio; ut ſola ferme agat voluntas, reliquæ Animæ vires, & facultates quaſi obrutæ, & impeditæ ſint. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Cantic. V. 2.

Sextus eſt Ecſtaſis, ſeu mentis exceſſus, quo Anima intellectu, & affectu ita intendit in Deum, ut penitus abducatur a ſenſibus, & manens in corpore ſit quaſi extra corpus.

Septimus eſt Raptus, qui, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 175. a. 1. *ſupra Ecſtaſim addit quamdam violentiam*, tum quod Anima a ſenſibus non paulatim abducitur, ſed ſubito avellitur, & quaſi per vim. Tum etiam, quod ab uſu non modo ſenſuum, ſed illarum etiam, quas percepit per ſenſus, corporearum imaginum, prorſus eximitur. Quo fit, ut adhuc conjuncta corpori ab eo ſolutam ſe putet; *ſive in corpore, neſcio; ſive extra corpus, neſcio*. II. Cor. XII. 2. 3. Cæterum hæc violentia, & impetus in corpus etiam redundat, & illud aliter, atque aliter afficit; & interdum a terra quam altiſſime tollit; ut ferunt de SS. Franciſco Aſſiſiate, Petro de Alcantara, Maria Magdalena de Pazzis, & aliis.

Octavus eſt Auditio loquelæ Dei; qui etiam dicitur Dei Apparitio, ſeu manifeſtatio vocalis; Deo verba faciente, atque exprimente, vel in aere, vel in phantaſia, vel proxime per ſe ipſum in hominis mente: quibus olim modis locutus eſt Patriarchis, Prophetis, ac cæteris, quibus ſacros Libros, non ſolum ſecundum ſententias, ſed etiam ſecundum verba dictavit. Eodemque pertinent Revelationes; ſeu futurorum, & occultorum manifeſtationes, quæ fiunt in contemplatione.

Nonus eſt Dei, Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum Apparitio, vel externa, & viſibilis, vel imaginaria, vel quæ certior, ac tutior, intellectualis. *Factum eſt autem revertenti mihi in Jeruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre illum &c.* Act. XXII. 17. 18. &c.

Decimus eſt Viſio Dei in caligine: hac vero, remotis omnibus metaphoris, quibus explicatur a Myſticis, Anima intuetur, non quid ſit Deus, ſed quid non ſit. Videt attributa, quæ vocant, negantia; eum ſcilicet eſſe infinitum, immenſum, immutabilem, incomprehenſibilem, ineffabilem, carentem principio, & fine, carentem omni compoſitionis genere, ſine ulla imperfectione, aut defectu. Quare videndo non videt, & non videndo maxime videt.

Undecimus eſt divina Unio, ſeu Deificatio Animæ pro hac vita mortali, ex Dei viſione, & amore ſupereminentibus, de quibus dicam quarto loco.

Duodecimus contemplationis gradus non eſt hujus vitæ, cum primum in eo ſit viſio ipſa beata; ſeu divinæ Eſſentiæ viſio clara, & aperta; quam nulli mortalium datam fuiſſe, fuit tertia propoſitionis noſtræ pars.

V. Hanc vero ſententiam probabiliorem, & ſacræ auctoritati magis congruentem puto. Probatur autem hoc præcipue argumento. Viſio Dei clara, & aperta eſt per ſe aliquid ita magnum, & divina ſcriptura tam diſerte, tam conſtanter, tam univerſaliter ulli unquam mortalium datam fuiſſe, & datum iri negat; ut ſine graviſſima cauſa, & auctoritatis, vel rationis momento non poſſit aliquis exeipi, & contrarium de

illo

Digitized by Google

illo affirmari. Sed præter Dei Matrem, nec Moyſes, nec Paulus Apoſtolus, neque alius eſt ullus, pro quo poſſit afferri ejuſmodi cauſa, & momentum. Igitur præter Dei Matrem, nec Moyſes, nec Paulus, nec alius quiſpiam excipi, & contrarium de illo affirmari poteſt.

Major propoſitio videtur certa ex notiſſimis Scripturæ locis. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet*. Exod. XXXIII. 20. *Deum nemo vidit unquam*. Joan. I. 18. Quo non ſolum id negatur de Moyſe, de quo ibi Joannes expreſſe loquitur; ſed etiam de Paulo, cum Joannes Evangelium ſcripſerit multo poſt celebrem Pauli raptum. Similiter Chriſtus Joan. VI. 45. 46. teſtatur Patrem a nullo viſum, niſi a Filio. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo, hic vidit Patrem*. Denique Paulus ipſe, de quo diſputamus, de Deo I. ad Tim. VI. 16. ita ſcribit: *lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Cum ſcilicet ad hoc nec ſit ſatis natura, nec detur gratia. *Non videbit me homo, & vivet* loco ſup. cit. Hæc ſunt ſaltem ejuſmodi, ut ipſi adverſarii fateantur, lege communi, & providentia ordinaria non poſſe aliquem in hac vita mortali Deum videre. Ita S. Thomas p. I. q. 12. a. 11. ad 2. Moyſi, & Paulo conceſſum dicunt ſingulari privilegio. Quod, ut dicebam, adſtruendum non eſt ſine graviſſima cauſa. Itaque

Probo minorem propoſitionem. Nam quod adverſarii afferunt a ratione, conveniens fuiſſe Dei eſſentiam oſtendi Moyſi, quia populi Judaici futurus erat magiſter, ac legiſlator; Paulo vero, quia gentium doctor; primo argumentum eſt, ut ajunt, a congruentia. Ejuſmodi vero argumenta probant potius rem fieri potuiſſe, quam eſſe factam. Vel eſſe factam non evincunt, ſed tantum confirmant. Deinde in eo genere eſt valde leve, & inefficax; cum Petro, qui fuit Chriſti Vicarius, & Eccleſiæ caput, & magiſter, nihil tale conceſſum velint. Uno verbo; niſi afferatur talis congruentia, cujus oppoſitum ſit plane incongruens, a proprio, & univerſali earum divinarum locutionum ſenſu non eſt diſcedendum. Ab hoc autem tam longe abſumus, ut oppoſitum ſit potius magis congruens.

Nec magis id efficitur auctoritate. Nam duo præcipue ſunt, quibus id approbare conantur de Moyſe. Primum ſunt illa Exod. XXXIII. 13. *oſtende mihi faciem tuam*; & 18. *oſtende mihi gloriam tuam*. Sed ibi Moyſes hoc tantum petiit, ut Deus, vel Angelus, qui nomine Dei ipſi loquebatur corporea, & aſpectabili forma, nubem illam, ſeu caliginem, qua tectus erat, a ſe removeret, eique vultum, ſplendoremque ſuum oſtenderet. Vel ſi petiit claram divinæ Eſſentiæ viſionem, ut aliqui etiam volunt, qui ſunt in noſtra ſententia, id certe non impetravit. Cum ea fuerit Dei reſponſio 19. 20. &c. *oſtendam omne bonum tibi;* hoc eſt, clara tibi dabo, & inſignia præſentiæ ſimul, & bonitatis, miſericordiæ, clementiæque meæ documenta: verumtamen, *non poteris videre faciem meam... videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*. Et ſic factum eſſe confirmant quæ leguntur Exod. XXXIV. 6. 7. &c. Sunt etiam qui velint, hæc literali ſenſu intelligi de Angelo, ut dicebam. Senſu autem allegorico, & anagogico intelligi de Chriſto ipſi præmonſtrato clare, & aperte ſecundum humanam, non vero ſecundum divinam naturam.

Alterum eſt Numer. XII. 8. Ubi hæc de Moyſe Deus ipſe teſtatur: *ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Verum hoc explicandum quoque adverſariis: non enim Deum Moyſi ſemel tantum, ſed frequentiſſime viſum probaret. Dicendum eſt igitur, hæc quoque ſpectare ad familiarem Dei, vel Angeli Deum repræſentantis conſuetudinem, qui ei in corpore aſſumpto apparebat, neque obſcure, aut per ænigmata, & figuras, ſed per ſe ipſum clare, & apertis verbis res denunciabat, ac prædicebat.

VI. De S. Paulo nihil habent magis probabile, quam quod ipſe de ſe tacito nomine ſcribit II. ad Cor. XII. 2. 3. &c.

Digitized by Google

ſe *ante annos quatuordecim raptum uſque ad tertium cœlum; raptum in Paradiſum; audiſſe arcana verba &c.* Verum explicantur hæc probabilius de ſexto, ſeptimo, & octavo contemplationis gradibus ſupra deſcriptis. Nam ſi Deum clare vidiſſet, in illo ſe quoque vidiſſet, nec ignoraret, utrum in corpore, an extra corpus tunc eſſet; quæ ignoratio ſolet eſſe in eſtaſi, & raptu: nec ſe arcana tantum audiſſe, ſed & vidiſſe diceret; ex viſu enim potius, qui ſenſus eſt nobilior; quam ex auditu erat deſumenda metaphora. Nec duodecim, aut treſdecim annis poſt ſcribens ad Timotheum de Deo diceret, *quem nullus hominum vidit*.

Nulla eſt igitur ſatis gravis, & firma ratio excipiendi Moyſem, Paulum, aut alium quemvis ab univerſalibus Scripturæ locutionibus, & pronuntiatis. Secus vero ſentiendum de Virgine Dei parente, propter ſummam ipſius dignitatem, & ſimilia quædam privilegia, & dona prorſus ſingularia, & ſumma in eam collata. Ut proinde ad ipſam accomodari, eique in re præſenti maxime congruat illud Eſther xv. 13. non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt, *non videbit me homo, & vivet*. Decretum ſcilicet non elevandi dominem ullum adhuc viventem ad apertum Dei contuitum. Accedunt etiam Revelationes, privatæ quidem, ſed admodum probatæ, & receptæ, quæ B. Virgini id expreſſe tribuunt (Maria de Agreda in vita Deiparæ &c.)

VII. Probatur ultima pars propoſitionis; & primum, convenientia, & ſimilitudo perfectæ contemplationis cum cœleſti beatitudine probatur; quia contemplatio eſt quædam continuatio vitæ præſentis ſupernaturalis, cum futura vita Sanctorum. Et Gradus contemplationis proxime expoſiti ſunt ille aſcenſus, atque proceſſus, de quo ſcriptum Prov. IV. 18. *Juſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*. Sic autem expreſſe Doctor Angelicus 2. 2. q. 180. a. 4. *per contemplationem fit nobis quadam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur*. Et Doctor Seraphicus in tertio Itinere Æernit. diſt. 3. *Contemplatio*, inquit, *proficiendo terminatur in intuitivam cognitionem, tanquam in ſuam perfectionem. Et amor eſt ignis, qui hic ardere incipit; ſed cum ipſum, quem amat videbit, amplius igneſcet*. Quo citat & Gloſſam Luc. x. 42. & Gregorium lib. 6. Moral. cap. 37. n. 61. & Veteres alios. Idem in Opuſc. de incendio amoris cap. 3. *Per contemplationem*, inquit, *tranſit mens noſtra ad ſupernam Hieruſalem, ad cujus inſtar Eccleſia eſt formata, ſecundum illud Exod. xxv. 40. Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Neceſſe eſt enim, Eccleſiam militantem conformari triumphanti, & merita præmiis, & viatores beatis, ſecundum quod poſſibile eſt*.

VIII. Quod vero alterum erat, in quo reponendæ ſint contemplatio ſupereminens, ac perfecta, & æterna Sanctorum felicitas, & beatitudo, ſic theologice quidem, & ſolide, ac firmiter, ſed myſtice potius, quam ſcholaſtice definimus. Et de beatitudine prius. Hæc vero eſt ſummi Boni extra ſe ipſum ſe diffundentis perfecta communicatio. Sive, eſt intelligentis naturæ cum ſuo principio, eodemque ultimo fine perfecta conjunctio. Sic enim Joan. XVII. 11. 22. 23. *ut ſint unum ſicut & nos... ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint... ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum*. Ejuſmodi autem communicatio, & conjunctio duobus peragitur, Viſione, & Amore; nam ſine alterutro perfecta non eſſet, etiamſi ea diſſociari, & divelli invicem poſſent. Quod autem in utroque, ideſt in Viſione, & Amore ſit ea Deificatio, & transformatio, quam dixi; ſeu potius tanquam proprius, ſive formalis effectus ex utroque illo exiſtat, atque effloreſcat, probatur facile, ac breviter.

Nam de Viſione hæc habemus 1. Joan. III. 2. *Chariſſimi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Quam, *Deificam ſimilitudinem*, vocat Hugo Victor. lib. 7. in cap. 7. Cœleſt. Hierarch.

Digitized by Google

rarch. Et II. ad Cor. III. 18. *Nos vero omnes revelata facie, gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur; a claritate in claritatem, tanquam a Domini ſpiritu*. De qua transformatione legendus Gregorius lib. 24. Moral. cap. 11. n. 32. & 34.

Ad amorem vero pertinent illa, *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, 1. Cor. VI. 17. Et *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus*. Gal. II. 20. Quem in locum Dionyſius cap. 4. de div. Nom. §. 13. *Amor*, inquit, *ecſtaticus eſt, non ſolum quod amantem extra ſe rapit, verum etiam quod in amatum prope transformat*. Et Bonaventura in Stimulo amoris par. 2. cap. 8. *O mira, & ineſtimabilis virtus amoris! Deum fecit hominem, & hominem fecit Deum... inenarrabilis eſt virtus tua, o Amor, qui lutum in Deum transfiguras*. Quæ ſi vera ſunt de amore Viæ, quem vocant, multo verius dicuntur de amore Patriæ, qui eſt longe perfectior.

IX. Poteſt idem ipſum aliter probari, & exponi. Externa enim ſummi Boni participatio perfecta illa eſt, quæ communicationes interiores, ſeu divinas Proceſſiones, quantum fieri poteſt, maxime refert. Refert autem maxime non ex ſola viſione, aut ex ſolo amore, ſed ex utroque. Quare hæc etiam externa participatio, ſi perfecta eſt, duplex eſt; ideſt, ſecundum intellectum, & ſecundum voluntatem. Et in utraque duo ſunt conſideranda, & aliquo modo diſtinguenda, via ſcilicet, & terminus.

In externa participatione, quæ ſecundum intellectum, via ſeu ratio, & modus, eſt viſio Dei clara, & aperta. Terminus, ſive, ut hic loquendum reor, effectus formalis, eſt divina ſimilitudo, ſeu repræſentatio Dei, quæ, quoad fieri poteſt, accedat ad rationem perfectæ imaginis, quæ eſt propria Filii. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. ult. n. ult. & Thomas p. 1. q. 35. a. 2.

Participationis ejus externæ, quæ ſecundum voluntatem, via pariter, ſeu modus, & ratio eſt amor puriſſimus, ac perfectiſſimus viſioni reſpondens. Terminus, ſeu potius effectus formalis, eſt divina unio; ſeu Dei, & Animæ conſenſio, & connexio tanta, ut aliquo modo eam referat, quæ propria eſt Spiritus Sancti; quem *Patris, & Filii oſculum, amplexum, vinculum, nexum, unitatem* etiam appellant Auguſtinus tract. 14. in Joan. num. 9. Bernardus ſerm. 8. in Cant. num. 1. Thomas p. 1. q. 37. a. 1. ad 3. & q. 39. a. 8. Unitatem, inquam, appellant non eſſentialem, nam hæc eſt ipſa natura; ſed notionalem, ſeu Perſonalem; quam referre diximus amorem Beatorum.

Utrovis autem ex his duobus modis Beatitudinem explices, in ea ſemper elucet Deificatio, & transformatio Animæ a nobis aſſerta: ut propterea Beati, *θεοειδῆς theoidès, Deiformes* a Dionyſio Celeſt. Hierarch. cap. 7. §. 4. *homines deificati* vocentur ab Auguſtino ſerm. 166. cap. 4. n. 4.

X. Hæc quæ obiter, ac myſtice potius, quam ſcholaſtice diximus de beatitudine, aptanda ſunt ad undecimum contemplationis gradum, paulo ante expoſitum; ſic tamen, ut pro mortalis vitæ modo ibi ſint omnia minora. Ac viſio, quam alii *admirabilem*, alii *ſupereminentem* vocant, ad illam non perveniat, quæ veram beatitudinem efficit: ſed ſit divinorum quidam potius contactus, ſive, ut etiam loquuntur, *experientia, prægustatio*, quam viſus apertus. Illam deſcribit Bernardus Serm. 31. in Cant. num. 6. & 7. *Habet*, inquit, *Anima præſto quem deſiderat, non figuratum, ſed infuſum; non apparentem, ſed afficientem &c. Non tamen adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat, quam quod eſt*. De hac ipſa viſione intelligendus videtur Gregorius, cum ſcripſit lib. 5. Moral. cap. 34. n. 62. *Æternitas per inhiantem mentem ſine ſpecie cernitur, ſine ſono auditur, ſine motu ſuſcipitur, ſine loco retinetur, ſine corpore tangitur. Et cum mens phantaſmata imaginationum objicit, jam aliquatenus æternam divinitatem conſpicit: quam ſi necdum quid ſit apprehendit; agnovit tamen certe quid non ſit*. Quanquam hæc ultima ad decimum contemplationis gradum proprie pertinent. Undecimi omnino gradus ſunt illa, quæ ſcribit lib. 34. cap. 11. n. 34. *Ante oculos cordis nihil inane tunc tranſvolat de phantaſ-*

taſmate cogitationis : quia ſubductis e medio omnibus , ſe , & illum tantummodo conſiderat , cui appropinquat . Ibi lucem vivens videt : quia ſpiritalem oculum in radios æterni Solis infigit . Ibi lucem vivens videt , quia omni jam mutabilitatis viciſſitudine , atque obumbratione calcata veritati æternitatis inhæret , eique inhærendo , quem cernit , ad ſimilitudinem incommutabilitatis aſſurgit , atque in ſemetipſam Auctoris ſui inconverſibilem ſpeciem , dum reſpicit , aſſumit . Quæ ad mutabilitatem per ſemet ipſam lapſa eſt , ad immutabilitatis ſtatum , Immutabilem videndo , formatur. In quibus habes Deificationem , & Transformationem de qua ſupra dictum . Hanc ipſam Gregorii ſententiam magis explicat Bloſius Inſtit. ſpirit. cap 12. §. 4.

De amore hujus undecimi Gradus idem docet Bonaventura in Itinerario mentis in Deum cap 7. *oportet* , inquit , *ut apex affectus totus transferatur , & transformetur in Deum* . Præclare etiam de hoc amore Rusbrochius in libro de vera Contemplatione cap. 14. *Quorum* , inquit , *vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo , ipſi & ſupra gratiam , & ſupra omnes actiones ſuas apti ſunt , ac habiles ad redeundum , ut ita dicam , in nihilum ; ſive ad amittendum ſe ſe , & colliqueſcendum in amore . Siquidem Deiformes ſunt , & trasformantur a Domini Spiritu : perinde ut ferrum candens in ignem transfertur , atque transformatur , & igni unitur . Ubi ſane quatenus ferrum ſe ſe extendit , eatenus & ignis conſpicitur : & quatenus ignis videtur , & ferrum eſt . Nec tamen ferrum efficitur ignis , nec ignis ferrum ; ſed unumquodque ſuam retinet naturam , ſuamque materiam . Ita etiam ſpiritus hominis neutiquam fit Deus ; ſed eſt Deiformis , ſentitque ſe ſe latitudinem , longitudinem , ſublimitatem , & profundum ; & quouſque Deus , Deus eſt , eatenus ſpiritus amans illi per amorem unitus eſt .... patiens amorem , ſpiritum hominis conſumentem , & quaſi in nihilum redactum in ſe ſe transformantem &c.*

XI. Objicies contra primam propoſitionis partem : Si veritatis intuitus judicio , & ratiocinatione perfectior eſt in homine etiam naturaliter , quod diximus de primis principiis ; cur homo definitur , animal rationale , a ratiocinatione , non definitur animal contemplativum ab illo intuitu ? Deinde cur dicitur homo in contemplatione evehi ad novum cognoſcendi modum , altiorem humano , & Angelico ſimilem ?

Reſpondeo ad primum , pauca eſſe , quæ homo naturæ viribus evidenter cognoſcit , ac mente intuetur , ſine inquiſitione rationis : frequentiſſimum autem illi eſſe , & naturale , veritates perfecte aſſequi ratiocinando , & colligendo aliud ex alio ; ac proinde ab hoc definitur , & non ab illo .

Ad ſecundum dico , hominis mentem in contemplatione operari , & agere ſupra ſe ipſam , modo quodam Angelico , immo etiam divino ; quia ſubito , aut certe ſine ullo rationis progreſſu , & diſcurſu , eas veritates ſimplici intuitu percipit ; quarum plurimas naturali lumine nullo modo perciperet ; lumine autem ſupernaturali , ſed via ordinaria , ſolum meditando , argumentandoque perciperet . *Quod ſpiritualia quaſi nuda veritate capiantur , ſupra humanum modum eſt : & hoc facit donum intellectus , qui de auditis per Fidem mentem illuſtrat* . Ita S. Thomas in 3. Sent. diſt. 34. q. 1. a. 2. Legenda etiam quæ ſcribit in Summa p. 1. q. 58. a. 3. & 2. 2. q. 180. a. 3.

XII. Inſtabis , philoſophos in homine tres tantum numerare , & diſtinguere intelligendi actus , ſeu mentis operationes , hoc eſt , ſimplicem apprehenſionem , judicium , & ratiocinationem . Contemplationem neque ex parte eſſe ullum ex his , neque ad ullum ex his revocari .

Reſpondeo , hoc argumento confirmari , quæ dixi de novo , & ſublimiore cognoſcendi modo , Angelico , & Divino ſimili . Addo hic , eſſe plures , qui opinantur , ſimplicem illum veritatis intuitum , quo præcipue differt contemplatio a meditatione , non eſſe ullam mentis operationem . Animam in contemplatione cognoſcere per arcanum quendam ſenſum , quem multis deſcribit , & probat Ludovicus Thomaſſinus lib. 1. de Deo , Deique propriet. cap. 19. & iterum lib. 6. cap. 5 Quem ſenſum alii vocant *animæ*

fun-

Digitized by Google

fundum, alii *animæ apicem*, alii aliter.

Equidem puto, hunc intuitum eſſe actum mentis. Sed primum, mentis, ut elevatæ, & obedientialiter, ut ajunt, agentis. Deinde cum S. Thoma p. 1. q. 83. a. 4. dico eſſe mentis duas functiones, ſive exercitationes præcipuas, *intelligere*, *& ratiocinari*; *ex prima vocari intellectum*, *ex ſecunda rationem*. Intuitum contemplantium eſſe actum mentis, ſed ut mentis eſt intelligere: revocandum videri potius ad judicium, quam ad ſimplicem apprehenſionem. Quia licet in hoc intuitu non ſit compoſitio, & diviſio, eſt tamen certa, & firma ſententia: nec animam in ſuſpenſo relinquit, ac de veritate dubiam, ſicut eam relinquit ſimplex apprehenſio. Denique dicas, ad illud operationis genus revocari hunc ſupernaturalem intuitum, quo revocatur viſio beata.

XIII. Objicies contra ſecundam propoſitionis partem, non poſſe contemplationis ſpecies, & gradus certa ratione, & numero comprehendi. Innumerabilibus enim, & ineffabilibus modis cum Anima contemplante ſe communicat Deus; & Spiritus ejus ubi vult ſpirat, & quando vult, & quomodo vult. Deinde inter hos gradus non eſſe recenſendas Apparitiones, & manifeſtationes Dei, Chriſti, Deiparæ, ac Cœlitum aliorum; cum hæc dentur etiam extra contemplationem; & dentur non ſolum Perfectis, ſed & hominibus ſimpliciter juſtis, immo interdum & peccatoribus.

Reſpondeo ad primum, non poſſe quidem divinarum communicationum certum modum, & numerum ſtatui. Poſſe vero, quæ de hoc adnotarunt, ac ſcripta reliquerunt doctiſſimi, & ſanctiſſimi homines ad certa capita revocari. Atque hoc eſt, quod mihi in hac ſecunda propoſitionis parte propoſui. Quod ipſum feci multorum exemplo, qui ut videre eſt apud S. Bonaventuram in tertio Æternitatis itinere diſt. 4. art. 1. 2. 3. 4. & alios recentiores, quos ſuo loco memorabimus, certos contemplationis gradus definiunt, alii ſeptem, alii novem, alii plures, & pauciores. Ego undecim poſui, quoniam hujus doctrinæ exponendæ hæc mihi planior, atque commodior eſt viſa ratio.

Ad ſecundum reſpondeo, ea dona Apparitionum, Revelationum, & ſimilium, quæ eodem pertinent, plerumque comitari contemplationem, atque ejus partem cenſeri. Neque contra nos facit, quod dari poſſint etiam hominibus malis: his enim poteſt ſimiliter dari & contemplatio, ſaltem ex parte, de quo Alvarez de Paz lib. 5. de Contemplat. par. 2. cap. 4. Nos autem hic loquimur de re, ut per ſe, & plerunque contingit.

XIV. Objicies contra tertiam propoſitionis partem, Scripturam locis a nobis allatis nulli viſum dicere Deum, oculis corporis, vel ſola naturali vi, & facultate, vel propria mentis comprehenſione. Deinde etiamſi illis in locis omnem Dei viſionem mortalibus univerſe negaret; cauſam tamen eſſe graviſſimam excipiendi Moyſen, & Paulum, auctoritatem SS. Auguſtini, & Thomæ, qui a nobis aperte diſſentiunt, alter lib. 12. de Gen. ad Lit. cap. 27. n. 55. & 56. & epiſt. 147. ad Paulinam cap. 13. n. 31. & 32. Alter p. 1. q. 12. a. 11. ad 2. & 2. 2. q. 175. a. 3. &c.

Ad primum reſpondeo, Scripturam illis in locis tribuere Deo aliquid eximium, & ſingulare, & ſupra omnes creatos ſpiritus. Unde illa etiam ibi addit de Deo, *qui lucem inhabitat inacceſſibilem*, 1. Tim. VI. 16. *poſuit tenebras latibulum ſuum*, Pſalm. XVII. 12. *nubes*, *& caligo in circuitu ejus*, Pſalm. XCVI 2. &c. Porro, quæ in oppugnatione dicuntur communia ſunt etiam creatis ſpiritibus; quos ex mortalibus nemo intuitus eſt viſu corporeo; nemo ſuapte vi, & acumine; nemo mente comprehendit. Præterea S. Thomas loco ſup. cit. & alii ex adverſariis ex iis Scripturæ verbis illud confici fatentur, & ſtatuunt, lege communi, & providentia ordinaria, non dari mortali, ut Dei aſſentiam aperte videat. Negat igitur ibi Scriptura illam Dei viſionem, de qua nunc diſputamus.

Ad ſecundum reſpondeo, tanti nobis eſſe auctoritatem SS. Auguſtini, & Thomæ; ut ea ferme una contrariam ſententiam probabiliter defendi concedamus. Probabiliorem vero, & ſacræ auctoritati magis congruentem dicimus ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiam noſtram, quia Scripturæ teſtimoniis nititur per ſe admodum claris, & luculentis, & quæ præſertim ſimul collata non videntur poſſe aliter explicari. Præterea quia hæc ipſa teſtimonia Scripturæ ita accipiuntur a Patribus Græcis, & Latinis, quos in tres claſſes diſtributos pro noſtra ſententia citat Vaſquez in 1. par. diſp. 55. & 56. Tertio, quia hic etiam eſſe videtur ſenſus, & interpretatio Eccleſiæ, propter locum illuſtrem, quem ibi adducit ex prima epiſtola Evariſti Papæ num. 2. Etſi enim recentes Critici epiſtolam hanc non agnoſcunt tanquam genuinum Evariſti fœtum; cum tamen ab aliis Summis Pontificibus, & Eccleſia jam ſit adoptata, & inter epiſtolas decretales relata, vim canonis obtinet, & hoc ſaltem nomine ab omnibus eſt recipienda. Quarto denique, quia quæ pro ſe adverſarii afferunt, facile, ut vidimus, explicantur, immo & in ipſos retorquentur.

XV. Inſtabis, eſſe tamen aliquid, quod non poſſit ita facile explicari; nempe quod ſcripſit Paulus ipſe, ſe *raptum in Paradiſum;* nam Paradiſi nomine intelligenda eſt viſio Dei; atque hanc ſignificans Chriſtus Dominus ad Latronem ait Luc. XXIII. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo*.

Reſpondeo, dictum Pauli intelligendum de loco Beatorum, quem & *tertium cœlum* appellat, non vero intelligendum de Beatorum præmio. Vel ſi intelligendum etiam de præmio, ita eſt explicandum, ut Beatorum præmia Paulo monſtrata ſint, non vero eorum particeps factus ſit ante mortem. Nunquid enim quia S. Joannes Evangeliſta teſtatur, ſe vidiſſe cęleſtem Jeruſalem, & quæ ibi ſanctis hominibus poſt mortem rependuntur, eaque deſcribit Apocal. XXI. & XXII. eadem dices ipſi adhuc viventi non ſolum oſtenſa, ſed & data fuiſſe? Nunquid, quod aliqui in ectaſi, & raptu, aut aliter ſe ductos ad inferos, ac vidiſſe ſe dicunt damnatorum ſupplicia, probat eadem etiam expertos?

De latrone eſt diſpar ratio. Nam Chriſti Domini dictum non poteſt intelligi de loco Beatorum, cum nec Chriſtus eo die, neque ullus homo ante Chriſtum in cœlum aſcenderit. Neque ejuſmodi eſt, ut poſſit intelligi de Beatitudine tantum ut oſtenſa, & revelata. Demum nulli Scripturæ loco repugnat, quod latroni illi vita functo, datum ſit eo ipſo die, una cum Patribus, qui erant in Limbo Chriſti Divinitatem aperte intueri: repugnat vero multis, ut vidimus, hoc datum eſſe viris etiam ſanctiſſimis, adhuc vitam agentibus. Conſule Cornelium a Lapide, & alios interpretes in Lucam.

XVI. Objicies contra quartam propoſitionis partem. Beatitudo ex S. Thoma 1. 2. q. 3. a. 2. & communi doctorum ſententia, *eſt operatio:* Deificatio autem, ſeu transformatio animæ in Deum, ſupra explicata, eſt potius operationis fructus, ac terminus. Præterea poteſt confundi cum Unione Hypoſtatica cum Communione Euchariſtica, immo etiam cum Gratia Sanctificante, & multo magis cum ſpecialiſſimo illo Divinitatis illapſu in Animam, de quo dictum eſt in ſuperioribus, ac præſertim in præcedente propoſitione num. 13. & 14. Hæc quippe omnia ſunt quædam deificatio, & transformatio humanæ, atque intelligentis naturæ.

Reſpondeo ad primum, Beatitudinem ex S. Thoma loco contra nos cit. eſſe *operationem, & ultimam hominis perfectionem*. Quod utrumque admitto, & complector. Et, ut eſt *operatio*, eam dico eſſe in Viſione, & Amore, iis argumentis, quæ attuli ſupra ex perfecta conjunctione intelligentis naturæ cum ſuo principio, eodemque ultimo fine; & ex perfecta participatione ſummi Boni extra ſe ipſum ſe diffundentis cum aliqua analogia, & ſimilitudine communicationum interiorum; & aliis argumentis, quæ afferunt Noſtri, inter quos hæc ſententia de Viſione, & Amore, eſt valde communis. Ut vero eſt, *ultima hominis perfectio*, eam eſſe dico, non aliquid tertium omnino diſtinctum ab his duobus; ſed eſſe proprium, & formalem effectum Viſionis, & Amoris. Hoc eſt, divinam ſimilitudinem, & divinam unionem; ſive aliquid referens duplicem terminum divinarum communicationum interiorum. In hoc enim duplici effectu formali, dupli-

plicem illum divinum terminum aliquo modo referente, conſiſtit Deificatio, ſeu conſummata, & finalis ſummi Boni participatio, quam dixi; & quam ſignificavit Joannes XVII. 22. *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.*

Poteſt etiam res ita diſtingui. Quemadmodum Eſſentia phyſica hominis, ſive hominis partes phyſicæ ſunt Anima, corpus, & unio; atque ex his exiſtit, ſive, ut ajunt, reſultat hoc compoſitum, Homo; id vero metaphyſice definitur, Animal rationale: ſic eſſentia phyſica beatitudinis, ſive ipſius phyſicæ partes, ſunt viſio, & amor; atque ex his exiſtit, ſeu reſultat hæc denominatio, vel potius forma denominans, Beatitudo; hæc vero definiri metaphyſice poteſt: Summi Boni poſſeſſio deifica. Sive, expreſſius: Ultima ſummi Boni extra ſe ipſum ſe diffundentis participatio, interiores ejuſdem communicationes quam fieri poteſt maxime referens. Quod dicitur, ultima, Beatitudinem diſtinguit ab undecimo Contemplationis gradu nuper expoſito. Quod dicitur, referre ſimilitudinem, quanta eſſe poteſt in homine, aut Angelo, divinarum Proceſſionum, ſeu communicationum, quæ ſunt intra Deum ipſum; beatitudinem diſtinguit a divino illapſu, ac cæteris cauſis, ſive principiis ad ipſam efficienter concurrentibus: & tandem ab aliis omnibus, quæ deificationes quædam ſunt ad modum principii; atque habitus; aut certe non ſunt in actione, & formali actionis termino, effectuve poſitæ.

Legendi præcipue de prima propoſitionis parte Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de Orat. cap. 9. & 10. Maximilianus Sandæus lib. 1. Theolog. Myſtic. comment. 8. de Contemplat. exercit. 2. Thomas a Valgornera q. 3. Theolog. Myſtic. diſt. 1. a. 2. Andreas de Gualdalupe tract. 2. Theolog. Myſtic. cap. 1. Gabriel Lopez tract. 1. Theolog. Myſtic. cap. 5. Philippus a S. Trinit. p. 1. tract. 1. diſ. 1. art. 5. Card. Lauræa Opuſc. 3. de Orat. cap. 2.

De ſecunda propoſit. parte Ludovicus a Ponte in Duce ſpirit. tract. 3. cap. 3. Alvarez de Paz tom. 3. de vit. ſpirit. lib. 5. de Contemplat. par. 2. cap. 1. Victor Gelenius in Summa pract. Myſtic. Theolog. par. 2. Thomas a Jeſu lib. 1. cap. Antonius a Spirit. Sanct. tract. 3. diſ. ſect. 2. & diſ. 3. ſect. 1. Joſeph a Spirit. Sanct. tom. 2. diſ. 8. c. 1. Honoratus a S. Maria par. 1. cap. 1. §. 1. & par. 2. diſſ. 4. a. 1. Card. Bona in Via Compendii ad Deum cap. 9. & 10.

De tertia propoſit. parte Maldonatus in cap. 1. Joan. num. 18. Molina in 1. p. q. 12. art. 11. diſp. 2. Suarez par. 1. tract. 1. lib. 2. cap. 30. Vaſquez in 1. par. q. 12. diſput. 55. & 56. Franciſcus Sylvius q. 12. art. 1. q. unic. Joannes de Salas 1. 2. tract. 2. diſput. 10. ſect. 4. Cornelius a Lapide in Exod. XXXIII. num. 12. & in 2. ad Cor. XII. num. 132. Guilielmus Eſtius in 2. Sent. diſt. 8. §. 10. & in 2. ad Cor. XII. 2. 3. &c. Recupitus lib. 6. de Deo q. 14. cap. 1. 2. 3. &c. Izquierdo tract. 8. de Deo diſp. 17. Propoſit. 3. 4. 5. &c.

De quarta propoſitionis parte Joannes Thaulerus ſerm. 1. Domin. proximæ poſt Natal. ſermon. 1. Domin. 5. Quadrageſ. ſer. 2. 3. & 4. de Feriis Paſchal. ſerm. 2. in Feſto S. Trinit. &c. Joannes Ruſbrochius de vera Contemplat. cap. 16. lib. 3. de ornatu ſpiritual. Nuptiar. de ſeptem Cuſtodiis cap. 13. 14. &c. Joannes Gerſon de Myſtica Theolog. par. 8. conſid. 41. S. Laurentius Juſtinianus de Spirituali, & caſto Connubio Verbi, & Animæ cap. 19. & 25. & lib. 14. de Ligno vitæ cap. 10. Dionyſius Carthuſ. lib. 1. de vita, & fine ſolitar. cap. 8. & 9. & in Element. Theolog. propoſit. 4. Ludovicus Bloſius Inſtit. ſpirit. cap. 12. §. 4. S. Thereſia in Caſtello Animæ Manſione 7. S. Joannes a Cruce in Tractatu de intima Unione, & transformat. Animæ in Deum. Balthaſar Corderius in Iſagoge ad Myſticam Theologiam cap. 7. & in Adnotation. ad cap. 1. & 2. S. Dionyſii de Myſt. Theol. Michael Godinez lib. 6. de Myſt. Theol. cap. 15. &c.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

UNione myſtica expoſita, dicendum videtur aliquid etiam de unione Euchariſtica, quæ huc ſpectat non minus, & exemplo majoris, ſed notioris unionis pariter eſt declaranda. Nam ſicut unio myſtica magnam, ut vidimus, affinitatem, & ſimilitudinem habet cum vita ipſa beata, & ob eam rem Contemplatio vocatur a Patribus, & Doctoribus, anticipatio quædam, ſive inchoatio beatitudinis: ſic unioni Euchariſticæ non parum, ut videbimus, convenit cum unione hypoſtatica; ut propterea Euchariſtia ab iiſdem appelletur, *Incarnationis extenſio*. Joan. Chryſoſtomus hom. 45. in Jo: Sed quoniam hoc ipſum noviſſimè Theologi aliqui, non magis honoris gradu, quam ingenio, & doctrina illuſtres, ita explicarunt, ut ex duobus, quæ in ipſorum ſententia præcipua ſunt, unum rejiciam, alterum vero tanquam conſentaneum his, quæ ſupra diximus de vita divina, ac de principiis virtutis heroicæ, libenter amplectar; ſit hæc Propoſitio noſtra:

Falſum videri, quod in hac ſententia primum eſt, ſingulare, & novum; ſcilicet animam Chriſti cum anima illius, qui hoc Sacramentum rite, & digne ſuſcipit, non ſolum intime copulari, & uniri, ſed adeo etiam ſtabiliter, ut deinceps inde in ea ſemper inhabitet; prius quidem una cum Chriſti corpore; quandiu manſerint Sacramenti ſpecies; poſtmodum vero ſine illo, cum ſpecies conſumptæ fuerint: ac niſi lethali aliquo peccato inde pellatur, cum ea, & in ea per omnem æternitatem futura ſit. Contra vero, videri verum, præſertim ut a nobis explicabitur, quod alterum eſt in hac ipſa ſententia, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe Sacramentum Unionis, ſive Unitatis. Hanc eſſe primarium ipſius effectum, atque fructum; nec dictis Scripturarum, & Patrum, quibus hæc Unio prædicatur, ſatisfieri, per ſolam Unionem myſticam, ſive moralem, quæ habetur media Gratia, & charitate; nec per Unionem realem, & ſubſtantialem, inter Corpus Chriſti, & corpus ſuſcipientis Sacramentum, quam primus tradidit Card. Mendoza, amplexi ſunt, & propugnarunt deinde Vaſquez, & alii.

Pro-

Digitized by Google

I. PRobatur prima aſſertio ; ſive oppugnatur ea doctiſſimorum Recentiorum ſententia, quod ad primam partem. Et prius generali argumento; quia nempe hæc ſententia, pro magnitudine, & arduitate rei, quæ adſtruitur, non videtur habere fundamentum, quod ſatis ſit: ut confutatione objectorum paulo poſt apparebit.

II. Oppugnatur præterea peculiari argumento, negativo quidem, ſed, ut mihi videtur, efficaciſſimo. Nam eſt plane incredibile, rem talem, & tantam, ſi vera eſſet, a tot Patribus, & Doctoribus, ab Eccleſia ipſa tot ſæculis ignoratam fuiſſe. Et ſi ignorata non fuiſſet, credi plane non poteſt, nullum eam traditurum fuiſſe clare, & expreſſe: cum præſertim res ſit perceptu, explicatuque facilis; nec ſit, cur de hac una celandi eſſent Fideles, quibus alia plura, multo minora, ac minus neceſſaria, de hoc Sacramento accurate, diſtincte, enucleateque expoſita ſunt.

III. Oppugnatur argumento poſitivo. Hæc ſunt, quæ mihi in hac ſententia videntur valde dura, & minus probanda: & talia viſa ſunt ipſi quoque Auctori, qui ea, quantum poteſt, emollire, & multis argumentis approbare conatur. Primum eſt, quod Anima Chriſti, non quidem in Sacramento, nam id eſſet contra Fidem, ſed tamen vi Sacramenti, & ex inſtitutione Chriſti, in eo qui Sacramentum ſuſcepit, ſit ſine corpore. Nam ſi hoc admittimus, vi Sacramenti, ipſiuſque inſtituto, Chriſtum replicari, ſeu poni in pluribus locis, nec poni ſecundum totam ſubſtantiam ſuam, qua eſt in Cœlo, ſed tantum ſecundum partem, difficilius defendi; aut propugnari poterit adverſus heterodoxos, in Conſecratione Euchariſtica ſub ſpecies panis venire etiam Sanguinem, & viciſſim ſub ſpecies vini venire etiam Corpus. Hanc enim hujus rei cauſam affert S. Thomas p. 3. q. 76. a. 2. *quod nunc ſanguis Chriſti non eſt ab ejus corpore ſeparatus: ſicuti fuit tempore paſſionis, & mortis. Unde ſi tunc fuiſſet hoc Sacramentum celebratum, ſub ſpeciebus panis fuiſſet corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpeciebus vini ſanguis ſine corpore, ſicut erat in rei veritate*. Quam rationem probavit, & amplexum eſt Concilium Tridentinum Seſ. 13. cap. 3. *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur*. Hæc autem ratio, ſi vera eſſet ſententia, quam oppugnamus, per ſe debilis foret, & parum valeret. Communienda, & conſtabilienda eſſet multis. Uno verbo, quæ ſententiam illam probant, hanc S. Thomæ, & Tridentini rationem infirmare videntur.

IV. Alterum, quod magnam pariter habet difficultatem, nec videtur poſſe concedi, eſt infinita hæc replicatio, & ut ita dicam evagatio extra corpus, ac fere Ubiquitas Animæ Chriſti. Ut ſit, & permaneat ſemper in illis, qui rite parati hoc Sacramento refecti ſunt; ipſorumque Animæ colligata eas comitetur, quocunque conceſſerint ſuis etiam exutæ, ſolutæque corporibus, ſive in Purgatorium, ſive in Paradiſum. In quibus ſunt alia plura incommoda, & difficultates; quæ, pro illa brevitate, quam in his Propoſitionibus ſequor, tanquam leviora prætereo.

Illud addo, quod eſt argumenti partim negantis, partim affirmantis; nimirum aliam eſſe doctrinam, & praxim, ſive uſum Eccleſiæ; aliter perſuaſum Fidelibus, qui ab illa edocti putant, ſumpta Euchariſtia, tamdiu Chriſtum in nobis manere, quoad ſuperfuerint ſpecies: ut proinde tertiam, aut quartam horæ partem gratiis agendis impendant; quo certas orandi formulas ab Eccleſia ipſa accepimus, quæ nihil ſimile præſcripſit, aut faciendum inſtituit, ad ſupplicandum, & gratias agendas Animæ Chriſti, eamque adorandam, permanentem in nobis, poſtquam etiam ſpecies omnino deſierint. Breviſſime: Omnino alia videtur eſſe Traditio, quam a Chriſto, & Apoſtolis de hoc habet Eccleſia.

V. Objicies verba Chriſti D. Joan. VI. 56. 57. *Caro mea vere eſt cibus; ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Quæ ſunt hujus ſententiæ fundamentum præcipuum. His enim poſitis, ita concludunt.

Digitized by Google

Prior verſiculus, in quo deſcribitur Sacramentum Euchariſtiæ, intelligendus eſt de vera, phyſica, reali, & ſubſtanſtiali Chriſti præſentia in eo Sacramento. Igitur & poſterior verſiculus, in quo deſcribitur effectus, quem poſt ſe relinquit in homine hoc Sacramentum digne ſuſceptum, intelligendus eſt de vera, phyſica, reali, & ſubſtantiali permanſione Chriſti in homine illo. Non poteſt autem intelligi de permanſione Chriſti ſecundum Corpus, & Animam; igitur de permanſione ſecundum Animam. Reſpondeo adverſarios hic ſumere, quod eſſet probandum; nempe ſecundum verſiculum eſſe de Chriſti manſione, poſtquam ſpecies corruptæ fuerint. Cæterum, hoc dato, negatur ultima concluſio.

At, inquiunt, regula eſt interpretandi Scripturas ab Auguſtino tradita lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 10. n. 14. lib. 8. de Gen. ad Liter. cap. 7. n. 13. & alibi, retinendum eſſe divinorum verborum ſenſum proprium, planum, & obvium, nec ab eo ſine graviſſima cauſa diſcedendum. Ita quidem, recte iſtud: Sed eſt etiam regula interpretandi Scripturas a Tridentino præſcripta in Decr. de Edit. & uſu ſacrorum Libror. & in Profeſ. Fidei, veros Scripturæ ſenſus ab Eccleſia, & Patribus accipiendos, eorumque interpretationibus inhærendum. Itaque ad rem noſtram; præterquod primus verſiculus eam Chriſti præſentiam clare, & expreſſe ſignificat, in eam ſententiam accipitur, ac declaratur ab Eccleſia, & Patribus unanimi ſenſu. Secundus vero verſiculus clarum non eſt quam Chriſti in homine manſionem deſignet; nec illa, quam adverſarii propugnant, Eccleſiæ, aut Patribus cognita fuit: nam ſi cognita fuiſſet, cum res talis, & tanta ſit, fuiſſet etiam expreſſe tradita. Adde argumenta etiam poſitiva, quibus ſententiam hanc oppugnavimus. Quibus omnibus planum, ac certum eſt, non diſcedere nos a proprio intellectu divinorum verborum; &, ſi diſcederemus; id non fore ſine juſtiſſima cauſa.

VI. Inſtant, & dicunt, hanc ipſorum ſententiam ſatis & probari, & tradi ab Eccleſia, & Patribus: quippe cum Sacramentum Euchariſtiæ vocent, *Sacramentum Unionis*, eámque ſummopere prædicent. Concilium Lateranenſe cap. *Firmiter &c.* illud appellat, *Myſterium Unitatis*. Florentinum in decr. Eugenii, *adunationem hominis ad Deum*. Tridentinum ſeſſ. 13. in decr. de Ss. Euchar. Sacram. & cap. 2. *Simbolum Unitatis*. S. Dionyſius toto cap. 3. cœleſt. Hier. de hoc ipſo ampliſſime, atque altiſſime loquitur in eamdem ſententiam; vocat, *Unionem ſupermundialem*, *vitam divinam*, *Deificationemque ſublimiſſimam*. Nec diſſentiunt alii Patres, ut infra videbimus. S. Thomas Opuſc. 58. cap. 5. ait, hoc Sacramentum nobis *dari ad omnimodam unionem*. Quod fere ipſum dicit lect. 7. in Joan. VI. 57. Denique S. Bonaventura in 4. Sent. diſt. 12. p. 1. a. 1. q. 3. *Dicendum*, inquit, *quod, cum hoc Sacramentum ſit unionis, effectus ejus primarius, aut eſt unire, aut magis unire*. Porro ex his omnibus ita concludunt. Teſtimonio Eccleſiæ, & SS. Patrum, & Doctorum, effectus, ac fructus hujus Sacramenti præcipuus eſt unio, & quidem admirabilis, & divina: talis autem non poteſt eſſe niſi illa, quæ adſtruitur in hac ſententia. Hæc ſententia igitur habet teſtimonium Eccleſiæ & SS. Patrum, & Doctorum.

Reſpondeo ad hæc, & ſimul expono, quid ſit, quod in hac ſententia probo, & amplector, de quo eſt ſecunda pars noſtræ hujus propoſitionis. Dico ergo, Verbum divinum, quod una cum Patre, & Spiritu Sancto in illis hominibus, in quibus eſt perfecta charitas, etiam ſpecialius inhabitat, eoſque aſſumit, ac regit, eo modo; quo ex DD. Angelico, & Eximio ſupra declaravi; dico, inquam, propter hoc Sacramentum digne, & ſancte ſuſceptum, eos impenſius movere, ſicut oportet, & congruit ad repræſentandum ſe ipſum, etiam ut hominem. Nimirum, *donec formetur Chriſtus* in ipſis (Gal. IV. 19.) *ut vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali* (II. Cor. IV. 11.) *ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt* (ibid. V. 15.) *configurati morti ejus* (Philip. III. 10.) Ex quibus S. Thomas in 4. Sent. diſt. 12. q. 2. a. 1. *Proprius*, ait, *effectus hujus Sacramenti*

eſt

Digitized by Google

eſt converſio hominis in Chriſtum; ut dicat cum Apoſtolo (Gal. 11. 20.) *Vivo autem jam non ego &c.* Scilicet hic eſt finis a Chriſto per hoc Sacramentum intentus, ſuarum virtutum imitatio, &, quoad fieri poteſt, perfecta, & integra repræſentatio ſui.

Itaque ad ſyllogiſmum objectum, prætermitto majorem propoſitionem; & ſolum obiter adnoto, Concilia, & Patres illis in locis loqui de Unitate corporis myſtici, quod eſt Eccleſia; ac de unione, & colligatione partium cum inter ſe, tum etiam cum Capite. Porro ſicut inter ſe non phyſico aliquo, & ſolido vinculo, ſed voluntate, & charitate copulantur; ita etiam cum Capite. Quoniam vero ex alia noſtra propoſitione, & ſententia, in quibus eſt perfecta charitas, Deus eſt tanquam virtus aſſiſtens, ſeu tanquam motor in mobili ipſum repræſentante, & divinam ſimilitudinem jam aſſequente; ideo, prætermiſſa majori propoſitione diſtinguo minorem: non poteſt eſſe, niſi illa Unio, quæ in hac ſententia adſtruitur inter Animam Chriſti, & Animam ſuſcipientis hoc Sacramentum, nego minor. non poteſt eſſe, niſi illa Unio, quæ in hac ſententia adſtruitur inter Perſonam Verbi, & Animam ſuſcipienris hoc Sacramentum, iterum diſtinguo: ſi hæc Unio explicetur, ut modo expoſita eſt a nobis, & explicatur a theologis in 2. Sent. diſt. 8. & in 1. p. q. 51. a. 2. & 3. ubi agunt de Unione motoris, & mobilis; concedo minorem. Si hæc unio ita explicetur, ut Verbum per ipſam Chriſti Animam uniatur ſtabiliter Animæ ſuſcipientis Sacramentum, & per eandem Chriſti Animam, tanquam per inſtrumentum, Animam illam aſſumat, ac moveat ad repræſentandam Chriſti vitam; nego minorem. Hæc diſtinctio plana eſt ex dictis, & horum Doctorum ſcripta legentibus planior fiet.

VII. Inſtant adhuc, & idem urgent. Quod ſola Verbi Perſona, ſine Chriſti Anima, permaneat in eo, qui Euchariſtiam accepit, non ſatisfacere objectis. Primum, quia verum non eſt, manere Chriſtum, ubi eſt tantummodo Verbum; nam cæteroqui Chriſtus eſſet ubique. Verum eſt autem, manere Chriſtum, ubi eſt Verbum, & Chriſti Anima ipſi hypoſtatice unita. Hac enim ratione, ut notat S. Thomas p. 4. q. 52. a. 3. vere dicitur Chriſtus ad inferos deſcendiſſe.

Deinde, quia Perſona Verbi manebat in homine illo, etiam antequam Euchariſtiam acciperet; & quidem in eo manebat, non ſolum ſpeciali titulo, ac vinculo gratiæ habitualis; ſed titulo etiam, & vinculo magis ſpeciali charitatis perfectæ; nam de hujuſmodi homine loquimur.

Reſpondeo, hoc primum ſignificare verba allata ex Joanne, Chriſtum manere in homine, quamdiu manet Sacramentum. Hoc autem in illo manet, quamdiu durant ſpecies. Hæc vero dicta eſſe a Chriſto, ne quis putaret, nobis in hoc Sacramento aut ſolam Chriſti carnem ſpecie panis, aut ſpecie vini ſolum Chriſti ſanguinem tradi. Declaravit iis verbis, ſe totum vivum, atque integrum, & ipſum illum, qui eſt extra Sacramentum, eſſe etiam in Sacramento. Dico præterea verbis iiſdem ſignificari aliam quoque Chriſti manſionem, ex ſe omnino ſtabilem; in qua eſt non Sacramentum ipſum, ſed, ut diximus, Sacramenti effectus, ac fructus. Hæc vero quæ ſit, & in quo conſiſtat, definiendum non eſt ex proprio ingenio, & pietatis affectu; ſed ex doctrina Patrum, & Eccleſiæ, qui ſcilicet dati ſunt nobis a Deo Scripturarum interpretes, ac Fidei magiſtri. Hæc porro illorum doctrina, & Fidelium omnium perſuaſio, deficiente in homine Sacramento Chriſtum ſecundum ea omnia, quæ ad humanam ipſius naturam pertinent, inde aſcendere. Ut enim docet Tridentinum loco ſupra laudato, cum jam ſurrexerit non moriturus, ipſius humanæ naturæ partes non amplius invicem ſeparantur. Et, quod mihi eſt fere certum, non ſeparantur ex inſtitutione, vi, & quaſi efficientia fixa, & ſtabili hujus Sacramenti.

At, inquiunt, verum non eſt, manere Chriſtum, ubi eſt tantummodo Verbum. Nego hoc. Probant; nam cæteroqui Chriſtus eſſet ubique. Id vero diſtinguo; Chriſtus eſſet ubique, ſenſu, & ſignificatione catholica, qua Chriſtum ubi-

ubique eſſe dixerunt multi Patres, quos citat Suarez tom. 1. in 3. part. diſput. 32. ſect. 4. concedo hoc. Chriſtus eſſet ubique eo ſenſu, & ſignificatione, qua id dixit Brentius, ac reliqui, qui humanam Chriſti naturam, ex conjunctione cum Verbo factam eſſe volunt immenſam, ac vere eſſe ubique; hoc nego, & ab hoc errore dico longius abeſſe, & diſtare noſtram, quam ipſorum ſententiam: cum Animæ Chriſti immenſitatem veluti quamdam attribuant, eamque ponant in locis innumeris, ubi non eſt Chriſti corpus.

Quod autem addunt, verum eſt manere Chriſtum, ubi eſt Verbum, & Chriſti Anima; id pariter diſtinguo: verum eſt in ſenſu, ut dicitur poſitivo; concedo: verum eſt in ſenſu excluſivo, nempe ut verum non ſit, ibi manere Chriſtum, ubi eſt Verbum ſine Chriſti Anima, nego. Et ratio negandi eſt ipſe ille locus S. Thomæ de deſcenſu Chriſti ad inferos, quem valde miror eos nobis objicere. Hæc enim ibi Doctor Angelicus: *Dicendum quod maſculinum genus refertur ad hypoſtaſim, vel perſonam; neutrum autem genus pertinet ad naturam &c. & ideo in triduo mortis Chriſti dicendum eſt, quod totus Chriſtus fuit in ſepulchro, quia tota perſona fuit ibi per corpus ſibi unitum. Et ſimiliter totus fuit in inferno; quia tota perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi unitæ*: (Notetur quod ſtatim ſubjungit) *totus etiam Chriſtus tunc erat ubique ratione divinæ naturæ*. Quibus etiam præmiſit illud Auguſtini ſerm. 3. de Symb. ad Catech. c. 7. n. 7. ſi tamen Auguſtini eſt ille ſermo: *Totus ergo Filius apud Patrem, totus in Cælo, totus in terra, totus in utero Virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiſo &c.* Quæ plus ſatis ad primum.

Sed inſtaurare poteris argumentum hoc pacto. Niſi Chriſtus deſcendiſſet ad inferos ſecundum animam, dici non poſſet ad inferos deſcendiſſe: ſi igitur non permaneret in homine ſecundum animam, dici non poſſet in homine permanere.

Reſpondeo, utrumque eſſe falſum, antecedens, & concluſionem: ut tamen res clarior fiat, diſtinguo antecedens. Dici non poſſet deſcendiſſe ad inferos eo ſenſu, qui expreſſus eſt in pluribus Scripturæ locis, quemque tenet ſancta Mater Eccleſia; concedo antec. Dici non poſſet alio vero pariter ſenſu; iterum hoc ipſum diſtinguo: dici non poſſet, ſi Perſona Verbi apud inferos aliquam novam operationem, & effectum edidiſſet, Chriſti proprium, ſeu repræſentantem Chriſtum; nego antec. Dici non poſſet, ſi nihil tale edidiſſet, ſed fuiſſet apud inferos, dumtaxat ut erat antea; do antecedens, nam hoc ipſum aliam diſtinctionem poſſet admittere.

Explico hæc. Senſus Scripturæ de deſcenſu Chriſti ad inferos eſt, quod illuc deſcenderit anima. Sic enim Act. II. 27. ex Pſalm. XV. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Et 1. Petr. III. 18. 19. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt &c. mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. In quo* (ſpiritu) *& his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit*. Accedunt ad hos Scripturæ locos per ſe clariſſimos Concilia, & Patres, qui id ipſum docent, & ſanciunt, ut videre eſt apud Bellarminum lib. 4. de Chriſti Anima a cap. 6. Quare verum eſt, quod diximus, non poſſe dici Chriſtum deſcendiſſe ad inferos eo ſenſu, quem exprimit Scriptura, & quo locos illos accipit Eccleſia, niſi deſcendiſſet ſecundum animam. Atque is ſenſus eſt omnino tenendus, & catholice defendendus contra tres heterodoxorum errores, Brentii, Calvini, Bezæ.

Expono alteram partem diſtinctionis. Nam Deus etiam, & divinæ Perſonæ, quamvis ubique ſint, in S. Scriptura dicuntur deſcendere. Sic Gen. XI. 5. *Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam ædificabant filii Adam*. Et ver. 7. *Venite igitur deſcendamus, & confundamus &c.* Similiter Gen. XVIII. 21. de Sodomæ excidio: *Deſcendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint &c.* Deſcendunt ſcilicet, ut in hos, & ſimiles locos ajunt Patres, & Interpretes, *deſcendunt, non mutatione loci, ſed nova operatione, & effectu*. Cum igitur & divinæ Perſonæ dicantur deſcendere; &, ut docet S. Thomas in 3. p. q. 52. a. 3. ubi eſt Perſona Verbi, dici poſſit ibi

eſſe

Digitized by Google

eſſe Chriſtus, & *totus Chriſtus ratione divinæ naturæ*; ſequitur, ut aliquo vero ſenſu dici potuiſſet Chriſtus deſcendiſſe ad inferos, etiamſi illuc anima non deſcendiſſet.

Quare Durandus opinatus eſt, dici Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, non quod illuc anima adiverit; ſed quod Deus, Chriſti merito illuminarit, ac bearit animas Patrum, quæ ibi erant. Erravit in eo quidem Durandus; cum Scriptura, ut vidimus, clare, & expreſſe doceat, Chriſti animam fuiſſe apud inferos, & ita Scripturam intelligat Eccleſia: verumtamen illud recte exiſtimavit, vero aliquo ſenſu dici poſſe, ibi eſſe Chriſtum, ubi Perſona Verbi aliquid agit, quod ſpeciali modo ad Chriſtum pertineat. Quæ diſtinctionis noſtræ pars altera fuit.

Antecedente ita diſtincto, atque explicato, diſtinguo ſimiliter conſequens. Si non permaneret in homine ſecundum animam, dici non poſſet in homine permanere, eo modo, quo conſtat, ipſum re vera deſcendiſſe ad inferos, concedo conſeq. alio modo, quo potuit ad inferos deſcendere, & quo in ſacra Scriptura Deus ipſe, & divinæ Perſonæ deſcendere dicuntur; nego conſeq. Ut valeret concluſio, illud prius eſſet demonſtrandum, Chriſtum, poſt conſumptas Sacramenti ſpecies, remanere in homine eo ipſo modo, & ratione, quo poſt mortem ſuam, deſcendit ad inferos. Quod probari non poteſt: & Scriptura, & Eccleſia quam docent clare, & aperte deſcenſum Animæ Chriſti; tam nihil dicunt de hac Animæ Chriſti permanſione, & unione. Immo illi potius repugnant.

Jam vero ad alterum, quod dicunt, Perſona Verbi, & ut proxime notavimus ex S. Thoma, ipſe Chriſtus *ratione divinæ naturæ*, erat in homine illo, ante etiam quam Euchariſtiam acciperet; reſpondeo: erat, ſicuti erant reliquæ divinæ Perſonæ, nunc autem eſt ibi primario, ſeu titulo ſingulari; nec ſolum agit ibi nomine proprio, ſive, ut Chriſtus eſt, ſed agit ut Chriſtus factus eſt Sacramentum, & cibus. Ita etiam Cornelius a Lapide in hunc Joannis locum. *Hic eſt*, inquit, *ordo rerum in Communione Euchariſtiæ. Primo per Euchariſtiæ ſumptionem Chriſti caro, & ſanguis, totuſque Chriſtus, ideſt ejus Humanitas, & Divinitas quaſi cibus ingreditur in ſtomachum noſtrum, in eoque manet. Secundo, ſpeciebus Euchariſtiæ vi ſtomachi digeſtis... Chriſti caro, & Humanitas in nobis eſſe deſinit: ſed Deitas Chriſti, quaſi cibus immortalis manet in nobis &c.* Manet, & agit ut cibus; ſed ut ait S. Auguſtinus lib. 7. Confeſ. cap. 10. n. 16. & ex illo S. Thomas in 4. Sent. diſt. 12. q. 2. a. 2. ſup. cit. agit ut cibus, *qui non convertitur in manducantem, ſed eum ad ſe convertit: unde proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum*. Sive, ut ait S. Gregorius Nyſſenus, & ex illo Cornelius a Lapide loco proxime cit. *ut fiamus idem quod ipſe eſt; ideſt, ut fiamus ſpirituales, ſancti, divini, idque in dies magis, & magis*. Quod non eſt permanere in nobis Chriſti Animam; ſed eſt permanere Verbum, ſeu Perſonam Chriſti, & in nobis agere, tanquam animæ noſtræ animam, non informantem, ſed aſſiſtentem, ut ſæpe jam explicavimus.

VIII. Objicies ſecundo loco alia Chriſti Domini verba adnexa prioribus, & idem, ſed aliquanto expreſſius ſignificantia. Sic enim Joan. VI. 58. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Ex quibus rem ita conficies. Hunc locum magis proprie explicat, qui ita intelligit, ut dicat in eo, qui ſacram Communionem accepit, permanere Chriſtum ſecundum divinam naturam, & ſecundum Animam; quam qui illum intelligit de permanſione Chriſti, tantum ſecundum divinam naturam. Explicandus eſt igitur priore illo modo, non hoc poſteriore.

Diſtinguo antecedens: magis proprie explicatur proprietate grammaticali; omitto ant. nam ſic etiam eſt falſum. Eſto enim, poſt Sacramenti ſpecies conſumptas, remaneret Anima Chriſti, non remaneret ut forma vitæ, neque homo ille per eam proprie viveret. Magis proprie explicatur proprietate theologica, nego ant. Huic enim explicationi obſtant

Con-

Concilia, Patres, Interpretes. Obſtat Traditio, quæ eſt altera Fidei regula, & ut ſuo loco oſtendimus, maxime valet ad Dei verbum ſcriptum recte intelligendum. Quare hæc propria ejus loci explicatio. Ipſa illa divinitas, per quam vivit Pater, & a Patre Filius; ipſa illa propter Euchariſtiam digne ſumptam, manet in nobis, & agit tanquam cibus, ac forma vitæ, ſeu virtus aſſiſtens. Quibus illud etiam accedit, quod Deus proprie aſſumere, & tanquam virtus aſſiſtens proprie poteſt movere, & quodammodo animare hominis animam: ut propterea dicatur, aut dici poſſit, vita animæ, ſive animæ anima, non ſolum in ſenſu myſtico, aut morali, ſed etiam in ſenſu phyſico, non quidem formali, ſed æquivalenti. Quæ ſcholaſtice dicta in ſuperioribus explicata fuerunt. Contra vero anima, aut creatus alius ſpiritus non poteſt ſic aſſumere, & quaſi animare aliam animam, aut creatum pariter ſpiritum. Immo nec in ipſum proprie illabi, aut ullo modo ejus vita dici poteſt. Vide Suarez lib. 2. de Angelis cap. 5. n. 14.

IX. Inſtabis: Sententia, quæ negat veram, phyſicam, & permanentem Unionem inter Animam Chriſti, & animam ſuſcipientis Sacramentum, confirmat argumentum, quo ex hoc Scripturæ loco pugnabant Arriani; & enervat argumentum, quo ex hoc eodem pariter loco refellebantur a Patribus. Arriani enim ex iis verbis, *Sicut miſit me vivens Pater &c.* & ex aliis ſimilibus, quæ leguntur Joan. XVII. 11. *ut ſint unum, ſicut & nos;* & 22. & 23. *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me &c.* ita pugnabant. Scripturæ teſtimonio talis eſt unio, ſive unitas inter Patrem, & Filium, qualis eſt inter Filium ipſum, & homines, de quibus Chriſtus hic loquitur. Sed unio, ſive unitas inter Filium, & ejuſmodi homines non eſt pluſquam moralis, & myſtica, ex ſola nimirum charitate, & voluntatum conſenſione: ſimiliter igitur inter Patrem, & Filium. Contra vero Patres, & nominatim Hilarius lib. 8. de Trinit. ita repugnabant, ut oſtenderent, inter Verbum, & homines majorem eſſe Unionem, quam moralem, & myſticam dictam. Id vero oſtendebant ex myſteriis Incarnationis, & Euchariſtiæ. Ex Incarnatione quidem, quia per illam Verbum naturam humanam ſibi naturaliter, & inſeparabiliter copulavit. Ex Euchariſtia vero, quia ita illam inſtituit, ut ſe ipſum nobis naturaliter, ſeu phyſice uniendum reliquerit. Hæc Hilarii verba lib. 8. num. 13. *Si enim vere Verbum caro factum eſt; & vere nos Verbum carnem cibo dominico ſumimus; quomodo* (tantum myſtice) *non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit?* Ex quibus conſequens eſt, ut Patres hos Scripturæ locos intelligi vellent in eam ipſam ſententiam, quam hic oppugnamus, ſeu de vera Chriſti non ſolum ſecundum naturam divinam, ſed etiam ſecundum Animam permanſione.

Reſpondeo, iſtiuſmodi permanſionem, ſeu phyſicam, & permanentem unionem Animæ Chriſti, ad refutandos Arrianos, & ad propoſitum Patrum vel ſatis non eſſe, vel non requiri. Duæ ſunt Arrianorum aſſertiones diſtinguendæ; una primaria, altera ſecundaria. Primaria illa fuit, qua negabant inter Patrem, & Filium unionem, ſive unitatem omnium maximam; ideſt, ταυτότητα, *identitatem*, naturæ: negabant, eos eſſe Ὁμοούσιος, *conſubſtantiales*. Secundaria fuit, qua affirmabant, eſſe inter illos unionem, ſive unitatem dumtaxat moralem, charitatis ſcilicet, & concordiæ. Ut redarguerentur de prima aſſertione, ſatis non fuit allatos Scripturæ locos exponere de permanſione Animæ Chriſti, & vera illius unione cum homine juſto, aut perfecto: quippe quæ quantacunque, & cujuſmodicunque eſſe dicatur, ſemper eſt longe minor ea unione, quam inter Patrem, & Filium negabant Arriani, propugnabant Catholici. Ut vero redarguerentur de altera aſſertione, & redarguerentur ex ipſis illis Scripturæ locis, quibus pugnabant; hoc tantum neceſſe fuit oſtendere, unionem ibi non ſolum moralem, ſed & majorem aliam ſignificari.

Digitized by Google

ri. Major eſt autem tum Unio hypoſtatica Verbi cum ea natura, quam aſſumpſit; tum etiam Unio Euchariſtica cum aliis hominibus, a nobis ſupra deſcripta; quæ, ut vidimus, eſt infra Unionem hypoſtaticam, ſed eam valde imitatur: ut propterea Euchariſtia vulgo appelletur *Incarnationis extenſio*.

Atque hoc eſt, quod ait Hilarius nobis objectus: Verbum accepiſſe carnem noſtram, ac dediſſe carnem ſuam. Utrumque autem factum unione pluſquam morali. Quare ad oppugnationem, nego quod in ea primum eſt, nos vim addere argumento Arrianorum, aut debilitare argumentum Patrum. Quæ media afferuntur, omitto, cum nobis nihil officiant. Nego ultimam concluſionem. Nam præter id, quod proxime diximus, eam Animæ Chriſti permanſionem, & unionem ad refutandos Arrianos, & propoſitum Patrum minime facere; ſi Patres de illa hos Scripturæ locos intelligi voluiſſent clare, & aperte. Res, ut initio notavi, ejuſmodi erat, quæ & potuerit, & debuerit expreſſe tradi.

X. Urgebis adhuc, eſſe qui hoc dicant fere expreſſe. S. Gregorius Nyſſenus orat. 1. de Reſurrect. ait, Chriſtum D. in ſuprema cœna, quando Euchariſtiam Apoſtolis impertivit, Animam ſuam in eorum cordibus depoſuiſſe. Hæc verba S. Doctoris a Zinio ejus vulgato interprete e Græco in Latinum fideliter verſa: *dum Chriſtus corpus edendum, & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit, jam arcana, & non aſpectabili ratione, corpus erat immolatum, ut ipſius myſterium peragentis poteſtati collibuerat. Et Anima in illis* (Apoſtolis) *erat, in quibus eadem ipſa poteſtas illam depoſuit: ſimulque cum divina virtute, quæ cum illa erat conjuncta, in ea regione cordis verſata eſt.*

Multo etiam expreſſius Auguſtinus tract. 26. in Joan. num. 13. *Fiant*, inquit, *corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti. Intelligite fratres mei quid dixerim. Homo es, & ſpiritum habes, & corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, qua conſtat quod homo es: conſtas enim ex anima, & corpore. Habes itaque ſpiritum inviſibilem, corpus viſibile. Dic mihi quid ex quo vivat: ſpiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis, qui vivit... corpus utique meum vivit de ſpiritu meo. Vis ergo & tu vivere de ſpiritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti &c.* Dicit igitur Auguſtinus, non ſolum eſſe Animam Chriſti in eo, qui Euchariſtiam ſumit; ſed ſi digne ſumit, ex illa etiam aliqua vera ratione vivere; quo quidem & veram, & permanentem uuionem ſignificat.

Hanc ipſam unionem haud dubie ſignificavit, & quam ſit arcta, & intima declaravit Cyrillus Alex. lib. 10. in Joan. cap. 13. *Conſiderandum eſt*, inquit, *non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram alia cera ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, ut unum quid ex utriſque factum videatur: ſic communicatione corporis, & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.* Quæ plane conſentiunt cum iis, quæ ſupra deſcripta ſunt ex Hilario.

Tandem hæc communis Patrum vox, & ſententia, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe Sacramentum amoris. Nimirum ut eſt Joan. XIII. 1. *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Majoris autem amoris eſt major conjunctio, & unio; ac proinde illa, quam recentes hi Doctores propugnant.

Ad hæc primum generatim reſpondeo, conſiderata, & expenſa eſſe iſta omnia a Doctoribus, & noviſſime a Concilio Tridentino: neque tamen ullum Doctorem, aut ullo in loco Concilium admonere Fideles de hac Animæ Chriſti ſine Chriſti corpore permanſione: quod tamen faciendum fuiſſet. Quin immo, ut obſervatum eſt ſupra, contrarium potius docent. Nunc ad ſingula.

Chriſti Animam *in regione cordis* Apoſtolorum *verſatam* fuiſſe, dicit Nyſſenus. Quis negat hoc? Negamus, ibi permanſiſſe; quod quidem non dicit Nyſſenus. Illud etiam notandum, non in corde ipſo, ſed in *regione cordis*, ſeu cordi proxima, *verſatam* dici: hoc eſt, in ſtoma-

ma-

Digitized by Google

macho; nimirum ubi fuit & Chriſti corpus, quamdiu ibidem ſpecies Euchariſticæ perſtiterunt. At enim ſeorſim de Anima loquitur ibi Nyſſenus. Ita eſt: quia nempe, ut ipſe ait, quamvis hoc Sacramentum inſtitutum ſit antequam cruentum Crucis ſacrificium perageretur, vi tamen omnipotentium Chriſti verborum poſitum eſt ibi corpus, tanquam jam occiſum, & immolatum. Dicit ibi Nyſſenus aliquanto obſcurius, quod deinde clare, & diſtincte expoſuit Tridentinum ſeſ. 13. cap. 3. *ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie, ex vi verborum: ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini... inter ſe copulantur*.

Ad locum Auguſtini reſpondeo, S. Doctorem adeo non ſejungere Animam Chriſti a corpore Chriſti; adeo non dicere, illam remanere, hoc diſcedente; ut ſæpe confirmet, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti, fiant corpus Chriſti: eatenus vives de ſpiritu Chriſti, quatenus fueris corpus Chriſti, ſive in corpore Chriſti. Scilicet quamdiu permanent ſpecies, in te Chriſtus inhabitat ſecundum ſe totum. Poſtquam vero conſumptæ illæ fuerint, Perſona Chriſti, quæ tecum remanet, præſtat effectum illum Sacramenti, quem ex S. Thoma diximus eſſe, *hominem in Chriſtum convertere*; hoc eſt, illum ita regere, ac permovere, ut niſi reſiſtat, vita, & moribus exprimat Chriſtum. Quod eſt, Perſonam Chriſti eſſe vitam animæ, ſive animæ animam, ut alibi dictum eſt, non ſolum in ſenſu morali, & analogico, ſed etiam in ſenſu phyſico; non quidem formali, quia non eſt proprie forma vitæ, ſeu forma informans; ſed in ſenſu phyſico æquivalenti; cum ſit virtus aſſiſtens, & ſit in Anima, tanquam motor in mobili motorem ipſum repræſentante.

His etiam accedit, quod Auguſtinus in hoc loco dum loquitur de Spiritu Chriſti, non dicit, eum eſſe Animam ipſam Chriſti, ſed ait ad hominem ſe habere tanquam animam. Nam Spiritus Chriſti, ut notat Leſſius lib. 12. de divin. Perfect. cap. 11. n. 74. interdum dicitur ipſa Divinitas, quæ dicitur etiam *anima Dei: & ſpiritus Dei*: ut Iſa. XLII. 1. & Matth. XII. 18. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum &c.* Aliquando etiam ſpiritus Chriſti vocatur Spiritus Sanctus, *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater*. Gal. IV. 6. Ac ſæpe etiam ſignantur hoc nomine interiores illæ motiones, inſpirationes, inſtinctus, quibus movemur ad imitandum Chriſtum, ejuſque doctrinam ſervandam. *Neſcitis, cujus Spiritus eſtis*. Luc. IX. 55. Ad hæc omnia ſpectare facile potuit Auguſtinus; ac præcipue ad primum, ex quo tanquam ex vitæ fonte manant reliqua.

De Cyrillo idem dicendum, quod ſupra de Hilario: hoc eum ibi pertendere adverſus Arrianos, Patris, & Filii unionem, ſive unitatem non eſſe mere moralem; quoniam Filii cum hominibus in Euchariſtia eſt longe major. Conjungitur enim ipſis tanquam cibus, prius quidem etiam corpore, & anima: ſubinde vero, poſtquam Sacramentum deſiit, conjunctus remanet ſecundum divinam naturam, quæ ut ait Cornelius a Lapide ſupra laudatus, tanquam *cibus immortalis* vitam noſtram & ſupernaturalem, & divinam perpetuo alit. Et ut docet Suarez loco pariter ſupra laudato, in animæ noſtræ ſubſtantiam penitus, atque intime illabitur; ut, non quidem unum per ſe; aut una perſona, ſicut in Incarnatione; ſed *unum quid, ſicut ex duabus ceris liquefactis, factum eſſe videatur*. Quæ ſunt verba Cyrilli.

Ad ultimum concedo, hoc appellari Sacramentum amoris; ſed memineris, idem appellari etiam Sapientiæ convivium. *Sapientia .... propoſuit menſam ſuam* Prov. IX. 2. Quid ſi Jeſus pro ſua ſapientia vidit, hoc non ſibi eſſe faciendum, ut in multis hominibus ſemper Anima permaneret? Quid ſi amor ipſe ab hoc illum retraxit? Illud etiam majoris amoris videbatur, eum inter homines perpetuo verſari. Atqui amore erga no factum eſt, ut a nobis diſcederet. *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non*

abie

Digitized by Google

abiero, *Paraclitus non veniet ad vos*. Joan. XVI. 7. Profecto hunc Chriſti amorem maxime prædicat Tridentinum. Hæc enim Seſ. 13. cap. 2. *Ergo Salvator noſter*, *diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem*, *Sacramentum hoc inſtituit*, *in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit*. Nec tamen ibi, aut alibi Concilium idem de hac Animæ Chriſti, ſine Chriſti corpore, permanenti replicatione, & unione quicquam loquitur: immo, ut notavimus, contrarium potius docet.

At inquies, loco proxime citato habet hæc quoque. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc*, *tanquam ſpiritualem animarum cibum*, *quo alantur*, *& confortentur viventes vitam illius*, *qui dixit* (Joan. VI. 58.) *qui manducat me*, *& ipſe vivet propter me*. Reſpondeo, quæ ſit hæc vita jam eſſe explicatum. Non eſt ex Chriſti Anima; quia eſto anima poſſit, aut proprie dicatur aſſumere aliam animam, eamque movere; Anima Chriſti neque in Sacramento, neque vi Sacramenti, eſt uſquam ſine Chriſti corpore. Eſt igitur magis vere, & proprie ex Chriſti divinitate. Hæc enim eſt vita, qua vivit Pater; hæc eadem eſt vita, quam Filius accipit a Patre, ſeu qua vivit propter Patrem: ac proinde hæc ipſa eſt vita, qua vivunt propter Filium, qui in Euchariſtia ipſum manducant.

X. Sed retorqueri facile poteſt argumentum in noſtram ſententiam, hoc, aut ſimili modo. Non eſt probabile, quod Patres ex myſterio Euchariſtiæ contra Arrianos diſputantes docuerint veram, phyſicam, ac permanentem unionem inter Animam Chriſti, & animam Communicantis; quoniam hæc unio ad refellendam primariam Arrianorum aſſertionem ſatis non erat; ad refellendam vero ſecundariam non erat neceſſaria. Sed unio etiam motoris, & mobilis, ſive aſſumentis, & aſſumpti, unione hypoſtatica utique minor, quam nos adſtruimus inter Perſonam Verbi, & animam Communicantis, vel ſatis non erat, vel non erat neceſſaria. Neque hanc igitur ibi Patres docuere.

Reſpondeo; concedi a nobis majorem propoſitionem, negari minorem. Et primum quidem dico neceſſariam fuiſſe, ad redarguendos Arrianos de eo, quod dicebant ſecundo loco. Nam ſupra unionem moralem, & affectivam, alia nulla ſatis probabiliter cogitari poteſt, quam hæc. Siquidem unio illa inter Animam Chriſti, & animam ſuſcipientis Sacramentum habet ea omnia incommoda, & difficultates; quibus eam ſupra oppugnavi, & facile ab Arrianis exploſa fuiſſet. Unioni autem motoris, & mobilis inter Perſonam Verbi, & animam ejus, qui Sacramentum ſuſcepit, ut a me, immo ut ab aliis etiam & Myſticis, & Scholaſticis vulgo explicatur, nihil poteſt ſolide objici; neque illam Arriani rejicere poterant.

Dico deinde, eam ſatis fuiſſe ad refutandos Arrianos de illo, quod primo, & præcipue ex allatis Scripturæ locis conficere volebant, nempe Patrem, & Filium non eſſe ejuſdem naturæ, & ſubſtantiæ. Hoc enim eſt, quod ait Chriſtus Dominus apud Joan. VI. 58. Eos, qui Euchariſtiam digne ſumpſerint: victuros ipſa illa vita, qua Filius vivit propter Patrem; hoc eſt, quam Filius per æternam generationem accepit a Patre, & qua vivit æternus ipſe Pater. *Sicut miſit me vivens Pater*, *& ego vivo propter Patrem*: *& qui manducat me*, *& ipſe vivet propter me*. Quæ autem eſt illa vita, qua vivit ex æterno Pater? eſt utique Divinitas. Hanc ergo per æternam generationem communicavit cum Filio; Filius vero per Euchariſtiam communicat cum hominibus. Siquidem, ut diximus, poſt ſpecies corruptas, Chriſti Anima, & Corpore diſcedentibus, remanet in homine Chriſti Divinitas, tanquam cibus immortalis: qui non mutatur in manducantem, ſed manducantem mutat in ſe ſe; ideſt, hominem ſanctum, divinum, ac vivam Chriſti imaginem efficit. Contrario autem, ſi illi, qui Euchariſtiam acceperunt, ſpiritualiter viverent, Chriſti Anima in ipſis permanente, ut hi recentes Doctores volunt; verum non eſſet, eos vivere ipſa illa vita, qua vivunt Pater, & propter Patrem Filius. Quare nec Scripturæ verbis ſatisfieret, nec argumento Arrianorum.

Non abſimili modo, ſi alia Chriſti D. verba Joan. XVII. 22. *ut ſint unum*, *ſi-*

cut & nos unus ſumus &c. ad Euchariſtiam quoque referenda cenſemus; Patris, & Filii duplicem dico eſſe unitatem. Prima eſt eſſentialis, quæ eſt Divinitas, ſive Natura divina. Altera eſt notionalis; & hæc eſt Spiritus Sanctus, qui apud Patres, & Doctores Patris, & Filii nexus, ac vinculum dicitur. Sic pariter Chriſtus Communicantes, etiam poſtquam ab ipſis Anima & corpore diſceſſit, junctos ſibi quam arctiſſime retinet & Divinitate, quæ in ipſis permamanet, ut virtus aſſiſtens, & movens eo modo, quo ſæpe diximus; & Spiritu Sancto, quo charitas in ipſis inſigniter augetur. Et ſic pariter fiunt unum inter ſe & Divinitate, quæ in iis omnibus permanet modo explicato, & Spiritu Sancto, qui eos charitate non ſolum cum Capite, ſed etiam inter ſe nectit, atque devincit.

At inquies, Unio motoris & mobilis non eſt pluſquam moralis. Reſpondeo, hos etiam Auctores, quos hic impugnamus, Animam Chriſti animæ Communicantis adjungere, tanquam motorem mobili. Quam igitur iſti unionem eſſe volunt inter Animam Chriſti, & animam Communicantis, eam dicimus eſſe inter ipſam Chriſti Perſonam, & Communicantis animam. De hac unione copioſe Suarez lib. 4. de Angelis cap. 36. a num. 2. Unio certe non eſt tantum affectiva quam vocant, aut ſolius charitatis, atque concordiæ, quod ad rem præſentem ſatis. Nec Chriſti verborum, quæ nobis objecta ſunt, vim eſſe dicimus in unionis modo, ſed in unionis termino. Ut eadem Divinitate; eodemque Spiritu ſint unum Communicantes, quibus Pater, & Filius; & ſic pariter, ut eadem vita vivant. Non vero ut eodem modo ſint hæc in Deo, & in hominibus. Legendi S. Interpretes in hos Scripturæ locos.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

De veris, falſiſque prodigiis, Apparitionibus, Viſionibus, Revelationibus, & ſimilibus diximus in Tractatu de Angelis, quantum nobis, qui ſelectiora quædam dumtaxat percurrimus, ſatis eſſe debet. Itaque hæc eſt Propoſitio noſtra:

Etſi proprii, ac certi veræ ſanctitatis characteres ſunt virtutes heroicæ; nec dubitari poteſt, quin ille, qui eſt verè martyr, æternam ſalutem, ac beatitudinem adeptus ſit; neceſſe eſt tamen, ut poſt examen, & approbationem heroicarum virtutum in Confeſſoribus; Martyrii, & cauſæ Martyrii in Martyribus, antequam ad formalem Beatificationem gradus fiat, rite examinentur, & approbentur aliqua miracula a ſervo Dei, cujus agitur cauſa, poſt mortem patrata; & rurſus ab eodem patrentur alia poſt Beatificationem, & ſimili examini ſubjiciantur, ac ſimilem ferant approbationem, antequam Eccleſia ad formalem Canonizationem, qui ſupremus eſt actus, progrediatur.

I. Probatur id totum hac ratiocinatione. In iis omnibus, quæ ſummus Pontifex, & Eccleſia definiunt, neceſſe eſt, ut ante definitionem hæc duo, quam fieri maxime poteſt, ſint cognita, explorata, & perſpecta. Primum eſt veritas rei definiendæ. Nam licet Spiritus Sanctus ſpecialiter adſit Eccleſiæ, & Pontifici, eoſque regat, ne errent; id tamen, ut ſuo loco notatum eſt, facit efficaciter quidem, ſed ſuaviter, & plerumque humano modo. Adhiberi, & præmitti vult longa, & accurata examina; excuti res a Theologis, ac viris ſapientibus quam diligentiſſime. Quod ſummi Pontifices, ac Generalia Concilia ſemper fecerunt. Alterum eſt opportunitas, & convenientia definitionis. Quo ſpectat illud Apoſtoli 1. Cor. VI. 12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*. In quo illud præcipuum eſt, ut conſtet de voluntate Dei; ideſt, an ipſi placeat, rem illam definiri.

Porro ſi in omni definitione, ac declaratione dogmatica ſervanda ſunt hæc duo, quæ dixi; eadem ſervari maxime oportet, atque his præſertim temporibus, in Canonizatione Sanctorum. Cur maxime neceſſarium ſit primum, ea eſt cauſa, quia in Canonizatione definitur aliquod factum; eaque definitio maxime ferit hæreticos, tum propter ſanctitatem, quæ definitur, qua ipſi carent; tum propter Romanum Pontificem, qui eam definit, cui ſunt ſummopere infenſi. Cur autem ſit neceſſarium etiam ſecundum, cauſa eſt hæc, quia non omnes, qui virtutibus etiam heroicis inſignes fuerunt, vel morte occubuerunt pro Chriſto, vult Deus Sanctorum catalogo aſcri-

Digitized by Google

bi: fortaſſe, ne minuatur Fidelium religio, & pietas erga illos, qui in eum numerum relati jam ſunt, & eviléſcat ille honor, ſi tam multis, ac pene innumeris conferatur. Vel aliis nobis non notis de cauſis. *Quis enim cognovit ſenſum Domini?* Rom. xi. 34.

Hæc vero cum ita ſe habeant, examen, & approbatio miraculorum ſupra expoſita, præſtat hæc duo: primum argumenta illa, quibus probatur vera ſanctitas, & maxime perſeverantia finalis, aut verum martyrium Servi Dei, cujus agitur cauſa, vel ſupplent, ſi deſunt, aut rei probandæ paria non ſunt; vel ſi adſunt, & ſatis per ſe valent, magis adhuc roborant, atque confirmant. Et quidem illis ejuſmodi pondus, fidem, ſeu certitudinem addunt, quæ faciat ad omne hominum genus, etiam eorum, qui ſunt ad veritatem magis indociles. Ut propterea Eccleſiæ catholicæ, & Romani Pontificis hoſtes, ac noſtrarum rerum calumniatores, & obtrectatores manus dare, aut ſaltem ſilere cogantur. Nimirum quia, ut oſtendi, & explicavi in tractatu de Angelis, miracula ſunt quædam teſtimonia Dei, ſive ſunt interpoſitio divinæ auctoritatis locutoriæ; nec fieri poſſunt a Deo iis circumſtantiis, quibus per ſe confirmarent, & approbarent aliquid falſum. Nec ſolum repugnarent divinæ veracitati, ſed etiam divinæ fidelitati; & illis edita circumſtantiis totam Eccleſiam in fraudem inducerent, erroremque graviſſimum. Quod eſt contra divina promiſſa, Luc. xxii. 32.

Præterea miracula, quod alterum erat, divinam voluntatem declarant. Nam quod Deus ſanctos aliquos homines iſtiuſmodi operibus inſolitis, & admirandis poſt mortem illuſtrat; Eccleſia ab ipſo edocta ſic accipit, ut argumento ſit, & indicio certo, eos non ſolum regnare apud Deum, ac beatitudine frui; verum etiam placere Deo, eoſdem ab hominibus publice coli, & invocari. Utrumque expreſſit Alexander III. in Conſt. *Redolet* &c. Canoniz. S. Thomæ Cantuarien. Et ſimiliter Honorius III. in Conſt. *Ineffabilis* &c. Canoniz. S. Laurentii Dublinen. Gregorius IX. Conſt. *Mira* &c. Canoniz. S. Franciſci de Aſſiſio. Innocentius IV. in Conſtit. *Olim* &c. Canoniz. S. Stanislai Martyris. Itemque alii ſummi Pontifices in Apoſtolicis Literis ad totam Eccleſiam ſub alias Canonizationes datis. Atque hæc ipſa notavit Innocentius III. in cap. 1. de Reliquiar. veneratione. Immo etiam Gregorius Magn. lib. 4. Dialog. cap. 6. Sequitur igitur, ut poſt Pontificium decretum de virtutibus heroicis, deque martyrio, & cauſa martyrii, ſint neceſſaria etiam miracula poſt mortem Servi Dei ad ipſius invocationem patrata; eaque pariter ad examen vocanda, & approbanda. Quod erat propoſitum.

II. Objicies, eſto ſemper in miraculis magnum momentum, ut par erat, Eccleſia poſuerit, hæc tamen, quæ diximus non ſemper eſſe ſervata; aliquos Dei ſervos cum Martyres prioribus ſæculis, tum Confeſſores aliquanto poſt, inter Sanctos relatos etiam ſine miraculis.

Reſpondeo, id non negari, ſed multas afferri poſſe, & valde diſpares cauſas, quare quod primis temporibus neceſſe non fuit, neceſſe ſit modo. Primum illa omnia, quibus adducti Pontifices Sanctorum cauſas ad ſe avocarunt; & quibus iterum permoti eas multo etiam accuratius, & majori, ac pene nimia ſeveritate tractari juſſerunt. Quæ leges apud Scriptores ſub finem de more percenſendos. Non eſt autem inconveniens, nec antiquæ Eccleſiæ injurioſum, mutatis hominum moribus, & circumſtantiis, ipſius quoque ritus, & diſciplinam ex parte mutari. Quin etiam multa ſunt in Eccleſia, quæ initio rudia, & varia, acceſſu temporis, & experientiæ, perfecta ſunt, & ſtabilita.

Præterea multum intereſt inter antiquas Canonizationes, & noſtras. Salutabantur, & habebantur Sancti, vel ſola acclamatione populi, vel ſententia particularis Epiſcopi. Nec puto unquam acceſſiſſe Rom. Pontificis, aut univerſæ Eccleſiæ conſenſum, qui quidem vim definitionis haberet, & divini oraculi pondus; quin veræ ſanctitati, & martyrio teſtimonium miracula redderent; aut illa eſſent per ſe ita clara, & perſpicua, ut neque in dubium vocari poſſent a noſtris, nec ab inimicis oppugnari, aut irrideri.

III. In-

Digitized by Google

III. Inſtabis, eſſe quidem cur in Confeſſoribus requirantur miracula, nempe ut appareat, eos perſeveraſſe uſque in finem. Idem vero injurioſum eſſe Martyribus; quibus ſi injuriam facit, qui pro illis erat, ut ex Auguſtino ſupra notavimus; injuriam pariter facit, qui, ut eos credat regnare cum Chriſto, miracula expectat.

Reſpondeo, in Martyribus quoque probandam eſſe Perſeverantiam; ſi præſertim lethali vulnere accepto non ſtatim occubuerint. Ajo deinde in Martyribus expectari miracula, ut certius conſtet de veritate ipſa martyrii. Neque dicas, injuriam fieri Pontifici, qui de illa conſtare decrevit. Nam decretum illud non eſt ultima, & definitiva ſententia, quæ ſolum in Canonizatione profertur. Eſt quidam actus prævius, qui ad Canonizationem ordinem habet, nec cauſam abſolvit, ſed quaſi in ſuſpenſo relinquit. Ut propterea de veritate martyrii nova poſſint argumenta quæri, ſine ullo Pontificiæ auctoritatis diſcrimine, aut detrimento.

IV. His etiam illud accedit, quod ad decernendum publicum cultum, & proprios Sanctorum honores neceſſaria eſt Martyribus æque ut Confeſſoribus ea divinæ voluntatis ſignificatio, de qua dictum eſt paulo ante. Et quod maxime notatum velim, incertum eſt, an ille, quem martyrum numero adjungi volumus, lethalis peccati expers ad martyrium acceſſerit, vel eo animi dolore, ac deteſtatione culpæ patratæ, quæ ad obtinendam juſtificationis gratiam neceſſe fuit.

Dices, eſſe difficile, & rarum, in eo qui pro Chriſto animam ponit, non eſſe charitatem, contritionemque perfectam; vel attritionem ſaltem, quæ cum martyrio par delendis etiam peccatis lethalibus exiſtimatur. Quanquam id certum non ſit. Ita quidem; ſed pariter difficile, & rarum, quod homo perfectus, eximiis, diviniſque virtutibus, non perſeveret, & in morte ipſa graviter delinquat. Sicut igitur ad hoc patefaciendum fateris neceſſaria eſſe miracula; ſic etiam ad illud.

IV. Ultimo tandem addes, in Martyribus, præſertim poſt Beatificationem, non videri neceſſaria eſſe miracula, ſatis eſſe aliqua ſigna, quæ clarius oſtendant eadem ipſa, quæ in præcedentibus actis ita ſunt patefacta, & declarata, ut ſine temeritate negari non poſſent.

Reſpondeo, ſi nomen *Signi* recte uſurpetur poſſe id totum concedi, non ſolum de Martyribus, ſed etiam de Confeſſoribus; nec ſolum poſt Beatificationem, ſed etiam ante. Vel enim nomine ſigni intelligenda ſunt miracula tertiæ claſſis, quod aliqui cenſent; & cum hæc quoque ſint vera, & abſoluta miracula, ut hic, & in præcedente tractatu planum fecimus auctoritate præſertim S. Thomæ p. 1. q. 105. a. 8. dubitandum non eſt, quin ad ea, quæ dixi modo, ſi recte probentur, ſint ſatis. Quod ſi nomine ſigni, ut a miraculo diſtinguitur (nam ſæpe hæc confunduntur, ac pro eodem accipiuntur) intelligenda ſunt, ut probabilius exiſtimo, miracula illa, quæ ſuperant vires naturæ corporeæ, & appellantur miracula relativa; hæc etiam, ſi in ſuo genere ſint vera miracula, & pariter rite probentur; ad illa quæ proxime dixi, ſatis eſſe debent. Siquidem hæc etiam, ut ſuo loco oſtendi, Dei ſigillum convenienter vocantur; nec minus per illa Deus auctoritatem ſuam locutoriam interponit. Quis enim ſive ad Beatificationem, ſive ad Canonizationem, ex ſuo genere impar exiſtimet, vel quod ignis evocetur e Cœlo, ut ad preces Eliæ III. Reg. XVIII. 38. vel quod evocentur pluviæ, & fulmina; quod in exercitu Marci Aurelii factum eſt ad preces Chriſtianæ cohortis, quæ inde nuncupata eſt *fulminatrix*: ut eſt in epiſtola ipſius M. Aurelii data ad Senatum, quæ extat poſt ſecundam S. Juſtini Apologiam.

Neque dicas, hæc eſſe vera, & abſoluta miracula, licet tertiæ claſſis: nam etiam dæmon ignem e cœlo demiſit Job. 1. 16. & demittet tempore Antichriſti Apoc. XIII. 13. Et omnino videntur mali etiam ſpiritus ciere poſſe tempeſtates in aere, niſi ſuperiore vi prohibeantur; Cæterum ſi hæc eſſe contendis vera, & abſoluta miracula; præſto ſunt alia plurima, & in ſacris Literis,

Digitized by Google

ris, & in tota Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ omnium judicio ſunt tantum miracula relativa; nec tamen in ſacra Rituum Congregatione rejicerentur, ſi, ut dictum eſt, rite probarentur. Sed utrovis modo accipiantur ſigna, ſive pro miraculis tertiæ claſſis, ſive pro miraculis tantum relativis; hoc certe habent, quod difficilius probantur.

Legendi præcipue Maſcardus de Probationib. lib. 1. Concluſ. 261. num. 9. Pirhing ad titul. Decretal. de Reliq. & venerat. Sanct. Reinfeſtuel ibid. §. 1. n. 11. Pignattellus conſult. 72. num. 9. tom. 4. Chaſſaneus in catalogo gloriæ mundi p. 3. conſider. 49. Caſtellinus de Canoniz. Sanct. quæſt. 5. ver. 6. De Matta par. 4. cap. 7. n. 27. Hurtado de vero martyr. tract. 7. Reſolut. 44. §. 4. Matthæuccius in Praxi theol. tract. 4. cap. 3. Card. Petra tom. 2. pag. 108. num. 16. & tom. 3. pag. 130. num. 21. &c. Card. Lambertinus lib. 1. cap. 28. 29. &c. & lib. 4. par. 1. cap. 5. 6. &c.

F I N I S.

THE-

Digitized by Google

THESES SELECTÆ

Ex Theologia Myſtica

Ex Sacrarum Literarum Teſtimoniis, & Exemplis potiſſimum propugnatæ.

I. Theologia myſtica eſt, Dei, ac rerum divinarum ſcientia undique arcana. Hoc eſt, arcana ex magiſtro, qui eſt ipſe Deus. Arcana ex magiſterio, quod eſt intima communicatio, & conſuetudo cum Deo. Arcana ex rebus, quæ diſcuntur, quæ ſunt *profunda Dei* 1. Cor. 11. 10. & interiora, atque abdita Perfectionis chriſtianæ. Hæc vero ſunt primum natura ipſa, & indoles Perfectionis ejuſdem. Deinde virtutes, præſertim ut eximiæ, & heroicæ ſunt. Tertio Contemplatio, ut a Meditatione differt, & ad myſticam, quam vocant, Unionem certis gradibus pervenit.

II. Perfectio Chriſtiana, & Sanctitas reipſa idem ſunt. Hæc ex animi munditia, & firmitate in bono propoſito; illa ex univerſali, & conſtanti declinatione mali, amplexuque boni moralis, recte definiuntur. Potiſſimum in charitate conſiſtunt, qua quis *diligit Dominum Deum ſuum, ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua &c.* Deut. vi. 5. Matth. xxii. 37. &c. Alia tamen eſt Perfectio, & Sanctitas vitæ mortalis, alia vitæ beatæ. Hæc ſola omnis peccati, ac perturbationis expers: ſecus illa. Quo Apathiam rejicimus non tantum Pelagianam, ſed & illorum, qui ſine admodum ſpeciali, & extraordinaria gratia mortalem putant eo pervenire poſſe, ubi nihil amplius peccet, & nulla cupiditate tangatur. Ad Perfectionem non illi ſolum, qui religioſis Votis ſe obſtrinxere, ſed etiam cæteri omnes aſpirare, & contendere debent, obligatione gravi, & diſpari quidem ſi viam, pari autem ſi terminum ſpectes. Scilicet illud Matth. v. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt;* & illud Levit. xi. 44. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum;* & quæ plura ejuſdem modi leguntur in utriuſque Fœderis Libris, æqualiter dicta, & injuncta ſunt omnibus. Baſilius in Serm. de Renuciat. Sæcul. num. 1. & 2. Jo: Chryſoſtomus lib. 3. adver. vituperat. vitæ Monaſt. n. 13. Auguſtinus ſerm. 96. cap. 7. num. 9. Leo Magn. ſerm. 9. de Quadrag. cap. 1. &c. Ex quibus S. Thomas 2. 2. q. 186. ar. 2. ad 2. in 3. Sent. diſt. 29. ar. 8. q. 2. &c.

III. Quod pii, & docti aliqui harum rerum Scriptores contendunt, Deum eſſe animæ vitam, ſive animæ animam, non ſolum media gratia, & charitate, ſed etiam per ſe ipſum; nec ſolum analogice, aut exiſtimatione morali, *ſed aliqua etiam vera ratione phyſica, non quidem propria, & formali, ſed æquivalenti;* ipſis concedendum, non de omnibus juſtis, ut vellent, ſed de ſolis hominibus ſanctis, atque perfectis, & ita explicandum. Deum toties illabi in hominis animam, ſive ad illam venire, aut mitti divinas Perſonas, quoties ibi ſunt, & inhabitant, novo, ac perfectiore titulo, nomine, cauſa. Nempe, ut ex SS. Auguſtino, Thoma, Bonaventura exponit Suarez lib. 12. de Trinit. c. 5. n. 16. quando vel inſigniter augetur gratia, & charitas; vel notabiliter immutatur agendi modus, & ab ordinariis, & communibus virtutum actionibus fit gradus ad extraordinarias, & excellentes. Nec ſolum

Digitized by Google

lum admittendus eſt novus Dei illapſus in homines ſanctos, & perfectos; ſed quia hi tantum vere, & proprie ſunt *imitatores Dei* (Eph. v. 6.) ejuſque ſanctitatis, ac perfectionis ſimilitudinem expreſſe referunt; hos ſolos dicendus eſt aſſumere, atque his ſolis uniri, tanquam motor, aut virtus aſſiſtens mobili illi, per quod ſe proxime oſtendit, & manifeſtat. Ut enim de Angelis docent S. Thomas p. 1. q. 51. ar. 2. ad 2. & ex illo Suarez lib. 4. de Angelis cap. 36. n. 7. & 8. *Ideo Angelus dicitur aſſumere corpus, quia illo utitur ad ſe repræſentandum &c.* Eſt igitur in ejuſmodi hominum Anima Deus novo, ac perfectiore non ſolum titulo, ſed etiam vinculo. Illi unitur, ſicut unitur Angelus, non cuicunque corpori, quod movet, ſed corpori aſsumpto, quod movet ad repræſentandum ſeipſum: vel etiam ſicuti Platonicorum ſententia unitur anima rationalis corpori humano. Quod animationis genus, etſi minus proprium, haud tamen mere analogicum, & morale, ſed aliquo modo etiam phyſicum eſt; & ad divinam hanc aſsumptionem declarandam optime facit.

IV. Illud vero nec de perfectis, & ſanctis hominibus concedendum putamus, quod ingenioſe, & erudite propugnarunt noviſſime alii, Sacramenti Euchariſtiæ proprium, & primarium effectum eſse *veram, realem, ac permanentem unionem* inter animam Chriſti, & animam illius qui hoc Sacramentum rite, & digne ſuſcipit: ita, ut Chriſti anima, poſtquam ſpecies Euchariſticæ penitus conſumptæ fuerint, in homine tamen illo remaneat, conjuncta quidem Verbo hypoſtatice, ſed ſine proprio corpore; nec inde ſit diſceſſura unquam, niſi pulſa aliquo gravi peccato. Negamus, hæc fieri; non ſic tamen, ut ab iſtorum ſententia omni ex parte diſcedamus. Hujus Sacramenti effectum præcipuum in eo ponimus, quod alat, & augeat in hominibus juſtis vitam ſupernaturalem, gratiæ ſcilicet, & charitatis; in hominibus vero perfectis, qui ad illud dignius, & ſanctius accedunt, vitam etiam divinam ſupra explicatam. Nimirum accreſcere hinc novam cauſam, ſive titulum, cur Filius, qui una cum reliquis divinis Perſonis in his ſpecialiſſime inhabitat, extraordinariis auxiliis, ac modis eos moveat apte, & congruenter ad repræſentandum ſe ipſum, etiam ut hominem. De quo intelligendum putamus, quod ait S. Thomas in iv. diſt. diſt. 12. q. 2. ar. 1. *Proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum, ut dicat cum Apoſtolo, vivo autem jam non ego.* Quare non diffitemur, quo iſti maxime pugnant, hoc eſſe *Sacramentum unionis;* ſed iis omnibus Scripturarum, & Patrum teſtimoniis, quæ pro ſe afferunt, eo ſatisfieri arbitramur, quod Animæ ſanctæ jungatur, non Chriſti Anima, ſed Verbi Perſona, per unionem motoris, & mobilis; aſſumentis, & aſſumpti; quæ ſecundum unionem hypoſtaticam, & inter Deum & naturam creatam omnium maxima: nec nova eſt apud Theologos; qui cum S. Thoma illam declarant in II. ſent. diſt. 8. & par. 1. q. 51. ar. 2. & 3.

V. Quod ad Virtutes; retineri poteſt nota Platonicorum diviſio in virtutes Politicas, Purgatrices, Purgati animi, & Exemplares. Sic tamen cum S. Thoma 1. 2. q. 61. ar. 5. eſt explicanda, ut virtutes Politicæ ſint illæ, quibus homo recte ſe habet in gerendis rebus humanis; purgatrices ſint hominis tendentis ad divinam ſimilitudinem; purgati animi ſint divinam ſimilitudinem jam aſſequentis; virtutes vero exemplares ſint in Deo, & quod addendum cenſemus, in Chriſto, etiam ut homine. De quo intelligendum illud Apoſtoli Coloſſ. 1. 15. *qui eſt imago Dei inviſibilis.* Eodemque pertinet quod ſcriptum reliquerunt Baſilius Conſt. Monaſt. cap. 1. n. 1. & cap. 4. n. 4. Ambroſius in Luc. lib. 4. cap. 4. n. 46. Auguſtinus de Vera Relig. cap. 16. n. 30. &c. Chriſtum eſſe exemplar viſibile nobis propoſitum, ut ipſius imitatione exprimamus in nobis Dei ſanctitatem, & perfectionem, quam videre non poſſumus. Id quod non minus apte, quam eleganter declaratam dicimus ab Origene lib. 2. de Princip. cap. 6. n. 7. & Gregorio Magno lib. 18. Moral. cap. 20. n. 33. qui de Chriſto differentes divinam naturam luci, humanam interpoſito corpori, hujus vero operationes umbræ compararunt. Ut ſicut in orologio aliquo ſciotherico ſtyli umbra Solis cur-

Digitized by Google

curſum quam fideliſſime refert, ac ne minimum quidem aberrat; ſic operatio quælibet humanæ Chriſti naturæ ſit divinorum ſenſuum, & motuum certiſſimus index; quique ad illas perfectius vitam conformet ſuam, eum divini exemplaris perfectiorem imaginem in ſe ipſo exhibere neceſſe ſit.

VI. Planior eſt, & magis recepta virtutum diviſio in Theologicas, & Morales; & utrarumque in communes, & heroicas. Hæ ſunt, ac definiri poſſunt, virtutes & principio, & actu aliqua vera ratione divinæ. Sunt divinæ principio, quia præter alia nomina, quibus ſunt a Deo, & ipſi debentur; ſunt ab illo, & in eundem ſunt referendæ, tamquam in virtutem aſſiſtentem homini, eumque aſſumentem, & moventem, ſicut opus eſt, & congruit ad repræſentandum ſe ipſam. Sunt divinæ actu, quia illam Dei ſimilitudinem, ad quam virtutes communes tantummodo tendunt, virtutes heroicæ, quantum mortali fas eſt, aſſequuntur. Quo illas revocamus ad virtutes purgati animi, & habere dicimus eam excellentiam, raritatem, admirabilitatem, quæ ſunt ipſarum proprietates; & ex quibus comparari poſſunt miraculis, immo & miracula in ſuo genere dici; & tripartito ſimiliter dividi.

VII. Nam quæ fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ, prout ipſius vires excedunt, in totidem claſſes ſeu genera tribuuntur. *Excedit autem*, ait S. Thomas p. 1. q. 105. ar. 8. *aliquid facultatem naturæ tripliciter. Uno modo quantum ad ſubſtantiam facti, ſicut quod duo corpora ſint ſimul, vel quod ſol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere poteſt: & iſta tenent ſummum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, ſed quantum ad id in quo fit: ſicut reſuſcitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & ſimilia. Poteſt enim natura cauſare vitam, ſed non in mortuo; & poteſt præſtare viſum, ſed non in cæco. Et hæc tenent ſecundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi: ſicut cum aliquis ſubito per virtutem divinam a febre curatur, abſque curatione, & conſueto proceſſu naturæ in talibus &c. Et hujuſmodi tenent infimum locum in miraculis.* Similiter in re noſtra, uno modo actio aliqua communes humanæ virtutis etiam ſupernaturalis terminos excedit facti ſubſtantia, ſive quia id, quod fit, magnum eſt, & arduum per ſe ipſum. Ut eſt martyrium, aut ſi illum, a quo gravem injuriam acceperis, & qui te odio habeat, vera charitate, ac benevolentia complectaris. Aliter terminos illos excedit, non propter id, quod agitur, ſed propter illum, qui agit, ſive ex aliqua circumſtantia. Ut ſi puer ſtatis diebus jejunet, quod de S. Nicolao Myrenſi Epiſcopo legitur; vel Rex miniſtret in noſocomiis, quod legitur de S. Ludovico Galliæ Rege. Tandem ſupra fines illos ſe tollere aliquis poteſt ex modo, quo agit. Ut ſi non faciat, niſi conſueta, & communia, atque eadem ipſa, quæ faciunt cæteri etiam virtute præditi, ſed illa obeat prompte, facile, alacriter, perſeveranter, magnaque cum attentione, & diligentia.

VIII. Martyrium cum ſit per ſe, & ex ſuo genere actio maxime perfecta, & apprime heroica, plura requirit; & omnino hæc quatuor. Primum, quod mors, aut neceſſaria mortis cauſa reipſa inferatur. Alterum, quod inferatur ex odio Fidei, vel rei ad Fidei doctrinam ſpectantis. Tertium, in hominibus adultis, de quibus hic loquimur, quod acceptatio mortis ſit voluntaria; & ita quidem, ut martyr, exemplo Chriſti, non reſiſtat, nec vim vi repellat. Quartum, quod cauſa movens ad mortem ſic amplectandam, & patienter ferendam, ſit Fides, vel aliud non modo honeſtum, & juſtum, ſed etiam ſupernaturale, ſeu per Fidem propoſitum. Quo circa veros fuiſſe martyres negamus de Jobo, & quibuſcumque aliis nihil illatum, quod mortem neceſſario afferret. Negamus de Presbyteris, Diaconis &c. Alexandrinis, qui non Fidei odio ab ullo interfecti, ſed ut legitur in Martyrologio Rom. die 28. Febr. cum peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſime mortem oppetiere. Negamus de Juda Machabæo, ac cæte-

cæteris omnibus, qui in bello non ſolum juſto, ſed etiam ad religionem vel propugnandam, vel tuendam ſuſcepto, pugnantes occumbunt. Et tandem de illis, qui pro privato, vel etiam publico bono, ſed tantum politico, naturali honeſtate ducti vitam profundunt. Ut aliqui, de quibus ſcribit Victor. Uticen. lib. I. de Perſecut. Vandal. De martyrio autem B. Virginis in utramque partem æque probabiliter diſputari judicamus.

IX. De Contemplatione, ex qua, & de qua maxime eſt Myſtica diſciplina, hæc defendimus. Primo, Contemplationem recte definiri, Elevationem, defixionemque Animæ in Deum ſimplici mentis intuitu, & ardentiſſimæ charitatis affectu. Ad hæc, præter generales ipſius diviſiones, in acquiſitam, & infuſam; in activam, & paſſivam; in ordinariam, & extraordinariam, quæ apud Myſticos trita, & pervulgata, recte dividi in ſuas ſingulas ſpecies, ſive gradus, quibus *procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem* (Prov. IV. 18.) Quamvis enim cum homine Deus innumerabilibus, & ineffabilibus modis communicet, & ſpiritus ubi vult, poſſunt tamen quæ adnotarunt, qui hæc experti maxime ſunt, ad certa capita revocari. Quod ſic facimus, ut contemplationis gradus duodecim vel potius undecim numeremus, eoſdemque ita explicandos arbitremur.

X. Primus eſt ſimplex veritatis intuitus. Nam in contemplatione ceſſat inquiſitio rationis, quæ meditationis propria eſt, & evehitur homo ad novum cognoſcendi modum, humano altiorem, & angelico, imo & divino ſimilem. In Angelis enim, & maxime in Deo non eſt niſi ſimplex intuitus veri. *In uno oculorum tuorum &c.* Cant. IV. 9. Secundus eſt ſeceſſio, ſive avocatio animæ ab exterioribus ab interiora: quando Deus illius vires, & facultates alio diſtractas ſubito, & pro poteſtate colligit, atque ad ſe ipſum in ea ſpecialiter inhabitantem, eique ſe exhibentem convertit. *Regnum Dei intra vos eſt*. Luc. XVII. 21. Tertius eſt ſpirituale ſilentium; quod fit quando Anima inſolitæ lucis, & pulchritudinis admiratione defixa, ſuis omnibus viribus, & facultatibus quodammodo hæret, earumque exercitationes, ac motus ſuſpendere videtur. *Factum eſt ſilentium in Cælo, quaſi media hora*. Apoc. VIII. 1. Quartus eſt quies; ideſt quædam pax, dulcedo, & jucunditas animæ nihil extra Deum quærentis, *Quid enim mihi eſt in Cælo? & a te quid volui ſuper terram?* Pſalm. LXXII. 25. eumque ſibi præſentem contuentis; licet nondum ſine phantaſmatum interpoſitu, & quaſi umbra. *Sub umbra illius, quem deſideraveram ſedi, & fructus illius dulcis gutturi meo*. Cant. II. 3. *Bonum eſt nos hic eſſe &c.* Matth. XVII. 4. Quintus eſt ſomnus ſpiritualis; ideſt, in corde hominis ea divinæ charitatis plenitudo, & diffuſio, ut ſola ferme moveatur, & agat voluntas: reliquæ animæ vires, & facultates quaſi obtutæ, & impeditæ ſint. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Cant. V. 2. Sextus eſt Ecſtaſis, ſeu mentis exceſſus, quo anima intellectu, & affectu ita intendit in Deum, ut penitus abducatur a ſenſibus, & manens in corpore ſit quaſi extra corpus: *fortis eſt ut mors dilectio*. Cant. VIII. 6. Septimus eſt Raptus, qui ad Ecſtaſim violentiam quandam, ſive impetum addit: tum quod anima a ſenſibus non paulatim abducitur, ſed ſubito avellitur, & quaſi per vim; tum etiam quod ab uſu non modo ſenſuum, ſed corporearum etiam imaginum, quas per ſenſus percepit, omnino eximitur, & abſtrahitur. Quo fit, ut adhuc conjuncta corpori ab eo ſolutam ſe putet. *Sive in corpore, neſcio; ſive extra corpus, neſcio*. II. Cor. XII. 2. 3. Octavus ad Raptum, vel Ecſtaſim addit revelationem futurorum, aut arcanorum; ſeu manifeſtationem Dei vocalem, verbis miræ virtutis, & efficacitatis vel ad aures, vel in phantaſia, vel, quod ad hunc contemplationis gradum magis proprie pertinet, in mente a Deo ipſo effictis, atque editis. *Et audivit arcana verba &c.* II. Cor. XII. 4. Nonus addit Dei, Chriſti, Deiparæ, ac Cœlitum aliorum Apparitiones, vel externas, vel imaginarias, vel quod huc proprie pertinet, & tutius eſt, intellectuales. *Factum eſt autem revertenti mihi in Jeruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre illum*

lum &c. Act. XXII. 17. 18. Decimus eſt viſio Dei in caligine. Hac vero, remotis omnibus metaphoris, quibus explicari ſolet a Myſticis, Anima ſine converſione ad phantaſmata, ſed nondum ſine ſpecie intelligibili creata, videt, non quid ſit Deus, ſed quid non ſit. Videt attributa, quæ vocant, negantia; cum ſcilicet eſſe infinitum, immenſum, immutabilem, incomprehenſibilem, ineffabilem, carentem principio, & fine, carentem omni compoſitionis genere, ſine ulla imperfectione, aut defectu. Quare videndo non videt, & non videndo maxime videt. *Magnus Dominus... & magnitudinis ejus non eſt finis*. Pſ. CXLIV. Undecimus eſt divina Unio, ſeu Deificatio, & transformatio quædam animæ in Deum. Hæc vero eſt proprius, & formalis effectus, qui exiſtit, atque eſfloreſcit ex viſione, & amore Dei ſupereminentibus: eamque deſcribunt Gregorius lib. 24. Moral. cap. 11. n. 34. Bernardus ſerm. 31. in Cant. num. 7. Bonaventura in Itinerario mentis in Deum cap. 7. &c.

XI. Duodecimus gradus non eſt hujus vitæ, ſed alterius; non eſt viæ, ſed Patriæ. Eſt autem animæ cum ſuo principio, eodemque ultimo fine perfecta conjunctio. Eſt participatio Boni ſummi extra ſe ipſum ſe diffundentis, interiores ejuſdem communicationes, ſeu proceſſiones apprime referens. Seu magis explicate, & expreſſe; eſt Deificatio, & transformatio animæ multo perfectior, quam præcedens; quippe quæ eſt ex Dei viſione prorſus clara, & aperta, & ex amore, qui ab illa proficiſcitur, eidemque reſpondet. Porro Dei eſſentiam clare, & aperte intueri nulli mortalium datum putamus; nec Moyſi, nec Paulo, nec aliis ſanctiſſimis viris. Dei Matrem excipimus, de qua nolumus habere quæſtionem.

XII. Quod ſupereſt, de Contemplatione hic ultimo addimus: quoniam is profecto eſt optimus orandi modus, & ad Chriſtianam Perfectionem vel acquirendam, vel conſervandam, & magis, magiſque augendam efficaciſſimus; illam optare, & a Deo petere, ad eamque aſpirare, per ſe laudabile, ſanctumque eſſe. Periculoſe tamen facere, qui omiſſa, aut neglecta meditatione, nec iis antea recogitatis, quæ fecit, ac pertulit Chriſtus D. ſibique ad imitandum propoſitis, ſubliniores, & inſolitas divinæ contemplationis vias præpropere affectant. Hos plerumque minus ordinato ſui ipſorum amore, & occulta ſuperbia duci. Non omnes etiam Perfectos ad Contemplationem, & myſticam Unionem vocari; & qui illuc vocantur, Dei providentia ordinaria, ad eam non admitti, niſi prius exemplorum Chriſti meditatione, & imitatione ſedulo, & impenſe ſe exercuerint. Illud etiam accedit, quod contemplatio nec perpetua eſt, nec diuturna; quique ad illam evectus eſt, identidem etiam deſcendat, oportet; & ad conſuetas, atque communes exercitationes ſe referat. *Ego ſum oſtium*, Chriſtus ait Joan. x. 9. *per me ſi quis introjerit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*. Ingredietur ad contemplandam Divinitatem, eaque fruendum; & egredietur iterum ad conſideranda, & ſanctis, & externis actionibus repræſentanda Humanitatis myſteria, & exempla. Et paſcua inveniet; hoc eſt, in meditatione, & actione ſuavitatem, & dulcedinem quandam propriam hominis adhuc Viatoris; in contemplatione autem anticipationem, & initium aliquod vitæ beatæ.

Hæ Theſes diſputatæ ſunt publicè Romæ in Collegio Romano Societatis JESU *a PP. ejuſdem Societatis Anno* 1745.

Digitized by Google

INDEX

RERUM MAGIS NOTABILIUM,

Quæ in his tribus Voluminibus continentur.

*Prior numerus Tomum, ſecundus paginam deſignat. Nota verò aſteriſmi * indicat Appendicem, quæ eſt in fine Tomi ſecundi.*

A

Abyſſus *quid*. I. 153.
Acceptatio mortis *ad verum martyrium quæ requiratur*. III. 123. & 129.
Accidentia abſoluta *Peripatetice explicata*. I. 187. *Eorumdem alia explicatio*. I. 191. & 193.
Actio divina *duplex*. I. 146.
Actus Dei *contingentes, ac liberi explicati*, I. 135. II. 39. & * 156.
Actus ſalutaris *quomodo ſit Dei donum ſimul & meritum noſtrum*. * 66. *Quibus præcipue titulis in Deum ſit referendus*. * 65.
Adam *quatenus caput morale omnium hominum*. II. 98. &c. *Adami Gratia*. * 205. &c. *In Adamo omnes peccaſſe, quomodo intelligendum*. II. 98. &c. *Adamo non peccante, an Chriſtus veniſſet*. ibid. & III. 75.
Adjutorium, *Quo, & ſine* Quo *non explicata*. III. 113. * 159. 202. & 206.
Adonai, *& Jehova Dei nomen expoſitum*. I. 107. & 135.
Æra Vulgaris, *ſive Chriſtiana*. I. 157. & 159.
Æternitatis *explicatio*. I. 115. & II. 32.
Analogia *inter perceptiones mentis, ac ſenſuum*. I. 128.
Analogia *inter Euchariſtiam, & S. Scripturam*. I. 46.
Analogia *Verbi Incarnati, ac verbi ſcripti*. I. 11. &c. *Inter Epocham Chriſti, ac Solis ſtellarumve motus*. I. 159. *Inter Libros ſacros, & Angelos*. I. 161.
Analogia *inter Boni ſummi proceſſiones, communicationeſque interiores, & exteriores*. III. 155.
Analogia *inter miracula, & virtutes heroicas*. III. 138.
Angeli *ad corpora, quæ aſſumunt, quomodo ſe habeant*. III. 92. & 144.
Angelorum *quæ ſit natura, operationes, miniſteria, & alia, quæ ad illos pertinent, habentur in peculiari Tractatu. III. a pag. 4. ad pag. 88. eo fere ordine, quo ſubjectæ Theſes demonſtrant; ut facile poſſint ſingula reperiri. Nempe:*

ANgeli ſunt, & ſunt naturæ intelligentis, completæ, ac ſubſiſtentis. Sunt puri, ac ſimplices ſpiritus, ſubſtantialis compoſitionis expertes; ejus etiam, quam excogitarunt aliqui, ex materia, & forma incorporeis. Quo immortales, ſive incorruptibiles ſunt, nec niſi externa Dei potentia deſtrui poſſunt. Creati ſunt a Deo libere, & ex tempore, neque ante, neque poſt Mundum, ſed intra ſex divini Opificii dies, & probabilius initio primi diei. Nec perfectione, nec numero ſunt infiniti: utroque tamen homines ſuperant. Apte dividuntur in tres Hierarchias, & Choros, ſive Ordines novem: nec differunt ſpecie, niſi qui Ordine differunt.

II.

Digitized by Google

II.

De Angelorum actionibus, & primum de cognitione habes a pag. 16. Angelos eſſe mentes, nec ab illorum ſubſtantia diſtingui intelligendi facultatem, ſed tantum intelligendi actionem; a qua tamen nunquam penitus ceſſant, ſed aliquid ſemper, & ex neceſſitate naturæ contemplantur, aut cogitant. Rerum intelligendarum ſpecies proprias a Deo accepiſſe una cum natura: qua qui præſtantiores ſunt, cognoſcunt per ſpecies magis univerſales, & paucioribus indigent. Præterea Angelos nec ratiocinando, nec componendo, aut dividendo cognoſcere; ſed ſimplici mentis intuitu: quo quique ſe ipſum, & Angelos inferiores, immo etiam æquales, reſque omnes corporeas, & univerſas, & ſingulas, non ſolum quidditative, ſive ut ſunt in ſe ipſis, ſed vera etiam mentis comprehenſione pervidet. Excipienda futura, quæ pendent ex libero arbitrio. Hæc enim naturali vi, ac perſpicua, neque in ſe ipſis, neque in ipſorum cauſis, poſſunt ab Angelis certo prænoſci. Excipienda etiam, nec naturali Angelorum cognitioni ſubjicienda, quæ dicuntur, cordium ſecreta, & Gratiæ myſteria. Horum tamen aliqua ipſis a Deo revelata, cum adhuc eſſent in via, ut myſterium Trinitatis, & myſterium Incarnationis. Tenenda erroris, & falſitatis immunitas, quam ipſis tribuit S. Thomas p. 1. q. 58. a. 5. & cognitiones Matutina, ac Veſpertina, quas in iiſdem diſtinguit S. Auguſtinus lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 22. n. 39. &c.

III.

Quæ primum dicta ſunt de intelligendi facultate, & actione, eadem de facultate, & actione volendi confirmamus. Præterea ut invenies a pag. 23. non eſt Angelis appetitus inferior, neque ulla ex notis undecim cupiditatibus, ſeu perturbationibus, quæ in ipſo exiſtunt, ad ejuſque vim vel Concupiſcentem, vel Iraſcentem pertinent. Sunt tamen in Angelis ſimiles voluntatis motus, iiſdemque notati nominibus, amoris, deſiderii, gaudii, ac cæterorum. Ad hæc, ſunt liberi arbitrii, & ab eo, quod ſemel amplexi libere ſunt, reſilire, & averti difficile quidem, ſed tamen ſimpliciter poſſunt. Voluntatis immutabilitatem ſolum moralem ipſis tribuimus. De illorum amore hæc probabiliora videntur: quod quilibet Angelus, vel ſola naturali facultate, non tantum ſe ipſum diligat; ſed & alios Angelos, ſicut ſe ipſum; & Deum pluſquam ſe ipſum. Quod quidem non tantum libere, ſed etiam neceſſario faciunt; ſi minus quoad exercitium, ſaltem quod ad ſpeciem: ut Deum, tanquam commune bonum, odiſſe, aut minus quam ſe amare nec dæmones poſſint.

IV.

Quod attinet ad externas actiones; Angeli cum Deo quidem, qui novit ſecreta cordium, eo ſolum loqui utique poſſunt, quod propriæ mentis conceptus ad ipſum intrinſecus dirigant, atque convertant. Loqui vero inter ſe ſimili mentis converſione, quamvis ſit nobis ſatis probabile, idque etiam exemplo explicare conemur; probabilius tamen cenſemus, eos non poſſe cogitationes ſuas ſecum invicem communicare, ſine aliqua efficientia, impreſſione, aut motione Angeli loquentis in audientem. Cujuſmodi foret, ſi Deus Angelorum mentibus initio indidiſſet intelligibiles aliquas formas, ſeu characteres, quales ferme fuerunt ſpecies Hebraicorum verborum, & characterum, infuſæ primis Parentibus, ſi ea fuit lingua primæva; & quales ferme ſunt ſpecies a nobis acquiſitæ eorum pariter verborum, & characterum, quibus idiomata, ſeu linguæ noſtrates continentur. Haberet autem quilibet Angelus non ſolum artem, ſed & poteſtatem movendi, excitandive in alio Angelo, nec diſtante, nec repugnante, eas intelligibiles notas, ac formas, eo modo,

atque

atque ordine, quo homo loquens cum homine ſpecies ſimiles excitat, ac movet per voces. De his a pag. 18. & iterum a pag. 87.

V.

Angelus vere eſt in loco; non quidem circumſcripte, ſed definite; proprie autem, ſive formaliter non per actionem, vel immanentem, vel tranſeuntem; ſed per aliquem modum, etiam ex parte ſpatii plane individuum, quique totus ſit in toto ſpatio, & totus in qualibet ſpatii parte. Item Angelus nec nuſquam, nec ubique eſſe poteſt: quamvis eſſe poſſit in loco, nunc magis, nunc minus extenſo, quavis loci figura, non quantavis menſura. Valde probabile eſt, non poſſe plures Angelos naturaliter eſſe in eodem loco: probabilius, non poſſe naturaliter eumdem Angelum eſſe ſimul pluribus in locis, inter ſe diſſitis. Migrat vero, moveturque de loco in locum, motu continuo, vel non continuo, ut ipſi placuerit; aliqua, vel nulla temporis mora; ea, quæ media ſunt, pertranſiens, aut ſecus. Hæc a pag. 27. ubi ſimilia de Angelorum tempore.

VI.

Angeli non ſolum cœleſtibus, ſed terrenis etiam corporibus præſident: quæ, quod ſpectat ad motum de loco, ipſis obediunt ad nutum. Quo Angeli poſſunt, non quidem per ſe proxime, ſed cauſis apte adjunctis, & applicatis, majores etiam mutationes in illis efficere. Tametſi vero iidem poſſunt hac ipſa vi naturali immutare hominis ſenſus, tum externos, tum etiam internos; quod tamen interdum nobis apparent, non faciunt immutatione, ſive illuſione aliqua oculorum, & phantaſiæ, ſi præſertim ſunt Angeli boni; ſed vere aſſumptis corporibus. Hæc verò e Cœlo non deferunt; ſed formant ex aere noſtro, aliis pluribus naturis, ſive ſubſtantiis permixto. Et ita quidem componunt, ut non ſolum aſpectabilia, ſed interdum tractabilia etiam ſint, & humani, ac belluini corporis ſimilitudinem etiam tangenti referant. His vero non uniuntur, tanquam materiæ forma, nec alio ſimili, aut arctiori nexu, ac vinculo; ſed tanquam mobili motor. Neque in illis edunt opera vitæ, aut actiones ullas vere vitales; ſeu, quæ tales dicuntur quoad ſubſtantiam, ut videre, audire, imaginari, appetere; ſeu, quæ tales quoad modum, ut ambulare, ridere, loqui, comedere. Hæc a pag. 51.

VII.

De Angelorum gratia, & meritis hæc: Angelos omnes primo ipſo temporis momento, quo eſſe cœperunt, & ſanctitate, & charitate, & virtutibus cæteris ſupernaturalibus infuſis ornatos fuiſſe: haud omnes tamen æqualiter; nec pro ipſorum meritis, quæ nulla erant; ſed pro majori, aut minori perfectione naturæ, Deo ſcilicet ita volente. Eorum præterea viam duplici mora, ſive operatione diſtinguimus; quarum altera omnes Deo libere adhæſerunt, altera vero, cum ad probandam illorum fidem, atque conſtantiam, nova difficultas, ex nova Dei revelatione ipſis objecta fuerit, defecerunt multi, ſtantibus, ac perſeverantibus aliis longe pluribus. Hæc primis ipſis duobus externi temporis momentis fieri potuerunt. Ecquid autem ita factum ſit, an vero operationes illæ Angelicæ longius protractæ fuerint, incertum. Præmium, & ſupplicium ſtatim conſecuta, a pag 23.

VIII.

Ex ſanctis, beatiſque Angelis, alii Aſſiſtentes, ut Seraphim, Cherubim, Throni; alii Miniſtrantes, ut Dominationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, Angeli. S. Michael omnium tum Miniſtrantium, tum Aſſiſtentium Princeps, & excellentiori quodam modo omnium munerum particeps. Præcipue in ejus tutelam commiſſi

miſſi Fideles; olim ſcilicet Synagoga, nunc Eccleſia. Cuſtodes ſunt Angeli non ſolum regnorum, atque nationum; ſed unicuique homini a Deo aſſignatus eſt Angelus, qui eum proxime, privatimque cuſtodiat. Hujus autem cuſtodiæ hæ ſunt actiones præcipuæ; externa Animæ, & corporis pericula avertere; ad recte agendum illuminando, perſuadendo, commonendo excitare; dæmones coercere, ac propulſare; hominis, quem cuſtodiunt, preces Deo offerre; pro illo etiam orare; eumdem quoque corrigere, ac temporalibus pœnis in eum animadvertere. Quæ reperies a pag. 29.

IX.

Inter Angelorum miniſteria ſunt etiam Apparitiones, & Miracula. Apparitiones, ſeu manifeſtationes Dei, & Spirituum in S. Scriptura quatuor generum deſcribuntur: viſibiles, vocales, imaginariæ, intellectuales. Valde communi Doctorum ſententiæ, quod omnes Dei Apparitiones, quæ in V. T. memorantur, ſint factæ per Angelos, Deum repræſentantes, & ipſius nomine agentes, ita ſubſcribimus, ut Apparitiones intellectuales excipiamus. Quamvis enim in his quoque aliquid operæ Angeli impendant; menti tamen apparet Deus ipſe per ſe: ſive Apparitio ſit clara, qualem ferre poteſt hæc vita mortalis; ſive ſit obſcura, ac ſolam afferat ſecuritatem divinæ præſentiæ, & ſpiritalem quemdam Divinitatis quaſi contactum. Recte iidem Doctores Chriſti, Deiparæ, & aliorum Cœlitum Apparitiones Perſonales, & Imperſonales diſtinguunt. Videntur autem minus recte contendere, Chriſtum, ex quo aſcendit in Cœlum, nulli apparuiſſe per ſe, & in propria Perſona, niſi tantum Paulo petenti Damaſcum, & ad ſummum etiam Petro Roma diſcedenti. Id quod ferme opinantur de B. V. Dei Matre; poſteaquam ad Superos aſſumpta fuit; itemque de aliis Cœlitibus. Diſtinguimus inter horum Apparitiones, & Repræſentationes: hæ ſiunt per Angelos; illæ autem, ſi veræ Apparitiones ſunt, cujuſmodi, etiam Chriſti, & Deiparæ eſſe plures cenſemus, vel nullo modo ſiunt per Angelos, vel ſi hic etiam aliquid Angeli agunt, is tamen, qui apparere dicitur, adeſt ibi præſens, re ipſa, propriaque Perſona. Nec univerſale Judicium per Angelos fiet; nec fit per Angelos Judicium particulare. Non illud ſolum, ſed hoc etiam in ſacris Literis nomine adventus Chriſti deſignatur. Ac proinde in hoc etiam Chriſtus ipſe apparet; ſed Apparitione intellectuali, quippe cum Animæ appareat a corpore jam ſeparatæ. De his a pag. 51.

X.

Quod ad miracula, ea ſunt opus extraordinarium, ac ſpecialiſſimum Dei; ac recte appellantur Dei ſubſcriptio, & ſigillum. Diſtinguendum tamen eſt inter illa, quæ dicuntur miracula abſoluta, & quæ tantum relativa. Abſoluta ſunt, quæ prætergrediuntur ordinem naturæ univerſæ creatæ. Hæc non poſſunt fieri ab Angelis propria virtute, poſſunt tamen ab iiſdem fieri virtute divina. Immo, cum inter miracula etiam abſoluta unum ſit majus alio, atque ex recepta S. Thomæ doctrina in tres claſſes dividantur, pleraque ex his omnibus claſſibus, etiam ex ſuprema, fieri cenſemus per Angelos; quos a Deo elevatos in his admirandis operibus agere dicimus, tanquam inſtrumenta non ſolum moralia, ſed etiam phyſica. Hæc miraculorum poteſtas, atque efficientia tum moralis, tum aliquando etiam phyſica datur ſanctis hominibus. Data eſt etiam nonnunquam hominibus malis; nec improbabile eſt, datam quandoque malis etiam Angelis. Sed malis neque Angelis, neque hominibus data eſt unquam, aut dari poteſt, qui ea abutantur ad decipiendum. Defendimus, hoc præſertim rerum ordine, ac providentiæ legibus, confirmari non poſſe falſam doctrinam vero miraculo. Et omnino negamus, quod Theologi aliqui ajunt, Antichriſtum accepturu-

pturum a Deo hanc poteſtatem, quam diximus, ac vera quædam patraturum eſſe miracula.

XI.

Miracula relativa ſunt illa, quæ fiunt præter ordinem ſolius naturæ corporeæ. Ut autem in genere ſuo vim, & pondus miraculi habeant, opus eſſe arbitramur, ut peculiari Dei curſu, & inſtinctu, immo & Dei ipſius nomine fiant. Ita nimirum divinam auctoritatem accipiunt, & fiunt tanquam ſubſcriptio, & ſigillum Dei; hoc eſt, proxime apta ad aliquid divine conteſtandum. Quod e propria ratione, & notione miraculi, tum abſoluti, tum relativi eſſe judicamus: eo tamen diſcrimine, quod opera, quæ fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ, habent hoc intrinſecus; quæ vero fiunt præter ordinem naturæ ſolum corporeæ, aſſumunt extrinſecus. Sic Angeli in miraculis relativis ſuapte vi, & virtute id efficiunt, quod in illis habetur, tanquam materiale, & phyſicum; nempe opus ipſum mirabile; quod vero habetur, tanquam formale, ac theologicum, eſt prorſus a Deo. Utrum autem adſit, nec ne; cum non poſſit a nobis in ſe ipſo videri, ſatis dignoſcitur, partim ex re ipſa, quæ fit; ſi vera, ſi ſolida eſt, & diuturna: nam dæmones in iis etiam, quæ cæteroquin facere poſſent, ſæpe agunt dumtaxat ad ſpeciem, & vanis imaginibus homini illudunt. Præterea ex fine ad quem fit, ex utilitate qua fit, ex miniſtro etiam per quem fit, & modo quo fit, ac ſimilibus circumſtantiis. Ex quibus etiam diſcerni poſſunt ficta quædam miracula, quibus dæmones, & dæmonum ope veneficii imitari conantur miracula abſoluta; ut Magi Pharaonis miracula Moyſis, & Apollonius Tyanæus miracula Chriſti. Nec ullum eſſe putamus falſum miraculum, quod a vero diſtingui nequeat. Hæc omnis doctrina de miraculis traditur a pag. 44. & iterum a pag. 83.

XII.

Dæmones natura mali non ſunt; ſed tales facti ſunt libera voluntate. Peccavit Lucifer in eo maxime, quod Deum Hominem, ſibi, ac reliquis Angelis divinitus præmonſtratum, adorare, & in Angelorum caput ac regem accipere recuſavit. Peccavit, quod amore non ordinato propriæ excellentiæ, & odio excellentiæ alienæ, æqualitatem cum Deo, non abſolute, & ſimpliciter talem, quæ quidem eſſe non poteſt; ſed quæ eſt ex Unione Hypoſtatica, & eſſe poteſt, ac futuram vidit, deſiderio ex ſe efficaci appetivit propriæ naturæ, & indignatus eſt naturæ hominis dari. Ejuſdem delicti participes Angeli, qui ipſi adhæſerunt, & tum exemplo, tum etiam ſollicitationibus ab illo in ſuas partes pertracti fuerunt. Peccarunt omnes graviſſime, & ſunt damnati omnes, æternumque damnati; ac ſine ulla ſpe obtinendi veniam, & facultate agendi pœnitentiam, ultimo affecti ſubſtantiali ſupplicio. Hoc vero ex duplici pœna, damni ſcilicet, ac ſenſus etiam in dæmonibus conſtat; qui pariter igne corporeo, tanquam divinæ Juſtitiæ inſtrumento, vere, & proprie torquentur. Hunc cruciatum ſecum ſemper, & ubique circumferunt; ſive ſint in inferis, quo ſtatim a peccato omnes detruſi fuerunt; ſive ſint apud homines, atque in hoc aere; in quo, permittente Deo, certis legibus, ac vicibus verſantur ſemper quam plurimi. Hoc duplici affecti ſupplicio, licet interdum fraudum ſuarum ſucceſſibus lætari videantur, nihil tamen veri gaudii unquam percipiunt. De his a pag. 62.

XIII.

Præterea eſt in dæmonibus dominatus, ac ſervitus; qui præſint, & ſubjecti ſint, aliqua regni, ſeu regiminis forma. Diſtribuuntur miniſteria, atque munera: &, quod probabilius videtur, unicuique homini ſtatim ab ortu, quemadmodum Angelus cuſtos

datur

Digitized by Google

datur a Deo; ſic certus dæmon a Lucifero, tentator, & oppugnator adjungitur. A pag. 29. Non ſolum autem Animæ, ſed quoad poſſunt, etiam corpori nocere ſtudent. Sunt veri & Obſeſſi, & Poſſeſſi, ſive Energumeni etiam apud Chriſtianos, ac poſt Evangelii promulgationem. Sunt certa loca, ac domus infeſtæ a Spiritibus; qui aliquando ſunt Animæ ſolutæ corporibus, ſeu quæ purgatoriis pœnis expiantur, ſive in æterna damnatæ ſupplicia. Plerumque tamen ſunt dæmones: Spiritus medii cujuſdam generis, nec bonos, nec prorſus malos, ingenio miti, & per facili hominum amicos, quos aliqui comminiſcuntur, omnino rejicimus. Quod Caſſianus Coll. 7. cap. 32. aliique Doctores, Spiritus alios quidem mites, & joculatores; alios vero truculentos, a tetricos nuncupant; diſtinctiones ſunt, non naturæ, atque indolis, nec conditionis, aut ſtatus; ſed officiorum, ac decipiendi artium, quo ſemper dæmones ſpectant. A pag. 69.

XIV.

Utrique a vero aberrant, & qui id omne, quod eſt corporatum, ac ſubjectum ſenſibus, adverſus dæmones prorſus caſſum, enerve, inefficax cenſent; & qui ad eos abigendos nihil ferme adhibent, niſi fumos, herbas, lapides, arma, verba, notas, & id genus alia. Nihil valent iſta per ſe, directe, & proxime; ſed tantum ex accidente, indirecte, & remote: eo tantum ſcilicet, quod aliqua ex his medentur humori melancholico, ac deterioribus aliis corporis affectionibus, quibus dæmones, tanquam externis quibuſdam viribus, & adjumentis utuntur, nec minus quam tenebris delectantur. Eadem vero quandoque valent etiam directe, & proxime; ſed vi, & efficacitate non ſua: valent ex divina manu, qua tanquam inſtrumenta moventur; quæque ſuperbiſſimos Spiritus rebus per ſe vilibus, aut levibus ſubjicit. Sic explicanda, quæ de fumo ex piſcis jecore emiſſo leguntur Tob. vi. 8. & viii. 2. ac de cantu Davidicæ citharæ 1. Reg. xvi. 23. &c.

XV.

Ad malorum Angelorum poteſtatem, ſagacitatemque pertinent etiam dæmoniacæ artes. In primis vero Magia, quam Nigram appellitant; & a Magia tum naturali, tum artificiali omnino eſt ſejungenda. Definiri autem poteſt: Facultas ex pacto cum dæmonibus, vel explicite, vel implicite inito, efficiendi, ipſorum opera, quædam mira, aut inſolita, quæ hominum vires, induſtriamque ſuperant. Ut ſint in re magica plena omnia præſtigiis, & illuſionibus; fiunt tamen a dæmonibus etiam aliqua vere. Inter hæc haberi poſſunt humanorum corporum tranſvectiones, deportationeſque veneficorum, tum virorum, tum mulierum ad loca etiam valde remota: nocturni eorum conventus, epulationes, tripudia, & ſimilia, quæ aliqui exiſtimant mera ſomnia, ſed non videntur poſſe univerſe negari. Immo ſunt aliqui Scripturæ loci, in quibus videntur hæc deſignari: ut Iſa. xiii. 21. & xxxiv. 14. Canon autem *Epiſcopi*, qui ex Concil. Acquirenſi extat Decr. par. 2. Cauſa 26. q. 5. tantum de aliquibus, quæ tunc ferebantur, contradicit, & a Turrecremata, Victoria, Suares, & aliis commode explicatur. De his a pag. 69.

XVI.

Ars divinandi, ſeu per illam prenuntientur futura, ſive occulta proferantur in lucem, vana ſemper eſt, ac plerunque etiam ſuperſtitioſa. Hæc Societatem habet, ſeu pactum cum dæmone, vel expreſſum, vel tacitum. primi generis ſunt Necromantia, Pythonica, Ariolatio, Hydromantia, & ſpecies aliæ plurimæ. Ad ſecundum genus referenda Augurium, Auſpicium, Divinatio per omen, Divinatio per ſortes, & ſimilia. Hæ omnes utriuſque generis ſpecies fallaciſſimæ ſunt; præſertim quando futura, quæ hiſce

Digitized by Google

hiſce artibus prædicuntur, vel caſualia, & fortuita, vel libera ſunt; & occulta, quæ panduntur, ſunt mentis, aut cordis arcana. Falſo opinantur aliqui, hæc ſi minus ab hominibus, ſaltem a dæmonibus ex ſyderibus poſſe cognoſci. Non ſolum negamus, ſtellas eſſe humanarum actionum cauſas, aut ſigna naturalia; ſed & illud falſum putamus, quod Scriptores aliqui etiam catholici docent, hodieque contendunt, eas eſſe ſigna arbitraria, & quaſdam vaticinationes, aut revelationes illarum actionum a Deo Cœlorum voluminibus inſcriptas. Nec judicamus, per ea, quæ ſtabiles habent curſus, certaſque periodos, apte ſignari motus humanarum voluntatum, quæ inſtabiles ſunt, ac liberæ. Etſi vero hæc in Cœlo, ut vellent iſti, deſcripta non ſunt; fatemur tamen interdum aliqua ejuſmodi mire præſignificata, & patefacta fuiſſe a dæmonibus; & contra recens Wandalii, & Fontenellæ ſyſtema hæc duo defendimus: nempe, antiqua oracula fuiſſe a dæmonibus reddita; eaque Chriſti Domini ortu, & Apoſtolorum voce obmutuiſſe. De his II. a pag. 63. & III. a pag. 16. & iterum a pag. 69. Hæc de Angelis, de quibus non ſelectas tantum aliquas quæſtiones, ſed integrum tractatum, licet ſuccincte, & compendio, ſcripſimus.

Animæ rationali *Dei notitia ingenita*. I. 127. & 139. *Eidem ut ſint alia plura inſita, & inſcripta*. ib. 127. *Ejuſdem ſenſus arcanus, qui ab aliquibus dicitur Animæ fundus*. ib. 128.

Animæ anima, *ſive animæ vita, quo ſenſu, & de quibus dicatur Deus*. III. 92. 99.

Animam Chriſti *in illis, qui Euchariſtiæ Sacramentum digne ſuſcipiunt, etiam poſtquam Sacramenti ſpecies conſumptæ fuerint, remanere, neque ab ipſis unquam diſcedere, niſi pulſam aliqua culpa gravi, illuſtres quidem Theologi noviſſime docuerunt; quorum ſententia oppugnatur*. ib. a pag. 161.

Anni Nativitatis, *Baptiſmi, & Mortis Chriſti*. I. 157. & iterum a pag. 160. & II. 81.

Anni Patriarcharum *ex Hebræorum potius, quam ex Græcorum Voluminum calculis ſupputandi*. I. 167.

Antiblicæ ſectæ *quatuor, hoc eſt, Indifferentiſtæ, Naturaliſtæ, Politici, ac recentes Libertini confutatæ, & atheiſmi convictæ*. II. 21.

Antichriſti miracula. III. 46. & 77.

Antilogiæ S. Scripturæ. I. 5.

E S. Antonini *ſilentio de Domo Lauretana duci argumentum contra ipſam non poſſe*. II. 95.

Apotheoſis Gentilium *quæ fuerit, & quam omni ex parte differat a Canonizatione Chriſtianorum*. III. 112.

Apparitiones Dei, *Chriſti, B. Virginis, ac Cœlitum aliorum, ut ad nonum pertinent Contemplationis gradum*. ib. 152

Apparitionum Dei, *& Spirituum diverſa genera*. ibid. 49. *Item Chriſti, Deiparæ, ac Cœlitum aliorum*. ibid. 50.

Appetitus rationalis *operationes diſtinguendæ, Velle, & Eligere*. II. 137.

Arborum Paradiſi terreſtris *efficientia, & virtus*. I. 155.

Arriani *qua ratione ex Incarnationis, & Euchariſtiæ Myſteriis a Patribus refutati*. III. 166.

Aſcetica *quid a Myſtica differat*. ib. 91.

Auditio loquelæ Dei, *ſive, Arcana verba, octavus Contemplationis gradus*. ib. 152.

S. Auguſtini loci, *quos præcipue pro ſe facere contendit Janſenius, explicati*. * 199. & iterum 205.

Authentia Vulgatæ. I. 27. & rurſus 32. & II. 15.

Authenticum ſcriptum *quid ſit*. I. 28.

Auxilia divinæ Gratiæ *per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ compoſita, & ordinata, exponuntur*. II. 113.

Auxilia congrua *a priori, expoſita*. ib. 106.

Auxilia congrua *a poſteriori, explicata, & propugnata*. ibid. 124. & * 79.

Auxilia indifferentia *quo ſenſu, ſeu ſignificatione dicantur*. ib. 148. & * 40.

B

BAjus, & Bajani *duplex præceptorum genus, facienda ſcilicet, ac perficiendæ juſtitiæ, quod Auguſtinus diſtinxit, perperam intelligunt*. * 166.

Ba-

Digitized by Google

Baptiſmus Chriſti *quo anno*, *& die*. IJ. 81.
Baronius *laudatus*. I. 163. *Ejuſdem ſententia de anno Chriſti natali impugnatur*. ibid. 164.
Baſnagius, *& Vergerius refutantur*. IJ. 61. & 92.
Beatificatio *quid ſit*, *& a Canonizatione quid proprie*, *& primario differat*. IIJ. 106. & 113.
Beatitudo *in quo poſita ſit*, *& quæ ſit propria ipſius & phyſica*, *& metaphyſica notio*. ib. 154. & 158.
Bellarmini *mens*, *& doctrina de Gratia*, *& libero Arbitr.* IJ. 106.
Benedictus XIV. P. M. *laudatus*. ib. 93. & IIJ. 56.
Bollandiani *laudati*, *& in ſententia de anno Chriſti natali duces habiti*. I. 159. & 2. 81. *Item in ſententia de Jacobi Majoris in Hiſpaniam acceſſu*. I. 179. *Iidem relicti in ſententia de Jacobo Minore*. ib. 182.
Bona voluntas *quid ſit apud Auguſtinum*, *duplici via explicatur*. IJ. 138.
Boni ſummi *communicatio interior*, *& exterior nomine Jeſu ſignificata*. ib. 78.

C

CAbala Hebraica, *& Cabaliſtici ſenſus*. I. 59.
Cœlorum harmonia. ib. 208. & IIJ. 38. *Eorumdem ſoliditas*. I. 206. *Cœlorum virtutes*. ib. 207. & IIJ. 38.
Calvini, *& Lutheri diſcrimen in doctrina de libero Arbitrio*. * 195.
Canon ſacrorum Librorum *a Concilio Tridentino conditus propugnatur*. I. 20.
Canonizandi, *ſive Eccleſiæ faſtis ſolemniter adſcribendi homines ſanctos*, *conſilium eſſe ſapientiſſimum*, *ritum vero ab omni parte probandum*. IIJ. 104. & 112. *Hoc facere non poſſe*, *niſi Romanum Pontificem*, *ſive una cum Concilio*, *ſive extra Concilium*. ib. 105. *In Canonizatione Pontificem ex Cathedra loquentem errare*, *ſeu falli*, *aut fallere omnino non poſſe*. ib. 107.
Cantici Canticorum *quis ſenſus hiſtoricus*, *ſeu Litteralis*. I. 53.
Carteſius *refellitur*. IIJ. 35.
Ex Cathedra loqui, *quid ſit*, *explicatur*. ib. 107.
Cauſæ, *quibus adducta Eccleſia Canonizationem Sanctorum facere inſtituit*, *recenſentur*. ib. 104.
Cauſæ ſecundæ *quod ſint inſtrumenta Dei*, *quomodo intelligendum*. * 133.
Cenſus Cyrini. J. 165.
Charitas perfectorum. IIJ. 100. *Charitas unitiva*. ibid. 99.
Cherubim excubiæ *ante Paradiſum terreſtrem*. J. 157.
Chriſtus Martyrum caput, *& exemplar*. IIJ. 123. *Ipſius manſuetudo*, *& patientia referenda Martyribus*. ib. 129. *Quid ſit*, *& ſignificet*, *quod cor cum aliquibus ſanctiſſimis mulieribus mutaſſe legatur*. ib. 98. *Qua ratione permaneat in illis*, *qui ſancte communicant*. ib. 162. & 169. *Ipſius deſcenſus ad inferos explicatur*, *& adverſus heterodoxos defenditur*. ib. 164.
Chriſti adventus *adverſus Ethnicos demonſtratus*. IJ. 61. *Item adverſus Hebræos*. ibid. 66. *Chriſti Genealogia*. J. 8. & 171. *Chriſti ortus*. ib. 157. & IJ. 81. *Fuga in Ægyptum*, *ac reditus*. J. 160. & IJ. 82. *Chriſti doctrina*. ibid. 83. *Ejuſdem miracula*. ibid. 84. & IIJ. 41. *Ejuſdem libertas cum ipſius Impeccabilitate conciliatur*. * 178. *Orationis*, *ſeu precum Chriſti efficacia*. ibid. 191. *Secundus Chriſti adventus dupliciter præſignificatus: ſeu*, *prædicta non ſolum res*, *ſed etiam figura hujus adventus*. J. 182. *Chriſtus Judex*. IIJ. 50.
Chronologia *quid ſit*. I. 141.
Clemens XI. *laudatus*. ib. 42.
In Comparationibus *peculiares S. Scripturæ phraſes*, *& Linguæ ſanctæ idiotiſmi*. ib. 6. &c.
Conceptio B. M. V. *ſine ulla prorſus peccati macula*. IJ. 96. *Licet*, *& laudabile eſt huic veritati tuendæ vitam impendere*, *& ad hoc ipſum Voti religione ſe obſtringere*. ibid. 97.
Concilium *non eſt ſupra Pontificem*; *ſed contra*, *Pontifex ſupra Concilium*. IIJ. 105. & 115. *In poſterioribus Conciliis ad examen revocata*, *& ſtabilita eſſe aliqua*, *quæ in ſuperioribus examinata*, *& definita jam fuerant*, *an verum ſit*, *& quatenus*. ibid. 114.
Concomitans, *ſeu Condeterminans Scotiſta.*

Digitized by Google

tiſtarum Decretum impugnatur. IJ.122. & * 147.

Contemplationem *inter*, *& Meditationem quid maxime interſit*. IIJ. 149. *Contemplationis deſcriptio*, *ac definitio*. ibid. 150. *Contemplationis diviſiones generales in infuſam*, *& acquiſitam*; *activam*, *& paſſivam*; *ordinariam*, *& extraordinariam*. ibid. 151. *Ejuſdem diviſiones particulares in ſingulas ſpecies*, *& gradus*, *qui duodecim recenſentur*, *& explicantur*. ibid. & 157.

Copernicus *refutatus*. I. 201. & IIJ. 35.

Copernicanorum demonſtrationes *nullæ veræ*; *explicationes multæ parum felices*, *nec inter ſe cohærentes*. I. 213. *In eorumdem Syſtemate diſtantiæ*, *& magnitudines incredibiles*, *aliaque plurima*, *& graviſſima incommoda*, *præſertim ex S. Literis*, *& Patrum interpretatione*. IIJ. 215. & ibid. 35.

Cordium inclinandorum *poteſtas in Deo omnipotentiſſima unde ſit proprie*, *& formaliter*. IJ. 106. & iterum 113. & * 138.

D

DAnielis vaticinium *de adventu Meſſiæ expoſitum*. ib. 73.

Deificatio, *& Transformatio animæ in Deum pro hac vita mortali*, *quid ſit*, *explicatur*. IIJ. 154. *Item pro vita immortali*. ibid. 155. & 158.

Dei perfectio, *& ſanctitas omnibus imitanda*. ib. 94. *Et qua potiſſimum ratione*. ibid. 96.

Delectatio victrix, *& Gratia victrix*, *quæ ſæpe uſurpat Janſenius*, *tanquam Auguſtino familiaria*, *utrum vere ſint talia*. * 146. & 163.

Auguſtini effatum, *ſecundum id*, *quod nos magis Delectat operemur neceſſe eſt*, *explicatum*. IJ. 113. & * 199.

Delectationum *Cæleſtis*, *ac terreſtris alterni motus ex doctrina Janſenii exponuntur*, *ac rejiciuntur*. * 161.

Deus, ut abſconditus, *ſeu Dei arcana*, *& profunda ſunt id*, *circa quod theologia myſtica primario verſatur*. IIJ.89.

Deus eſt in hominibus perfectis, *tanquam motor in mobili motorem ipſum repræſentante*. ibid. 92. & 144.

Deus quibus titulis, *ſive nominibus iterum*, *atque iterum venire*, *& illabi in hominis animam dicatur*. ib. 143.

Deum eſſe per ſe notum, *qua ratione videatur poſſe defendi*. I. 327. IJ. 25. *Deum eſſe*, *quibus potiſſimum argumentis adverſus Atheos demonſtretur*. IJ.23. *Dei nomina primaria expoſita*. I. 107. & 113. *De Deo duplex loquendi modus*, *affirmans*, *& negans*. ib. 108. *Diſtinguendum videtur & quod ſit infinitus*, *& quod ſit infinite*. ibid. 107. & 113. & IJ. 35. *Dei definitio*, *ſeu qualiſcunque ipſius deſcriptio*. I. 107. *Dei notio ſymbolica*. ib. 111. & IJ. 27. *Ut Deo ne noſtro quidem intelligendi modo addi quicquam poſſit*. I. 121. *Summa Dei ſimplicitas*. ib. 125. & IJ.37. *Dei Æternitas*, *& Immenſitas explicatæ*. I. 115. & iterum IJ. 32. *Item Dei ſcientia*, *& voluntas*. I. 116. & 133. IJ. 42. & 45. *Summa ipſius immutabilitas cum ſumma ejuſdem libertate componitur*. I. 33. & IJ. 35. & * 156. *Deum eſſe primum liberum*, *primum movens*, *ac primum determinans*, *quomodo intelligendum*. * 135. *Item quomodo intelligendum*, *quod Deum dicitur pœnitere*. ibid. 53. *Et quod idem interdum dicitur homines tentare*. ibid. 55. *Actus Dei contingentes*, *ac liberi explicati*. * 156.

Dies Chriſti mortis. IJ.84. & iterum 87.

Dierum *ſex intervallo conditum fuiſſe Mundum*, *defenditur*. I. 142.

Diluvium *abſolute*, *ac proprie univerſale fuiſſe*. ib. 153.

Hominum Diſcretio, *ſive illud Apoſtoli*: *Quis eſt*, *qui te diſcernit? explicatum*. * 63. & iterum 138.

Divinandi artes *pleræque ſuperſtitioſæ*, *omnes fallaces*. IIJ.69.

Dogmata Fidei *alia protocatholica*, *alia deuterocatholica dici poſſunt*; *& quæ ſint hæc*. I. 174. & IJ. 96.

E

ECcleſia *ad hanc doctrinæ*, *& diſciplinæ lucem*, *ac perfectionem*, *in qua nunc eſt*, *quo proceſſu*, *& gradibus venerit*. I. 174. *Quæ definire proxime poſſit*. IJ.96. *Eccleſiæ uſus*, *& traditio*

tio de S. Scripturæ lectione, & tractatione promiſcua. I. 49.
Eccleſiæ regimen Monarchicum. III.115.
Ecſtaſis, ſeu mentis exceſſus, ſextus Contemplationis Gradus, deſcribitur. ib.151.
Efficacia multiplex divinæ Gratiæ explicatur. * 127. In quo ſit ejuſdem Efficacia formalis. ibid. 128.
Eheieh, & Elohim, Dei nomina explicata. I. 107. & 119.
Enchiridion adverſus Janſenianos. * 161.
Epocha duplex Artaxerxis Longimani rejicitur. II. 74.
Epocha Chriſti triplex diſtinguitur. I. 159.
Epocha duplex Tiberii defenditur. ib.157. & II. 81.
Evangelicæ hiſtoriæ cum Prophetarum vaticiniis de Chriſto mira conſenſio. ib.66
Euchariſtiæ, & S. Scripturæ analogia. I. 46.
Euchariſtia Incarnationis extenſio, quo ſenſu dicatur. III. 166. Item quo ſenſu dicatur, Sacramentum Unionis. ibid. 162. Ejuſdem primarius effectus, qui ſit. ibid. 163. Nova ſententia de Chriſti permanſione in eo, qui Euchariſtiam digne, & ſancte ſuſceperit, partim rejicitur, partim probatur. ibid. 160.
Ab Excellentia an recte definiatur virtus heroica. ib. 140.

F

Factum dogmaticum, ſive connexum cum jure, ab Eccleſia, & Summo Pontifice poteſt certo, ac de Fide definiri. ib. 118.
Non ſolum eſt certum, ſed & Fide divina credendum probamus, hominem a Summo Pontifice inter Sanctos relatum, talem re vera eſſe, ac cœleſti beatitudine frui. ib. 108. & iterum 118.
Felicitas impiorum ut divinæ Providentiæ nihil officiat. II. 48.
Fidei controverſiæ utrum per ſolam S. Scripturam finiri poſſint. I. 60. Utrum per Scripturam, & ſpiritum privatum. ibid. 58.
Fidei dogmata duplici ordine, ut divinæ Scripturæ Libri. ib. 174.
Fidei Regula quæ, & quotuplex ſit. ib.60. & iterum 77. & II. 16. & iterum 17.
Utrum recte, & ſine ullo vitioſo circulo, probentur Fidei Regula viva per Regulam mutam, ſive mortuam; & hæc viciſſim per illam. I 9.
Figurata S. Scripturæ locutio, quæ. ib.56.
Fluvius Paradiſi terreſtris. ib. 154.
Fomes ligatus, & fomes extinctus apud Myſticos, quid ſit, & ſignificet. III.148.
Futura abſoluta libera quomodo præcognoſcantur a Deo. I. 116.133. II. 42. & 134.
Quomodo præcognoſcantur Futura libera conditionalia. ib. 134. & iterum 146. & * 4. & iterum 50.

G

Genealogia Chriſti, & Deiparæ. I. 8. & 169.
Ex Genere, ac ſtirpe David non ſolum legaliter, ſed etiam phyſice. II.70.
Geon fluvius utrum idem, ac Nilus. I. 152. & 154.
Gratia per ſe intrinſecus efficax impugnatur. II.122. & * 140. Non ſolum creatæ libertati, & divinæ ſanctitati videtur officere; ſed etiam divinæ potentiæ, & dominio. ib. 149.
Gratiæ efficacia in quo poſita ſit. * 127. Qua ratione probabilius componatur cum libertate indifferentiæ. II. 146. & * 65. & iterum 114.
Gratia, quæ datur naturæ lapſæ ab ea, quæ data eſt naturæ innocenti quid differat. * 66. & iterum 83. & 205.
Item quid differant Gratia bonæ voluntatis, & bonæ actionis. II.137.
Controverſia inter Auguſtinum, & Pelagianos non fuit, an divina Gratia auxiliatrix ſit per ſe intrinſecus efficax. * 154. & 173. & iterum 180.
Gratia Miraculorum quæ, & quibus detur. III. 45. & iterum 86.
Gratia parva, & invalida Janſeniana rejicitur. * 173.
Gratiæ ſufficiens, & efficax explicantur. ibid. 171. earumque differentia notantur. ibid.
Gratia mere ſufficiens defenditur. ibid. 180. Ac verum Dei beneficium eſſe oſtenditur. ibid. 185.
Gratia victrix apud Auguſtinum nuſquam legitur. * 149. & 162.
Gratiam eſſe animæ vitam quomodo intel-

Digitized by Google

telligendum, & quid proprie ſignificet. IIJ. 92. & iterum 96.
Quando augetur notabiliter Gratia venire, aut mitti in hominis animam divinæ Perſonæ dicuntur. ib. 143.
Gravitatis univerſalis ſyſtema *Gallice nuper editum quid peccare videatur.* ib. 38.

H

HÆreſes *in his Prolegomenis, & Tractatibus expoſitæ, & profligatæ. Quæ contra divinam Gratiam, & liberum hominis Arbitrium.* II. 45. & * 81. præſertim vero 161. 173. 186. 195.
Quæ contra Incarnationis Myſterium. II. 77.
Quæ contra divinam Providentiam. ib. 23. & iterum 52. & * 187.
Quæ contra S. Scripturam. I. 4. & iterum 40. & II. 12. & 21.
Quæ contra Spiritum Sanctum. ib. 53.
Quæ contra divinas Traditiones. I. 91. & IJ. 20.
Quæ contra Trinitatis Myſterium. ib. 52.
Hagiographi *an mera fuerint inſtrumenta; nec libere, ſed ex neceſſitate ſcripſerint.* I. 16.
Hebdomadum ſeptuaginta *initium unde ſumendum ſit.* IJ. 73.
Hebræi convicti. ib. 70.
Herodis Antipæ nummus. I. 158.
Herodis Aſcalonitæ mors. ib. 60. & IJ. 81.
S. Hieronymus *laudatus.* I. 34. & IJ. 15.
Hieroſolymitanum excidium. I. 181.
Hiſtoria *quid ſit.* ib. 141.
In Hiſtoria *Novi Teſtam. nihil eſſe, quod ab aliis Scripturæ locis diſſentiat, probatur, ac defenditur.* ib. 168.
Homo Deus, *ſeu Chriſtus, ut homo, eſt exemplar viſibile, nobis propoſitum, ut ipſius imitatione exprimamus in nobis Dei ſanctitatem, ac perfectionem, quam videre non poſſumus.* IIJ. 96.
Quod Hoſtia, *& Sacrificium apud Danielem defectura dicuntur, in medio Hebdomadæ, quomodo intelligendum.* IJ. 76.
Humanæ Chriſti operationes *umbræ, humana ejuſdem natura interpoſito corpori, Divinitas luci, ac Soli comparatur a Patribus.* IIJ. 97.

I

JAcobus, *Frater Domini appellatus, unus eſt ex duodecim Apoſtolis, & idem, qui Jacobus Alphæi.* I. 182.
Iacobus Major *fuit in Hiſpania.* ib. 179.
Jacobi Patriarchæ *vaticinium de adventu Meſſiæ expoſitum, & propugnatum.* IJ. 70.
Janſenii doctrina *generatim exponitur, & confutatur.* * 161. *Item exponitur, & confutatur prima ejuſdem Propoſitio.* ibid. 164. *Secunda Propoſitio.* ibid. 168. *Tertia Propoſitio.* 173. *Quarta Propoſitio.* 180. *Quinta Propoſitio.* 185. *Male Janſenius ſe a Calvino conatur ſejungere.* ibid. 195. *Male conatur jungere ſe Thomiſtis.* ibid. 196. *Perpetuus ejuſdem conſenſus cum Hæreticis, & diſſenſus a Patribus, atque orthodoxis Doctoribus oſtenditur in toto Enchirid.* 161. *Argumenta, quibus pugnat, refelluntur, præſertim* 204.
Ideæ, *ſeu ſpecies innatæ.* J. 102.
Jeſu Nominis *expoſitio duplex, vulgata ſcilicet, & arcana.* IJ. 78. *Nomen idem Panoplia adverſus Hæreſes, quæ contra Incarnationis Myſterium.* ib. 79.
Peccata ex Ignorantia. * 176.
Divina immenſitas *explicatur.* I. 115. & IJ. 30.
Divina immutabilitas. ib. 34.
Incipientium, *Proficientium, & Perfectorum quæ propriæ rationes, & differentiæ.* IIJ. 99.
Ab indifferenti, *ut Indifferenti non oritur determinatio, quomodo intelligendum.* * 132.
Dei infinitas *quæ.* I. 107. & 113. & II. 35.
Quod Cauſæ ſecundæ ſint Inſtrumenta Dei, *quomodo intelligendum.* * 133.
Interiores ſummi Boni communicationes, *& proceſſiones expoſitæ.* IIJ. 96.
Interpretandi S. Scripturam *quæ ſit recta ratio.* I. 62.
Interpretum ſeptuaginta *Græca Verſio qualis.* ib. 27.
Interpreti Vulgato Latino *utrum ſpecialiter affuerit, ac verba dictaverit Spiritus Sanctus.* ib. 34.
Simplex veritatis intuitus, *primus Con-*

tem-

templationis Gradus, explicatus. IIJ. 92. 94. & 97.
Jobi vera eſt hiſtoria. I. 152. *Ejus hiſtoriæ, & primi Geneſis capitis conſenſio.* ibid.
Elogium Chriſti de S. Joanne Baptiſta *explicatum, & propugnatum.* ib. 195. *Idem Joannes quando pœnitentiam prædicare, & baptizare cœperit.* IJ. 82.
Joannes Evangeliſta *utrum mortuus.* I. 180
Jordanes *an terreſtris Paradiſi fluvius.* ib. 154.
Joſephi Hebræi *teſtimonium de rebus Herodum cujus ponderis eſſe debeat.* ibid.
Non deficiet ſceptrum de Juda &c. *quod fuit Jacobi vaticinium, utrum de ſola Tribu Juda, an vero de tota Hebræorum gente intelligendum ſit.* IJ. 70.
Judex Controverſiarum de rebus Fidei *qui ſit.* I. 60. & IJ. 16.

L

Latina Editio Vulgata *in iis etiam, quæ ad Fidem, & mores non pertinent, authentica eſt, & tam perfecta, ut nullus in ea ſit error Interpretis.* I. 30. & 210.
Lauretana Domus *eſt illa eadem, in qua Verbum caro factum eſt.* IJ. 91.
Lex naturæ *quid ſit, & quæ in ea prima ſint.* I. 92.
Lege ordinaria, *& communi omnibus hominibus in hac vita mortali negatum eſt, Dei eſſentiam clare, & ſicuti eſt intueri.* IIJ. 152. & 158.
Ab hac lege excipitur B. V. Maria. ibid. 154.
Libertas Chriſti *cum ipſius neceſſaria ſanctitate, ſive impeccabilitate conciliatur.* * 158.
Libertas indifferentiæ *adverſus recentes hæreſes propugnata.* * 83. & iterum 97. & tandem 178.
Quod Libertas noſtra ſit eminenter in Deo *quomodo intelligendum.* * 135.
Libertini, *& Phanatici oppugnati.* I. 4. & 34. *Item Libertini recentiores, ſeu Liberi philoſophantes.* IJ. 22.
Liber apochryphus *quis.* I. 25.
Liber authenticus, *& Canonicus an differant.* ib. 25.
Libri Canonici *quot, & qui ſint.* ib. 20. & IJ. 6.
Libri divini *an ſint alii præter eos, quos Tridentinum recenſet.* J. 26. *Ex Libris divinis an interierint aliqui.* ibid.
Libri Eccleſiaſtici, *qui dicantur, & quæ ſit eorum auctoritas.* J. 162.
Ex Libris S. Scripturæ *alii Protocanonici, alii Deuterocanonici.* ib. 22.
Sacrorum omnis generis Librorum *tripartita diviſio.* ib. 162.
Lutherus *de Gratia, & libero Abitrio quid ſenſerit, & ab Janſenio quid diſcrepet.* * 172. & 195.
Ad Lucis naturam explicandam *tentamenta, ſeu meditationes, & exercitationes variæ.* I. 194. *Lux propagatur recte.* ibid. 196. *Quid probabilius ſit Lux.* ibid. 198.

M

Magia *quotuplex ſit.* IIJ. 65. *Magia ſuperſtitioſa, ſeu dæmoniaca quid ſit; & quæ per eam effici poſſint.* ibid.
Magnetica virtus *an ſit aliqua, qua Mundi partes inter ſe cohæreant, atque conſiſtant.* I. 207. *An per eam Cœli concentus, ac diverſi ſyderum motus explicari poſſint, & qua ſatis apta ratione.* ibid. & IIJ. 40.
B. V. Maria *ſine ulla prorſus peccati macula concepta.* II. 96. *Utrum non ſolum culpæ omnis, ſed omnis etiam erroris expers fuerit.* I. 173. *Ex ſtirpe, & Familia David.* IJ. 70. *Utrum Hieroſolymæ, an Epheſi mortua.* I. 176. *Anima, & corpore in Cœlum aſſumpta.* ibid. 174.
Eadem utrum fuerit vere, & proprie martyr, in utramque partem diſputatur æque probabiliter. IIJ. 125.
An eſſet vere, & proprie martyr, qui pro veritate ſententiæ de immaculato ejuſdem conceptu vitam profunderet. ibid. 135.
B. V. Maria *omnibus virtutibus prædita fuit, eæque omnes fuerunt heroicæ.* ib. 142.
Maria Magdalena *Lazari, & Marthæ ſoror, ac mulier in civitate peccatrix una, & eadem.* I. 185.
Ad verum Martyrium *requiruntur hæc quatuor: Primum, quod mors, aut neceſ-*

ceſſaria mortis cauſa reipſa inferatur. III. 121. *Secundum, quod inferatur ex odio Fidei, vel rei ad Fidei doctrinam ſpectantis*. ibid. 122. *Tertium, quod perpeſſio, & acceptatio mortis ſit voluntaria*. ibid. 123. *Quartum, quod cauſa movens ad mortem ſic acceptandam, ac perferendam, ſit Fides, vel aliud non ſolum honeſtum, & juſtum, ſed etiam ſupernaturale, ſeu per Fidem propoſitum*. ibid. 124.

Martyrium infantium, & *puerorum expenditur*. ibid. 129. *Item eorum, qui ſe tyranno ultro obtulerunt; vel ignibus ſibi paratis injecerunt; aut perſequentium manus fugientes aliter ſe occiderunt*. ibid. 128.

Præter hæc vero martyr ea omnia ſervare, & facere debet, quæ ex præceptis tum negantibus, tum affirmantibus communia ſunt omnibus Fidelibus proxime morituris. ibid. 135.

Martyr non eſt, *qui pugnans occiditur*. ibid. 123. *Secus vero, qui fugit*. ibid. 129. *verum diſcrimen affertur*. ibid. & 130.

Martyres non ſunt, *qui peſte laborantibus miniſtrantes, eadem intereunt*. ibid. 128. *Qui ſint alii Martyres minus proprie, & tantum ſimilitudine aliqua*. ibid. 127.

Martyrologii Romani *quæ ſit auctoritas*. I. 161. *Prologus, qui ibi legitur* VIII. *Kal. Januar. cujuſmodi ſit*. ibid. 167.

Mentes, *ſive Intelligentiæ cæleſtibus orbibus verſandis appoſitæ*. I. 203. & IIJ. 42.

De Meſſiæ adventu *prophetiæ V. T. numeratæ, & quæ celebriores, expoſitæ, ac propugnatæ*. II. 66.

S. Michael *Angelorum omnium Princeps*. IIJ. 70.

De Miraculis *ſelectæ quæſtiones diſceptatæ*. IIJ. 44. & in Additionib. 84. *Miracula Antichriſti nulla vera*. ibid. 46. & in Addit. 77. *Miracula Chriſti ipſius Divinitatis argumentum*. II. 69. *Chriſti Humanitas miraculorum inſtrumentum non ſolum morale, ſed etiam phyſicum*. IIJ. 41. *Angeli quoque; ſed diſpari ratione*. ibid. 42. *Interdum etiam homines ſancti*. ibid. 43. *Miracula Magorum Pharaonis*. I. 6. & IIJ. 46. *Miracula Moyſis*. I. 6. *Miraculum Eliæ deſcriptum* III. *Reg.* XVIII. *theologice expenditur*. IIJ. 86.

Miracula ad Beatificationem, & *Canonizationem, etiam Martyrum neceſſaria* ibid. 171. & ſeq. *Non ſolum veræ ſanctitati, veroque martyrio teſtimonium reddunt; ſed etiam Dei voluntatem declarant, de honoribus utrique decernendis*. ibid. 172.

Inter miracula, & ſigna diſtinguitur; *atque hæc etiam, ſi rite probentur ad id, quod deliberatur, ſatis eſſe oſtenditur*. ibid. 173.

Mundum conditum fuiſſe *ſex veris diebus oſtenditur*. I. 142. *Quot ante Chriſti ortum annis conditus fuerit*. ibid. 157. & iterum 167. & II. 81.

Mundus intelligibilis, *quid ſit*. I. 145. & IJ. 133. & * 50.

Mundum traditum diſputationi hominum *quomodo intelligendum*. I. 192.

Myſticæ Theologiæ *definitio traditur, & probatur*. IIJ. 89. *Dividitur in experimentalem, & doctrinalem*. ibid. 90. *in directam, & reflexam*. ibid.

N

NAtura *an recte ſemper, & compendio agat*. I. 218.

Naturaliſtæ, & *Indifferentiſtæ confutati*. IJ. 21.

Neceſſitates, *Impoſſibilitates, Demonſtrationes morales ut interdum phyſicas ſuperent, ac metaphyſicas æquent*. IIJ. 145.

Newtonus *laudatur, & impugnatur*. I. 220. & IIJ. 36.

Nomen Theologiæ Myſticæ *quam rei conveniat*. ibid. 89.

Nominis Jeſu *duplex ſignificatio*. IJ. 77. *Item Nominis Ineffabilis*. I. 112. *Aliorum Dei Nominum meditationes, & conſiderationes aliæ*. ibid. 107. & iterum 119. & 135. &c.

Nummus Herodis Antipæ. I. 158.

O

OBjectivæ rerum veritates æternæ. II. 133 & * 50.

Obligatione *gravi ad Perfectionem propriam ſui ſtatus aſpirare, & incumbere debent omnes*. III. 94.

Obli-

Digitized by Google

Obligationes propriæ, *& peculiares ſtatus religioſi*. ibid. 101.
Omnipotentiſſima poteſtas *inclinandorum cordium*. II. 113. & * 138.
Operis hujus idea, *& conſilium*. I. 1. *Ejuſdem partitio*. ibid.
Oracula ethnicorum *a dæmonibus reddita fuerant*. IJ. 63. *Sub Chriſti adventum ceſſarunt*. ib. 64.
Ordo divinorum decretorum *an certis ſignis diſtinguendus*. IJ. 45. & 98. & IIJ. 75.

P

PAradiſus terreſtris *an ſit*, *& ubi fuerit*. I. 5. & 150.
S. Paulus *an S. Petro in faciem reſtiterit*. I. 178.
Perfectio, *& Sanctitas idem ſunt*. IIJ. 94. *Earum propriæ definitiones*. ibid. *Charitati quid ſuperaddant*. ibid. 100.
Perfectionis acquirendæ *duplex via*. ibid. 101.
Perfectio viæ, *& Perfectio Patriæ*. ibid. 93. & 145.
Peripateticum ſyſtema *propugnatur*, *ac cæteris anteponitur*. I. 188. & IIJ. 34.
Perſonæ *quæ ſit propria notio*. I. 130.
Petrus *fuit in Urbe*. I. 177. *præfuit Eccleſiæ per annos* 25. ibid. 178.
Phantaſiæ *quæ vis*. IIJ. 45.
Phiſon *utrum idem*, *ac Ganges*. I. 154.
Plenilunia Paſchalia, *quibus Chriſti mors aſcribi probabiliter poteſt*. I. 161. & IJ. 81.
Pœna inflicta Serpenti, *per quem primi Parentes decepti*. I. 156.
Poeſis S. Scripturæ. I. 15.
Pontificis Romani auctoritas *in definiendis etiam factis cum jure connexis*. * 208.
Romani Pontificis auctoritas. IIJ. 105.
Præceptorum duplex genus, *de facienda ſcilicet*, *& perficienda juſtitia*, *quod Auguſtinus ſæpe diſtinguit*, *explicatum*. IIJ. 147.
Præceptorum genera duo, *alterum de facienda*, *alterum vero de perficienda juſtitia*, *quod ſæpe diſtinguit Auguſtinus*, *quomodo intelligendum*.* 166. & iterum 173.
Præceptorum ſervandorum impoſſibilitas, *quam heterodoxi adſtruunt*, *rejicitur*; *mens Auguſtini*, *ac Tridentini ſuper hoc explicatur*. ibid. 172.
Prædefinitiones antecedentes *Scientiam Mediam non ſatis efficaciter impugnari nomine libertatis creatæ*. IJ. 128. *Hanc ſcilicet per eas non tolli*, *ſed tantum imminui*, *aut contrahi*. ibid. 129. *Melius rejici ex optimo providentiæ genere*, *quod ſervant in Deo Prædefinitiones Scientiam Mediam ſubſequentes*. ibid. 148.
Prædeſtinatio *utrum ante*, *an poſt prævіſa merita abſolute futura*. II. 49.
Prædeſtinatianorum error. * 186. *Conſenſio Janſenii*, *& Calvini in eundem errorem*. ibid. 187. &c.
Præmotio phyſica *impugnatur*. IJ. 122. & * 140.
Præſentia rerum *in Æternitate qua*. IJ. 34.
Inter Proceſſiones divinas *interiores*, *& exteriores quæ ſimilitudo*, *& analogia*. I. 136.
Propoſitionum cenſuræ, *ſeu notæ theologicæ explicatæ*, *& exemplis illuſtratæ*. III. 10.
Providentiæ divinæ demonſtrationes, *vindicationeſque*. IJ. 21. & iterum 47.

Q

QUalitates corporum, *ſive Accidentia ſenſibilia cujuſmodi ſint*. I. 188. & iterum 190. & IIJ. 39.
Queſnelli Propoſitiones *a* 79. *ad* 86. *ad lectionem*, *tractationemque S. Scripturæ pertinentes quam ſint recte*, *ſapienterque damnatæ*. I. 42. *Ejuſdem Queſnelli cum Janſenii doctrina conſenſio*. * 164. & iterum 174.
Quies, *quartus Contemplationis Gradus*. III. 152.

R

RAptus, *ſeptimus Contemplationis Gradus*. IIJ. 152.
Regnum Dei, *quod intra nos eſſe dicitur Luc.* XVII. 21. *explicatur quid ſit*. I. 129.
Regula Fidei externa, *ſed viva*, *& ad terminandas Fidei controverſias neceſſaria*, *Pontifex*, *& Eccleſia*. I. 60 77. & II. 16.

Digitized by Google

Regula Fidei interior, *ſed muta*, *&* *inanima ſunt divinæ & Scripturæ*, *& Traditiones*. IJ. 15.
Regulæ Indicis *laudatæ*, *ac defenſæ*. IJ. 16.
Regula interpretandi Sacram Scripturam. I. 143.
Æterna hominum, & Angelorum Reprobatio *quid ſit*. IJ. 49. *Reprobationis cauſa in ipſis illis*, *qui reprobantur*. ibid. 50. *Ab hac doctrina quantum aberrent Calvinus*, *& Janſenius*. * 187.
Revelatio de ſanctitate, *& Gloria certi hominis*, *qui Sanctorum catalogo adſcribitur*, *ubi ſit*. IIJ. 109.

S

SAnctitas acquiſita, *ſeu Chriſtiana Perfectio a ſanctitate infuſa quid potiſſimum differat*. IIJ. 92.
Quæ ſit ſanctitas, *quam in illis*, *quos ſacris faſtis adſcribit*, *Eccleſia requirit*. ibid. 93. & 108. & iterum 140. & 145.
Scientiæ clavis *Hebræis adempta*. I. 27. & IJ. 15.
Scientiæ Dei *explicationes variæ afferuntur*. I. 116. & iterum IJ. 47. &c.
Scientiam Dei *eodem ſigno teneri*, *ac res viſas*, *qui docere videantur*, *& quomodo id poſſit intelligi*. IJ. 123. & * 50.
Scientia Media *propugnata*, *& Scripturarum*, *& Patrum omnium ſæculorum teſtimoniis illuſtrata*. * 4. *Quam multum differat a ſcientia conditionali Semipelagianorum*. IJ. 151. & * 60. iterumque 68. & 182.
Quæ Scientia Media quaſi a priori dici poſſe videatur, *& quam probabiliter poſſit defendi*. IJ. 106.
S. Scripturam extare; *ſive*, *Exiſtentia S. Scripturæ*. I. 3. & IJ. 3. & 17. *S. Scripturæ Auctor*, *& divinitas*. I. 3. & IJ. 3. *Propria*, *& peculiaria hujus rei argumenta recenſentur*. I. 3. *Cum probatur auctoritate Eccleſiæ non committitur circulus*, *nec vitioſe concluditur*. ibid. 9. *In S. Scriptura nihil falſum*, *& incredibile*. ibid. 4. *Ejuſdem ubique ſancta*, *& ſibi cohærens doctrina*. ibid. 6. *Recte & credendi*, *& vivendi regula*. ibid. 4. *Quæ ſit ipſius auctoritas in rebus phyſicis*, *& aſtronomicis*. ibid. 210. & IIJ. 35. *Quando loquatur ad vulgi captum*, *ac ſenſum*. I. 211. *S. Scripturæ non ſolum ſententiæ*, *ſed etiam verba ſingula a Deo dictata*. ibid. 9. & IJ. 9. *Quædam ibi citata*, *& intexta ex prophanis Scriptoribus cujus ſint auctoritatis*, *& quomodo habenda*. I. 20. *Styli diſſimilitudo quo referenda*. ibid. 15. *S. Scriptura utrum clara*, *intellectu facilis*, *omnibus legenda*, *& tractanda*. ibid. 40. & IJ. 12. *Ejuſdem in linguas vernaculas Translationes jure*, *ac merito interdictæ*. I. 41. & IJ. 13. *Ejuſdem ſenſus*, *ſive intellectus quot*, *& qui ſint*. I. 51. & II. 10. *Senſus Hiſtorici*, *ſeu Litteralet aliquando plures in uno eodemque loco*. I. 55. *Senſus Cabaliſtici rejiciuntur*. I. 59. *Senſus Elementaris quatenus admittendus*. ibid. 57. *Senſus Infinitus quis ſit*, *& an differat a ſenſu mere Accomodatitio*. ibid. 54. & II. 10. *Senſus Myſticus triplex*, *Allegoricus*, *Tropologicus*, *& Anagogicus*. I. 56. & II. 19. *Senſus Myſticus parabolicus*, *& ſymbolicus quis*. I. 57. *Senſus Phyſicus*, *& Propheticus an ſint admittendi*. ib. 59. *In S. Scriptura partim aperte*, *partim abſcondite omnis ſcientia*, *& doctrina*. ibid. 82. & II. 17. *S. Scripturæ ex iis omnibus*, *quæ hic expoſita ſunt*, *figuræ*, *& appellationes variæ*. I. 44. & 45.
Seceſſio, *ſive avocatio Animæ ab exterioribus ad interiora*, *ſecundus Contemplationis Gradus*. IIJ. 151.
Sedes Apoſtolica *proprie quid ſit*. ib. 116.
Sibyllæ *revera extiterunt*. II. 61. *Earum vaticinia a Chriſtianis priorum ſæculorum conficta non ſunt*. ibid. 62. *Ipſarum libri*, *qui nunc extant*, *genuini*, *ſed interpolati*. ibid.
Divina decreta utrum Signis diſtinguenda. II. 45. & III. 76.
Divinæ Simplicitati *in exponendo Trinitatis myſterio qua ratione probabilius conſultum videatur*. I. 125. & IJ. 36.
Species innatæ, *ſententia S. Literis valde conſentanea*. I. 102.
Spinoſæ *impia doctrina de Deo*, *ac de miraculis refutatur*. IJ. 21. & IIJ. 45.

Spi-

Spiritus privatus hæreticorum *rejicitur*. I. 68. & II. 16.
Spirituale ſilentium, *tertius Contemplationis Gradus*. III. 152.
Spiritualis ſomnus, *quintus Contemplationis Gradus*. ibid.
Status religioſus *quid ſit*, *& quas obligationes inducat*. III. 101.
Superſtitioſæ, *ac dæmoniacæ artes*. III. 65.
Syſtemata, *ſeu Meditationes diverſorum generum*, *partim experiendi*, *ac tentandi*, *vel etiam objiciendi cauſa ſolum propoſita*; *partim ſtabilita*, *& propugnata*. I. 200.
Syſtemata aſtronomica. I. 120. & III. 39.
Syſtemata phyſica. I. 187. & III. 35.
Syſtemata theologica. *Primum quidem ad cogitandum de Deo aliquanto altius*, *ipſoque dignius*. I. 107. & II. 27. *Deinde ad explicandum aliquanto commodius Trinitatis Myſterium*. I. 117. & IJ. 52. *Et pariter Actus contingentes*, *ac liberos Dei*. I. 135. & IJ. 40. *Denique Syſtemata*, *ſeu Meditationes quatuor ad componendam divinæ Gratiæ efficaciam cum libero hominis Arbitrio*.
Primum. IJ. 106.
Secundum. ibid. 113.
Tertium. ibid. 120.
Quartum. ibid. 133.
In re phyſica anteſertur cæteris Syſtema Peripateticum, *& ex ſacris præſertim Literis illuſtratur*. I. 188. & IIJ. 39.
In re theologica de Gratia, *& libero Arbitr. rejiciuntur ſingulatim cætera*; *propugnatur Syſtema*, *& doctrina Societatis*. IJ. 145. & 114. & præſertim 173.

T

TEmpla omnia Ethnicorum *quibus cauſis Eccleſia non everterit*, *ſed aliqua conſervanda*, *expianda*, *& conſecranda judicarit*. IIJ. 112.
In Vet. Teſtamento *odium*, *vindicta*, *pravæ cogitationes*, *& cupiditates deliberatæ*, *prohibitæ*. I. 7. *Item mendacium*, *ac Fornicatio*. ibid. *Quatenus*, *& quouſque permiſſa Polygamia*. ibid.
Textus Originales Hebraicus, *& Græcus*, *uti nunc extant*, *utrum ſint authentici*, *ac Fidei regula*. ibid. 27. & IJ. 15.
Theologia Myſtica *an idem ſit*, *quod Sapientia*, *de qua Prov.* VIII. 2. 3. *&* IX. 4. IIJ. 91.
Traditio *quid ſit*, *& quotuplex*. I. 73.
Traditiones divinæ *altera Fidei regula*. ibid. 18.
Traditiones diverſæ *recenſentur*. ib. 79.
Traditiones Apoſtolicæ, *& Eccleſiaſticæ quid ſint*. IJ. 20.
Traditionum neceſſitas. I. 71. & iterum 79.
Trinitatis myſterium *explanandi triplex ratio*, *& via proponitur*. ibid. 117. & IJ. 52. *Recenſentur*, *ac rejiciuntur hæreſes Antitrinitariorum*. IJ. 56.
Turris Babylonica. I. 5.

V

VAticinia Prophetarum *de Chriſto illuſtriora expoſita*, *& propugnata*. IJ. 70.
Vaticinia Sibyllarum, *quo inſtinctu*, *& modo*. ibid. 62.
Velle, & Agere, *quid ſint*, *& quomodo diſtinguenda*. ibid. 137.
Veneficorum nocturni conventus *utrum veri*, *an tantum imaginarii*. IIJ. 57.
Verbi ſcripti, *ac Verbi Incarnati analogia*. I. 11. *Quod de altero dictum eſt ad Coloſ.* II. 3. in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, *eſſe intelligendum etiam de altero*. ibid. 82. & IJ. 17.
Veri ſtatus, *ſive Eſſe veri*. I. 145. & IJ. 130.
Sacra Biblia linguâ Vernacula *ne legantur*, *ſapienter & ad Tridentinum mentem cautum*. I. 40. & IJ. 12.
Virtutes Cœlorum *quæ*. J. 207.
Omnem Chriſtianam Virtutem *recte dividi in communem*, *& heroicam*. IIJ. 137. *Omnem virtutem heroicam recte pariter dividi in heroicam ex rebus*, *quas agit*, *& heroicam ex modo agendi*. ibid. 138. *Virtutes heroicas aliqua vera ratione dici poſſe divinas*, *& differre a communibus excellentia*, *ac præſtantia non tantum rerum quas agunt*; *aut modi*, *quo agunt*; *ſed etiam principii*,

Digitized by Google

cipii, ſeu facultatis, qua agunt. ibid. 139. *Ut heros Chriſtianus, ſive homo abſolute ſanctus, atque perfectus dicatur, nec ſatis eſſe unam virtutem heroicam, nec neceſſarias eſſe omnes*. ibid. 140.

Virtutes heroicæ, *& Virtutes purgati animi an differant*. ibid. 142. *Earum definitiones*. ibid.

Virtutum heroicarum *connexio quæ ſit, & quam ſit ad Canonizationem neceſſaria* ibid. 140.

Viſio Dei in caligine, *decimus Contemplationis Gradus, quid ſit*. IIJ. 152.

Viſio Dei ſupereminens, *ſive admirabilis, undecimus Contemplationis Gradus, idemque in hac mortali vita ſupremus*. ibid.

Viſio divinæ Eſſentiæ *clara, & aperta nec Moyſi, nec Paulo Apoſtolo, neque ulli mortalium conceſſa, B. Virgine excepta*. ibid. & 158.

Vita divina, *qua perfecti & ſancti homines vivunt, explicatur*. IIJ. 92. & 96. & iterum 144. 162. & 169.

Unio myſtica. ibid. 154.

Unio Euchariſtica. ibid. 160.

Vocationi ad ſtatum religioſum *qua obligatione ſit obſequendum*. ibid. 102.

Voluntatis divinæ *multiplex explicatio, & diſtinctio*. I. 116. & IJ. 45. *Ejuſdem vis, & efficacitas ſumma*. IJ. 120.

Ad Votum, *vel juſjurandum de veritate alicujus myſterii ſanguine tuenda, non eſt neceſſaria ejus veritatis certitudo moralis reflexa, & abſoluta, quam vocant; ſatis eſt directa, & reſpectiva*. IJ. 98. *Sic ſaltem certa eſt veritas immaculati Conceptus Deiparæ apud eos, qui ad eam veritatem tuendam ejuſmodi religione, & ſacramento ſe obligant*. ibid. 99.

Votum non committendi peccata venialia, *ac ſemper proficiendi in virtutibus*. IIJ. 148.

Urbani VIII. decreta *ad Canonizationem ſpectantia, expoſita, & defenſa*. ibid. 112.

Vulgatæ Editionis Latinæ *authentia, & perfectio*. I. 32.

Vulgato Interpreti Latino *quam ſpecialiter affuerit Spiritus Sanctus*. ib. 34.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google